


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLIII
G
23

FRANCISCI VAVASSORIS OPERA OMNIA.

FRANCISCI
VAVASSORIS
E SOCIETATE JESU
OPERA OMNIA
ANTEHAC EDITA,
THEOLOGICA ET PHILOLOGICA.

Nunc primùm in unum Volumen collecta,

AD QUÆ ACCESSERUNT

INEDITA ET SUB FICTO NOMINE EMISSA

Cùm Latina, tum Gallica;

QUORUM CATALOGUM PRÆFATIO SUPPEDITABIT.



AMSTELODAMI,
Apud PETRUM HUMBERTUM.

M. D CC IX.

AMPLISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO VIRO,
JOANNI PAULO BIGNONIO,
ABBATI S. QUINTINI;
REGI CHRISTIANISSIMO
A SANCTIORIBUS CONSILIIS;
ACADEMIARUM REGIARUM,
QUÆ SUNT LUTECIÆ,
CUM SCIENTIARUM, TUM INSCRIPTIONUM,
PRÆSIDI DIGNISSIMO;
OPTIMARUM ARTIUM
CULTORI ET PATRONO SUMMO,
LITTERATORUM MÆCENATI
AMANTISSIMO ET ERUDITISSIMO,
HUMANITATE, INGENIO ET ELOQUENTIA
JUXTA AMABILI ET ADMIRANDO;
AB OMNIBUS LITTERARUM STUDIOSIS,
PER CUNCTAS TOTIUS EUROPÆ ORAS,
MERITO SUO CULTO
ET PERPETUUM COLENDO;
IN ÆTERNUM OBSERVANTIÆ SUÆ
TESTIMONIUM,
DOCTISSIMI ET DISERTISSIMI VIRI
LUCUBRATIONES OMNES A SE RECUSAS
D. D. D.
PETRUS HUMBERTUS
BIBLIOPOLA AMSTELODAMENSIS.

*



PRÆFATIO
IN OPERA
FRANCISCI VAVASSORIS,



QUANDOQUIDEM iis, ad quorum familiam vir doctissimus FRANCISCUS VAVASSOR pertinuit, Præfationem huic Operum ejus collectioni præfigere visum non est, à Bibliopola rogatus, quoniam alius cujus opera uteretur ad manum ei non erat, id oneris in me suscepi. Nec sanè ægrè adductus sum, ut laudarem virum eruditissimum, qui mihi summis elogiis dignus videtur, cùm præsertim laudes meæ neque Scriptoris ipsius, qui jam dudum obiit, neque gratiarum actionibus, quas ab ejus Sodalibus exspectare possim, excitatæ videri queant. *Vavassor* is fuit, quem omnes litterarum humaniorum & sanctiorum etiam amantes, laudare non modò possint, sed etiam debeant; quamvis ceteroquin ab eo, in multis capitibus, dissentiant. Nemo ex ejus Sodalitio prodiit, cui omnis illa eruditio, quæ se se humanitatis nomine jactat, major fuerit, quàm *Vavassori*; licèt multi ex eo prodierint, ab hac disciplinarum parte instructissimi. Nemo etiam stylum suum ad Ciceronianam normam magis exegit, ac antiqui Latii puritatem & elegantiam magis adsequutus est, aut scriptis suis expressit. Nemo elegantiùs & acutiùs de dictione & rebus ipsis judicavit; quod cùm ex omnibus ejus scriptis, tum præsertim ex libris de *Ludicra Dictione*, & *Epigrammate* liquet; in quibus tantum acumen ingenii, tantàmque judicii acrimoniam ostendit, nullus ut, hac in re, ei conferri, aut certè præferri possit. Nec puto quemquam esse, ex eodem Sodalitio, qui Sacros Libros elegantioribus simul versibus, si spectetur difficultas carmine exprimendi Jobum & Evangelia, simùlque notis Criticis tersiore stylo scriptis illustrarit. Poëtas fortassè nonnullos ei æquiparandos, ac superiores etiam, alio Poeseos genere, habuerunt ii, quibus se se addixit, sed nescio an ullum Epigrammatis conscribendi elegantiorem & salibus pleniorem artificem umquam habuerint.

Quamvis autem, in omnibus disciplinis, quæcumque illæ sint, res primùm quærere ac spectare debeamus; sine quibus, verba merus sunt ac inanis sonitus; attamen postquàm res ipsas animo comprehendimus, non leve sunt ornamentum, nec exiguum auxilium ad eas aliorum animis inferendas, eloquutionis puritas & elegantia. Libentiùs res admittuntur, meliùs intelliguntur, pluris à plerisque omnibus fiunt, & ad seram posteritatem tutiùs perveniunt, si fuerit eis eloquentia comes. Nemo non legit lubentiore animo quæ *Pet. Victorius*, *Paul. Manutius*, *M. Antonius Muretus*, aliique elegantes ejus ævi Scriptores elaborarunt; quàm quæ à Criticis hodiernis conscribillantur, tametsi fortè, ad res ipsas quod attinet, deteriora non sunt; ea tantùm de causa, quòd barbariei rubigine sint infecta, & melioribus adsuetis sordeant; nec quæ barbarâ veste induta in lucem prodeunt videntur ætatem posse ferre, cùm paullatim neglecta obsolescant. Verùm opus non est à nobis probari, quod nemo non facilè concesserit, qui non sit omnium litterarumrudis.

Ad

P R Æ F A T I O.

Ad res ipsas quod adtinet, in libris qui ad humaniores litteras spectant, ubique summa ac recondita *Vavassoris* eruditio elucescit; nec quisquam paginas aliquot legerit, quin è vestigio nobiscum sensurus sit. Etiam in Sacris Libris quàm versatus fuerit, egregiè ostendunt notæ ejus in Jobum; nec minùs idem cernere liceret in Commentario ad Prophetam Oseam, nunc primùm edito, si ei ultimam limam admovere Scriptori licuisset; sed & qualiscumque sit hic ejus ingenii fœtus, tanto nomine indignus non esse à Lectoribus deprehendetur. Quin & in Orationibus & Poëmatiis, ceterisque libellis, tanta ubique est rerum verborúmque scientia, tantáque, ubi ridere vult, festivitas, iique lepores & sales; ut non temerè quemquam inveneris, in quo similia, aut paria occurrant; si ratio argumentorum, de quibus egit, habeatur. Sed nihil opus est à nobis verbis prædicari, quod res ipsa, obiter hoc volumen evolventi, primo intuitu ostendet. Satius est paucis recensere opuscula, quibus hoc volumen constat, ut qui omnia non viderunt sciant antequàm ea legere adgrediantur, in quibusnam argumentis ingenium exercuerit *Vavassor*.

I. Librum *de ludicra dictione* scripsit, rogatu eloquentissimi viri *Lud. Balzatii*, in eos qui tunc temporis in Gallia verniles quasdam facetias, sub nomine festivi & faceti styli, venditabant. Ostendit *Vavassor* nemini Veterum, etiam facetissimorum, cùm apud Græcos, tum apud Romanos, notum fuisse id scribendi genus, à nemine præcepta de ludicra dictione tradita, nullam causam cur quisquam ludicra dictione utatur, sed contrà multas esse cur nemo ita scribere adgrediatur. Dum autem hoc agit, sic recenset omnes Auctores veteres quibus aliquid salsi, & facetiarum inesse putatur, aut quorum joci celebrantur, & tam callidè de singulis judicat; ut facilè intelligat Lector, quamvis tanta eruditione opus non fuerit ad ludicros illos Scriptores, qui tunc temporis chartas in Gallia inquinabant, profligandos; attamen opus hujusmodi, sine consummata totius Antiquitatis cognitione perfici non potuisse. Itaque hujus libri eadem est ratio ac Silenorum Alcibiadis; multò plus in recessu occultat, quàm in fronte pollicetur.

II. Sequitur Liber *de Epigrammate*, ubi vir acutissimus elegantissimè agit de toto Epigrammatum artificio, vitiáque eorum, quæ in regulas artis peccant, in aperta luce ponit, & de veteribus Epigrammatibus Græcis & Latinis, quæ ad nos pervenerunt, peritissimè judicat, eáque tradit quæ paucis erant nota. Qua in re multùm abit ab eorum judicio, qui collectionem antiquorum Epigrammatum, quam *Anthologiam* vocamus, despiciunt; quia eam non intelligunt, neque sciunt quid sit Epigramma. Tantò meliùs de ea judicat noster, quantò non tantùm artis Poëticæ peritior erat, sed & quantò plura eáque argutissima Epigrammata effuderat.

III. Subjunctus est libellus *de vi & usu quorumdam verborum, cùm simplicium, tum conjunctorum*, ubi de vera significatione nonnullorum verborum & loquendi generum Latinorum, in quibus multi peccant, ita agit, ut intelligat Lector non sine summa adtentione & *Ciceronem* & optimos quosque Scriptores ab eo lectos fuisse; in quibus ea vidit, quæ plerosque Lectores fugiunt, & multis etiam eruditis viris ignota erant. Quisquis elegantis sermonis paullò studiosior erit libellum hunc haud minoris faciet, quàm *Horatii Tursellini*, ex eodem Sodalitio, opus de Linguæ Latinæ particulis, quod meritò magno in pretio habetur.

IV. Deinde habemus *Orationes miscellas* primùm, tum etiam *sacras*; in quo genere scribendi quantopere valuerit & quàm proximè ad antiqua aurei sæculi exempla accesserit meliùs ex lectione libri, quàm ex nostra prædicatione intelligetur. Singularum enim argumenta hic recensere longum esset & inutile.

V. Mox occurrit Theologici argumenti libellus, *de forma Christi*, in quo contendit Scriptor Christum neque deformem fuisse, neque insignis cujusdam pulcritudinis. Oratio est in genere, ut Rhetores loquuntur, conjecturali de re, de qua quidem in partes abire licet, sed tamen multos nostro adsensuros existimarim.

VI. Cùm Jansenianæ Controversiæ in Gallia ferverent, scripsit *Vavassor* sequentem libellum, quem *Jansenium suspectum* inscripsit; ubi in hominem acerrimè invehitur, quasi à doctrina recepta in Ecclesia Romana abeuntem, & ad eos, qui ab eadem Ecclesia secesserunt, accedentem. Qua de re, judicium Eruditis relinquimus.

VII. Tribuebantur *Vavassori* duo libelli satirico sale referti, quorum est hæc inscriptio: *Antonius Godellus Episcopus Grassensis an Elogii Aureliani Scriptor idoneus, idémque utrum Poëta.* De re ipsa judicium Lectori etiam permittimus, sed dictionem

ac genus totum loquendi *Vavassoris* esse non dubitamus, & fama constans tenuit ab eo scriptos. Si quid ab eo peccatum hac in re sit, id in detrimentum Lectorum, qui etiam delicta virorum magnorum libenter cognoscunt, ut ab iis sibi caveant, cedere non debuit, ita ut opusculorum horumce lectione defraudarentur.

VIII. Sequitur Liber ad V. C. *Antonium Arnaldum*, Doctorem Sorbonicum, in quo noster libellum nescio quem suppositum sibi queritur.

IX. Postea legendum se sistit *Jobus brevi Commentario & Metaphrasi Poëtica illustratus.* In hac Editione multò elegantiùs & commodiùs dispositus est, quàm in Parisina fuerat. Cùm enim Poëtica Metaphrasis seorsim ad calcem libri esset excusa, nec nisi perincommodè cum Sacri Scriptoris verbis conferri posset; hìc è regione addita est, ita ut numeri singulorum commatum paraphrasin aptè designent. Sed & præterea notæ sunt verbis subjectæ, ita ut, levi oculorum inclinatione, in aversa aut adversa pagina, inter quas ex æquo sunt divisæ, è vestigio inveniri queant. Possit fortè majorem Linguæ Hebraïcæ peritiam non nemo in *Vavassore* requirere; sed si quid ea in re ei defuit, ingenio & acumine, acrique adtentione adhibitâ abundè supplevit. In Præfatione ipsa laudat primùm, inter eos qui Jobum Historiam esse crediderunt, *Rabbinum Mosem* Lib. V. Doctoris perplexorum cap. 22. dein paullò pòst *Rabbinum Mosem filium Maimon, in libro Moreh Nebuchim*, quod idem est opus ejusdem Scriptoris, ut omnes norunt, inter eos, qui Jobum Parabolam esse contendunt, memorat. Qua ex re intelligere licet *Mosis Maimonidæ* Opus alienâ fide à viro doctissimo esse citatum. Sed si in Rabbinorum lectione minùs exercitatus erat, tantò doctior in humanioribus litteris fuit, digniorque cui res tantilla ignoscatur, & si quid aliud simile carpi fortè in eo possit. Nos hic neque eorum, in quibus ab eo dissentimus catalogum teximus, neque in hominis gratiam Apologiam scribere instituimus.

X. Subjunctus est Commentarius postumus in *Oseam Prophetam*, numquam antea editus, sed ab iis qui *Vavassoris* chartas habebant cum Bibliopola communicatus. Is quamvis non sit ab Auctore expolitus, eo tamen minimè indignus, si quid judico, videbitur.

XI. Reliqua merè poëtica sunt; in quibus primo loco cernitur *Theurgicon*, sive miraculorum Christi poëtica descriptio, quæ etiam non seorsim, ut in priore editione, sed è regione Evangelicorum verborum posita est; secundò, *Elegiarum & Heroicorum liber*, qui nomine variæ & multiplicis Poëseos denuo post mortem Scriptoris fuerat editus; postremò Epigrammatum Libri quatuor, quorum tres priores ab ipso *Vavassore* editi fuerant ad calcem operis de Epigrammate; ultimus in fine variæ Poëseos, de qua dixi, legebatur, sed cùm omnia Epigrammata recuderentur, non alio loco collocari debuit.

XII. Tandem est libellus Gallicus, qui sine nomine editus olim fuerat, & tamen *Vavassoris* esse constanter dicitur. Rarissimus erat, eòque sale plenus, qui fastidio etiam laborantes recreare possit. Quare eo Lectores carere non oportuit, quamvis Jesuita eruditus Jesuitam item eruditum *Renatum Rapinum* in eo nonnihil defricet. Sed agitur illic ars Poëtica, de qua scripsit Gallicè *Rapinus*, cujus delicta hìc aperiuntur. Hæc autem ea minimè sunt quæ, apud Theologos, hæreses vulgò vocantur, & sine hæreseos nota potuerunt olim rideri. Quidni verò etiam nos hodie rideamus, cùm risus hic noster neutri, neque irriso, neque irrisori, nocere ampliùs possit?

Igitur omnibus hisce Lector fruatur, gratiámque habeat iis, qui Bibliopolæ auctores fuerunt ut omnia *Vavassoris* Opera colligeret, eúmque hanc in rem adjuverunt. Utilem certè à peritis omnibus Reipublicæ Litterariæ operam navasse censebuntur.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS
ELOGIA.



RANCISCUS VAVASSOR, patria Burgundus, ex Comitatu Carolesio, annum agens ætatis XVI. adscriptus est in Societatem Jesu, anno Christi M. DC. XXI. die XXV. Octobris. Docuit in schola humanitatis, duos annos: quinque in schola Rhetoricæ: in Positivæ, quam vocant, seu expositivæ Theologiæ, sex & triginta. Vir in æstimandis veterum recentiorumque scriptis acerrimi judicii, eruditione multiplici, Græcæ & Hebraicæ linguæ sciens, ut pauci; Latinæ, ut nemo magis ab omni memoria. Orator comptissimus, poeta perelegans, interpres Scripturæ semper fidus. Adhæc candore morum, ingenuitate apertissimi & firmissimi pectoris, fide in amicos, pietate in Deum & observantia religiosæ disciplinæ multo etiam clarior, quam pervagatissima opinione doctrinæ.

Conscripti ab eo & vulgati libri.

In librum Job Poëtica metaphrasis, anno M. DC. XXXVII.
Theurgicon sive de miraculis Christi liber, anno M. DC. XLIV.
Orationum volumen, anno M. DC. XLVI.
De forma Christi liber, anno M. DC. XLIX.
Cornelius Jansenius Iprensis suspectus, an. M. DC. L.
Claudii Avauxii Elogium & funus, an. M. DC. LI.
De libello suppositito Dissertatio, an. M. DC. LIII.
Elegiarum liber, anno M. DC. LVI.
De ludicra dictione liber, in quo tota jocandi ratio ex scriptis veterum æstimatur, anno M. DC. LVIII.
De Epigrammate liber: & Epigrammatum libri tres. anno M. DC. LXIX.
Jobus brevi commentario illustratus, cum Metaphrasi Poëtica aucta & emendata, an. M. DC. LXXIX.

Obiit magno litteratorum omnium mœrore, & rei litterariæ damno, Parisiis: anno M. DC. LXXXI. XIV. Decembris.

Hoc Epitaphium

Illi posuit

Joannes Commirius Societatis Jesu.

Vavassor jacet hic, quem postquam fata tulerunt,
Ausoniæ Charites dedidicere loqui.

Hoc posuit

Vir clarissimus Ægidius Menagius.

Tu quoque, tu Latiæ vindex clarissime linguæ;
Tu columen Pindi, culte VAVASSOR, obis.
Tecum obit & doctis quæ sedem fixerat olim.
Æternam labris lingua Latina tuis.
Vana loquor: misero mentem dolor abstulit amens:
In scriptis vivet tempus in omne tuis.

Hoc posuit

Joannes Martinius ex Societate JESU.

Romanæ vindex linguæ Graiæque VAVASSOR
Hic jacet. Aonides vos date justa Deæ.
Hic etenim vestros acer defendit honores,
Barbariemque bonis depulit à studiis.
Fama viri maneat; sermonis gratia vobis
Donec erit cordi, cultaque munditiies.

Hoc posuit

Joannes Lucas Societatis JESU.

SI quem Musa mori vetet Poëtam;
Si quem Suada potest beare cœlo
Dignum laude virum: & beatus esse,
Et non debuerat mori VAVASSOR:
Qui longe optimus omnium Poëta,
Et Suadæ eximium decus Latinæ,
Et sacræ pater Eruditionis,
Et quid non aliud? Cruenta Parca,
Quemvis tollere pertinax, recusas
Sed huic parcere: & ecce tot decorus
Hic per te titulis jacet VAVASSOR.

In FRANCISCI VAVASSORIS *Critici olim acerrimi carmina emendatissima.*

Doctus erat nulli VAVASSOR parcere mendo,
Quod parcas ipsi, nil, bone lector, habes.

Josephus de Jouvancy ex eadem Societate.

IN EUMDEM

EPIGRAMMA.

NEc mihi VAVASSOR, tot vates inter amicos,
Quippe tua dignus laude, tacendus eris.
Romani sermonis amans si dicere quisquam
Cogitet, ille tuo discat ab ore loqui.

REN. RAPINUS SOC. JESU.

IN OBITUM

FRANCISCI VAVASSORIS

ELEGIA.


TUNE mihi rapiere meis sine questibus, ipsa
  Dum passis Erato flet tua fata comis?
Ut taceam mores niveos, cor mite, benignam
  Ingenii venam, dulcis & eloquii.
Tot teretes numeros, tot dia effata, tot omni
  Doctrina plenos, & pietate libros.
Me tua tot benefacta mihi jam dicere laudes
  Invitent, adigant, dulcis Amice, tuas.
Lætabare mihi parta per carmina fama,
  Illaque laudabas qualiacunque volens.
Me teretem fandi late geminaque canebas
  Fortia non humilem pangere facta lyra.
Exsuperansque tui faciebat pectoris ardor
  Detegeres culpas ut minus ipse meas.
Sed quid ego inde tuum decus ordiar? an tibi quidquam
  Tale optes, tanto sufficiamve tibi?
Hi dulces quondam Socii, qui nomine JESU
  Gaudent conspicuum tollere ad astra caput:
Hi totum fumant tua tot decora alta per orbem
  E Claro insolitis spargere Monte sonis:
Monte, nihil docto colli cedente Sororum
  Quoque suam mutet Delius ipse Clarum.
Præcipue cantat dum florea rura Rapinus
  Fructifera, umbrosis irrigua & filiis:
Aut magni ingressus LODOICI bella canoro
  Ære, procul grandi digna Marone sonat.
Te Lucas celso ore, lyra Comirus acuta,
  Martinius dulci te canat & calamo.
Utque meos aliquo tester tibi munere cultus,
  Laudibus interim plaudere sponte tuis.
Affusus tumulo calathis effundere plenis
  Candida purpureis lilia mixta rosis.

V. C. CAROLUS DU PERIER.

P. JOANNI LUCAS

Excusat se SANTOLIUS *ab epitaphio* VAVASSORI *scribendo.*

QUID me multa rogas, extincti in funus amici
Pro tumulo ornando lugubres scribere versus?
Scilicet, id curant Manes: & postulat ille
Qui, dum vita fuit, solitus ridere Poëtas,
Famæ avidos, fumo quos gloria pascit inani.
Hæc volventem animo, & cui me parere deceret,
Huc illuc volitans, tumuloque excita profundo,
Ecce VAVASSORIS me durius increpat umbra,
Ponere continuo calamum jubet: O mea, dixit,
Funera post, sine pace frui, & me morte beatum
Nunc sine inornato tandem requiescere saxo.
Nonne satis, quando me consulturus adibas,
(Et memini, & me mordet adhuc ea cura sepultum)
Nostram incompositis violasti cantibus aurem?
Si nescis, placida quamvis tellure repositi,
Nos etiam Vates turbamur: abi, improbe Varum,
Et satis me linque meis, nec denique tentes
Ingrato cineri miserum superaddere carmen,
Vulgares decet hæc vulgaris pompa Poëtas.
Nec plura: ex oculis se se subduxit, & imo
Ocyus effugiens immugiit umbra sepulcro.
Scribere me posthac ecquis persuadeat auctor?



FRAN-

FRANCISCUS VAVASSOR,

E SOCIETATE JESU,

CANDIDO ET ERUDITO

LECTORI.



LUDOVICI BALZACII, scriptoris nuper celeberrimi, rogatu, commentari aliquid cœperam de joculatoria & futili dictione, quæ per hosce annos increbuisset: idque jam totum partibus suis informaram. Eo mortuo, visum est subinde repetere opus intermissum, & ad eundem, ut antea, tanquam vivum, convertere orationem. Nolui, videlicet, meam lucubrationem perire, vel mihi, si imperfectam & ineditam reliquissem; vel amico, si illius ex ea, quod facile poteram, nomen delessem. Neque, puto, Lector, non vis facem præferri antiquis scriptoribus, admoneri novos, suppeditari tibi, unde oblectare otium, nonnulla cum tua utilitate, possis. Etenim data est a nobis opera diligens, ut tenue, & inops, & jejunum per se argumentum; adventitiis opibus locupletaretur, & cresceret: cumque millies dicturi essemus, Sic novi scriptores, non sic antiqui; hoc ipsum, quod erat molestum & grave auditu futurum, quia repetitum toties, interponendis rebus aliis, pulcris & jucundis, variaretur. Itaque occasiones digrediendi a proposito arreptæ nonnunquam libenter, dum se offerunt. assiduæ excursiones factæ consilio certo in Græciam, atque Latium. frequens, & longa in locis illustrioribus auctorum, tanquam in quibusdam peropportunis diversoriis, commoratio. denique ita mecum ipse reputavi, citius me ab ista sua novitate abducturum amantes novæ dictionis, si eos diutius in antiquitatis contemplatione detinerem. Nec interea celavi meum de priscis auctoribus, & scriptis, & eorum vitiis, si modo vitia sunt aliqua in perfectissimis litterarum monumentis, judicium. Quo loco possum falli, ut homo, & ut complures summo ingenio, summaque doctrina viros, deceptos tamen comperi. Sed mihi videor, præter nitorem orationis qualemcunque nostrum, & primus hic in ordinem redegisse novum ac peculiarem res confusas, & lumen obscuris, quale ante me nemo attulit, acri cura constantique labore attulisse. Atque hæc omnia, Lector, utrum revera ita se habeant, sicuti profiteor verbis, confidoque, & volui; tu, quando vacabis, aut quando nihil melius occurret, quod agas, experiere legendo. studium certe, & conatum de literis bene merendi, etiamsi careat successu, non improbabis. Lutetiæ Parisiorum. Anno Christi CIↃ. IↃC. LV. Nonis Januariis.

L I-

LIBRI
SUMMA ET INDEX.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS

DE LUDICRA DICTIONE LIBER

AD LUDOVICUM BALZACIUM.

OECONOMIA OPERIS, ET PARTITIO.



DE joculari & ridicula dictione, quam homines nostri, *burlesque*, appellant, petis a me, præstantissime BALZACI, ut perscribam tibi judicium meum. Eo te animo petere non arbitror, ut cognoscas ipse, quid sentiam; cum minime ignores me sentire tecum: sed ut cognoscant, & discant alii, quod forsan nesciunt, neminem esse tam mediocri præditum facultate ac solertia judicandi, tamque parum in studiis literarum, & antiquitatis versatum, quin tibi, genus hoc totum insolentis ac novi sermonis improbanti, vehementer assentiatur. Etsi autem me quotidianæ religiosi muneris, & sacræ doctrinæ occupationes distentum habeant; in primisque excusare possim trium jam annorum valetudinem, quominus laborem suspiciam non necessarium: tamen, quoad potero, geram tibi morem, ac de ridiculis serio, & prorsus ut sentio, usque te velle ex tuis literis intellexi, loquar. ne, si primæ postulationi tuæ denegem in re tam levi, multo minus concessurus videar in re gravi, si rogarer. Sed antequam pluribus verbis expono, de omni ista ratione & forma jocose scribendi quid sentiam; breviter constituendum videtur, qualis ea scriptio sit per se & sua velut natura, quam numero multiplex, quam diversa modis. non quod horum quidquam ignoretur, quæ sint in manibus, & Lutetiæ passim lectori cuivis, & in cunctis Galliæ civitatibus pateant: sed ut ordine & via procedat oratio: itemque appareat illud clarius, utrum res genere repudianda sit toto, an partibus; insitne in ea aliquid rectum, quod excerpi aut minus pravum, quod ferri possit; an singula peræque oporteat, ut depravata & corrupta, funditus rejici.

Ac nostri quidem isti, qui se lepidos & facetos esse volunt, scriptores ita demum se hoc assequi posse existimant, si priscis, & obsoletis, & a patrum vel majorum ultima repetitis memoria, tum verbis, tum locutionibus utantur, quibus orationem non aspergant tantum, aut distinguant, aut interpolent, verum etiam continenti & perpetuo quodam filo contexant totam. Faciunt deinde, idque sæpius, ut ex ore infimæ multitudinis arripiant vilissimum quemque, & abjectissimum, & maxime ridiculum sermonem, eoque libros sermone componant, & emittant in publicum. quos quandiu legas, tandiu vendentes olus in foro, aut scruta, aut salsamenta, mulierculas putes, loqui. Cum autem scribunt ita, ut dico, soluta interdum oratione: tum versibus jocos & lusus suos illigant multo libentius. credo quod Gallici numeri paribus quidem modis, sed tamen negligentius & licentius, ut ab istis de industria fit, conclusi, adjuvare omnem hanc levitatem, & quasi commendare nugas videantur. Nec vero satis habent, inepte cogitata sua ineptis efferre verbis, inepta dictione: nisi scripta etiam summorum poëtarum, plena prudentiæ, plena gravitatis, mimice & scurriliter tractent, detorquendis aliorsum carminis sententiis; neque tam Latina bona pessime in Gallicum, quam seria in jocum illiberalem, atque in vanos futilesque risus convertant.

Quibus ex omnibus perspici potest, erudito tempore hoc nostro, & ingeniorum ac literarum laudibus abundanti; quo tempore perfici propemodum cœpta est, & ad summum fastigium perduci patria lingua; hanc eandem ab insulsis auctoribus agi præcipitem, atque ad infimum locum retrahi per ludibrium & ignominiam. rursum quo tempore poëtice nostra evasit & purior verbis, &

 niti-

niridior sententiis, & numeris adstrictior, & reliquo omni cultu comptior ac politior; hanc inquinari ab iisdem ornatu detracto, & perverti deformem in modum, atque ad infinitam quandam licentiam, & effrenem immodestiam abduci. Cumque alii scriptores nostri quovis ex genere librorum, etiam non optimorum, aucupentur utilitatem aliquam, & omnes undique flosculos delibent; quo fere pacto princeps olim poëtarum legere se gemmas ex Enniano stercore diceret: hos contra toros in id incumbere, ut sordes verborum colligant usquequaque, & in fæcem se, & lutum, & colluviem sermonis, *verum totus ut lacus, putidæque paludis lividissima, maximeque est profunda vorago, per caputque pedesque*, penitus immergant.

His primum constitutis, quæ nemo revocare possit in dubium, cum oculis ipsis teneantur; sic existimo, quidquid & quantum est jocularis hujus & ridiculæ dictionis, id rotum fieri nullo exemplo, nullo præcepto, nulla ratione. nullo exemplo veterum linguæ utriusque & Græcæ, & Latinæ auctorum: nullo rhetorum, aut grammaticorum, aut aliorum præcepto: nulla ratione cujusquam. Quæ tria si ostendero, ut me facile ostensurum esse confido; simul illud, Balzaci, consequar, non jam ut sensum tibi meum aperiam, sed totius antiquitatis, quæ non modo sermone usa nunquam sit tam ridiculo, sed ne de eo quidem præcipere vel leviter, aut mentionem ullam facere curarit: nec vero ut pronunciem ego judex, aut censor, aut a te datus arbiter, contra scriptores ejusmodi sententiam; sed ut se ipsi potius taciro & muto suo quasi suffragio, qui rationem reddere facti sui nullam possint idoneam, condemnent. Sit igitur universi operis ea prima dispositio, & series ac forma longior, quæ mox in plures diffusa partes, tanquam in ramos, latius ad aspectum, jucundiusque crescet.

Ludicra dictione non usi Græci scriptores.
non usi Latini.

De ludicra dictione nihil ulli præceperunt
antiqui scriptores.

Ludicra dictione utendi nulla causa est.
non utendi causæ multæ sunt.

SECTIO PRIMA.

LUDICRA DICTIONE

NON USI

GRÆCI SCRIPTORES.

Nemini unquam fuisse dubium arbitror, quin vetus illa, & eximia Græcorum natio ad literas, & ad id, quodcunque literarum est, nata una, maximeque apta fuerit, ac sive quod excelleret ingeniis, seu quod studia discentium ardentiora haberet, seu denique quod abundaret otio, & aliud nihil ageret, longe multumque Romanos omni artium & disciplinarum cultura superarit. Nec vero solum in eo Græci laudabiles, quod præclarissimas quasque artes ipsi fuderint ex sese, unde in omnes terras distributæ ac proseminatæ ferantur, traditæque sint per manus deinceps: sed etiam quod & ornarint easdem splendidius, & diutius conservarint ac retinuerint. ut oppressa jam omni ex alia parte, ac subacta penitus Græcia, penes hanc tamen literarum adhuc imperium esset; eoque Romani, discendi causa, redire cogerentur multi, ac frequentes, unde victores discesserant. Quod quid fuit aliud, quam supplicare victis & inferioribus, atque ab iis interiores & veras animi emendicare opes, & habere precario, a quibus abstulissent corporis, & externas? Atque hanc Græcorum humanitatis, doctrinæ, studiorum liberalium præstantiam ne ipsi quidem diffitentur Romani, quam voles æmuli alienæ laudis, & invidi nonnunquam, & obtrectatores: nec aliunde magis, quam ex Latinis auctoribus, Græcos esse superiores cognovimus. Testes hujus rei locupletissimi duo, qui iidem scriptores omnium Romanorum nobilissimi, Cicero & Virgilius: quorum alter, quisquis est, & qualiscunque est, qui profecto est maximus, id totum refert acceptum Græcis: alter iisdem tribuit omnia, eloquentiam, philosophiam, leviores quoque, sed elegantes & politas artes; solam vim & potestatem imperandi excipit, quam reservet civibus suis. Cicero primo libro ad Q. fratrem, epistola prima: *Cum vero ei generi hominum præsimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas: certe iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præsertim in ea vita, atque in iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ, aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quæ consecuti sumus, iis studiis & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monumentis disciplinisque tradita. Quare, præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipue debere videmur; ut, quorum præceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus exprimere.* Virgilius sexto Æneidos:

Excudent alii spirantia mollius æra:
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.
Orabunt melius causas, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Sed in summis literatæ Græciæ laudibus reperio verissimas & justissimas duas, quas, quia rem nostram & quæstionem continent, silentio præterire non debeo. Una, quod habiti Græci omnium consensu, fuerintque semper venustissimi, & ad dicta jacienda ingenio & natura quampromptissimi. Primum Athenienses, ut inventores & perfectores omnium doctrinarum, ita hunc ingenii fructum lætum & uberem extulerunt, hanc eloquentiæ coluerunt quasi particulam & appendicem. ut non minus Attici sales propter crebras & solertes facetias, quam mel Atticum ob suavitatem loquendi diceretur. Deinde ex circumquaque jacentibus locis Byzantii, Rhodii, etiam Siculi, ut quæque gens mores & studia imitaretur Atheniensium, sic aliquid salis indidem trahere, & ad similitudinem civitatis omnium, ut

ita

ita loquar, urbanissimæ, scite jocari & eleganter potuit. Atque hæc laus fuit hominum.

Altera sermonis, quod sermo Græcus multo sit quam Latinus, jucundior. Agnovit hanc laudem, & declaravit Quintilianus sat multis verbis, jamque inde ab ipsis elementis repetiit, & syllabis, & apicibus, & tonis. Cum enim careant Latini literis Græcis jucundissimis duabus, altera vocali, altera consonante, quibus nullæ apud Græcos dulcius spirant, & quarum in locum nihil reponi possit a nostris, nisi absonum, barbarum, triste, & horridum, quod utcunque respondeat; sicuti animadvertere licet in *Zephyris*, & *Zopyris*; qua in voce utraque si literæ duæ *ζ* & *υ* rite efferantur, niteat protinus & exhilaretur quodammodo oratio: tum vero Latinos eosdem ait habere literas plerasque duriores, ut *f*, quæ & per se parum, aut nihil admodum sonat humanæ vocis, cum effletur potius, quam formetur ore; &, si vocali excipitur, quassa, si consonante, veluti *l* & *r*, multo fit horridior. ut *v*, quo *cervum* & *servum* dicimus, quod idem est, & peræque durum, atque Æolicum digamma, quo usi aliquando sumus. ut illam, qua *equos* & *æquum* scribimus, quæ duras & ipsa syllabas faciat, utilis duntaxat conjungendis vocalibus sibi subjectis. quæ rursum vocales efficiant sonum, qualis apud Græcos nullus audiatur, nullus exprimi eorum literis possit. Jam in communibus utrique populo literis, quid illud Latinorum, quod voces plerasque suas claudant & terminent *m* litera quasi mugiente, cujus usus Græce omnino nullus, isto quidem loco? Quam suaviter & jucunde contra fit a Græcis, ut, litera dulcis ubique, & maxime si ponatur extrema, velut tinniens, persæpe verba finiat, eam apud nos sedem occupet rarissime? Syllabarum vero in, *b*, &, *d*, innitentium, ut præpositionum *ab* & *ad*, quanta asperitas, quam etiam veteres mitigare conati sint multiplici modo & via, seu verba ex iis componerent, seu simplicibus & separatis uterentur? Postremo accentuum apud Latinos quo rectior, breviorque, & simplicior, eo rigidior, & minus diversa, adeoque minus jucunda ratio. Quod enim ultima syllaba nec acuta unquam excitetur, nec flexa circumducatur, sed in gravem, vel duas graves vox cadat semper; item quod una, aut duabus longis sequentibus prima trium numquam acuatur: nonne severitatis cujusdam est pariter & injucunditatis, rem ita ex præscripto, non varie unquam, nec dissimiliter fieri? Quamobrem usque eo esse sermonem Græcum Latino jucundiorem, ut Latini poetæ, quoties dulce carmen esse voluerunt, Græcorum id nominibus exornarent. Atque hoc illud forsan est, quod Virgilius, ut ejus in vita refert ignotus auctor, cum res Romanas ingressus esset scribere, offensus asperitate nominum, ad bucolica transierit: post tamen Æneidem non dubitarit aggredi, utpote mixtum argumentum, & nominibus ac rebus Græcis Latinisque commune. His adjiciamus licet, quæ ejusdem Quintiliani sunt, & quæ ad jucunditatem etiam nonnullam Græcæ linguæ pertinent. *His illa*, inquit, *potentiora, quod res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire: etiam in iis, quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit. At Græcis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium, quas διαλέκτους vocant, copia est.* Qui Græci iidem cum sint in fingendis, in componendis, in derivandis verbis feliciores; quanta hinc quoque ubertas existit sermonis? quanta in ubertate varietas? quanta delectatio jucunditasque ex utroque?

Sed quorsum hæc ego de ingenio Græcorum, deque sermone Græco disputo? quorsum? Ut concludas ipse, Balzaei, ex iis propositis, quod est consequens: si tam comi præter ceteros & festivo Græci ingenio sint, si Græcus sit sermo lenissimus, hominumque naturæ convenientissimus; ejusmodi scriptorum fuisse non omittere genus hoc dicendi nostrarium tam hilare, tam gratum acceptumque auribus, tam ad oblectationem factum: præsertim quoties & quicunque inter illos ludicrum & joculare tractarent argumentum, aut grave sane & serium, sed liberiore quodam & familiari stilo, ut sæpe fit, temperarent. Qui si tamen ad has recentes delicias & voluptates nunquam descenderint, cum materies huc eos sua invitaret, ceteraque adjuvarent: confectum negotium esse, neque expectari oportere, ut, cum id illi non fecerint, qui tot nominibus debent; qui minime debent, fecisse videantur. Consulamus ergo suavissimos quosque scriptores: audiamus narratores venustos ac lepidos: cum cavillatoribus agamus dicaculis & argutulis: maximos cujusquemodi risores visamus; si quid hi forte præiverint nostris, aut nostri horum auctoritate & exemplo luserint jocosius.

I. ÆSOPUS.

ÆSOPUM ferunt, sapientem illum e Phrygia fabulatorem, sive non auderet palam & aperte verum loqui, vir obnoxius, & servili conditione; seu melius existimaret disci, quod jucunde doceretur, commentum fuisse festivos delectabilesque apologos ad aperiendam mentem, & ad consilium dandum alteri: cumque sentire ac præcipere philosophi alii severe & imperiose solerent, hunc omnium primum philosophari ridendo instituisse. Qui si argumenta hæc levissima, & quas fingeret fabulas, pari stilo & scriptura persequi voluit, impune forsan potuit male Græce loqui, cum loquentes induceret personas humiles & contemptas, cum pecudes ac feras, cum res mutas & sensus omnis expertes. Quid ille vero? An vocem misit ullam, nisi ingenuam & liberalem servus? nisi propriam peregrinus atque advena? Usus usquam dictione est ridicula, qui ubique improbos hominum mores, facta absurda, & a communi plerumque sensu & ratione aliena ridet? Utrum rudis ejus familiaris sermo? narratiunculæ breves, inconditæ & rusticæ? vices disserendi quasi in dialogo, barbaræ & vitiis locutionis inquinatæ? Apud eum arundo & oliva inter se quomodo loquuntur? quibus verbis punicam & malum rubus asper & horridus compellat? quis affictus sermo vulpi, quæ primas Æsopi in fabulis, ut Davus in comœdiis, partes agit? aut si callidior vulpes est & cautior

in loquendo; qui sæpe quoque inducitur, & personam sustinet nonnullam suam asinus, qualem habet orationem? Equidem quocunque intendo oculos, & quamcunque libri partem & fabularum attingo, nullum se offert aut deprehenditur condimentum in fabulis præter ipsas, quæ sibi sunt pro condimento. Et sunt tamen perridiculæ maximam partem, & numero multæ, & carent omnes, quotquot habemus, hoc istorum sale vitiosæ orationis. Habemus autem primum συναγωγὴν quandam ac velut fasciculum fabularum, instar centum quinquaginta, quas collegit Maximus Planudes, & ordine utcunque digessit. Neque existimandum est illo volumine ac numero Æsopi fabulas includi, & contineri omnes, reperiri nullas usquam præterea, quæ ab eodem profectæ auctore celebrentur. Nam & apud Lucianum in Hermotimo paucis est comprehensa verbis de eo fabula, qui e litore numerare conaretur fluctus, doleretque, quod id assequi non posset: & de cassita Gellius nihil prætermittit libro 11. capite 29. quin enucleate describat, id quod jam a Q. Ennio in satiris compositum fuisse versibus quadratis ait, quemadmodum avicula parva non ante migrandum nido, maturis jam segetibus, & transferendos alio pullos implumes putarit, quam dominus ipse agri, neglecta amicorum & propinquorum opera, manu sua messem facere decrevisset. His adde Ælianum nescio quid memorantem de sue, quæ viva ad nullam rem utilis esset, tantum posceretur ad cædem. Quæ fabulæ tres cum a tribus hisce auctoribus Æsopo tribuantur, tum in ea collectione, de qua dixi, desiderari videmus. Nec dubito quin aliæ apud alios scriptores extent quamplurimæ, sive adscripto Æsopi nomine, seu tacito. ut apud Aristotelem, Horatium, Plutarchum, Apuleium, qui aliud agentes fabulosa interdum quædam retulerunt. aut ut apud Phædrum, Libanium, Gabriam, Festum Avienum, Aphthonium, qui dedita opera volumina confecerunt fabularum. Atque Horatium quidem quasdam usurpare fabulas novimus, quæ sine Æsopi, nec de illo meminisse tamen. Etsi fieri contra potuit errore quodam & similitudine fabularum, & appellatione nominis, ut cum Æsopus princeps & parens ejus generis figmentorum fuerit, vel certe, quod prodit Aphthonius, excelluerit præter ceteros, fabulæ crederentur Æsopi vulgo, quæ conscriptæ instar essent Æsopiarum. Quinetiam animadversum est, apologos hujusmodi qui scriberent, hos in iis nonnunquam prudentes ac scientes Æsopi nomen illigasse, ipsumque aut agentem aliquid introduxisse, aut loquentem. Quare cum existimarem initio, quæ Phædrus, nobilis libertus, in illis suis versibus senariis adscripsit Æsopo dicta, factave, ea revera illius esse: intellexi posterius, cum cetera perlegerem, falli me, atque in isto vidisse parum. Et vero errorem mihi meum ademit, qui causam erroris attulerat: cum sic is quinto libro in fabula prima se ipse indicavit nobis.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
Auctoritatis esse scito gratia.
Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserint Praxitelen suo,
Myronem argento.

Sed & fabulas habemus eas, quas Maximus idem Planudes, Æsopi vitam cum scriberet, eo conjecit, separatim a reliquis in unum jam locum collectis. Quanquam hic & illic videndum, huic homini ne nimium confidamus, qui & commentus aliquid est, atque ad historiam addidit de suo, & in ipsis Æsopi fabulis pervertit sine dubio multa. Æsopum Babylonem profectum rege Lycero Planudes ait. Ubi unquam fando auditum regem ibi quemquam eo nomine fuisse a Nabonassaro ad Alexandrum usque magnum? Venisse vult in Ægyptum Nectenabo rege. Qui nempe rex ferme ducentis post Æsopum annis fuit. Quale autem, Balzaci, putas, quod Æsopo primum in herilem domum ingresso, cumque hero colloquenti sententiolam affingit Euripidis adversus mulieres, atque ipsum etiam Euripidem appellari nomine facit, qui octoginta minimum annis natus est, postquam Æsopus vivere desiit? Quid quod Olympiade LIV. Æsopus necatus agit in fabulis de Piræeo portu Athenarum, qui Olympiade circiter LXXVI. Themistoclis consilio constitutus est, cum Phalereo antea portu Athenienses uterentur? Ridicule ibi simius a delphino interrogatus, utrum Piræeum nosset, de homine quæri putavit, & notum sibi, & amicum, & familiarem esse respondit. in quo ad ignorationem mendacium adjungebat & jactantiam. Minusne ridicule Æsopus Piræeum nominat, quem ignorat, qui nondum ullus sit, qui tanto post futurus? Est hæc certe Planudis de portu Piræeo, ut illa de Euripide poëta ἀναχρονία turpis. Sed factum multo inconsideratius, quod Æsopum vel Judæum nobis secta & religione, vel Christianum exhibet. Conclusiuncula & quasi explicatio fabulæ, quam ἐπιμύθιον appellant, extat ejusmodi: ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Quæ moralis sententia cum & in novo instrumento habeatur, epistola Jacobi; & in vetere, proverbiorum Salomonis capite tertio: quomodo, quæso, homini Phrygi tanto ante venire potuit in mentem? aut si notiones quædam communes & maxime ratæ, ac certa dicta vulgo feruntur, quæ sint omnium: quo tandem casu, vel fato versum longiorem eodem ordine verborum, totidem literis extulit, quo ordine, quotque literis Jacobus & septuaginta interpretes scriptum reliquerunt? Adde quod horum interpretum fuit pro יהוה κύριον hic, ut ubique vertunt, usurpare. quod Æsopum facere non convenit, sed τὸν Θεὸν appellare, seu τὸ Θεῖον. Quid ergo est? Verisimile ac prope certum videtur, Planudem partim auribus accepisse a majoribus natu commenta Æsopica, partim legendo diversis ex auctoribus mutuatum: quædam etiam invenisse per se, & concinnasse ad arbitrium suum: etiam ἐπιμύθιον & appendiculam illam explicatricem fabulæ subjecisse plerumque ex suo sensu: omnia porro verbis complexum fuisse propriis & suis. Quis enim mediocriter peritus istarum rerum, si quid attendit, non continuo animadvertat vitam Æsopi & fabulas uno eodemque filo orationis esse contextas? Quare cum de Planude constet inter

rer omnes, quod ad Æsopi vitam pertinet, & Planudis nomen ipsa libelli inscriptio, ipse finis sonet: ambigi nullo modo posse, quin idem fabulas quasi de eodem oleo & opera elucubratus sit. Æsopi sane non esse, ac ne ullius quidem scriptoris antiqui & illustrioris ac nobilioris, facto suo satis declaravit auctor Græci thesauri, qui ex classicis & probaris scriptoribus cunctis excerpserit in rem suam aliquid, ex Æsopo nihil. Quo magis miror, sermonis Græci discendi caussa tradi juventuti, & exponi publice in scholis Planudea illa verius, quam Æsopica, quorum auctor non ignobilis quidem omnino, sed ex infimorum Græcorum ordine, ultimisque temporibus, haud multo amplius, quam tres ætates, abest ab ætate nostra.

Verum hæc quomodocunque se habeant, sive passim dispersas variis in libris fabellas Æsopi recognoscamus; sive spectemus congestas in unum & coacervatas; sive has ipse conscripserit Æsopus, utque conscripsit, ita pervenerint ad nos; sive quis alius ejus nomine ediderit in vulgus; cum is, quem dico, Æsopus ubique id agat, ut solerter & ingeniose rideat, ut risum aliis, dum monet, moveat, & animi libetam quandam oblectationem cum utilitate conjungat necessaria: nihil profecto usquam signi est cum locutum de industria imo Græce, aut deterius interdum conatum loqui, quo tam ridiculus sermone, quam facie erat, fieret. Immo vero quod Fabius Quintilianus idem a sermone Græco puerum incipere velit, idem huic Æsopi fabellas enarrari accurate diligenterque præcipiat, ut versus primo solvantur, mox declarentur mutatis verbis, tum paraphrasi vertantur liberiore quadam, modo brevius, modo ornatius: maximo argumento est, usum fuisse Æsopum proba & emendara, nec ineleganti locutione. Neque enim committeret unquam vir prudens, ut haberent pueri in manibus, se quidem suasore & auctore, quem ipse librum non probaret: præsertim cum huic ætati statim & optimos quosque magistros audiendos, & optimos quosque scriptores legendos, contra imperitorum sententiam, qui minora & mediocria omnia initio malint, disputet. Jam si Athenis servijt Æsopus primum, nonne credibile est adolescentem servum, quibusvis liberis hominibus & dominis ingenio parem, in ea urbe hausisse, tanquam in fonte, Græcæ linguæ puritatem & elegantiam: cum alioquin nihil esset tam dissimile, aut contrarium, quam Phrygi Atheniensis? Ex quo Cicero, *Quonam*, inquit, *modo audiretur Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus?* Repete vero, Balzaci, memoria libros historiarum, quos composuit Lucianus, & quos verarum historiarum inscripsit, non idcirco tantum, quia docet fictis & commentitiis exemplis rerum, quomodo vera historia scribenda sit, sed etiam quia statim a principio operis vere dicit se omnia toto decursu mentiri. In secundo historiarum depictam videas insulam fortunatorum quandam, ibique fontes duos, alterum risus, alterum voluptatis, quo ex utroque omnes epulaturi convivæ, antequam mensis accumbant, prægultent. Quod quamvis satis videri potuit ad oblectationem & delicias: tamen Æsopum τὸν λογοποιὸν historicus adhibet, tanquam γελωτοποιόν, cujus optima opera utantur insulani: ad risum, inquam, & voluptatem utantur, non ex Phrygio sermone partam, sed ex dulcedine & illecebris fabularum.

II. SOCRATES.

ALTER fuit ab Æsopo, cujus etiam fabellas reddebat versibus, maximus cavillator, & constans ac perpetuus irrisor mortalium Socrates. Atque hic quidem ab illo differebat in multis. nam Æsopo sermo erat de humillimis rebus & ante oculos positis: & ficta materies omnis ad arbitrium ac libidinem: & ipsa ratio formaque dicendi, nixa similitudine sola, & accommodatione quadam ad humanam vitam. qui nihil definiret, nihil partiretur, nihil differeret, nihil ex antiquitatis memoria, aut ex iis, quæ ante se natum accidissent, expromeret. Habebatur vero a Socrate oratio de æquo & bono, de justitia & fide, de utili, de honesto, de gravissimis & sanctissimis, quibus informari homines oportet ad omnem vitæ actionem, præceptis morum ac disciplinis. Idem plurimum utebatur inductione, ut facilius, quo intenderet, perveniret: & detrahebat multa sibi, quæ congereret in alios: & percontando atque interrogando eliciebat a singulis, unde eos convinceret potius, quam quidquam afferret de suo. Verumtamen conveniebant in isto, quod uterque ludenti propior ac similior, quam serio agenti videretur. Æsopus confabulari cum pueris, & infima multitudine: sermocinari Socrates promiscue cum operariis & tabernariis, cumque philosophis, & rhetoribus, & principibus in republica viris. Æsopus ridere familiarius: Socrates doctius. alter non magis vehementer, aut magis remisse, quam alter: siquidem id ambo facerent assidue, nec tantulum intermitterent. Porro quemadmodum quæ ridicula essent, ab Æsopo Æsopica dicta olim accepimus fuisse: ita quæ jucundi simulatoris universa vox & appellatio erat, hæc attributa Socrati sic est, ut, quoties communi vocabulo nominatus εἴρων, Socrates proprie & unice intelligeretur. Quid si ad rem quoque nostram pertinet, quod, ut Thersiten Homericum referebat Æsopus oris habitu & reliqua facie, nisi hic quoque imponit Planudes; ita Socrates Æsopo non omnino absimilis deformitate corporis fuerit, utpote simis naribus, extantibus & prominentibus oculis, recalva fronte, pilosis humeris, obeso ventre, repandis cruribus, quem propterea recte Alcibiades cum Sileno & Satyris, etiam forma & specie contulit? Ac licuit, Balzaci, semper animadvertere luscos, gibberos, ventriosos, claudos, similes horum, eo fere dicaciores esse hominibus ceteris, quo sunt vitiis corporis insigniores, materiamque præbent ad jocandum majorem: sive quod sæpius lacessiti propter suam fœditatem, assuescant vicissim adversarios repungere, atque exercitatiores in eo ipso genere fiant: sive quod priores occupent, ne feriantur, aut ut feriantur, levius: sive quod in se dicant ipsi, & consulto præripiant aliis, quod dicturi essent. Quamobrem non eos modo Socrates lusit, quibus-

cum dissereret; sed se quoque sæpissime: neque tunc solum, cum se omnium disciplinarum inscium fingebat & rudem; sed multo jocosius, cum pravitates membrorum suas simpliciter & vere commemorabat. Qua de re illud ab Hieronymo festivum ac prope scurtile profertur Zelotypia laborabant, atque, ut fit, rixabantur inter se Socratis uxores duæ, Xanthippe & Myrto. harum jurgio Socrates interveniens, & suspicans, id quod erat, litem exortam sua causa, Miror, inquit, vestra ista rivalitas quid sibi velit, aut cur æmulæ sitis propter virum. at quem virum, & qua forma? calvum, simum, hirsutis humeris, distortis cruribus. Qua irrisione communi quasi amiciores factæ, subito vertunt in irrisorem iracundiam & manus, atque etiam diu persecutæ sunt fugientem. Quid, cum oraculum, quo est sapientissimus omnium dictus, agnosceret ipse, ac vere Apollinem judicasse pronunciaret? Quid, cum & parasitum esse, & lenonem probaret argumentis? Quid, cum se maternam artem exercere & adhiberi ad partus; erat enim Socrates matre obstetrice; simularet? Cum se medicum profiteretur, & sanandis capitis morbis ac doloribus utilem? Cum se unum ex iis, qui ad mercatum venissent, faceret? Cum se ditissimo Critobulo ditiorem, qui minarum rem haberet non amplius quinque: pulcherrimo Critia pulcriorem, qui esset ipse is, quem dixi, id est, turpissimus corpore & fœdissimus: amatorem formatum, & capillis Alcibiadis illudentem manu? Ad has multiplices variasque cavillationes Zenonem credibile est respexisse, qui, ut a Tullio scriptum video, Socratem parentem philosophiæ, Latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat. In quo non miror Zenoni Stoico, vel potius inventori & principi Stoicorum, philosophum comem, & festivum, jucundique sermonis, usque eo non probatum, ut virtutem illi verteret vitio, ac reprehensioni doctrinæ contumeliam adderet, etiam non iratus: neque enim sciunt irasci Stoici. Miror illud, quid homini Græco venerit in mentem, ut Latine malediceret. quasi vero deessent linguæ uberi & copiosæ sua maledicta: aut admisceant unquam Græci latina in sermone: aut illis temporibus Romanæ res & voces valde notæ Græcis esse potuerint. Aliud certe εἴρων, aliud scurra sonat ac valet: cum hoc in vitio, illud in laude ponatur. Εἴρων Socrates Ciceroni est in omni oratione dissimulator, εἰρωνεία dissimulantia, in qua Socrates longe lepore & humanitate omnibus præstitit: dissimulatio, qua libenter uti solitus est, cum aliud diceret, atque sentiret. Negat Quintilianus sibi videri dissimulationis nomine satis totius hujus figuræ vires ostendi, quamvis invenerit, qui εἰρωνείαν ita Latine vocarent: nempe, Ciceronem, cujus nomen velut honoris causa tacet, cum opinionem & sententiam, & dictum ejus aliquod minus probat. Εἴρων autem est illi agens imperitum, & admirator aliorum, tanquam sapientium. quam personam quoniam semper Socrates egit, semel susceptam; idem Quintilianus, *Etiam*, inquit, *vita universa ironiam habere videtur, qualis est vita Socratis.* Illusor igitur ac joculator Socrates & vocabulo, & re, si quis alius unquam in omni memoria superiore, fuit.

Contra tamen pugnare videntur duo. Primum, quod durus, horridus, natura agresti ac prope ferina scribitur fuisse. qui minimo, vel potius nihilo contentus viveret, parco & tenui cibo, nullis nec calceis, nec amictu, nisi obsoleto: non ungi soleret more patrio, non lavari, ac ne tonderi quidem diuturna consuetudine & patientia caloris, frigoris, ventorum, imbrium, penuriæ omnium rerum, & labori quasi callum quoddam obduceret, & dolori. Neque hoc simulare & in speciem, ac velut εἰρωνευόμενος: sed ita sentiens ipse fieri oportere, cum id totum sit e natura, quæ multa non desideret; & suadens aliis idem vitæ genus, & impellens eo, quoad poterat, summeque adhortans. Quam in sententiam debet illud Tullianum accipi, ortos esse philosophos, Cynicos primum, deinde Stoicos, ab Antisthene, qui patientiam & duritiam in Socratico sermone maxime adamarat. Quid hoc est patientiæ & duritiæ in Socratico sermone, nisi quod doceret verbis Socrates ea, quæ re ostendebat & exemplo, naturam hominum quampaucissimis rebus egere, & quamminimis, & quamvilissimis, ad conservationem sui: majore omni cultu & copia facile carere, nullis interea muneribus vitæ atque oneribus non parem?

Alterum videtur pugnare contra ironiam, cavillationemque Socratis, quod eum vultu semper eodem fuisse ferunt, sive domi intemperies esset ferenda uxoris morosæ & jurgiosæ, sive falsæ criminationes accusatorum in foro, sive in carcere venenum & mors indignissima. Est apud Platonem certe in Phædone, illum, quanquam placato & leni animo, solitum intueri ταυρηδόν. Ac M. Cicero in Tuscul. quæst. libro III *Hic est*, inquit, *ille vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe prædicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem vultu semper se vidisse exeuntem illum domo, & revertentem.* Explicatius aliquid & expressius in Plinii Secundi libro VII. natur. hist. capite 19. legimus, *Socratem clarum sapientia, eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.* Nec vero hic vultus semper idem, eademque frons, quæ in Socrate ponitur, erat aut truculenta & atrox, qualis forsan triginta tyrannorum, qui illo ipso tempore Athenis occupassent dominatum; aut austera & gravis, ut eorum, quos ἀγελάστους dicerent, quod nunquam riserint in omni vita: sed tranquilla & serena, interque mœstitiam & hilaritatem media. ut a melancholico, quæ natura Socratis fuit, severiorem & tristiorem expectares; a cavillatore lætiorem.

Verum hæc duo, quæ videntur pugnare, ut dixi, cum jocis & festivitatibus, non pugnant reipsa: immo juvant plerumque, ac vicissim juvantur. Nam ut asperitatem illam vitæ mitigabat Socrates singulari jucunditate sermonis, efficiebatque, libero quodam contemptu, & irrisione omnium rerum, leviorem: ita perpetua quasi æquabilitate oris, & constantia, sermones jucundos gratiores & acceptiores reddebat. Cum enim omnis per se oratio suavis & plena lautitiarum, cujuscunque sit delectat, ac tenet animos auresque audientium: tum multo est proferentis læta

non

non lætiore vultu optatior. Sic ergo unum eundemque Socratem partiri & dividere quodammodo a feipfo poffumus, ut fummam in vita duritiam, in vultu certam ac femper fimilem fui moderationem, eximiam in fermone comitatem affabilitatemque retinuerit.

Sed quæ tandem ifta comitas & humanitas loquentis fuit? illone ex genere, de quo noftri fe Gelafimi tantopere amant? fibi placent, & gratulantur? propter quod vulgi, puerorum, mulierculatum admiratione & benevolentia, in cœlo funt? Ecquæ vox unquam ex ore Socratis exiit, quæ ipfa per fe rifum moveret, quia barbara, quia obfoleta, quia non Attica, non Græca effet? Quæ prava locutio, & parum congruens ftructura partium orationis cachinnos audientium excitavit, aut animos ad fe convertit omnium, aut cujufquam fecit alieniores? In tam multiplici & diverfa illufione atque ironia, qua frequenter ufus eft, quovis conventu, & apud omne genus hominum, quid verborum fecit, quod aures teretes & religiofæ Athenienfium refpuerent: eum quidem rem perfæpe, ac doctrinam, & opiniones improbarent? Audio orationem, quam difertiffimus ejufdem ætatis orator fcripferat Lyfias, Socratique obtulerat, ut hac, ei fi commodum effet, uteretur in defenfione fua, repudiatam ab illo, quia, quamvis diferta & oratoria, tamen nimis compta & ornata, ideoque parum fortis videretur ac virilis. At non audio repudiatam, quia non redundaret peffimis verbis, aut quia confcripta non effet fermone peregrino, & inufitato. Atqui hunc Lyfiam, quem rejiciebat ut nimium, non dubitavit, quin longe multumque fuperaturus effet vir Ifocrates, tunc adolefcens, de cujus indole, captuque ingenii, & futura facultate ac præftantia dicendi non tam judicium, quam præjudicium, ac velut prædictionem habemus in Phædro Platonis, & ex eo fcripto in Oratore Tullii. Erat igitur Socrates intelligens & gnarus quantum quifque valeret eloquentia. nec mirum, qui rhetoricam didiciffet artem, prætereaque traderet aliis: quam etiam oppreffa civitare cum profiteri ac docere vellet, id facere prohibitus eft a tyrannis triginta; credo, ne ex ejus difciplina exifterent Oratores, qui moverent aliquando aliquid contra novum necdum fatis conftitutum dominatum, vique dicendi vim tyrannicam refutarent, penitufque convellerent. Nec folum exiftimabat recte, ac præcipiebat, infcius ipfe faciendi: cujus ab infidiofa oratione judices fibi ut caverent, admonebantur. Quamobrem Timon Phliafius, amarulentus fcriptor, eo libro, qui ex Gellio σίλλος, ex Diogene Laertio σίλλοι, quod plures fint, numero multitudinis infcribitur, etiam eum malediceret Socrati, ῥητορόμυκτον & ὑπάττικον appellavit. facile ut appareat, id ei non omnino defuiffe, quod maledicus conviciator reprehendit, atque extenuare conatur. Sed quid opus eft quæri aliunde, quantum valuerit Socrates dicendo: cum vel ex uno Craffi Ciceroniani elogio, quid hominis, & quanti fuerit, quamque in omni genere laudis excellens, certo æftimari poffit? *Socrates*, inquit, *is qui omnium eruditorum teftimonio, totiufque judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venuftate, & fubtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam fe cunque in partem dediffet, omnium fuit facile princeps.* Nam quod apud Ciceronem Antonius damnatum eum effe ait impiis fententiis judicum, nullam aliam ob culpam, nifi propter dicendi infcitiam; fi vera & fibi confentanea locutum volumus, explicari & diftingui rem oportet. Neque enim nefcivit Socrates dicere, qui ita in judicio capitis, quemadmodum ab eodem Antonio paulo ante pofitum eft, pro fe ipfe dixit, ut non fupplex, aut reus, fed ut magifter, aut dominus videretur effe judicum: fed nefcivit in dicendo, vel potius noluit eorum mentes, qui judicarent, permovere. noluit, quia putavit nefas effe. quod autem tale putavit, in eo fe nunquam exercuit, idque adeo nefcivit. Itaque ignoratio hæc voluntaria fuit: ac ne ignoratio quidem, cum effet earum rerum, quas non profiteretur fe fcire, debuit videri.

Concludamus ex hac quoque parte, Balzaci, aliquid, quoad licet, & quantum conducit ad rem noftram. Socrates acutus, venuftus, fubtilis, delicias infulfas noftrorum popularium nullas redolet, ut ante diximus: Socrates eloquens, varius, copiofus, ullas fpirabit? Multo utique minus. Si enim Socraticæ venuftates excludunt rufticos & agreftes jocos, nec quidquam habent commercii cum ftolida plebe, & dictis ejus indoctis: eloquentia Socratica, modeftiam & majeftatem nacta, quafi focias & contubernales, nequaquam fane peregrinitatem & infolentiam, ftultas & leves affeclas orationis, & illum comitatum nugarum tollet fecum, aut omnino domo admittet.

Dicet aliquis: Literam Socrates nullam reliquit. unde non mirum, fi nihil fcriptum licentius & jocularius, quo nunc modo noftri fcribunt, reliquerit. Cum multa fint, quæ refpondeam, omitto primum, quam in partem accipiant viri docti & graves nonnulli, & quatenus verum effe fateantur id, quod Cicero & Plutarchus atque alii prodidere, nihil quidquam mandaffe literis, aut in vulgus ediditffe Socratem. Iis enim placet hunc & fimiles fectarum ac difciplinarum principes, ut Pythagoram, Arcefilaum, Carneadem, majora quædam tacita tenuiffe myfteria fua, & dogmata, quæ paucis intimis & familiaribus traderent fecreto ac velut in aurem, reliquos omnes, tanquam alienos & profanos, celatos vellent; quorum idcirco nihil exiftimaverint recte committi fcripto monumentifque literarum: non afferri autem, quamobrem de aliis rebus quamplurimis vel privatis, vel publicis, ut cafus incidit, & cuique opus effe vifum eft, non fcripferint. ac fcripfiffe revera Socratem oratione foluta & verfibus, quorum partim perierint communi fato literarum, id eft, incuria & ignoratione pofteritatis, partim recta pervenerint ad nos longo intervallo, aut, cum diu fuppreffa delituiffent, emerferint, nuncque iterum extent. Nondum præterea dico, tametfi literam nullam fcripferit Socrates, inveniffe tam multos eadem memoria & deinceps difcipulos, & amatores, & præcones laudum, qui ipfius ingenium, mores, mul-

multiplicem doctrinam, varios sermones, minima dicta scriptis suis expresserint, ut non illi quidquam proprie, qui suum nihil conferrent, sed unus omnia Socrates scripsisse videri possit. qui si fuisset isto pacto familiariter jocatus atque cavillatus cum Alcibiade, aut cum Agathone, non omissuros porro fuisse scriptores tam sedulos ac diligentes, qui minutiis suis singula persequantur, rem tam insignem. Illud solum contendo, veteres comicos, quibus summo fuit odio Socrates, in primisque Aristophanem, a quo totis comœdiis vexatus est, hoc eum vitio & culpa corruptæ dictionis, si non accusent, liberare: si non vituperent, ac derideant, ne vestigium quidem, aut umbram labis illius ac maculæ, ad notandum hominem sugillandumque reperisse. Quid ergo Aristophanes? Hunc insultare Socrati videmus, & ridiculum in modum illudere, quod astrologiæ, quod geometriæ, quod grammaticæ, quod rhetoricæ deditus sit & studeat, easque artes omnes & disciplinas exerceat. astrologiam, qui pensili corbe vectus in sublime, propius observet solem, perque medium aerem feratur calatho, quasi curru vimineo aut junceo. geometriam, qui vestigium pulicis dimetiatur, quotque illa suos pedes saliat. grammaticam, qui τὴν καρδόπην, non τὴν κάρδοπον, τὴν ἀλεκτρυαίναν, non τὴν ἀλεκτρυόνα præcipiat dici. rhetoricam, qui doceat, quemadmodum inferior sermo superior evadat contradicendó, id est, qua ratione & via malæ causæ obtineantur foro ac judiciis. In quo postremo quantos agat ludos, & quot in una fabula fabulas Aristophanes doceat, non est sane proclive dictu. Primum Strepsiades inducitur quidam ære alieno obrutus, qui artem sibi tradi velit inficiandi debitum, & fraudandi creditores. Hanc fallacem & veteratoriam artem cum rhetoricam existimet esse, quæ scire se ac docere profiteatur, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior possit; Socratem adit, tanquam summum doctorem artis & magistrum. Verum initio tentatus levibus quibusdam interrogatis, cum in eo non satisfaciat, facile intelligit se cum ingenio, tum senectute tardiorem, minus idoneum esse ad perdiscendas graviores difficilioresque literas. Itaque Phidippidem filium, cujus adhuc ætas est ad præcepta, substituit in locum suum, ac deducit ad Socratem, eique tradit in disciplinam. Hic adolescentem hominem & per se ipse informat, ac mysteriis intimæ artis imbuit, & per suos illos sermones duos κρείττονα & ἥττονα, quorum superior, qui idem δίκαιος, pro veritate dicit, inferior, qui & ἄδικος, repugnat, ut solet, & captionibus ac præstigiis quibusdam verborum causam vincit. Ab hoc ludo Phidippides profectus, ubi nihil nisi impudentiam negandi didicit, nomina paterna & sua expedit quambrevissime, non dissolvendo, tum autem ne a patre quidem manus abstinet. quod utrumque se jure, non modo impune, facere contendit, idque auctore ac magistro linguæ & morum Socrate.

Nunc peto a te, Balzaci, ut mihi respondeas. Potuit hæc Aristophanes tam ridicula, tam contumeliosa, tam indigna & sapiente, & Socrate, commentari ac scribere, & edere populo in Socratem, ac dictis eum omnibus probrisque proscindere: de plebeia, & agresti, & subrancida oratione, si quam usurpabat ejusmodi, tacere: aut illud ei vitium ignoscendum, atque in ceteris criminibus prætermittendum duxit, qui tam multa, magna, parva reprehendit? aut vera dissimulavit, qui excogitavit & commentus est falsissima, & in caput immerentis congessit? Tu sane pro tua singulari & eximia prudentia videris ipse, quid sentias. Ego sic statuere posse videor, quemadmodum liber & solutus ab impuris amoribus Socrates, sapientum & eruditorum judicio, merito habetur vel hoc nomine, quod adversarius, & per se infensus, & subornatus, ut volunt, pecunia ad maledicendum, non contulerit tamen hanc in illum culpam, ac ne suspicione quidem levissima reum perstrinxerit: ita jure optimo expertem illius maculæ ac turpitudinis in oratione censeri, de qua idem adversarius nihil objecerit, verbum in alterutram partem nullum fecerit.

III. PLATO ET XENOPHON.

Quanquam discipuli Socratis alii aliud ex ore magistri arripuerunt, quod imitarentur, & immortalitati traderent scriptis suis, (siquidem & Cynici duritiam illam suam huic acceptam referunt, & Cyrenaici voluptatem sequuntur ex ejus magis voluptariis disputationibus, & Academia raro se auctore opinari ac dubitare jactat, & in Lycei spatia manasse volunt ab eo consuetudinem disputandi:) tamen eandem omnes jucunditatem exprimere conati sunt in scribendo, quam is loquendo præ se tulit. Ut enim, cum derivationes fiunt aquarum, deducti a fronte rivuli non tantam vim & copiam, sed eundem saporem, eandem suavitatem aquæ possident: ita orti a Socrate, tanquam a capite & origine, philosophi, tametsi non totam singuli doctrinam hauserint; totam sermonis festivitatem & leporem retinere studuerunt. Quo factum deinde puto, ut libri, quos Socraticos vocant, inveniantur isto genere concinnitatis & deliciarum referti. Hos nobis libros magna ex parte invidit vel fortuna & casus, vel hominum socordia, vel omnium rerum confectrix vetustas. Reliqui sunt integri, minimeque imperfecti Platonis Xenophontis, quos Gellius auctores *Socraticæ amœnitatis lumina duo* eleganter appellat. Ambo quippe cum Socratem certatim sic ponunt nobis ob oculos, ut magno vir ingenio, variaque & multiplici doctrina, totus pervenerit ad nos usque, laus ejus nulla oblivione tot consequentium seculorum intercepta sit; idque aperte ostentant & loquuntur: tum horum in scriptis vivit ac viget præcipue, quæ excelluit & dominata est in Socrate, vis illa dulcis & jucunda cavillandi. Ibi sententiam elicit Socrates alienam, suam dissimulat: doceri velle videtur, cum docet: refellit interrogando: similibus, & exemplis circumducit, ut eo perducat, quo intendit: denique mortuus

ludos

ludos etiamnunc ludit eos in libris utriusque auctoris, quos Athenis, cum viveret, ludere solebat. Quæ causa est, quamobrem dialogorum Plato formam & rationem inierit: qui ad sermonem quotidianum quamproxime accedant: ideoque se insinuent familiarius ac blandius. quibus in cunctis fiat Socrates loquens ac disputans more illo suo jocoso: idque hac mente, opinor, ut omnis abducatur cogitatio legentium a scriptore, in Socratem convertatur, in solo figatur Socrate, Socrates solus audiri putetur. Et scriptor quidem Plato non semel confirmat, nihil a se proprie neque scriptum antea, neque scribendum deinceps esse: cum ejus volumina quædam ferantur multa numero. quod sic intelligi placet, ut, quos habuit, quosque habiturus est sermones, sit eorum Socrates auctor & quasi parens: exceperit ipse tantummodo ex ore loquentis, atque, ut notarii solent, manu sua descripserit. Xenophontis autem etsi paulo est aliter instituta oratio de rebus Socratis, quam mos dialogorum postulet: tamen in eo consumitur omnis, ut directo, non oblique referat atque enarret, quæ dicta sunt a Socrate: hoc est, Socrates colloquatur ipse cum alio atque alio, perque solitos circuitus & ambages non injucundas, eum, quicum disputet, inducat ad assentiendum, & dictis, ac velut conditionibus adstringat suis. Eundem Xenophontem conquæsitum legimus, quod dissertationes Socrati attribuerentur de cœli, &, & naturæ causis rationibusque, & de studiis mathematicis, quas non modo nullas habuisset in vita, sed etiam, quia ad bene beateque vivendum non pertinerent, haberi persæpe vetuisset. Ex quo conjectura capi potest, summa illum fide & diligentia persecutum fuisse res Socratis, nihil veræ laudis detraxisse oratione sua, nihil falsæ affinxisse: nec vero peccasse ipsum in eo, quod valde reprehendit in ceteris.

Uter igitur, cum imaginem, simulacrumque Socratis effingeret, & ad veritatem, quantum posset, adduceret; idoneum Socratem putavit, qui tam inepte, quam nostri lasciviunt, exiliret gaudio, tam cavillaretur non Attice, tam hospes & peregrinus versaretur in civitate sua? Plato, quo nihil sanctius, ut in auctoribus profanis, nihil augustius, nihil plenius mysteriorum cogitari potest? an Xenophon, qui sic moderate fertur & tranquille oratione tota, ut nemo supra ex omni genere scriptorum? Utrique profecto istud, qualecunque est, recentium scriptorum, si virtus, defuit: defuit: si vitium, abfuit. neuter, qua parte expressit Socratem, ullam similitudinem nostrorum temporum, nostrorum hominum expressit. Sed quemadmodum in picturis si præclari artifices unius hominis speciem duo depinxerint, etsi tabulæ referant eundem, & vere, perfecteque referant; tamen habet quæque aliquid suum & peculiare, unde pictor dignoscatur alter ab altero: ita in scriptis Platonis & Xenophontis commune aliquid extat & eminet quidem, quo Socratem nobis unum eundemque exhibent; singulare aliquid & privatum, quo se quisque prodit atque indicat, licet nihilominus animadvertere.

Ac longe omnibus, quicunque scripserunt, aut locuti sunt, præstitisse Platonem ferunt gravitate, quæ ad magnificentiam insignem quandam, & plusquam poëtarum, crescendo processerit, comite præterea ubertate & copia. Quæ tria sæpe Platoni locupletissimus auctor & judex Cicero attribuit: cum etiam ex sermonibus philosophorum sic Jovem confirmet, si Græce loquatur, loqui. Quo minus mirandum videtur, si omnibus locis divinum Platonem, modo Deum quendam philosophorum, tum Deum suum appellet, qui cum summo rege Deorum comparetur. Sed hæc vulgo nota, etiam iis, qui vix Platonem legerint unquam, aut attigerint manibus. Non perinde animadvertitur, quod æque verum est, quoque non minus excelluit Plato, hunc, qui gravis, amplus, abundans fuerit, eundem præter ceteros suavem quoque in dicendo extitisse. Hoc videlicet illæ voluerunt apes, quæ in cunis parvulo dormienti consederint in labellis. & sexcenti apud hunc scriptorem loci re & eventu magis declarant, quo is modo, quamque feliciter consecutus oratione videatur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate, magniloquentiæ cum suaviloquentia. Quantum voluptatis inest in prooemiis, quæ ducuntur e re nata; sive domi sedeatur in circulis aut semicirculis; sive ambuletur foris, & insistatur identidem; sive, ubi satis ambulatum est, in opaca & viridi umbra recumbatur: belli porro homines vel casu, vel consilio convenerint una, diemque agitent sermonibus conferendis? Quam delectat in contextu, & serie, & corpore toto disputationum, interrupta illa, & variata, & distincta vicibus collocutio, in qua suum quisque locum, velut factis partibus, tuetur, & in qua omnia, quæ quotidie coram fiunt per congressum humaniter & amice, itemque honeste & eleganter, usurpantur eadem prorsus, & quasi in aliquo vitæ hominum theatro renovantur? Quid liberius ad familiaritatem, quam Socratem, e Piræeo redeuntem Athenas in mediam urbem, prehendi a puero lacinia, retrahi a pueri domino ex itinere, vi blanda reductum detineri domi: Cephalum patrem domini, ubi disseruit de senectute quæ visa sunt, deditque initium sermoni, abire alio, & res alias agere, hospitibus relictis? Quid ad oblectationem magis varium congressu hospitis Atheniensis cum Cretensi Clinia, & Lacedæmonio Megillo. ubi locus & tempus notis quibusdam suis describuntur; locus, pratis viridissimis; lucis ex vario genere arborum, præsertim cupressorum proceritate mira & specie; via, qua itur Gnosso in antrum templumque Jovis, sat longa, &, quam longa est, sedibus & umbraculis distincta; quod ad consistendum paulisper & ad quiescendum invitet: tempus, æstivo die, eoque solstitiali, hoc est, totius anni longissimo; quo die uno tota de legibus oratio perorata est, ante meridiem prima pars e tribus, post meridiem reliquæ duæ. Nisi forte jucunditatis fructum minuit, quod occupatior ille dies sit & impeditior, vixque respirare sinat: in quem librorum duodecim disputatio includitur, quæ & commodius in totidem distributa dies fuisset, & rei gestæ veritati propius ac similius. Suburbanus vero Atticæ regionis ager, quo Socrates, alioquin infrequens turi, perducitur a Phædro, ibique delicatos & amatorios sermones plurimos infert, ut conveniens huic argumento est! ut instructus omni copia!

pia! ut depictus, & oculis, quantum ars & facultas oratoria valet, subjectus! Fluebat Ilissus amnis belle quidem, sed tenuiter sic, ut pedibus transmitti nullo negotio posset. Monstratur hinc, quæ duobus abest tribusve stadiis, platanus procerissima, & patulis diffusa ramis, ac primum tempore hoc anni (erat autem æstas) florescens: ut & umbra opacet locum, & suavissimo odore perfundat. Ea sub arbore fons aquæ & perlucidæ & perfrigidæ, Acheloo dicatus ac Nymphis. Circum profluentem, quasi ripulæ vestitus, herba mollis & tenera, & sensim ac leniter, sic tanquam excepturà commodius corpus accubantis, declivis. Interim spirabat aura subtilis: cum cicadæ umbram secutæ magno numero, nihil intermitterent canere sub frondibus. Ex quo dubium relinquitur in tot tantisque illecebris ingenuæ voluptatis, quid quis agat primum, quid deinde, quo se magis oblectet, atque expleat: lavetne in limpido amni per æstum an e puro fonte bibat, an aures præbeat cantibus, an abjiciat se denique in herba, & caput declinet ad dormiendum. Neque naturali tantummodo amœnitate locus insignis, sed suavis & jucundæ cujusdam vel historiæ vel fabulæ vestigiis nobilitatus. Inde siquidem Orithyam Aquilo raptam sustulerit. quo uno, ut apparet, inimico ea terra utebatur. Quis enim locum tam amœnum, tamque amabilem nisi fera vis & inamœna venti non amaret? Atque hæc, quæ sunt omnia Platonis, nisi quod paululum quiddam adjectum est explicandi causa, eo jucundius ipse Plato Græce extulit verbis suis, quod non continenti & perpetua, ut fecimus nos, sed ea, quæ interrogationibus & responsis, sic tanquam minutis membris carperetur, oratione extulit. Dic jam verum, BALZACI: qui tam grata tot locis passim loquatur, nonne sacra fecisse videtur Gratiis; quemadmodum idem ille Xenocratem & Dionem, qui tristiores & acerbiores essent natura, facere jubebat: vel potius non sacrificasse omnino, nec ulli supplicare Gratiæ debuisse, qui tam gratus per se, & dulcis, & urbanus existeret?

Esto: nihil simile nostris cum Platone in illius tam præclaris rebus & laudandis. reperietur in vitiosis fortasse aliquid, quo scriptori se tanto comparent, aut se cum eo fateantur errasse. Cave enim, BALZACI, putes, in hoc ingenii & doctrinæ principe viro, cujus elegantia in omnem sermonis atque motum partem nihil prope videtur Græcia tulisse dignius, laudabilia sine exceptione universa, neque reprehendendum quidnam, aut olim reprehensum fuisse. Ponitur ab antiquo & nobili critico & rhetore Dionysio Halicarnasseo Platonis elocutio quasi numero duplex, vel una certe mixta e duobus, tenui dicendi genere & sublimi, quorum in altero excelluerit, in altero sit versatus parum feliciter. Qua parte subtilitatem & exiguitatem persequitur simplicis minimeque factæ quodammodo orationis, suavem in primis & jucundum videri. Est enim & sat pura ejus dictio: & instar aquæ profluentis clara & perlucens: & accuratior etiam & limatior, quam alia quævis tenuiorum ea eodem genere scriptorum. Communia verba, & sumpta de medio, & nota cunctis. quibus tamen squalor interdum ab antiquitate, & situs quidam sensim occulteque adhærescit. Ceteroqui habent suum viridem, & tenerum, & tempestivum florem, unde gratissimus odor, ut ea olentibus pratis ad nares aura blanda & suavis, afflatur. Jam locutionis structura & compositio simplex, rejecto fere omni, quod adjici & apponi solet ad nomen, nomine. Accedit quod neque dulcedo orationis loquacitatem redolet, neque concinnitas, quæcunque est, theatrum atque pompam. Hoc illum porro institutum & morem sobrii temperantisque scriptoris partim a Lysiæ orationibus habere, quarum in lectione subactus ac tritus sit; partim a Socratis dialogis, in quibus educatus. Cum autem ad uberius dicendum & ornatius, id quod persæpe facere solet, magno se impetu convertit: multo deteriorem evadere seipso, multoque, quam antea, injucundiorem. propterea quod & minus bene Græce loquatur, & e tenui crassior quodammodo, e claro & evidenti fiat obscurior. producat sensum & significationem longius, animosque legentium diutius suspendat. cumque in pauca rem contrahi oporteat, fundatur late circumlocutionibus indecoris, ac divitias verborum inaniter ostentet. Tum quoque illum, spretis vocibus propriis & usitatis, facta, peregrina, obsoleta verba consectari. *Maxime vero*, inquit, *in vertenda & mutanda dictione jactatur quasi tempestate quadam: multus in nominibus adjectis, in fingendis vocabulis ineptus, durus in translationibus, quo loco non satis retinet similitudinem. In allegoriis denique & longioribus & crebris nec modum habet, nec rationem loci, aut temporis. Qui verborum sententiarumque ornamentis & conformationibus cum poeticis, quæ summum fastidium & satietatem afferant, tum iis, quas Leontinus invenit Gorgias, præpostere ac juveniliter gloriatur. Atque hæc illa est apud Platonem sumptuosior quædam & insolentior magnificentia, quam non ego*, inquit, *unus, sed Demetrius Phalereus olim, & alii nunc complures, quos non est necesse appellare, notarunt. Et vero sensit ipse Plato, & agnovit ante omnes, quousque progrederetur exaggerandæ orationis studio, nec inficiatus est id quod erat: sed purgavit se, & honesto nomine prætexuit culpam; cum se afflatum divinitus fundere dithyrambos diceret. Quam etiam ob causam multa in eo Pindari poematum simillima existimari jure merito possint.*

Hactenus Dionysii de Platone judicium, quod exemplis confirmat ea illius Phædro petitis: quodque non modo non mutavit postea, verum Pompeio magno, graviter & erudite repugnanti, probare conatus est per literas, in quibus illa ipsa repeteret a se jam dicta, subjungeretque nihil se Platonis aliud, nisi partem dictionis aliquam reprehendere. Sed tamen, si verum attendimus, neque omnia retulit, quæ contra Platonem severe ac prope atrociter dixerat: & plus aliquid in eo, quam particulam dictionis, improbavit. Audi ergo plura ea eodem loco, & graviora, neque omnia tamen, quod longius foret. Περὶ δὲ Πλάτωνος ἤδη διαλέξομαι τὰ γ' ἐμοὶ δοκοῦντα μετὰ παῤῥησίας, οὐδὲν οὔτε τῇ δόξῃ τ' ἀνδρὸς προστιθεὶς, οὔτε τῆς ἀληθείας ἀφαιρούμενος· καὶ μάλιστα ἐπεὶ τινὲς ἀξιοῦσι πάντων αὐτὸν ἀποφαίνειν φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων ἑρμηνεῦσαι τὰ πράγματα δαιμονιώτατον, παρακελεύονταί τε ἡμῖν ὅρῳ καὶ κανόνι χρῆσθαι καθαρῶν ἅμα καὶ ἰσχυρῶν λόγων τούτῳ τῷ ἀνδρί. ἤδη δὲ ἤκουσα ἔγωγε λεγόντων,

γέντων, ὡς εἰ καὶ παρὰ θεοῖς διάλεκτός ἐστιν, ᾗ τὸ τῶν ἀνθρώπων κέχρηται γένος, οὐκ ἄλλως ὁ βασιλεὺς ὢν αὐτῶν διαλέγεται θεὸς, ἢ ὡς Πλάτων. Πρὸς δὴ τοιαύτας ὑπολήψεις καὶ τερθρείας ἀνθρώπων ἡμιτελῶν περὶ λόγους, οἳ τὴν ἐν ὀλίγῳ κατασκευὴν οὐκ ἴσασιν ἥτις ποτ' ἐστὶν, οὐδὲ δύνανται .... πᾶσαν εἰρωνείαν ἀφεὶς, ὡς πέφυκα, διαλέξομαι. Ἐγὼ τὴν μὲν ἐν τοῖς διαλόγοις δεινότητα τοῦ ἀνδρὸς, καὶ μάλιστα ἐν οἷς ἂν φυλάττῃ τὸν Σωκρατικὸν χαρακτῆρα, πάνυ ἀγαμαί τε καὶ τεθαύμακα, τῆς δὲ ἀπειροκαλίας αὐτὸν οὐδεπώποτ' ἐζήλωσα τῆς ἐν ταῖς ἐπιθέτοις κατασκευαῖς, καὶ πάντων ἥκιστα ἐν οἷς ἂν εἰς πολιτικὰς ὑποθέσεις συγκαθεὶς, ἐγκώμια, καὶ ψόγους, κατηγορίας τε καὶ ἀπολογίας ἐπιχειρῇ γράφειν. ἕτερος γὰρ ὡς αὐτοῦ γίνεται τότε, καὶ καταισχύνει τὴν φιλόσοφον ἀξίωσιν· καὶ μοίγε πολλάκις ἐπῆλθεν εἰπεῖν ἐπὶ τῶν τοιούτων αὐτοῦ λόγων ὃ πεποίηται παρ' Ὁμήρῳ πρὸς τὴν Ἀφροδίτην ὁ Ζεὺς λέγων, Οὔ τοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα· Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο· Σωκρατικῶν διαλόγων. Ταῦτα δὲ πολιτικοῖς καὶ ῥήτορσιν ἀνδράσι μελήσει. *Jam vero de Platone libere dicam quod sentio, neque falsas ei laudes affingam, neque de rei veritate detraham. præsertim cum sint, qui istum pronunciare audeant omnium cum philosophorum, tum oratorum maxime divinum atque admirandum rerum explicatorem: præscribantque nobis, eo ut utamur tanquam forma & regula puræ fortisque pariter orationis. Quinetiam ex nonnullis audivi, cum dicerent, si humana lingua Dii loquantur, non aliter loqui eum, qui rex sit Deorum, quam Platonem. Has contra vanas inanesque sane opiniones hominum parum in istis rebus intelligentium, qui neque norunt, quænam tandem generosa & nobilis sit forma dicendi, neque possunt .... omni dissimulatione sublata, ut consuevi, loquar. Platonis equidem vim & facultatem in dialogis, & iis maxime, in quibus Socraticam servat rationem ac modum, laudo & admiror valde. Nunquam vero mihi probata est ejus adjectorum nominum inconcinnitas. minimeque is placet cum se politicis rebus interposuit, laudationesque & invectivas, accusationes & defensiones conscripsit. Tunc enim fit alter a seipso: & dedecori est philosophiæ. Itaque sæpenumero mihi venit in mentem de talibus ejus scriptis usurpare illud, quod apud Homerum Veneri Jupiter dixit:*

Non tibi, nata, datum tractare negotia belli:
Sed dulces thalami res, & connubia capta;

Socraticos dialogos. Illa autem politicis viris & oratoribus curæ erunt.

Jamne tenes, Balzaci, jamne intelligis varios & multiplices reprehensionis gradus? quomodo Plato deterior primum se ipso fiat, χείρων μὲν αὐτὸς αὑτοῦ γίνεται· deinde totus alius fiat a seipso, ἕτερός τις αὑτοῦ γίνεται. quamdiu se continet intra angustos fines dialogorum, idque solum, quod proprium eorum est, usurpat, ut concisa quædam, & ultro citroque habita verba, quibus tractatio rerum nectitur; admirabiliter satisfacere huic minimæ parti. postquam ab ea discessum est, ita defici arte & industria in majoribus, ut nihil aliud nisi hoc primum scire videatur. deliberativum genus non attigerit omnino, in judiciali & concertatorio parum viderit, laudationem & vituperationem, quæ sunt partes demonstrativi duæ, tractarit non sine multis vitiis. modo enim addere supervacanea, quæ neque ad perspicuitatem faciant, neque ad ornatum; modo quæ alta atque exaggerata debuerint esse, abjecte & humiliter dicere. tum ne vitare quidem solœcismos & confusionem generum ac numerorum quandam. postremo quamplurimis posse ornamentis atque insignibus, quos appellant τρόπους, quæque σχήματα, onerare orationem. ut non aliter poetæ, quos contemnit tamen, & civitate excludit sua, loquantur. Atque hic observandum est Dionysium ita sentire, & loqui non de sermone aut scripto mediocri quolibet Platonis, sed de uno aliquo inter omnia præclarissimo, cujus demum examen & censuram concludit his verbis: Καὶ τί δεῖ τὰ πλείω λέγειν; δι' ὅλου γὰρ ἄν τις εὕροι τοῦ λόγου περιβοώμενου τὰ μὲν οὐκ ἀκριβῶς οὐδὲ λεπτῶς εἰρημένα· τὰ δὲ μειρακιώδως καὶ ψυχρῶς· τὰ δὲ νοῦν οὐκ ἔχοντα· τὰ δὲ διθυραμβώδη καὶ φορτικά. *Quid pluribus verbis opus est? qui funebrem illam orationem percurrerit totam, is reperiet, alia neque accurate neque presse & subtiliter dicta, alia puerilia & frigida, alia inania, nulla re subjecta utili & suavi, alia dithyrambica & audaciora & licentiora.*

Habes, Balzaci, quod opponas Dionysio sic judicanti, an hoc illi totum addicitis? Equidem laboro, ut tam duræ tamque gravi sententiæ subscribam. Revocat me Tullius, vel potius retinet auctoritate & judicio suo, qui tantum Platoni tribuit, quantum scriptori Græco nemini. Nam præter ea, quæ supra posui, quanti illud utrumque, quam honorificum, & gloriosum debet videri, quod Platonem significat passim, & quo in genere scriptionis versatus est, mirabilem se præbuisse ac divinum; & quod genus non tractavit, pari cum laude, si mens, aut res, aut occasio denique tulisset, tractare potuisse? Hanc opinionem tantam, quam de Platonis forma & ratione scribendi habebat Cicero, ex variis collectam dispersisque locis, quid attinet adducere in medium? Non exscribo elogia, quæ libris præponi solent ab editoribus ad commendationem auctorum. nec mihi tamen interdictum puto, ne iisdem ex fontibus hauriam, ea quibus isti hauserunt, si quid ad rem pertinet: aut ne plura etiam, & meliora, si quæ sunt ab iis omissa, inde traham, & derivem, & convertam in meos usus. Tullius ergo de Platone in tertio de oratore: *Neque enim quisquam nostrum cum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus fere Socrates exprimitur, non quanquam illa scripta sunt divinitus tamen majus quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur.* In primo de officiis: *Equidem Platonem existimo, si genus id forense dicendi tractare voluisset, gravissime & copiosissime potuisse dicere.* Primo de legibus: *Sic fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis.* Secundo de legibus: *Habes legis proœmium: Sic enim hoc appellat Plato.* Qu. *Habeo vero, frater: & in hoc admodum delector, quod in aliis rebus, aliisque sententiis versaris, atque ille. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus.* M. *Vellem fortasse. quis enim potest, aut unquam poterit?* In tertio: *Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus, sæpius fortasse laudo, quam necesse est.* Att. *Platonem videlicet dicis.* M. *Istum ipsum, Attice.* Att. *Tu vero eum nec nimis valde unquam, nec nimis sæpe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui nemi-*

nem, nisi suum, laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo deligam.

Sed nimium jamdiu scrutor & excutio Platonem, cujus in virtutibus initio cum nihil simile deprehenderim nostrorum hominum, ad extremum in viriis omnia video contraria. Causæ peculiares hujus pugnæ maximæque diversitatis, multæ: sed hæc universa & communis, qua contenti esse possumus, quod, quæcunque peccat Plato, nimio studio nimioque conatu peccet optime dicendi: jocularores novi, sive recte, sive secus; nondum enim statuo; suscipiunt tanquam negotium, & omni cura & cogitatione enituntur & contendunt, idque ad instiruram rationem suam delectandi existimant pertiuere, ut pessime dicant.

Ad Xenophontem venio, de quo idcirco dicam brevius, quod multa huc e proximo de Platonis locutione, judicio & censura transferri possunt. Forma & tanquam altera facies Xenophonteæ dictionis est in dispari genere, ut philosophi, atque historici, una tamen atque eadem. Quam tenera, Superi, atque mollis! quam verbis pura! quam apta sententiis! quam structura & collocatione neque aspera, nec hians! quam se insinuans fuso & æquabili tractu quodam, & influens in animos legentium, eosque tacira quadam voluptate perfundens! ut qui quondam Xenophontem Musam Atticam, apem Atticam appellaverunt, qui ejus voce Musas quasi locutas, ejus sermonem esse dixerunt melle dulciorem, & quem ipsæ finxisse videantur Gratiæ; videri possint ipsi minus aliquanto, quam quod compti expolitique scriptoris lectione sentitur, dixisse. Itaque Xenophonti Dionysius haud paulo æquior, quam Platoni, etsi illum Herodoto, quem imitatus est, postposuit in nonnullis: tamen ei dulcedine compositionis, & gratia vel æqualem facit; vel, si vere legitur, est enim suspicio errati aliqua, etiam superiorem. Hæc vero tanta tamque insignis suavitas, quæ & facile prima est in virtutibus Xenophontis, & qua scriptores alios longo intervallo vincit, hoc admirabilior debet videri, quo minus expectanda fuit, aut postulanda ab homine, qui non solum scriptor historiarum, sed actor rerum, maximeque bellicarum fuerit. Navavit Xenophon, ut scis, regibus duobus, primum Cyro minori, ac deinde Agesilao, præclaram in acie & militia operam: & ipse quoque imperator administravit bellum ductu suo, & multa secunda prælia fecit. ex quo militares illi & imperatorii spiritus, quibus adjuncta prope comes est duritas ac ferocia, nequaquam satis habere videantur eum orationis tanta lenitate commercii.

Nec eo minus audiendum existimaverim eundem Halicarnasseum, qui Xenophontem neget, ut suavis oratione semper sit, esse ubique pulcrum. Est ille quidem suavis in primis, qui habeat τὴν ὥραν, καὶ τὴν χάριν, καὶ τὴν εὐστομίαν, καὶ τὴν γλυκύτητα, & alia ejusmodi; pulcher non item, quod τὴν μεγαλοπρέπειαν, καὶ τὸ βάρος, καὶ τὴν σεμνολογίαν, καὶ τὸ ἀξίωμα, & similia horum, quantum satis sit, non habebat. Quid, si verbis ad multam suavitatem, & ad magnum in narrando leporem compositis non tantum pulcritudo, sed vires & lacerti desint; sententiaque interdum nulla subsit, nisi levis & inanis; nec modo neque splendida, neque fortis, sed ignava & elumbis appareat oratio? Nihil est profecto, quod malim, quam emendari & redargui opinionem meam, falsique convinci, si quando contingit, ut veterum scriptorum aliquid parum mihi sanum, aut rectum videatur esse: usque eo placet, atque in honore est, veneranda canitie, & tot probata sæculis, & spectata antiquitas: eitiusque optarim me in judicando, quam istos, communes orbis terrarum magistros in scribendo errare. Sed vide, Balzaci, utrum, & quo modo excusaturus sis in Xenophonte sis, quod Halicarnasseus in Platone libere, & audacter, & forsitan vere condemnat. Is Platonem ait eum plerumque magnificis & illustribus verbis nihil dicere, κόμπον ὀνομάτων πολλὴν, νοῦν δ' ὀλίγον ἔχειν· tum in symposio profectum laudes amoris plurimas, ex quibus quædam οὐκ ἄξια σπουδῆς, οὐδὲ Σωκράτους, neque ullius pretii sint, nec digna Socrate. Quid, tu melius de Xenophonte, existimas, hunc ubique eandem afferre vim, pares impetus nunquam otiosum & inertem flaccescere? Quæso, id totum quanti putas quo se in convivio Socrates probat Critobulo pulcherrimo pulcriorem: aut quo tandem argumento docebis, rationes, quibus utitur, non dico valere, vel convenire Socrari, sed nugatorias non esse, ac perridiculas, & scurriles? Quos extantes oculos, & eminentes e capite, & quasi projectos foras habeat, ostendere conatur esse forma & specie præstabiliores. quomodo? Eo quod non adversa tantum, & e regione posita intueantur, sed transversa etiam, atque a latere utroque, & ex obliquo cernant, itaque aciem in plures intendant partes, ac latius quodammodo regnent. Cum simus sit, eam curtam conformationem figuramque nasi, esse contendit venustiorem. quorsum? Quia nasus a summo depressus, idemque naribus erectior extrema parte sui, aptior quoque sit ad captandos undique odores: prætereaque hoc habeat, ut, cum oculis quasi murus quidam interjectus sit, minus illis incommodet atque officiat brevitate sua, minus eorum luminibus obstruat. Ista ratione quis non argumentari & inferre possit ex eo, quod magno Socrates ore est, atque adeo, cum aperire libet, ad cibum capessendum patentiore, hunc recte formosiorem videri? Item, quia obesior venter est ei, & ad continendum cibum capacior, ideo esse & haberi formosiorem? Argumentatur vero atque infert Critobulus: ac merito quidem. Et multa his consentanea sumere ad concludendum, ubi visum nobis erit, & sapere sic volemus, licebit. Quibus dictis atque sententiis, si serio res agitur, quid indignius? si joco, etiam quid stultius? Et his tamen explicandis ac differendis verba valde bona consumuntur, quæ forsan æquius & convenientius fuisset, quo similes, ut dicitur, haberent labra lactucas, sermone nostrorum hominum vilissimo atque abjectissimo conscribi. Omitto alia generis ejusdem, quæ scriptori huic, quamvis luculento ac nobili, vitio & culpæ dari possint. Hoc dico universe, in quo me puto habiturum neminem dissentientem & adversarium, cecidisse Platonem altius, qui nimium assurgere conatus sit: Xenophontem non illico esse ab omni lapsu, aut offen-

sione

ſione immunem; etſi leniter atque in plano decurrat.

Sed jam tempus eſt, BALZACI, ſubductis rationibus ſummam facere argumentorum & concluſionum noſtrarum, vel potius ex propoſitis atque aſſumptis quamplurimis cogere unum, ac ſub uno aſpectu ponere. Habent aliquid Plato & Xenophon inter ſe commune, quo Socratem exprimant: ſed nihil in iſto cum eis habent Gelaſimi noſtri commune. Habent iidem peculiaria & propria multa, quibus alter ab altero diſtinguatur ac differat: atque ita habent, ut nulla inde pars a noſtris Gelaſimis ne ſimilitudine quidem, aut convenientia ulla trahatur. Habent plurimas & maximas virtutes orationis, atque, ut homines ſunt, vitia quædam: quibus tamen Gelaſimorum ratio & forma jocandi, ſive in laude numeretur, ſive culpæ detur & crimini, deeſt. Poſtremo habent utrique ſuavitatem quandam ſuam: ille ſuperior auſteram & ſolidam: hic dulcem atque decoctam, aut muſteam ſane & a lacu recentem. in qua utraque video non eſſe locum barbaris & ruſticis ſalibus, & inficetis, ut ſic dicam, facetiis Gelaſimorum.

IV. COMICI POETÆ.

MIRUM ſane fuerit, dicet aliquis, ſi ad Platonem & Xenophontem, ſummos & accuratiſſimos ſcriptores, infimi noſtri & conſulto negligentes quoquo modo accedant, aut aſpirent denique. qui ambo licet Socratico more ludant ac jocentur, tamen philoſophi ſunt, iique morales, quos non tantum adhibere in omni re modum, ſed etiam diſciplinam colere ſeveriorem aliquam, & gravitatem tenere decet. Audio: non placet conferri cum iis, qui ſevera remiſſis, triſtia jucundis admiſceant, aut qui plus aliquid ſpectent ac ſequantur, quam ut rideant, aut moveant riſum. Vultis igitur, o ſuaves ac feſtivi homines, qui nihil aliud agitis niſi ridetis, conferam vos cum univerſo poëtarum comicorum choro, quos eſſe totos in jocis videamus, quique ſoli ex cunctis ſcriptoribus proprie ac pro munere ſuo ridicula tractent? Certe, quamvis poëta omnis velle debeat prodeſſe moribus, non modo reficere & recreare animos aureſque audientium, ut Horatio placet; & quamvis ipſa quoque, ut Dionyſius ille Halicarnaſſeus ſcripſit, comœdia philoſophetur: tamen neque philoſophatur, niſi τὸ γελοῖον προτεταγμένη, hoc eſt, propoſito ſibi ridiculo, vel tanquam fine, vel tanquam effectione operis inſtituti; &, ſi utilitati inſervit, tam parce, tamque diſſimulanter & occulte facit, ut non fere quiſquam, niſi prudentiſſimus & callidiſſimus, auditor advertat. Nec vero alium ullum fructum, præter hunc jucunditatis & lætitiæ, aut ſentit & curat populus in ſpectando: aut ædiles, ſive, quoniam de Græcis agitur, ἄρχοντες ſibi proponunt in ludis dandis. Ut enim tragici poetæ munus & officium eſt, res formidoloſas & miſerabiles imitari: ex quo certa quædam oblectatio conſequatur: ita poëtæ comici partes ſunt, res pravas & deformes, atque ob id ipſum ridendas exprimere, unde ſua quoque voluptas exiſtat. Sed habet nimirum magnam tragicus a comico diſſimilitudinem, quod ille materiem & quaſi anſam lætitiæ repetat longius ex alienis miſeriis, quarum ſe ſpectator intelligat expertem: hic propius & conjunctius ex alienis vitiis, quæ nullum auctori dolorem afferant, nullum periculum majoris mali; ſenſus autem aliorum ſubturpi quadam & diſtorta ſpecie commoveant & titillent. Ex quo intelligi poteſt, delectare tragœdiam mediocriter, ac fere cum lacrymis; ſine riſu certe & animi effuſione in qualicunque lætitia: comœdiam delectare quammaxime, ut frontem explicet, & rictum quodammodo diducat ad ridendum; ſive riſum movere ſit ejus finis, ſive imitari & agere appoſite ad movendum riſum.

Hic ergo ludus & palæſtra, in qua, ſi libuit, noſtri ſe riſus amatores & ſtudioſi exercuerint. his doctoribus & magiſtris, qui primi apud Græcos fabulas docuerint, & qui genera ridiculorum omnia notata penitus & pertractata habent, erudiri, proficere, ac perfici potuerunt. Quos tamen, BALZACI, contendo non modo nihil didiciſſe, ac ſuo periculo, non talium præceptorum, nihil ſapere: ſed ab iis multo magis, quam ab aliis ſcriptoribus ullis abhorrere, nec fieri poſſe quidquam alienius. Credis hoc, an omnino videtur improbabile? Efficiam vero ut credas, ſi quid auctoritas valet ad perſuadendum, neque repugnes, & pro certo, ut eſt, habeas. Initio dixi ſermonem Græcum multo eſſe ſuaviorem Latino: prætereaque qui dicerem, varium & multiplex argumentum dedi. Dico nunc amplius, idque ex indicio & confeſſione ipſa eruditorum Romanorum, eundem Græcum ſermonem Latino quoque puriorem, nitidiorem, elegantiorem eſſe. Quonam auctore a me hoc dicitur? Eodem, quo eſt illud dictum prius, Fabio Quintiliano. Is multa in hanc unam ſententiam libro XII. capite 10. Primum: *Latina*, inquit, *mihi facundia, ut inventione, diſpoſitione, conſilio, ceteris hujus generis artibus, ſimilis Græcæ, ac prorſus diſcipula ejus videtur: ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum.* Deinde: *Qui a Latinis exigit illam gratiam ſermonis Attici, det mihi in eloquendo eandem jucunditatem, & parem copiam.* Tum: *negatum eſt.* tum: *minus adjuvat ſermo.* Tum: *Non poſſumus eſſe tam graciles. Subtilitate vincimur. Proprietas penes illos eſt certior.* Jam ubi virtutes iſtæ ſermonis, quæ uno Atticiſmi nomine continentur apud Græcos? In comœdiis. in ſolis, inquam, propemodum comœdiis Græcis proprietas, munditia, ſubtilitas, elegantia loquendi, etiam Quintiliani judicio aſſenſuque, commoratur atque habitat. ut & Latinæ, quas ſuſpicimus & admiramur, comœdiæ contemnendæ ſint præ iſtis: & alia cujuſquemodi ſcripta Græca nequaquam ad bonitatem hanc & incorruptam dictionis integritatem accedant. Ergo Quintilianus libro X. c. 1. *Antiqua comœdia ſinceram illam ſermonis Attici gratiam prope ſola retinet.* Et aliquanto poſt: *In comœdia maxime claudicamus: licet Varro dicat, Muſas, Ælii Stolonis ſententia, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent: licet Cæcilium veteres laudibus ferant: licet Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referantur. Vix levem conſequimur umbram. adeo*

ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem; quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint. Et libro XII. cap. 10. *Tenuiora hæc ac pressiora Græci melius, in eoque vincimur solo, & ideo in comœdiis non contendimus.* Ita demum Græci & sese, & Romanos, sed Romanos multo magis, superarunt.

Hic a Tullio, Balzaci, cum differeret tot locis, quid sit Attice dicere, cumque notaret & gradus, & dissimilitudinem, & vim, & varietatem Atticorum, omissum de singulari hac præstantia, summoque fastigio comicorum, nonne advertis? Et egit ille quidem de Demetrio Phalereo, cujus ex orationibus ipsæ redolere Athenæ viderentur: de Demosthene, quo ne Athenas quidem ipsas magis Atticas esse crederet: de Æschine, de Hyperide, de Lysia, qui oratores Attice profecto dicerent. Nominavit etiam historicos Thucydidem & Xenophontem, quos fateretur Atticos. De comicis poetis nulla mentio, quibus non dico nihil ἀντίπαλον, sed nihil par aut simile in tota Græcia Quintiliano videtur. Nempe agebat Cicero contra eos, qui se Atticos vel oratores imitari vel historicos dicerent: rem non haberent cum poëtis ullis. Fuit nihilominus flos quidam, aut quasi Atticismi medulla, aut omnino Atticismus alter apud comicos: non eo tantum quod nihil ineptum, nihil insolens, nihil odiosum, nihil putidum afferrent; sed quia purissima, & lectissima, & maxime propria nativaque omnia sequerentur. In quo si oratores se ad Atheniensium, quod semper prudens sincerumque habitum est, judicium accommodarent in concione: quanto magis in scena poetæ ejusdem populi verebantur aures offendere, quarum summa fuerit superbia. summum fastidium? I nunc, joculatrix turba, aude te cum scena Græcorum conferre: rusticitatem tuam cum hujus urbanitate: vilitatem tuæ dictionis cum hujus opibus: verborum sordes & confusionem optimorum cum pessimis, cum hujus candore, & delectu, & nitore. Sic tu denique, aut ego fallor vehementer, intelliges, virtutes te omnes ab oratione exclusisse tua, quas comœdia Græca in theatrum induxit: admisisse vitia omnia, & in eundem inclusisse locum, quæ exclusit.

V. ARISTOPHANES.

SCITUM est illud in antiquo epigrammate, quod Platoni nescio cui Thomas tribuit Magister, sorores Gratias, tres præsides venustatis Deas, quæsivisse templum sibi, in quo, divinis honoribus consecratæ perpetuo colerentur: ac demum pro templo animam Aristophanis poetæ feliciter & commode esse nactas.

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Nunquam casurum cupidæ sibi sumere templum,
Invenere animam Gratiæ Aristophanis.

Magnifica sane laus, & venusto ac suavi poeta digna. modestior quidem & verecundior, quam illa Nævii de se, postquam mortuus est, Romæ oblitos esse lingua Latina loqui: aut hæc Plauti, de se quoque ipso, desiderio quodam sui mœstam comœdiam, orbam scenam, ne risum quidem, ludumque, & jocum, & modos innumerabiles poeticos temperasse à lacrymis. Adde, veriorem & justiorem laudem Aristophanis. Constat siquidem, quo tempore vult Nævius desisse jam Romanos Latine loqui, vix eo cœpisse, atque ab eodem Nævio prima initia, & tanquam incunabula linguæ Latinæ numerari: Plautinos autem & sales, & numeros, qua primum excepti sunt admiratione, & summa laude, & illustri gratia, demum eruditissimo Augusti sæculo excidisse. Atque hunc Aristophanem appellat M. Cicero *facetissimum poetam veteris comœdiæ.* Quæ prædicatio poetæ per summum oratorem, potes intelligere, Balzaci, qualis & quanta sit, si recordari volueris, quid vetus haberet comœdia peculiare ac suum, quove pacto ab ea, quam vocarent novam, differret. His veterem initiis orsam esse Horatius declarat:

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus: multa cum libertate notabant.

Probe vero: siquidem modum tenerent. *Sed in vitium libertas excidit, & vim dignam lege regi.* Mox enim nullo discrimine insontes & maleficos, privatos, & magistratus, ac belli duces aggressi, irridendos præbebant multitudini. Tum & suam, & aliorum vicem cachinnis & petulantia linguæ ulciscebantur, etiam mercede accepta. Nec modo perstringebant quemvis nominatim arbitratu suo: sed personis utebantur veris, inducebantque loquentes ridicula; quo omnis in eas risus converteretur. Porro in turpissimis quibusque rebus efferendis nihil tecti & operti: verum ut personis, ita verbis nudis, & apertis agebantur omnia. Quocirca quæ duæ sunt ridiculi partes aliquæ, maledicentia & obscenitas: hic eæ in domicilio licentiæ, atque in sedibus impunitatis collocatæ. Nec cetera deerant genera ridiculorum: vix ut scurra haberet ultra quo progrederetur, quam quo illi pervenisse videantur. Tametsi quid ego, vix, dico? cum quidem admoneat Aristoteles prudenter, facilem esse distinctionem ingenui & scurrilis joci ex veteribus & novis comœdiis. perinde ac si dicat, tantundem sibi veteres comicos permittere, quantum scurræ solent, quibus nihil unquam nefas sit nec in rebus, nec in verbis, quosque nihil, dummodo aliis risum excutiant, neque pudeat, neque tædeat.

Atque hic habes, Balzaci, ubi vim & facultatem judicandi tuam exerceas ad conciliandum Aristoteli Ciceronem, quorum hic ab antiqua comœdia illiberalitatem, petulantiam, turpitudinem flagitiosam removet, quibus ille, ut vides, eam sua sententia donat. Cicero, *Duplex omnino*, inquit, *est jocandi genus. unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.* Quanquam non cum Aristotele duntaxat Cicero, sed secum ipse pugnat, qui continuo post dicat, facile distingui ingenuum & illiberalem jocum: alterum esse, si tempore fit, ac remisso animo, homine libero dignum: alterum ne homine quidem,

si

si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscenitas. Quis autem non videt genus jocandi profusum & immodestum inesse in Plauto: comœdiam veterem nec ingenuitatem, nec ruborem, nec moderationem ullam præstitisse, vel offensione hominum, vel rerum turpitudine, & verborum obscenitate vitanda?

Sed quid agimus, Balzaci, aut cur tam præposteri in hoc argumento & quæstione sumus? Ostenditur a nobis ex vetere comœdia, quid hominis sit Aristophanes: cum fuerit ostendendum potius ex Aristophane, quid rei vetus comœdia sit. Ubi nunc illius specimen & exemplar comœdiæ, nisi in eo poëta, quem solum ex comicis scriptoribus reliquum habemus, ac ne integrum quidem, sed multo maxima parte & numero comœdiarum imminutum? Quid, quod olim primis temporibus, cum Cratinus, atque Eupolis, aliique ejusdem generis scriptores extarent; nusquam alibi melius veteris comœdiæ perspici forma potuit, quam ex Aristophanis scriptis, qui cum ordine & via & artificio, tum argutiis, & salibus, & facilitate jocandi, longe omnium dux sit atque princeps? Spectetur ergo per se Aristophanes, evolvatur, perlegatur. non dubium, quin ei belle conveniat, quod in nescio quem conferre dicitur isto versu, ἀπὸ γέλωτος εἰς τὸ γελᾶν ἀφίξομαι. ita ridendi occasio captatur undique in Aristophaneis scriptis: aliaque ex aliis ridicula nascuntur: & sunt perpetuæ & contextæ facetiæ: & fit risus ad risum gradus & munita via, ut ab eo per hunc ipsum ad eundem quodammodo eatur.

Quanta, putas, Balzaci, nostris ridicularius cum Aristophane tam effuse ridiculo esse similitudo debet? Magna profecto, communi consilio, eadem voluntate, pari & gemino conatu risus excitandi. Vide vero quam nulla sit: vel potius quanta sit dissimilitudo hujus, atque illorum. Equidem intentam video litem Aristophani, ut est in ejus vita vetere Græca scriptum: cum eum alii Rhodium, alii Æginetam dicerent, quidam etiam Ægyptium; contenderet Cleo, qui postulavit in judicio, civem omnino non esse Atheniensem. Quam a se notam peregrinitatis joco & risu magis, quam justa & legitima defensione depulit, obtinuitque causam, Homerici Telemachi versibus prolatis, in quibus interrogatus de patre puer respondet sane quam simpliciter & ingenue? dicere matrem quidem, ipsum Ulysse natum esse patre: se vero nescire certum: propterea quod nemini suus bene cognitus sit pater.

> Μήτηρ μέν τ' ἐμὲ φησὶ τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
> Οὐκ οἶδ'· οὐ γὰρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.
> *Hunc ait esse quidem patrem mihi mater. at ipse*
> *Ignoro. neque enim notus pater est suus ulli.*

Dubitatum est, ut dico, civisne Atheniensis Aristophanes esset. Verum controversiæ nihil audio fuisse, neque initio, nec postea diu, quin Attice, atque ut dignum cive Atheniensi erat, loqueretur: nec objecisse quemquam hoc illi, aut posuisse pro argumento, quod Attica lingua uteretur parum commode & scienter. Idem Theophrasto, quemadmodum scis, Balzaci, non contigit, qui cum jamdiu viveret Athenis, loqueretur que sic, ut divinitate loquendi nomen invenisset; assequi tamen non potuerit diutina commoratione, & longo usu, colloquioque civium, ut ne videretur hospes aniculæ Atheniensi, neve eo nomine appellaretur. sive quod, ut Tullius existimat, minus pronuntiaret Attice, sive quod, ut interpretatur Quintilianus, nimium Attice loqueretur. Purum sine dubio, & sincerum scriptorem, & vere, & proprie, nec parum, nec nimis Atticum Aristophanem Plato credidit, qui, ut est apud Plutarchum, in suum symposium transtulit ejus comœdiam, nec amicitia Socratis deterritus est, quominus de tanto illius adversario bene existimaret. Quinetiam idem Plato, cum intelligeret esse Dionysium tyrannum Syracusanorum, publicæ rei Atheniensium cognoscendæ percupidum, Aristophanis ad illum poesim misit, eique magnopere auctor fuit, ut legeret: nihil ignoraturum eorum, quæ Athenis geri consuessent. Et Latini divinant quidem, ac loquuntur nullo auctore, cum addunt comœdias missas eo quoque consilio, ut ex iis perciperet Dionysius literas Græcas. Hoc, opinor, Plato vidit, neque negligendum putavit, eam formam Atheniensis reip. scito & Attico sermone expressam, gratiorem regi fore. at de Græce discendo in Græca Aristophanis vita, unde cetera promuntur, nulla mentio. Quanto id firmius, & clarius ad Atticam vim & elegantiam loquendi, qua pollet Aristophanes, ostenderim, quod maximum Orientis lumen, Joannes Antiochenus, cui illud nomen aureum Chrysostomi posteritas dedit, hoc auctore uti & magistro faciendæ & poliendæ orationis non recusarit? Ferunt enim hunc illius comœdias duodetriginta, cum supersint nobis undecim duntaxat, lectitasse studiose, atque etiam pulvillo, cum dormitum iret, subjecisse. perinde quasi & deponeret tantum scriptorem e manibus quamtardissime, & primo quoque tempore repeteret intermissam lectionem. Ex quo dupliciter imitatione & exemplo profecerit. primum ut acer plerumque ac vehemens esset in notandis ac perstringendis moribus, mulierum præsertim: deinde ut perbene Græce loqueretur, faciliusque ac solutius, quam ceteri, verbis explicaret sententias.

Potest igitur Aristophanes, perfector Græcitatis ac magister, in cœlum ferri laudibus, ut non linguæ corruptores & depravatores suæ vituperentur Gelasimi, & pedibus trahantur? aut habent hi, quid respondeant, & quo se nobis probent non dissimiles Aristophanis in jocando & scribendo, non omnino contrarios? Habemus, inquiunt. Usurpavit Aristophanes verba parum usitata: usurpamus. locutionibus usus est nec bonis, nec utilibus ad aliam rem, extra scenam: utimur. in utroque risum solummodo audientium spectavit, atque aucupatus est: spectamus, aucupamur. Ego vero, Balzaci, quin hæc & alia complura ejusdem generis, quæ ne Gelasimi quidem satis advertant, fecerit, nunquam diffitebor. Esto: verba adhibuit non modo parum usitata, sed omnino ante se inusitata: quippe quæ finxerit ipse, & fabricatus sit ad libidinem. Primum diminutiva magno numero, multiplicique forma, ut Σωκρατίδιον, Χαρίδιον, ῥητάριον, βάτιον. Quam nominum diminutionem sive ὑποκορισμὸν postcaquam Aristoteles definiit libro III. rhetoricorum, adjungit exempli loco Aristophanem crebro, eadem

etiam

etiam comœdia, inclusisse, saneque in hoc genere fuisse frequentem, idque cavillandi gratia. ὥσπερ καὶ ὁ Ἀριστοφάνης ἐποίησε ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις, ἀντὶ μὲν χρυσίου χρυσιδάριον· ἀντὶ δὲ ἱματίου, ἱματιδάριον· ἀντὶ δὲ λοιδορίας, λοιδορημάτιον καὶ νοσημάτιον. Deinde composita ex vocibus multis ac sonantibus, ut κομποφακελοῤῥήμονα, ut κωδωνοφαλαροπῶλος, ut σαλπιγγολογχυπηνάδαι, ut σαρκασμοπιτυοκάμπται, ut λεπαδοτεμαχοσελαχογαλεο- & cetera vocis ejusdem, quæ propter longitudinem non exscribo, cum ex ea una voce sex integri fiant versus, ipsa ex partibus duodetriginta confletur. Jam & in choris, ubi multo se altius poeta effert, ac derepente fit e comico quodammodo tragicus; & in actibus, cum sales & risus maxime consectatur; sit sane per me dictio ejusmodi, ut serviat tantummodo scenæ, hisque finibus solis, quamlibet exiguis, contineatur: non valeat in foro ac judiciis: transferri ad humanos congressus civilesque non possit: etiam a familiari & quotidiano sermone, a veritate, & more, & modo abhorreat. Quid dissimulem præterea varias ejus multiplicesque parodias, quas partim ex Homeri, Pindari, Æschyli, Euripidis concinnavit versibus, partim ex diversis aliorum dictis & sententiis; ditexit autem totas ad voluptatem, & levi immutatione verborum vertit in risum? Quid, cum apud eum Persæ, Triballi, Scythæ patria & barbara lingua utuntur? quid, cum Laco, & Thessalus, Græcique alii sua quisque dialecto? Quid, cum iidem omnes Atticissant, sive student illi quidem, & conantur Attice loqui, nec assequuntur tamen; sed corrumpunt & contaminant usu ac tractatione dictionem? Quid, cum voce mulieres verba efferunt non ita literate: & cum agricolæ, qui numquam asty, aut raro viderint, rus propemodum loquuntur? Hæc do libenter adversariis, & eorum, quantum possum, causam adjuvo. quivis ut intelligat, nihil me nec temere dicere, nec astute reticere voluisse: id vero agere, ut bonis artibus ad propositum mihi finem veritatis perveniam, & jus obtineam æquitate defensionis. Hæc igitur concedo, quæ Gelasimi volunt, quoque modo volunt, Aristophanem scripsisse. Sed quid tum postea? illicone discrimen inter hunc, & istos nullum intercedet? Intercedit vero, & maximum quidem, idque positum præcipue in duobus, quorum vel uno lis tota secundum nos decidatur. Prius est in eo, quod Aristophanes, etsi verbis sæpius usus est novis, & a se factis; etsi locutiones adhibuit quamplurimas, solins proprias comœdiæ, quæ nusquam alio traduci queant; etsi cetera, quæ supra sunt a nobis commemorata, frequentavit: omnia tamen fecerit pareius, si cum reliqua dictione comœdiarum, quas ille & magnas, & multas conscripsit, comparentur. Tu vel evolve comœdias, quæ restant, omnes: ne scenam quidem breviusculam sic depravate & corrupte ad jocum elaboratam continentibus verbis repereris. vel unam perlege comœdiam totam: ex vitiis ejusmodi & maculis, quæ identidem toto comœdiæ corpore aspersæ sunt, scenam quoque unam non effeceris. Quamobrem quæ videntur esse multa, si sine comparatione aliorum spectes; revera pauca sunt, & vix partem obtinent millesimam, si cum reliquis conferas. Contra fit a Gelasimis, quos non crebros & multos, sed totos & perpetuos in istis nugis esse videamus. quibus si quid recte & emendate usquam dictum est, illud ignosci profecto debet: siquidem excidit imprudentibus, & invitis, & nihil aliud fere agentibus, nisi ut ineptiis, & vitio orationis placeant. Discrimen posterius in eo consistit, quod, quæ plurima Aristophanes habet proba, & sincera, & vacua erratis, ea sint quamoptima, elegantiæque omnis plenissima, quibus pro norma & regula puri sermonis studiosus quivis & disertus utatur. Itaque legendos oratoribus comicos præceperunt rhetores antiqui, & cum in aliis, tum in omni virtute dictionis imitandos: quodque usurpatum a Chrysostomo illo Joanne supra memoravi, plerique ante eum, postea que fecerunt, ut Aristophanem, hujus eloquentiæ & facultatis principem, e manibus nunquam dimitterent, & ad ejus similitudinem dirigerent stilum, ac formarent orationem. Quæ Gelasimi vero nostri pauca habent non omnino mala, ea sunt ejusmodi, ut nemo imitatione digna putet in scribendo, aut loquendo. Quotus quisque nostrum sumpsit in manus joculares istorum lucubratiunculas, quo sermonem aleret vernaculum multa & diligenti lectione, aut quo pleniorem efficeret ac ditiorem? Quis vel Germanis tradit, vel Britannis, vel aliis Lutetiam visentibus reliquamque Galliam, ut sit eis, unde Gallica lingua discatur? Ac neque ipsi illi cogitent scriptores, aut velint denique accedi ad se, disciplinæ & institutionis causa: sed dehortentur, & deterreant potius; proscribantque libris suis, si opus sit, se ridendi magistros, non loquendi. Quod utinam nemo tam pravis legendis dediscat bene loqui, nemo perperam loqui condiscat. Verum de contage quadam imitationis perversæ, & de periculo inficiendi patrii sermonis, quod certum hic, & præsens arbitror, dicendum postea nobis. Nunc, etsi opportunum est dici; quia tamen non est necessarium, prætenibo ac relinquam.

VI. MENANDER.

ET vetus comœdia quam vim ac naturam habuerit; & Aristophanes in ea princeps, qualis quantusque poeta extiterit, proxime declaratum est a nobis. Eo facilius comœdiæ novæ munus atque officium intelligetur, planiusque constabit, quantum qui ejus principatum teneret Menander, præstiterit fabulis docendis. Nam de media quadam comœdia, atque inter veterem novamque interjecta, de qua video aliquid grammaticos Græcos reliquisse, idcirco non dicam, ne minutiora dicere, neve nihil omittere velle videat. Posteaquam odiosa & invisa fieri cœpisset omnibus ea scribendi libertas & licentia, quam sibi comici veteres sumerent, aliis dolentibus læsis, aliis, ne læderentur, metuentibus: visum est, cum communi malo subveniri aliter non posset, remedium petendum a legibus. Itaque fecit magistratus Atheniensis gravissimum & justissimum decretum, ne quis poeta malo carmine cujusquam famam & existimationem violaret, aut traduceret actor in theatris & spectaculis. Eo decreto ex bi-

nis

nis partibus, quibus tum comœdia constaret, actu & choro, altera, in qua facetiæ asperiores, magisque cum aculeo & maledicto grassarentur, sublata prorsus est. Horatius, *Chorus*, inquit, *turpiter obticuit, sublato jure nocendi*: hoc est, qui per summam impunitatem, & effrenatam licentiam quandam obtrectabat omnibus, summa cum turpitudine & ignominia sua prohibitus est loqui, & coactus obmutescere, rescisso legibus & antiquato jure illo iniquo nocendi. Altera comœdiæ pars emendata dupliciter, & quod nemo deinceps perstrictus sit nominatim, cum nulli antea neque personæ, neque dignitati parceretur; & quod, omissis rebus gestis & veris vivorum & præsentium, fabula primum fingi cœperit, ac pro argumento sumi. In quo cum fuerunt poetæ moderatiores & verecundiores, ad reprehendendum: tum magis poetæ, quorum est fingere proprium, evaserunt. Accessit ad sanctitatem, & reverentiam legis Macedonici, quo tum primum Athenienses tenebantur, imperii timor. Quo fiebat, ut personas comœdi non modo veras nullas inducerent; sed, cum uterentur fictis, diligenter caverent, ne quid imitari & assimilare Macedonicum voluisse putarentur, aut ore miniato suo, & peruncto fæcibus, os cujusquam magistratus, ex ea gente sibi dati, quoquo modo referrent. Nec tamen non tenenti sales a comicis novis, & tam crebri, & tam salsi, quam veterum comicorum. Tantum fel, & virus, & aculeata mordacitas aberat. Neque ulla quærebatur hilaritas, aut occasio lætitiæ ex aperta & insigni obscenitate: amoresque tractabantur caute & operte, honestate salva: & si quid parum pudens & pudicum dici oporteret, vel paucis notabatur tanquam e longinquo, vel obvolvebatur circuitu, ut sola suspicione posses attingere. Sed cum isto utroque compensabatur cura puri & candidi sermonis. quæ hoc etiam major fuit, quo magis cessatum est a dictis trivialibus & sordidis, atque ab omni probro verborum.

Quid his consentaneum & consequens est, nisi ut limis quidem oculis, sed acie mentis acutus Menander, prætereaque stirpe generis, & vita, & oratione splendidus, quem novæ comœdiæ sine controversia principem ferunt fuisse, utraque re valuerit, & Atticis jocis & Attica elegantia? Scripsit is, ut auctor Suidas est, comœdias circiter centum, epistolas ad Ptolemæum regem, sermones alios complures soluta oratione. Quinetiam orationes, quæ Charisii nomine feruntur, Quintilianus ait, recte videri quibusdam eas esse Menandri. Sed idem adjungit, hunc multo similiorem se & propiorem oratori in poeticis, quam in oratoriis præbuisse. usque eo fuit in omni genere scriptionis eloquens. Desiderantur vero nunc & soluta ejus omnia, & adstricta, nisi quod ex versibus sententiosa quædam supersunt, & paucula præterea: ex quibus munditiam Menandri, & elegantem copiam orationis degustemus licet; jocos & facetias non item. Quæ duo tamen agnoscimus peræque testata & celebrata in scriptoribus Græcis ac Latinis. Significanter & diserte Propertius:

Librorumque tuos, docte Menandre, sales.

Illud quoque Plutarchi admodum venustum, in Menandri comœdiis plurimos inesse sacrosque sales, tanquam eo natos mari, unde orta Venus est, atque in lucem emersit, toto corpore undique stillando. Adde quod hi lepores sine offensione cujusquam, nec acerbi & amari, aut stomachosiores: argutiæ nequaquam cum insigni turpitudine conjunctæ. Nam quod Ovidius, caussam suam cum ageret, dixit:

Pagina jucundi nulla est, sine amore, Menandri:

non continuo Menandrum cogimur spurcum & impurum in tractandis amoribus admittere ac fateri. Atque hic hallucinatio nobis occurrit, sane jocularis, & risu digna etiam severiorum. In defensione quadam Aristophanis contra Plutarchum est, qui velit comœdias Menandri non vacare obscenitate: ostendat autem ex eo, quod Menandrum Plinius appellet *omnis luxuriæ interpretem*. Hæccine vero, & hoc sensu Plinius? Bis, o bone, mihi crede, peccas. falso refers: male interpretaris. Plinii verba sunt hæc libro XXXVI. capite 6. historiæ naturalis. *In totum, marmorum apparatum Menander, diligentissimus luxuriæ interpres, primus & raro attigit.* Quid hic luxuries, nisi sumptus, elegantia, curiositas, rarissima & pretiosissima quæque instrumenta luxus? Quid luxuriæ diligentissimus interpres, nisi callidus æstimator, & judex illarum rerum, quæ non tam ad usum & necessitatem, quam ad lautitiam, & delicias, & magnificentiam referas? En quo verbi inscitia deduxerit hominem. Simillimo errore, aut eodem prorsus video teneri eos, qui lasciviam in scriptis elegiacis, heroicis, tragicis, quam adscribit Quintilianus Ovidio, interpretati sunt obscenitatem, & petulantiam: cum lascivies ea nihil revera aliud sit, quam nimia in scribendo fœcunditas & copia nimium omnia sua amantis, nimiumque indulgentis ingenio suo.

Jam de pura Menandri & tersa dictione, & quadam facundia, præter id, quod in paucis reliquis ejus versibus assequi conjectura & suspicione fas est, quæ testimonia possumus afferre locupletiora, quam duorum longe criticis omnibus acumine, prudentia, sedulitate, usu præstantium, qui mihi sunt hoc opere uno idcirco millies appellandi? Et Dionysii quidem Halicarnassei mens hæc est atque sententia, spectandum & imitandum esse cum omnium comicorum τὸ λεκτικὸν, tum Menandri etiam τὸ πραγματικόν: qua duplici voce omnes virtutes continentur orationis. τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμεῖται τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας· Μενάνδρου δὲ καὶ τὸ πραγματικὸν θεωρητέον. Affirmat vero Quintilianus nihil oratores egere ceteris: Menandro vel uno, in quo extant atque eminent omnia insignia dicendi, & qui aliorum luminibus obstruit, ad imitationem contentos esse posse. *Menander*, inquit, *vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta, quæ præcipimus, effingenda sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, & fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit.*

Quæ quamvis ita sint, mirari satis non queo, Menandrum improbatoribus tamen & reprehensoribus suis nunquam, neque ætate sua, neque consecutis, caruisse, jam inde ex quo aliquod nomen in

comicis habere cœpit. Et vero si in quoquam, in isto sane agnoscere, atque experiri licet ancipitem aleam, & variam quasi fortunam judiciorum. Qui primum ab hominibus ejusdem memoriæ non satis pro dignitate acceptus, ac multo minoris, quam quanti erat, æstimatus. Cui Philemon, secundus quidem ab illo, sed tamen secundus, plerumque, per ignorantiam dicam, an per malitiam? antepositus est. Quintilianus lib. X. c. 1. *Philemon*, inquit, *ut pravis sui temporis judiciis Menandro sæpe prælatus est, ita consensu omnium meruit credi secundus.* Et Gellius XVII. lib. 4. cap. *Menander a Philemone nequaquam pari scriptore in certaminibus comœdiarum, ambitu, gratiaque, & factionibus sæpenumero vincebatur. Eum cum forte habuisset obviam, Quæso, inquit, Philemon, bona venia dic mihi, cum me vincis, non erubescis?* Subjungit idem ex Apollodoro, cum centum & quinque comœdias scripserit, in octo solis vicisse. Simul autem ac hominem mors sustulit: sublata quoque invidia morte, obtinuit jus suum, & consecutus est a posteris famam, quam ævi sui injuria, & malignitas æqualium tardaverat. Quintilianus lib X. cap. 1. *Posteris deinde usus est æquioribus.* de quo jam libro III. cap. 7. innuerat. *Quidam, sicut Menander, justiora posterorum, quam suæ ætatis judicia consecuti sunt.* Ac ne Latini quidem huic postea debitas laudes meritasque inviderunt. Quid isto clarius ad commendarionem & præconium Menandri dici potest, quod C. Cæsar Terentium, quem in summis comicis meritissimo reponit, & quem esse vult puri sermonis amatorem, non alterum Menandrum appellet, velut parem aut proximum, sed pusillum Menandrum, atque, ut ejus verbo utar, dimidiatum: quasi qui dimidium tantummodo viri totius, seu virtutum ejus ac laudum omnium obtineret, adeoque esset dimidio minoris æstimandus, quam Menander? Cum vero capite XXIII. toto libri 2. confert Gellius Menandri & Cæcilii locos inter se, quos hic ab illo mutuatus est, atque in Latinum e Græco convertit; nonne Cæcilium, quamvis comœdiarum poetam inclytum, inferiorem & minorem non jam media parte, sed infinitis ferme partibus facit? Universe negat esse parem utriusque venustatem rerum atque verborum. quod minus miror: malus enim auctor Latinitatis est Cæcilius, judice Tullio. Multa speciatim reprehendit in eo & quod quædam exprimere, etiam cum conaretur, non potuerit, & quod quædam corruperit exprimendo. alios quod ad veritatem sinceritatemque verborum Menandri non aspirarit: quod ornatum & facetias non modo non æquarit, sed ridiculum se nonnunquam præbuerit ac frigidum: cumque motus in Menandro, affectionesque animi mirabiliter acres & illustres essent; apud Cæcilium pigra hæc omnia, & a rerum dignitate atque gratia vacua invenirentur. ut qui ex una parte Plotium Menandri videat, ex altera Cæcilii eodem nomine & ejusdem argumenti comœdiam; Diomedis arma & Glauci, aurum & æs videre sibi videatur. Quare quod initio Gellius dixit, comœdias Latinorum poëtarum, sumptas ac versas de Græcis, tales esse, ut, si seorsum legas, nihil melius quærendum putes: at si opponas & committas Græca ipsa, unde Latina profluxerunt; hæc fieri vilia continuo, & sordere incipere præ illis: idem de Cæcilio concludit, cujus cum certa quædam sine comparatione spectas, satis bona existimes, iisque facile contentus sis: cum autem quæ Menandri sunt, collocas e regione; Cæciliana respuas, & aspernere, vixque adduci possis, ut humo tollas jacentia. ceterum sequi Cæcilium non debuisse, quod assequi nequiret. Cedunt igitur Latini Menandro, fascesque submittunt. Quid vero Græci? Incredibile dictu est, quanto hunc opere Plutarchus deprædicet, quoque modo & laudibus ornet suis, & alienis vitiis reddat illustriorem comparando. Itaque non illum modo novæ principem comœdiæ, id quod vulgo existimatur ab omnibus, esse consentit: verum etiam principi veteris comœdiæ Aristophani non dubitat longe anteponere. Quod quo videatur jure ac merito fecisse, quousque, Balzaci, deprimit, & quantum extenuat Aristophanem, & quæ vitia ejus non colligit! ut verba tragici tumoris designat! ut figuras innuit crebriores, & intempestivas, ac frigidas! ut genus dictionis dispar ac dissimile, nec tamen satis conveniens & aptum rebus & personis! cum in Menandro contraria omnia inesse statuat, res lectas, proba verba, leni tractu & æquabili locutionem fusam, decorum ubique summa cum diligentia & pari cum judicio servatum.

At o famæ inconstantiam! o varietatem opinionum atque sententiarum! dejicitur rerum gradu Menander, & qui primas, omnium quasi punctis & suffragiis, obtinebat jam diu, nactus est grammaticos nobiles duos, qui vix eum in secundis consistere sinant, & a quibus inferior haud paulo, quam Aristophanes, numeretur. Audi Phrynichum primo, qui scriptor Plutarcho fere æqualis, certe non seculo toto posterior fuit. Is cum passim Aristophanem nobis inculcar, cui auctoritatem summam debeamus ac fidem in electione judicioque verborum adjungere; nisi si quando per parodiam, aut alia ratione quadam quempiam ludit: tum vero detrahit Menandro, quantum potest, atque insultat, & voces, quibus usus est, quamplurimas ex Atticæ finibus ablegat Alexandriam, aut in Macedoniam, propeque sibilis & convitio explodit e scena. Sic enim ad voces consequentes:

Μεσοπορεῖν· καὶ τοῦτο Μένανδρος, οὐδὲν ἐπιβάλλων γνώμης τοῖς ὀνόμασιν ἀλλὰ πάντα φύρων. *Hoc etiam verbum Menander usurpat, nihil attendens ad nomina, sed omnia miscens.*

Γύργαθος. Τί καὶ τοῦτο Μένανδρος τὴν καλλίστην τῶν κωμῳδιῶν τῶν ἑαυτοῦ τὴν Μισογύνην κατεκηλίδωσεν, εἰπών; *Cur etiam hoc usus verbo Menander optimam comœdiarum suarum* Μισογύνην *maculavit?*

Καταφαγᾶς. πόθεν Μένανδρος συσσύρας τὸν τοσούτων ὀνομάτων συρφετὸν αἰσχύνει τὴν πάτριον φωνήν; Τίς γὰρ δὴ τῶν πρὸ σοῦ τῷ καταφαγᾶς κέχρηται; *Unde Menander ista tot nominum collecta fæce patrium sermonem inquinas? quis enim eorum, qui ante te scripserunt, voce hac* καταφαγᾶς *usus est?*

Κολλυβιστὴς ἐπὶ τοῦ ἀργυραμοιβοῦ. πάλιν ἡμᾶς μολύνων οὐδέποτε ἀναπαύεται ὁ Μένανδρος. ὁ μὲν γὰρ κόλλυβος δόκιμον· τὸ δὲ κολλυβιστὴς ἀδόκιμον. *Rursus Menander nostrum sermonem polluere non desistit.* κόλλυβος *enim vox proba est.* κολλυβιστὴς *vero rejectanea.*

Αἰχμαλωτισθῆναι. τοῦθ' οὕτως ἀδόκιμον, ὡς καὶ μὴ

M--

Μένανδρον αὐτῷ χρήσασθαι. *Hoc usque adeo non est receptum, ut eo ne Menander quidem usus fuerit.* Nullus ex istis, ut vides, locus sine reprehensione, nulla reprehensio sine acerbitate & contumelia verborum. Neque vero tantum improbat Phrynicus Menandrum: sed mirari se dicit approbarores ejus & fautores, viros suæ ætatis tres celeberrimos, eosque ad causam illius suscipiendam ac tuendam, si quo modo possint, provocat. In voce σύσσημον· οὐχ ὁρῶ μὰ τὸν Ἡρακλέα τί πάσχουσιν οἱ τὸν Μένανδρον μέγαν ἄγοντες, καὶ αἴροντες ὑπὲρ τὸ Ἑλληνικὸν ἅπαν. διὰ τί δὲ θαυμάσας ἔχω; ὅτι τοὺς ἄκρους τῶν Ἑλλήνων ὁρῶ μανικῶς σπουδάζοντας περὶ τὸν κωμῳδοποιὸν τοῦτον —— τὸν λέγοντα μεσοπορεῖν, καὶ γῦρος, καὶ λήθαργος, καὶ σύσσημον, καὶ πορνοκόπος, καὶ ὀψωνιασμός, καὶ ὀψώνιον, καὶ δύσεργος, καὶ ἄλλα κίβδηλα ἀναρίθμητα ἀμαθῆ. —— ἄγε οὖν ὅπως λύσῃς μοι τὴν ἐν τῇ τοιᾷδε δυσχερείᾳ τῶν ὤτων ἀπορίαν. οὐ γὰρ περιόψεσθαί σε ἡγοῦμαι ἐρήμους ὀφλόντας (ἔστι τοῦ παιδικοῦ Μενάνδρου. *Non video mehercule, quid sibi velint, qui Menandrum magni faciunt, & Græcis omnibus anteponunt. Quid est autem, cur mirer? Hoc unique causa, quod videam principes nunc Græciæ viros insano quodam studio Menandri ferri.* —— *Qui tamen verba hæc usurpet*, μεσοπορεῖν, γῦρος, λήθαργος, σύσσημον, πορνοκόπος, ὀψωνιασμός, ὀψώνιον, δύσεργος, *aliaque innumerabilia adulterina, & inepta.* —— *Age ergo in re tam difficili omnem mihi dubitationem & scrupulum aurium exime.* Nec tamen ignoravit Phrynicus, cum ista loqueretur, quid sentiret Plutarchus de Menandro, quamque honorifice scripsisset: neque epitomen solummodo, uti nos, sed codicem integrum habuit, in quo contentio quædam & comparatio fit Menandri cum Aristophane. Profert enim nudam ac simplicem, quam etiam reprehendit, inscriptionem, nulla mentione epitomæ. Vocabulo σύγκρισις: Πλούταρχος ἐπέγραψε σύγγραμμά τι τῶν αὐτοῦ, σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου. Καὶ θαυμάζω πῶς φιλοσοφίας ἐπ' ἄκρον ἀφιγμένος, καὶ σαφῶς εἰδώς, ὅ, τι ποτέ ἐστιν ἡ σύγκρισις, ἐχρήσατο ἀδοκίμῳ φωνῇ. *Plutarchus inscripsit*, σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου, *librum quendam suum. Miror autem qua ratione, cum ad summum pervenisset sapientiæ gradum, planeque nosset, quid valeat ἡ σύγκρισις, usus sit non accepto in eam sententiam vocabulo.*

Phrynico Arabio Julius Pollux, æqualis temporum illorum, subscripsit in damnatione Menandri. Apud illum enim usurpatum video, modo, φαῦλον δὲ, ὁ Μενάνδρου ἀκηκοώς. *malum vero verbum Menandri* ἀκηκοώς. modo, παμπόνηρον γὰρ Μενάνδρου ὁ ὀψωνισμός. *malum omnino Menandri verbum* ὀψωνισμός. Tum, ὁ γὰρ μέθυσος περὶ ἀνδρῶν, Μενάνδρῳ δεδόσθω. *non ea* μέθυσος, *de viris quidem, concedatur Menandro.* Perinde ac si Menandro uni fas sit male loqui, aut sane major ei licentia detur perperam loquendi, quam ceteris scriptoribus. Ac semel, quid ei, quoque modo credi oporteat, pronuntiat & statuit his verbis: οἱ δὲ ἐκ τῶν ἀνεψιαδῶν, ἀλλήλοις ἐξανέψιοί τε καὶ ἐξανεψιαί. τοῦτο γὰρ Μένανδρος ὠνόμασεν, οὐ πάνυ τετριμμένῳ χρώμενος ὀνόματι. ὃ ἀεὶ μὲν οὐ χρηστόν, ὡς οὐκ ἀκριβῶς ἑλληνικόν. ἐπὶ δὲ τῶν ἀκατονομάστων, πιστευτέον. ὧν γὰρ ζῴων, ἢ πραγμάτων, ἢ κτημάτων ὀνόματα παρ' ἄλλοις οὐκ ἔστι, ταῦτα ἀγαπητὸν ἂν εἴη, κἂν ποθὲν τούτου λαβεῖν. *Sic enim appellavit, nomine non admodum usitato, Menander. quem sequi auctorem non semper quidem oportet, utpote non accurate Græce loquentem. Sed audiendus tamen in iis, quæ suum nullum habent nomen. Quorumcunque enim aut generum, aut negotiorum, aut possessionum nomina non extant apud alios scriptores, recusare non debemus, quin hæc ab illo sumamus.*

Quid habes tu, Balzaci, dicere de Aristophanis vituperatore Plutarcho; de Phrynico & Polluce, reprehensoribus Menandri: aut contra hanc ambiguitatem opinionum, tanquam fluctuum, quibus in utramque partem Menandri fama jactatur, quid opponis? Equidem non ausim, neque meum puto in præsenti, neque omnino facile, tantas componere lites inter tantos. Solummodo dicam, nec audiri ubique Plutarchum ab eruditis atque sapientibus, eruditum ipsum atque sapientem: & hic, ubi Aristophanem exagitat, videri non constare sibi, qui dicat initio, doctos offendi oratione Aristophanea, capi multitudinem; ad extremum, hanc eandem orationem doctis & indoctis peræque displicere. Phrynicum autem & a Thoma Magistro, critico item & collectore Atticarum vocum, deprehensum in multis ac magnis erroribus: & a Josepho Scaligero ob illam ipsam Menandri reprehensionem & censuram improbatum. *Phrynicus*, inquit, *Menandrum malum auctorem Atticismi esse dicit: cui nos non credimus, & Menandrum plus in Atticismo vidisse, quam Phrynicum, certo scimus.* Animadverti ego certe ab eo male negari, σύγκρισιν esse probam vocem, quam Dionysius quidem Halicarnasseus, haud ignarus, opinor, bonitatis verborum, in illa sua comparatione Platonis & Demosthenis, sæpius eademque sententia usurpet. Nam quod Menandri vocabula quædam Julius Pollux quoque repudiat ac spernit; magis me moveret illud, si non idem multa Herodoti, Æschyli, Platonis, aliorum præstantium scriptorum condemnaret. Sed nimium nos diu, præsertim ad reliqua festinantes, Menander moratur. Habuerit pura, venustaque, & Attica omnia: nihil tale est Gelasimis nostris. Exciderit Macedonicum, aut Alexandrinum, aut quid aliud peregrinum imprudenti atque invito: nostri Gelasimi quæcunque peccant, scientes volentesque peccant.

VII. THEOCRITUS.

Personas vulgares in scenam comici inducunt atque infimas; cujus humilitatis insigne soccum videmus: sed personas tamen e plebe urbana fere, quæ non modo astu viderint, ut ille loquitur, sed etiam oppida frequentent & incolant assidue, versentur cum multitudine, atque in civibus ipsæ numerentur. Contra qui bucolica scribunt, accersunt ex agris, locisque solis, quibus aptam & congruentem orationem affingant, & pastores utplurimum e caula & septis adhibent, atque in medium producunt. Quo illi poetæ convenientius videntur facturi, si ut ruri sermo haberi solet, ita ab suis haberi pastoribus curent: & quemadmodum rustici quamplurima efferunt perperam, ut alia prope uti lingua, atque urbani videantur; sic in bucolicis,

 ubi

ubi res tractant suas, id est rusticas, rustice quoque loquantur ex parte, neque omnino ab instituto suo discedant. Quid igitur Theocritus; siquidem is nobis præcipuus ex Græcis, ac fere solus relictus est bucolicorum scriptor; quænam scripsit? quo scripturæ genere ac modo? scripsit poemaria quædam breviora, quæ veteres Græci scriptores, & Latini Quintilianus ac Gellius, cum de iis loquerentur, aut proferrent inde aliquid, bucolica appellarunt. quo modo si sua ipse Theocritus opuscula non inscripsit, ita inscribendi certe præbuit causam, qui carmen suum sæpe bucolicum, & Musas dixerit bucolicas. Nam idylliorum, quod Isidorus opus paucorum versuum interpretatur, credo, propter diminuentem formam, recentius vocabulum est: & varias imagunculas, seu ideas rerum diverse ac breviter expressas sonat. Itaque apud Ausonium breviuscula quædam numero viginti legere licet inscripta idyllia: ut & ipse Platonis symposio in ephebos epyllia nominavit. Theocriti autem eclogas sæpenumero Servius usurpat, neque unquam aliter, & primus veterum, quod sciam, & solus. Quas esse vult tantummodo decem numero mere rusticas: cum aliæ præterea viginti lucubratiunculæ ab eodem Theocrito conscriptæ, aut mixtæ sint, aut nihil omnino rusticum & agreste habeant. Has porro decem, quæ proprie simpliciterque rusticæ sint, internoscere ac distinguere a ceteris non magnum, ut mihi quidem videtur, negotium: neque fuit, quod quisquam æstuaret in dijudicandis istis & suo quaque loco recensendis. Etenim quæ primæ decem se offerunt legentibus, eæ solæ rusticæ videri debent ex personis, rebusque rusticis. & ipse Græcus interpres editus separatim, eodem quoque ordine editus primum est. Neque decimam eclogam putaverim eximendam numero rusticarum, propterea quod ad messores tota pertineat. Est illa quidem non pastoritia, sed non continuo non rustica. Undecimam vero, in qua amores tractantur Polyphemi, sextæ, quæ in eodem argumento versatur, merito annumeres, proque una duas habeas: ut ne sic quidem rusticæ admittantur amplius decem. Ratio quoque bucolici carminis multo severior & adstrictior, quam heroici, ut Donatus, Terentianus, Servius, nobiles grammatici docent, satis superque indicat attendentibus, quænam & quot reponenda in numero sint bucolicorum; quibus hoc adimi nomen oporteat. Sed de ista severitate, & peculiari lege versuum dicetur paulo post in aliam rem. Dico nunc illud, Theocritum bucolica, idyllia, eclogas, easque vere & proprie rusticas, conscripsisse decem duntaxat.

Verum quo pacto conscripsit? hoc enim sequitur, ut quæram. Simpliciter sine dubio, & rustice. Est, ut omnes norunt, BALZACI, simplicitas quædam puerilis in loquendo, quod minor sit ætas, necdum disciplina & usu rerum formata. muliebris, quod infirmius consilium, nec omni ex parte perfecta prudentia. alia aliorum complurium, quod obtusior mens, ac ratio, minusque intelligens judicium. Sed extat & apparet in primis rustica simplicitas ejus, qui nihil legerit, nihil viderit, nihil acceperit, vivat in solitudine semper, & locis remotis, atque inter pecudes, tantum non ipse pecus. Hæc illa nimirum vera germanaque forma, & character bucolici carminis, maximeque Theocritici proprius. de quo arbitror Quintilianum aperte & significanter locutum in libro X. capite primo institutionum oratoris. *Admirabilis*, inquit, *in suo genere Theocritus: sed Musa illa rustica & pastoralis non forum modo, verum etiam urbem reformidat.* Quid Donatus vero? In bucolicis Virgilii neque nusquam, neque ubique aliquid figurate dici: cum Theocritus simpliciter omnino conscripserit. Quid Servius? *Theocritum ubique simplicem esse: Virgilium necessitate compulsum, aliquibus locis miscere figuras. personas in bucolicis rusticas esse, & simplicitate gaudentes: scilicet a quibus nihil altum debeat requiri. unde nihil in his urbanum, nihil declamatorium invenitur: sed ex re rustica sint omnia, negotia, comparationes*, & si qua sunt alia. Quid Probus? *Bucolica Theocritum facilius videri fecisse, quoniam Græcus sermo sic videtur divisus, ut Doris dialectos, quam ille scripsit, rustica habeatur.* Quid Hermogenes? ὁρᾷς ὅσον τὸ ἀφελὲς τῆς γνώμης; καὶ μὴν καὶ τὸ, Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα, καὶ ἁ πίτυς αἰπόλε τήνα. Καὶ τὰ πολλὰ τῶν βουκολικῶν, ἵνα μὴ τὰ πάντα λέγω, τοιαῦτά ἐστι. *Vides, quam simplex ea sententia sit? Quin hoc quoque:*

Illa etiam dulcem strepitum, capraria, pinus.

Ac pleraque in bucolicis, ne dicam omnia, sunt ejusmodi. Quæ cum declarent universe, rusticam simplicitatem certam & quasi naturalem notam esse bucolicorum, qua Theocritus factus sit insignis, longeque ceteris poëtis excellat: tum rustica hæc simplicitas, quantum investigare & assequi potui, sex rebus præcipuis cernitur.

Primum omnium in rusticam simplicitatem cadit, quod multa minuta & leviuscula dicantur in idylliis quamfamiliariter, & citra ullam necessitatem argumenti: quæ qualia sint, facilius exemplo declarari, quam exprimi verbis potest. Idyllio IV inter eundum Battus incidit in spinam, & læsit pedem sub malleolo. quid exilius magisque frivolum, quam quod & ipse loquitur, & Corydon?

Θᾶσαί μ', ὦ Κορύδων, ποτὶ τῶ Διός. ἁ γὰρ ἄκανθα
Ἁρμοῖ μ' ὧδ' ἐπάταξ' ὑπὸ τὸ σφυρόν. ὡς δὲ βαθεῖαι
Ταὶ ἀτρακτυλίδες ἐστί. κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο.
Εἰς ταύταν ἐτύπαν χασμεύμενος. ἦ ῥά γε λεύσσεις;

ΚΟΡΥΔΩΝ.

Ναὶ ναί, τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω γέ νιν. ἅδε καὶ αὐτά.
Εἰς ὄρος ὄκχ' ἕρπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε·
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

Idyllio VIII. fistulam Daphnis compegit manu sua. quid minus necesse fuit dici, quam quod adjungit, etiamnum digitum sibi dolere, & illum, quem monstrat, digitum; & calamum scissum id fecisse vulneris, ex quo doleret?

Πρώαν θην συνέπαξ' ἔτι καὶ τὸν δάκτυλον ἀλγῶ
Τοῦτον, ἐπεὶ κάλαμός με διασχισθεὶς διέτμαξεν.

Eodem idyllio lupum, canem Lampurum, oves compellat Menalcas sic, ut nihil possit rusticius simpliciusque.

Φείδευ τῶν ἐρίφων, φείδευ λύκε τᾶν τοκάδων μευ.
Μηδ' ἀδίκει μ', ὅτι μικκὸς ἐὼν πολλαῖσιν ὁμαρτῶ.
Ὦ Λάμπουρε κύον, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει τυ;
Οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι βαθέως σὺν παιδὶ νέμοντα.

Ταὶ

Ταὶ δ' ἔϊες, μηδ' ὔμμες ὀκνεῖθ' ἁπαλᾶς νομὸν ἐσθεῖν
Ποίας ὅτι καμεῖσθ', ὅκκα πάλιν ἅδε φύηται.

Est rusticæ quoque simplicitatis comparatio aut similitudo multiplex, ab agris petita, iisque rebus cunctis, quæ sunt agrorum & agrestium. Primo statim idyllio;

Ἅδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς
Τῆν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

In octavo plena istiusmodi similium omnia.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν· ὕδασι δ' αὐχμός.
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ. ἀγροτέροις δὲ λίνα.
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Et, Ἁδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα.
Ἁδὺ δὲ χὠ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χὰ βῶς.
Ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν·
Τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
Τᾷ βοῒ δ' ἁ μόσχος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

Tum, Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

Et, Ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη, καὶ ἀνάλατο, καὶ πλατάγησε
Νικάσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἅλοιτο.

In idyllio nono. ἔχω δέ τοι οὐδ' ὅσον ὤραν
Χείματος, ἢ νωδὸς καρύων, ἀμύλοιο παρόντος.

Item, Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
Ἴρηκες δ' ἴρηξιν· ἐμὶν δ' ἁ μῶσα καὶ ᾠδά·
Τᾶς μοι πᾶς εἴη πλεῖος δόμος. οὔτε γὰρ ὕπνος
Οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
Ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι.

Nec vero idyllium temere reperias ullum omnium, quæ apud Theocritum legere licet, in quo non offendas ejus generis comparationum & similitudinum aliquid. Quæ quidem omnia, ad hunc modum comparate & per similitudinem dicta, ita sunt propria ruris, ut nemo, nisi rusticus, usurpare audeat, etiam in familiari & quotidiano sermone.

Jam ab hac eadem rusticitate quis non intelligit proficisci trita quædam proverbia, & sententiolas aliquot, non alicunde ex abdito erutas, sed vulgares ac de medio sumptas?

Idyl. δ'. Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Idyl. ε'. Μὴ σπεῦδ'· οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι.

Ibidem. ἴδ' ἁ χάρις ἐς τί ποθέρπει.
Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥς τυ φάγωντι.

Idyl. ι'. Μηδὲ ξυμβαίη χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι.

Ibid. Κάλλιον ὦ 'πιμελητὰ φιλάργυρε τὸν φακὸν ἕψειν,
Μὴ 'πιτάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.

Idyl. ια'. Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε. τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Virgilium equidem animadverti parce & raro usum fuisse sententiis in Bucolico carmine: immo sententias in decem eclogis interposuisse duas sollummodo.

Trahit sua quemque voluptas.

Et. *An qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.*

Atque etiam, ut Servius refert, notatum a criticis, *quod sententiam illam priorem dederit rustico supra bucolici carminis legem, aut possibilitatem.* Verum criticis istis nescio quibus, pace eorum dictum sit, minus, quam Aristoteli, assentior, a quo observatum videmus, id quod usus quoque quotidianus comprobat, sententiis frequentissime communem agrestium sermonem uti. ἁρμόττει δὲ γνωμολογεῖν, ἡλικίᾳ μὲν πρεσβυτέρων. περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔμπειρός τις ἐστίν. ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικοῦτον ὄντα γνωμολογεῖν, ἀπρεπὲς, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν· τὸ δὲ περὶ ὧν ἄπειρος, ἠλίθιον, καὶ ἀπαίδευτον. σημεῖον δ' ἱκανόν· οἱ γὰρ ἀγροῖκοι μάλιστα γνωμοτύποι εἰσί, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται. *Sententiose loqui convenit & provectioribus ætate, & de iis rebus, quarum ipsi periti sint. Quare cum dicere sententias, sicut & fabulas componere, dedecet eum, qui id ætatis non sit: tum vere stulti est & ineruditi de iis dicere, quæ ignoret. Hujus rei argumento esse potest, quod rustici homines fabricatores sententiarum sint maxime, easque facile usurpent in sermonibus.* Quem locum, BALZACI, quomodo interpretaris? itane, ut vulgo accipi solet ab omnibus, rusticos, quamvis ignaros, componere sæpenumero solere sententias: id quod est argumentum temeritatis & inscitiæ. Quæ profecto interpretatio non procedit, nec ad mentem & propositum quadrat Aristotelis: ut iidem sint crebriores sententiarum frequentia, qui rerum imperitiores; γνωμοτύποι & ἄπειροι. Quid si vult contra, experientissimos quosque & usu peritissimos, maxime idoneos & proclives esse ad excogitandas sententias, & pronunciare solitos: ob eamque causam rusticos sæpe hoc & libenter facere, quod usum rerum majorem & notitiam habeant? Cui enim dubium, quin multa de segetibus, de pratis, de vineis, de arboribus, de omni pecore & natura animantium, quæ cognitio latissime patet, sint rusticis, quam urbanis, notiora? Atque hanc expositionem meam confirmat vetus interpres rhetoricorum Aristotelis, qui, ubi habetur, οἱ γὰρ ἀγροῖκοι μάλιστα γνωμοτύποι εἰσὶ, addit ipse, γνωμοτύποι εἰσὶν, ἤτοι πολύπειροι· καὶ διὰ τοῦτο ῥᾳδίως γνώμας ἀποφαίνονται. *rustici in sententiis multi. quippe qui magna experientia, & multo usu prædiri, atque ob id sententias facile proferunt.*

Quartum quiddam rustica simplicitas amat & sequitur, altercationes, jurgia, contumelias, quæ & plurimæ intorquentur inter pastores, & gravissimæ. Quid aliud expectes a bubulcis, & caprariis, aut quid magis decet mores duros & agrestes, qui nullo metu ingenuo & liberali, nulla decori honestique reverentia teneantur? Sane quidem ejusmodi homines tam faciles & proni ad exardescendum iracundia & stomacho, quam Theocriticus ille Pan eorum Deus, qui ἐντί γε πικρὸς, Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται; cumque ne tacere quidem didicerint, id quod animo sentiunt, & lingua promptum habent, neque ullo se genere conviciorum abstinent, quidvis audire & loqui parati. Rem verbo tangunt grammatici illustres duo, Hesychius & Festus. ille: βουκολία, κακολογία. hic: bovinatur, conviciatur. Quamobrem probra nostri & maledicta maxima merito appellant, *des injures de bouviers.* Eodemque pertinet illud Aristophaneum, ἄγροικός εἰμι· τὴν σκάφην, σκάφην λέγω. perinde quasi vocare proditorem, veneficum, parricidam, nihil aliud sit, quam simpliciter ac sine circuitione loqui, & suo unamquamque rem nomine notate.

tare. Horum illustre specimen & exemplar apud Theocritum habes quinto idyllio, in quo, ut in communi vita persæpe fieri solet, miror, post tantam amaritiem & inclementiam verborum, rem non venire ad manus, atque pugnam. usque eo Comatas & Lacon altercando procedunt, atque inter se certant conviciis.

Verumenimvero cum omnis levitas amatoria plurimum habeat ineptiarum; tum nihil est quidquam tam, quam amatio rusticana, ineptum. Atque hoc quantumcunque est rusticæ simplicitatis Polyphemus pastor obtinet. in quo Theocritus argumento tum sexto idyllio, tum undecimo præcipue lusit, ut sic dicam, amabiliter. Galateam nympham is Cyclops amabat sic, ut ex amore illius sanus non esset. Quis vero quam? hoc enim utrumque scire interest, ut constet, quam recte uterque, hic amando, illa fastidiendo fecerit. Polyphemus igitur, materculæ suæ festivus filius, quam bellus & elegans amator? Statura justa & decenti? Qui inter alios Cyclopas, Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes, arduus ipse, altaque pulsat sidera: & cujus, cum jam medium mare ingressus esset pedibus, necdum fluctus latera ardua tinxit. Delicatus ac tener lacertis & lateribus? Qui facile partem avulserit montis ex ipso monte, eamque in mare conjecerit quamlongissime. qui item foribus antri vectem & repagulum admoveret, quod duo & viginti currus, quaternis quisque rotis, ne solo quidem tantulum moverent. Vir minimi cibi? Qui, super incredibilem copiam lactis & caseorum, quod illi diurnum suum & quotidianum quasi demensum erat, duo corpora virorum, caput, membra, viscera ipsa cum ossibus, cruda omnia semel vorarit. Nam de vultus atque oris pulcritudine ipsi viderint callidi formarum spectatores, quanta fuerit, eamque perpendant existimationibus ac judiciis suis. dicam modo, qua specie & figura fuisse dicitur, sive formosus extiterit, sive deformis. Unus illi oculus erat. non quo modo luscis est, qui cum altero capti oculo, altero videant, produnt egestatem quandam suam, atque ex eo, quod una parte adest, in altera desiderari aliquid admonent. Unde ductus est ex ambiguo jocus in Sextium luscum: Cœnabo apud te: uni enim locum esse video. uni, id est, convivæ: cum de uno item oculo, quo Sextius careret, cogitari vellet qui hoc dictum dixit Appius. At vero is unus Polyphemi oculus mediam faciem obtinebat, sic ut nihil deesse sentires. Mediam faciem cum dico, intelligi placet mediam sub fronte partem, quæ ab utroque tempore abest ex æquo quem situm & positionem distincte Virgilius notavit verso uno: lumen *ingens, quod torva solum sub fronte latebat*. Quamobrem vera & propria sedes & quasi fundus oculi unius istius Cyclopei ibi demum fuit, ubi apud nos & oculi duo, & μετώπιον, ac μεσόφρυον, discrimen seu intervallum commune oculorum. Atque ita μονόφθαλμος, non ἑτερόφθαλμος Polyphemus. adeoque errant cælatores & pictores dupliciter, & quod in fronte medium, ut poni oportuit, lumen ejusmodi ponant, & quod relinquant præterea duobus oculis locum. Erit igitur ex Virgilio Ovidius interpretandus, cum ait: *Unum est in media lumen mihi fronte* ut media frons pars sit ea frontis, quæ pari utrinque intervallo respondeat temporibus: media quidem, quod ad latitudinem pertinet: extrema autem, seu infima, si altitudo spectetur. Uni oculo unum & hirsutum, & longum supercilium prætexitur, quod ab aure usque ab aurem pertineat. Ut oculus autem fronti subest, ita oculum nasus excipit, a summo depressior, ab imo latior & diductior, omninoque simus, qui labris incubat crassissimis. Nec dubium, quin his formæ leporibus & rictus oris respondeat, & serrati dentes, quos nudat quasi ringendo, & vox ipsa, & ratio cantus, cum fistulam etiam adhiberet, aut inflaret tibiam, aut nervos in fidibus pelleret digitis: homo non pectore modo & ventre, sed lacertis & manibus ad ipsos usque ungues hispidus ac villosus. Jam Cyclopis, Dii boni! quam bella saltatio, id si egerit, aut movere se voluerit mole sua ad numerum, ut revera se movit, præsertim suadente vino vel Ulyssis, vel alio. quam postea saltationem sunt in ludis imitati Græci & Romani, ut Cyclopa saltarent. De Galatea autem nihil habeo dicere, nisi quod, quamvis pulcherrima Nympharum maris fuisse videatur, quæ candore lacteo excelluerit inter æquales, a quo etiam nomen invenit; vix tamen fieri possit, ut tam formosa, quam Cyclops deformis fuit, esset. Et certe Philostratus, præter eximium illum candorem, attribuit & admirabiles oculos, & genas suaviter fulgentes, & venustatem reliqui corporis quandam. Apud Lucianum contra Doris adimit omnia, præsertim nativum ruborem, candore solo relicto: quem etiam salse irridet, cum dicat idcirco Polyphemo probari, quod lacti caseoque pastor assuetus, quæ sunt istis albo colore similia, pulcra putet.

Nunc audire juvat, quas huic Galateæ blanditias dicat plenus amœnitatum venustatumque amatorculus. Principio splendidis utique & honorificis verbis, ut dignum fuit regia Polyphemi, hoc est, antro & stabulis, appellat, caseo candidiorem, teneriorem agno, vitulo lasciviorem, nitidiorem, vel, ut Theocritum Philostratus interpretatur, jucundiorem uva recenti, necdum matura. Tum fatetur & agnoscit, quæ celare aut tegere nullo modo potest, de supercilio, de oculo, de ceteris. Verumtamen si minus formosum, divitem se esse, cumque isto qualicunque formæ damno mille oves, lac optimum, caseum, quem omni anni tempore mustum habet, compensare. Tametsi hunc alio apud Theocritum loco formæ suæ nihil pœnitet. *Certe*, inquit, *non sum, ut esse dicor, informis. me nuper in mari, cum tranquillum esset, inspexi. pulcra mihi, meo judicio, barba: pulcher ocellus. dentes porro candidi instar Parii marmoris, quantum quidem unda ostendebat.* Quod si forte tibi, χαρίεσσα κόρα, τὸ φίλον γλυκύμαλον, videor hispidosior; en ligna quercna, en vivus ignis sub cinere. quid moræ est, cur pili mihi candente carbone non adurantur? Etiam aduri cor a te meum, & hunc unum, quo nihil mihi dulcius est, oculum facile patiar. Quoniam autem donis paratur amor, fovetur, atque augetur; quæ tandem munera Polyphemus, digna se, digna Galatea mittet? quæ destinat ac promittit? Lac, & caseos, quibus illa concolor est? Nequaquam. Agnam, aut

aut hœdum, aut vitulam, quibus hic pastor abundat? Minime. Quid igitur? Huic undecim servat alitque hinnulos, & catulos ursorum quatuor, villis, opinor, & horrore pilorum, domini non admodum dissimiles. Præclaræ vero feræ, quibuscum se dulcissima puella oblectet. ut quoties intuetur ac tangit, si modo tangere audet, toties ei veniat in mentem amatoris tam hirsuti, tam ferini. Nec in rusticis ineptiis non pono, quod habere branchias, adeoque fieri piscis vehementer optet; quo sit ei facilis aditus ad Galateam, enatet quamprimum ad hanc, simulque vivat in aquis, ac demum usu experiendoque cognoscat, ea vita quantæ sit voluptati. Quanquam sunt ista omnia omnium amantium vota, & somnia, & deliria, nec rusticorum magis, quam urbanorum, qui quidvis fieri non recusent, ut apicula, ut pulex, ut annulus, ut epistola, ut fuum, quodcunque dederint, aut miserint, donum; dum propius accedant ad amatas, conspiciant coram, una sint assidue ac versentur. Sed illud sine controversia αἰσχυνηλὸς ᾗ ἀφελὴς, quemadmodum observat in hunc locum scholiastes, & loquitur. Amanti perdite & furiose Polyphemo Galatea non solum non respondet in amore, verumetiam fastidit, nauseat, aversatur. Cujus rei causam Polyphemus modo dicebat esse deformitatem suam, & vere dicebat. nunc omnem culpam confert in suam matrem, quæ se amicæ non conciliarit, nec satis commendarit, nec singularibus verbis egerit de se apud eam, ut potuit. quippe quæ nympha & ipsa maris pariter cum ea degeret ætatem sub aquis. At hanc matrem, ne metue, probe ulciscetur, sic male de se meritam. simulabit morbum: caput sibi & pedes dicet dolere. quod ei, si quem maternum sensum habet, ægre sit. Ista oratione quid à quovis dici rustico, aut fingi potest inanius ac stultius? Nisi si hæc, & horum similia, quæ mirum quantum rusticitatis præ se ferant oratione Græca, me Latine dicente fieri minus rustica incipiant, sintque ex eorum genere, quæ Gellius e Græco in Latinum converti & debere, & posse neget.

Sequitur sextum rusticæ simplicitatis quasi caput, error & inscitia, per quam pastores quædam dedita opera inducuntur locuti, quo magis ij, qui sunt, id est, illiterati, rerumque & historiæ rudes & ignari esse videantur. Deprehendit hoc in Theocrito Servius, qui Virgilium idem ait fecisse exemplo & auctoritate Theocriti. *Plerique*, inquit, *Actæo Aracyntho, Atheniensi accipiunt, non quod Aracynthus apud Athenas est: sed ut ostendatur rustici imperitia. Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter, quam res habeat, dicit. Hac ratione potest & Oaxis, Cretæ fluvius accipi: cum Oaxis sit, ut diximus, Mesopotamiæ.* Quæ vero plurima Theocritici pastores quasi per ignorantiam, aut per simulationem non intelligendi, falso dicant, nondum inventus est, qui collegerit: etsi observationes, emendationes, lectiones, scholas habeamus in Theocritum eruditorum ac diligentium scriptorum. Et colligerem ego, BALZACI, nisi sæpe longior jam fuissem: & sim forsan longus in aliis necessario futurus.

Neque peccavit Theocritus simulata rerum ignoratione tantum, sed vitio quoque sermonis quæsito de industria, in quo se præcipue rusticum gessit: siquidem vere Gellius, *Quod nunc*, inquit, *barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis, non barbarum esse, sed rusticum: & cum eo vitio loquentes, rustice loqui dictitabant.* Notant autem grammatici & interpretes Græci interdum ἀκυρολογίαν in Theocrito: sæpe etiam ἀνακολουθίαν. quæ duo sunt vitia sermonis vel sola, vel maxima & præcipua. Iidem hunc volunt a Sophrone populari suo, scriptore lepidissimo mimorum, mutuatum fuisse cum res & scite cogitata quædam, tum verba aliquot, & locutiones totas; itemque consilium, & voluntatem, ac licentiam discedendi aliquando a legibus grammaticæ. Quod nunc, ut opinor, magis diximus, si plura Sophronis superessent, cujus reliquias tenues & exiguas, neque uno loco, habemus. Ut vero hic apud Græcos mimographus non putavit esse alienum concinnitate sua, βαρβαρίζειν nonnunquam & σολοικίζειν: ita Marylus nescio qui, apud Latinos ejusdemmodi scriptor, non dubitavit præter normam & regulam sermonis facere, ludendi & ridendi causa. quod Servius ad vocem, *ile* & *ilia*, observavit: *Marylus*, inquit, *mimographus contempsit artem ad jocum movendum, & parasito dixit, Tu, ut Hector ab Ilio nunquam recedis. cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen: nam, ab ile, debuit dicere.*

Sed leviter & longo intervallo Theocritus orationem suam maculis aspersit istis. Perenne illi ac perpetuum fuit sermone Dorico uti, qui sermo proprius est rusticorum, quemadmodum ex Probo grammatico supra posuimus. Ex quo idem Probus efficiebat, multo difficilius Virgilio fuisse, quam Theocrito, scribere eclogas: propterea quod apud Latinos nulla ejusmodi linguæ & locutionis varietas, quam Græci Διάλεκτον vocant, nullus peculiaris agrestibus præcipueque destinatus sermo. *Opportunum*, inquit, *fuit ei, qui pastores inferebat, ea lingua, Dorica & rustica, disputasse. Virgilio tanto factum opus majus, quanto una lingua loquens, sensus rusticos aptare elaboravit, sine reprehensione sermonis.* Illud profecto non potest præter cetera non videri rusticanum, quod amant Dores, & quo maxime ab Græcis aliis distinguuntur, usus alpha literæ vastioris frequentissimus. Quæ causa est, quamobrem isti rustice os diducant, atque hiando pronuncient, adeoque πλατειάζειν omnia dicantur. Quidam apud Theocritum, Alexandrinus, ut mihi videtur, Syracusanas mulieres, quæ sacris Adonidis intersint Alexandriæ, redarguit, quod inani & profusa loquacitate sua obstrepant, πλατειάσδοισαι ἅπαντα. In quem locum scholiastes, οἱ Δωριεῖς πλατυστομοῦσι, τὰ α πληθύνοντες. Et Hermogenes libro 1, cap. 6. περὶ ἰδεῶν: ὁ γὰρ Θεόκριτος ἀχθόμενόν τινα πεποίηκε διαλεγομέναις γυναιξὶ, διὰ τὸ πλατύνειν τὴν φωνὴν τῷ α τὰ πλεῖστα χρωμέναις. Par & simile quiddam Crassus in tertio de oratore loquitur primum de L. Cotta. quod idem C. Cottæ deinde, & Sulpicio objicit. *Tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguæ, sonoque vocis agresti, & illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.* Et paulo post: *Quare Cotta noster, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut iota literam tollas, & e plenissimum dicas. non mihi oratores antiquos, sed messores videris imitari.* Quid illa

C.

C. Cottæ lata, nisi πλατεῖα, quæ Dores omnia Demetrius quoque Phalereus perhibet loqui? πλατεῖα λαλεῦσι τὸ πᾶν γὰρ οἱ Δωριεῖς. Quod vero Sulpicius, i sublato, cujus est sonus exilior, e, quod est per se vocalius, retinet; nonne hoc more Dorum facit, qui ἐξ ἀφαιρέσεως ὑμὲς pro ὑμεῖς, λαβῆν pro λαβεῖν, & similia efferre soleant? Quare cum Theocriti poesis sit ejusmodi, totque nominibus & modis rustica & simplex; respondet universa orationis forma partibus singulis, multoque est minor & suppressior, quam aut infimum genus oratorum, aut communis & quotidianus urbanorum sermo. Itaque qui Theocritum versari aut Virgilium dicunt in infimo genere dicendi, cum bucolica scribant; rem illi quidem dicunt, sed ex parte tantum, & quadamtenus. Propius abiint a vero, si minutius partiantur, certosque distinguant gradus: ut, quemadmodum in urbibus aliorum alius est sermo, rudis & indoctæ plebeculæ ut plurimum corruptior, primorum civitatis sanus & integer; ita ex agrestibus bubulci, opiliones, caprarii, quam villici aut coloni, loquantur rusticius.

Vides, BALZACI, tandem, quam multa concurrant, ut Bucolicis Gelasimi similes esse videantur. Non sunt tamen, mihi crede: non sunt. Quanquam nolim mihi credi: habeatur modo manifestæ & confessæ veritati, gravissimisque & locupletissimis testibus fides. Nec te multitudine obtundam minimarum dissimilitudinum. duo contraria duobus contrariis opponam, quæ rem conficiant. An est quidquam liberius ac licentius ea ratione versuum, quam joculatores nostri sequuntur? Nihil profecto. nam & extrema duo, quæ concludi oportet pari sono vocis, rectene concinant inter se, non admodum attendunt: &, media quo decurrant modo, etiam minus curant; dum qualiscumque numerus constet syllabarum, nec discors omnino & incompositus ad aures accidat. Contra bucolici carminis quam duræ leges! quæ angustiæ! quanta in eo religione versatus Theocritus! quanta constantia! Vult Terentianus carmen hoc pastorale ex tetrametro absoluto jam & perfecto constare, cui pedes ad extremum duo connectantur. Donatus, *Non erit*, inquit, *bucolicus versus, nisi in quo pes primus partem orationis absolverit, & tertius trochæus fuerit, & cæsura, & quartus pes dactylus magis, quam spondæus, partem orationis terminaverit, quintus & sextus pes ex integris dictionibus fuerit.* Hæc eadem fere ex utroque sunt a Servio inculcata. Qui nos rursum auctores admonent, quam stricte hæc Theocritus, difficilia licet, quamque anxia & superstitiosa cum sollicitudine, & perseverantia observarit: Virgilium vero, quamvis alias ubique persecutum Theocriti vestigia, hic ab isto discessisse, tamque raro præceptis his prosodiæ paruisse, quam sæpe eadem Theocritus & diligenter tenuerit: prætermisisse porro id totum non contemptu ullo aut despicientia, sed desperatione; utpote operis difficultate victum. Est deinde Gelasimorum in male loquendo negligentia quædam laboriosa & diligens: perpetua peregrinitas & insolentia verborum: crebra & multiplex inconsequentia sermonis. id amant, id suscipiunt, id profitentur tanquam artem suam: eo proprie & vere Gelasimi sunt, seque esse volunt. Cum se Theocritus ubique, si a paucis quibusdam, extrinsecus & peregre petitis, discesseris, accuratum & emendatum scriptorem præstiterit. Nec auctorem dicti mei laudare possum Longino rhetore magis idoneum. Is de Theocrito, καὶ τοῖς βουκολικοῖς, πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν, ὁ Θεόκριτος ἐπιτυχέστατος. *& in bucolicis, extra pauca quædam externa, & e vulgo sumpta, felicissimus est Theocritus poeta.* Quomodo felicissimus? etiamne felicior, quam Homerus? Etiam. Cur ita? Quia non tam opportunum offensioni humile dicendi genus Theocriticum, quam sublime Homericum: scriptio Theocriti castigatior, & mendosa minus, quam Homeri. Eant ergo urbani scriptores nostri, seque cum pastore & campestri Theocrito comparent, cujus neque severitatem versuum assequi unquam Virgilius potuit, neque cautionem in omni vitando lapsu orationis & diligentiam Homerus attigit.

VIII. LUCIANUS.

SED quid ego plures Græcos, quid Athenas, & e media Græcia, quid ex ultimis insulis, quo Græcus sermo pervenit, testes evoco; cum homo Syrus instar nobis esse possit certissimorum quorumvis testium? Lucianum illum Samosatensem dico, qui & multa scripsit, & omnia jocose, & eorum, qui in omni memoria fuerunt, scriptorum veneres cunctas dexteritate quadam ingenii & elegantia complexus est, longeque, meo judicio, vicit. Neque vero ab eo dictum arrogantius, quam verius puto, cum se a Platone aliisque philosophis abstraxisse dialogum jactavit, quem cum comœdia certo ac stabili matrimonio conjungeret. Quamobrem cum ingenua quædam & nativa familiaritas sit propria dialogi; cumque nihil fingi possit comœdia licentius: facilis existimatio est, quam multi, ejusmodi parentibus, joci, & ludi, & risus, & amœnitates, & lubentiæ, sic tanquam utriusque generis liberi, prodierint. Et rhetorica quidem Lucianum accusat κακώσεως, sive malæ tractationis, apud undecim judices, quod se destituta & sola relicta, studere vehementer dialogo, atque operam assiduam dare cœperit. Rursum ei dialogus intendit actionem injuriarum, quod se totum a philosophia abduxerit, transtuleritque ad comœdiam, & a cothurno propemodum descendere coegerit ad soccum. Qua ex duplici accusatione Lucianus inscripsit δὶς κατηγορούμενον. Verum audire præstat ipsas orationes accusantium cum defensione & responsis Luciani.

Rhetorica, *Ego*, inquit, *judices, hunc Lucianum admodum tum adolescentem, natione & lingua barbarum, vagum etiam & errantem, & incertum de sorte sua, necdum habentem satis constitutum, quodnam vitæ sequeretur genus, educandum & præceptis instituendum oratoriis suscepi. Qui cum mihi primo docilis ad omnem disciplinam esse videretur, nec a me usquam dejiceret oculos; adhuc enim me & reverebatur, & observabat, & admirabatur solam: relictis procis omnibus meis, generosis, opulentis, formosis, quotquot ducere me cuperent in matrimonium, ei me despondi, quamvis & obscuro, & inopi, & pæne puero, dotemque ad eum non minimam attuli, plurimas & egregias orationes. Post autem adduxi in*

Græ-

Græciam ad tribules meos, & in civium numerum referendum curavi. quod iis doleret, qui spe essent omni ambituque dejecti mearum nuptiarum. Porro cum peregrinari constituisset, seque passim ostentare pulcrum ac beatum me conjuge, ne tum quidem remansi domi: sed ubique secuta virum huc & illuc, quo is me cunque circumduceret, reddidi vestiendo atque ornando clarum & illustrem. Atque hæc, in Græcia & Ionia quidem, mediocria sunt præut quæ sequuntur. Nam & suscipienti deinde iter in Italiam, comitem me viæ præbui, unaque mare transii: & in Galliam usque progressa demum, magnam ei pecuniam redegi. Ac mihi diu morem gessit in omnibus, assiduissime mecum fuit, cum ne unam quidem noctem secubaret. Ast ubi jam abunde rem fecisset, seque in famam & existimationem hominum venisse intellexisset; elatis animis & superciliis, contempta me, vel potius dimissa omnino, dialogum, barbatum illum philosophiæ, ut ferunt, filium, quem facile est nosse ex habitu, cultuque corporis, habere cœpit in deliciis atque in amoribus, etsi major natu, quam ipse, esset, & cum eo familiariter conjuncteque versari. Neque vero puduit eundem solutam ac liberam orationem meam concidere minutim, & in parvas seipsum & angustas interrogatiunculas includere; cumque grandi & plena voce quidvis eloqueretur prius, breves quasdam implicare sententias, & velut syllabatim persequi. Ex quo non summa laus illum, nec multus plausus exceperit, sed risus aliquis auditorum consecutus sit, & modica sublatio manuum, & nutus capitis, & levis admurmuratio. Hæc sunt nimirum, quæ scriptor egregius adamavit, & præ quibus despiciendam me esse duxit. Quem tamen aiunt ne cum isto quidem amasio suo servare pacem & concordiam, nec abstinere contumeliis. Quomodo ergo in crimen animi ingrati non incurrerit, contraque legem, quæ de mala tractatione est, non fecerit, qui justam ac legitimam uxorem, a qua tot beneficia accepit, & propter quam in tantum honorem ascendit, ita deseruerit turpiter, ac novis amoribus indulserit. idque nunc, cum admirantur me solam mortales cuncti, me præsidem inscribunt & usurpant suam: cumque interim ego tot amatores, qui me sibi expetant, repello, neque fores aperire pulsantibus, neque inclamantibus magna voce nomen meum, aures præbere sustineo; quippe quos nihil huc afferre secum, nisi vociferationem videam. At ne sic quidem noster iste conjux ad nos redit. Illum suum spectat & contemplatur amatorem. qua commodi spe, Dii boni! & qua expectatione ab eo, cujus pallium, quo amictus est, tota possessio sit?

Contra Lucianus. Agnoscit quidem omnia erga se collata beneficia, tantumque se rhetoricæ debere ingenue fatetur, quantum ipsa prædicavit. Nihilominus tamen causam sibi non defuisse, quamobrem ab ea ita de se merita discesserit. Nam cum hanc intelligeret temperantem & modestam, quo illam habitu ornatuque Demosthenes in matrimonium duxerat, haudquaquam nunc amplius, ut olim fuerat, esse; sed exornare se cupidius, comam fingere meretricium in morem, ori medicamenta illinere fucata candoris, ac ruboris: continuo suspicatus est aliquid, &, quo illa oculos conjiceret, observavit. Verum omittit, quæ dissimulare potest, occultiora. Palam hæc erant. singulis noctibus illius complebatur angiportus temulentis procis, qui pulsarent ostium, ac libidinose multa proterveque facerent, & quorum partim irrumpere vi in domum non sine tumultu conarentur. Interea ridere mulier, his rebus delectari, his pasci, ac sæpe vel despicere e fenestra, dareque aures suas amatorium carmen concinentibus aspera voce, vel introducere clanculum, cum ignarum rei conjugem putaret, ceteraque per summam lasciviam & agere, & pati. *Hoc ego*, inquit, *judices, domesticum dedecus ferre non potui: adulterii ream facere, ut poteram, nolui. Quod supererat, ad habitantem in proximo dialogum adii, si me is tecto & hospitio acciperet. Etsi, quamvis flagitium rhetorica nullum tale admisisset, conveniebat certe me id jam ætatis cum omni munere oratorio vacare, eum ingressum in Academiam, aut in Lyceum, una cum Dialogo, optimo isto viro, inambulare, ac familiares paulatim conferre sermones.*

Hactenus Rhetorica, & Lucianus. Nunc Dialogus contra eundem Lucianum. *Eæ sunt, judices, injuriæ & contumeliæ, quas hic mihi homo Syrus multas & magnas unus intulit. Cum plurimum antea gravitatis majestatisque haberem, & ea quæ sunt Deorum, quæque naturæ & totius rerum universitatis, contemplarer, evectus supra nubes usquam, perque aerem gradiens, ubi magnus ille in cælo Jupiter alatum currum agens fertur: abstraxit Syrus inde me, jam circa altum cœli fornicem volantem, ac longe etiam ascendentem ultra cælum. tum confregit alas, & ad humanam conditionem dejectum cum infima multitudine exæquavit. Ac mihi quidem tragicam illam & severam personam detraxit: aliam vero imposuit comicam & satiricam propeque ridiculam. Deinde in unum multa & diversa conduxit, mecumque inclusit, Convicium, & Iambum, & Cynicen, & Eupolin, & Aristophanem, qui viri duo præter ceteros ad exagitandas atque irridendas res præclaras honestasque valeant. Postremo Menippum ex canibus illis antiquis unum quendam, & asperum, & facile vehementerque, ut apparet, latrantem, excitavit defossum, & ad me domum introduxit: canem sane terribilem, qui mordeat occulte, eoque occultius, quod ridendo mordeat. Quæ cum ita se habeant, quomodo tandem gravem injuriam non acceperim, qui habitu spoliatus & exutus domestico ac meo, & comœdias agam, & excitem risus, & aliena argumenta personatus tractem, meque homini Syro histrionem præbeam? Nam, quod omnium est absurdissimum, mixtus insolenti quadam temperatione & concretus sum. ut neque jam pedibus ingrediar, neque sublime: sed instar hippocentauri conflata quadam, & peregrina species esse videar audientibus.*

Ad hæc Lucianus. *Causam equidem, judices, apud vos defendo improvisam atque inopinatam. Speraram enim Dialogum de me potius omnia, quam quæ dixit, dicturum fuisse. Quem ego susceptum, cum tetricus etiam tunc complurium judicio esset, & continuis interrogationibus præruptus ac salebrosus, eoque re veneratione dignus aliqua videretur, non tamen omnino suavis & gratus in vulgus: principio quidem ingredi supra terram humano modo, & usitato more omnium, assuefeci. post autem & squalorem ejus plurimum abstersi, &, ut rideret ipse, coegi, itaque jucundiorem aspicientibus reddidi. Ante omnia vero per me copulata cum eo Comœdia est, eidemque isto nomine valde conciliata benevolentia auditorum. Qui prius cum spinas metuerent, quas secum afferret,*

sumere illum in manus, sic tanquam echinum, refugiebant. Atqui novi ego, quid homini potissimum doleat. Dolet videlicet, quod non una cum illo sedens edisseram tenuiter & argute minuta illa atque subtilia: sitne animus immortalis: quot heminas Deus, cum mundum condidit, sinceræ & uniusmodi naturæ infuderit in craterem, quo misceret universa: an Rhetorica Politicæ imago sit quadam ex parte, artis assentatoriæ quarta pars. Amat enim nescio quo modo istæc argutari, similiter ut qui frictione scabrosi gaudent; eaque illi commentatio jucunda accidit, gloriaturque si audiat dici, non esse cujusvis ea intelligere, quæ ipse de ideis acute & solerter perspexerit. Hæc nimirum a me quoque poscit, & alas illas, quas aptavit et Plato, requirit, ac sursum contuetur, interim dum, quod ante pedes est, non spectat. Nam me, puto, nihil accusaverit præterea; ne de illo quidem, quod veste Græca detracta, barbaricam et, barbarus ipse, induerim. Qui si facinus ejusmodi admisissem contra leges, si patrio illum vestitu spoliassem, injuriosus sine dubio fuissem.

Hoc ipsum porro, quod Luciano conciliante nupserit Dialogo Comœdia, tradit idem de se explicatius, ostenditque quantum in eo negotii habuerit, ut nuptias tam dispares, tamque alienas conjungeret. Cum enim natura & moribus, disciplina & instituto diversi inter se, maximeque disjuncti, atque etiam contrarii Dialogus & Comœdia initio forent: vi adducendi quodammodo, & propius admovendi, aptandique simul fuerunt. cumque exercerent simultates inter se & graves & diuturnas, ut Comœdia Dialogum persæpe irrideret ac perstringeret: placari, lenirique animos oportuit, & constitui communem quandam concordiam, priusquam necessitudo, & affinitas, &, quanta potest esse maxima, conjunctio coiret. Sed hic quoque loquentem Lucianum satius est ut audiamus.

Quod unum est ex rebus pulcherrimis duabus compositum, Dialogo & Comœdia, nequaquam satis ad elegantiam formæ valet, nisi apta & congruens, proque justa portione temperatio fuerit. Potest enim ex rebus fieri pulcris duabus absurda & insolens compositio, ut pervagatissimum illud hippocentaurus. Rursum ex optimis duabus bellum aliquid & concinnum existere nonne potest; quemadmodum ex vino & melle mulsum possumus dicere suavissimum? Quanquam talia esse, quæ composui, pertendere non ausim. verear potius, ne utriusque pulcritudinem permistio confusioque mea corruperit. Neque enim a primo fuit Comœdiæ cum Dialogo ulla consuetudo, aut amicitia. quando hic quidem domi, & vero apud se in ambulationibus, dissertationes & scholas cum paucis habebat: illa vero, Dionysio sponte dedita, versabatur in theatro, & colludebat, & movebat risum, & jactabat sannas, & cum numeris quibusdam suis procedebat ad tibiam. Nonnunquam etiam anapæsticis versibus tota clarior ac velut sonantior, sodales Dialogi & amicos multum irridebat; cum φροντιστὰς, & μετεωρολέσχας, & id genus nominibus appellaret. Quinetiam unum hunc aditum ad favorem & studia audientium habebat, quod hos sugillaret, & Dionysiacam in ipsos licentiam effunderet: modo ἀεροβατοῦντας inducens, & νεφέλαις ξυνόντας; modo ψυλλῶν πηδήματα διαμετροῦντας. quasi qui de rebus cœlestibus nimis exigue & exiliter dissererent. Cum Dialogi contra magnificæ & severæ congressiones essent, & rerum colloquia graviorum: isque cum de natura, tum de virtute philosopharetur. Itaque hoc illud erat δὶς διὰ πασῶν, ab acutissimo sono ad gravissimum concentus, tantumque Dialogus a Comœdia dissidebat. Atque hæc tamen ejusmodi ausi sumus congregare inter se & conjungere, quæ neque libenter duci se sinant, neque facile copulam & communis societatis vinculum ferant. Quamobrem metuo valde, ne denuo similiter aliquid, ac Prometheus ille tuus, fecisse videar, qui feminium cum masculino commiscuerim, & ob eam ipsam causam reus fiam. vel potius hoc aliud metuo, ne videar fraudasse auditores, & ossa eis apposuisse tecta pinguedine, risum sub philosophica gravitate comicum.

Nempe igitur Luciano verti poterat vitio, vel revera vertebatur, dum viveret, primum quod, sermonibus omissis rhetoricæ longioribus & perpetuis, forma strictiore & minutus Dialogi infregisset orationem: deinde quod, gravibus & seriis rebus neglectis, Dialogo ludicra & jocularia pro argumento esse voluisset. quæ duo crimina depellenda a se, ut videmus, & diluenda putavit. Nam eo tempore nondum extiterant, Balzaci, qui tertium crimen imponerent Luciano, quod in lenibus & blandis quibusdam animi motibus inducendis parum felix esset. Risi certe, cum legi, qui erudito hoc sæculo scripsisset, Lucianum artem ignorasse amandi, neque hunc affectum mentis ab illo tractatum commode, neque expressum sat scienter; quia non videatur consentanea moribus Gallicis fecisse. Quasi vero non aliter atque aliter diversæ nationes ament. aut non suo Græcia more, Roma suo amaverit. aut eodem prorsus modo Hispani amantes insaniant Madriti: Galli Lutetiæ ineptiant. aut in vicinia nostra Belgæ non rideant garrulam comitatem, & stulta obsequia amatorum nostratium in amicas: nostrates vicissim non cavillentur subrusticam simplicitatem istorum. Ita non solum ruri & in urbe amatur dispari modo, sed in civitatibus quoque multa fiunt ab urbanis dissimiliter. Atqui ut se gerunt apud Lucianum amatores inverecundius. Laudo probitatem reprehensoris: neque Lucianum excuso, qui vitare reprehensionem potuit non scribendo. Sed si scribere fuit animus, quid aliud expectes ab auctore, qui amores meretricios, atque impuriores etiam scripserit minusque concessos? Ut ejus interdum mihi modestior oratio, & probior & pudentior sequi videatur, quam prima se initia dederint, inscriptioque ipsa ferat. Itaque non tractatione argumenti Lucianus, sed delectu vitiosus: neque modo, sed re tota peccavit. Et vero qui epica Homeri, Hesiodi, aliorum, qui tragica Æschyli, Sophoclis, Euripidis comica fecit; nonne Aristophanis, & Menandri, & similium comica plusquam comica facere jure quodam suo potuit? aut qui turpissimas per se veterum de Diis fabulas, multo ridiculas magis, partim exponendo, partim augendo reddidit; quos pudori fines terminosque oportere constitui, quidve in isto genere sibi non licere existimavit? Quanquam scriptionem fœdam & libidinosam minus miror, qui impiam ac sacrilegam, præsertim ubi de providentia divina ageretur, plerumque agnoscam.

Ad rem, Balzaci, quæ pertineant, duo præter cetera ex superiore omni oratione elici cogique possunt. Vides Rhetoricam in tot accusationis capitibus,

bus, & firmamentis causæ, quibus usa est, non posuisse pro argumento, ac ne in maledicti quidem loco objecisse, Lucianum Græce locutum deterius, ex quo secum divortium fecerit? Hoc primum est. Meministi Dialogum, cum multa de injuriis Luciani questus esset, nihil expostulare, quod illius ore minus bene tum, quam Platonis quondam aliorumque Socraticorum, loqueretur? Hoc est alterum. Possum & illud adjicere, Comœdiam, si ad accusandum Lucianum pariter descendisset, cum alia multa dicturam vere, tum præcipue clamaturam, ademptos sibi numeros, scenicas vestes, theatralem pompam, multitudinem & concursum spectatorum; se quasi indotatam relictam esse, atque incomitatam & incomptam; ac denique collocatam Dialogo, homini privato, difficili & tetrico philosopho, hosti nuper & adversario suo, quem ipsa etiam deriserit atque contempserit: tacituram tamen, neque vicem suam deploraturam apud judices, quod minus Attica minusque scita per Lucianum, quam per Eupolin, atque Cratinum, atque Aristophanem evasisset.

Huc igitur nostri homines velut in rem præsentem veniant, versent, excutiant, perlegant Lucianum τὸν διαλεγόμενον, τὸν κωμῳδοῦντα, investigent, sicunde vilitatem sermonis sui, sicunde situm & rubiginem, & quale id cunque est, eruant ex ejus scriptis: an ibi suum quidpiam agnoscant, ubi cum acumine ingenii, admirabilis quidam lepos, & Græca Siren omnis omnia occupavit. Si par & simile reperitur aliquid, causæ nihil dico, quin recte omnes id facere pergant, quod Syrus inter Græcos unus fecerit. Sin minus, desinant existimare se nomen in lepidis ac venustis scriptoribus habere sine humilitate & sordibus orationis non posse. Tantum autem abest, ut de studio, & cura, conatuque bene dicendi remiserit Lucianus, atque ad id, quod parum est, deflexerit, ridendi causa; ut processisse plus æquo, & in eo, quod nimium est, offendisse videatur. Photio certe; at qua prudentia vir fuit! quo acumine! quam sincerus & elegans in omni judicio! visus est noster Samosatensis, dum linguam & orationem studiosius comeret, non tenuisse mediocritatem, quæ colloquia inter familiares de rebus jocosis deceat, adeoque convenientius argumento, si minus terse & polite scripsisset, scripturus fuisse. Καὶ ὅλως, inquit, ὥσπερ ἔφημεν, ἄριστος ὁ λόγος αὐτῷ καὶ οὐ πρέπων ταῖς ὑποθέσεσιν, ἃς αὐτὸς ἔγνω σὺν τῷ γελοίῳ διαπράξαι. *Ad summam, quemadmodum dixi, est oratio Luciani optima, neque materiæ conveniens, quam is ridicule ac facete tractandam suscepit.* Quo loco adverte scribi, καὶ οὐ πρέπων, non autem ἀλλ᾽ οὐ πρέπων. qui locus si posteriore isto modo scriberetur, sententia hæc verborum foret: Est Luciani dictio optima illa quidem, sed non consentanea argumento. in quo bonitatem dictionis Lucianicæ minueret. Cum vero priore modo scribatur, hanc vim & potestatem habet: Est optima dictio Luciani, ac melior etiam, quam ut argumento joculari & ludicro conveniat. in quo bonitas dictionis augetur. Verum excellens illa præstantia, quam inesse Photius in Luciani scriptis merito censet, qua re cernitur, atque ubi potissimum sita est? Τὴν μέν τοι φράσιν ἐστὶν ἄριστος, λέξει εὐσήμῳ τε καὶ κυρίᾳ, καὶ τῷ ἐμφαντικῷ διαπρεπούσῃ κεχρημένος εὐκρινείας τε καὶ καθαρότητος μετὰ τοῦ λαμπροῦ καὶ συμμέτρου μεγέθους, εἴ τις ἄλλος, ἐραστής. συνθήκη τε αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγινώσκοντα, μὴ λόγους λέγειν, ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν, χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς, τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν. *Genus ille dicendi optimum fuit, qui dictione sit usus propria & significantissima, & ad majorem vim quandam efficientiamque orationis accommodata. studiosus, si quis alius, cum distinctionis & puritatis, tum justæ & perspicuæ magnitudinis. Compositio porro sic apta & decens, hunc ut lector existimet non sermones habere, sed suave carmen aliquod, nullo tamen insigni cantu, in aures auditorum instillare.* Quid simile nostri habent, aut adumbrant, aut conantur? At ne volunt quidem. immo vero sunt amplexi, arcteque tenent vitia contraria, quæ Lucianus alicubi expressit. Reperi enim, BALZACI, reperi, quod pro suo sibi vindicent apud hunc auctorem usurpatores dictionis inusitatæ. Lexiphanis oratio quædam, cujus illud in Luciano initium, Εἶτα δειπνήσομεν, ἦν δ᾽ ὃς ὁ Καλλικλῆς, tota est nostrorum hominum. Restat, ut eis Sosipolim aliquem videamus, & qui eosdem curet pari morbo laborantes, & qui pharmacum quoque præbeat ad vomitum, ac multo magis his, quam ægroto Lexiphani. nam si iste decem voces evomuit miseras & horribiles, quibus vexaretur tanquam torminibus; quid futurum nostris est, quos plura & teriora ulcera & vermes infestant, aut quos tam atra bilis commovet? Non magis sine dubio tum necessaria fuit Lycini opera, utentis opportunitate medici, qui medicamentum cuipiam ferret ad insaniam & furorem.

IX. HELIODORUS

ET SIMILES.

LIBANIUM omitto, Syrum quoque, doctorem ac magistrum bene dicendi, & ipsum, quam optime potuit, dicentem. ut de ejus una aliqua oratione jure optimo Basilius magnus exclamarit, ὦ Μοῦσαι, καὶ λόγοι, καὶ Ἀθῆναι, οἷα τοῖς ἐρασταῖς δωρεῖσθε. οἵους κομίζονται τοὺς καρποὺς εἰ βραχύν τινα χρόνον συγγενόμενοι. ὢ πηγῆς πολυχεύμονος, οἵους ἔδειξε τοὺς ἀρυομένους. *O Musæ, & literæ, & Athenæ, quibus vestri studiosos afficitis donis! quot ferunt fructus, qui aliquid commercii vobiscum vel exiguo tempore habuerunt! o fontem uberrimum, quales eos præstitit, qui ex illo hauserunt!* De alia quadam Julianus imperator, ὦ λόγος, ὦ φρένες, ὦ σύνεσις, ὦ διαίρεσις, ὦ ἐπιχειρήματα, ὦ τάξις, ὦ ἀφορμαί, ὦ λέξις, ὦ ἁρμονία, ὦ συνθήκη. *O orationem! o mentem! o prudentiam! o partitionem! o argumenta! o dispositionem! o occasionem! o verba! o numerum! o compositionem!* Quem tamen ajunt in fictis, atque ad exercitationem vel sui, vel discipulorum conscriptis orationibus, multo præstantiorem fuisse, quam in veris causis, & gravibus seriisque argumentis. Usque eo totus, sive proludat, seu pugnet quasi in acie, alienus est, atque abhorret ab agresti scena, & opere luteo nostrorum.

Relinquo Julianum, eundem illum imperatorem, ac Libanii discipulum & æmulatorem studiorum,

diorum, qui se profecto facetum & dicacem esse voluit: & vero fuit, tunc saltem, cum cunctos ante se Romanos imperatores vellicandos Sileno, & maledico dente carpendos, in ficto & adumbrato concilio Deorum, tradidit: aut cum adversus Antiochenses, mimica quadam imminutione rerum suarum, quæ vere & proprie ironia est, lusit. Nec dubitari debet, quin inculta & horrida, ut barba erat, ita dictione de industria fuisset, si putasset tanri, aut si sic intellexisset, melius obtrectari porujsse Cæsaribus, aut in Antiochenses dicacissimos dicta dici meliora isto genere scribendi.

Præterire silentio non possum scriptores antiquos, qui amatoria, & historias, vel verius poesim quandam totam, nisi quod licentior & soluta numeris est, confinxerint. Hic enimvero multiplices & varios eventus rerum videas, subitosque casus atque improvisos, tum miserabiles, & plenos terroris, & periculorum, tum lætos & hilares, quorum alii aliis superveniant atque implicentur; omnes inter se nexi sint, quanquam præpostero plerumque ordine; ac tandem exitu concludantur vix ac ne vix quidem credibili. Scriptionum id genus, & fabularum principem ac velut parentem habemus Antonium Diogenem, cujus viginti quatuor libri, ut multa alia multorum auctorum, communi temporis vitio interierunt: summa brevis, & paulo plus, quam index capitum, pervenit ad nos, Photii labore & industria. Is hunc quidem scriptorem, Alexandri regis proximum ætati fuisse conjicit. Verum neque video, unde ita conjiciat, & falsam esse conjecturam nonnulla suadent. Nam & duplex nomen, inusitata res veteri Græciæ: & nomen Romanum in Græcum hominem, nisi forte libertum, minus cadit: neque, quod gravissimum est, tum nata gens Antonia, aut facta vox, aut audita temporibus illis. Suspicio quoque est, nondum cognitam vulgo Thulen insulam, de qua isti ferantur inscripti libri.

Secuti sunt Antonium Diogenem, & expressérunt imitando Lucius Patrensis, & is, de quo ante dixi, Lucianus, quorum alter transformationes suas, alter historias fictas, quas veras inscripsit, tanquam rivos a fonte & origine dednxerit.

Ejusdem Diogenis exemplum, & fingendi viam ac modum alii sibi tres proposuisse deinceps videntur ad imitandum. Primum Heliodorus cum singulari præditus artificio, tum egregie moratus, & approbator castitatis in amoribus, ac velut præco magnificus. Itaque adduci nunquam potui, ut crederem, quod in historiarum libro duodecimo, capite tertio scriptum Nicephorus Callistus reliquit, decrevisse congregatos antistites de communi consilio, ut Ærhiopica Heliodorus combureret, quæ conscripsisset juvenis: ni faceret, abdicaret se confestim pontificatu. hoc illum maluisse, seque abdicasse. Lepida vero optio data præsuli, utrum salvum vellet, jocularemne librum, quem scripsisset olim, an amplissimum sacerdotium, cui tum præesset. Lepidius etiam judicium & electio episcopi, sacræ dignitatis jactura commune & pervagatum scriptoris nomen redimentis. Cujus tamen factum ne magnopere vituperetur, aut ne reprehendatur ex toto, nonnulli obstant, quos ego scio, si isto loco essent, fieretque potestas eligendi, hoc idem & amplius facturos; talesque partus ingenii, qualia Heliodori Æthiopica sunt, non Thraciæ modo, sed opimis Galliæ sacerdotiis omnibus antepositoros, & loco graduque, & quavis dignitate cessuros potius, quam laboris, & industriæ, & bonæ existimationis fructum hunc qualemcunque amitterent. Sed neutrum quantum opinio mea est, vere dicitur. neque lata episcopo conditio tam præpostera, tamque gravis: neque ab illo accepta, aut repudiata quoquo modo. quod ipse, qui narrat, abunde narratione sua tefellit. An vero fuit in potestate Heliodori, ut aboleret igni, ac perderet opus suum, aut omnino suppressum teneret, quod jam exisset in vulgus, & manibus omnium evolveretur, quodque juventus periculo aliquo, damnoque morum, ut vult Nicephorus, legendo contrivisset? Equidem ante complures annos de Dionysio Petavio, acerrimi, ut nihil aliud nunc dicam, judicii viro, audivi, semper suspectam visam sibi hanc narratiunculam, nec satis dignam fide. Ut primum autem a Photio, qui fecisset Heliodori episcopatus mentionem quandam, ea de re sileri prorsus adverti; Socratem, qui Triceæ illum in Thracia episcopum constituisset, verbum non addidisse; rem totam & veritatem unius Nicephori Callisti auctoritate niti, cujus in plerisque fides credulitate nimia labaret: sustinendam assensionem, donec certior nobis prodiret auctor, putavi.

Succedit Heliodoro Achilles Tatius, persimilis fingendis & imitandis rebus; valde hoc uno dissimilis, quod turpissima, quam ubique adhibet, obscenitas cum fidem & auctoritatem scriptoris elevat in re seria, tum animum ab eo lectoris non inverecundi alienat, & prohibet omni lectione. Quamobrem ridiculus est, non Leo philosophus, sed homo sane impurus, cujus epigrammate casti mores deprædicantur Clitophontis, qui fecerit adulterium, & agnoscat ipse, ac de se fateatur: item Leucippæ pudicitia extollitur ad cœlum laudibus, quæ introduxerit amatorem in conclave, lectuloque acceperit, ac, nisi fors obstitisset optatis puellæ, stuprum passa fuerit.

Tertius ordine Jamblichus procedit, ut hoc proximo castior & pudentior, ita longe minus, quam ille superior, moderatus ac temperans in amatoriis. cujus a Photio libri numerantur sex & decem; a Suida triginta novem, quos & Babylonicorum inscribit.

Quid ergo? Apud Diogenem Dercyllis & Dinias, Lucius & Lucianus apud se, apud Heliodorum Chariclea & Theagenes, apud Achillem Leucippe & Clitophon, apud Jamblichum Sinonis & Rhodanes, quomodo amores suos, raptus, errores, pericula, fortunæque vicissitudines loquuntur? Quomodo fastidiunt, expostulant, invident, deplorant, indignantur, desperant: rursum promittunt, & blandiuntur, & supplicant, & gratias agunt, & triumphant gaudio? Peregrinis forsan, & obsoletis verbis? rusticis & inconditis sententiis? ridicula & joculati dictione? Nihil horum. Immo vero sic habeto, Balzaci, cum suum cuique proprium & peculiare, divisum ac distributum quodammodo elogium sit ab eo, qui studiose & accurate singula istorum scripta expen-

penderit, Photio; tum communem hanc in omnes sine exceptione congestam, ac totidem prope verbis impertitam laudem bene loquendi fuisse. Ecquæ Diogenis oratio? σαφὴς ἡ φράσις καὶ οὕτω καθαρὰ, ὡς ἐπ' ἔλαττον διερμηνείας δεῖσθαι. *Clara dictio, itaque pura, ut minus distinctione egeat ad claritatem.* Ecquæ Lucii Patrensis? ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ καθαρὸς καὶ φίλος γλυκύτητος. φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν. *Est ejus elocutio clara & pura. qui præterea & delectetur dulcedine quadam, & fugiat novitatem orationis.* Quid Heliodorus, quo genere dicendi usus est? φράσει δὲ πρεπούσῃ τῇ ὑποθέσει κέχρηται· καὶ γὰρ ἀφελείᾳ, καὶ γλυκύτητι πλεονάζει. λέξεσί τε εὐσήμοις καὶ καθαραῖς. καὶ εἴπη, ὡς εἰκὸς, καὶ ταῖς εἰς τροπὴν κλινούσαις ἀποχρήσαιτο, εὔσημοί τέ εἰσι, καὶ ἐναργῶς παριστῶσι τὸ προκείμενον. περίοδοι σύμμετροι, καὶ εἰς τὸ βραχύτερον οἷα δή. καὶ ἡ συνθήκη δὲ, καὶ τἄλλα τῷ λόγῳ ἀνάλογα. *Usus est elocutione, quæ argumento conveniat. Multa enim est in eo simplicitas, atque suavitas. Verbaque adhibuit pura, & valde significantia. quæ sicubi, ut par est, in tropos & figuras deflexit, significant nihilominus, remque propositam declarant evidenter. Ambitus verborum aptus & congruens, adeoque brevior. Compositio autem, & reliqua generi scriptionis pariter æqualiterque respondent.* Jam qualis Achilles Tatius? Καὶ λέξει μὲν καὶ συνθήκῃ δοκεῖ διαπρέπειν· εὔσημός τε γὰρ καὶ ἐπὶ τροπὴν οἰκείως τετραμμένη, ὅτε καὶ ταύτῃ χρῷτο. ἀφωρισμέναι τε καὶ σαφεῖς, καὶ τὸ ἡδυνὸν φέρουσαι αἱ πλεῖσται περίοδοι, καὶ τὴν ἀκοὴν τῷ ἤχῳ λεαίνουσαι. *Ac dictione quidem & compositione videtur excellere. utpote clarus, apteque se ad transferendum convertens, quoties translationibus utitur. Definitæ quoque & perspicuæ sunt pleræque comprehensiones verborum, quæ voluptatem afferant, quæque aures sono quodam deliniant.* Quis Jamblichus denique? ὁ μέντοι Ἰάμβλιχος ὅσαγε εἰς λέξεως ἀρετὴν, καὶ συνθήκης, καὶ τῆς ἐν τοῖς διηγήμασι τάξεως, καὶ τοῖς σπουδαιοτάτοις τῶν πραγμάτων, ἀλλ' οὐχὶ παιγνίοις καὶ πλάσμασιν, ἄξιος τὴν τῶν λόγων τέχνην, καὶ ἰσχὺν ἐπιδείκνυσθαι. *Jamblichus autem, quod ad dictionis & compositionis præstantiam, & ad optimum narrandi ordinem attinet, dignus erat, qui in rebus vel maxime feriis, non in ludicris fictisque, vim & artem oratoriam suam exprimeret.* Quod cum ita sit, cumque nemo ex tot scriptoribus non reperiatur pure, & Græce, & eleganter locutus: nonne quam certam destinatamque materiem habent, sollicitos atque anxios initio quidem casus, sed in exitu dulces & optatos; tam in id genus scripti molle ac tenerum cadit proprietas, & cultus, & munditiæ, & aliæ vel virtutes, vel deliciæ sermonis?

Atque hic ex te, BALZACI, libenter quæsierim, quare, qui a prima statim adolescentia scribere cœperis, & edere scripta in vulgus, nihil istius generis neque publicaris, neque chartæ, quod sciam, mandaveris, aut omnino commentatus. Nam & tua prompta & acris in excogitando solertia connectere nodos inter se, ac rursum dissolvere, quod faciunt isti, facile potuit: & suave ac jucundum genus dicendi, quod attulisti præter ceteros, materiem blandam & lenem, affectionibusque animi refertam, in qua iidem illi sola versantur, summopere decuit. Sic tecum, opinor, cogitasti, sic intellexisti: quemadmodum ejusmodi libros, ingeniose & splendide, ut ita loquar, mendaces, præstat legere, quam cessare omnino atque feriari; præstat autem scriptum aliud quodvis, si offeratur, quam istius generis unum, legere: ita satius esse, tale aliquid conscribere, cum otium & facultas est, quam nihil prorsus; alia omnia, quam illud ipsum. Nec vero in ea te sententia fuisse unquam arbitror, in qua nonnullos esse video, graves & spectatos homines, qui existiment, tam vanis & inanibus legendis operam dare, flagitium: scribendis, piaculum ac nefas. Equidem, dum omnis impietas absit, omnis removeatur a verbis & sententiis turpitudo, certa quædam moderatio accedat & scribentium, & legentium præterea; istis acui putem ingenium posse, linguam ali, excoli mores, & ad aliquam partem humanitatis, civilemque congressum, & consuetudinem vitæ politioris informari. Non auctor sum tamen, ut optimæ hic horæ perdantur, sed ut insumantur potius in re tenui, alioquin perituræ. Nolo animos occupari commentis & fabulis, tanquam munere & penso: oblectari otium, fallique tempus facile patior. De alea, de comessationibus, de circulis, de saltatione, de venatu decedat aliquid, quod huic quoque remissioni, ludoque impertiatur. Tum id ipsum modice fiat, neque avide, neque diu, satietate celeri, lassitudine etiam minori, quam cum tessera aut scrupis luditur. Quid tandem est, quod istis conditionibus diserta & erudita respuatur voluptas: aut cur tam austerus quisquam invidebit ulli otium, cum aliqua utili opera studioque conjunctum? Nisi forte abstinere facilius est, & has litteras non attingere omnino, quam cum, quem præscripsi, modum servare. Nam si noctes continuari diebus oportet legendo, ac sæpe impransos aut incœnatos somno opprimi, ut non oculi modo, sed caput ipsum vigiliis, & inedia laboret; si teneri memoria opus est sexcentos codices, innumerabilium rerum seriem ac nexum, etiam nomina personarum, falsa omnia & commentitia; ignorari autem veras historias, antiquam, patriam, naturalem, sacram; si contingit, ut vitium discatur exemplo, utque mollitie perpetua & blanditiis amantium infringatur vis animi, atque enervetur multo etiam magis, quam lectione, & usu tenerrimorum poetarum: per me quidem potius projiciantur in Sequanam ista, quæ primo Græcorum, deinde Arabum, tum Hispanorum fuerunt, deliria: quam aut ulla pars officii claudicet, aut sensus virtutis vel minimus exstinguatur, aut doleat unguis, aut pilus viri boni pereat. Sed ea viderint magistri morum, ac de se quisque cum his veræ & solidæ sapientiæ quasi consultis statuat, non ex sua libidine, neque ex hujus pravitate sæculi & instituto. Ego timidior forsan, qui tantam cautionem requiram ad eam rem, quam non in otio tantum jucundam, sed etiam in negotio, & occupatis temporibus perutilem, jam toties a me laudatus Photius, auctor gravissimus, censuit. Hujus certe cum habeamus sincerum & subtile de sex istiusmodi scriptoribus judicium, præterea que summa capita & quandam velut epitomen trium; satis constat singulos ab eo non semel, neque leviter & cursim, sed summa diligentia summoque studio esse perlectos. qui sic demum sententiam pronunciet quasi judex secundum scripta hæc & scripto-

res: *Ex iis*, inquit, *aliisque fictis ad arbitrium narrationibus & fabulis, duplicem fructum, neque eum mediocrem consequi licet: tum quod maleficus & facinorosus quivis, etsi millies effugisse videatur, tandem aliquando meritas pœnas inducatur dedisse: tum quod ostendantur insontes quamplurimi, cum in maximum periculum & propinquum discrimen venerint, præter spem omnem plerumque servati.* Ex quo colligi potest, duplicem illum fructum legentium, duplicem quoque legem esse, quæ posita sit scribentibus; duplicem normam & regulam, ad quam eorum & dirigantur scripta, & exigantur. Ut jam scriptores isti, quamvis viliores, levi opere suo studioque aliquid operæ navent divinæ providentiæ, a qua poscitur sæpe hoc, interdumque tacitis conviciis miserorum efflagitatur, ut sit bonis bene, secus improbis, &, quantum quisque de aliis meritus est, tantum ei vicissim hac in vita eveniat.

SECTIO SECUNDA.

LUDICRA DICTIONE NON USI SCRIPTORES LATINI.

UT posteriora omnia & recentiora, præsertim in artibus atque disciplinis, Latini, quam Græci habuerunt: ita illorum fuit, id quod facile vulgo putatur, inventis potius addere, quam invenire. Quamobrem videndum nobis est, utrum lepori & jucunditatibus Græcorum sit is a Latinis, additamenti loco, sermo adjunctus, quo tota nunc ridicularis natio gaudet. Quoniam certe ingenium, mores, fortunam sequitur fere dictio; sic ut quæque gens pro soli natura, pro educatione ac disciplina civium, pro imperii potestate & amplitudine ditionis, aliter plerumque atque aliter affecta loquatur: non est postulandum a togata & imperiosa gente Romanorum, quæ robore animi & constantia, legumque severitate præstare se Græcis existimarit semper, ac gloriata sit, & cui etiam cum levitas istorum, tum luxuria despectui pariter & odio fuit; ut ipsa lætius loqui aut scribere studuerit, quam gravius. Sed tamen, quemadmodum Epicuri scholas, eamque sectam omnem Lucretius explicavit versibus primus, in eoque venditavit industriam suam; quemadmodum adinvenit Horatius numerum ac rationem quandam versuum, qua non alius ante eum usus foret; itemque per Ovidium, quasi librarii verbis & manu, scripserunt heroides ad amatores suos novum genus epistolarum, & ante id tempus inusitatum: sic aliquis fortasse nugatus erit inter Latinos, & ineptus esse non recusarit, quo more nemo Græcorum. Quinam igitur fecerint potius, quam qui scenæ, id est, populi auribus atque oculis servierunt, principes comici duo, quorum alter Aristophani quodammodo respondet, alter æmulatus est in primis Menandrum?

I. PLAUTUS AC TERENTIUS.

EQUIDEM Plautum fateor fictis & novatis ad risum movendum vocibus non cârere. Concedo sparsum habere aliquid in elocutione, modo nimis priscum & obsoletius, tum semigræcum, pravum & vitiosum alias. Ac, præter id, quod ad voces & λέξιν pertinet, do quinque eum nonnulla, quæ sint τῆς ἀγροικίας, afferre corruptissima, & quæ nemo sanus transferre in chartas suas, atque in res impendere graves seriasque ausit. Accedunt huc parodiæ, audaciores interdum, atque inverecundiores, quam ulla cujusquam translatio aut alte petita, aut producta justo longius. Quæ quidem omnia excipi in Plauto solere scio a doctoribus & magistris dicendi, ubi de lectione comicorum, & imitatione præcipiunt: nec satis caveri tamen à quibusdam scriptoribus, qui dicta per jocum serio usurpent, non sine risu intelligentium. Verumtamen hæc ipsa, qualiacunque sunt, quantula videri debent ad tantam amplitudinem, tantumque numerum Plauti comœdiarum? Ubi ex tot prope comœdiis, quot elementa sunt literarum, comœdia vel una, quam stilo isto & scriptura totam composuerit? Ubi unius comœdiæ actus integer unus ejusmodi? Ubi in quinque actuum scenis quamplurimis scena una? Cum quidem nostrorum hominum oratio non maximam modo partem hac colluvie verborum constet, sed concreta propemodum omnis & coagmentata sit. Quare si recte conferre volumus Plautum cum Gelasimis iisdem nostris, sic existimabimus, tam parum hunc habere perversæ illius & inquinatæ de industria Latinitatis, quam parum isti sermonis vernaculi, qui purus ac sincerus emendatusque sit, habent. Contra vero, si a certis quibusdam verbis, iisque, ut dixi, pro comœdiarum multitudine nequaquam multis, discesserimus; numquam dubitatum est, quin Latinæ linguæ præclarissimum specimen & exemplar Plautus fuerit: adeo ut cum eo, laudis & honoris causa, compararetur sæpissime, quisquis excelleret Latine loquendi scientia, aut etiam pronunciandi. In tertio de oratore Crassus Læliam quomodo commendat? *Equidem cum audio socrum meam Læliam, eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Nævium videar audire.* Quomodo Plinius junior vel Pompeium Saturninum, vel ejus uxorem, doctam ac politam feminam? *Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.* Et sane apud Nonium in, poscere, Varro dominatum & principatum Plauto dedit bene loquendi. *In argumentis Cæcilius poscit palmam: in ethesin Terentius: in sermonibus Plautus.* quo loco distinctionis modum, & ordinem videtur secutus Aristotelis, qui partes dramatis præcipuas statuit μῦθον, ἦθος, διάνοιαν, λέξιν, & primas fabulæ, seu argumento, rebusque constitutis, & compositis, secundas moribus, tertias & quartas sequentibus, sententia sua defert. Neque repetendum longius, quid sibi Varro velit, aut quem alium in Plauto sermonem fuisse significet, nisi elegantem & val-

de Latinum. siquidem is apud Quintilianum ait, Musas, Ælii Stolonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. Viderint igitur, quam recte interpretentur, qui, quod Varro studiosissimus erat antiquitatis, ab eo laudatum Plauti sermonem volunt, ob priscam vetustatem verborum, quibus uteretur. A Gellio certe Plautus & verborum Latinorum conservator diligentissimus dicitur, & homo linguæ, atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps. id quod intelligi de verbis antiquis & obsoletis nequaquam par est, sed de probis & usitatis. Itaque si certa in poeta hoc legendo præscriptio cautioque adhibeatur, & ea vitentur, quæ vitanda dixi; haud sane scio, an secundum Ciceronem scriptor sit ullus ad muniendam viam, vel potius ad jaciendum quasi fundamentum optimi sermonis Latini magis idoneus: sive propter copiam rerum, quibus tractandis copia quoque verborum insumpta fuerit; sive quod ejusmodi res sint quotidianæ & familiares, & in communi hominum usu positæ, quas apud scriptores alios non facile reperias.

Jamvero Plauti sales & facetias difficile dicta est quantopere omnis laudaverit, & admirata sit antiquitas: ut tritos plerique & notatos versus haberent, atque ex eorum naturali quodam, & insito lepore, quæ veræ & germanæ Plauti fabulæ essent, nullo negotio dignoscerent. Nec eo solum, quo vixit, tempore, cum nihil forsan occurreret melius, habuit poeta hic laudis fautores & præcones suæ, sed etiam annis postea consecutis multis, cum ridiculi tractatio, quod opus comœdiæ præcipuum est, perfici potuerit, & numeris omnibus absolvi. Atque hæc talis, ac tanta de jocis Plautinis opinio ad Augusti usque imperatoris ætatem mansit. quo primum sæculo neque jocos istos, neque jocorum laudatores ferre potuit severior & fastidiosior judex Horatius, ac fortasse melior: quippe quos nimiæ patientiæ ac propemodum stultitiæ condemnet. Tametsi hujus ego judicium non unius hominis, sed totius sæculi illius eruditissimi judicium putaverim. Neque enim scripsit Horatius aliter, ac videretur Augusto: neque Augustus, cupidus ipse dictorum, & cujusvis generis ejus intelligens, in alia, atque probi & politi ejusdem ævi scriptores essent, sententia fuit. Nisi forte suspicari debemus, Horatium & æquales obtrectasse antiquitati libenter, quo ingeniis sæculi sui faverent: his porro favisse, quo placerent Augusto magis, qui ea diligeret unice, ac foveret omnibus modis.

De Terentio ne dici quidem opus est, cujus, & Plauti tam diversa dissimilisque ratio videri debet, quam Aristophanis, & Menandri. Terentianus sermo purior: joci argutiores. Quod utrumque cum satis per se patet legenti, tum de bonitate ac præstantia sermonis convenit inter omnes, etiam eos, qui non consentiunt, quotus ei locus in numero sit comicorum dandus. Primum Afranius, eo fide dignior, quod comicus ipse de comico & scienter, & sine invidia judicet, similem negat Terentio quemquam reperiri. Cicero vero & Cæsar, qui duo Latine, ut opinor, luculenter sciunt, Terentio purum & lectum sermonem assignant, prætereaque lenem ac placidum. Desiderat in eo vim & nervos Cæsar, qui si adessent, ipsum non dubitaret conferre cum Græcis comicis & æquare. Hunc eundem præfert Tullius Cæcilio, quem malum auctorem Latinitatis esse vult; cum Terentii fabellæ propter elegantiam sermonis putarentur a Lælio scribi. Nam quod Ciceronem sæpe solitum aiunt dicere, Terentius familiaris meus, quasi qui lectitaret Terentium studiose, quo sensu Demosthenem sibi familiarem fuisse, penitusque cognitum dixit alio loco; puerilis est error, neque Cicero, quamvis hic apertissimus, intelligitur. Sic liber habet qui Lælius vel de amicitia inscribitur: *Verum est, quod in Audria familiaris meus Terentius dixit; obsequium amicos, veritas odium parit.* Quo loco non ipse agit Cicero de se, qui ne loquitur quidem: sed Lælius inducitur loquens, idque in primis apposite, quod cum ipso viveret Terentius familiariter. Isto fere pacto hallucinatum fuisse virum doctum, qui de erroribus magnorum virorum scripsit, illico sensi, ut hic illius liber in manus meas incidit. Is pagina nonagesima extrema ait, Thucydidem historicum videri ne enarratorem quidem interdum, ideoque *pæne pusillum Ciceroni dictum* Non animadvertit scriptor, tum profecto aliud agens, neque quemquam ab ullo vocari solere pæne parvum, aut pæne magnum, sed omnino parvum, aut magnum; neque ibi apud Tullium, ubi pæne pusillus Thucydides dicitur, usurpari hoc de Thucydide. De quo ergo usurpatur? Recognosce locum e libro II. epistolarum ad Q. fratrem, epistola 12. *Siculus ille capitalis; creber, acutus, brevis, pæne pusillus Thucydides.* Quisnam ille vero Siculus, nisi Syracusius Philistus, historicus, qui sit pæne pusillus Thucydides, id est, pæne alter Thucydides, quia maxime Thucydidem est, sicut Ciceroni videtur, imitatus. Itaque hunc errorem suum erroribus magnorum virorum annumeret licet, qui lapsus est in loco facili minimeque lubrico tam graviter.

Redeo ad Terentium, cui Varro, ut a me paulo ante dictum est, palmam in imitandis & exprimendis moribus, & proximum post Cæcilium locum dedit. Nec suam tantum Horatius de eo sententiam profert, sed communem prope omnium & publicam, cum dici ait, Terentium arte vincere. Hanc porro artem vetus interpres Horatii Acron definit, atque explicat, proprietatem verborum, & artis grammaticæ. angustius meo judicio. Citius dixerim artem intelligi poeticam, eamque præsertim, quæ certam rationem ac viam præscribat docentibus fabulas, detque præcepta, quemadmodum componendum sit argumentum, vita effingenda communis, quæ subsequi sententiæ, quæ verba comitari debeant. De Volcatio Sedigito quid dicam, qui non comicos solum poetas collocavit ordine, sed suam cuique comœdiæ quasi sedem pro dignitate posuit? Cum sit Plautus ejus judicio secundus, Terentium rejicit in sextum locum, & Hecyram sextam quoque vult esse, atque ultimam Terentii fabularum. Admirabilior etiam Servius in opinando, qui non jam sextum numero & gradu Terentium, sed primum eundem & postremum comicorum facit, & simul illum omnibus, omnes illi anteponit. *Sciendum est*, inquit, *Terentium*

tium

tium propter solam proprietatem omnibus comicis esse præpositum: quibus est, quantum ad cetera spectat, inferior.

Atque hactenus antiqui scriptores, penes quos cum esset omnis copia comicorum, poterant illi quidem, comparatis inter se multorum opibus, vim cujusque ac virtutem æstimare. Nunc videtur ipsum tempus ademisse nobis potestatem hac de re cognoscendi, & secundum Plautum Terentiumque pronunciasse, quos ejus beneficio salvos tantum ac velut superstites, aliis perditis, habemus. Et quidem de ambobus, uter utri anteferendus esset, superiore sæculo controversia extitit, quæ nostro dirempta nondum est. Quod ad me attinet, dicere juvat de Plauto ac Terentio id, quod Theocritus de Damœta & Daphnide, quorum ille tibia, hic fistula præclare cecinisset: *Neuter vicit, invicti utrique discesserunt.* Aut certe utrique victi pariter & victores: propterea quod, in arte sua clari cum sint & insignes, alter altera re, sive magna, sive parva, præstet. Satis hic superque habeo, nihil residere ferme scrupuli ac dubitationis, quin superet Plautum Terentius elegantia loquendi. Etenim tempus huic aperte favet, ante quod tempus sermo antiquior, horridiora verba: & adjuvabant hominem, unaque scribebant Scipio ac Lælius, primi duo civitatis: & id unum ipse studebat præter cetera, ut pure nitideque loqueretur. Quod studium suum & conatum, & quam sibi bene successisset, profiteri ausus est in prologo. *In hac*, inquit, *comœdia est pura oratio.* Neque idcirco nullum aliquando vitium, nullam labem aspersit orationi, si modo recte Donatus animadvertit. Eunucho enim, ubi Thraso, *Risu omnes, qui aderant, emoriri*, sic est apud Donatum: *Disciplina est comicis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba adscribere ridiculis imperitisque personis. ut Plautus, Latronibus ego denumerem stipendium, inquit, ex persona militis. Itaque hic Emoriri dixit: at vero Atticus adolescens in Heaut. Emori cupio. Vide igitur poetam pro loco ac tempore scire quid dicat.* De reliquo, si necesse est, aut si ad rem confert aliquid, ut ego quoque arbitrio meo faciam partes inter duos, & suum cuique tribuam distinctius; Plauto copiam rerum & verborum, Terentio delectum & munditiam adjudico. illius vero plerosque jocos populo & multitudini relinquo lubens: hujus, reservo eruditis atque honestis. sic tamen, ut utrumque scriptorem existimem a sæculi nostri jocosis scriptoribus longe alienissimum.

II. VIRGILIUS.

NORUNT hoc omnes, a Plauto Terentioque fabulas in usum scenæ comparatas, & quodammodo natas esse. Sed illud, quod est interius atque abstrusius, plerosque fugit minus curiosos, etiam aliquam scenæ operam præstitisse & Virgilium in bucolicis, & Ovidium in elegiacis, quorum alter prudentissimus, alter ingeniosissimus merito poetarum inter Latinos habeatur. Et Virgilii quidem vitæ sive auctor, sive ex diversis auctoribus concinnator, tradit non eum modo carmina universe sua recitasse, magno successu & favore, in cœtu amicorum, & virorum principum: sed illius quoque bucolica per cantores & symphoniacos in scena pronunciari solita, quibus audiens multitudo applauderet. Hoc idem de sexta ecloga, quæ Silenus inscribitur, apud Servium legimus, eam a Cytheride, famosa illa Volumnii liberta, cantatam in theatro. Tametsi quod uterque adjungit, versibus istis audiendis interfuisse M. Tullium, cum totam quandam ab initio eclogam revocaret, ac repeti curaret, prætereaque tum ad sui, tum ad poetæ prædicationem exclamaret, Magnæ spes altera Romæ; falso dici bene subducta temporis atque annorum ratio convincit. Quæ poetæ ecloga non innuit ac sonat aut Octavium Cæsarem jam potitum rerum, aut Asinium Pollionem, Alphenum Varum, Cornelium Gallum, & similes, Octavii Cæsaris gratia & opibus florentes, amicos? Facile ut appareat, post triumviratum reipub. constituendæ, Virgilii editas eclogas, ac decantatas fuisse. quo Cicero tempore, cum magna ipse pars teterrimæ proscriptionis extitisset, neque venire in theatrum ac frequentare ludos, neque poetæ cujusquam audire versus potuit. Accedit, quod tres numero grammatici, quos de vita & libris P. Virgilii Maronis scripsisse constat, Servius, Tiberius Donatus, Probus, uno quasi ore consentiant, fundi amissionem paterni, quem in agro Mantuano haberet, causam ei præbuisse bucolica scribendi: amissum porro fundum, cum mulctarentur Cremonenses, atque ex parte Mantuani possessionibus moverentur suis, eoque milites veterani deducerentur. Quæ omnia Ciceronis consecuta sunt necem, ac, si verum certumque tempus quærimus, statim post Philippensem victoriam gesta. Quamobrem iidem isti scriptores, vel potius qui tantis nominibus abusi, addiderunt multa de suo, ridicule peccant bis terque, & quia personas, & quia res, & quia tempora confundunt. Placet iis Maronem aggressum primum ad bucolica, cum esset annos viginti octo natus. Esto. At iidem factum volunt post Actiacam victoriam: ex quo sequitur, ut quadraginta annos habuerit. Cæsarem Augustum gessisse bellum narrant cum Julii Cæsaris interfectoribus, & cum M. Antonio. Vere dictum. Sed bellum duplex, & temporibus, ac personis quodammodo diversum. siquidem & inter utrumque anni interfuerunt duodecim, & prius Cæsar atque Antonius administrarunt conjunctis copiis, posterius Cæsar adversus Antonium. Dicuntur Cremonenses modo stetisse pro Antonio contra Cæsarem: modo, civitatibus Italiæ diversas partes sequentibus, neutri, id est, neque Antonio, neque Cæsari, cum ab hoc poscerentur tamen, opem tulisse. Mantuani vero alias peccasse idem, quod isti: alias nulli affines culpæ fuisse. Sed in re nulla erratum est ab iis constantius, quam in isto, quod triumviralis divisio & assignatio agrorum ad Antonium usque devictum differtur. Verumtamen quomodocunque sese & hæc, & illa habeant, ambigi non debet, quin recitarentur Virgiliana in theatro, & cantarentur, spectatore populo Rom eodemque plausore. Qua de re extat apud auctorem de causis corruptæ eloquentiæ insignis locus. *Virgilius suo in secessu neque apud divum Augustum gratia caruit, neque apud populum Rom. notitia. Testes Augusti epistolæ: testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, & forte præsentem, spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum.*

Ad-

Adde huc, quod observatum est a Probo curiosius forsan, quam verius, ipsum in bucolicis Virgilium designasse, quam eclogam, quamve partem eclogæ concini oporteret. id esse notæ atque indicii, si fecerit carminis mentionem: id quasi signum datum cantandi. ut in ecloga secunda, quia cantanda tota erat, idcirco dici a principio, *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas.* in tertia ecloga, quousque cantu nihil opus fuit, multa præmissa, quibus animi præpararentur: ubi cantari decuit, commonstratum his verbis: *Ab Jove principium Musæ: Jovis omnia plena. Ille colit terras: illi mea carmina curæ.* Quod idem in reliquis eclogis licet animadvertere.

Ut igitur ad rem propius accedam, erat Virgilii eclogas scribentis, sic tanquam theatrales cantiunculas, quas mirifice placere intelligeret patribus plebique, omni eas lepore, omni suavitate condire: aucupari etiam genus voluptatis aliquod ex imitatione sermonis, quo plebecula non urbana tantum, sed etiam rustica gauderet; si rem studio dignam aliquo, aut opera putasset. præsertim eum eo illum invitabat pastoralis ac plane rusticea materies, & infima introducta personarum conditio: ut nihil alienum agrestes viderentur facturi, si lingua sua loquerentur. Ab isto autem quantum Virgilius abfuit? quantum ejusdem ætatis homines, ad quorum sensum & voluntatem accommodabat consilium suum? qua religione versatus est in minimis ac tenuissimis argumentis? quem delectum habuit verborum? quam dictionis curam? quid Melibœus & Tityrus, quod non Augustus dicat, loquuntur? quid Thyrsis & Corydon, quod non Amaryllis, sive Roma usurpet, sonant? Nec vero turpe sibi duxerit consul, aut senator, aut optimatum aliquis iisdem verbis, etsi non eadem sententia, uti, quibus usos poeta pastores inducit. Qui licet in poetico genere, & suo, perfectissimus absolutissimusque sit, sic proprie loquitur, ut, si numeros demas, adhibere cetera propemodum omnia in soluto sermone recte possis, nec diligentius quisquam, nec magis Latine loquatur orator. Quæ causa fuit, ut columen Latinæ linguæ audierit: quasi tum etiam lingua Latina unius viri humeris niteretur, cum maxime staret ipsa per se, ac multitudine scriptorum, ingeniorum contentione, literarum, & doctrinæ, & humanitatis studiis vigeret. Neque, opinor, tale ac tantum nomen adeptus est magis libris Æneidos scribendis, quos imperfectos reliquit, quam bucolicis, & georgicis, quibus imposuit extremam manum. Ac ne sic quidem effugere potuit reprehensionem, & cachinnos quorundam, qui sint illum cavillati, propterea quod priscis verbis unis, aut alteris usus esset. Quod enim sciens ac prudens ad vitandum, ut vetus interpres existimat, ὁμοιοτέλευτον, interposuerit, *cujum pecus;* sic est ei, quasi rustice, neque Latine locuto, illusum: *Dic mihi, Damœta, cujum pecus anne Latinum? Non: verum Ægonis. nostri sic rure loquuntur.* Quinetiam solœcismos in altero isto post Ciceronem parente & auctore linguæ Latinæ critici videntur ausi notasse: &, quanquam his multo reverentior Servius, aliquod tamen ei solœcophanes identidem objicit, aut objectum refert ab aliis, nec purgat ipse semper, neque excusat. Qui quidem poeta si non ex toto, aut si non tam longe discreparet a Gelasimis, sed ex millesima parte ad hanc illorum pravitatem in loquendo, & perennem licentiam accederet: quid eo factum fuisset, cui non impunitum sit, quod iterum ac tertio admisit? Quid, quod neque in paucis istis captavit risum, neque alibi usquam: contraque, tria dicendi genera triplici opere cum complexus sit, neque consilio, neque re, ab justa & legitima amplitudine, & digna cive Romano honestate discessit, ubique sine humilitate moderatus, ubique sine molestia gravis? Itaque in apologia prima Apuleius Æneida, quod alii divinum opus vocant, apposite, meo judicio, serium opus nominavit, eaque sola appellatione, cum nihil subjungeret aliud, voluit intelligi. *Si Virgilium, inquit, legisses, profecto scisses, alia quæri ad magiam solere. Ille enim, quantum scio, enumerat vittas molles, & verbenas pingues, & thura mascula, & licia decolora: nec minus, quæ jam in opere serio scripsit, Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis pubentes herbæ.* Perinde quasi eclogæ decem prolusionum ac velitationum haberi loco debeant hominis posterius in duodecim libris Æneidos seriam rem acturi.

Quo indignius factum videri debet, ut, qua potissimum parte summus poeta gravitatem tandiu tenuit, desiliat ad infimam scurrilitatem, non sponte sua, sed vi magna quadam, a male feriatis hominibus impulsus, & ad ludibrium omnis officii decorique circumductus. Quæ persona, quæ larva, qui centones, & obsoleti lacerique panni tam bene regem unum aliquem dedecorando celant in scenis, quam bene vernaculus istorum sermo principem poetarum deformat, & notis ignotum reddit? Quid habet illius, quem Mæcenas cumulavit donis? cujus paucissimos versus grandi pecunia remunerata est Octavia soror Augusti? quem ipse Augustus sic habuit in pretio, ut ad eum ex Cantabria procul ab urbe, atque inter medias belli curas, scriberet, deque scriptis ejus recentibus aliquid ad se mitti vellet? Quis jam hunc eundem Virgilium in Virgilio non requirat? vel dicam, quis pro Marone antimaronem, hoc est, pro belli duce calonem, pro cive ingenuo & libero servum, pro philosopho morali & politico stultissimum mortalium nugatorem non agnoscat? Præclaram vero cogitationem de majestate linguæ Romanæ, deque poesi Latina: egregiam pueri, mulierculæ, alii, quotquot Latine nesciunt, opinionem suscipiunt atque informant de divino poeta, quem sic loquentem audiant, aut legant, ut inter infimos quosque, & vilissimos bubsequas, & caprarios, & subulcos neminem. Etenim si Homerum Hieronymus ridiculum existimat, & merito existimat, quem nimium fidus interpres, verbum pro verbo reddendo, expresserit; hincque forsan est, quod complures primum omnium poetarum non tanti faciant, quanti fieri oportet, quantique summus artis poeticæ doctor & magister Aristoteles fecit; cum eum non ex linguæ suæ divitiis spectent, sed ex inopia & tenuitate interpretis: quanto magis ridiculum Maronem intelligimus, & deformem factum esse, & mutatum a seipso, quem tabernariis & circumforaneis verbis, sic tanquam plebeia & famulari veste; miseri in-

interpolatores induerint? Qui profecto tantum poetam ignorant funditus, neque gustum, aut sensum ullum habent tam præclari operis. Quemadmodum enim singulares, & eximiæ, inusitatæque formæ, si aspiciantur subito, etiam ab infensissimis hostibus nonnunquam impetrare pacem solent, ferrumque de manibus extorquere: ita pulcherrima species, & forma divinæ poeseos, si nota fuisset violatoribus suis, ut tantam ab se injuriam abstinerent, sine dubio exorasset. Ac vide, BALZACI, de istorum hominum consiliis, & instituta ratione quid sentiam, quidve primum venerit in mentem, cum personatos aliquot ejusmodi, & ementitos Virgilios; neque enim hanc ab uno duntaxat contumeliam passus est; in manus sumpsi. Mihi visi sunt, qui nobilissimum & clarissimum poetam fœditate interpretationis suæ turparunt, eodem illum modo tractare voluisse, quo Didonem tractavit prius, adeoque vices innocentis & calamitosæ reginæ ulcisci. Ut is enim Didonem Æneæ turpiter indigneque prostituit, neque ullam rationem habuit vel temporis, cum ab Ænea Dido distaret ipsis trecentis annis; vel famæ & existimationis publicæ, quod eadem omnes ætatis suæ feminas pudicitiæ laude anteiret: ita isti nulla ingenuæ artis præstantia, nulla principis poetæ dignitate deterriti sunt, quo minus puram & castam poesim, corruptam & adulteratam extruderent in publicum, diffamarent malis dictis suis, eique, quantum possent, petulanter illuderent. Hoc discrimen intercedit, quod amor patriæ, odiumque hostium, tantum potuit suadere malorum civi Romano adversus Carthaginenses, ut si non justam nec idoneam Virgilius, at probabilem & speciosam excusationem habeat criminis conficti, dissimulati erroris. De nobis autem optimus omnium poeta quid, obsecro, meritus est, quod eum tam fœde, tam illiberaliter, tam inhumane habuimus? Nisi forte desperationis nostræ culpam sustinet, & ea cavillamur, quæ nulla assequi ratione possumus: aut quia olim Virgilius gemmas ex Enniano stercore legit, idcirco eum nunc projiciendum in stercus plusquam Ennianum esse duximus, & immergendum penitus, ut nulla parte sui, nomine solo & inscriptione operis extet atque compareat. Quanquam hic ego nostris hominibus non habeo quid præcipue succenseam, cum nihil in isto genere per se ac primi, sed exemplo & imitatione peccarint. Sicut nec ipsi præter ceteros succensere mihi debent, si commune factum, & aliorum potius, quam Gallorum, reprehendo. Fecerunt videlicet flagitium antea & Joannes Baptista Lallius, cujus Æneis *travestita* mihi casu nuper occurrit, & alii, ut audio, recentes Itali scriptores. A qua utinam gente tam repeteremus ac mutuaremur virtutes, quæ sane & multæ & magnæ sunt, quam æmulari vitia solemus. Cum vita, fama, res, integrior plerisque nostrum esset: tum vero P. Virgilium Maronem ab impuris & illotis manibus haberemus intactum.

Atque hoc ego disserui, quantum esse visum est, ad ostendendam dissimilitudinem omnium operum Virgilii, & jocularium ævi hujus libellorum, satis. Ut vero in bucolicis, unde orsa est, terminetur oratio, tu mihi velim, BALZACI, aperias mentem & sententiam Ælii Donati, cujus hæc verba sunt in cunctis, quotquot videre licuit, codicibus. *Cur non plures, quam decem eclogas, conscripserit, nequaquam mirandum videbitur ei, qui consideraverit ætatem scenarum pastoralium, quæ ultra hunc numerum proferri non potest.* Quænam illa tandem ætas scenarum pastoralium? Vivunt scenæ scilicet? vigent? sentiunt? certos decurrunt vitæ, & ætatis annos? At quomodo, & quandiu, & cur non amplius, quam decennium? Dum tu hoc tecum meditabere, & sensum ex his verbis aliquem, qui aut nullus videtur esse, aut obscurus, extundere curabis; vide numquid te conjectura adjuvare mea possit. Ubi nunc habetur, *Qui consideraverit ætatem scenarum pastoralium*, primo scriptum arbitror fuisse: *qui consideraverit varietatem scenarum pastoralium* deinde autem librarium imperitum prorsus, aut inepte callidum, cogitasse ultimas syllabas duas verbi superioris, *consideraverit*, easdem esse, ac primas duas verbi consequentis, *varietatem*, adeoque per imprudentiam scribi, *vari*, post, *verit*, quod detrahendum sit; atque ita detraxisse, &, *ætatem*, quod supererat, pro, *varietatem*, reliquisse. Quod si jam revocetur lectio prior, ut sit varietas scenarum pastoralium; erit in promptu, nec improbabilis hæc illius loci sententia: Unius eclogæ sua & una scena est, suum argumentum; duarum eclogarum duplex; multarum diversum. Servius in ecloga tertia. *Qui bucolica*, inquit, *scribit*, *curare debet ante omnia, ne similes sibi sint eclogæ: quod etiam Virgilius fecit. Nam prima habet unius otium, & alterius, qui de suo agro pellitur, conquestionem. Secunda amantem exprimit rusticum. Hæc vero lites habet & altercationem.* Varietas igitur pastoralium scenarum est varietas argumenti, quod ecloga sibi quæque proponit, atque exequitur. quæ varietas magna esse non potest, quia non multa cadunt in communem vitam pastorum, quæ poeta exprimat versibus, quæque exhibeantur in theatro. Itaque argumenta eclogarum, vere & proprie rustica, reperias ad summum decem. ac ne id quidem: cum valde metuat Virgilius, ne tres eclogæ suæ ex decem, minus rusticæ, nec proprie bucolicæ videantur Sed quid opus est commentatione majori vel mea, vel denique tua; cum nullum dubitandi relinquat locum Servius, ut qui in eadem re, de qua Ælius Donatus egit, eandem vocem varietatis usurpet? *Est sciendum*, inquit, *septem eclogas esse meras rusticas. Hic in tribus a bucolico carmine, sed cum excusatione, discessit: vel ut ex insertis altioribus rebus posset placere: vel quia tot varietates implere non poterat.* Quid hoc postremum est, nisi istud? Satis varius esse non poterat ad tot eclogas: sive, argumenta diversa ei, & sat multa non suppetebant, ut eclogas decem, quæ quidem proprie eclogæ essent, conscriberet. quod potuit per ejusmodi materiæ penuriam & angustias, fecit, atque adeo septem numero conscripsit. in ceteris deprecatus est culpam, & veniam quodammodo petiit. In quo fuisse ferunt circumspectiorem & consideratiorem Theocrito, qui multo majorem numerum profuderit eclogarum, sed nequaquam intra fines & terminos pastoralis argumenti.

III. OVIDIUS.

QUI primi ſcripſerunt alternos verſus minuſculos, & uno quaſi pede breviores, his verſibus querelas & expoſtulationes ſuas complecti cœperunt, atque ita dolere & angi, & præ ſe triſte aliquod deſiderium in jactura atque damno ferre. Hanc ipſam rem elegiæ nomen indicat, a gemitu & commiſeratione tractum. Ac ratio carminis mutila & curta, & ſecundo quoque verſu claudicans, innuere videtur aliquid compoſitori deeſſe ſuo, quo indigeat, & quod requirat, ut ſit perfectior atque completior. Poſt autem in contrariam partem itum eſt omnino, ut, quemadmodum lyricorum jucunditas, iamborum amaritudo, luſus epigrammatum, ita laſciviæ elegorum dicerentur; quod votorum facti compotes ejuſmodi poetæ omnibus lætitiis, ut ſic loquar, inceſſerint. Quid enim aliud aut potius agant, qui delicatiſſimis & tenerrimis verſibus amores exprimunt vel ſuos, vel alienos, vel nullius & confictos, niſi geſtiant, & exultent, atque etiam flendo, ſi quando flere coguntur, rideant?

In hoc artis poeticæ genere ſingulares & eximios uno eodemque Auguſti ſæculo quatuor conſtat extitiſſe, quorum alius alium, tanquam ætatis pariter & gloriæ ſucceſſor, exceperit, Gallum, Tibullum, Propertium, &, qui ſe iſtis jure optimo quartum annumerat, Ovidium lib. IV. Triſt. eleg. 9.

Succeſſor fuit hic tibi, Galle: Propertius illi.
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.

At ſtatim ab obitu Ovidii, Velleio hiſtorico ſatis duo fuerunt, Tibullus & Naſo, quos eſſe dixerit in forma operis ſui perfectiſſimos. Quanquam centum poſt annis nec plures, nec alios, quam qui ab Ovidio ipſo memorati ſunt, Quintilianus protulit, oratori legendos, quem informaret: credo, quod ab Ovidiano tempore ad ſuam uſque ætatem, tanto intervallo nullos nactus ſit, memoria ſatis & commendatione dignos. Jam Galli, qui duriuſcule putatur ſcripſiſſe, nihil pervenit ad nos, injuria & iniquitate temporum. Tibullum, ita ut erat, accepimus, exacultum atque expolitum. Eſt Propertius in manibus, & oris blandi poeta, & altioris ſpiritus, & fabulis creber, & imitatione Græcorum doctior.

Quibus ego tamen haud dubitem Ovidium longe anteponere, non ſcriptorum tantum numero & multitudine, ſed cum amœnitate quadam ingenii, tum larga & felici copia rerum ac ſermonis: eaque ſimplicitate præterea, quæ cuivis imperito prima fronte videatur eſſe maxime ad imitandum facilis, cum nihil ſit experienti difficilius. Accedunt accurati & diligentes numeri, qui & ſine concurſu vocalium atque eliſione fluant, & verſu impari ſuo in vocem duarum ſyllabarum, vix unquam in trium, aut quatuor, deſinant leniter, & comprehenſionem ſententiæ ac velut ambitum, mediis quibuſdam inſertis atque inter ſe nexis, efficiant ut plurimum per binos verſus, interdum per quaternos, aut per ſenos etiam continuos. Atque hic, quantum conjicere licet, color & facies eſt, ex qua ſe facile, qui ſit, deprehendi, ſuaque agnoſci ſcripta poſſe ait: ut, etiamſi maxime velit, ſibi latere non liceat in occulto. lib. IV. de Ponto, eleg. 13.

Unde ſaluteris, color hic tibi protinus index,
Et ſtructura mei carminis eſſe poteſt.
Non quia mirifica eſt, ſed quod non publica certe:
Qualis enim cunque eſt, non latet eſſe meam.

Quanto ergo maximus eſt Ovidius quatuor elegiæ poetarum, & poetico ingenio, cujus eſt delectare, & elegiaco, ſi dici licet, ingenio, cujus eſt amores deliciaſque deſcribere carminibus: tanto de eo minime in re noſtra videtur eſſe reticendum. Serviit ſpectantium auribus, ut dicere cœperam, & multitudinem tenuit: primo, cum verſus recitaret ſuos frequentiſſimo conſeſſu, maximaque corona. id quod jam inde ab ineunte adoleſcentia, cumque adhuc propemodum imberbis eſſet, ſicuti loquitur, fecit. lib. IV. Triſt. eleg. 10.

Carmina cum primum populo juvenilia legi,
Barba reſecta mihi biſve ſemelve fuit.

Quo loco ne putaris, BALZACI, populi voce, id quod nunc a noſtris intelligitur duntaxat, intelligi, rude & ignarum literarum vulgus, infimamque fæcem civitatis, cui ſe Naſo recitaturus, & feſtiva ſua poemata committeret. quo more hic Lutetiæ, in pontibus & triviis, abſurdæ cantiones etiam cantitantur abſurdius: ubi neque ſpectat, neque ſpectatur vir quiſquam honeſtior, niſi forte deriſui ſe & ſpectaculo ipſe eſſe velit. Cum populum dicimus, ſonat ea vox Latine, auribus quidem Romanis, ſupra ſignificatum ſuperiorem, tria quædam quatuorve: primo omnem partem civitatis, omneſque ejus ordines: deinde univerſos excepto ſenatu cives: tum reliquos præter eundem ſenatum & equites: poſtremo quidquid eſt, ut certe aliquid eſt, a plebe ſeorſum diviſum. Itaque per id unum vocabulum præſto eſſe potuerunt Ovidio recitanti ex ordine ſenatorio, ex equeſtri, ex magiſtratibus ipſis, ex omni nobilitate: ſatiſque eſt ad vim & poteſtatem vocis implendam, ut non privatim uni, aut alteri amico recitarit, ſed palam in auditorium advocarit quoſvis, aut qui ſponte intervenirent, admiſerit. Ut autem recitavit ipſe aliis: ſic alii eadem, quaſi dictata excepiſſent, reddiderunt cantu. Ac morem intelligo fuiſſe, ejus ut elegi vulgo ediſcerentur, atque ab omnibus quidem promiſcue & communiter, ſed ab adultis virginibus præſertim, & nobilibus matronis canerentur.

Moverat ingenium totam cantata per urbem,
Nomine ſub ficto dicta Corinna mihi.

Quod ni mos eſſet ita fieri tota paſſim urbe, nequaquam is, ut fieret, hortaretur ac præciperet in libro tertio de arte, luculento ſane & illuſtri ad rem cognoſcendam loco:

Res eſt blanda canor: diſcant cantare puellæ.
Pro facie multis vox ſua lena fuit.
Sit tibi Callimachi, ſit Coi nota poetæ,
Sit quoque vinoſi Teia Muſa ſenis.
Et teneri poſſis carmen legiſſe Properti:
Sive aliquid Galli, ſive, Tibulle, tuum.
Forſitan & noſtrum nomen miſcebitur iſtis:
Nec mea Lethæis ſcripta dabuntur aquis.
Atque aliquis dicet, noſtri lege culta magiſtri
Carmina, queis partes inſtruit ille duas.
Deque tribus libris, titulus quos ſignat amorum,

Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi composita cantetur epistola voce:
Ignotum hoc aliis, ille novavit opus.

Ac ne in funeribus quidem non cantabantur inter ludos ea, quibus prosecutus esset laudes mortuorum. lib. 1. de Ponto, eleg. 8.

Cui nos & lacrymas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.

Nec vero solummodo cantati voce Ovidiani versus, sed saltati etiam in scena, principe ac populo spectatoribus. Trist. lib. II.

Et mea sunt populo saltata poemata sæpe.
Sæpe oculos etiam detinuere tuos.

Trist. lib. v. eleg. 7.

Carmina quod pleno saltari nostra theatro.
Versibus & plaudi scribis, amice, meis.

Quid porro illud est, saltari poemata, nisi & ad verba, & ad numeros accedere aptum, & concinnum, & ex arte ac disciplina motum jactationemque membrorum corporis? Sed quorum præcipue? pedum, an brachiorum? Revera brachiorum. Scis ipse, non dubito, BALZACI; quod ego observavi eo diligentius, quia mirum visum est, & a ratione nostrorum temporum alienum; in saltatione quidem nostra haberi maxime pedum movendorum rationem, docerique nostros homines, eos ut dirigant & moderentur certa lege ac norma: in veterum saltatione primum ac præcipuum fuisse, ut gestus agerent brachiis, & inflecterent lacertos ad numerum. Ex quo, si veram & distinctam notionem quærimus utriusque saltationis, apud nos saltare proprie sit, ex arte movere pedes, apud illos fuerit, ex arte brachia movere. Tam clara res est ista Romani moris apud Nasonem, quam nostra usu quotidiano & experientia patet. libro de arte

I. *Si vox est, canta: si mollia brachia, salta:*
Et quacunque potes dote placere, place.

II. *Brachia saltantis; vocem mirare canentis:*
Et cum desierit, verba querentis habe.

III. *Quis dubitat, quin scire velim saltare puellam,*
Ut moveat posito brachia jussa sono.

Erant igitur in ore, atque in oculis omnium, quæ semel Ovidius scripsisset; cum recitarentur palam, canerentur tot modis, adhiberentur ad saltationem in theatro. Ac licet neget ipse, eo se consilio quidquam scripsisse, ut scena usurparet; *Nil equidem feci, tu scis hoc ipse, theatris; Musa nec in plausus ambitiosa mea est:* fiebat tamen, & fieri norat: norat sibi plaudi a populo, se placere principi. Quo magis ei laborandum fuit, ut nihil ab arte sua, & industria, vique ingenii, qua valeret in inveniendis, & exornandis rebus, tam secundis & gratis auditoribus deesset ad voluptatem.

Cui quando suboluit, aut omnino venit in mentem variegatum illud, & ex antiquis novisque verbis confusum orationis genus, quo ridiculi hodie scriptores utuntur? Quando, quem lasciviorem ferunt Tibullo & Propertio, id est, copiosiorem, & redundantiorem fuisse, hanc lasciviam & luxuriem sermonis quæsivit? Quando qui ingenio nimium suo indulsisse dicitur, usque eo indulsit? usque eo grammatica, poetica, literis aliis abusus est intemperanter? Utrum florenti ætate, & salvis integrisque rebus, cum læta & jucunda plurima lusit: an extremis vitæ & adversis temporibus, cum in ultimos relegatus imperii Romani fines, inde carmina quam elaboratissima Romam misit, quibus memoriam & desiderium excitaret sui? Amatoria quidem ab illo videmus conscripta tripliciter. Aut enim ejus quasi manu & stilo usæ veteres heroinæ literas ad amatores suos exararant: aut ipse persecutus est suos amores elegiis & voluminibus: aut amationem denique totam redegit in artem, illigavitque præceptis; cui demum præsens, tanquam morbo & ægritudini, remedium subjecit. Jam in heroicis illis epistolis, quod scribendi genus tenerum, solers, eruditum primus invenit, cum sic ante eum nemo scripserit; quæro, quo loco ulla herois, quæ amet; amant autem omnes; blanditias dixit ullas verbis pravis & antiquis, ævique sui potius, quam bonis, & Ovidianis, & Augusti sæculo usitatis? In tribus vero libris amorum, ubi amat hic scriptor, aut profecto bene simulat, cur non, sicut amantes aut blæso nonnunquam loquuntur ore, aut voces interrumpunt suspirio & raris lacrymis, aut alia plura nugantur; sic ipse ludicra & jocularia quædam a fatuis & stolidis, locutionem incultam, & silvestrem, & horridam mutuatus est a rusticis, quo licentius lasciviret ac jucundius? Cum autem, libris totidem de arte, præcipit amanti viro, ut duas saltem linguas, Latinam & Græcam, notas habeat penitusque perceptas; cum amantem feminam docet, quam recte loqui & scribere oporteat, ne formæ, ut fit, noceat barbarie quadam sermonis: tam oblitus est sui, ut non poneret utrumque fieri amabiliorem posse, rudium facetiarum & impolitæ urbanitatis usu? Tam parum callidus artifex inveniendæ novæ voluptatis, & orationis condiendæ fuit, ut non cogitarit, neque senserit, quantum salis amantibus, quantum ingenui saporis accerseretur, si sic inepte stulteque fabulari, & agere nugas, necdum usitato more, didicissent? Nam Ovidius, in exilio cum esset, quam longissime ab urbe, & a suorum conspectu, si ad lætiorem hunc & remissiorem stilum, & lusum juvenilem, præsertim id ætatis, non descendit, minime mirum debet videri. Et tamen qui tantam diligentiam adhibuit in scribendo, quantam antea, majorem etiam conatum attulit ad capiendum retinendumque lectorem, quam alias unquam; adduci certe potuit, ut illuderet chartæ & atramento ad modum nostratium, si quid inde gratiæ se collecturum speraret. Neque enim, BALZACI, ullo pacto eis assentior, qui, quod excuset Ovidius sæpenumero & naturam gravitatemque loci in quo versatur, & ferociam atque incursus finitimorum hostium, & mœstitiam præsentis mali, & metum futuri majoris; idcirco fidem habeant dicenti se versus nequaquam scribere posse tolerabiles, existimentque postrema poetæ opuscula longe primis concedere. Non attendunt videlicet critici sagaces neque ipsa scripta per se, neque animum scribentis. Eo animo cum scriberet, ut placeret Augusto, atque intimis & familiaribus Augusti, intelligeretque in maxima multitudine poetarum, qui tum Romæ florerent, etiam sua universo populo Romano probari; se hac una re, si misericordiam moveret, restitui posse in integrum, & de exilio reduci: ei certe non fuit

ulli

ulli operæ, neque labori, neque industriæ parcendum, ut ne aliis, seque ipso inferior videretur: præsertim cum non jam de adipiscenda gloria, ceu quondam, sed de salute recuperanda contenderet. Porro cum duplex illud opus, Tristium ac de Ponto, non temere nulloque delectu, ut ait tamen auctor, coaluerit, sed apte & ordine dispositum habeatur, sic ut prima uniuscujusque libri elegia prima esse, ut est, ultima item ultima esse debeat, mediæ loco sint suo, vixque aliæ aliis præmitti aut postponi recte possint: tum vero cave putes, BALZACI, reperiri quidquam singulis elegiis aut ingeniosius ad inventionem, aut distinctius ad varietatem, aut copiosius ad ornatum, aut cohærentius ad unius ejusdemque rei tractationem. Itaque novissima hæc Ovidiana, cum optimis quibusque anteactæ ætatis & prosperioris fortunæ, sine cunctatione contulerim, ac, si materies jucundior subesset, etiam nonnullis prætulerim. Hoc illo igitur tempore, quo Ovidius Romam, mœstissimus ipse, exhilarare nitebatur suavitate carminis, & vero exhilarabat; cur non fecit prudens & sciens, ut voces peregrinas & provinciales sermoni admisceret suo, & novitate dictionis se suis antiquis commendaret civibus ac venditaret? Cur, per desuetudinem patriæ linguæ ne qua sibi parum Latina exciderent, tantopere metuit? Cur limam tam acrem, tamque assiduam adhibuit; cum peccare in isto genere non modo cum venia, sed etiam summa cum laude potuisset? Quid, qui Getis, novis civibus, gratum ut faceret, Getice scripsit, non sine aliquo tamen, quemadmodum fatetur, pudore suo, atque ita immunitatem ab eis quandam consecutus est, & corona publice donatus? Quod si turpe visum est civi Romano aliena lingua scribere apud externos homines, etsi ineundæ gratiæ causa, & quasi necessario, & coactus faceret: quanto turpius fuisset, linguam suam dedecorasse inter suos, & verbis inquinasse transmarinis ac barbaris, homini Romæ agenti, cui essent omnia solutissima, nec ope cujusquam & præsidio egeret ad retinendam incolumitatem & statum?

Sed quid ego plura de hac re disputo incassum? Hebes Ovidius: insulsa Corinna: populus Romanus palatum non habet: eruditissima Augusti & domus, & cohors nescit literas: ex ea domo Cajus Julius Higinus, illustris grammaticus, idem palatinæ bibliothecæ præpositus, idem Ovidio familiarissimus, nihil judicat. Soli scriptores nostri ingenio, arte, elegantia in omni judicio pulcherrimarumque rerum gustu, valent.

IV. PHÆDRUS ET AVIENUS.

NARRA mihi, BALZACI: aliquis olim certus ac destinatus sermo fuit, quo famuli interdum soli uterentur? aut quis iste tandem, & cujusmodi? Equidem sic reperio: cum infimæ illius conditionis suæ tæderet servos, vehementerque pœniteret, ac magnum eos odium cepisset improbitatis, & sævitiæ dominorum, per quos ne liberam quidem linguam haberent ad querendum; apologos instituisse vernilis festivitatis & licentiæ, quibus se vindicarent quodammodo de fortuna, & herilem naturam, mores, facta quovis homine sive servo, sive libero indignissima, perstringerent arbitratu suo. Audi Phædrum libertum, adeoque servum prius: lib. III.

Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo: Servitus obnoxia,
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictus elusit jocis.

Quam deinde causam, tametsi temere, arripuit Julianus imperator in Heraclium quendam Cynicum invehendi; quod, liber & ingenuus cum esset, fictas & commentitias fabulas adhibuerit in oratione, Æsopeo more: quasi palam & aperte non ausus sit, sine adumbrata specie, & obscuris simulacris, verum loqui. ᾧ γὰρ ὁ νόμος οὐ μετεδίδου παῤῥησίας, τούτῳ προσῆκον ἦν τὰς συμβουλὰς ἢ πεποικιλμένας ἡδονῇ καὶ χάριτι παραφέρειν. οἱ μὲν οὖν καὶ τῷ κυνὶ προσήκει ταύτης τῆς δουλείας· λεγέτω, γραφέτω, παραχωρείτω τῆς μυθολογίας αὐτῷ πᾶς ὁστισοῦν. εἰ δὲ μόνος εἶναί φησιν ἐλεύθερος· ὅποι τι χρήσεται τοῖς μύθοις, οὐκ οἶδα. Πότερον ἵνα τὸ πικρὸν, καὶ δάκνον τῆς συμβουλῆς ἡδονῇ καὶ χάριτι κεράσας, ἅμα τε ὀνήσῃ καὶ ἀποφύγῃ τὸ προσλαβεῖν ἐκ τοῦ ὀνησομένου κακόν; ἀλλὰ τοῦτό ἐστι λίαν δουλοπρεπές. *Nam quem lex,* inquit, *libertate non donarat, huic erat consentaneum sensa animi exponere, varietate quadam voluptatis & leporis distincta. Quamobrem si ad Cynicum nostrum servitus ista pertinet; dicat fabulas, scribat, nemo non hanc ei tractationem concedat fabularum. Sin autem se solum liberum pronunciat; non video quid sit causæ, quare fabulis utatur. Idcircone facit, ut in aperienda sententia quidquid acerbum mordaxque fuerit, suavitate quadam voluptatis & venustate temperet, simul & prodesse possit, & ipse, ne quid ab eo, cui profuerit, sibi accersat atque attrahat mali, caveat? Verum istud quidem valde servile est.* Cupiditas igitur ulciscendi sui, perstringendi alterius, loquendi quod sentias & quod velis, solertes & callidas apologorum narrationes peperit primum ac procreavit. Fovit vero securitas, & latendi spes eo major, quod, fabula quo pertineat, quemve attingat, plerique non advertant: aut si advertunt, minime omnium advertatis cujus intersit; cum de se quisque difficillime sentiat: aut si advertit tandem ipse vel per se, vel alterius indicio atque admonitu; vix agere cum causa possit, & punire auctorem ac reum satis speciose. Dicat: Here, quid feci? muta induxi loquentia, nihil suspicans mali, nec de quoquam, nedum de te, cogitans. rideo sic, & fabulor inter opus, neque servum obliviscor, aut sentio minus. Honesta oratio est. Et fuerit ille tamen monitor acerbus, contumeliosus objurgator, vindex ac punitor doloris sui prorsus atrox. Quid enim dici gravius, aut fingi in quemquam potest, quam istud, qui se liberum profiteatur & clamitet, eum non a servis recipi suis erudiendum, sed ab iisdem ad saxa, & arbores, & belluas amandari, disciplinæ causa? in res brutas & sensus expertes duritiam & stuporem non cadere, in quo ipse, ratione & communi humanitate præditus, deprehendatur? illum vivere pecudum ritu? il-

lum, quod ne feræ quidem faciant, facere solere? Ita hi, quorum oppressa omnis libertas erat, & quorum os consuebatur quodammodo, ut neque de domino, neque coram domino loqui liceret; quemadmodum tuto & impune quidvis contra dominum loquerentur, excogitarunt.

Sed ut a servis inventus iste sermo est ad vindictam mali, & propter privatam necessitatem suam: sic publicæ urilitatis causa retentus est a sapientibus. Intellexit enim consecuta posteritas, neque decentius ac minus odiose ab inferioribus posse admoneri superiores; neque facilius & jucundius pueros, mulieres, indoctos quosvis erudiri; neque omnino commodius falsas opiniones, affectusque pravos corrigi mortalium; quam si, rudi, & infirma, aut cæca jam vitiis & cupiditatibus ratione, consulatur ipsa simplex rerum natura, & tanquam vitæ ac morum magistra adhibeatur. Breves narrariunculas, & ex humillimis, & positis in medio rebus petitas, fictaque argumenta in morem privatæ & familiaris cujusdam historiæ, quis non, ut ad aures pervenerunt, continuo capiat? Quem non de populo, & de puerorum grege, & mulierum, summa cum jucunditate retineant stirpes & bestiæ, quæ non jam mutæ, sed disertæ & eloquentes, sensus humanos omnes, affectionesque mentis imitentur, atque exprimant verbis? Cum autem nullo modo convenire videatur, ut interpellet de officio minor majorem, aut servus commonefaciat herum: ita demum decet, si universe, non speciatim fiat; si ex obliquo, non directe; si quasi aliud agendo, non dedita opera, aut quæsita occasione. Vitatur etiam invidia fabellæ obscuritate, & afflictæ orationis insidiis, quando qui reprehenditur, ante sibi persuadet rem ita habere, quam ad se pertinere reprehensionem, ac narrari de se intelligat. Etenim quod vulgo dicitur veritas odium parere, hanc vim habet & sententiam, ut noo facile quisquam, etsi vere arguatur, se pariatur argui. Itaque paucos quidem reperias, qui fideliter & in loco monere sciant: sed multo sane, qui monentem ferant, pauciores. Fuerunt ergo monita, tanquam medicamenta, narrationum lenienda illecebris, & obvolvenda fictionibus: quo melius insciis atque invitis darentur. Ac neque tantum ad mores cujusque privatim formandos apologis esse video locum: sed etiam ad causas obtinendas, & ad fidem communiter faciendam, præsertim in concione, cœtuque vulgi, magnum eos & facilem usum habere auctor est Aristoteles lib. II. rhetoricorum. Qui exemplum, quo sæpe uti oratores oportet ad persuadendum, in duas divisit partes, in res gestas, & in fictas. fictis rursum duas formas tanquam generi subjectas esse vult, παραβολὰς & λόγους. Atque ii logi Latine quoque iidem, qui apologi, utrique Græco nomine appellantur. qui quo modo effingi, & quales esse cuncti debeant, ex uno Stesichori, & ex altero Æsopi Aristoteles ibidem ostendit. Hic fons & origo, hæc natura & usus fabellarum, in quibus humanus tribuitur sermo & animantibus, & rebus, quoque inanimis.

Jam qui hasce fabellas scriptores habent, eorum partim, variandæ & ornaodæ orationis causa, unam & alteram interposuerunt, vel inventam a se, vel, quo pondus accedar ab antiquitate, confictam olim ab aliis: partim multa ejusdemmodi breviuscula commenti sunt ipsi, aut collegerunt aliunde, ex quibus velut minutis membris, volumina tota confecerint, & in quoddam unum quasi corpus sparsa redegerint. Hujus generis dux & princeps Æsopus ὁ λογοποιὸς, de quo dixi ante, cui muta debent quod primum loqui cœperint, & commuoem hominum repræsentare vitam velut in scena. Hunc apud Græcos iambicis versibus Babrias coarctasse dicitur in duo volumina. Gabriam autem videmus complexum fabulas ad quadragiota tres, quaternis versibus iambicis singulas. si tamen Babrias & Gabrias non sunt unus idemque scriptor, de quo paulum diversa referantur. Apud Latinos Phædrus Æsopi partem aliquam expolivit senariis, ad quam ipse magnam accessionem adjunxit. Elegiaco carmine lusit Avienus in fabellis duabus & quadraginta. De quo scriptore utroque, quoniam nunc res aguntur Latinorum, reddam ea, quæ pertinent ad institutum.

Phædrum igitur habemus, Augusti libertum, sive Octaviani, sive Tiberii, qui & nomine ipso hilaritatem præ se fert, & profitetur libelli sui dotem alreram e duabus esse, ut risum moveat, & fictis fabulis jocetur. Idem quam proprie de communibus & quotidianis rebus, quas alii tractarunt scriptores nulli, loquitur! quam sincere & ab omni peregrinitate atque insolentia remote! quam presse, nec moleste tamen! quam solute, nec licenter! quam emendate literateque, ac bene, ut verbo dicam, Latine! In quo genere quid posset, & agnovit ipse, & æquales, qui ætate vivebant eadem, cum ejus verba in suas chartas transferrent, satis declararunt. Memini equidem Jacobum Sirmondum narrare mihi solitum, cum Petrus Pithœus hos Phædri Æsopiarum fabularum quinque libros Lutetiæ edidisset primum, & ad se Romam pro veteri amicitia muneri misisset; percussos illico Romanos novitate voluminis, atque, ut gens est *emunctæ naris, natura nunquam verba cui potuit dare*, suspicari cœpisse numquidnam partus iste recens ac suppositirius esset, qui tanto intervallo appareret, tamque delituisset diu: veruntamen libro perlecto toto, neminem dubitasse, quin ætatem redoleret Augusti, ac summam illam facilitatem stili & scripturæ, & beatam copiam repræsentaret; tuncque vixisset auctot, cum laus bene loquendi temporum potius, quam hominum fuit; ibique etiam apud Cæsarem servisset, ubi sedem ac domicilium eruditio collocasse videretur; qua in domo filiæ & neptes, intimi & familiares, servi & liberti literas egregie didicissent. Etenim memoria sua Phædrus rem memorabilem ait delatam ad centumviros, de qua divus Augustus ab iis ascitus judex, quod ipsi satis verum non dispicerent, judicarit. Alio quodam loco Sejanum male nescio quid de se meritum significat. Unde colligitur hunc Octavii temporibus extitisse, & Tiberii. Cujus etiam, quantum, subodorari licet, improbos

mores

mores passim expressit, libidinem, sumptus, avaritiam, rapinas, vulpinam vafritiem, cum leonina feritate & violentia conjunctam. Quare miror vehementer, cur affirmarit Seneca, Æsopios logos esse intentatum Romanis ingeniis opus: cum Phædrum hunc haberet, quem opponere posset toti Græciæ. Nam quod, clarissima lumina superioris seculi duo, Petrus Pithœus & Justus Lipsius prodiderunt, vere id a Seneca dictum; quia Phædrus non genere aut ortu Romanus, sed Thrax, sicut ipse testatum reliquit, esset: minus ea probabilis videtur expositio Senecæ. Quasi vero Romanis ingeniis opus intentatum, sit quidquam alind, quam Latinis literis nondum illustratum nec elaboratum opus: aut comœdia fuerit carmen intactum Romanis, quamvis id solus natione Afer Terentius tractasset: aut si percenseret Seneca, qui philosophiam scriptores Latine explicassent; de eo se numero eximeret ipse; propterea quod natione foret Hispanus, patria Cordubensis. At non exemit Quintilianus, qui quo loco de Philosophis egit Latinis, his illum potissimum annumeravit; cum inter oratores, & poetas, & alios diversi generis scriptores potuisset referre. Citius dixerim Senecam vel parum hic attendisse, quid scriberet: vel istud, ut alia, oblitum prorsus, memoriæ vitio peccasse. Nam maligne ab eo & invide præteritum Phædrum, quasi pro nihilo putaret, aut in honore ac pretio nollet esse, a cujus munditia & nitore abesset tam procul; etsi non alienum videtur crimine, quod ei Quintilianus, & Suetonius, ac Tacitus etiam inferunt: nolim tamen facile, ac nulla ratione manifesta, de tanto viro credi. Illud verisimilius, iniquissimis Tiberii, Caligulæ, Claudii, Neronis temporibus, cum scripta edictis abolerentur & senatusconsultis, si cui poetæ aut historico verbum excidisset opportunum delationi & calumniæ; cum ne liberæ quidem relictæ cogitationes; & opinio tacita de principe, sicunde vel ex vultu argui posset, majestatis rea fieret: libellum fabularem, cujus in apologis pletisque mera illius sæculi tyrannis notaretur, suppressum fuisse continuo, ac evanuisse tandem, & ignoratum a Seneca, & reliquæ posteritatis oculis subductum. Ita fuit tanto thesauro fatale, ut usque ad ætatem nostram defossus lateret: aut, quemadmodum de se auctor futurum præsensit, ut in sterquilinio, sic tanquam margarita pretiosissima, jaceret; non quia non intelligeretur, sed quod ne compareret quidem.

De Avieno non repetam, quæ plurima ab aliis divinando dicta sunt. quod ei maxime proprium in tanta varietate nomen. sitne is Avienus, cui Servius Virgilium & Livium conscriptos Iambicis attribuit: a quo præter ceteros nuper translatum Latino sermone Aratum Hieronymus memorat: quem Macrobius inducit in dialogo duodecim virorum per Saturnalia loquentem. Hæc, incerta quæ sunt, ut dico, & ex levibus pendent conjecturis, neque agnosco, neque inficior. Illud constat omnibus, hunc fabularum scriptorem versus habere faciles & rotundos, & pro tempore non inelegantes. Etenim epistolium in fronte libri præmissum ad Theodosium quendam declarat tempus illud non optimum fuisse. Desideratur quidem in carmine aliquid: cum & sæpe contra prosodiam, medio versu minore, brevis syllaba productæ obtineat locum; & nonnulla fortasse dicantur parum Latine; & cujusque clausula fabellæ minus apta concinnaque videatur, quam carmen primum & medium. Sed multo est illa deterior præfatio, & a florenti perfectoque usu & consuetudine veterum bene loquentium remotior. Quo loco venit in mentem observata res a me jampridem, quam & ipse, Balzaci, animadvertere potuisti, solutam orationem Latinam degenerasse prius, & defecisse ab optimo atque corrumpi cœpisse, quam adstrictam. Jus & æquum sane videtur fuisse, ut, quæ tardius nota sit, tardius quoque senesceret. itemque necessitas postulabat, ut, tererentur a pluribus, ea prima quæque detererentur & conficerentur usu. Est in ore omnium sermo solutus, vulgi, principis, mulierum, virorum. poetica & paucorum semper extitit, cum minorem usum, minusque necessarium habeat; nec fere, nisi ingeniosorum, qui numeros orationis, tanquam habitus, & lautas quasdam & splendidas magnique pretii vestes, integros, quamdiutissime potest, retinent, purosque servant a sordibus. Inde est, ut, ex quo inclinare & labi Latinitas cœpit, auctores ii, quorum utramque habemus orationem, faciendis versibus multo magis, quam prosa excellant. nam de aliis, qui utroque in genere non scripserunt, aut quorum alterutrum nunc non extat, judicari nihil potest. Sunt Statii epistolæ quinque numero, totidemque Martialis. vides horum poëtarum quam dispar sit & dissimilis oratio soluta vinctæ? Quid, qui longe postea fuit Ausonius, nonne semetipsum loquentem vincit, & quodammodo obscurat canendo? Certe dubium non est, quin ipse se Boetius melius floridis suis & elegantibus diversi generis versiculis, quam prosa oratione consoletur. Patrum memoria Fracastorii dictionem poëticam qualem habemus? Præclaram sic, ut nihil supra. Qualem oratoriam? Mediocrem: & plerique melius. Nostra quoque ætate appellare possumus ex alienigenis hominibus Latine loquentes nobiscum, aut scribentes ad nos minus emendate, atque etiam sordide nonnunquam, qui versus tamen conficiant quam politissimos. ut mirum sit tantam in eosdem dissimilitudinem cadere unius Latinæ locutionis.

V. FABULATORES ALIQUOT ALII.

AD hos narratores apologorum nihil nocuerit si addamus eos, qui muta quævis loqui quomodocunque aliquando fecerint. Apud Homerum libro Iliad. decimo nono extremo, Xanthus ex equis Achillis sic loquitur, nihil ut domino concedat nec verbis, nec sententiis. immo vero ratione vincit, cum objicienti de morte Patrocli, quod cum ipse, & Balius, equus alter, destituissent in acie, respondeat fatum fuisse, ut Patroclus occumberet: Achilli quoque, quamvis semideus sit, esse fatale, ut vi atque armis domitur. in quo mortem ei audacter nec obscure

fcure prædicit. Rem tam valde poeticam, cujusmodi est equina locutio, non putavit abhorrentem Libanius ab oratore. Induxit enim, in legatione ad Julianum, equum intractatum & novum, qui sessorem suum admoneat officii, doceatque non irasci, quod eo nondum facili nec satis domito utatur. Me prudens, inquit, emisti rudem & integrum, ut condocefaceres. Ad disciplinam tempore opus est & exercitatione: si forte utriusque progressu fiam melior. id te expectare sat est, quod usus & dies afferet, nec antevertere gestienti cupiditate maturitatem rerum.

Apud Theocritum quid tenerius ac mollius apro loquente, qui morsum crudelem suum, & indignissimam necem Adonidis, osculum paulo durius interpretatur? Is vi captus ab amoribus, & conjectus in vincula, & perductus ad Venerem iratam, nihil excusat præter amorem, cujus impotentia cum fureret, impresserit dentes altius, plagamque fecerit, cum suaviari vellet: id sibi demum fraudi fuisse. De reliquo non veniam errato petere, nullam a se pœnam deprecari, neque recusare quominus adurantur sibi & dentes, qui tantum facinus admiserunt, & labra, quæ fuere huic tanto facinori conscia.

Jucundum vero apud Lucianum pro gallicantu, galli vocem humanam & sermonem audire cum hero loquentis, dialogo toto satis longo, & quidem tam bonis verbis, quam herus, ac multo etiam sapientius, quam herus loquitur: quippe qui de contemptu opum & divitiarum morata quædam disserat & philosophica in primis.

Est quoque in opusculis Plutarchi Gryllus quidam, a re ipsa nactus nomen, quem Circe porcum fecerat prastigiis & incantationibus suis. Is cum Ulysse, cui socius & comes antea fuit, multa disputat de naturæ statu, in quo versatur: & esse videtur contentus sorte sua, vitamque, quam vivit, ducere potiorem ea, quam vixit. Stolide prorsus, atque ut Epicuri de grege pecudem decet, si porcum se mavult, quam hominem. Non omnino insipienter, si hominem nequam atque flagitiosum esse vult tetro & immundo sue deteriorem. porcum, quod sæviat dentibus, in venerem præceps ruat, volutetur in luto assidue totoque corpore; vivere naturæ convenienter suæ: hominem non parentem rationi, cedentem cupiditatibus, deliciis & obscena voluptate fractum; nihil sui retinere amplius, & ab omni humanitate descivisse. Quamobrem quæ vulgo legitur inscriptio dialogi, Περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, falsa sine dubio, nec Plutarchi est: sed hominis parum ad argumentum & sententiam operis attenti. Inscriberetur sic: Ὅτι ὁ ἥττων τῶν ἑαυτοῦ ἐπιθυμιῶν, ἥττων ἐστὶ καὶ τῶν ἀλόγων ζώων. *Qui vincitur a cupiditatibus, eum deteriorem belluis esse.* Sed utut sit de moribus; qui ex sese & natura sua digrunnit porcus, loquitur hic nihilo pejus, quam Ulysses, quocum sermonem habet, aut quam ipse, nondum conversus in belluam, loqueretur.

Atque hic ego omittere non possum duo, quæ in Oppiano nunquam sine dulci quadam commiseratione legi: legi autem sæpius. Primum extat libro de venatione secundo, ubi capra fera scribitur, simul ac se laqueo captam sentit a venatoribus, abigere ab sese fetus suos, admonere, etiamque orare, ut fugiant venatores, neu se miseram jam matrem, orbam efficiant, si & ipsi capiantur una.

Φεύγετέ μοι, φίλα τέκνα, δυσάντεας ἀγρευτῆρας.
Μή με λυγρὴν δμηθέντες ἀμήτορα μητέρα θῆτε.
Venantes fugite infestos, mea pignora cara,
Neu miseram matrem me perdita, reddite & orbam.

At illi contra, officio & pietate adducti erga parentem, accedere ad eam propius, & lamentari primo, ac perquam flebiliter canere carmen: tum supplices esse venatori cum blanda & humili obtestatione.

Πρός σε Διὸς λιτόμεσθα, πρὸς αὐτῆς ἰοχεαίρης,
Λῦσον μητέρα μοι φίλην· τὰ δ᾽ ἄποινα δέδεξο,
Ὅσσα φέρειν δυνάμεσθα λυγροὶ περὶ μητέρι δειλῇ.
Ἡμέας αἰνυμένους· γνάμψον τεὸν ἄγριον ἦτορ,
Αἰδόμενος μακάρων τε θέμιν, γενέταό τε γῆρας
Εἴ ῥά νύ τοι γενέτης λιπαρὸν κατὰ δῶμα λέλειπται.
Per Jovis oramus te numen, perque Dianæ,
Vincla levis caræ matri. tum præmia habeto,
Solvere quæ misera tristes pro matre valemus.
Nos infelices! prædurum inflecte tuum cor,
Jusque pius reverere Deum, patrisque senectam,
Divite vivit adhuc tibi si pater æde superstes.

Quibus verbis si nihil apud venatorem proficiunt, ut est hoc hominum genus durum immisericorsque & avidum prædæ, ipsi se ad extremum sponte sua dedunt constringendos, atque ad hunc hostem suum transeunt captivi voluntarii. Alterum, quod mihi semper miserationem movit legenti, quintus extremus Oppiani de piscatu suppeditat liber. Eo libro, tametsi nihil quidquam sit magis mutum & elingue ac velut absonum, quam piscis: tamen audire licet delphini parvuli, quem Byzantini piscatores vulnerarint ferro, matrem loquentem, & delphino alteri gemino suadentem fugam, ne eandem, quam frater, injuriam accipiat a perfidis piscatoribus. Ad cujus rei intelligentiam recordari potes, BALZACI, ut elephanto in terra ferunt esse quandam cum genere humano societatem: ita in mari, delphinos inter & homines fœdus intercedere & amicitiam, mutuis utrinque officiis cultam sanctissime, quam soli Thraces barbari per summam perfidiam violare ac prodere audeant, nullum non scelus ausuri postea. Mater igitur filio:

Φεῦγε τέκος· μέροπες γὰρ ἀνάρσιοι, οὐκέθ᾽ ἑταῖροι
Ἡμῖν, ἀλλὰ σίδηρον ἐφοπλίζουσι καθ᾽ ἄγρην.
Ἤδη καὶ δελφῖσιν ἐποτρύνουσιν Ἄρηα,
Σπονδάς τ᾽ ἀθανάτων καὶ ὁμοφροσύνην ἀλίτοντες
Ἡμετέρην, τὴν πρόσθεν ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἐθέμεσθα.
O fuge, nate: homines hostes, nec, ut antea, amici
Nobis: sed ferrum capiendis piscibus aptant.
Jamque movent contra delphinas lugubre bellum,
Fallentes & pacta Deum sanctissima, & arcta
Fœdus amicitiæ, inter nos quod junximus olim.

Ita huic nato parens pro materna charitate & vigilantia metuit & cavet. Alterum autem, nihil sollicita de se, assidue prosequitur, saucium & jam prope agentem animam: nec ab eo avelli potest ulla vi, aut percussione, donec e mari extracta cum ipso, & conto & ænea cuspide male mulctata, eidem infelix demum immoriatur. Est-

ne:

ne quidquam his non modo ad misericordiam & sensum alienæ calamitatis mollius, verum etiam ad nitorem & copiam orationis disertius? Quare cum Oppiani carmina jure optimo aurea passim dicta ferantur propter suum cuique aureum nummum repensum: rum ista profecto auro contra cara non sunt, nec ullo exæquari pretio aut mercede, meo quidem judicio, queunt. præsertim si & poëtæ spectetur ætas, quam vix virilem attigit: & patria Cilicia, quæ prædones potius, quam poëtas ferre consuevit: & sæculum, in quo vixit, jam inclinans & devexum, nec omnium ad hæc literarum fovenda & colenda studia aptissimum.

Sed quid ego scriptores Græcos profero, quorum verbis, & quorum ex sensu, ac velut ex ore animantes loquantur? oblitusne sum, nunc esse mihi sermonem de Latinis scriptoribus institutum? Et Græci quidem vel audaciores ac licentiores, vel venustiores jocosioresque, sæpe hoc fecerunt, ut sermonem rebus mutis & pecudibus affingerent: Latini isto in genere timidi & verecundi, vel potius parcissimi. Usurparunt idem tamen aliqui inter Latinos: & credibile est plures extitisse, quorum jacturam, ut aliorum multorum, fecerimus. Magno sane emptum velim Asellii Sabini dialogum, ubi boleti, & ficedulæ, & ostreæ, & turdi certamen induxerunt: pro quo ducenta ei sestertia Tiberius donavit imperator. haberemus vel in uno opusculo plantas, pisces, aves loquentes: nihil ut esset, quod humana voce uteretur, præter bestias terrestres, reliquum. Quanquam & hoc non desideratur a nobis; & quidem tam joculare ac festivum, quam tale quidquam apud Græcos. Quid videtur, BALZACI? *Marcus Grunnius Corocotta Porcellus* nonne sese his tot nominibus & suem & Romanum satis prodit? Pergens autem, *Testamentum*, inquit, *feci, quod quoniam manu mea scribere non potui, scribendum dictavi.* Scribamus & ipsi tabulas testamenti: quandoquidem unum testamentum pluribus exemplis consignare quis potest, idque interdum necessarium est. *Magirus coquus dixit: Veni huc eversor domus, soliversor, fugitive porcelle. ego hodie tibi vitam adimo. Corocotta Porcellus dixit; Si qua feci, si qua peccavi, si qua vascula pedibus meis confregi. Magirus coquus dixit: Transi puer, affer mihi de culina cultrum, ut hunc porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur a famulis, ductus sub die 16. Calend. Lucernin. ubi abundant cyma, Clibanato & Piperato coss. Et, ut vidit se moriturum esse, horæ spatium petiit, coquum rogavit, ut testamentum facere posset. Inclamavit ad se suos parentes, ut de cibariis suis aliquid dimitteret eis, qui ait: Patri meo Verrino Lardino do, lego dari glandis modios* XXX. *& matri meæ Veturinæ Scrofæ do, lego dari Laconicæ siliginis modios* XL. *& sorori meæ Quirinæ, in cujus votum interesse non potui, do, lego dari hordei modios* XXX. *Et de meis visceribus dabo, donabo sutoribus setas, rixatoribus capitinas, surdis auriculas, causidicis & verbosis linguam, bubulariis intestina, esiciariis femora.* Tum post mulieres, pueros, puellas, cinædos, sua quemque re propria donatos, adjicit: *cursoribus & venatoribus talos, latronibus ungulas: & nec nominando coquo do, lego, ac dimitto popam & pistillum, quæ mecum detuleram a querceto usque ad haram: liget sibi collum de reste. Volo mihi fieri monumentum ex aureis literis scriptum. M. GRUNNIUS COROCOTTA PORCELLUS VIXIT ANNOS D. CCCC. XCIX. QUOD SI SEMIS VIXISSET, MILLE ANNOS IMPLESSET. Optimi amatores mei, vel consimiles vitæ, rogo vos, ut corpori meo benefaciatis, bene condiatis, de bonis condimentis nuclei, piperis, & mellis: ut nomen meum in sempiternum nominetur. Mei domini vel consobrini mei, qui huic testamento interfuistis, jubete signari.*

Lucanicus signavit.	*Lardio signavit.*
Tergillus signavit.	*Offellicus signavit.*
Nuptialicus signavit.	*Cymatus signavit.*
Celsanus signavit.	

Itane vero? Porcellus tam linguæ & consuetudinis Latinæ sciens? tam peritus juris, ut in ordinando testamento & solennibus servandis nemo Quiritium & Romuli nepotum videri possit diligentior, nemo cautior? Cujus tamen prudentiam & calliditatem in uno requiro, quod, cum ipse manu sua neque conscriberet testamentum, neque subscriberet, non adverterit tabulas testamenti obsignatas minus multis signis, quam e lege oporteat, octavum pro se subscriptorem requiri moribus, nec satis esse testes numero septem ad subscribendum. Nisi forte hoc venerandæ antiquitatis monumentum lege ista, quam Theodosius & Valentinianus tulerunt, prius tempore fuit. De eo certe, tanquam de re decantata in scholis, & trita jam atque apud omnes cirratos & cachinnantes pueros, & alios pervulgata, mentionem facit Hieronymus, æqualis temporum illorum, qui etiam inde Grunnii Corocottæ nomen Ruffino adversario & obtrectatori suo dedit. Hic autem cum multa sese offerant vel dignissima omnibus cachinnis: tum res est maximi risus, porcellum natum nongentos nonaginta novem annos, sexque præterea menses, etiam obire ante diem, victurum diutius si vis abfuisset; cumque foret id ætatis, parentes ambos reliquisse superstites & heredes. Obscura quædam nos, BALZACI, in quibus glossatores & vocabularii nihil adjuvant, fac edoceas: quid sint capitinæ, quid bubularii, aut bubalarii, quid esiciarii. Tametsi ad hos aliquid videor afferre lucis posse, quos ego fartores arbitror, qui insicia seu esicia, id est, incisam minutatim carnem inferant in avium ventriculum, ut anserum, ut gallinarum. In quo miror diligentem & strenuum verborum interpretem, apud scriptores historiæ Augustæ, de esiciata dixisse, tacuisse de esiciariis, & nostrum hunc præteriisse tam insignem locum.

• Age vero in homine, præter os & linguam, quæ loquuntur vere & proprie, quam multa dicuntur loqui? Dicitur manus loqui, quæ etiam facit audientiam sibi. oculi dicuntur, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu tum hilaritate, motus animorum significamus. dicitur vultus, qui in solo esse homine potest, & qui imago, atque index morum, & sermo quidam tacitus mentis est. Quid minus autem hominis, aut cum eo minus conjunctum, quam capilli, qui & interdum defluunt toti; & singuli velluntur facile, cum minima radice nitantur; & toties resecti ferro, locum dant & cedunt succrescentibus? Atqui cri-

crines, Balzaci, quod minime putes, loquuntur, & quidem tonsi jam, & a capite abscissi. Mirifica suavitate elegiam Catulli habemus, in qua Berenices reginæ coma loquitur Latinis versibus id ipsum, quod eam Græce alias Callimachus assuefecerat loqui. Exponit autem coma hæc primum, quemadmodum Berenice votum fecerit pro rege Ptolemæo conjuge suo, si ex Assyria expeditione domum salvus & incolumis, re bene gesta, rediisset. Deinde ut voti damnata, Veneri solverit comam, quam voverat, & io æde, opinor, Deæ rite appeoderit. Quæ coma eadem, Invita, inquit, o regina, cessi ex tuo capite: invita, per te, perque hoc tuum dulce caput juro. Verum quid facerem, aut quomodo ferro, cui saxa cedunt durissima, resisterem? Ah male sit iis, qui ferrum primi extraxerunt e terra: qui emollitum verterunt in forfices! Desiderio mei tenebantur sorores, nempe comæ in capite communis dominæ relictæ, lugebantque vicem meam, quæ paulo ante a suo cœtu vi abstracta essem. Mane autem primo ales equus Chloridos, quæ nopta Zephyro, ab ea missus ad superos, una me secum rapuit, & sublime extulit, & in gremio Veneris, cui devota eram, collocavit. Illa, in tanta cœli varietate, ne unum duntaxat sidus, ex puellæ temporibus ascitum, Ariadnæ corona, foret, consecravit me quoque, & in numerum astrorum retulit. Quem honorem, quamvis divinum & cœlestem, absit dicto invidia, tanti oon facio, ut non multo malim in dominæ capite adhuc hærere, quam in cœlo, sicuti sum, fulgere novum sidus. Quocirca, domina mi, tam triste dissidium ne fer diutius: potioribus donis a Venere me impetra, cui donasti: effice me tuam largis muneribus. Cur retinent sidera contra voluntatem? Utinam coma iterum regia, coma Berenicea fiam. sint vero vicini, ut ante, Arcturus & Erigone, nec eis interjecta amplius, & media splendeam. Ista omni ratione sermonis quid comptius ad ornatum? quid mitius ad delicias? ad assentationem quid blandius, & ad ineundam a rege atque a regina, sed a regina maxime, gratiam aptius?

Apud eundem Catullum, januæ collocutio habetur familiarissima cum prætereuntibus domum nonnullis, quibus aperit dedecus omne & probrum domesticum, stupra, adulteria, incesta, quæ intra suos parietes hera fecerit. Et quoniam objici poterat nequaquam istæc cognita habere januam, cui nunquam domini limine abesse liceat, nec auscultare populum; & quæ affixa hærensque posti, tantum claudere atque aperire domum soleat: respondet, dominam se & flagitia sua indicasse intimis, satis quidem libere, nihil diffisam loco, aut suspicantem de personis; utpote quæ januæ speraret nec linguam esse, nec auriculam.

In Propertio conqueritur janua quoque, qood, cum olim nota esset Vestalibus, ac virginalis pudicitiæ feminis, & cum triumphantibus pateret, qui aurato curru invecti, ipsius vestibulum, magna militum, magna captivorum multitudine, celebrarent; nunc pulsetur per summam indignitatem, & quodammodo saucietur a nocturnis potoribus in jurgio. Adde corollas, quas capiti detractas suo, jam languentes & marcidas, appendunt foribus amantes exclusi. Adde semiustas faces ad limen abjectas: quæ manifesta sunt exclusionis signa. Quid, quod irascitur & dolet effectam se infamem obscenis carminibus, noctemque totam sibi non licitum quiescere per supplicis longas & tristes excubias, qui intromitti cupiat? Neque vero hos tantum sensus suos exprimit verbis, sed inducit etiam neglectum & alteri posthabitum rivalem, a quo preces, blanditiæ, questus, exprobrationes, convicia, *& si qua miseri novistis amantes.*

Hactenus muta atque inanima, & pecudes locutæ apud antiquos auctores mira cum festivitate & elegantia sermouis. Sequitur id, quod multo minus est, non extra rem tamen, neque pro oihilo putandum, quod ipsi auctores antiqui compellarint oratione aliqua perpetua tum belluas, tum res interdum sensus omnis expertes. quos remittere aliquid de præclara consuetedioe loquendi, & servire auribus ineruditis animantium, & ad stirpis, aut trunci, aut lapidis duritiam ac stuporem, & velut captum accommodare se nonne quodammodo oportuit? At, obsecro, quas blanditias, quam puras, & Latinas dicit passeri Catullus, & Sirmioni peninsulæ, & Tiburtino suburbano suo? Quo cultu, qua concinnitate orationis, arborem, navem, fonrem, amphoram totis odis Horatius alloquitur? Quid Ovidius? num minus belle ad amnem, ad epistolares tabellas, ad annulum, sermonem convertit? Minor Statii gravitas atque, ut sic dicam, superbiloquentia, dum versibus cum psittaco, & cum leone agit? Minores argutiæ Martialis, si quando leporem, aut aprum, aut aquilam, integro quemque epigrammate appellat? Longum est persequi, ac reccosere nominatim, qui poetæ, quotiesve sensum & intelligentiam tribuerint sensu & intelligentia carentibus, quoque modo ignavum, & iners & immotum quidlibet, tanquam si persona foret, atque ejus aliqua actio rerum comitaretur, lacessiverint verbis. Pro tam ingenti, tamque immenso campo unus erit satis mihi Virgilius, apud quem eadem ubique manet plena majestatis & eloquentiæ oratio, sive Turnus hastam compellet suam, sive Mezentius equum. Ille:

Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turnus nunc dextra gerit. da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Hic:

Rhœbe diu, res si qua diu mortalibus ulla est:
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. neque enim, fortissime, credo,
Jussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.

Quo in loco utroque vide quomodo sollicitus pro Virgilio, & male anxius sit Servius tantumque poetam, quod minime necesse fuit, excuset. Ac priore loco, *Sane*, inquit, *nunc ita ad hastam, quasi ad aliquam personam loquitur, & ei intellectum, & auditum dat, sicut Cicero verba reipublicæ. Sed ille ait, si fieri posset. Turnus vero quasi ad virum sentientem loquitur: nec immerito. nam eum inducit furentem, ut, His agitur furiis.* Inauiter profecto, & superstitiose Servius. hic videlicet sanus

non

non esset poeta, nisi furiosus Turnus fuisset. Posteriore loco idem ait Servius notatum Virgilium a criticis fuisse, quod per eum sententiose homo loqueretur improbus. Mirer non notatum potius, quod sententiose homo cum bellua loqueretur. Quanquam ad utrumque perinde valet excusatio Servii. *Quam rem*, inquit, *ratio naturalis excusat. Ea enim, quæ per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quæ non nisi consilio & ratione deprehenduntur. Unde & Terentius servis dat plerumque prudentissimas sententias quidem, sed quæ per naturam se offerunt cunctis: ut, Ne quid nimis.* Ex iis intelligitur non interesse multum, a quo tandem sententiæ, & ad quem dicantur, si vulgares & sensibus obviæ sint: sin autem exquisitæ & eruditiores; non esse cujusvis eas, nec ad quemvis proferre.

VI. CATULLUS. MARTIALIS.

IN epigrammatis video sedem præcipuam & quasi regionem salis ac facetiarum constitutam, tum propter brevitatem carminis totius, quod εὐσύνοπτον est, & ad astringendam sententiam, jaciendaque dicta peridoneum; tum propter conclusiunculas argutiores, in quas ea maxime cadunt, quæ sunt propria jocorum, ut ἀμφιβολία, ut ὑπερβολὴ, ut παράγραμμα, ut παρὰ προσδοκίαν. Habent Latini hujus generis auctorum nobilissimum par, Catullum & Martialem, de quibus non ambigi placet, uter utri, & quam longe anteponendus sit: tantumne Catullus a Martiale, quantum ingenuus aliquis & honestus civis ab illiberali & importuno scurra de trivio discrepet, ut Antonio Mureto visum est; an epigrammatum virtutibus superet Martialis Catullum, id quod Justus Lipsius cum Julio Scaligero sensit. Multo etiam moror minus superbum & insolens Andreæ Naugerii fastidium, qui, ut est relictum a Paulo Jovio in elogiis doctorum virorum, certo quotannis die consecrato Musis, magnum numerum Martialis librorum, quos coacervasset ad eam rem, devoveret Vulcano, pessimum, ut videbatur, poetam præclare execratus. Meum judicium semper fuit, ita Catullum cum Martiale comparari posse, uterque ut vincat & vincatur: illum quidem puro ac simplici candore, & nativa quadam minimeque adscita excellere venustate formæ, quæ accedat quamproxime ad Græcos; hunc acumine, quod proprium Latinorum & peculiare tunc fieri cœpit, valere: adeoque Catullum toto corpore epigrammatis esse conspicuum; Martialem clausula præcipue atque ultimo fine, in quo relinquat cum delectatione aculeum, spectari. Quod si versum & numeros attendimus, Martialis hendecasyllabos, scazontas, iambos, præ Catullianis agrestes & invenustos; elegiacos Catulli duriusculos, & scabros, & parum, ut ita loquar, enodes: si expendimus elocutionem, tantum videri alterum alteri scriptorem præstare, quanto ex duobus, quibus Latina lingua maxime floruit, temporibus, præstantior Julii Cæsaris ætas, quam Vespasianorum, & Nervæ, Trajanique fuit. Optandum sane, ut, quam bene uterque, tam non obscene scripsisset: neve putasset alter versiculos tunc denique habere salem & leporem, si sunt molliculi & parum pudici: alter lascivam verborum licentiam linguam esse epigrammatum interpretaretur. Verum hoc loco non agitur de moribus. Illud quærebamus, quod inventum est, cum ambo jocari non aliis verbis consueverint, quam lectis & idoneis, quantopere sint dissimiles nostrorum hominum, omnia animi sensa ridicule & incondite loquentium. Porro cum hos atque alios scriptores usos oratione dico recta & convenienti, inscriptiones semper excipio, quas magna ex parte factas esse sciam, non ab ipsis auctoribus, sed vel a grammaticis, vel a librariis: utpote absurdissimas plerasque, & ab auctorum sententia alienissimas. Poëmatium Catulli, quod est de nuptiis Pelei & Thetidos, vidi puer, cum vulgo inscriberetur Argonautica: & vero sic in multis codicibus extat etiamnunc. Quid stultius ea inscriptione, quæ expeditionem Colchicam promittat, cum nullo id modo agatur opere toto: sed inde tantum, quasi occasione aliqua, ducatur exordium ad celebrandas Pelei nuptias, qui in principibus Argonautis fuit? Apud Martialem autem legere licet epigrammata quædam, quæ adulatoria inscribuntur. Appellarit scilicet se poeta adulatorem, cum Cæsares & imperatores laudaret: aut hoc tantum ejus adulatorium carmen fuerit, in quo id posuit. Sed esto: sit sane Martialis adulator confessione & appellatione sua. cur Domitiano imperatori non adulatur, quem dominum ac Deum falso & impie nominat: Nervæ imperatori adulatur, quem vere prædicat, quod edicto vetuerit, ne dominus nominaretur, aut Deus? Adde quod epigramma quartum libri sexti, epigramma septuagesimum secundum libri decimi, epigramma decimum quintum libri duodecimi, tria numero adulatoria dicantur: alia complura, blanditiarum & turpissimæ adulationis plena, non habeant nomen idem. Ita sunt istæ inscriptiones non imperiti modo, sed stupidi quoque, ac nihil sentientis, nihil videntis. Quid multa? denuncio tibi, BALZACI, & prædico. indicibus librorum ac tabulis, quemadmodum appellant, argumentis cuilibet operi præfixis, inscriptionibus, titulis, lemmatis, etiam atque etiam considerandum est, quatenus credi oporteat.

VII. HORATIUS. PERSIUS.
JUVENALIS.

RELIQUUS est apud Latinos locus, in quo si non vestigium, non umbram, non cubile novitiæ vernilitatis, & agrestium ineptiarum reperiamus, frustra, opinor, alibi quæsierimus. Satira, quemadmodum Quintilianus observat, tota Romanorum est, non a Græcis, ut cetera fere genera literarum, occupata primum, ac deinceps imitatione & exemplo translata in Latium. Habet autem hoc vel unum, vel præcipuum, ut mores hominum notet atque irrideat salsis & mordacibus jocis. Quo in genere nacti sumus excellentes paucos quosdam, qui soli ad nos integri pervenerunt, sua quisque præterea dote insignis. Ac de iis non est meum testimonia & elogia veterum, præmissa editis libris, huc con-

congerere, atque hortum, quem colo, alienis irrigare rivulis. Nec tamen interdictum mihi puto usu eorum, quæ hauserim in fonte, quocunque iste fons manarit postea, aut a quibuscunque derivatus sit in alios usus. Dicam igitur de scriptoribus satirarum, quæ percepi notatione assidua; si qua spes ostendatur fore, ut exempla & monumenta ridiculi sermonis eruantur inde, ac faveant ridiculis nostratibus. Satis constat extrema duo persecutum fuisse pari cum laude Horatium: in lyricis, summam quandam rationem ac viam dictionis; in satiris & epistolis, infimam. Quid ipsis, ut omittam reliquas, odis elatius, quarum se inventorem fuisse gloriatur? Ut mihi quidem videatur Horatius, id quod fieri posse negavit, imitari voluisse Pindari excelsitatem, ac velut magniloquentiam. ita acer illi spiritus, & ignea vis, itaque se attollit humo ac sublime fertur. Multa sincere & prudenter judicavit Eumolpus ille Petronianus de antiquis, deque ætatis suæ poetis: sed nihil verius ab eo dictum, quam quod Horatii curiosam felicitatem dixit. In quo, si recte interpretor, natura facta ad poësim, felicitatis; flagrans artis illius studium, & major quædam cura atque diligentia, curiositatis vocabulo notatur. Is autem ad rem propius, *Effugiendum est*, inquit, *ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate; & sumendæ voces a plebe summotæ, ut fiat: Odi profanum vulgus, & arceo.* Hoc illud est, quod Quintilianus quoque tradidit, Horatium hunc & insurgere aliquando, & plenum esse jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis felicissime audacem. ex quibus efficit concluditque, Lyricorum inter Latinos fere solum dignum, qui legatur. Idem porro Horatius locupletissimus ipse testis est, se in aliis scriptis humilem ac demissum usque eo descendisse, ut nihil infra possit. quippe usum, ut Lucilius olim, pedestri sermone & qui per humum repat, cui si eripias certa tempora modosque, & verbum, quod prius ordine est, facias posterius, primis ultima præponens: nihil reliquum poetæ invenias. Cujus rei quod argumentum majus quærimus, quam quod & Horatius fecit, cum de facto suo loqueretur, & feci ego nunc, cum hoc illius dictum referrem? Duo sunt enim versus Horatiani, dissoluti a me, ut jubebat, ac ne tantum quidem, quantum jubebat, servatis modis & temporibus, structura solum & collocatione verborum mutata. quos tamen quis advertit versus, antequam dissolverem, fuisse: nisi forte ipsa re & materia admonitus, se apud Horatium legisse tale aliquid meminerit? Quid loquar, ut modo pusillas familiaresque fabulas ab Æsopo mutuatus sit: modo Socraticam expresserit ironiam, ac ridendo dicere verum maluerit, quam stomachando, aut conviciando, aut agendo ulla ratione severius ac tristius? Ergo si ab homine sano & prudenti, qui in primis, quid lepidum ac venustum esset, quidve latera non indecenti risu concuteret, viderit, expectanda fuerunt ridicula nostrorum hominum: fuerunt certe ab Horatio, magno derisore morum & pravitatum, expectanda. Verum apage hanc rubiginem a sæculo politissimo, quo vixit: tantas sordes a purgatis auribus Augusti, quibus se probavit mirifice: tot labes & maculas a scriptore, quo nemo tersior & purus magis. qui licet Vulteium Menam, tenuioris fortunæ hominem, de rebus suis agentem inducat, Catium Epicureum de ciborum condimentis, Fundanium convivam de cœna Nasidieni, ridiculo eventu, & sermonibus super eo magis etiam ridiculis nobilitata: non modo salva Latinitate hæc minuta & leviuscula, sed etiam, eleganti quodam & exquisito cum delectu verborum, & omni venere orationis, persequatur. qui placere neglexerit multitudini, nec adduci potuerit, ut in auditorio recitaret. qui, ne pueris prælegeretur in ludo, tanquam calamitatem & infortunium deprecatus sit. qui Augusto, Mæcenati, amicis aliis paucis, se & scripta reservarit sua, unumque studuerit, iis ut satisfaceret disertis, candidis, magnis omnino viris. Quare ita sæpe reputavi mecum, & disserui aliquando cum nonnullis: quæ duo Fabius Quintilianus, tanquam diversa inter se, docendo sejunxit, ut aliud sit grammatice, aliud Latine loqui: ea fuisse ab Horatio reipsa effectuque conjuncta, qui & literate scripserit, ex præscripto normaque artis grammaticæ; & usitate, quo modo primi civitatis, in quorum familiaritatem receptus esset, loqui solerent: præterea que rationem adhibens, & vim judicii, quæ fuit in illo summa, scientiam, & usum loquendi, quid utrique deesse videretur, suppleverit.

Sequitur Horatium Persius, qui idem interjectus est, & tanquam medius inter ætates hujus, & Juvenalis. de quo cum tam honorifice video prædicari & a Quintiliano, qui multum eum veræ gloriæ meruisse in uno libro dicat; & a Martiale, qui eundem affirmet sæpius uno in libro memorari, quam Marsum nescio quem in toto volumine: miror equidem, quid isti tale ac tantum sex in satiris deprehenderint, quod nos tam longo intervallo ne suspicione quidem assecuti simus. Atqui majora nobis omnia in illo videri debent nunc, quam videri potuerint antiquis: propterea quod ii plurima sui temporis nota habebant, ideoque vulgaria existimabant merito, quæ tanto post cum acceperimus, cumque annis obscura sint, plena mysteriorum arbitramur. ut apud nos doctrinæ interioris & reconditæ nomen & instar obtineant, quæ servis quondam essent, & opificibus, & tabernariis notissima. Nec tamen occurrit quidquam Persianum, quod laudem a nobis præcipuam, nedum admirationem, magnopere efflagitet. Nam mihi quidem, ut verum dicam, nihil se offert insignius ipsa obscuritate scriptoris, ex qua fortasse nata est opinio eruditionis & doctrinæ. Ac sæpe carmina, ut oracula vates, videtur fundere, quæ conjectoris opem requirant: sic ut hæreamus, ubi nos vetus interpres brevitate sua destituit. In quam obscuritatem si auctor incidit imprudens: magnum vitium. si de industria quæsivit: non apparet cur plerique scripta mirentur, quæ non intelligant; aut cur scriptorem laudent, qui intelligi noluit. Monstratur libellus manu scriptus, quem appellat, qui scripsit, Ausoniano verbo, liturarium. Eo libello videas quædam Josephi Scaligeri, de rebus variis auctoribusque, ex ore loquentis excepta: in quibus etsi plurima dicta sint inconstanter, quæ in-

inter se non cohæreant, pugnent etiam nonnunquam; illud a vero aberrare non multum videtur, quod miserrimum auctorem Persium dixit, qui studeat obscuritati, & qui minime pulcra habeat ipse, cum in eum possint scribi pulcherrima. Sensi vero a Dionysio Petavio, quem ego virum cum præstantissimis quibusque omnium ætatum, varietate & copia doctrinæ, comparo, dimidio minoris hunc scriptorem fieri, quam vulgo solet, aut quam olim doctissimi veterum fecisse videantur: cum & commentariis illum suis, atque interpretationibus dignati sint; & ipsius persæpe versus, ut Servius & Hieronymus, testimonii loco protulerint; & eum sui æquales poetæ, ut Lucanus, plausu & admiratione exceperint recitantem. Verum esto sua antiquitati fides & auctoritas. defero Persio, quantum deferri potest: do ei jocos, cavillos, salem, fel, acetum: non adimo Latinitatem, diversam jam illam quidem ab optima, sed tamen nondum corruptam. Caret eo certe, quod adhuc investigare non potui ubinam sit, superiorum temporum fœtoribus, suæ memoriæ quisquiliis, quas aut Volaterris repetierit, aut Romæ collegerit in compitis, aut acciverit rure alicunde. Eo caret, quo ridicularii nostri abundant, vel potius ex quo toti conflati & concreti sunt, sordidis & trivialibus verbis, & conquisitis undique cujusque generis ineptiis.

Ab omni se vitio istorum longius etiam Juvenalis removit. Nam & ejus scribendi ratio, non illa quidem purior aut Latina magis, quam Horatii; plurimum enim abest: sed haud paulo, quam hujus, & Persii, elatior ac sonantior; & graviores ponderosioresque sententiæ; & stomachus in insolentium hominum indignitate fastidiosior. Cujus non oculi, non aures ferre perditos civitatis mores queant. meditetur ipse & adornet fugam in ultimas terrarum oras, ubi ne Romanum quidem nomen exaudiat. interim incurrat in quemvis obvium, & prosternat, & conculcet: non modo figat aculeis, aut morsu frangat. Qui si dixit non esse, quod diutius Romæ commoretur, ibique, quod agat, se nihil habere; propterea quod nesciat mentiri, atque assentari non possit, librum, si malus est, laudando, ac, tanquam si optimus esset, poscendo: quid erat, Superi! dicturus, si incidisset in ridiculi sermonis homines, aut si delati retro ad illius ævum isti essent? quomodo exagitaturus hos literatos illiteratos, & salsos insulsos, qui tam fœde diducant rictus, & cachinnos tollant miserabilem potius, quam hilarem in modum? Sed ne fiat longius non necessario, sic distinguemus: Horatium, placide & leniter influentem in animos, suadere ridendo: subsannantem Persium philosophari velle: Juvenalem, quasi crudum & nauseantem, indignari omnia. ut hic abunde faciat dicto suo fidem, & quem initio protulit versum, totis satiris comprobet: *Si natura negat, facit indignatio versum.*

VIII. PETRONIUS. APULEIUS. ID GENUS CETERI.

Alterum satiræ genus est, soluta oratione; credo, quo solutior risus esset, liberiorque reprehensio morum; explicatum. Tantum videas aliquot versus identidem varietatis causa interponi. Atque ita fieri cœpit initio. post autem carmen solummodo retentum: forsan quod aptius ad capiendos & deliniendos animos, accommodatiusque esse videretur. In eo priori genere se Terentius Varro sæpe ac multum exercuit, qui satiras etiam inscripsit Menippeas. quod quamobrem fecerit, inducitur a Tullio aperiens ipse verbis suis. *In illis*, inquit, *veteribus nostris quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus. quæ quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati, scribere voluimus, si modo consecuti sumus.* Et in libro secundo, capite decimo octavo noctium Atticarum Gellius: *Ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros Marcus Varro in satiris æmulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.* Quibus ex locis animadverti potest, quamvis satiram Latini sibi vindicent, suamque esse ac propriam velint: tamen extitisse aliquid antea apud Græcos ejusmodi; siquidem exemplo atque instituto Menippi Varro fecerit, ut mordaci sale ac tanquam γλυκυπικρίᾳ, vir gravis & moderatus, scripta sua perfunderet. Vere autem & proprie satiram dici opus Romanorum, quatenus vel id argumenti genus professi sint, deditaque opera tractarint plenius; vel soli fere versibus conscripserint, admistione nulla prosæ orationis. A Demetrio quidem Phalereo, si tamen is est auctor libelli περὶ ἑρμηνείας, fit mentio de satyro, scripti quodam genere, in quo, ut in comœdia, venustas, & risus peræque sedem ac locum habeant: cum venustas conveniat tragœdiæ, risus non item. quem si poeta tragicus captaret scribendo, non jam tragœdiam scriberet, sed satyrum. Quemadmodum vero Lucilius desideratur, primus eorum, qui satiras mero ac perpetuo versu incluserint: ita Varronis inter eos, qui mixto sermone sint usi, tota periit ea pars plena jucunditatis & facetiarum, nomine solo & inscriptione cujusque satiræ apud auctores diversos relicta. In quo magnum profecto damnum Romanæ Veneres & Gratiæ fecerunt.

De Seneca Erasmus epistola quadam erudita & accurata, si quam unquam scripsit, quasi judex e tribunali, multa pronunciat, & in his ista, quæ pertinent ad rem nostram. *Ubique plurimus videtur jocorum affectator, etiam in rebus maxime seriis: in quibus optarim illum aliquanto longius abesse ab ineptiis, obscenitate, vitioque scurrilitatis ac petulantiæ. Est omnino liberale quoddam jocandi genus. est & perpetua quædam orationis jucunditas, quæ virum bonum non dedeceat, si in loco adhibeatur. at in Seneca sæpe cachinnos sentias potius, quam risum.* Ego huic Erasmi judicio neque assentior in præsenti, neque repugno. habet enim res deliberationem. Dico tantum videri ἀποκολοκύντωσιν, seu ludum de morte Claudii, tam gravi censura & reprehensione non attingi, aut excipi sane oportere. Etenim fabula agitur maxime jocularis ac ridicula: & ludus est non de morte solum Claudii imperatoris, sed de vita ejus tota, quam hic mordacissimus auctor lacerat, & conscindit velut minutatim. Scriptum porro ejusmodi, si quis comparare volet cum Lucianicis multis, nihilo inferius dicacitate & cavillis reperietur. Mihi quidem Cæsar is unus Senecæ propemodum pluris est, quam cuncti Cæsares ipsius Cæsaris Juliani.

Petronium Arbitrum ſua nobis inſcriptio, quæ Satiricum eſt, hoc loco exhibet. de cujus oratione quid exiſtimem, breviter complectar optando, faciamque votum, quale ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς vulgo fieri, puellarum cauſa, videmus ab amatoribus: Utinam aut formoſa minus foret, aut magis pudica. ſic namque futurum alterutrum, ut ejus lectio libelli vel non tantopere placeret legentibus, vel non ita moribus noceret. Fuit illud quidem opuſculum dignum turpitudine & infamia Neronis, cujus ſtupra, & inceſta, & alias libidines Petronius putatur deſcripſiſſe ſub fictis nominibus & perſonis; quanquam præſtiterit poſteritatem de flagitiis tam impuris atque infandis celari: ſed eſt ſane indigniſſimum, quod vel ſemel a juventute Chriſtiana legatur.

Jamvero quid prohibet Petronio Apuleium adjungi comitem; non quod hic, ut ille, Satiricon librum inſcripſerit; ſed quod revera, cum metamorphoſeon libros appellaret, ſatiram conſcripſerit variam ac multiplicem? Certe, quoniam fabulæ amatoriæ conſutæ ſunt atque elaboratæ ab utriſque; non dubitavit eos Macrobius, propter materiæ & inventi qualemcunque ſimilitudinem, conjungere. *Fabulæ*, inquit, *auditum mulcent, velut comœdiæ; quales Menander, ejuſve imitatores agendas dederunt: vel argumenta fictis caſibus amatorum referta; quibus vel multum ſe Arbiter exercuit, vel Apuleium nonnunquam luſiſſe miramur.*

Huc accedat oportet, agmenque claudat Martianus Capella, ſatis & ipſe facetus, nec ſine aculeo reprehenſionis & cavillarum, narrator. Ut enim omittam, ejus artes ſeptem reperiri inſcriptas olim multis in codicibus, Satiricon libri ſeptem: Satiram illam, quæ fabellam commenta eſt, & hyeme Martiano enarravit ad lucernam, de qua & ipſe meminit tum libro primo, tum ultimo; quid aliud interpretari poſſumus, quam ſatiram veram ac propriam, cujus ſit hoc legitimum opus, & a qua hæc velut dictata idem Martianus exceperit.

Dicet aliquis: Jungis humano capiti cervicem equinam, id eſt, puris & Romanis ſcriptoribus, Africanos duos, Apulejum & Capellam, verbis uſos plerumque abjectis & ſordidis. Tanto melior, tanto, inquam, melior, qui negem etiam diſſimillimos inter ſe ſcriptores ullo pacto cum noſtris iſtis convenire. Nam ſi non modo diſerti & eloquentes, ſed ne locuti quidem barbare & inquinate, id egerunt unquam ſtudio ac dedita opera, ut ſic loquerentur: quæ tandem ſpes eſt Gelaſimis noſtratibus, ut exemplum aliquod, tanquam facti ſui patrocinium, in omni antiquitate inveniant? Tantum autem abeſt, ut vel iſti, vel alii quondam tentarint male Latine loqui, prudenteſque ac volentes ſolœciſmos, barbariſmos, ſimilia flagitia admiſerint: ut, ſi qui vel nationis vitio, vel ſæculi ſui, vel educatione ac diſciplina puerili deſtituti, peccarint aliquid in iſto genere, idipſum excuſent, quoad poſſunt, veniamque ſibi concedi poſtulent. Cedo tu, qui ſponte hic lapſi ſint, aut qui ſe ita lapſos voluntate ſua fateantur. Non facies, certum ſcio: non potes. Accipe contra, qui ſe purgent lectoribus, & cauſam rudis & impolitæ dictionis alii in aliud conferant. Vitruvius in capite primo libri primi: *Peto*, inquit, *Cæſar, & a te, & ab his, qui mea volumina ſunt lecturi, ut, ſi quid parum ad artis grammaticæ regulam fuerit explicatum, ignoſcatur. Namque non uti ſummus philoſophus, nec rhetor diſertus, nec grammaticus ſummus rationibus artis exercitatus, ſed ut architectus, his literis imbutus, hæc niſus ſum ſcribere.* Apulejus primo metamorphoſeon libro: *In urbe Latia advena ſtudiorum Quiritium indigenum ſermonem ærumnabili labore, nullo magiſtro præeunte aggreſſus, excolui. En ecce præfamur veniam, ſi quid exotici ac forenſis ſermonis rudis locutor offendero.* Vegetius prologo libri primi ad Valentinianum: *Dum conſidero clementiam veſtram auſibus literarum magis ignoſcere poſſe, quam ceteros, tanto inferiorem me antiquis ſcriptoribus eſſe vix ſenſi. licet in hoc opuſculo nec verborum concinnitas ſit neceſſaria, nec acumen ingenii, ſed labor diligens ac fidelis.* Ammianus Marcellinus libro trigeſimo primo: *Hæc ut miles quondam & Græcus pro virium explicavi menſura. Scribant reliqua potiores ætate, doctrinis florentes. Quos id, ſi libuerit, aggreſſuros, procudere linguas ad majores moneo ſtilos.* Macrobius initio libri primi Saturnaliorum: *Niſi ſicubi nos, ſub alio ortos cælo, Latinæ linguæ vena non adjuvet. Quod ab hiſce (ſi tamen quibuſdam forte nonnunquam tempus voluntaſque erit iſta cognoſcere) petitum impetratumque volumus, ut æqui bonique conſulant, ſi in noſtro ſermone nativa Romani oris elegantia deſideretur.* Sidonium, & Fulgentium, & Martianum ipſum Capellam relinquo. alios prætereo, qui veniam omnes pro laude petant, ſeque legentibus vehementer excuſatos velint, ac ſuam tenuitatem iſtam inſcitiamque loquendi cum rerum bonitate & copia, quantum in ipſis eſt, compenſent. Inventus eſt unus, quod ſciam, Lucullus, qui de ſuis hiſtoriis Græce compoſitis dixerit; ſe, quo facilius illas probaret Romani hominis eſſe, idcirco barbara quædam & σόλοικα diſperſiſſe. Sed hoc joco videtur potius dixiſſe, quam ſerio, vir, ut eſt a Plutarcho traditum, in utraque lingua peræque excellens. Qui ſi tantopere refugit Græcus videri; haud equidem ſcio, cur id aſſequi maluerit vitioſe ſcribendo, quam non ſcribendo prorſus. Atqui ejus erat, qui Græce ſcriberet, videre velle Athenienſem, mediis natum Athenis, vixiſſe ibidem ſemper: ſicut ejus, qui videri Romanus vellet, optime Latine ſcribere.

SECTIO TERTIA.

DE LUDICRA DICTIONE NIHIL PRÆCEPERUNT SCRIPTORES ANTIQUI.

I. RHETORES.

Talia oratione ſoluta conſcribere, aut verſu, qualia paucis abhinc annis nonnulli, abutentes otio & literis, garrire cœperunt, res eſt non inuſitata modo antiquitati, ſed ignota penitus. Nec vero feſtivum hoc genus acroamatis & deliciarum uſurpavit olim ſcriptor vel Græcus, vel Latinus. ac ne ullus quidem de iſto egit unquam, aut ullo pacto meminit per ſomnium, aut caſu attigit, aut divinavit futurum de-

denique, ut posteritas in tam vili contemptoque opere sibi elaborandum putaret. At quorum fuit mentionem aliquam facere, nisi aut rhetorum, qui omnes dicendi formas & figuras complexi sunt arte sua, innumeraque de maximis ac minimis præcepta tradiderunt; aut philosophorum, seu philologorum, qui egerunt de moribus & humanæ vitæ officiis, & quem quisque sermonem habere debeat in congressu communique vita; aut Theologorum denique veteris memoriæ, sacrorumque Auctorum, a quibus ne omissum quidem, quid fas nefasve sit relaxanti animum ludo ac remittenti? Ex his autem scriptoribus artis, quos potius ista de re scribere oportuit, quam qui de jocis, & facetiis, iisque omnino, quibus jucunda & suavis fieret oratio, disputationes, ac libras, tractatusque reliquerunt? Ordiamur ab eo, qui nihil ipse oratorium scripsit, sed in præceptis oratori dandis totus fuit.

Sunt ab Aristotele libro tertio rhetoricorum allati multiplices ac varii loci, unde certa quædam urbanitas elocutionis peti possit. Est item ab eo sub finem ejusdem libri aliquid injectum de usu & efficientia ridiculorum. quæ duo, τὰ ἀστεῖα καὶ τὰ γελοῖα, valde apud eum diversa, temere ipsius interpretes, ut Æmilius Portus, quasi eadem essent, confundunt. Sed neque hic, neque illic quidquam reperias, quod ridicularis nostris faveat, aut quo suum tueantur errorem. Παρὰ δόξαν, παρὰ γράμμα, παραπεποιημένα, alia, quæ in arte rhetorica traduntur, nihil eos liberant culpa, nec, si inepti sint, ut sunt, has illorum ineptias præstant. Optandum vero, ut ea pars libri de poetica extaret, in qua se Aristoteles significat docuisse, quam multa sunt genera ridiculorum. Certe si Aristotelis mentem, intimosque sensus non plane ignoramus, nunquam poetis, ut male loqui liceret, permisit; non plus, quam oratoribus: quos utrosque erudiit tanta cura & labore, & quibus tot ac tam etiam minuta de dictione præscripsit. Quamvis autem fato interierint nescio quo literarum misero funestoque, Aristotelis comica præcepta, & in his ridiculorum plena & accurata tractatio: superest tamen & definitio ridiculi in poetica, & partitio quædam in rhetoricis. Ridiculum quid est? ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν. *Vitium quoddam & turpitudo, quæ nec dolorem effectura sit, nec allatura interitum.* Ridiculorum quot genera? Duo præcipua: unum libero homini convenit, quæ est εἰρωνεία: alterum minime, quæ βωμολοχία. Etenim εἴρων αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον, *ridiculum effingit propter se*: ὁ δὲ βωμολόχος, ἑτέρου. *alterius gratia.* Quem locum interpres, sive Græcus scholiastes pervertit potius, quam interpretatur, cum Aristotelem sic exponit: Καὶ ὁ μὲν ἐλευθέριος κινεῖ τὸ γέλωτα ἕνεκα ἑαυτοῦ, ἤτοι, ἵνα αὐτὸς γελᾷ· ἢ κινεῖ γέλωτα ἄλλοις, χάριν ἑαυτοῦ, ἤτοι, ὑπὲρ ἑαυτοῦ. ὁ δὲ βωμολόχος ἄλλως κινεῖ εἰς τὸ γελᾷν καὶ ἕτερον γελᾷ, οὐχ ἑαυτόν. ὁ δὲ ἐλευθέριος ἑαυτὸν γελᾷ, ὡς ταπεινῶν ἑαυτὸν διὰ εἰρωνείαν. Quanto illud simplicius ac verius, liberi & ingenui esse movere risum sua causa, id est, ut rem suam agat, sive refutando aliena, sive sua confirmando, se unum spectet, & ea quæ ad se attinent, sibi serviat cum alios delectat: scurræ esse risum excitare, alterius causa, cui sese dat, & cui placere studet.

Demetrii quidem Phalerei nomine fertur inscriptus liber περὶ τῆς ἑρμηνείας, cujus auctorem tam certum est non esse hunc qui vulgo dicitur, quam incertum, quis ille tandem sit, qui perscripserit adeo multa adeo paucis. In eo libro formæ sunt elocutionis distinctæ quatuor, tenuis, magnifica, polita, gravis; suo cuique finitimo, & propinquo vitio, quasi affixo ad latus. In politæ partibus numeratur χάρις, χαριεντισμὸς, εὐχαρις, ἀστεϊσμὸς, hoc est, venustas, sive lepos, sive urbanitas. De qua sane eruditus & subtilis scriptor quam utilia persequitur oratione! quam legenda sæpius, & propemodum ediscenda! Venustatum alias esse majores & honestiores, alias magis humiles & magis comicas: ambas & in rebus sedem habere, & in verbis, & in collocatione verborum. idque rursum multiplici ratione ac modo. A ridiculo venustum differre τῇ ὕλῃ, τῇ λέξει, ἐκ τῆς προαιρέσεως, ἀπὸ τῶν ἐπακολουθούντων, ἐκ τόπων. quæ magnum aperiunt campum ad excurrendum, si cui sit otium, & voluntas. Unum prætermittere non debeo, quod extremo loco ponitur, viros etiam prudentes & moderatos, τοὺς φρονίμους, uti posse ridiculis in loco, & in tempore, festis diebus, atque inter epulas: aut si quando luxum, & delicias acerbius increpent cujuspiam. quæ ridicula tum locum obtineant χρείας & γνώμης, admonitionis, & sententiæ. Ubi hæc inter species & idea elocutionis, quæ assidue & perpetuo delectet aut vocibus obsoletis & vetustate rancidis, aut rustica & agresti dictione, aut cogitatis & somniis a plebecula, visisque inanibus ac stolidis? Nam quod ait idem Demetrius nasci lepores ex verbo tum communi, & vulgi consuetudine trito, tum novato factoque recens; item in proferendo exprimendoque ridiculo, verba requiri humilia & pervagata, cujusmodi sunt hæc Aristotelis, ἀντίτης & μονάτης: satis indicat, cum Aristotelem affert auctorem, aliud se velle concinnitatis & leporum genus, ac nostri homines usurpant. Nisi forte censemus gravissimum philosophorum, de quibusvis rebus, etiam ludicris, accurate cogitateque præcipientem, joculari & ridicula usum dictione fuisse. Ac ne in vitio quidem, quod eleganti & venusto generi dicendi Demetrius opponit, inveneris insulsitatem nostrorum temporum. Cum enim huic virtuti contrarium statuat κακόζηλον, id est, malam affectationem, seu nimium studium, & curam loquendi: existimavit quidem futuros, qui plus æquo affectarent bene loqui: nunquam putavit quemquam tam ἀνεπιστρεπτον, & aversum a recto, male ut loqui consulto vellet; qui propterea admonendus esset a rhetore de vitio, ne in illud per errorem incurreret.

Præter ea, quæ plurima & diversa ex Dionysii Halicarnassei scriptis rhetoricis desiderantur, in reliquis, & quasi superstitibus libris tria quædam quatuorve habemus, magni sane ad perfectam eloquentiam ponderis & momenti. Primum enim artem tradit componendæ orationis universam. deinde modum & rationem judicandi de singulis scriptoribus edocet. tum judicat ipse de multis. ac demum nonnullos inter se, sic melius judicaturus, comparat. Verum quænam ista norma, & regula, præscriptioque artis, qua expenditur rectum quodque, & a pravo internoscitur, &

& ad quam judicium & æstimatio dirigitur; ut quis non temere, quemadmodum vulgus, neque inconstanter, modo hoc, modo illud, de lectis, de auditis, de quibuscunque dictis sentiat? Duplex omnino κανὼν statuitur a Dionysio, quo & usus est. Aut enim spectari vult in oratione ἦθος, γνώμην, τέχνην, λέξιν, & quid, quantumve ad ista quidque conferat: aut τὸ πραγματικὸν & τὸ λεκτικὸν perpendi. quorum rursum partes duæ; illius, εὕρεσις & οἰκονομία; hujus, ἡ ἐκλογὴ τῶν ὀνομάτων & ἡ σύνθεσις τῶν ἐκλεχθέντων. ex quibus denique existat αὐστηρᾶς, γλαφυρᾶς, μέσης sive μικτῆς ἁρμονίας χαρακτήρ. Cum tu igitur, magne Dionysi, ῥητορικώτατος sis, cumque artem faciendæ orationis cum doctrina judicandæ conjunxeris: da, si potes, vel in præceptis tuis, vel in exemplis, id quod a ridiculis scriptoribus nostris vulgo fit, aut simile aliquid: da errata voluntaria, congeriem vocum barbararum, continuum & perenne textum locutionis pravissimæ. Mutus Dionysius; ars elinguis: tacitæ & nullæ in veterum scripta inquisitiones: deficit ex ea parte accurati auctoris prudentia & animadversio otatoria omnis: neque colligendis virtutibus aut vitiis cujuscunque scripturæ, ludicrum & joculare scribendi genus vel minimo verbo notatur.

Jam Fabii Quintiliani, qui Dionysium Halicarnasseum sæpe ac multum secutus est auctorem, tanta cura, tantus labor, tam excellens industria in iis persequendis, quæ ad risum pertinent, definienda ridiculi natura, explicandis vocibus, partiendis rebus, generibus notandis, congerendis in unum exemplis; ut merito nihil, quod eo conducat, existimari debeat omissum: præsertim cum & retulerit, quæ aliorum sint, Græcorum ac Latinorum; & de suo ipse adjecerit quamplurima. Quomodo is ergo hic oblitus est maximos risus nostros, & præclaram istam vim & copiam facetiarum? quem in locum rejecit prudens? quibus artis scriptoribus, cui sæculo & posteritati reservavit integram? Mihi quidem certum est in tam longo sermone de ridiculis, improbari ab illo & excludi, quod non affertur; & in tam alto de ludicra dictione silentio, ne cogitandum quidem ulli de ea fuisse.

Defessus prope sum quæritando & percontando: nec tamen ad spem quidquam ostenditur, repertum iti apud veteres, tot sæculis, tot ingeniis, tantis auctorum studiis, unum alterumve, qoi non modo expresserit, sed ne innuerit quidem notionem & figuram scribendi oostratium. Nisi forte succurrat Hermogenes investigantibus, & aliquid tandem nobis indicet, qui & ea profitetur se aperuisse de ideis ac formis orationis, quæ ante se nemo; & vero minutius omnia partitus est atque ad docendum accommodatius. Non enim jam tria genera assignavit dicendi, ut Cicero; non, ut Quintilianus, quatuor: sed constituit statim principes formas numero septem, ut essent σαφήνεια, μέγεθος, κάλλος, γοργότης, ἦθος, ἀλήθεια, δεινότης. quibus deinde quasi majoribus minores subjectas esse voluit qoamplurimas. tum autem fere in singulis, octo quædam, ex quibus eæ fiant, spectari oportere, ἔννοιαν, λέξιν, σχῆμα, μέθοδον, κῶλα, συνθήκην, ἀνάπαυσιν, ῥυθμόν. Ubi igitur locorum, jocosi scriptores, estis? quo delitescitis in angulo, & recessu? quam sedem obtinet forma vestra, speciesque loquendi? Utrum in perspicuo invenietur genere, an in pulcro, an in peculiari quodam morum? Aut ad nullum enim, aut ad horum trium unum necesse est adhæserit; aut referri sane potest. At perspicui rursum cum sint formæ duæ, pura & dilucida; puritati sordes verborum, nitori muscosa, ot ita dicam, vetustas adversatur. A pulcro excludit ridiculos homines Hermogenes vel hoc ipso, quod ad pulcri commercium & societatem ne admittit quidem venustum, suave, lepidum: quæ universa tamen propiora pulcro esse, & junctiora videntur. Ab eodem quoque segregant ultro seipsi, cum ridiculum, quod ex toto persequuntur, in depravatione recti, atque in turpitudine quadam & deformitate habeat locum. Tertii generis illius, quod a moribus appellat Hermogenes, & a morato communi quodam & universo distinguit, formæ sunt & primæ ordine, & insignes præter ceteras, ἀφέλεια simplicitas, quam vix differre vult a puritate; γλυκύτης, suavitas, quam præclare simplicitatis quasi pulcritudinem nominat: tum ὥρα, tum ἁβρότης, quas cum suavitate confundit. Huc, Gelasimi, vos, tanquam in rem præsentem voco. perlegite, quæ sententiæ ad istas orationis formas aptentur: quæ cujusque statuatur propria & consentanea dictio. cum multa discatis licebit præclara, & ignota vulgo, tum illud agnoscetis in primis, nihil vos eorum, quæ tantus ibi præcipiat rhetot, servare.

Reliquus est unus, qui inter rhetores omnino nomen & aliquem numerum obtineat, Dionysius Longinus, cujus & consilio in rebus gerendis, & disciplina in percipiendis literis Græcis usam ferunt Zenobiam reginam. Ad hunc autem si ridiculi scriptores undique vel exclusi, vel ejecti, tanquam ignoti & alieni homines, perfugium habeant, equidem mirer. Nam cum eos primo aditu & vestibulo ipsa libri inscriptio, quæ est περὶ ὕψους λόγου, *de sublimi genere orationis*, arceat: tum si quid infimi generis toto libro, vel ex incidenti, vel quasi vitium virtuti contrarium, proponitur; tantum ab hoc infimo illi absunt, quantum ipsummet infimum a summo distat. Rem planam faciet locus unus Longini: nec vagabor latius. Est gravis apud hunc, & digna profecto, quæ non semel legatur, controversia; seu brevis & idonea quædam a proposita oratione digressio, qua quæritur, utrum præstet io soluto adstrictove sermone magnitudo, quæ deficiat & peccet interdum, an sana omni ex parte, & quæ nusquam offendat, mediocritas: atque adeo sintne virtutes orationis, quæ numero plures, anteponendæ majoribus, satiusque sit oratorem multis ac minutis abundare ornamentis, quam præditum esse paucioribus illis quidem, sed maximis & dignitate primis. Eam ad rem ponit esse saniorem, & minus mendosum Homero Apollonium, Platone Lysiam, Demosthene Hyperidem: hos tamen ab illis longe multumque superari, quod ii multitudinem modicarum virtutum, aut minimarum, una amplitudine sua & splendore obscurent. Notat in primis urbanitatem & sales deesse Demostheni, qui redundent in Hyperide, ac supersint. Sed quibus de utroque verbis loquatur, interest recognoscere.

Ac

Ac de Demosthene: ἔνθα μέντοι γελοῖος εἶναι βιάζεται καὶ ἀστεῖος, οὐ γέλωτα κινεῖ μᾶλλον, ἢ καταγελᾶται. ὅταν δὲ ἐγγίζειν θέλῃ τῷ ἐπίχαρις εἶναι, τότε πλέον ἀφίσταται. *Ubi vero urbanus esse, & excitare risum conatur; non magis, alii ut rideant, quam ut ipse rideatur, efficit. cumque inibi jam esse videtur, ut comem se & lepidum præbeat, tunc ab isto discedit longius.* De Hyperide autem: ἄφατοί τε περὶ αὐτὸν εἰσὶν ἀστεϊσμοί, μυκτὴρ πολιτικώτατος, εὐγένεια, τὸ κατὰ τὰς εἰρωνείας εὐπάλαιστρον, σκώμματα οὐκ ἄμουσα, οὐδ' ἀνάγωγα κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς ἐκείνους, ἀλλ' ἐπικείμενα. διασυρμός τε ἐπιδέξιος, καὶ πολὺ τὸ κωμικὸν, καὶ μετὰ παιδιᾶς εὐστόχου κέντρον· ἀμίμητον δὲ εἰπεῖν τὸ ἐν πᾶσι τούτοις ἐπαφρόδιτον. *Urbanitas in eo admodum multa, sannæ cive dignissimæ, liberalis & honesta ingenuitas, summa exercitatio & facilnas jocandi. scommata, ut fere sunt ipsorum Atticorum, non insulsa, neque inerudita, sed quæ premant & urgeant, in quos dicantur. Tum vero in elevandis argumentis adversariorum, & objectis criminibus dexteritas. tum comici leporis & elegantiarum affatim. itemque aculeus cum joco solerti & ingenioso. Postremo in his omnibus venustas, ut verbo dicam, minime imitabilis.* Hyperidei, opinor, scriptores nostri, omni sale sparsi humanitatis & conditi, quorum in labris tres Gratiæ, cunctæque Veneres habitent: qui Demosthenem omnium principem oratorum hac parte vincant, & quos nemo assequi possit imitando. Id, Balzaci, quo magis credas, sic statue: Hyperide, Lysia, similibus Atticis, nihil cogitari potuisse limatius, & politius. ut horum inter accuratam diligentiam, & nostrorum affectatam negligentiam, idem propemodum, quod in musicis inter νήτην & ὑπάτην differre videmus, intersit.

II. CRITICI, AUT PHILOLOGI.

Cum jam inde a principio operis, & ab ipsa capitum inscriptione, negavi quidquam traditum a rhetoribus fuisse de joculari & ridicula dictione; non sic anguste intelligi placuit, ut alios scriptores excluderem, sive artis poeticæ, sive grammaticæ, seu cujusque generis criticos, quicunque tandem de virtutibus ac vitiis tum solutæ, tum vinctæ orationis egerint. Itaque Horatium, qui nihil tale, ut a nobis ostensum est, conscripsit, ne simile quidem docuisse quidquam videmus iis præceptis, quæ bene multa paucis in epistolis dedit. Et factum oportuit tamen, si decuisset, aut res hunc tota delectasset. Nam cum de fine statuerit, quem sibi comœdia debet habere propositum; cum *ridiculo* decidi res plurimas, conficique potius, quam *acri* disseruerit; cum pronunciarit, quæ visa sunt de Plauti, deque Lucilii scriptis: erat sine dubio locus idoneus præcipiendi, quam belle & convenienter vergeret ac laberetur oratio ad singularem, & exquisitam ad risum, elocutionis vilitatem. Tantum autem abest, id ut suadeat, aut probet, aut quomodocunque permittat: ut ne Plautus quidem, quamvis semper apud omnes habitus est salsissimus, ei satisfaciat in salibus; Lucilius vero, etsi comis & urbanus, qui sale multo urbem defricuerit, fluere lutulentus, sic tanquam turbidus cœno & inquinatus, & plurima trahens ultra perfectum, videatur.

Pletarchum habent Galli omnes, viri pariter & mulieres, in manibus: ex quo præsertim ante annos centum Amiotus noster puro eum & eleganti, ut illis temporibus, sermone Gallice reddidit; cum nondum Latine versus a quoquam totus haberetur. Is porro Græcus scriptor volumen alterum de moribus, promiscuisque rebus innumeris, par & geminum primo de vitis illustrium virorum tum Græcorum, tum Romanorum, conscripsit: ut videri possit ex illorum gestis didicisse, quæ multa de pace, de bello, de magistratibus, de foro, de ludis & exercitationibus tum corporum, tum animorum, de reliqua omni vita præciperet. Neque Græcos modo & Romanos, qui & diutissime, & latissime dominati sint, ritus & instituta, omnemque disciplinam illustravit literis Græcis: sed Ægyptiorum quoque, Persarum, & similium jura, consuetudines, factaque attigit, quorum, in gloria non multum forsan dispari, antiquitas etiam major. Omisisse autem delicias in sermone, vel potius ineptias similes nostris, si quæ unquam apud tot gentes & nationes viguerint, Plutarchus qui potuit, cujus & ἀποφθέγματα, seu dicta memorabilia feruntur tam multa, & symposiacorum libri novem, quorum in uno præscribit singillatim de jocose salseque dictis inter epulandum? Et modum quidem ibi requirit potius ac temperantiam quandam, quam quidvis aliud. quæ si teneri non possit, ut esse videtur, in vino præsertim, valde difficile: auctor est, ut vitetur profusio & quasi immodestia dictorum, prorsus abstinendo.

Apud Athenæum interesse licet præclaro cuidam non multorum dierum, sed multorum librorum convivio, in quo philosophi convivantur, vel potius philosophantur convivæ. quos quidem convivas, sive hospites, multi joci, multæque curiositatis, non multi cibi reperias, omnia jucunde, plurima absconditæ differentes. acutæ interrogationes, festiva responsa, disputationes eruditæ. Fercula ipsa materiem præbent colloquiis mutuis. utrumque scriptoris narratio complectitur. adeoque res prope tota geritur sermone. qui sermo non bellaria, ut fieri solet, aut condimentum solummodo videri debet, sed caput omnino, aut fundus & fundamentum cœnæ. Verum quid facias? deest huic convivio exstructisque mensis, lepidorum nostratium pulpamentum, ludicra dictio.

Nefas est præterire hoc loco Aulum Gellium, qui sexcenta grammaticorum, poetarum, rhetorum, philosophorum, medicorum, jurisconsultorum dicta, facta, instituta usque eo non præteriit, ut unus scriptor instar plurium haberi possit. Quinetiam sæpenumero retulit, quid ipse in conviviis, in circulis fecerit, dixeritve, una cum iis, qui salutationem Cæsarum operirentur, in area Palatina, aut aliis in locis confabularentur, apud mensam, in libraria, Romæ, Athenis, in utriusque urbis suburbano. Sed hoc præcipuum præter cetera, quod ex lepidissimo libro M. Varronis in satiris Menippeis excerpsit, ita demum omnibus suis numeris absolutum esse convivium, si constet ex rebus quatuor: quarum prima, si

belli homunculi collecti sunt, id est, si jucundi ac festivi convivæ singulari suavitate orationis atque morum, invitati adsunt. Quibus quidem convivis *sermones id temporis habendos censet, non super rebus anxiis aut tortuosis: sed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles: ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amœnius.* Erat hic profecto tempus vel Varroni, vel Gellio admonendi, aptusne convivio censeretur nugatorius & jocularis sermo nostrorum. Verum de Varrone dixi supra. De se Gellius dicit ipse cum multa passim, tum vigesimo libro extremo, nequaquam se in scribendo & commentando secutum copiam, sed habuisse delectum, eaque sola mandasse literis, quæ aut hominum studia commoverent ad discendum, adjuvarentque, non sine delectatione & animorum lætitia: aut eos, aliis jam vitæ negotiis occupatos, a turpi certe, agrestique rerum & verborum imperitia vindicarent. Quod equidem verum puto, neque audiendum ullo modo Gasparem Scioppium, præfidentem grammaticum, qui ex quatuor Latini sermonis quasi ætatibus, quas arbitratu suo distinguit, aurea, argentea, ænea, ferrea, Gellium in vilissima, maximeque ignobili reponat ætate, & ultimis scriptotibus annumeret. judicium, quantum existimare possum, omnis judicii & prudentiæ expers. Ut enim esse fateat hunc scriptorem in frequentandis & continnandis verbis ac locutionibus comicorum nimium, atque agere delicias illo in genere putidiusculas, neque ulli temere scriptori imitandas: nunquam tamen dubitaverim, quin multo ad summos, quam ad infimos scriptores, propius accedat. ita diligens, & accuratus, & elegans, & varius, & amœnus ubique, & curiosus mihi quidem videtur.

Si quem adjungere debemus Gellio comitem, debemus Macrobium, a quo Gelliana videmus tam multa, totidem excerpta & relata verbis fuisse. Quinetiam habet peculiaria quædam ac sua, ex quibus major spes ostenditur fore, ut morem nostrorum hominum & jocationes persequatur. Quomodo, obsecro, prætermiserit; qui Saturnalia celebret octo libris, festos dies plenos & servilis licentiæ, & ingenuæ libertatis? qui accipiat epulis convivas duodecim, ut & Musarum novem, & trium Gratiarum numerum expleat; itaque concinnitates omnes, & lubentias, & veneres introducat? qui ex convivis Evangelum nescio quem loqui faciat, vel satis ineptum ad has excogitandas inanes nugas, vel satis morosum ad reprehendendas? Prætermisit tamen, prætermisit, inquam: neque ullum usquam verbum fecit. non libro secundo toto, ubi de jocis ac dictis veterum agitur, & duodecim convivæ symbolam quisque suam conferunt. non tertio capite libri septimi, ubi Eustathius, quid λοιδορία sit, quid σκῶμμα, quam vatium & multiplex utrumque, definit, partitur, illustrat exemplis: quæ præterea moderatio adhibenda in utendo, quæ in ferendo patientia, præscribit; ad verbum pleraque mutuatus ex Plutarcho.

Ad hunc quoque numerum referri possunt auctores omnes, auctorumque loci, quotquot verbis interdicunt aut desitis jam vetustate & relictis, aut novis ac fictis prælicenter, aut peregrinis & externis, aut abjectis ac velut maculantibus ex sordidiore vulgi usu. Tu, quæso, vide, BALZACI, Suetonium in Octavio, quomodo is cacozelos & antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pati fastidio spreverit; in illis Mæcenatem, in his Marcum Antonium, cum verbis nonnunquam, quæ C. Sallustius excerpsit ex originibus Catonis, uteretur: neque Tiberio pepercerit, exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti; Octavius ipse genus eloquendi secutus sit elegans, & temperatum; vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate & reconditorum verborum, ut ipse dicebat, fœtoribus. Apud eundem Suetonium de illustribus grammaticis Asinius Pollio, edito libro, Sallustii scripta reprehendisse intelligitur, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita; & eum Lenæus quidam grammaticus appellasse priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem. Quanquam nihil est, quod abeas longius. lege modo in Gellio caput septimum libri undecimi, & septimum quoque caput libri decimi sexti. Tum in Macrobio quintum caput libri primi Saturnaliorum. Jam si & his, & aliis passim locis philologi genera omnia verborum, quæ supra posui, reprehendunt, quamvis neque sæpissime, neque continenter adhibeantur in oratione: quomodo non condemnent eisdem perpetuo usos ad nauseam & fastidium legentium, si qui ejusmodi in omni superiore memoria deprehensi sint? Et, si non ferunt hæc vitia in loquentibus; quomodo scribentes domi & otiose talia, referentes in volumen, protrudentes in publicum, non explodant? Tres sunt, ut apparet, distincti quasi gradus orationis, sive sermo genere & forma triplex: quotidianus, & familiaris inter privatos: publicus in judiciis, in senatu, ad populum: scripto mandatus. hunc quam accuratissimum esse oportet, quod sæpius recognosci possit, quod a pluribus ejusdem ætatis, quod a tota quoque posteritate. alter, cum semel feriat aures, ac prætervolet nonnunquam, multo est liberior licentiæ oratorum. primus vero longe liberrimus, qui vicibus habetur in tractandis negotiis, inque domestico usu, & consuetudine. Ex quibus efficitur, si turpe est & quoddam quasi nefas in sermone, loqui vel publice, vel privatim inania & levia, quæ effluant; quanto sit turpius, magisque vituperandum flagitium, publicis literarum monumentis consignare mansuras nugas, quas optimum fuerit primo non extare; deinde, ubi extiterint, dilabi memoria statim & evanescere.

III. ETHICI AUT ALII PHILOSOPHI.

NON memini me legere, inter veteres philosophos quemquam fuisse, qui de gravibus & seriis rebus male aut Græce, aut Latine loqueretur ipse de industria, aut quempiam loqui doceret convenire. Quo magis mirum videri debet, in recentioribus philosophis reperiri qui existiment, ita se demum recte philosophari, si pessimis verbis philosophentur. Verum hoc omisso, illud nunc agitur, quisquamne philosophorum, cum de ludo, atque otio, &

aliqua

aliqua requie ex magnis occupationibus quærenda traderet, suaserit uspiam, ut ad fæcem usque, & sordes verborum, & quasi retrimenta descenderetur, animi causa. Primus ille philosophiæ moralis auctor Socrates inter minuta atque rorantia pocula quid fecit? quid Plato in suo symposio? quid in suo Xenophon? Declaratum est supra, nihil eos usquam fere locutos, nisi sanum, & salubre, & puris auribus dignum. Nunc intelligi placet, cum multa præcipiant ipsi, multaque ex eorum præceptis faciant, qui loquentes inducuntur; nullum sermonem habitum fuisse ejusmodi, nullam de eo factam mentionem. An est expectandum ullo modo a Zenone, inventore, & principe Stoicorum, dum præcepta ridicule & jocula-riter loquendi tradat alumnis sectæ suæ, & discipulis, qui, ut neque irasci sciunt, neque exorari, ita flere, ac ridere minime queant? quos cum brevitas & Laconismus tantopere delectet, religio sit in latissima hæc atque supervacanea effundi. Risisti, opinor, BALZACI, & fuit sane, quod rideres; si quando advertisti M. Catonem apud Tullium, ei prope se purgantem de longitudine literarum suarum. *Hæc*, inquit, *ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi.* Atqui & erat ejus illa minime ponderosa epistola, sed pusilla valde, ac membris comprehensa tantummodo quatuor: & Ciceronis multarum paginarum epistolæ rescribebat. Nimirum, ut Stoicus, cujus erant dumeta, spinæ, laquei, minuta, & angusta, & pressa omnia, verebatur ne esset longior etiam tunc, cum breviter & paucis scriberet. Epicureis, atque Epicuro primum, novimus objici ignorantiam literarum: illum neque vim loquendi tenere, neque consuetudinem verborum: pleraque disserere & inerudite, & ineleganter. Verum contendo nihil horum fieri per ludum & jocum. tarditate fortasse hominis, aut contemptu, aut odio quodam bonarum artium: sed voluptatis causa, nullo modo; etsi omnia retulerit Epicurus ad voluptatem. De Academicis multo facilius est pronunciare, qui cum nihil quemquam scire existiment, non illud sciunt ipsi, aut docent denique, quemadmodum quis corrumpendo sermone fiat venustior, aliisque jucundior. Itaque non tantum nihil assentitur hoc loco nova & vetus Academia, sed ne opinatur quidem, id quod facere in omni re proposita solet.

Reliqui sunt Peripatetici, quos, partitionibus & definitionibus Stoicorum prætermissis, multa ad placandos animos attulisse ferunt. Ex quo verisimile videtur, eos de moribus & officiis vitæ communis egisse plenius atque uberius, quam alios philosophos ullos. Iis igitur, cum maximam vitæ partem obtineat sermo, quem ferunt inter se homines, aliquam etiam sibi jocus & animorum remissio vindicet; videndum fuit, quæ ratio tenenda colloquii quotidiani & familiaris, in circulis, in conviviis, in quovis congressu & consuetudine hominum, domi etiam cum intimis & contubernalibus; item quatenus progredi jocando, siquidem modum habet ista res aliquem, liceat. Quamobrem est ab illis constituta propria quædam & peculiaris virtus, cui jocularis & ridicula locutio nostrorum respondeat quodammodo, ac tanquam pars aut forma subjiciatur generi oportet; sicubi datur ei locus in sermone vel publico, vel privato. Dicamus ergo de eo, quod εὐτραπελία Græcis est. sic enim virtutem hanc isti appellant, unam ex plurimis, quas animi affectionibus & regendis, & continendis præfecerunt. Qua virtute explicata, manifesto apparebit, me tacente, nec verbum amplius addente, resideatne aliquid in ea, aut ad eam utcunque referatur, quod Gelasimi tanquam suum possint agnoscere.

Ait tribus in locis Peripateticorum princeps Aristoteles τὴν εὐτραπελίαν esse quandam concinnitatem ingenii atque morum, quæ cum in factis, tum multo magis in dictis eluceat, & jucunditati sit hominibus, quibuscum congregamur. cujus est officium non de aliis solum narrare comiter & festive, aut dicta in eos, quæ mulceant & exhilarent animos audientium, dicere, sed etiam aliena in se dicta, sine offensione, nec fere, nisi in optimam partem, accipere. εὐτράπελον porro dici quasi εὔτροπον, id est, probis pariter & scitis moribus. ut verset ac flectat naturam moresque facile, & ad sensum voluptatemque omnium accommodet: adeoque sit idem ἐπιδέξιος & ἐπιδεξιότης, quod εὐτράπελος & εὐτραπελία; propterea quod versatilis ad omnia ingenii dexteritate scienter, & in loco, & in tempore utatur. Hanc ipsam Græcæ vocis vim & potestatem non ignoravit quidem Thomas Aquinas, sed rudi ac prope Gelasimorum stilo expressit. *Dicitur*, inquit, *aliquis eutrapelus a bona conversione: quia scilicet bene convertit aliqua dicta vel facta in solatium.*

Jamvero sive rem spectes, sive vocabulum, innuitur profecto motus aliquis, unde natura virtutis hujus declaretur magis, fiatque notior. In quo, ut in ceteris, Aristoteles plurimum vidit, cujus hæc significantissima verba lib. IV. cap. 14. de moribus, ad Nicom. οἱ δ' ἐμμελῶς παίζοντες εὐτράπελοι προσαγορεύονται, οἷον εὔτροποι. τοῦ γὰρ ἤθους αἱ τοιαῦται δοκοῦσι κινήσεις εἶναι. ὥσπερ δὲ τὰ σώματα ἐκ τῶν κινήσεων κρίνεται, οὕτω καὶ τὰ ἤθη. *Qui in ludo jocisque decenter se & concinne gerunt, eutrapeli appellantur, quasi eutropi, sive facile mobiles. quemadmodum autem corpora ex motibus judicantur suis, ita ex suis mores & habitus animorum.* Quæ corpora dignosci dicuntur motu? hoc enim est apud Aristotelem paulo obscurius. Placet Andronico Rhodio, Aristotelis interpretum præstantissimo, intelligi de corporibus inanimis, quæ qualia sint, motu ipso deprehendas. ut si ferantur atque evolent in sublime, levia sint: si in medium mundi locum nitantur suopte pondere, gravia. Recte hoc quidem & vere. Quid si tamen rectius ac verius corpora intelliguntur nostra, prædita sensu, & animata mentibus? Atque ea res, nisi vehementer fallor, ita se habet. Cum enim de certo quodam animorum motu hic agatur, quid convenientius, quam ut ei motus corporum opponatur e regione, & ex uno, quis alter sit, investigetur? Et humana quidem corpora nulla re magis, quam ipsorum motu licet agnoscere: non peræque sessione, non accubatione, non statu. Quin est in illis nescio quid tam insigne ad discernendi notam, ut sæpe singulos homines, non-

nunquam nationes inter se distinguat universas. Quis Gallum ab Hispano, Italum a Germano non continuo aut celeritate ac tarditate in incessu, aut peculiari quadam humerorum moderatione & brachiorum, aut aliquo gestu & actione reliqui corporis internoscat? Jam cum suus unicuique ejusdem nationis motus, sit designator, & quasi index hominis, ac sæpe alius alio aptior, & venustior, atque habilior, vel naturæ munere atque concessu, vel arte ac disciplina: non est dubitandum, quin animorum quoque & ingeniorum motus sint, ut ad excogitandum acuti, ad explicandum uberes, ad memoriam diuturni firmique, id quod Tullius scripsit; ita suaves ad narrandum, ad lacessendum acres, prompti ad respondendum, ad joca juxta & seria idonei. Atque his motibus eutrapelia præest & incitandis, ut rerum natura, temporisque ratio postulabit, & reprimendis. hi vicissim motus magistram & præsidem suam declarant, quid virtutis sit: moresque & habitus produnt hominis elegantis, urbani, ingeniosi, faceti.

Porro huic virtuti, quæ, ut patet, in mediocritate quadam inter nimium parumque consistit, ponit Aristoteles esse finitima & propinqua vitia duo, βωμολοχίαν, & ἀγροικίαν. Qui prodeunt extra modum risu movendo, ii βωμολόχοι & φορτικοὶ habendi, quibus non tam propositum est, ut venusta & concinna dicant sine cujusquam offensione, quam ut omni modo risum eliciant. Itaque nec sibi, nec aliis parcunt, dum id assequantur: eaque proferunt, quæ ingenuus vir, & probus, & humanitate politus proferat numquam, partim etiam audire refugiat. Qui autem neque promunt ex se quidquam, quod alios delectare possit, neque ulla in se jocose dicta admittunt satis æquis auribus; sed amariores sunt ipsi in jocantem moderate, & stomachantur omnia: ii ἄγριοι, sive ἀγροικοί, σκληροί, ψυχροὶ merito dicuntur, & virtuti eutrapeliæ, tanquam ex altera parte, oppositi. Quo de genere hominum scitum est illud ejusdem Aristotelis: ὁ δ' ἄγριος εἰς τὰς τοιαύτας ὁμιλίας ἀχρεῖος. quod verbis item duobus, tamque aptis & concinentibus inter se, Latine reddi non potest; sed hanc habet sententiam: hic ille ferus, & asper natura, & omnibus iniquus, parum est ad jucundos, & hilares congressus virorum humaniorum idoneus.

IV. SACRÆ LITERÆ.

HACTENUS profani auctores. De sacris eo complectar brevius, quo minus postulandum est, ut viri graves, & austeri jocosa & ridicula scribendo attigerint, aut omnino res tam leves & frivolas prodendas memoriæ esse judicarint. Ac video tamen cum in veteri, tum in novo instrumento, quibus utrisque libris religio omnis & sanctitas consignata retinetur, de cessatione operum & laborum, de canticis, de jubilis, de vocibus lætitiæ, & gaudii, & exultationis, fieri persæpe mentionem. perinde quasi ad vitam humanam quies & otium res sit necessaria; ad quietem ludus, & liberales joci, & modica confabulatio: ideoque huc omnes omnium scriptis invitemur. Quot apud Hebræos instituti festi dies non ad religionem modo, & cultum numinis divini; quanquam prima hæc & potior causa fuit: sed etiam ad requiem animi & corporis, & ad curas ab omni contentione laxandas, utque jucunditati se viri cum conjugibus & liberis darent, epularentur, psallerent, choros agerent? Quod ni ita esset, quorsum vehementes illæ Dei minæ, & denunciatio quasi calamitatum, per sanctissimos olim vates: *Cessare faciam omne gaudium ejus, solennitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus.* Osee II. 11. *Et convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Amos VIII. 10. Falsus profecto & inanis terror, nisi solennes feriæ fructum hunc tulissent lætitiæ & hilaritatis publicæ uberrimum. Quis vero mortales sapientius monuit, & ad omne instruxit officii genus, quam cui sapientiam Deus eximiam & singularem impertiit, & qui cognomen hinc accepit inter Hebræos reges sapientis? Is cum sua cuique rei certa & definita spatia & intervalla dicat esse: tempus flendi constituit, cui tempus adjungit ridendi, ut vicissitudo quædam utriusque sit, nec alterum prorsus excludatur ab altera. Ac ne forte quis dictum ejusmodi, de altera vita necessario interpretandum putet, ut exposuit Hieronymus, velitque risum in id usque tempus reservari ac differri tandiu: subjicitur statim post, tempus plangendi & tempus saltandi. quod certe utrumque nemo hujus esse vitæ, quam vivimus, negaverit: aut ita diviserit, ut plangor, quandiu hic nobis ætas degitur, noster sit; saltatio in eam solum vitam, quam victuri simus morte obita, proprie cadat. Dant igitur veteres Hebræorum literæ sacræ & divinæ hanc nobis veniam, ut rideamus. Verumtamen ejus esse rei non satietatem, sed modum volunt, eumque duplicem. Edicunt enim primum, ut summisse vel tacite potius rideamus: deinde ut rideamus neminem. Ita risum concedunt, ut cachinnos adimant: ita ferunt, nec improbant, ut irrisionem a probis & sapientibus detestentur. Quomodo autem utrumque magis faciant, quæ tollentem risum & cachinnos condemnent stultitiæ: derisorem extrudendum in viam, & ejiciendum domo cum ignominia & dedecore mandent? Audi de priore: *Fatuus in risu exaltat vocem suam.* Ecclesiastici XXI. 23. Ex quo illud sequitur, quod præclare dixit Ecclesiastes, VII. 7. ut *sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti esse* videatur. Accipe posterius: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.* Proverb. XXII. 10. Dignissimum culpa supplicii genus, cum contumeliose tractari jubet, qui contumelias ipse solet inferre, ne deinceps inferat.

IN tabulis novæ legis etsi videamus perscriptum, væ ridentibus, contraque prædicari, qui flеant, beatos; itemque in Evangelio quodam Hebraico, de quo Hieronymus, discipulos Christus a lætitia deterreat atque avocet: tamen existimare non debemus, omni animi remissione, ludoque, & gaudendi ingenua libertate interdictum esse Christianis. Nonne Christum suorum, qui remissius,

ac lautius, beatiusque quodammodo viverent, quam discipuli Joannis, atque ob eam rem notarentur, suscepisse patrocinium videmus? Nec malus, ut opinor, interpres Christi consiliorum & voluntatum Joannes discipulus, qui ad leves lusus atque oblectamenta puerorum descendit ipse jam senior, atque exemplo praivit, quatenus interjungere, & ex quotidianis occupationibus reficere ac recreare mentem liceret. Hunc, mansuefactæ perdici blande & suaviter alludentem, quidam cum arcu & sagittis Venator offendit. quod eum facere cum vehementer miraretur, hominem id ætatis, spectatum & cognitum diuturna virtute: sensit Joannes, & interrogavit, an illum ipsum, quem gereret, arcum haberet semper intentum. Cui ille, Nequaquam vero, inquit: flaccescat enim arcus, & molliatur intentione perpetua, inutilisque fiat. Tum Joannes, Tu, mi homo, arcum remittis ac relaxas, ne inutilis sit: ego animum, ne sit inutilis. Quo dicto non licentiam solum datam oblectandi sui quodam tempore, sed necessitatem quoque impositam, si quis novus & integer redire velit ad laborem, ostendit.

Nec vero professio a Christianis sua, quamvis excellens, & inventa & instituta divinitus, exigit, ut humanus sermo negligatur; asper, tristis, & horridus fiat de industria, cultus omnis, & gratia, & venustas absit. Quis morum & officiorum magister gravior, q..am Paulus in epistolis? quis universam institutionem Christi, atque disciplinam sanxit diligentius? quis ab unoquoque modestiam in loquendo, gravitatem, sanctimoniam severius exegit? *Nullus*, inquit, *sermo malus ex ore vestro procedat.* Ephes. IV. 29. Quo in sermone ne clamorem quidem, seu vocem elatiorem ferre potest: *Omnis clamor tollatur a vobis.* Ac neque fando audiri sinit indecoram levitatem ullam & nugatoriam: Ne pronuncietur inter vos αἰσχρότης, καὶ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία. v. 6. Quem locum accipi video duobus præcipue modis. Plerique interpretes, & in his recentes fere cuncti, laxius & benignius sic exponunt, ut facetiæ vetentur solum, quæ sint scurrarum, & homine libero indignæ; suus urbanitati relinquatur locus. Adjuvat expositionem hanc vulgata editio, quæ εὐτραπελίαν scurrilitatem converterit. Quam Latinam vocem cave putes Hieronymi esse, qui alia aliis locis emendando inculcavit. Habes ita jam conversam ante ducentos annos apud Irenæum: habes deinde apud Cyprianum. In Græcis vero codicibus legere licet, καὶ αἰσχρότης, καὶ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία. binis conjunctionibus cum disjunctione. Quod argumento esse potest, disjunctivam particulam, ἢ, adhibitam explicandi causa: neque eutrapeliam istam differre omnino a morologia, sed per congeriem & quasi συνωνύμως, quænam morologia sit, significantius exprimere. Sunt alii restrictiores, quibus urbanitas etiam honestiorum prohiberi videatur a Paulo. Cur ita sit, multa diei possunt: sed nihil firmius, quam consentiens auctoritas patrum antiquorum, ex quibus nullum reperias, qui vel eutrapeliam in bonam partem accipiat, vel hoc illud discrimen agnoscat inter vetitam scurrilitatem, & urbanitatem permissam. Nam qui ad eutrapeliam ex sacris literis asserendam, unum unius alicujus dictum scite & jocose, pro exemplo afferunt: meo quidem judicio, nihil agunt. Multa unius colligant oportet, si quid efficere & consequi velint. Quemadmodum enim ἀγέλαστος & Crassus dictus est nihilominus, qui semel in vita risisse fertur, & Cato, & alii, qui riserunt rarissime: ita graves; ac tetrici, minimeque eutrapeli videbuntur, atque erunt ii, quorum ex ore verbum lætius aliquod semel, aut iterum exciderit. Paulus igitur, Christianæ sapientiæ doctor, ut vides, non nimis lenis, sermonem tamen vult nostrum perpetua suavitate & gratia non carere. *Sermo*, inquit, *vester semper in gratia sale sit conditus.* Coloss. IV. 6. Atque id, opinor, exemplo Christi. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebat de ore ipsius.* Luc. IV. 22. Quin ibi etiam, ubi injicere frenum linguæ licentiæ, aut adducere habenas velle videtur; lenis, & remissus, & indulgens aliquantum voluptati animorum, si recte intelligimus, reperietur. Postquam enim præcepit, ut ne nominetur quidem inter Christianos αἰσχρότης & μωρολογία, aut εὐτραπελία: subjicit statim, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. *Sed potius comitas, affabilitasque sermonis.* Perinde ac si dicat: sermo vester ne sit obscenus, ne stultus, ne scurrilis: at suavis potius, & gratus, & jucundus audientibus. Quo loco mirabere forsitan, BALZACI, novitatem & insolentiam expositionis meæ: cum vetus & vulgata, usuque recepta editio, gratiarum actionem, non venustatem ullam, aut gratiam orationis sonet. Sed mirari profecto desines, novumque aliquid meum existimare, si cogitaris, ita olim Hieronymum, ut nunc exposui, interpretatum fuisse, prætereaque facti sui attulisse causas sane probabiles. Qui primo gratiarum illam actionem, quæ a communi interprete affertur, rejicit propter ἀνακολουθίαν quandam. Minime quippe consequens & consentaneum videri, ut, qui complura vitia gravissima vetet, avaritiam, scortationem, impuritates alias omnes, scurrilitatem, inaniloquentiam; e regione collocet, aut quasi in horum vitiorum locum substituat gratiarum actionem potius, quam aliam virtutem quamvis, veritatem, justitiam, amorem Dei. Deinde vero sermonem venustum, & jucundum, seu, quemadmodum loquitur, gratiosum admittit: tum quia res belle cadit, ut vetemur turpia, fatua, scurrilia loqui; at loquamur tamen non injucunda, neque inconcinna: tum quia vox ipsa εὐχαριστίας utramque vim & potestatem habet, gratias agere, & jucundum salsumque esse. Etenim & γυνὴ εὐχάριστος apud LXX. Proverb. XI. 16. mulier gratiosa, id est, commodis moribus, & scita, & placens uxor: & ἀνὴρ εὐχάριστος apud Demetrium illum Phalereum, vir comis ac lepidus oratione: & apud Homerum, οὐκ ἀχάριστα ἀγορεύειν, res est dicere, nullo modo ingratas & insuaves.

V. *SANCTI PATRES.*

SANCTOS patres videmus, tanquam tristes quosdam severosque patruos censores, magistros, quo quisque propius ab ætate Christi abfuit, eo minus remisse, ac leviter, & facete, & hilare dictis indulgeodum existimasse. Ac primis fere tribus sæculis, Christiani scriptores aut rem habebant cum Græcis, sive cum gentibus varia & multiplici superstitione alligatis aut pervicaces confutabant Judæos, aut desertoribus fidei, qui jam tum esse cœperant, adversabantur: quidquid horum fieret, religionem asserebant ac tuebantur Christianam. Ibi autem, ubi sacrorum veritas cum æterna salute cujusque ageretur, quid esse potuit, nisi grave, & continens, & austerum; aut quis relictus locus inanibus cavillis & jocationi? Ignatius, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, ceterique, ἀγέλαστοι quibus incredibilem quandam non tam natura ipsa tribuit, quam oova Jesu Christi, domini Deique nostri, disciplina & institutio gravitatem. Magnum nomeo, magna species, magna sanctitas, magna religio, apostoli, discipuli, episcopi, presbyteri, doctores, lectores, intincti, audientes, quorum ex ore quid, nisi sacrum & augustum, ac pæne solennibus conceptum verbis, exire debuit? Quod si quando in horum theologorum scriptis luditur quippiam, & ridetur, minusque serio agitur: aut efflagitavit res ipsa & materies; aut necessitas defensionis expressit; aut præmuniit excusatio; aut ita denique rarum, & breve, & temperatum est, ut videri pro nihilo possit. Facete non potuit Irenæus, quamvis acer, & vehemens disputator, quio dicta quædam jaceret io Gnosticos. Nempe sic erant istorum fanaticorum hominum inepta & ridicula deliria, ut, exponere verbis, esset irridere. Tertullianus autem, magis, mea quidem sententia, atrox in cavillando, quam venustus videtur semel iterumve effusiot ad jocos fuisse, qui secutus Irenæum, Valentinianos, eosdemque Gnosticos, lepore ac risu prius elevandos, quam orationis contentione frangendos putavit. Quod ne cui tamen mirum videatur, & ab officio Christiani scriptoris alienum, etiam se excusat, & suas causas plurimas affert. Nam & innuit se id facturum quibusdam tantum in locis: *Si & ridebitur alicubi.* & facturum, quia ipsa ratio argumenti omnino exigit: *materiis ipsis satisfaciet.* & adhibet cautionem, ne qui alios ridere volet, stultitiam ipse detegat suam, in seque risum adversariorum convertat: *Curandum plane, ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus.* Ceterum vanitatis esse proprium, rideri: veritatis, ridere, & æmulos ludere facetiis, quæ secura sit victoriæ. Idem Tertullianus io apologetico illo suo adversus gentes, ubi commentitios & fictos Deos gentium merito ac jure deridet, quandiu, & quousque facit? quota pars hæc est longissimæ defensionis? Parva sine dubio ad alias partes: prætereaque necessitate extorta; non solum quia, cum vim vi neque possent Christiani repellere, neque vellent, hoc erat reliquum, ut quæ sibi inanissime objicerentur, irrisione nonnunquam & contemptu diluerent; verum etiam quod homines impuri, qui Deos haberent tam ridiculos, Christum Deum Christianorum priores irriserant. Quid vero Clemens Alexandrinus; Alexandrinus, inquam, qua in civitate Niliacos abundasse sales ferunt; nonne homines eos, qui risum verbis moveant, ex finibus Christianæ reip. exterminat; quod proficisci non soleant ridicula verba, nisi ex moribus ridiculis? Jam si concitatores isti risus relegantur, & ab omni societate vitæ communis nostræ facessere jubentur, longe abesse debet, ut eandem nobis licentiam concitandi risus permissam velimus. Absurdum quippe est, quorum esse auditores vetemur, eorum imitatores fieri non nolle. Tum aliquot interpositis, *χαριεντιστέον τι, ἢ γελωτοποιητέον. ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν γέλωτα ἐπιστομιστέον. Atque urbane quidem loquendum: risus vero nec ulli movendus, & in nobismet etiam ipsis comprimendus.* ut μειδίαμα adsit, κιχλισμὸς autem, qui mulierum est; καγχασμὸς, qui virorum, procul amandetur a nobis. Neque hoc ipsum μειδίαμα, quod est non ferme amplius, quam subridere, vult carere disciplina, ostenditque, & quem locum, & quibus io rebus habeat, non in turpibus, ne assentiri videamur: non in molestis, ne insultare. quorum alterum inverecundiæ sit, alterum crudelitatis. Inter epulandum autem dicta dici in quemquam, sanctissime vetat, & cum omni obtestatione. Ἀπίστω δὲ, ἀπίστω ἡμῶν καὶ τὸ σκώπτειν. Senioribus modo, ut salse aliquid dicant io adolescentes, idque docendi & admonendi causa, quanquam raro illud quidem, permittit. Εἰς τοῦτο ἐπισκώπτοντες, ὃ παιδαγωγήσει τὸ ἄσχημον αὐτῶν. Postremo ita concludit: οὔτε μὴν πρὸς τοὺς τυχόντας γελαστέον· οὐδ᾽ ἐν παντὶ τόπῳ. οὐδὲ μὴν πᾶσιν· οὐδὲ ἐπὶ πᾶσιν. *Neque vero, quibuslibet præsentibus, ridendum, neque in omni loco, neque personis omnibus, neque de re quavis.*

Videmusne, ut hi, & veteres eadem memoria theologi conditiones ridendi ferant? ut leges imponant ridentibus? ut modum statuaot, qui difficilius servetur, quam abstineatur omnino risu: etsi risus plerumque existat derepente, nec solum nobis imprudentibus, sed etiam invitis nonnunquam existat? Verumtamen nihil mirum, si tunc isti scriptores ita sanxerunt graviter, dureque præceperunt. Quibus, quæso, scripsissent, si aliter scripsissent? aut quis faceta & jocosa, & quæ risus quoquo modo efficientia essent, turbidis ac mœstis rebus suis, legisset? Quid lætum esse Christianis potuit, quisve ludo & relaxationi animorum locus, miseris illis temporibus, cum tyrannis ferro & igni in nomen ipsum Christi, quo appellarentur, invaderet, & omne crudelitatis genus expromeret? cum alii fuga sibi salutem quærere, tuerique vitam cryptarum tenebris cogerentur: alii in custodia & vinculis, oppressi fame & siti, inter æstus & frigora, stipati, olentes, squalore & sordibus consenescerent: alii ad certam mortem per verbera, per equuleos, per ungulas, per alia exquisita supplicia, rapecentur. Tum profecto non fuit, quod ridereot: materies gaudendi nulla, nulla plaudendi. Nisi forte tantorum sibi malorum causam gratularentur, Christum, fidem, religionem. Et vero non defuerunt, qui divina quadam animi magnitudine,

&

& constantia plane cœlesti, non superbia, aut contumacia, aut sensus stupore, insultarent tortoribus suis, deriderent gravissima quæque supplicia, mortes ipsas teterrimas lacesserent. Nam in conviviis, quæ plurima initio Christiani, jungendæ charitatis & retinendæ causa, celebrarent, quæque ideo agapas sumpto de Græcis nomine vocarent; ut ciborum summa frugalitas & parsimonia, ita verborum fuit. Quo de utroque præclare Tertullianus: *Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant dominum audire.* In conviviis, opinor, faceti & dicaces, qui perpetuo cogitarent, præsentem atque audientem habere se Deum.

Constitutis rebus Christianorum, & pace per imperatores, eosque jam Christianos impetrata, mœstitiæ temporum hilaritas successit quædam, ac diffundi vultus lætitia cœperunt, cum otio & securitate publica; utque aliæ ætates, sic alii mores videntur extitisse. Mansit nihilominus opinio & in chartis, & in mentibus hominum, & in moribus quodammodo eorum, qui ex vetere disciplina purius & sanctius viverent, minus aliquid in his remissionibus animi, lusuque verborum, quam quod gentibus liceret, Christianis esse concessum. Itaque cernere licet a patribus sanctis extrema vitiosa duo reprehensa vehementer, severeque prohibita, τὸ σκυθρωπὸν & τὸ διακεχυμένον: sed hoc multo magis, quam illud. Quin & isto in genere universo mediocritatem pæne verti vitio: id, quod parum est, duntaxat poni in laude, ac ne vix quidem plerumque tolerandum videri.

Magnus quidem Basilius in brevioribus regulis, interrogatione trigesima prima, universe negat esse fas homini Christiano ridere: ὅτι οὐδέποτε καιρὸς γέλωτός ἐστι τῷ πιστῷ. Christiano, inquam, homini, quisquis is est, qui Christo semel fidem dederit: non ei solum, qui præter ceteros virtutis studium amplectatur & colat. Severius profecto, atque inclementius. Itaque remittit aliquid in regulis fusioribus, decima septima interrogatione, ac tantum exigit ab ἀσκουμένοις, id est, perfectioris vitæ cultoribus, continentiam in risu quandam, ut decenter, & tanquam tacite rideant, neque longius progrediantur, quam ut lætitiam & diffusionem animi, vultus hilaritate subindicent: ἄχρι μειδιάματος φαιδροῦ τὴν διάχυσιν τῆς ψυχῆς ὑποφαίνειν. Rursum epistola CCCCXI. redit ad ingenium, seque ipso fit incommodior, & studiosum quemque virtutum ait non oportere faceta loqui, non ridere, non ferre ac pati plusculum ridentes: ὅτι οὐ δεῖ εὐτράπελα φθέγγεσθαι· ὅτι οὐ δεῖ γελοιασμῶν ἀνέχεσθαι. Qui & in constitutionibus monasticis, capite duodecimo, sic inscribit: ὅτι οὐ χρὴ πρὸς εὐτραπελίας βλέπειν τὸν ἀσκητήν: *non sectandas ei, qui se in virtutibus exerceat, facetias.* & sic disserere incipit: Εὐτραπελίας ἁπάσης ἀπέχεσθαι προσήκει. *Abstinendum est ab omni facetiarum lepore.* usu enim venire, his ut ludicris dediti sermonibus & dictis quamplurimi, aberrent a recta ratione: cum effusus animus ad ridicula quæque, prudens omne consilium, gravesque & solidas cogitationes dissipet ac disperdat. Quin persæpe hoc malum progredi sensim, & manare latius, ac tandem ad turpitudinem verborum, stultitiamque summam delabi. Quo fit, ut inter vigilem sobriamque mentem, & vagam distractamque facetiis, nihil conveniat. Jam in pœnis adversus canonicos, si quando deliquerint, constitutis, hæc Basilii lex habetur & sanctio: Εἴ τις ἀργολογοίη, ἢ εὐτραπελεύοιτο, καὶ αὐτὸς ἀφοριζέσθω ἑβδομάδα μίαν. *Si quis loquaciorem se, aut facetum, dicacemque præbuerit, is per hebdomadam, ab aliorum consuetudine, congressuque separetur.* Et in pœnis adversus cœnobitas, inter Basilii scripta, ut ferunt, repertis: Εἴ τις εὑρεθῇ εὐτράπελα λαλῶν, ἢ ἀργολογῶν στερείσθω ἀπὸ εὐλογίας. *Si quis deprehensus sit futiliter garriens, aut jocularia funditans, privetur benedictione.*

Sed istius cujuscunque rei atrocissimus insectator Chrysostomus, qui vela pandat amplificationis, atque in εὐτραπελίαν & εὐτραπέλους toto feratur impetu. Declamat enim contra plerosque quibus etiam εὐτραπελία, virtus videatur esse. quod est, inquit, miserabile, ac deplorandum. In nonnullos quoque videmus invehi, qui mediam inter virtutem & vitium dicacitatem, nec bonam, nec malam existiment. Quod etsi ita esset, spectata per se conditione rei & natura: fugiendam tamen, propter adjunctam & insequentem quasi turbam malorum. Sed indifferentem nullo modo esse, quæ mollem, & remissum, & segnem animum reddat: quæ sanctitatem, pietatem, timorem, reverentiam, pudorem excludat. nihil enim illo genere hominum fieri impudentius. Is videlicet est homo venustus & dicax, qui statim sit ad comica dicta, & scommata venturus; statim futurus sit maledicus; statim suscepturus sit inimicitias cum præsentibus, cumque absentibus, quos peræque violarit; qui evasurus denique obscenus verbis, turpis moribus, existimatione infamis. Quocirca rem totam relinqui merito, & permitti scenicis: non liberis hominibus, non servis ipsis dignam. moriones, parasitos, mimos, saltatores, scortatores, eosdem & εὐτραπέλους, id est, urbanos, facetos, dicaces esse: hoc illorum proprium munus, hanc certam & legitimam provinciam. Quid, quod ab ipso nomine Chrysostomus vituperationis ansam aliquam sumit? Εὐτράπελος λέγεται, ὁ ποικίλος, ὁ παντοδαπὸς, ὁ ἄστατος, ὁ εὔκολος, ὁ πάντα γινόμενος. ταχέως τρέπεται ὁ τοιοῦτος, καὶ μεθίσταται. δεῖ γὰρ αὐτὸν καὶ σχῆμα, καὶ ῥῆμα, καὶ γέλωτα, καὶ βάδισιν, καὶ πάντα μιμεῖσθαι. *Eutrapelus is dicitur, qui est & varius, & multiplex, & inconstans, & facilis, & omnem personam induens. vir ejusmodi celeriter vertitur ac mutatur. hunc enim oportet & habitum, & verba, & risum, & incessum, & omnia imitari ac fingere.* Quæ si ita sunt, non injuria Christianos homines a jocando deterret gravissimis his verbis: ἐξορίσατε, παρακαλῶ, τῶν ἡμετέρων ψυχῶν τὴν ἄχαριν ταύτην χάριν. πόῤῥω ψυχῆς ἐλευθέρας, πόῤῥω εὐγενοῦς· καὶ δούλοις πόῤῥω. Εἴ τις ἄτιμος, εἴ τις αἰσχρὸς, οὗτος καὶ εὐτράπελος. *exterminate, amabo, mentibus vestris invenustam hanc venustatem. Procul sit a libera mente, procul ab ingenua & nobili, etiam procul a servis. Si quis turpis jam, si quis infamis: is quoque eutrapelus esto.* Satisne, BALZACI, exornatos, satis depexos dedit Chrysostomus, non scurras, aut moriones, qui eam rem agant ex professo, sed festivos homines, qui dicta dicant qualiacunque, & quoquo modo jocentur? Brevior multo nec tam vehemens Ambrosius, officiorum primo libro, capite vigesimo tertio, sed qui tamen verbo Christianis jocos omnes præcise, ac sine ulla exceptione ne-

neget. Is cum multa de ratione dicendi præcepta, quæ conscripserunt *sæculares viri*, sibi prætereunda significat; tum de jocandi disciplina silendum omnino ait. Quamvis enim joca & suavia sint, & honesta interdum: tamen abhorrere ab *ecclesiastica regula*, nec in sacris usquam libris reperiri; & ea re adhiberi nefas esse. *Non solum*, inquit, *profusos, sed omnes etiam jocos declinandos arbitror. Plenum tamen suavitatis & gratiæ sermonem esse, non indecorum.*

Quæ vitia duo damnata sunt a Paulo, ut ante posui, & sanctis, hoc est, Christianis omnibus μωρολογία & εὐτραπελία: Hieronymus ea definit, distinguit inter se, removet quoque a Christianorum sermonibus, exponit quanta sint, qua denique pœna olim a Deo vindicanda constituit. Ac primum stultiloquium esse existimat non solum eorum, qui aliqua narrant turpia, ut risum moveant, & fatuitate simulata magis illudant eis, quibus placere desiderant; sed etiam eorum, qui de rebus occultissimis, sive naturalibus, sive divinis disserant ac pronuncient audacter magis, quam perite. Tametsi illud ei prius arridet, videnturque fatuæ & ineptæ fabulæ potius hic stultiloquii vocabulo intelligi. Eutrapeliam vero, quam appellari posse ait jocularitatem, sic describit, ut ea sit, quæ consulto appetat quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, ut risum moveat audientibus. Porro inter stultiloquium & scurrilitatem hoc interesse, quod stultiloquium nihil in se sapiens, & cordato homine dignum habet: scurrilitas ex solertia quadam mentis proficiscitur. verum & illud, & hæc a sanctis viris propellenda. Quibus, quæso, sanctis viris, nisi Christianis universis, quorum est propria sanctitas, & quos isto fere nomine Paulus semper appellavit? Stultiloquum enim & scurram non decet esse Christianum: cum deceat nihilominus sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. Jam stultiloquos & joculatores magna quidem in culpa, sed minore tamen esse, quam qui avaritia, & impudicitia, & aliqua ejusmodi libidine tenentur: adeoque hos regno cœlesti prorsus excludi; illos pro multiplici & diversa conditione, & quasi fortuna cœlitum, inferiore loco & gradu, quam forent, si nihil tale deliquissent, futuros.

Bernardus fuit, meo quidem judicio, ultimus, ut ita loquar, severiorum. nam consecuta ætas a communi veterum Christianorum sensu, atque a priscis moribus multum deflexit, ac demitigata est in dies: ut brevi constabit. Bernardum igitur eo opusculo, quod est de ordine vitæ, in joculatores invectum videmus totidem, quot Ambrosium antea, verbis, adeoque sua fecisse, quæ erant illius, nisi quod interpolavit quædam, & ad majorem etiam severitatem detorsit. *Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Quid nobis cum fabulis, risu, & joco? Nam licet interdum honesta joca suavia sint, tamen ab ecclesiastica aberrant regula. quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, quomodo usurpare possimus? Non solum profusos, sed etiam omnes jocos arbitror declinandos: nisi forte plenum gravitatis & gratiæ sermonem esse, indecorum est.* Meministi extrema hæc in Ambrosio alia esse, & hic gravitatem in sermone postulari, illic suavitatem & jucunditatem quandam permitti? Ad Eugenium vero summum pontificem cum scriberet, edocuit, quæ conveniant non sacerdotibus modo, quos videtur solos admonere, sed etiam quibusvis non nugacibus, nec ineptis. *Cavendum & in otio otium est. Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Nugæ interdum si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moveris: fœdius moves.*

En qui sales & facetias, tanquam maximum linguæ vitium, orbe toto Christiano expulerint. Videamus, num quis, quemadmodum reducerentur cum honore, adhiberentur cum fructu, in numero etiam virtutum collocarentur, invenerit. Revocat Thomas Aquinas rem totam ad mentem & doctrinam Aristotelis, cujus ex verbis non amplius tribus, εὐτραπελία, βωμολοχία, ἀγροικία, tria capita, sive tres, ut vocat, *articulos* composuit. Horum in uno virtutem statuit esse certam quandam, quæ ludicra & jocosa omnia sive facta, sive dicta ex præscripto rationis gubernet, ac moderetur, honestumque ad finem dirigat. Ea virtus ab ipso quoque appellata eutrapelia & jucunditas, & subjecta modestiæ, quasi generi species. Hic porro, quemadmodum præcipit, cautio adhibenda triplex: ut ne quæratur delectatio rebus vel obscenis, vel nocentibus & perniciosis: ut ne solvatur animus ex toto, relaxetur tantummodo: ut habeatur ratio loci, temporis, negotiorum, hominum. Altero capite declarat, quomodo in eo, quod est nimium, peccetur, interdum gravius, levius alias. Tertio concludit, hic etiam aliquid parum esse, quod ponatur in vitio. ut si quis neque de suo conferat quidqnam in commune ad delectationem & voluptatem aliorum, neque alios, qui id faciant, libenter ferat morositate quadam sua, aut indocto agrestique fastidio. Hæc a principe philosophorum, ut dixi, indicata & exposita, Thomas Aquinas accurate more suo, & scienter explicavit. Verumtamen tot patribus, tam sanctis, tamque eruditis, qui secus existimasse videantur, quid respondet? Haud sane dubito, quin & nonnullis eorum probe responderit, & omnibus abunde, si conatus esset, satisfacturus fuerit. Illud displicet, quod Ambrosium, aperte, ut antea ostensum est, jocis omnibus interdicentem, nolit jocos excludere universe a conversatione humana, sed a sacra doctrina. Inde natus error, quod falso putavit hic agi ab Ambrosio de tradenda sacra doctrina: putavit autem, quod Ambrosius ita scripsit, jocos abhorrere ab ecclesiastica regula, nec in scripturis sanctis reperiri. Atqui jocos a regula abhorrere ecclesiastica, & abesse a sacris libris, non est profecto, jocari non oportere tum solum, cum lex, & regula, & disciplina ecclesiastica traditur. Quid autem est, nisi hoc longe diversum, nullum morem, nullum exemplum, nullum præceptum, nullam extare literam sacris in paginis, per quam liceat jocari; qua nitatur, factumque defendat suum joculator; unde constet, id ulli Christiano fas esse? Quapropter, quoniam Ambrosio, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo,

reli-

reliquus, nondum plene, quod sciam, integreque satisfactum est; expecto quam mox theologi omnes, Thomam secuti, Græcis patribus & Latinis antiquissimis, a quibus discedendum putaverint, sese omnino purgent, tantaque nomina, tantasque auctoritates sibi contrarias placare incipiant. Equidem mihi videre videor quasi per caliginem, quomodo hos, ab illis opinione & sententia longe distractos, adducam in concordiam, & reconciliem prorsus inter se. Sed ne omnia complecti velle videar, hoc opus alterius loci, & otii majoris, in præsenti omitto. Tu, optime BALZACI, ne omiseris, id, quod concludi par est, concludere: cum multa in utramque partem dicta sint a sacris scriptoribus de urbanitate ac facetiis; tum nihil uspiam de ludicra dictione dictum, neque jubendo, neque vetando, neque permittendo fuisse.

VI. MARCUS CICERO

sermonis copia ferme par Græcis.

DISTULI de industria Marcum Tullium Ciceronem, & in extremum hunc locum reservavi: tum ut maximis duabus operis nostri partibus jam completis, commune firmamentum, & unum utrique velut signum apponerem: tum ne si testem eum & auctorem tot dictorum hoc libro meorum, quoties potui, producerem, millies producere, nec sine satietate, coactus essem: quippe cujus ex opinione & judicio, non ex meo sensu, quæ dixi cunque, fere dixerim. Demonstratum est primum a nobis, scriptores Græcos joculari & ridicula dictione, qua nostri nunc homines utuntur, nunquam usos. Vel sola statim auctoritas Tullii, cujus in scriptis, tanquam in locupletissimo penu & armario, Græcanica vis omnis & multiplex facultas orationis continetur; nonne hoc ipsum certo & evidenter confirmat? An vero tantus orator omnia Græcorum ornamenta mutuatus est, omnes delicias & veneres surripuit, expilavit opes & thesauros omnes, transtulitque ad se, & in rem convertit suam: unum hoc tam lepidum genus sermonis, tam acutum & solers, tam varium, & abundans, lateque patens in omnem partem, intactum reliquit, dissimulavit, sicubi in Græcia tota foret, non vidit? At quæ tandem is, commentando, scribendo, legendo annos amplius quinquaginta continuos, sua non fecit imitatione exempli, quæ Græcorum essent? Officinæ, credo, istorum rhetorum, & plenæ coloribus & pigmentis arculæ, non lustratæ ab eo, non excussæ, non consumptæ? Parum ei trita, celebrataque porticus, horti, spatia philosophorum? Aliquid ex utraque eloquentiæ & sapientiæ doctrina, illius cuidam infinitæ aviditati discendi clausum fuit? Qui & initio, domi suæ, nobilissimos & prudentissimos doctores ac magistros Græcos, a quibus studiose cum in rhetoricis, tum in philosophicis exerceretur; & toto decursu vitæ, ex eadem gente familiares & intimos, contubernalesque secum semper habuit. Qui transiit mare, seque in Græciam contulit, Athenis commoratus est, peragravit Asiam, Rhodi vixit aliquandiu: vel quod Romæ jam occupatus in foro causisque dicendis, non satis haberet otii ad eum, quem cogitaret, cumulum disciplinæ atque institutionis: vel ut ipsis ex fontibus purius hauriret, ac plenius, citiusque ardentissimam sitim expleret. Quid loquar, quemadmodum ibi & antea, postque id tempus, Græce declamarit sæpissime: non tantum quod aliter corrigi docerique non potuisset ab hominibus Græcis, ignaris Latinæ linguæ, nisi Græce diceret; verum etiam quod Græca lingua, dum plura ornamenta suppeditat, consuetudinem afferret similiter Latine dicendi. Et declamasse quidem Cicero ad præturam usque fertur, cum tempore illo toto, magistris Græcis operam dare, ita ut dico, animum induxisset.

Jam codices & libros Græcorum omnis generis quos non devoravit, in quoscunque inciderit, sive coemptos pretio, sive commodatos & descriptos, sive qui dono sibi & hereditate venissent, quorum majorem curam habuit, quam pecuniæ testamento, ut sæpe amici morientes fecerunt, relictæ? Itaque excogitare non possum, quid Seneca sibi in epistola 49. velit, qui referat, negare Ciceronem, si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legat Lyricos poetas, eodemque modo dialecticos. Fac ita esse de poetis, quanquam id valde est quoque dubium: cujus Crassus in maximis & plurimis præceptis ponat hoc primum, legendos esse oratori poetas: & ipse de Latinis poetis, quos sine dubio minoris, quam Græcos fecit, sic statuat in primo de finibus: *rudem esse omnino in nostris poetis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi.* Dialecticam certe qui tanti duxit, ut aluerit perpetuo domi inter suos, unde disceret; libros non putavit, quibus hæc ars & disciplina contineretur, negligendos. Quid si tamen locus Senecæ, quia male interpunctus est, parum intelligitur, neque hic quidquam Cicero de dialecticis, sed hoc ipsum, quod Cicero de lyricis, dici Seneca de dialecticis posse & debere existimat? Sic ergo interpungatur: *Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus quo legat lyricos. Eodem modo dialecticos: tristius inepti sunt. Illi ex professo lasciviunt: hi agere seipsos aliquid existimant.* Perinde quasi Seneca dicat: Idem sentio, eodemque modo affecti esse debemus & constituti erga dialecticos, quo Tullius erga lyricos: ut, quemadmodum is negat tantum ab re sua fore otii sibi, ut lyricos legat, ne si quidem, quot natura vixerit annos ad mortem usque, totidem iterum vivat; sic ego nunquam vacuus ad legendos dialecticos futurus sim, etiamsi vita altero tanto longior daretur. Ejusmodi certe dictum adscribunt Tulliana fragmenta Ciceroni, mentione nulla dialecticorum. Est enim ita in fragmentis: *Si mihi vitæ spatium duplicetur, vel iis tantummodo poetis percurrendis, qui λυρικοὶ a Græcis vocantur, non esset suffecturum.*

Quid vero, quod Græce quædam conscribere neque gravatus est, neque dedignatus, civis Romanus, & vir consularis? Contendebant ab eo familiares Græci, qui una, sicut dixi, assidue erant, ut materiem daret ad scribendum: se libenter ejus consulatum exornaturos. Dedit autem: sed minime rudem & impolitam. Commentarium enim earum rerum, quas gessisset consul, tanto studio tantaque arte Græce perfecit, ut homines

non ſtultos deterruerit a ſcribendo. Epiſtola XX. lib. 1. ad Att. *Alii*, inquit, *ſi ſcripſerint, mittemus ad te. Sed, mihi crede, ſimul atque hoc noſtrum legerunt, neſcio quo pacto retardantur.* Tum prima epiſtola libri ſecundi. *Ad me reſcripſit jam Rhodo Poſidonius, ſe, noſtrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet, miſeram, non modo excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum. Quid quæris? conturbavi Græcam nationem. Ita, vulgo qui inſtabant, ut darem ſibi quod ornarent; jam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt.* Quanquam non eſt deterritus Herodes quidam, ad quem fuerunt Ciceronis, ut refert Plutarchus, epiſtolæ, quominus tractandum idem argumentum ſuſciperet. Quinetiam Tulliana non omnino ſibi placere ſignificavit cum Attico coram, tum ipſi Tullio per literas. De quo ideo Cicero non ſine acerba feſtivitate, hoc modo: epiſtola 2. lib. 2. Ἡρώδης, *ſi homo eſſet, Dicæarchum potius legeret, quam unam literam ſcriberet: qui me epiſtola petivit; ad te, ut video, comminus acceſſit. Conjuraſſe mallem, quam reſtitiſſe conjurationi, ſi illum mihi audiendum putaſſem.* In eandem porro ſententiam ſunt ab Attico, qui gratificari amico vellet, nonnulla Græce compoſita, ſed quæ horridula Tullio, & incompta viderentur, id eſt, eleganter forſan ſcripta, ſed minus ornate: ſiquidem elegantiam orationis Cicero diſtinguere ab ornatu ſolet. Quemadmodum autem Græce librum conſcripſit de conſulatu ſuo, quem nullius expertem laudis eſſe cuperet: ita, utrum de obitu Tulliæ Græce quoque aliquid edolarit, cum illam conſecratam vellet omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Græcorum, & Latinorum; nihil poteſt ſciri certi, divinare tantum licet. Notum illud, quantopere orbus & mœrens pater laborarit, ut cariſſimæ filiæ, cui reddere vitam non poſſet, immortalitatem tribueret nominis: quomodo ad eam rem Græci operam ſuam detulerint certatim: ut Sulpicius ad eum, & Cæſar, & Brutus dederint literas conſolatorias: utque ſe, tanquam alter a ſeipſo, conſolatus ſit eximio & ſingulari ſcripto, in quo nihil eorum, quæ de mœrore minuendo ſcripta ab ullo forent, omiſerit. Epiſt. 22. lib. XII. ad Att. *Doctiſſimorum*, inquit, *hominum ſcripta omnia, quæcunque ſunt in eam ſententiam; non legi ſolum, quod ipſum erat fortis ægroti, accipere medicinam: ſed in mea etiam ſcripta tranſtuli, quod certe afflicti & fracti animi non fuit.* Ex quibus veriſimile puto, nihil hic ab eo Græce tentatum aut inchoatum, qui de Latina conſolatione iſta ſua ſæpe ac diverſis locis memoret, de Græca tacuerit prorſus, eoque magis puto, quod toto epiſtolarum ad Atticum duodecimo libro, amœna & celeberrima loca ad mare, hortos ſuburbanos, fanum, ἀποθέωσιν, millies loquatur ac ſonet: ut nihil, quod ad filiæ monumentum & decus mortuæ pertineat, omittere velle videatur.

Quam multa ſunt autem Ciceronis ex Græcis converſa in Latinum ſermonem, ſive ut cives ſuos doctrinis imbueret exteruis & ignotis, ſive ut patriam linguam principis alterius linguæ locupletaret inſtrumento; ex oratoribus, ex philoſophis, ex hiſtoricis, ex poetis; verba, locutiones, ſententiæ, loci longiores, integri libri? Nimirum hæc illi fuit jam a prima ætate rhetorica exercitatio. hinc progreſſus longius, orationem aluit, effecitque pleniorem. eo cum nihil amplius opus haberet, juventuti prodeſſe voluit & ſtudioſis. Poſtremo illud deberi a ſe omnibus exiſtimavit, quod facile præſtare poterat, ut philoſophiam, nemini inter Romanos, etiam erudito, auditam, cujus ne nomen quidem haberent, deduceret in civitatem, & Latinis illuſtratam literis, in auribus vulgi collocaret. Ipſe itaque ſub perſona Craſſi in primo de oratore: *Mihi*, inquit, *placuit, eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, ut, cum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* Tum de optimo genere oratorum: *Cum in eo magnus error eſſet, quale eſſet Attice dicendi genus: putavi mihi ſuſcipiendum laborem, utilem ſtudioſis, mihi quidem ipſi non neceſſarium. Converti enim ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe contrarias, Æſchinis, Demoſthenisque.* Poſt in libro de divinatione ſecundo: *Magnificum illud etiam, Romaniſque hominibus glorioſum, ut Græcis de philoſophia literis non egeant. Quod aſſequar profecto, ſi inſtituta perfecero.* Convertit autem, modo ut nudus & ſimplex interpres, perpetuis & continentibus ſcriptis, velut Protagoram & Timæum ex Platone, œconomica e Xenophonte, ex Arato φαινόμενα, alia ex aliis; quæ ſi exſtarent, neque mutila & fruſtatim perveniſſent ad nos, haberemus ſine dubio optimam rationem & viam interpretandi, quam nemo adhuc, aut pauci certe tenuerunt: modo ut liber, ac ſui juris, & diſertus explicator, qui materiem quidem & fundum, & quodcunque ſubeſt, aſſumat aliunde, verumtamen rem poſtea dilatet arbitratu ſuo, & Romanis augeat exemplis, & prooemia ſemper affingat, atque interdum concludat epilogis, adeoque quod totum Græcorum eſt, interpolando faciat ſuum. ſimillime ut qui in ſolo alieno ſumptibus ædificant ſuis, nec inſcio domino, nec repugnante. Atque is quidem in epiſtolis ad Atticum, in quibus ſincere & ad veritatem loquitur magis, & amicum nihil celat, philoſophica ſua fatetur & agnoſcit mera eſſe excerpta, ad quæ nihil admodum, præter nitorem Latini ſermonis, attulerit. ἀπόγραφα *ſunt: minore labore fiunt: verba tantum affero, quibus abundo.* lib. XII. epiſt. 52. In dialogis vero, ſtatim initio, ubi ſe operamque ſuam oſtentat quamplurimis, & magnificentius loquitur, atque ad pompam, nomen repudiat interpretis, ac videri mavult de ſuo multum ad explicandam philoſophiam contuliſſe, quam alienæ duntaxat quaſi index & declarator fuiſſe induſtriæ. Primo de finibus: *Quod ſi nos non interpretum fungimur munere, ſed tuemur ea, quæ dicta ſunt ab iis, quos probamus, eiſque noſtrum judicium, & noſtrum ſcribendi ordinem adjungimus: quid habent, cur Græca anteponant iis, quæ & ſplendide dicta ſint, neque ſint converſa de Græcis.* Tum paucis interpoſitis: *Quanquam ſi plane ſic verterem Platonem aut Ariſtotelem, ut verterunt noſtri poetæ fabulas: male, credo, mererer de meis civibus, ſi ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. locos quidem quoſdam, ſi videbitur, transferam, & maxime ab iis,*

quos

quos modo nominavi, cum inciderit, ut id apte fieri possit. In primo officiorum: *Sequemur, hoc quidem tempore, & in hac quæstione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus.* His porro libris officiorum, quo longius a se removeat opinionem interpretandi, frequenter inculcat a Panætio, quem sequitur auctorem, noo plene tractatum de officiis, omissa nonnulla, quæ necessaria essent, & in his de pugna, si qua videatur esse, utilitatis cum honestate: quem ipse locum marte suo & nullis adminiculis expleverit. Tametsi explevit Posidonius, cujus librum ad se & capita ea de re mitti voluit quamprimum Cicero, in epistolis ad Atticum XI. & XIV. libri XVI. Tantum alibi significat, Posidonium eam partem brevius, quam res exigeret, persecutum.

Ex tanta igitur familiaritate, & consuetudine, quam cum Græcis scriptoribus & scriptis tota vita Tullius habuit, e tam multiplici & diverso usu, tamque assidua exercitatione audiendi, legendi, loquendi, scribendi, vertendi Latioe Græca, quid colligi potest a nobis, aut quid consecutus est Romanus orator, nisi ut Asiam exhauriret universam, redoleret totas Athenas, plenus Græcitatis, ut sic dicam, foret? Confer, Balzaci, Romanum cum Romanis, ac vide, obsecro, quam dissimile sit factum Ciceronis, & aliorum. Hi Græciæ cunctas opes & pecunias partim bellis & victoriis redegerunt ad se, partim quod reliquum vis fecerat iraque victoris, fraude & calumnia interverterunt. Eo namque media in pace missi magistratus, rapere impune atque prædari nihilo secius, quam si bellum indictum esset: vasa, signa, columnas, æs, aurum, argentum, devehere Romam ad villas, & suburbana, & privatas ædes; qui optimi malorum essent, ad triumphos, ad munera ædilitatis, ad publica urbis ornamenta: cum etiam commodarent ultro Græci miseri, nunquam repetituri res suas, nunquam recepturi. Denique tam nudæ atque inanes relictæ civitates Græciæ, quam spoliatam & egentem Verres Siciliam reliquisse dicitur a Tullio. At contra Tullius in Asia Græciaque, & privatus, & proconsul, summa cum abstinentia versatus, non factis sumptibus in quemquam, non donis ab ullo acceptis, eo etiam, quod more & legibus debebatur, remisso, externis illis, mobilibus & caducis bonis pepercit; veras animi opes, id est, oprimas artes ac disciplinas, pulcherrimæque omnium linguæ divitias, secum in Latium asportavit. Hioc videlicet novatæ voces quamplurimæ, & inductæ primo a Cicerone in usum, quæ Romæ oon audirentur antea. qua de re Plutarchus in ejus vita: & ipse sæpenumero parienda sibi verba fuisse nova ait, cum de rebus novis ageret: & sumenda mutua, cum domi non haberet: & dura mollienda usu, & præmunienda excusatione, nondum satis trita. Hinc innumeræ locutiones formatæ, & efficta ad exemplum similitudinemque Græcarum. Budæus certe in commentariis, quos linguæ Græcæ inscripsit, at quos peræque utiles esse arbitror linguæ Latinæ studiosis, multus in eo est, ut ostendat, quid & quantum Cicero de Græcis traxerit imitando, quotque modis, Græcorum vestigia secutus, instruxerit & variarit dictionem. Atque ex utroque hoc apparatu verborum, & Græcæ elocutionis vel imitatione, vel mutuatione, extitit demum, & ducta est felix illa ubertas & copia Latini sermonis, cujus auctorem ac velut parentem, elegantissimus quoque in Latine loquendo, Julius Cæsar Tullium facit, & quam laudem ipse Tullius multis multorum imperatorum laureis & triumphis anteponit. Insignis habetur & aptus cumprimis locus libro de claris oratoribus, in quem sunt inclusa verba ipsa Cæsaris. *Ac, si cogitata præclare eloqui possent, nonnulli studio & usu elaboraverunt, cujus te pæne principem copiæ atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus, hunc facilem & quotidianum novisse sermonem nunc pro relicto est habendum.* Ad quæ verba Cæsaris, Brutus inducitur Ciceronem alloquens: *Amice, Hercule, & magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine & dignitate. quo enim uno vincebamur a victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum.* Hoc vero illud est, quod Apollonius Molonis filius, homo Græcus, quanquam invitus & repugnans, confessus est. Apud quem cum declamasset Cicero disciplinæ & exercitationis causa: is, aliis, qui audierant, certatim collaudantibus, suspensus animo & cogitatione, primo conticuit mœrore & quadam quasi invidia: mox, cum id Cicero ferre moleste videretur, has voces misit: Equidem te & laudo, & admiror, Marce Tulli: verumtamen eventum Græciæ fortunamque miseror, a qua ornamenta, quæ sola ei reliqua erant, transtuleris ad Romanos, eruditionem & eloquentiam. Atqui erat Apollonius multo dicturus magis, si Latine scivisset. Neque enim modo ornatiorem & comptiorem tropis, figuris, amplificationibus, numeris patrium sermonem Cicero fecit ut orator, id quod omnes vident: sed etiam, quod pauci advertunt, verbis & locutione tota pleniorem atque auctiorem, ut Latinus scriptor.

In quo, Balzaci, jucundum profecto est recognoscere, quibus paulatim gradibus eo venerit, ut dicere auderet, id quod sæpissime dixit, linguam Latinam copiosiorem esse, quam Græcam. Principio demisse & humiliter sensit, ut debuit, utque consentiens opinio vulgi & eruditorum fuit: neque dubitavit loqui, id quod res erat, inopia & egestate domestica patrium sermonem laborare; tum per se, qui, ut scientia omnium magnarum rerum artiumque, ita verbis res significantibus deficeretur; tum comparate, & præ lingua Græca, quæ omni abundaret genere literarum. Hoc utrumque cum probe intelligeret, petendum subsidium putavit a Græcis ditioribus, & ex eorum facultate ac copia sustentandam tenuitatem esse Latinorum. Itaque aditi fontes: summi scriptores conventi: haustum, & libatum, quot quibusque modis ante dixi, quod sat esset ad quoddam quasi levamen sitis. Agnovit vero beneficium Cicero, gratus & memor unde acceperit, habuitque io honore bene de se meritos: cumque ex oratoribus eloquentissimis duobus, Crasso & Antonio, alter videri vellet contempsisse Græcos, al-

ter ne nosse quidem; professus est sæpe Tullius & aperte tulit, ab iis se, quæ domi non suppeterent, plurima fuisse mutuatum. Et bene quidem hactenus, quod modestus in tenui fortuna fuerit, seque minorem gesserit majoribus, per quos profecisset. Postquam autem, iisdem Græcis ducibus, in adyta ipsa omnis elegantiæ penetravit, atque inde non ad necessitatem modo, sed etiam ad commodum, quod visum est, eruit, & ope niti sua potuit primum, & carere aliena: crevit fiducia homini, ac se conferre ausus est cum magistris discipulus, nec ullo pacto velle cedere. Audi, quid loquatur I. de nat. Deor. *Complures Græcis institutionibus eruditi, ea, quæ didicerant, cum civibus suis communicare non poterant: quod illa, quæ a Græcis accepissent, Latine dici posse diffiderent. Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Græcis ne verborum quidem copia vinceremur.* Quid, quod eum mox piguit hujus æqualitatis, neque Græcos diu potuit ferre pares, sed se illis anteposuit: cum identidem in scriptis suis, & quavis occasione arrepta, verba faceret, Latinam linguam uberiorem & locupletiorem esse, quam Græcam; deprimeret hanc multis modis, illam infinitis efferret laudibus? modo hærere Græcos interdum, nec habere vocabula ad res declarandas, quas Latini suis & propriis efferant, nullo negotio: modo prudentius Latinos, & nominibus magis idoneis appellare quædam. Primo libro de fin. *Ita sentio, & sæpe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse, quam Græcam.* Tertio de fin. *Et, si quod sæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non Græcorum modo, sed etiam eorum, qui se Græcos magis, quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores.* Libro secundo Tusc. quæst. *Hæc duo* (laborem & dolorem) *Græci uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos, vel potius amantes doloris appellant. nos commodius, laboriosos. aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Græcia! aliud, inquam, est dolere, aliud laborare.* In secundo de oratore: *Quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies.* Primo de legibus: *Is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores: cujus vim Græci norunt, nomen omnino non habent.* In libro de senectute: *Bene majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt. melius, quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant: ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.* Habet hoc ipsum in nono ad familiares, epistola 24. *Sapientius nostri, quam Græci: illi συμπόσια*, aut *σύνδειπνα, id est, compotationes, aut concœnationes: nos convivia, quod tum maxime simul vivitur.* In tertio Tuscul. quæst. num. 8. *Insania, amentia, eademque dementia, multo melius hæc notata sunt verbis Latinis, quam Græcis: quod aliis quoque multis locis reperietur.* Et numero undecimo: *Græci μανίαν unde appellent, non facile dixerim. eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. hanc enim insaniam, quæ juncta stultitiæ patet latius, a furore disjungimus. Græci volunt illi quidem: sed parum valent verbo. quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. Quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur.* Item numero 23. *Praclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt. Hoc propemodum verbo Græci omnem animi perturbationem appellant. vocant enim πάθος. id est, morbum, quicunque est motus in animo turbidus. Nos melius: ægris enim corporibus simillima est animi ægritudo: similis ægrotationis non est libido, non immoderata lætitia.* In primo de divinatione, statim ab initio: *Ut alia nos melius multa quam Græci: sic huic præstantissimæ rei nomen nostri a divis, Græci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt.* Quid est, BALZACI? quid quæris? parumne intelligitur, quemadmodum vellicare Græcos Cicero non cesset, ac de iis detrahere, quod sibi arroget, quodque tribuat Latinis? ut qui a primo scriptoribus istis cesserit, fascesque summiserit, pleraque sua eisdem accepta retulerit, gratias habere maximas & agere visus sit: ad extremum se ditiorem prædicet & existimari velit datoribus suis, & quasi victor victis insultet, raptis spoliis, agatque de Græcia, iterum quodammodo subacta, triumphum. Equidem haud scio, an hoc illi assentiri debeamus, quod nemini forsan, ne Romano quidem homini, unquam persuaserit, copiosiorem esse linguam Latinam Græca. Certe omnis ea copia Latini sermonis, quantacunque sit, quin a Græcorum fontibus manarit, idque opera & beneficio magno admirabilique Tullii, nunquam diffitebor. Sive is autem Græcos antecedat, sive assecutus sit tantummodo, seu, quod verius puto, quamproxime fieri potest in linguis diversis, ad eos accedat: satis superque est, quod omnia Græcorum imitari & referre conatus sit, ut videatur ludicræ dictionis formam ab iis expressisse, si qua apud illos ejusmodi forma fuerit; nulla videatur fuisse, si non expresserit.

VII. MARCUS CICERO

jocandi ratione superior omnibus.

QUI contulerunt inter se Demosthenem & Ciceronem Græci & Latini scriptores, hunc illi sine controversia longissime præferendum censuerunt, urbanitate & salibus. A Plutarcho Demosthenes quidem omni hac facultate privatur jucunde hilariterque dicendi: Ciceroni vero plus nimio tribuitur ille ipse jocorum lepos & festivitas. Ut alter acerbus ac severus oratione, vultu, moribus fuerit: alterius comis natura, os facetum, sermo jucundus ad scurrilitatem. qui, dummodo causæ serviret, neque gravitatem tenuerit, neque decorum: idque non in concione tantum, atque in judiciis, atque in omni munere oratorio & forensi, sed in communi etiam vita, & congressu: neque offensionem ob eam rem cujusquam reveritus sit, cum multorum subierit. Quin adjungit quoque Plutarchus, eum, cum Murænam consul defenderet, quem accusasset Cato, scite exagitasse sententias & præcepta Stoicorum in Catone; unde risus a corona ingens per-

pervenerit ad subsellia: subrisisse porro ipsum Catonem leviter, atque ad confessum dixisse, Quam ridiculum, judices, habemus consulem. Quo pertinet illud Macrobii, libro secundo, capite ptimo Saturnaliorum: *Quis item nescit, consularem eum scurram ab inimicis appellari solitum? Quod in oratione etiam sua Vatinius posuit.* Et illud Apri nescio cujus, apud auctorem de causis corruptæ eloquentiæ: *Fugiat fœdam & insulsam scurrilitatem.* in quo notatur ac perstringitur Tullius, quasi huic tamen affinis vitio summus orator. Fabius autem Quintilianus, postquam ostendit pleraque fuisse in Demosthene paria & Cicerone: duo diversa quædam statuit in utroque superiora; ut vincat uterque, & vincatur dupliciter. Vincere Demosthenem, & quod prior extiterit tempore, adeoque exemplo illustri & perfecto eloquentiæ caruerit, quod habuit Tullius, cum Demosthenem, quem imitaretur, habuit: & quod sermonis Attici elegantia & venustate usus sit, cui par Latinus sermo nullus esse, ac ne exquisitissimus quidem, potest. Ciceronem vicissim tum concitanda miseratione, tum salibus adhibendis; qui duo sunt affectus pæne contrarii, ex quorum altero risus existat, ex altero fletus; longe multumque superare. Apud eundem Quintilianum, sed alio loco, perspicere licet, quid & quantum, ex communi hominum opinione ac judicio, hi maximi oratores, utriusque facundiæ principes, in isto genere differant. *Plerique*, inquit, *Demostheni facultatem hujus rei defuisse credunt: Ciceroni modum. Nec videri potest noluisse Demosthenes, cujus pauca admodum dicta, nec sane ceteris ejus virtutibus respondentia, palam ostendunt non displicuisse illi jocos, sed non contigisse. Noster vero non solum extra judicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimis risus affectator.* Longinus quo loco concessa quædam divinitus, & supra hominem putanda in Demosthene agnoscit, eodem non dissimulat, quam parum urbanitate polleat & ridiculis: ἔνθα γελοῖος εἶναι βιάζεται καὶ ἀστεῖος, οὐ γέλωτα κινεῖ μᾶλλον, ἢ καταγελᾶται. ὅταν δὲ ἐγγίζειν θέλῃ τοῦ ἐπίχαρις εἶναι, τότε πλεῖον ἀφίσταται. *Ubi urbanus esse, atque excitare risum conatur, non tam risum excitat, quam ridetur ipse: cumque huc prope accedere studet, idque agit ut jucundus sit, ab eo tum recedit longius.* Rursum vero Ciceroni objectum est, non eum modo nimium in jocando fuisse, sed & nonnunquam, id quod fere existere & consequi solet ex nimia jocorum multitudine, frigidum. Audi, ut hoc in illum vitii, etiamtunc cum viveret, conferretur. Quintilianus libro XII. capite 10. *Marcum Tullium in omnibus, quæ in quoque laudantur, eminentissimum. quem tamen & suorum homines temporum incessere audebant, ut in salibus aliquando frigidum.* Vide, ut multo magis, simul ac vivere desiit, reprehensus sit iisdem nominibus. *Postea vero quam triumvirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ non responsurum invaserunt.* Attende quoque, ut designentur nonnulla ejus dicta, & coarguantur nominatim. Quintilianus lib. VI. cap. 3. *Illa ipsa, quæ sunt in Verrem dicta frigidius.* Cumque extarent libri tres de jocis Ciceronis, reperit idem Fabius in iis quædam, frigidiuscula, credo, quæ improbaret, quæque aliena tanto viro existimaret. *Utinam Quintus*, inquit, *& libertus ejus Tyro, aut alius, quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, & plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuissent: minus objectus calumniantibus foret.* Hoc cum loquitur, collectos videri jocos Tullii cupidius, quam prudentius, esseque optandum, ut numero pauciores, majorique delectu excerpti, atque in volumen relati forent; sic namque futurum fuisse, ut minus Cicero pateret calumniæ, paucioresque ansas daret iniquis & obtrectatoribus suis ad vituperandum: nonne & illud loquitur, vulgaria quædam dicta & parum plausibilia, conjecta eo fuisse, quæ qui collegit, tam lapsus est consilio & prudentia, quam acumine & solertia, qui dixit? Ac de collectore certum non habet Fabius, sitne Quintus, id est, Ciceronis frater, an Tyro libertus, an alius. Nacti etiam sumus ex auctoribus non ita antiquis, Macrobium, ut opinor, qui scripserit, nescio qua fretus auctoritate aut intelligentia, quosdam ipsius Tullii opus putasse.

His productis in medium, & quasi recitatis de Demosthene, deque Cicerone veterum sententiis, satisne intelligis, BALZACI, cum in summa varietate versentur, atque alii plus aliis, aut iidem etiam nonnunquam pugnantia dixerint; adhuc quæri posse, quid vere sit proprieque de utroque sentiendum: cumque istorum plerique non tam quid existiment ipsi, quam quid existimatum sit aut vulgo, aut a nonnullis, protulerint; interrogandum amplius, & postulandum, ut ipsi de suo sensu, non ex aliorum sermonibus loquantur: præsertim cum hi alii, dum requirunt apud ambos oratores medincritatem in jocando, quæ est inter nimium & parum, nequaquam ipsi tenere videantur in judicando. Cui ergo, & quatenus credemus? Ego sic existimo, quoniam quidem in sua cuique arte maxime fidem habere oportet, de Demosthene Ciceroni, quam alteri cuivis; de Cicerone, uni Quintiliano, quam reliquis omnibus, tectius credi. Quid autem Cicero de Demosthene? *Facetus*, inquit, *minus habetur: quo quidem mihi nihil videtur urbanius. Sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis.* Quid de Cicerone Quintilianus? *Habitus est*, inquit, *nimis risus affectator. Mihi quidem, sive id recte judico, sive amore immodico præcipui in eloquentia viri laboro, mira quædam videtur in eo fuisse urbanitas.* Horum ego judicio mihi standum puto, amplector sententiam, nihil addo dictis. Tantum placet exponere mentem paulo magis, ne quid, aperta re, obscuritatis in verbis residere videatur. Ac primum non dissimulant aliis aliter videri: Demosthenes facetus minus habetur: Cicero habitus est nimius risus affectator. Deinde sententiam pronunciant eodem prorsus modo: Demosthene quidem mihi nihil videtur urbanius: Mihi quidem mira quædam videtur in Cicerone fuisse urbanitas. Tum adjungit Tullius, fuisse Demosthenem magis facetum, quam dicacem. quod hanc habet vim atque sententiam, ut, cum duo genera sint urbanitatis & leporum, alterum perpetuum & æquabile in narrando aliquid venuste, alterum in jaciendo mittendoque ridiculo peracutum & breve; illo, quod

majori arte nititur, plurimum valeat Demosthenes; hoc, quod vim acrioris ingenii requirit, minus. Atque haud scio, an qui eodem tempore vixit Dionysius Halicarnasseus, idem scriptum reliquerit, itaque distinxerit ac divisetit, ut Tullius, urbanitate & facetiis Demostheni concessis, adempta dicacitate. Est enim, quantum apparet, corruptus locus, unde tamen elici aliquid sinceri in eam sententiam possit, & maxime si tantulum suppleatur id, quod videtur deesse. Τοῦ δὲ συντάγματος ἱκανὸν εἰληφότος ἤδη μῆκος, αὐτοῦ που καταπαῦσαι χρὴ τὸν λόγον, ἐκεῖνο ἔτι νὴ Δία τοῖς εἰρημένοις προσαποδόντας, ὅτι πάσας ἔχουσα τὰς ἀρετὰς ἡ Δημοσθένους λέξις, λείπεται εὐτραπελίας, ἣν οἱ πολλοὶ καλοῦσι χάριν. πλεῖστον γὰρ αὐτῆς μετέχει μέρος. Οὐ γάρ πως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν. ὡς καὶ τοὺς ἀστεϊσμοὺς εὑρεῖν ἐν τοῖς Δημοσθένους λόγοις. οὐδὲν γὰρ ὧν ἑτέροις τισὶν ἔδωκεν ἀγαθῶν ὁ Δαίμων, ἐκείνῳ ἐφθόνησεν. *Hujus voluminis cum jam satis magnitudo creverit, finem fieri a nobis oportet, si prius iis, quæ contra Demosthenem dicta sunt, adjecerimus illud, quod ipsi quoque objicitur: ejus esse instructam quidem orationem aliis virtutibus cunctis, verum urbanitate, quam vulgus gratiam appellat, carere. Etenim plurimum habet urbanitatis, non omnem, aut ubique. neque simul omnia concesserunt Dii mortalibus. Itaque etiam reperias in Demosthenis orationibus urbanos sales. neque enim quidquam ei boni, quod aliis largita est, divina mens invidit.* Accedit eodem, quod Plutarchus, a quo, ut supra posui, tam austerus, & vultuosus, ac prope truculentus Demosthenes inducitur, præsertim in orationibus scriptis, eidem in subitis atque ex tempore responsis, acumen, & mordacitatem, usumque ridiculorum adscribat. Hoc autem quid est aliud, quam ei certam dicacitatem quandam, sive ejus generis præstantissimam speciem, quæ in respondendo cernitur, tribuere? Hunc tu modo scriptorem adi & invita Demosthenis, & in præceptis reipublicæ gerendæ: ubi satis festiva copia ejusmodi exemplorum.

Jam quod in Ciceronem conferuntur insignia vitia duo, ut nimius in jocando fuerit, interdumque frigidus; assentior, ut dixi, Quintiliano, quatenus eum vel arguit, vel purgat. Sed si licet hic interponere judicium meum, ac distinctius aliquid & peculiarius adjungere, nimium io jocis Tullium non opinor, multum concesserim, frigidum prorsus nego. Quæso te, BALZACI, quid esse nimium potuit in ea rep. ubi jus & mos fuit inter privatos denunciare & gerere inimicitias, tanquam tertium genus quoddam belli, extra civile & externum? in qua rep. summa impunitas & venia multarum rerum, iofinita libertas quidvis dicendi; in judiciis, contra reum, & testes; in concione, ad libidinem victoris & imperiosi populi; in senatu, præter eam rem, de qua refertetur, & præter sententiam, quam quis diceret: qua libertate nos in regno nati, qui ab unius nutu pendemus, non modo nihil utimur, sed ne sentire quidem, qualis ea, & quanta sit, satis possumus. Viro quid potuit esse nimium, cujus ingenium Romano imperio par, major etiam eloquentia omnes omnium ætatum eloquentes reliquit? Nonne hoc sibi jure sumpsit, ut, quæ sæpe io quovis alio viderentur non ferenda, ea loqueretur omnium concessu? Magnitudo & multitudo meritorum in cives suos, forenses operæ quotidianæ per ipsos quadraginta annos, cum defenderet innumerabiles reos, accusaret fere neminem; Crassus adjutus; Pompeius ornatus; usus uterque Cæsar plurimis illius & singularibus officiis; regnum, quod in foro, & in curia, & pro rostris, auctoritate & gratia semper obtinuit, quantam licentiam dabant, quantam afferebant consuetudinem, quantam etiam necessitatem imponebant agendi familiariter cum multis, carpendi & perstringendi multos, multa cavillandi? At illum qui tandem nimium dixerunt io jocis? Ejusdem ætatis homines? laudis æmuli? invidi potentiæ? quoquo modo adversarii? Expectandum, credo, fuit, ut Q. Cæcilius, quem derisit tam lepide, Marcus Cato, qui in Stoicis illusit, Servius Sulpicius, cujus artem ac scientiam juris, facetis verbis extenuavit, Verres, Clodius, Vatinius, Catilina, Piso, Gabinius, quos omnes hostes capitalissimos habuit, hominis io jocando moderationem modestiamque prædicent, atque ejus adversum seipsos dicta approbent. Consecuti scriptores & historici? Quinam? Aper in disputatione & Dialogo, qui aliter, ac sensit, locutus videri potest, & contradicendi studio, ut est consuetudo Dialogorum, id quod disseruit, disseruisse. Plutarchus? prudens quidem & eruditus scriptor, sed qui fateatur se & literas Latinas sero attigisse, neque res ex verbis, ut fit, sed verba ex rebus, quas jam notas haberet, didicisse, vel verius divinasse: ideoque, quod minus Latine sciret, cum dictione Demosthenis conferre non fuisse ausum Tullii vim dicendi & facultatem. Dio Cassius? Ciceroni, quantum existimare licet, etsi causam ignoro, iniquissimus, qui, cum in Catilina, in Antonio, in similibus aliquot post hominum memoriam facinorosissimis repererit, quod laudaret, nihil laudavit Tullianum: immo vero Fusium Calenum induxit perpetua & bene longa oratione probra omnia Ciceroni inferentem, & in his ea, quæ venerant in mentem fortasse nemini: certe quæ nemo scriptis ante eum & monumentis literarum historicus mandarat. Quæ si non finxit ipse, sine dubio arripuit vel ex orationibus, quas contra Philippicas scripsit Antonius, de quibus est a Plutarcho facta mentio; vel ex oratiuncula in Ciceronem, cujus initium Quintilianus profert, &, quod maxime mirum videtur, Sallustii nomine, *Graviter & iniquo animo maledicta tua paterer*; vel ex declamationibus, quæ statim ab obitu Ciceronis de ipso sunt frequentes habitæ, exercendi stili, aut etiam hominis criminandi causa.

Etsi autem neque auctoritate ulla scriptoris obtineri potest, neque argumento satis idoneo cujusquam effici, ut nimius in jocando fuerit orator: diffiteri tamen non debemus, id quod est proximum, quin multum versatus in hoc genere, saneque creber fuerit. Ostendetur paulo post id a nobis singillatim, cum jocos illius omnes, quotquot ubique investigare licuerit, promemus. ooc universe disputari aliquid non est alienum, neque inutile. Quis ante eum Romæ orator frequentavit jocos & facetias, vel longiores illas & tractu quodam narrationis diffusas vel acutas, & breves, verboque uno & altero contortas: aut si quid ejusmodi parcius fecit, noo casu potius

&

& natura, quam arte & disciplina fecit? Quis post eum, vel auctoritate & exemplo tanti viri, ita demum sales atque argutias consectatus est in sermone atque interposuit, ut insignis & conspicuus in eam partem, eoque præter ceteros nomine præstabilis evaderet: tametsi consecutæ ætatis scriptores neque artificium celare cuperent; & delicias aucuparentur aurium; & pompæ ac splendori servirent? Quin etiam asseverare propemodum ausim, omnes ex omni memoria scriptores, si conferantur in unum, vix tantundem leporis & venustatum aspersisse libris passim totis, & voluminibus magnis, quantum unus sua in scripta Cicero congessit, alii ejus ex ore exceptum memorarunt. Quorum ego dictorum multitudinem & copiam cum admiror, tum multo magis bonitatem, quæ est ejusmodi, ut nihil ab eo non concinnum, nihil non festivum, nihil non reliquis ejus dotibus quem omnes omni genere sermonis atque humanitatis perfectissimum fuisse prædicarunt, consentaneum, profectum sit. Nam quod ab uno Quintiliano tria quædam contra videntur afferri: primum, quibusdam notatum ut frigidum, diluit ipse Quintilianus verbo, cum hos illius reprehensores, obtrectatores appellat; reprehensionem, calumniam. In altero, quod dicta feruntur nonnulla Ciceronis in Verrem frigidiora, non modo hunc non arguit, verum etiam acumen ejus notavit & solertiam, qui hæc, quæ parum se digna essent, non protulerit quasi de suo, sed imperitæ multitudini plebique infimæ assignarit. Tertium, in quo eorum prudentiam Fabius requirit, qui tres libros de jocis Ciceronis concinnarint, nec elegerint tamen commodissimum quodque e multis, non satis indicat, quid pessimi electores isti peccarint: utrum quod Tulliana quædam non bona & rejicienda admiserint; an quod aliena, & minus salsa, minusque ingeniosa miscuerint cum Tullianis, ac diversa compegerint, tanquam unius. Hoc vero multo, quam illud, videtur probabilius. Sed quid mirum, si complura parum scire & lepide dicta collata sint in Ciceronem mortuum, quo demum tempore nemo refellere facile posset mentientes: cum in vivum etiam & videntem conferrentur, quæ rejicere a se cogeretur, & deprecari inficiando? Audi conquerentem de hac injuria & per literas cum amicis, & in orationibus velut apud judices. In oratione, quæ dicta est pro Plancio. *Quanquam, judices; agnosco enim ex me; permulta in Plancium quæ ab eo nunquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed contentione dicendi, aut lacessitus, & quia, ut fit in multis, erat aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem, si quid est, quod mihi scitum esse videatur, & homine ingenuo dignum, atque docto; non aspernor: stomachor vero, cum aliorum non me digna in me conferuntur.* In epistola ad Volumnium Eutrapelum priore ex duabus. *Ais, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sextiana, in me conferri. Quid? tu id pateris? nonne defendis? non resistis? Equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. Sed quando tanta fæx est in urbe, ut nihil sit tam ἄκυρον, quod non alicui venustum esse videatur: pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολὴ, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cetera, quæ sunt a me in secundo libro de oratore per Antonii personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα & arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea non esse.* Quo loco illud, Balzaci, animadvertas velim, quod de suis ipse dictis per jocum ait, ea esse, quæ facile per se internoscantur ab aliorum dictis; quamvis ridendo, verissime dici. Internoscebat videlicet Julius Cæsar, & ea nota internoscebat, quam Cicero præscribit: hoc est, quod peracutum, & artis plenum non esset, non putabat Tullii. lib. IX. 16. *Ipse*, inquit, *Cæsar habet peracre judicium: &, ut Servius frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est; quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, cum volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, rejicere solere. quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum fere quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse illis, cum dixi, nec illiterata, nec insulsa esse videantur. hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipse mandavit. Sic fit, ut, si quid præterea de me audiat, non audiendum putet.* Ex iis perspicere licet, triplex illud volumen de jocis Ciceronis, qui non omni ex parte probentur Quintiliano, & quorum paucitatem malit cum delectu, quam multitudinem sine discrimine, non esse Quinti Ciceronis, qui fraterna dicta, notis quæque suis, & privatis quasi insignibus tam manifesta, peritus ipse utriusque sermonis, ac versatus in multiplici rerum cognitione, sine dubio non ignoravit. Multo vero minus adduci possum, ut credam M. Ciceronem bis hic errasse. qui si initio non sensit a se quædam dici non belle, ut aliqua excidunt etiam prudentibus: tamen fuit ejus diligentiæ deinde, quanti quidque esset, expendere, nec dare deterioribus locum, cum potiora colligeret. ac de illo viderint alii quid existiment, & quam magni ejus vel ingenium, vel judicium faciant. crediderim equidem magis, quidpiam frigidum non esse, si dixit; quam eum, si frigidum sit, dixisse. Sed neque satis causæ apparet, cur Tironi liberto ea collectio jocorum tribuatur. nam cum κανὼν fuerit, id est, norma quædam & regula scriptorum Tullii, ut ipse Tullius agnoscit; cum septem accusationis libros in Verrem ordinarit, ac recognoverit, & quasi recensuerit: cum ipse quatuor conscripserit de vita patroni: probe, meo quidem judicio, intellexit non tantum quid esset in toto jocandi genere præclarum & laudabile, verum etiam quem rerum gustum Cicero haberet, quidve sibi mallet, aut a se alienum duceret. Ex quo Ciceroni potius detraxisse videtur Tiro, si quid improbaret; quam ei non rectum aliquid, aut quod illius non esset, affinxisse. Animadverti quoque a Trebonio nonnihil concinnatum de dictis Ciceronis, quod ad eum miserit. Quid enim aliud Tullius ipse loquitur libro XV. ad familiares, epistola 21. *Liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui? Primum, quod tibi facetum videtur, quidquid ego dixi, quod aliis fortasse non item: dein-*

deinde, quod illa sive faceta sunt, sive sic, fiunt narrante te venustissima. quinetiam, antequam ad me veniatur, risus omnis pæne consumitur. Hunc porro librum, quem scripsit Trebonius, scriptor, ut apparet, copiosus & suavis, & ingeniorum prudens æstimator; quem Tullius in judicando liberrimus ne leviter quidem reprehendit, aut emendat, quis a Quintiliano tantopere putet improbari?

Hactenus quid opinentur alii, & quid vere existimandum sit de Tullii jocis. quæ manifestiora fient, si ad extremum subjiciatur, quid ipse de se Tullius sentiat, & quantum sibi tribuat, non rejiciendus omnino, etiamsi in causa sua, judex. Principio contendit in oratione pro Plancio, ridere & cavillari, etiam aspere, nullo metu cujusquam, nec admodum vitata offensione potentiorum, libertatis semper fuisse Romanæ, & ingenuitatis civium. *Asperius Plancius locutus est aliquid aliquando. Immo fortasse liberius. At idipsum, inquit, non est ferendum. Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur libertatem equitis Rom. se ferre non posse? ubinam ille mos? ubi illa æquitas juris? ubi illa antiqua libertas, quæ malis oppressa civilibus, extollere jam caput, & aliquando recreata, se erigere debebat? Equitum ego Rom. etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scævolam, virum omnibus ingenio, justitia, integritate præstantem, aspere, & ferociter, & libere dicta commemorem? Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, cum ille, edicto justitio, domum descendens, rogasset Granium, quid tristis esset; an quod auctiones essent: Immo vero, inquit, quod legiones. Idem tribuno pleb. potentissimo homini, M. Druso, sed multa in rempub. molienti, cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, Quid agis, Grani? Respondit, Immo vero, tu Druse quid agis? Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit.* Declarat deinde, se ex oratoribus Romanis pæne principem inveniendi fuisse, quemadmodum in causis & seria dissolverentur risu, & jam defessæ aures judicum, reficerentur festiva & hilari digressione a proposito. *Nemo*, inquit, *erat, qui delectandi gratia digredi parumper a causa posset: nemo, qui breviter arguteque incluso adversario, laxaret judicum animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret.* Atque hæc intelligi par est vel de leporis ac facetiarum quadam crebritate & frequentia, quæ nulli tanta, quanta Ciceroni inesset: vel de eo duntaxat tempore, quo primum attigit forum Tullius, & processit in publicum, & cum pari Hortensio dimicavit non minus de gloria, quam de reorum salute, exstinctis aliis fori & curiæ luminibus. ut jocos & sales non induxisse primus in usum, sed adduxisse in honorem, & revocasse intermissos videatur. Nam & libro, qui est de claris oratoribus, si quid in quopiam urbanitatis, si quid jucunditatis, si quid harum suavitatum, & condimenti fuit, notavit; notavit autem fuisse in plurimis: & libro de oratore secundo colliguntur ab eo insignes joci facetiæque multorum. Est ubi quoque indicet, hoc ipsum possessionem esse suam, suum regnum, rem sibi vel propriam, vel communem cum paucis; ad tuendam autem, quam de ipsius ingenio homines haberent, opinionem, prorsus necessariam. Ad Curium lib VII. epist. 31. *Vides exaruisse jam veterem urbanitatem. ut Pomponius noster suo jure possit dicere, Nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quæso, ne tantum semen urbanitatis una cum repub. intereat.* Eodem libro, epist. 32. ad Volumnium: *Tuis in literis omnia mihi perjucunda fuerunt præter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur.* Ex aliquot interjectis: *Urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros.* Lib. IX. epist. 16. ad Papirium Pætum: *Effugere si velim nonnullorum acute, aut facete dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abjicienda. quod si id possem, non recusarem.* Ait porro sibi cordi esse facetias non quasvis, aut cujusvis temporis, aut nationis, delectu omni & discrimine remoto: sed Romanas veteres atque urbanas, ut Granii, ut Lucilii, ut Crassi, ut Lælii, quas Atticis Græcorum non dubitet anteponere. *Accedunt*, inquit, *non Attici, sed salsiores, quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. Ego autem, existimes licet quod lubet, mirifice capior facetiis, maxime nostratibus.*

Quod autem obsoleverint fere ex toto, atque omnis illa patrum sincera & dulcis venustas redacta sit ad paucos, conqueritur ac deplorat sæpissime. facile ut appareat hoc illi dolere in primis, tanquam tutori orbitatis Gratiarum relicto. Verum quæ causa tantæ jacturæ? quomodo corrupti sales? a quibus urbanitas & lepos interiit? Jam tum, si nescis, BALZACI, querebatur Tullius non modo amitti avitos sales & evanescere, sed puram quoque ac germanam Latinitatem corrumpi Romæ: credo item eodem tempore, rectum & lenem sonum oris, quæ laus erat Romani generis, urbisque propria, perverti cœpisse. Sed una atque eadem causa & radix trium malorum, advenarum concursus in urbem, & commoratio, atque usus cum civibus, & permixtio. Primum enim Latini, quibus lege Julia cunctis data civitas, ut aliquid a Romanis; fieri enim non potuit aliter; ducebant: ita non dubium quin peregrinitatem aliquam suam transfunderent in urbem, & communicarent cum civibus. Aliquanto vero post ex Transalpinis gentibus, non civitate solum donati quamplurimi, sed etiam lecti in senatum; sicut populus Rom. cavillaretur, modo anguste sederi in curia, modo iter in curiam non monstrandum peregrinis senatoribus; quid non secum invexerunt fæcis, & sordium? Ac ne forte divinare me putes, aut conjecturis tantummodo niti, accipe de singulis. Primum de Latinitate, in Bruto: *Omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit & Romæ, & in Græcia. confluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda quam obrusa ratio, quæ mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula.* De sono vocis, & appellatione literarum, in qua peregrinam omnem insolentiam fugere oportet: cui tamen vitio viri magis, quam mulieres, obnoxii, quod multorum sermonis participes sint. eodem libro, qui Brutus inscribitur:

Quid

Quid tu igitur, inquit, *eribus istis externis quasi oratoribus? Quid censes*, *inquam*, *nisi idem quod urbanis*, *præter unum*, *quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio.* Et Brutus, *Quis est*, inquit, *iste eandem urbanitatis color? Nescio*, *inquam. tantum esse quendam scio. Id tu*, *Brute*, *jam intelliges*, *cum in Galliam veneris. audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: sed hæc mutari dediscique possunt. Illud est majus*, *quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam & resonat urbanius. nec hoc in oratoribus modò apparet*, *sed etiam in ceteris. Ego memini T. Tineam Placentinum*, *hominem facetissimum*, *cum familiari nostro Qu. Granio præcone*, *dicacitate certare. Sed Tineam*, *non minus multa ridicule dicentem*, *Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo. Omnino*, *sicut opinor*, *in nostris est quidam urbanorum*, *sicut ille Atticorum*, *sonus.* Item in tertio de oratore, præter alia præclara multa: *Me tuus sonus*, *& suavitas ista delectat*, *omitto verborum*, *sed hanc dico suavitatem*, *quæ exit ex ore: quæ quidem ut apud Græcos*, *Atticorum*, *sic in Latino sermone*, *hujus est urbis maxime propria. Quare cum sit quædam certa vox Romani generis urbisque propria*, *in qua nihil offendi*, *nihil displicere*, *nihil animadverti possit*, *nihil sonare*, *aut olere peregrinum*, *hanc sequamur: neque solum rusticam asperitatem*, *sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus.* Postremo de lepore antiquo omni vel amisso, vel contaminato locus illustris, quem jam ad aliam rem ex parte afferre cœpi, lib. IX. epist. 15. *Mirifice capior facetiis*, *maxime nostratibus: præsertim cum eas videam primum oblitas Latio tum*, *cum in urbem nostram est infusa peregrinitas*, *nunc vero etiam braccatis & transalpinis nationibus: ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque*, *te cum video*, *omnes mihi Granios*, *omnes Lucilios*, *vere ut dicam*, *Crassos quoque & Lælios videre videor. moriar*, *si*, *præter te*, *quemquam reliquum habeo*, *in quo possim imaginem antiquæ & vernaculæ festivitatis agnoscere.* Atqui Marium quoque habebat reliquum, antiquo illo more Romano salsum & lepidum hominem, quo frueretur, ubi libitum esset, propter viciniam prædiorum; quem proficiscens tolleret, & in lecticam conjiceret, si quando *subtilitatem veteris urbanitatis & humanissimi sermonis* vellet *attingere*.

Hac igitur mente, BALZACI, animique sensu qui fuit, ut putaret verissimam & bellissimam rationem jocandi esse penes se, paucosque præterea residuam, nonne præter ceteros in isto genere sibi, ac prope necessario indulsit? Indulsit vero, & plus aliquid in omnes, in amicos etiam, & potentiores sibi licere existimavit. Itaque ego idem, qui supra excusavi, quoad integrum fuit, libertatem hominis in jocando; vel quod scurrilis non esset revera, vel quod in Tullio non esset: neque dissimulare debeo, neque inficiari possum, quin is in illos quoque, quos amaret, & qui plus possent, incurrerit aliquando liberius, eorumque animum & voluntatem perstrinxerit. qua de re cum sermo esset, & sensit ipse, & admonitus est a nonnullis, & se purgavit in epistolis atque in orationibus. Opposuit Lateranensis in Plancio, cum velut oblitum consuetudinis suæ, præclaram dicti dicendi occasionem, cum se offerret, amisisse. *Admonuisti etiam*, *quod in Creta fuisses*, *dictum aliquod in petitione tua dici potuisse: me id perdidisse.* Cui statim Cicero: *Uter igitur nostrum est cupidior dicti? egone*, *qui*, *quod dici potuit*, *non dixerim*; *an tu*, *qui etiam ipse in te dixeris?* In castris Pompeii cum versaretur, insimulatus est, quod non tenuerit se, quin alieno loco & tempore, multa luderet, non in adversas partes, quod forsan tolerabile fuisset, sed in suas. De quo cum sese Philippica illa divina purgandum existimaverit, est certe, cur aliquid sermonis fuisse, & satisfactionem visam necessariam suspicemur. *Ne jocis quidem respondebo*, *quibus me in castris usum esse dixisti. Erant illa quidem castra plena curæ: verumtamen homines*, *quamvis in turbidis rebus sint*, *tamen si modo homines sunt*, *interdum animis relaxantur. Quod autem idem mæstitiam meam reprehendit*, *idem jocum: magno argumento est*, *me in utroque fuisse moderatum.* Quinetiam, quantum conjicere licet ex epistola 16. lib. IX. ad familiares, Silius illum quidam, & Papirius Pætus, diligenter & cum sollicitudine certiorem fecerant de dictis ejus, quæ vulgo ferrentur dicta in C. Cæsarem, cum is jam rerum potiri cœpisset. De quo multa ab illo rescripta ad defensionem sui; sed hæc in primis: *Ejus ipsius*, *Cæsaris*, *nulla re in me offensus est animus. est enim adhibita in ea re ipsa summa a nobis moderatio. Ut enim olim arbitrabar esse meum*, *libere loqui*, *cujus opera esset in civitate libertas: sic*, *ea nunc amissa*, *nihil loqui*, *quod offendat aut illius*; *aut eorum*, *qui ab illo diliguntur*, *voluntatem.* Atque aliquot interjectis: *Ergo in officio boni civis certe non sum reprehendendus. Reliquum est*, *ne quid stulte*, *ne quid temere dicam*, *faciamve contra potentes: id quoque puto esse sapientis. cetera vero*, *quid quisque me dixisse dicat*, *aut quomodo ille accipiat*, *aut qua fide mecum vivant ii*, *qui me assidue colunt & observant*, *præstare non possum.* Aperuit & D. Brutus Ciceroni suum de eo metum, quod diceretur apud Octavium Cæsarem offendisse verbo, ambigue & maligne prolato. Libro enim XI. ad familiares, epistola 20. *Sæpe mihi cum esset dictum*, *neque a me contemptum*, *novissime Labeo Segulius*, *homo sui simillimus*, *narravit mihi*, *apud Cæsarem se fuisse*, *multumque sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil sane de te questum*, *nisi dictum*, *quod diceret te dixisse*, *laudandum adolescentem*, *ornandum*, *tollendum: se non commissurum ut tolli possit.* Ad quem Cicero prudenter, nec ei se nimium indicans; quippe qui neque agnoscat dictum, neque inficietur, sed in incerto velut rem nugatoriam relinquat. *Dii isti Segulio male faciant*, *homini nequissimo omnium*, *qui sunt*, *qui fuerunt*, *qui futuri sunt. Quid? tu illum solum tecum*, *aut cum Cæsare*, *qui neminem prætermiserit*, *quicum loqui potuerit*; *cui non eadem ista dixerit? Te tamen*, *mi Brute*, *sic amo*, *ut debeo*, *quod istud*, *quidquid esset*, *nugarum me scire voluisti. signum enim magnum amoris dedisti.* Quid relinquitur ad Tullii percipiendum morem penitus, & ad propensionem ejus in jocorum genus omne cognoscendam, nisi ut locos ne prætermittamus quidem, in quibus risisse se & cavillatum fuisse indicarit? Lib. II. epist. 1. ad Att. *Quid quæris? hominem petulantem modestum reddo*, *non solum perpetua gravitate orationis*, *sed etiam hoc genere dictorum*

torum. Itaque jam familiariter cum ipso caviller etiam, ac jocor. Lib. II. ad Q. fr. epist. 11. *Commagenum regem lusi jocose satis: neque solum illud extorsi oppidulum, quod erat positum in Euphrate & Zeugmate: sed præterea togam sum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare consule, magno hominum risu cavillatus.* Lib. v. epist. 2. ad fam. *Hoc in sermone, cum a me exponerentur, quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ, quantoque in errore versatus essem: visa est oratio non injucunda, & mediocris quidam est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, & quod me abs te cupisse laudari, aperte atque ingenue confitebar.* Lib. II. epist. 11. ad Q. fr. *Jocum autem Cæsaris de sua egestate ne sis aspernatus. ad quem ego rescripsi, nihil esse, quod posthac arcæ nostræ fiduciam conturbaret: lusique in eo genere & familiariter, & cum dignitate.*

VIII. MARCUS CICERO

De ludicra dictione nihil præscripsit.

DUOBUS in locis de urbanitate, risuque, ac joco præcepisse video M. Ciceronem, ut philosophum, qui de moribus, & officiis vitæ communis tradat. Semel primo officiorum, cum dissereret, quemadmodum, etsi a natura generati ad severitatem potius, & ad studia gravia atque magna, quam ad ludum & jocum simus; tamen intermittere nonnunquam liceat, & oblectare se ludicris sermonibus, & rerum colloquiis leviorum. *Ludo*, inquit, *& joco uti illis quidem licet: sed, sicut somno & quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino est jocandi genus. unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaque multorum facete dicta: ut ea, quæ a sene Catone sunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui & illiberalis joci. alter est, si tempore fit ac remisso animo, libero dignus: alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas.* Præcepit iterum Cicero de jocis, eodem libro, cum distingueret, & ita diceret: magnam vim orationis esse, eamque duplicem: alteram contentionis, quæ quidem contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, senatus, cujus præcepta rhetorum sint multa: alteram sermonis, qui in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium, conviviis versetur, cujus præcepta nulla. Quanquam significat, & quæ verborum sententiarumque oratoria præcepta sunt, eadem ad sermonem pertinere: & peculiaria forsan, ac sua quædam esse posse sermonis. Et vero dat ibidem præcepta ipse, identidemque monet aliquid de lepore ac facetiis. *Sit igitur*, inquit, *hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax: insit in eo lepos.* Et illud: *Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat: si jocosis, leporem.* Et hoc: *Sed utcunque aderunt res: neque enim omnes iisdem rebus, nec in omni tempore, nec similiter delectamur.* Tum: *Animadvertendum est etiam quatenus sermo delectationem habeat: &, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit definendi modus.* Denique: *Turpe est enim, valdeque vitiosum, in re severa, convivii dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem.*

Hæc Cicero breviter, ut philosophus, duobus in locis. Sed, ut rhetor, sive ut scriptor artis rhetoricæ, uberius & copiosius in locis quoque duobus. Nam libro de oratore secundo, ubi agitur de parienda delectatione, omnia edisserit ac dilatat, quæ faciunt ad risum: & eo libro, qui orator inscribitur, summatim partem optimam percurrit eorum, quæ fuerant jam ab ipso exposita prius; tumque percurrit, cum de tenui & summisso genere dicendi sermo est. Ex quo nascitur quæstio meo judicio non levis. Qui enim risum & sales huic generi orationis, cujus est delectare, attribuerat, & merito attribuerat, ut res, & vox ipsa admonet: idem refert ad subtile & infimum genus dicendi, cujus est docere, risum & sales, quasi sit oblitus sui. Tenes, BALZACI, quæ loquor, an satis plane nondum locutus sum? Est oratoris officium triplex, docere, delectare, permovere. muneri primo, quod debitum est, respondet subtilis & attenuata oratio: alteri, quod est velut honorarium, temperata & mediocris: ampla & grandis tertio, quod necessarium. Qui tandem igitur lepos & facetiæ, cum vel solæ delectent, vel maxime, adeoque cadant sub officium oratoris alterum, convenient minutæ subtilitati, eruntque docentis? Tu velim hoc mihi ζήτημα persolvas, proque Cicerone, quod commodo tuo fiat, respondeas. Nobis quidem, qui nunc aliud agere instituimus, videndum est, quam is multa, quamque diversa de jocis præcipiat, si quid forte ad ridiculos homines nostros pertinebit. Duo quædam proœmii loco statuit: primum, arte doctrinaque sales & facetias nequaquam posse tradi, cum totum fere sit in natura, ab eaque pendeat, tanquam a domina: nihilominus esse rationem aliquam, aut observationem, non solum quando nihil sit iis opus, utendumque non sit, sed etiam quemadmodum utendum: alterum, jocos in causis & seriis actionibus multum prodesse persæpe oratori; cuivis etiam homini in omnem partem vitæ opportunos. nullum enim se dare tempus, nullam rerum actionem, aut administrationem, in qua non deceat leporem certum quendam, humanitatemque versari. Quemadmodum igitur, quod de bene Latine loquendi ratione præcipit Cicero, id est cujusque civis ingenui & liberalis, etiamsi orator non fuerit: ita quod hic tradit de joco & ridiculis, non vindicat sibi tanquam suum, atque oratoris solius, sed esse vult, sicuti est, commune cum honestis omnibus liberaliterque educatis. Etsi autem una duntaxat a Tullio videatur facta partitio facetiarum: reperietur tamen, si recte attendimus, quodammodo triplex. Principio sic dividit, ut unum constituat genus continentis & perpetuæ cujusdam festivitatis, quod in re positum sit: alterum peracutum & breve, quod dicto contineatur: quorum illud veteres cavillationem, hoc dicacitatem nominarint. Rursum prioris generis

spe-

ſpecies facit duas: primo ſi quando quid, tanquam ſabellam aliquam, venuſte narramus: deinde ſi quam alterius pravitatem imitamur, & ob oculos ponimus effingendo. Duas item poſterioris generis, quæ alias in verbo habeant, alias in re, ſive in ipſa ſententia, facetias. Nam quod quibuſcunque verbis dixeris, facetum tamen eſt: re continetur. quod mutatis verbis ſalem amittit, nec poteſt retinere eandem venuſtatem: in verbis habet leporem omnem. Atque eadem, & eaſdem ob cauſas, dici videmus de verborum & ſententiarum figuris: inter quas hoc intereſt, quod verborum conformatio tollitur, ſi verba mutaris; ſententiarum permanet, quibuſcunque verbis uti velis. His ita diviſis, unde verborum facetiæ ducantur, atque unde rerum, quas plures eſſe cenſet, minuſque genere & partibus finitas, exponit: quæ ſingularum ſedes ac regio: quis uſus: & quidem ſuis cuique ſubjectis exemplis. In quo cum multa paſſim & univerſe admonemur; ut, continere dicta, præſertim ſi ſubito occurrant, & jam in primo ore habeantur, negotii magni, & difficilis cujuſdam temperantiæ eſſe; ut, haberi rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid jocus de gravitate decerpat; ut, ne quotieſcunque potuerit dictum dici, neceſſe habeatur dicere; ut, ſoli figantur adverſarii, nec ſemper tamen, nec omnes, nec omni modo: tum vero vetamur ſpeciatim, cum dicto utimur, ſive ridiculo,

1. ne ſit nimis frequens, quia ſcurræ hoc eſt.
2. neque ſubobſcenum, quia eſt mimi.
3. neque petulans, quia improbi hominis.
4. nec in calamitoſos, quia inhumanum.
5. nec in facinoroſos, quia leve id, pro odio, quo digni ſunt, ſupplicium.
6. nec quæſitum & domo allatum, quia frigidum.
7. nec fere ad laceſſendum, quia reſpondetur & ingenioſius, & humanius.
8. nec in caros vel noſtros, vel multorum, quia odioſum.
9. nec in potentes & dignitate præditos, quia præter debitam venerationem & obſervantiam fit.
10. nec atrox & contumelioſius in quemquam, quia inſanabile.

Poſtremo exigitur identidem raritas dictorum, moderatio, temperantia, prudentia, cautio. Identidem præſcribitur, ut gravitas ſalva ſit; ut inviolatæ dignitates; ut parcatur amicitiis: &, quia ridere quoque & cavillari, & jocationem, tanquam artem, factitare ex inſtituto ſolent ſcurræ, mimi, ethologi; ut ad eos ne proxime, niſi longo intervallo, accedatur. Quanquam trahere aliquid leporis e ſcena, aut ex communi conſuetudine aſſidue & ſine cauſa jocantium, dum modice tecteque fiat, profecto licet. Cantus, Balzaci, abeſſe debet ab oratore, quo nihil odioſius & putidius in dicendo: at aliquid tamen ſimile cantus ineſſe debet. Geſtus alius eſt hiſtrionis, alius oratoris: at hic ab illo quædam mutuatur: & Cicero ex Æſopi & Roſcii imitatione profecit. Inceſſus decens & venuſtus non eſt a palæſtra, nec a ſaltatione: ſed tamen ab iis, ſi quis hæc ipſa didicerit, adjuvatur. Similiter paululum quiddam ſalis libare utile fuerit ex facetiis joculatorum, quo perſpergatur ſermo & familiaris, & oratorius: ſed ita demum, ut vix appareat, neque deprehendamur quaſi in delicto. Itaque Tullius verbis duobus, ſane idoneis, furandi & ſurripiendi, hoc ipſum, quod dico, ſi quando fit, clam & diſſimulanter fieri oportere declarat. *Orator*, inquit, *ſurripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam videat.* Et: *Alterum genus eſt imitatione admodum ridiculum. Sed nobis tantum licet furtim, ſi quando, & curſim.* Hinc adeo intelligitur, quot ſepta ſit tota res & obſtructa difficultatibus, quot conditionibus adſtricta, quot præceptis temperata, legibuſque: ut maxime ſapientis ſit, ita ludere & jocari; maximaque arte id fiat, in quo nihil habere ars loci primo putabatur. Quocirca & illud præclare Cicero, qui videtur riſum aliquem non modo familiarem inter amicos, ſed etiam doctum agnoviſſe. Libro enim XII. epiſt. 18. ad Cornificium: *Nihil tam deeſſe ſcito, quam quicum hæc familiariter docteque rideam. is tu eris, ſi quamprimum veneris.*

Quid ergo eſt? An expectas, Balzaci, ut inſtituto more idem toties diſputem, infetamque, quod perſpicuum eſt, quodque unum ex omnibus argumentis & rationibus meis jamdudum intuli? Jocos definit Tullius, partitur, diſtinguit; virtutes exponit; deſignat vitia; opportunitates utendi notat, & quo tempore, & quo loco abſtinere par ſit: nec verbum tamen facit de incondita & ridicula noſtrorum ratione, & modo jocandi. igitur noſtri Tullium non habent nec auctorem, nec patronum, nec ſuffragatorem illius fatuitatis ſuæ, & agreſtium ineptiarum, ac ne reprehenſorem quidem, aut narratorem, & hiſtoricum.

IX. MARCUS CICERO

Ludicra dictione nunquam eſt uſus.

Quonam M. Ciceronis pariter & literarum optimarumque artium fato eveniſſe dicam, ut, quæ ex ſcriptis omnibus ſuis plurimi faceret, haberetque cariſſima, atque adeo maxime immortalia cuperet, ea ſors infelix quædam & calamitoſa quaſi mortalitas ſerius ocius interceperit: certe pervenire non ſiverit ad nos, neque tantum boni cunctæ poſteritati conceſſerit? Nam ſi Tullium rogemus, quid omnium minime velit; nullo prorſus modo ſex libros de rep. ſibi & ſæculis reliquis periiſſe velit, tanto cultu, tanta induſtria elaboratos: & commentarium Græce de conſulatu ſuo a ſe compoſitum, in quo paria cum ſcriptoribus Græcis feciſſe ſibi viſus eſt, nonnullius ſui operis Latini jactura, ſi poſſit, redimat. Qui ſi idem ſciat quoque, conſolationem de obitu Tulliæ ſuam evanuiſſe, ac nihil omnis generis monumentorum, quibus eam voluiſſet immortalitati conſecratam, comparere nunc: indignetur profecto, aut tantum vetuſtati in ſe licuiſſe, aut tam parum voluntatibus mortuorum ſervire tempus, aut ita negligentes, itaque ingratos fuiſſe poſteros, qui rem ſibi traditam deinceps nec exceperint ipſi curioſe, nec ad alios fideliter tranſmiſerint. Nobis quidem nunc optandum, hæc ut extarent, quæ premeret

vivus, cumque uno aut altero communicaret ex intimis: sed divulgari, se mortuo, studeret vehementer. Erat ex isto genere liber, de quo ipse ante exilium lib II. ad Atticum, epist. 6. *Itaque ἀνέκδοτα, quæ tibi uni legamus, Theopompino genere, aut etiam asperiore multo, pangentur. Neque aliud jam quidquam πολιτεύομαι, nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate.* Et longo tempore post, mortuo Cæsare, in libro XIV. ad Attic. epist. 17. *Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi. ista vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen expectant. Ego autem, credas mihi velim, minore periculo existimo contra illas nefarias partes, vivo tyranno, dici potuisse, quam mortuo. ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter. nunc, quacunque nos commovimus, ad Cæsaris non modo acta, verum etiam cogitata, revocamur.* Ejusmodi quoque fuit oratio, in Curionem, opinor, quam, in exilio cum esset, exisse dolet se inscio, atque in vulgus emanasse, lib. III. ad Att. 12. *Percussisti autem me etiam de oratione prolata. cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim, ei iratus, quod ille prior scripserat. sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. quo modo exciderit, nescio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, & quia scripta mihi videtur negligentius, quam ceteræ: puto posse probari, non esse meam.* De qua rursus oratione, epistola 15. *Accepi Id. Sext. Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ unde sit prolata, nescio.* Qualis porro, & ubi nunc est gentium alia oratio, cujus lib. XV. epist. 13. meminit? *Orationem tibi misi. ejus custodiendæ & proferendæ arbitrium tuum. Sed quando illum diem, cum tu edendam putes?* Et extrema parte ejusdem epistolæ: *Hæc cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. hui, quam timeo, quid existimes. etsi quid ad me, quæ non sit foras proditurn, nisi rep. recuperata?* An ipsa eadem est, de qua lib. XVI. epist. 11. *Nonn a te accepi. Atque utinam eum diem videam, cum istu oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicæ domum introeat.* Hæc vero, ne dubites, Philippica est secunda. Cujus rei multa sunt quidem in ista posteriore epistola signa: sed illud argumentum firmissimum, quod quædam admonitu Attici commemorantur emendata, quæ tu in ea Philippica, nusquam alibi, reperias. *Libenter ea corrigam, quæ a te animadversa sunt,* EODEM *jure, quo Rubriana, potius, quam,* QUO *Scipionis: & de laudibus Dolabellæ deruam cumulum. attamen est isto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quod eum ter contra cives in acie. illud etiam malo,* INDIGNISSIMUM *est hunc vivere, quam,* QUID *indignius?* Quis autem occultus ille liber & ἀπόῤῥητος, in quo reddidisse atque exposuisse fertur rationes consiliorum suorum, quem, ut a Dione Cassio memoriæ proditum est, filio obsignatum tradidit, tanquam codicillum & aliquid testamenti, mandavitque, ne aperiret, antequam ipse decessisset e vita, neve exire pateretur in vulgus? Utrum idem, atque ἀνέκδοτα illa superiora, an vero diversus aliquis alius? Is certe videtur esse, de quo Asconius Pedianus commentatione in M. T. Ciceronis orationem, in toga candida. Quemadmodum enim inscripsit Dio περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων ἀπολογισμόν: ita multo ante Asconius *de expositione suorum consilium.* Uterque autem contra M. Crassum, & contra C. Cæsarem, quibus esset Cicero usus adversariis & oppugnatoribus tacitis dignitatis suæ, eum librum significat compositum. Ac nossemus saltem aut ex inscriptionibus operum, aut ex ipsis initiis, quæ Tulliana desiderentur, & quanta jactura facta sit. Atqui ne hoc quidem novimus, quod olim notissimum fuit etiam vulgo. Unde habes, inquies. Ex eo quod Asconius negat contra Fenestellam dixisse unquam Ciceronem pro Catilina. Qui si dixisset, appareret ejus orationis indicium aliquod & quasi vestigium in commentariis causarum suarum, quas reliquit ipse. *Movet me*, inquit, *quod, cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis, aut principium nullum inveniam.* De hoc eodem volumine defensionum nonnihil etiam Fabius lib. IV. cap. 1. *Idem Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ causa est in commentariis. nam bis eundem defendit.* Et lib. X. cap. ultimo: *Plerumque multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, & utique initia scribant. Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque: ut causarum, quæ sunt actæ a Servio Sulpicio. sed hi commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis esse videantur compositi. Nam Ciceronis ad præsens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quin non probem, sed ut sint magis admirabiles.* Quinam igitur illi commentarii, quos Cicero scripsit, nisi volumen, in quo non prooemia multa multorum librorum; quamvis hoc quoque habuit: sed multa inchoata, etiam unius orationis, & depoperata summatim ad præsentem usum, quæ tum sic reliquit propter angustias temporis, nec recognovit deinde propter incuriam?

Sed quoniam hæc, & alia amissa quoque lugemus, quæ magnam sine dubio segetem suppeditarent nobis jocorum scriptoris gravissimi pariter & festivissimi; videamus, quidnam in illis, quæ nunc exstant, operibus, & quantum habeatur, quotve ab eo dicta reliqui scriptores Græci & Latini collegerint. Visne igitur, ut in orationibus, in epistolis, in dialogis; sic enim divisit Pedianus Ciceroniana omnia; recognoscamus ipsis festivitates ordine singulas, & verborum ac sententiarum lepores? Est cujusvis id lectoris facere. An ut præceptis, quæ dedit in eam rem, sua subjiciamus exempla, non aliunde, quemadmodum ipse fecit, sed ex ejus libris petita? Est hoc rhetoris, quod nos non agimus in præsenti: & vero nondum factum a quoquam miror, quod esset perutile juventuti ad discendum. Qnid ergo capiemus consilii, & quam rationem viamque inibimus? Cum quidem omni genere dictorum hæc tria fere agantur, ut aut contra aliquem quasi vituperando, quod sæpe fit; aut quasi laudando pro aliquo dicatur, quod est rarius; aut existat tertium quiddam expers amborum: satius, opinor, fuerit, quæ sint generis ejusdem, & quæ hominem unum spectant, ea, ubicumque fusa per auctores ac dispersa quodammodo vagentur, reduci eundem in locum; quo sic congregata, mole & numero se prodant magis, atque alia ex aliis illustriora fiant. Sequuntur itaque

que & quos Cicero petivit jocis, & ipsi joci, & loca, unde hos totidem verbis prompsimus: bonis oppido & puris verbis, neque consulto vitiatis ad commovendum risum.

In Verre. *Verrem vocant Romani porcum non castratum. Cum autem Cæcilius libertinus homo, Judaica superstitione obligatus, remotis a negotio Siculis, accusare ipse Verrem vellet, tum Cicero, Quid, inquit, Judæo cum porco?* Plutarchus in Cicerone.

Multa Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta. modo futurum ut omnia verreret, cum diceretur Verres: modo Herculi, quem expilaverat, molestiorem apro Erymanthio fuisse: modo malum sacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquisset, quia Sacerdoti Verres successerat. Quintilianus lib. VI. cap. 3.

Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum. alii etiam frigidiores erant: sed quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, cum Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisse. Cicero in Verrem lib. I.

Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete & commode dicant: velut in hac re ajebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere. Cic. in Verr. lib. IV.

O præclare conjectum a vulgo in illam provinciam omen communis famæ atque sermonis, cum ex nomine istius quid in provincia facturus esset, perridiculi homines augurabantur. Quo die Siciliam tetigit, videte satisne paratus ex illo omine urbano ad everrendam provinciam venerit. In Verr. lib. II.

O Verrea præclara, quoquam si accessisti, quo non attuleris tecum istum diem. etenim quam tu domum, quam urbem adisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex manibus naturaque tua constituta esse videantur. In Verr. lib. II.

Omnia deferuntur. Cybiratæ fratres vocantur: pauca improbant: quæ probarant, iis crustæ, aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini, excussis deliciis, cum argento puro domum revertuntur. Quod unquam, judices, hujusmodi everriculum ullis in provincia fuit? In Verr. lib. IV.

Hæc omnia, quæ dixi, signa, judices, ab Heio de sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum, reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum. Bonam fortunam, ut opinor. eam iste domi suæ habere noluit. lib. IV.

Ut sæpius ad M. Marcellum revertar, judices, sic habetote: plures esse a Syracusanis istius adventu Deos, quam victoria Marcelli homines desideratos. Lib. IV.

Itaque, judices, hi, qui hospites ad ea, quæ visenda sunt, ducere solent, & unumquidque ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam jam habent demonstrationem suam. nam ut ante demonstrabant quid ubique esset: ita nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt. Lib. IV.

Qui ita natus est, ita educatus, ita factus & animo & corpore, ut multo appositior ad deferenda, quam ad auferenda signa esse videatur. Lib. IV.

Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo stupris & flagitiis conterebatur. Cum autem ver esse cœperat, cujus initium iste non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat: sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: dabat se labori, atque itineribus. in quibus usque eo se præbebat patientem atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem videret. Nam, ut mos fuit, Bithyniæ regibus, lectica hexaphoro ferebatur Lib. V.

In Verrem filium. *Hic dies æstivos sexaginta, prætor populi Rom. custos defensorque provinciæ sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent, vir accumberet nemo præter ipsum & prætextatum filium. Tametsi recte sine exceptione dixeram, virum, cum isti essent, neminem fuisse.* Lib. V.

Homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula proferri non potest. Ibid.

Habebat Verres filium adultum, quem rumor erat parum caste tueri formam. Cicero igitur, cum ei a Verre objecta esset mollities, Liberis, inquit, est intra januam maledicendum. Plut in Cic.

In Hortensium. *Circumtulit Hortensius orator sphingem Verri reo ablatam. Propter quam Cicero, illo judicio in altercatione, neganti ei se ænigmata intelligere, respondit debere, quoniam sphingem domi haberet.* Plinius lib. XXXIV. cap. 8.

Cicero, cum ei testem in judicio Verris roganti dixisset Hortensius, Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cum sphingem domi habeas. Acceperat autem a Verre sphingem æneam magnæ pecuniæ. Quint. lib. VI. cap. 4.

Hortensius orator eburneam a Verre sphingem cum mercede accepisset, dixit in eum quiddam Cicero oblique. Scire neganti se solvere ænigmata, Atqui sphingem, inquit, domi habes Plut. in Cic.

Hortensius orator, accepta mercedis loco a Verre sphinge argentea, cum Ciceroni obscurius aliquid locuto dixisset ignarum se ænigmatum solvendorum: Atqui sphinx, inquit, apud se est. Plut. idem in apoph. Rom.

In Nævium. *C. Quinctius una in re paulo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Nævio fecerit, viro bono, verumtamen non ita instituto, ut jura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset: non quo ei deesset ingenium; nam neque parum facetus scurra Sex. Nævius, neque inhumanus præco est unquam existimatus. Quid ergo est? Cum ei natura nihil melius, quam vocem dedisset; pater nihil præter libertatem reliquisset: vocem in quæstum contulit: libertate usus est, quo impunius dicax esset.* Pro P. Quinctio.

In Erucium. *Quæso, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi causa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes.* Pro Sex. Roscio.

In Fannium. *Qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere videatur. cujus personam præclare Roscius in scena tractare consuevit: neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbissimum & perjurissimum lenonem cum agit, agit Chæream.* Pro Q. Roscio.

IN CESENNIUM ET SEX. CLODIUM. *P. Cesennius auctor fundi, non tam auctoritate gravi quam corpore: & argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio.* Pro Cæcina.

IN RULLUM. *Explicat orationem sane longam, & verbis valde bonis. Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret.* II. de leg. agr.

IN PLETORIUM. *Jocus est Ciceronis in Pletorium Fonteji accusatorem, cujus matrem dixit, dum vixisset, ludum: postquam mortua esset, magistros habuisse. Dicebantur autem, dum vixit, infames feminæ ad eam convenire solitæ: post mortem ejus bona venibant. Quanquam hic, ludus, per translationem dictus est: magistri, per ambiguitatem.* Quintil. lib. VI. cap. 3.

IN testes contra Flaccum. *Citat præco voce maxima legatos Æmonenses: Prodeant. Procedit unus Asclepiades. Etiamne præconem mentiri coegistis?* Pro Flacco.

Venio nunc ad Dorylensium testimonium, qui productis tabulas se publicas ad speluncas perdidisse dixerunt. O pastores nescio quos cupidos literarum: siquidem nihil istis præter literas abstulerunt. Ibid.

Atque Dorylensis nuper cum efferretur magna frequentia consessuque vestro, mortis illius invidiam in L. Flaccum Lælius conferebat. Facis injuste, Læli, si putas periculo nostro vivere tuos contubernales: præsertim quod tua negligentia factum arbitremur. homini enim Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset, fiscinam ficorum objecisti: cujus mors te ex aliqua parte relevavit. edacem enim hospitem amisisti. Ibid.

Princeps legationis Lysias adeptus est ordinem senatorium: sed cum remp. nimium amplecteretur, peculatus damnatus, & bona, & senatorium nomen amisit. Ibid.

Hi tres etiam ærarii nostri tabulas falsas esse voluerunt. Nam servos novem se professi sunt habere, cum omnino sine comite venissent. Ibid.

Cum iste sese pecuniam, quam hujus fide sumpserat, a discipulis suis diceret, Fufius persolusurum. habebat enim rhetor iste adolescentes quosdam locupletes, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat. Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. Ibid.

Ait Lucejus L. Flaccum sibi dare cupisse, ut a fide se abduceret, sestertium vicies. Et eum tu accusas avaritiæ, quem dicis sestertium vicies voluisse perdere? Nam quid emebat, cum te emebat? ut ad se transires? Quam partem tibi causæ daremus? Ibid.

Falcidius. At qui vir? quam non amicus suis civibus? qui patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere potuit, Græcorum conviviis maluit dissipare. Quid attinuit relinquere hanc urbem? libertate tam præclara carere? adire periculum navigandi? quasi bona comesse Romæ non liceret. Nunc denique materculæ suæ festivus filius, aniculæ minime suspiciosæ, purgat se per epistolam, ut eam pecuniam, quam confecerat, non consumpsisse, sed Flacco dedisse videatur. Ibid.

Sed hominem ab negotio abducere noluisti. magnum erat et certamen propositum, magna cum Græcis contentio: qui tamen, ut opinor, jacent victi. nam iste unus totam Asiam magnitudine poculorum, bibendoque superavit. Ibid.

Ut ecce pro L. Flacco, quem repetundarum reum, joci opportunitate de manifestissimis criminibus exemit. Is jocus in oratione non extat. mihi ex libro Fusii Vivaculi notus est, & inter alia ejus dicteria celebratur. Macrob. lib. II. Saturn. cap. 1.

IN CATILINARIOS. *Veruntamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? Nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod in conviviis nudi saltare didicerunt.* II. in Catil.

Tardissime autem Lentulus venit, credo quod literis dandis præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. III. in Catil.

Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipem, nec C. Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Eadem orat.

IN GABINIUM ET PISONEM. *Fuit pompa, fuit species, fuit incessus saltem Seplasia dignus & Capua. Gabinium denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illis compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua. Quo quidem in spectaculo mira reip. æquitas erat: uter eorum periisset, tanquam lanista, in ejusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem vero quæstum, si uterque cecidisset.* In Pisonem.

IN PISONEM. *Cum ego Cælimontana porta introisse dixissem, responsione me inimica, Esquilina introisse, homo promptissimus lacessivit. Quasi vero id aut ego scire debuerim, aut vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali, quæ porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit.* In Pis.

Cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur. Quintil. VIII. lib. 3. cap.

IN GELLIUM. *An sicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus, viro clarissimo atque optimo consule, & ordine equestri, cujus ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit, id erit populare? Est enim homo iste populo deditus. nihil vidi magis. qui, cum ejus adolescentia in amplissimis honoribus summi viri, L. Philippi vitrici florere potuisset, usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. qui quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam causam est mihi inimicus, quia nihil habet. Utrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? quid, tu meo periculo gurges ac vorago patrimonii helluabare, ut, si ego consul remp. contra te, & gregales tuos defendissem, in civitate esse me nolles?* Pro Sextio.

IN CLODIUM. *Unus & triginta judices fuerunt, quos fames magis, quam fama commoverit. quorum Catulus cum vidisset quendam, Quid vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?* Cic. lib. I. ep. ad Att. 16.

Hoc, quid sit, per seipsum non facile interpretor: sed ex eo, quod sequitur, suspicor de tuorum judi-

cum

cum manifesto perjurio dici: quibus olim erepti essent nummi, nisi a senatu præsidium postulassent. Cic. de harusp. resp.

Surgit pulchellus puer: objicit mihi, me ad Baias fuisse. Sed tamen quid hoc? simile est, inquam, quasi dicat in operto fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim Marinas. Quousque, inquit, hunc regem feremus? Regem appellas, inquam, cum Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem spe devorarat. Domum, inquit, emisti. Putes, inquam, dicere, judices emisti. Juranti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi vero, inquam, XXV. *judices crediderunt:* XXXI. *quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt.* Lib. I. epist. ad Att. 16.

Cum se ille septimo die venisse a Freto, neque sibi obviam quenquam prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eoque se in concione jactasset: nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam; tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse item ante: non esse itum obviam; ne tum quidem cum iri maxime debuit. Lib. II. ad Att. epist. 1.

C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnas, familiarissimus & idem comes P. Clodii: cujus jampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat, & Romæ. Pro Milone.

Cum candidatum deduceremus, quærit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare. negavi. At ego, inquit, novus patronus instituam. Sed soror, quæ tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat. Noli, inquam, de uno pede sororis queri: licet etiam alterum tollas. Lib. II. ad Att. 1. epist.

Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius: primum, qui cum in domo Cæsaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in Viginti quidem esse potuerit. Lib. II. epist. 7.

Hic tu me etiam gloriari vetas: negas esse ferenda, quæ soleam de me prædicare: & homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum, me dicere solere, esse me Jovem, eundemque dictitare, Minervam esse sororem meam. Non tam insolens sum, qui Jovem esse me dicam. non tam ineruditus, qui Minervam Jovis, meam esse sororem existimem. Sed tamen ego mihi sororem virginem ascisco: tu sororem tuam virginem esse non sivisti. Sed vide, ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eandem sororem & uxorem appellare possis. Cic. pro domo sua.

Cum uxorem sororemque non discernis: cum, quod ineas cubile, non sentis. Cic. de harusp. resp.

Aspicite, aspicite, pontifices, hominem religiosum, & si vobis videtur, quod est bonorum pontificum, monete eum, modum quendam esse religionis: nimium superstitiosum esse non oportere. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere? quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares Deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? quem unquam audisti majorum tuorum, qui & sacra privata coluerunt, & publicis sacerdotiis præfuerunt, cum sacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuisse? neminem, ne illum quidem, qui cæcus factus est. Pro domo sua.

At quæ Dea est? Bonam esse oportet, quandoquidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est. Eam tu igitur domi mea collocasti, quam ex urbe tota sustulisti. Pro domo sua.

Cum iste imparas, atque impius hostis omnium religionum, qui contra fas inter viros sæpe mulier, & inter mulieres vir fuisset, ageret illam rem ita raptim & turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. Ibidem.

De religionibus sacris & cerimoniis est concionatus, patres conscripti, Clodius: P. inquam, Clodius sacra & religiones negligi, violari, pollui questus est. Non mirum, si hoc vobis ridiculum videatur. etiam sua concio risit, hominem, quomodo ipse gloriari solet, ducentis confixum senatusconsultis, quæ sunt omnia contra illum pro religionibus facta; hominem, inquam, illum, qui pulvinaribus Bonæ Deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem aspici fas est, non solum aspectu virili, sed flagitio, stuproque violarit, in concione de religionibus neglectis conqueri. Itaque nunc proxima concio ejus expectatur de pudicitia. Quid enim interest, utrum ab altaribus religiosissimis fugatus, de sacris & religionibus conqueratur, an ex sororum cubiculo egressus, pudorem pudicitiamque defendat? De har. resp.

Atque hunc tamen Dejotarum ita etiam regem appellari cum Brogitaro jubet. Sed alter est rex judicio senatus per nos: pecunia Brogitarus per te appellatus. alterum putabo regem, si habuerit unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti. nam cum multà regia sunt in Dejotaro, tum illa maxime, quod tibi nummum nullum dedit, quod eam partem legis tuæ, quæ congruebat cum judicio senatus, ut ipse rex esset, non repudiavit. De har. resp.

Quod quidem sacrificium fit ei Deæ, cujus ne nomen quidem viros scire fas est. quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non. Ibidem.

Quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile ab se Deos placari posse arbitrabatur. Quint. lib. IX. cap. 3.

Ipse ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor & acroama, qui omnia sororis embolia novit, qui in cœtum mulierum pro psaltria adducitur, nec tuos ludos aspexit in illo ardenti tribunatu suo, nec ullos alios, nisi eos, a quibus vix vivus effugit. Pro Sextio.

Is cum quotidie gladiatores spectaret, nunquam est conspectus, cum veniret. emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat, ut, Mater te appello, dicturus videretur. Itaque illa via latebrosa, qua spectatum ille veniebat, Appias jam vocabatur. qui tamen quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. In eadem orat.

De servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime ad Deos accessit Clodius; propius, quam tum, cum ad ipsos penetrarat: cujus de morte, tanquam de cerimoniis violatis, quæritur. Pro Milone.

Cum objiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam devertisset, ut expectaret dum Clodius a villa sua exiret, & identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, respondit, Sero. Quintil. l. VI c. 4.

IN CLODIAM. *Facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro. fratrem volui dicere: semper hic erro.* Cic. pro Cælio.

Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum. removebo illum senem durum ac pæne agrestem,

on

ex hisque tuis sumam aliquem, ac potissimum minimum fratrem tuum, qui est in isto genere urbanissimus: qui te amat plurimum: qui propter nescio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quosdam inanes metus, tecum semper pusio cum majore sorore cubitavit. Eadem oratione.

Neque enim muliebres unquam inimicitias mihi gerendas putavi, præsertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam cujusquam inimicam putaverunt. Ibid.

In M. Crassum. *Cum pro rostris M. Crassum secunda concione ornasset laudibus, eundemque rursus, paucis interpositis diebus, contumeliose perstrinxisset; ubi ille dixit, Nonne me ex isto loco aliquanto ante laudasti: Etiam, inquit. exercendæ orationis causa commentans, vile argumentum tractavi.* Plutar. in Cic.

Cum aliquando Crassus dixisset, neminem gentis suæ Romæ ultra sexagesimum annum perduxisse vitam, negaretque rem postea, & miraretur quomodo dixisset: inquit, populum Romanum auditurum libenter, adeoque hanc ab illo gratiam inire voluisti. Idem ibidem.

Cum placere sibi Stoicos Crassus jactaret, quod censeant divitem esse virum bonum: Vide, inquit, ne magis placeant, quod omnia velint esse sapientis. quippe ob avaritiam Crassus male audiebat ab omnibus. Idem ibid.

Alter Crassi filius Actio cuidam videbatur specie persimilis: eoque nomine turpitudinis nota vulgo inusta maeri. Cum is orationem in senatu magna approbatione habuisset, interrogatus Cicero quid sibi videretur, Ἄξιος, *inquit,* Κράσσου. Ibidem.

In Vatinium. *Profecturus Crassus in Syriam, Ciceronem maluit amicum sibi, quam inimicum habere. Itaque blande insinuans, apud eum se velle cœnare dixit. quod ille annuit libenter. Paucis autem post diebus a Vatinio ad Ciceronem venerunt communes amici de reconciliatione gratiæ: erat enim simultas inter utrumque. Quibus Cicero, Numquid etiam vult, inquit, apud me cœnare Vatinius?* Idem in Cic.

Fuit Vatinius asperior naturæ, & magistratuum parum observans in judiciis, collo strumoso: Hic adstans ad tribunal poscebat aliquid a Cicerone, cum prætor jus diceret. quod cum non concederet statim, sed diu deliberaret: adjecit, se quidem, si prætor esset, de isto nihil dubitaturum. Tum conversus Cicero, Atque ego, inquit, tantum collum non habeo. Idem.

Vatinium, cujus essent in collo strumæ, & qui causas ageret in foro, tumidum oratorem appellavit. Ibidem.

Pedibus æger Vatinius cum vellet videri commodioris valetudinis factus, & diceret se jam bina millia passuum ambulare: Cicero, Dies enim, inquit, longiores sunt. Quintil. lib. VI. cap. 3.

In consulatu Vatinii, quem paucis diebus gessit, Magnum ostentum, inquit, anno Vatinii factum est, quod illo consule nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit. Macrob. lib. II. Saturn. cap. 3.

Querenti deinde Vatinio, quod gravatus esset domum ad se infirmatum venire, respondit: Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit. Idem eodem loco.

Vatinii morte nunciata, cujus parum certus dicebatur auctor, Interim, inquit, usura fruar. Quintil. lib. VI. cap. 3.

Cicero, audita falsa Vatinii morte, cum Ovinium libertum ejus interrogasset, Rectene omnia; dicenti, Recte: Mortuus est? inquit. Ibid.

Cum de Vatinii morte audisset, mox certior fieret eum vivere: Malus, inquit, male pereat, qui nos fefellit. Plut. in Cic. & in apoph. Rom.

In Caninium. *Consulem Cæsar hora septima renunciavit, qui usque ad Kalendas Jan. esset, quæ erant futuræ mane postridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse. nihil tamen eo consule mali factum est. fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Cicer. lib. VII. epist. ad famil. 30.

Maximo consule mortuo, creavit Cæsar in reliquam partem illius diei consulem Caninium Rebilum. quem cum plerique irent salutatum de more, & domum deducere cogitarent: Festinemus, inquit, priusquam abeat magistratu. Plut. in Cæsare.

Caninius Revilius, qui uno die consul fuit, rostra cum ascendisset, pariter honorem iniit consulatus, & ejeravit: quod Cicero gaudens, omni occasione urbanitatis increpuit. Λογοθεώρητος *est Caninius consul. Deinde, hoc consecutus est Revilius, ut quæreretur quibus coss. consul fuerit. Dicere præterea non destitit, Vigilantem habemus Cos. Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit.* Macrob. lib. II. Saturn. cap. 3.

In Cn. Pompeium. *Cum ad Pompeium venisset, ac deinde facti eum pœniteret, ab ipso interrogatus Pompeio, ubi Pisonem generum suum reliquisset, respondit, Apud socerum tuum.* Plutarc. in apoph. Rom. Macrob. lib. II. Satur. cap. 2.

Cum ad Pompeium venisset, dicentibus sero eum venisse, respondit: Minime sero veni. nam nihil hic paratum video. Macrob. ibidem.

Cum donasset Pompeius transfugam civitate Romana: O hominem bellum, inquit. Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Macrob. ibidem.

In Pompeianos. *Transfuga a Cæsare ad Pompeium quidam cum diceret, equum se ibi, præ studio & nimia festinatione, reliquisse: Melius, inquit, equo tuo, quam tibi consuluisti.* Plut. in apoph. Rom.

Cum Domitius præfecturam dedisset militarem imbelli homini, diceretque virum frugi & modestum esse: Quin tu igitur, inquit, hunc tutorem servas liberis tuis. Idem in Cic.

Collaudantibus quibusdam Theophanem Lesbium præfectum fabrum, quod optime Rhodios consolatus esset de amissa classe: Quanti est, inquit, Græcum habere præfectum? Ibid.

Cum Cæsar multis præliis uteretur secundis, ac pæne adversarios obsideret, Lentulo nunciari dicenti amicos Cæsaris esse vultu tetrico, Narras, inquit, Cæsari animo infenso esse. Ibid.

Martio cuidam ex Italia recenti, qui referret in urbe percrebuisse rumorem, Pompeium obsideri, Et tu, inquit, huc navigasti, quo aspectus ipse rumori fidem faceret? Ibid.

Victo Pompeio, cum Nonnius spe esse bona juberet tamen; aquilas enim in castris Pompeii septem superesse: Recte tu istuc quidem, inquit, si cum gracculis bellum gereremus. Ibid.

Cum ex certis quibusdam vaticinationibus affirmaret Labienus Pompeium victorem fore: Nempe, inquit, strategemate nunc isti castris amisimus. Ibid.

In C. Cæsarem. *Primum post victoriam Cæsaris interrogatus, cur in electione partis errasset, respondit:*

dit: Præcinctura me decepit: jocans in Cæsarem, qui ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, velut mollis incederet. Macrob lib. II. Saturn. cap. 2.

M. Bruti matri Serviliæ Cæsar bello civili, super alias donationes, amplissima prædia ex auctionibus hastæ minimo addixit. Cum quidem plerisque vilitatem mirantibus facetissime Cicero, Quo melius, inquit, emptum sciatis, Tertia deducta est. existimabatur enim Servilia etiam filiam suam Tertiam Cæsari conciliare. Suet. in Jul Cæsare; cap. 2.

Mater M. Bruti Servilia, cum pretiosum ære parvo fundum abstulisset a Cæsare, subjiciente hasta bona civium, non effugit tale dictum Ciceronis: Equidem quo melius emptum sciatis, comparavit Servilia hunc fundum tertia deducta. Filia autem Serviliæ erat Junia Tertia, eademque C. Cassii uxor, lasciviente dictatore tam in matrem, quam in puellam. Macrob. lib. II. Saturn. cap. 2.

Cum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus a Cæsare, e vestigio in quatuordecim gradus ad spectandum transisset, violato ordine: & cum detractus esset eques Romanus, & cum mimus remissus: ait Cicero prætereunti Laberio, & sedile quærenti: Recepissem te, nisi anguste sederem: simul & illum respuens, & in novum senatum jocatus, cujus numerum Cæsar supra fas auxerat. Ibid. cap. 3.

Idem Cicero alias facilitatem Cæsaris in eligendo senatum irrisit palam. Nam cum ab hospite suo P. Mallio rogaretur, ut decurionatum privigno ejus expediret, assistente frequentia dixit: Romæ, si vis, habebit. Pompejis difficile est. Eod. lib. cap. 3.

Ab Androne quodam Laodiceno salutatus, cum causam adventus requisivisset, comperissetque; nam ille se legatum de libertate patriæ ad Cæsarem venisse respondit: ita expressit publicam servitutem: ἐὰν ἐπιτύχῃς, καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον, *id est, si obtinueris, & pro nobis intercede.* Idem eodem loco.

Quod me hortaris ut absolvam, habeo absolutum suave, mihi quidem ut videtur, ἴκταρ *ad Cæsarem. Sed quæro locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonæ tuæ, cui soli, Cæsare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit.* Cicer. lib. III. ad Quint. fr. ep. 6.

In M. Antonium. *Quid habet, quod mihi opponat, homo diserte, ut Mustellæ Tamisio & Tironi Numisio videris? qui cum hoc ipso tempore steut cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus.* II Philipp.

Duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori assignasti, & quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. Ibid.

Ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, P. C. apparet esse commotum: sudat, pallet. quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in porticu Numicia fecit. Quæ potest esse turpitudinis tantæ defensio? cupio audire: ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Ibid.

Medico tria millia jugerum, quasi te sanum fecisset: rhetori duo, quasi disertum facere potuisset. Ibid.

Quid ad hæc tandem? expecto eloquentiam tuam. disertissimum cognovi avum tuum: at te etiam apertiorem in dicendo. Ille nunquam nudus est concionatus: tuum hominis simplicis pectus vidimus. Ibid.

En cur magister ejus ex oratore arator factus sit: possideat in agro publico populi Rom. campi Leontini duo millia jugerum immunia. ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica. III. Philipp.

In Fulviam. *Quis autem meum consulatum præter Clodium, qui vituperaret, inventus est? cujus quidem te fatum, sicut C. Curionem, manet: quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale.* Philipp. II.

Dum istis consilii iteris, non potest esse, mihi crede, diuturnus. Etenim ista tua minime avara conjux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo R. pensionem tertiam.

At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id, Dii boni, non decebat! In quo est tua culpa nonnulla. aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. Ead. orat.

Intimus erat in tribunatu Clodio: qui sua erga me beneficia commemorat. ejus omnium incendiorum fax. cujus etiam domi quidpiam jam tum molitus est. quid dicam, ipse optime intelligit. Ead. orat.

Productus in concionem a tribuno plebis, cum respondisses te rei tuæ causa venisse, populum in te dicacem etiam reddidisti. Ibid.

Accessit, ut Cæsare ignaro, cum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum magister equitum constitueretur. tum existimavit se suo jure cum Hippia vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere. Ibid.

Licinium Lenticulam de alea condemnatum, collusorem restituit. Quasi vera ludere cum condemnato non liceret: sed ut quod ille in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret. Philipp. eadem.

In Antonios & Antonianos. *Qui sunt igitur reliqui, quos sors divina delectet? L. Antonius & M. Antonius.* III. Phil. toto num. 26.

Is etiam legem judiciariam tulit, homo castus atque integer, judiciorum & juris auctor. in quo nos fefellit. Antesignanos, & manipulares, & Alaudas judices se constituisse dicebat. At ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos. Cydam Cretensem. Lysiadem Atheniensem. est Phædri, philosophi nobilis, filius. homo præterea festivus, ut ei cum M. Curio, consessore eodem & collusore, facillime possit convenire. Quemadmodum ad Cretensem judicem reus alleget? quomodo accedat? dura natio est. At Athenienses misericordes. puto ne Curium qui quotidie periculum fortunæ faciat. Phil. v. a num. 12. ad 16.

Quid? ipse si velit, num etiam L. fratrem passurum arbitramur? Phil. vi. a numero 10. ad 15.

Poteritis igitur exploratam habere pacem, cum in civitate Antonium videatis, vel potius Antonios? Nisi forte contemnitis Lucium. ego ne Caium quidem. Sed, ut video, dominabitur Lucius. est enim patronus XXXV. *tribuum.* VII. Philipp. a num. 16. ad 18.

Cur autem mandata legatis nostris dabat, cum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum. VIII. Philipp. a num. 24. ad 28.

Quid dicam de Apulo Domitio? cujus bona modo proscripta vidimus: tanta procuratorum est negligentia. Videte etiam P. Decii auctionem, clarissimi viri: qui majorum suorum exemplo persequens, pro alieno se ære devovit. Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. Hominem ridiculum, qui se eximere ære alieno putaret posse, cum venderet aliena. Philipp. XI.

Lumen & decus illius exercitus pæne præterii, Caninium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum

Græco verbo, qui omnia jura dissolvit. nisi forte jure Germanum Cimber occidit. Ead. orat.

Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est: Germanum Cimber occidit. Quintil. lib. VIII. cap. 3.

Atque idem hic mirmillo Asiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis & Nuculæ, cum aquilæ primipili nummos aureos daret, de bonis meis se dare dixit. Si enim de suis dixisset, ne aquilam quidem ipsam crediturum putavit. XII. Phil.

Alter est tribunus designatus, Visdius nescio quis, fortis, ut aiunt, latro, quem tamen temperantem fuisse ferunt Isauri balneatorem. Orat. eadem.

Illud verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet; perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. fracta sunt, & vivit. Ibidem.

Non novi Sex. Albedium: sed tamen neminem tam maledicum offendi, qui illum negaret dignum Antonii senatu. Phil. XIII. a numero 26. ad 29.

IN TIGELLIUM. *Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua. Ille autem, qui sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum unctorem, discessit a me, ut mihi videbatur, iratior. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Cic. lib. VII. ad fam. ep. 24.

IN GALLUM. *Tribunatum plebis dicis te mea causa petisse. Utinam semper esses tribunus: intercessorem non quæreres. Negas me audere, quod sentiam, dicere. Quasi tibi, cum parum pudenter me rogares, parum fortiter responderim.* Epist. 27.

IN DIONYSIUM libertum. *Sit igitur sane bonus vir. hoc enim ipsum bene fecit, quod mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit.* Ad Attic. lib. VII. epist. 7.

Sed est memoria bona. Me dicet esse meliore. lib. VIII. epist. 4. *Velim, ut tibi amicus sit. hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis. erit enim tam diu.* Lib. X. epist. 16.

IN SEGULIUM. *Segulium negligamus, qui res novas quærit: non quo veterem comederit; nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem novam devoravit.* Ad famil. lib. XI. epist. 21.

IN OCTAVIUM. *Erat Octavius quidam, qui ut oriundus ex Africa vulgo notabatur. huic certa in causa se non exaudire Ciceronem dicenti, Atqui aures, inquit, habes perforatas.* Plut. in Cic. & lib. II. Sympos.

Octavius, qui natu Libyus videbatur, Ciceroni recitanti ait: Non audio quæ dicis. Ille respondit, Certe solebas bene foratas habere aures. Hoc eo dictum est, quia Octavius Libys oriundus dicebatur, quibus mos est aurem forare. Macrob. lib. VII. cap. 3.

IN adolescentem feroculum. *Insimulatus adolescens quidam venenum patri dedisse in placenta, jactabat se ferocius, & Ciceroni contumelias ac maledicta minabatur. Cui Cicero, Hoc, inquit, malo a te, quam placentam.* Plut. in Cic.

IN FAUSTUM SYLLAM. *Cum Faustus Sylla, Syllæ dictatoris, qui multa capita civium Romanorum proscripserat, filius, oppressus ære alieno, bonisque maximam partem dissipatis, supellectilem proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem malo, quam paternam.* Plut. in Cic.

IN P. SYLLAM. *Te tamen hoc scire volo, vehementer populum solicitum fuisse de P. Syllæ morte, antequam certum scierit. nunc quærere desierunt, quomodo perierit. Satis putant se scire, quod sciunt. ego ceteroqui animo æquo fero. unum vereor, ne hasta refrixerit.* Cic. lib. IX. ep. 10.

Nos hic P. Syllam patrem mortuum habebamus. alii a latronibus, alii cruditate dicebant. populus non curabat. combustum eum esse constabat. Hoc tu pro sapientia tua feres æquo animo. Cæsarem putabant moleste laturum, verentem ne hasta refrixisset. Marcellus & Attius pigmentarius valde gaudebant se adversarium perdidisse. Lib. XV. ep. 17.

Est jocus Cassii ad Ciceronem eadem sententia. *Sylla, cujus judicium probare debemus, cum dissentire philosophos videret, non quæsivit, quid bonum esset, & omnia bona coemit. cujus ego mortem forti mehercule animo tuli. nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur. nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium viderit.* Cic. lib. XV. ep. 19.

IN METELLUM NEPOTEM. *Cum Metellus Nepos objiceret Ciceroni plures ab eo fuisse oppressos testimonio, quam patrocinio servatos: Fateor, inquit, plus mihi fidei, quam eloquentiæ esse.* Plut in Cic. & in apoph. Rom.

Erat Metellus Nepos levior natura. relicto tribunatu plebis confestim ad Pompeium navigavit in Syriam: mox inde majore est inconstantia & temeritate reversus. Is cum Philagrum præceptorem suum sepeliendum curasset diligentius, corvum marmoreum ejus imponi sepulcro jussit. Ad quem Cicero, Hoc tu quidem, inquit, fecisti solertissime. volare enim te potius docuit, quam dicere. Plut. Ibid.

Cum Metellus nepos in contentione quadam forensi identidem diceret, Quis est pater tuus, O Cicero. Tibi, inquit, hanc responsionem mater effecit difficiliorem. Habebatur autem mater ejus parum pudica. Plut. ibid.

IN M. APPIUM. *M. Appius in exordio orationis cum dixisset ab amico se rogatum, ut et curam, eloquentiam, fidem præstaret: Adeone, inquit, ferreus es, nihil ut eorum, quæ te amicus rogarit, præstiteris?* Plut. in Cic.

IN P. COTTAM. *Publium Cottam, qui haberi jurisperitus vellet, cum indoctus esset, ingenioque tardus, ad testimonium dicendum in quadam causa citavit. Cum autem nihil se scire illico diceret: Putas fortasse, inquit, te de jure interrogari.* Plutar. in Cic. & in apoph. Rom.

IN L. COTTAM. *L. Cotta Censore, qui vino deditus esset, candidatus consularis Cicero in prensando cum sitisset, & sui eum amici circumstarent bibentem, ac velut occultarent: Recte, inquit, veremini, ne, quod aquam bibam, mihi censor succenseat.* Plut. in Cic.

IN VOCONIUM. *Occurrens Voconio, secum tres filias ducenti maxime deformes, leniter & summisse amicis dixit: Φοίβου ποτ' οὐκ ἰόντος ἔσπειρεν τέκνα. Invito sole procreavit liberos.* Plut. in Cic. & in apoph. Rom.

IN M. GELLIUM. *M. Gellius, quem ferebant ortum ex stirpe non ingenua, cum clara voce magnaque literas recitasset in senatu: Nolite, inquit, mirari. Et is ex genere est hominum vocalium, qui præconium fecerunt.* In Cic.

IN L. GELLIUM. *Cum Cæsar legem tulisset de agro Campano dividendo militibus, & multis, ea res displiceret in senatu, & L. Gellius, admodum senex, negavit hoc futurum, se quidem vivo. Hic Cicero,*

Ex-

Expectemus, inquit: non longam diem postulat Gellius. Plut. in Cic.

In P. Sestium. *Sestius adhibuerat eum cum nonnullis aliis in judicio patronum. qui cum dicere ipse omnia vellet, neque cuiquam permitteret verbum facere; ubi intellectum est absolutum iri, judicibus jam ferentibus sententiam, Utere hodie, inquit, Sesti, tempore: cras enim privatus eris.* Plut. in Cic.

In candidatum quendam. *Cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram Cicerone suffragium ab alio peteret: Ego quoque jure tibi favebo.* Quint. lib. VI. cap. 3. & 4.

In Isauricum. *Miror quid sis, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit.* Idem ibidem.

In Vibium Curium. *Vibium Curium, multum de annis ætatis suæ mentientem, ita redarguit: Tum ergo, cum una declamabamus, non eras natus.* Ibid.

In Fabiam Dolabellam. *Fabiæ Dolabellæ dicenti triginta se annos habere, Verum est, inquit: nam hoc jam viginti annis audio.* Ibid.

In reprehensores novi conjugii sui. *Objurgantibus, quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit.* Ibid.

In Curionem: Cælium: rabulas. *Curionem semper ab excusatione ætatis incipientem, facilius quotidie proœmium habere dixit.* Ibid.

M. Calium melius objicientem crimina, quam defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere. Ibid.

Clamosos oratores ex impotentia in clamorem, veluti claudos in equum, insilire. Plut. in apoph. Rom.

In Sex. Annalem: *Cum Sex. Annalis testis reum læsisset, & instaret identidem accusator ei, Dic, M. Tulli, numquid potes de Sexto Annali? versus tunc dicere cœpit de libro Ennii, annali sexto,*

Quis potis ingentes causas evolvere belli.

Quint. lib. VI. cap. 3.

Vitium orationis πλεονασμὸν emendavit non inurbane in Hirtio Cicero, qui cum in Pansam declamans, filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, Quid? aliæ, inquit, in penula solent ferre? Quintil. lib. VIII. cap. 3.

In Chios. *Primum, ut arbitror, versicolores istas maculas Chiorum lapidicinæ ostenderunt, cum exstruerent muros, faceto in id M. Ciceronis sale. omnibus enim ostentabant, ut magnificum. Multo, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis.* Plinius libro XXXVI. cap. 6.

In M. Lepidum. *Cum M. Lepidus in senatu dixisset patribus conscriptis: Ego non tanti fecissem simile factum: Tullius ait, Ego non tanti fecissem ὁμοιόπλωτον.* Macrob. libro II. Saturn. cap. 3.

In Pisonem. *Cum Piso, gener ejus, mollius incederet, filia autem concitatius; ait genero: Ambula tanquam femina. ait filiæ: Ambula tanquam vir.* Idem ibidem.

In Lentulum. *Idem cum Lentulum generum suum, exiguæ staturæ hominem, longo gladio accinctum vidisset, Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit?* Ibid.

In Quintum fratrem. *Cum in ea provincia, quam Q. frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam; erat autem Quintus ipse staturæ parvæ; ait: Frater meus dimidiatus major est, quam totus.* Eodem cap.

In Damasippum. *M. Cicero cum apud Damasippum cœnaret: & ille mediocri vino posito, diceret, Bibite Falernum hoc, annorum quadraginta est: Bene, inquit, ætatem fert.* Macrob. libro II. Saturn. cap. 3.

In Valerium. *Tu velim tibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. Quanquam qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas.* Cic. lib. I. ad fam. ep. 10.

L. Valerium jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est jurisconsultus. melius enim ei cavere volo, quam ipse aliis solet. Lib. III. ad fam. ep. 1.

In Lateranensem. *Quæris, num disertus. Immo, id quod secundum est, ne sibi quidem videtur. Num jurisconsultus. Quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de jure respondisse dicat.* Pro Cn. Plancio.

In Trebatium. *Legi tuas literas, ex quibus intellexi, te Cæsari nostro valde jureconsultum videri. Est, quod gaudeas, te in ista loca venisse, ubi aliquid sapere viderere. Quod si in Britanniam quoque profectus esses: profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisset.* Lib. VII. ad fam. ep. 10.

Trebatium quod ad se miserim, persalse & humaniter etiam gratias mihi agit. negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. Lib. II. ad Q. fr. ep. 14.

Valde metuo, ne frigeas in hibernis. Quamobrem camino luculento utendum censeo. Idem & Mucio, & Manilio placebat, præsertim qui sagis non abundares. Quanquam vos nunc istic satis calere audio. quo quidem nuncio valde mehercule de te timueram. Sed tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus: qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi: neque spectare essedarios, quem antea ne andabatam quidem defraudare poteramus. Lib. VII. ad fam epist. 10.

Nisi ante Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres. quis enim tot interregnis jureconsultum desiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent. Satisne tibi videor abs te jus civile didicisse? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? video enim te jam jocari per litteras. hæc signa meliora sunt, quam in meo Tusculano. Sed quid sit, scire cupio. Consuli quidem te a Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem. Ep. 11.

Utrum superbiorem te pecunia facit, an quod te imperator consulit? moriar, ni, quæ tua gloria est, puto te malle a Cæsare consuli, quam inaurari. Si vero utrumque est, quis te feret præter me, qui omnia ferre possum? Neque est, quod illam exceptionem in interdicto pertimescas, quod tu prior vi hominibus armatis non veneris. scio enim te non esse procacem in lacessendo. Sed, ut ego quoque aliquid de nostris cautionibus admoneam, Treviros vites censeo. audio capitales esse. mallem, auro, argento, ære essent. Ep. 13.

Si scribere oblitus es, minus multi jam te advocato causa cadent. Sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc veniam ante, quam plane ex animo tuo effluam.

suam. Sin æstivorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. Ep. 14.

Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negem te percunctantibus respondere. Sed tamen est quod gaudeas. Constat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrinæ juris peritiorem esse. Ep. 16.

Tu me velim de ratione Gallici belli certiorem facias: ego enim ignavissimo cuique maximam fidem habeo. Ep. 18.

IN FABIUM GALLUM. *Martis vero signum quo mihi pacis auctori? Gaudeo nullum Saturni signum fuisse hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse.* Ep. 23.

IN VOLUMNIUM. *Sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberum: non laboro. urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros. Derideri te putas? Nunc demum intelligo te sapere.* Ep. 32.

DE SE. *De pantheris per eos, qui venari solent, agitur meo mandato diligenter. Sed mira paucitas est: & eas, quæ sunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere.* Lib. II. ad fam. ep. 11.

Si, ut scribis, eæ literæ non fuerunt disertæ, scito meas non fuisse. Ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat: sic tu; libet enim mihi jocari; quod disertum non erit, ne putaris meum. Lib. III. ep. 11.

Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, velle te bene evenire, quod de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum XXXV. *aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, si quis me recipiat. Sed partim odio inducti me excludunt, & aperte vindicem conjurationis oderunt: partim non credunt, & a me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione feneratores exemerit.* Lib. V. ep. 6.

Objectum ei est, quod pecuniam, domus emendæ causa, a reo accepisset. Tum Cicero inopinata opprobratione permotus, accepisse se negavit: ac domum quoque se empturum negavit. Atque adeo, inquit, verum sit accepisse me pecuniam, si domum emero. Sed cum postea emisset, & hoc mendacium ei in senatu ab inimicis objiceretur, risit satis: atque inter ridendum, ἀκοινόνοητοι, inquit, homines estis, cum ignoratis prudentis & cauti patrisfamiliat esse, quod emere velit, empturum se negare, propter competitores emptionis. Gellius lib. XII. cap. 12. noct. Att.

Tusculanum & Pompeianum valde me delectant, nisi quod me, illum ipsum vindicem æris alieni, ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. Lib. II. ad Att. ep. 5.

AD DOLABELLAM. *Gratulor Bajis nostris, siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt. nisi forte te amant & tibi assentantur, & tam diu, dum tu ades, sunt oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minime miror cælum etiam & terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere.* Lib. IX. ad fam. ep. 12.

AD CORNIFICIUM. *Gratæ mihi tuæ literæ, nisi quod Sinuessanum diversoriolum contempsisti. quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo ferret, nisi in Cumano & Pompeiano reddideris πάντα περὶ πάντων.* Libro XII. 4.

IN PAPIRIUM PÆTUM. *Ego autem tribus primis verbis, Quid noster Pætus? At ille adjurans, nusquam se unquam libentius. Hoc si verbis assecutus es, aures ad te afferam non minus elegantes. sin autem obsonio, peto a te, ne pluris esse Balbos, quam disertos putes.* Lib. IX. ep. 19.

Nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te libros & Cyneæ video lectitasse. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis: hoc amplius, navicularum habere aliquid in ora maritima, contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Ep. 25.

An tu id melius, qui etiam philosophum irriseris? cum ille, si quis quid quæreret, dixisset, cœnam te quærere a mane dixeris. ille baro te putabat quæsiturum, unum cælum esset, an innumerabilia. At Hercule cœna numquid ad te, ibi præsertim? Ep. 26.

Sed jam satis, BALZACI, urbanitatis Tullianæ ac leporum. Præcidi autem, ut vides, omnia, quæ fusis narrationibus & quadam perpetuitate sermonis continentur: non minus jocosa illa quidem, sed longiora, & sic in suis quæque locis melius sita. Ex eo genere sunt literæ ad Trebatium libro VII. & ad Papirium Pætum libro IX. & nonnullæ ad Cassium libro XV. & aliquot alibi. Deinde in orationibus, contentio sui & Cæcilii, divin. in Ver. Ficta narratio in Cepasios fratres, pro Cluentio. Reprehensiones Sulpicii & Catonis, pro Muræna. Irrisio erroris sui & stultæ de se credulitatis, pro Plancio. Invectivæ in Clodiam, pro Cælio: in Antonianos, sex Philippicis. Tum ad philosophica & rhetorica narrationes annexæ quamplurimæ rerum lepidarum & jocularium. velut illud L. Gellii, qui, ex prætura cum proconsul Græciæ præesset, controversias & lites philosophorum posse finiri putarit se arbitro, atque ad hoc eis operam suam detulerit. aut istud cujusdam Pythii, fraudulenti venditoris, qui mare ad villam suam esse finxerit piscosum, cum nihil minus ibi, quam pisces caperentur. Rursum pluscula quædam brevissima, quæ in una aut altera voce luderent, transeunda silentio duxi. Ut enim illa superiora longitudine sua terruerunt me: ita, hæc altera ne obruerent numero & multitudine, providendum fuit. Nec iis, credo, locum oportuit dari, quæ acutius & concinnius dicerentur, quam jocosius, adeoque laudari magis ut bella & literata, quam ut salsa & faceta rideri solerent. Denique visum est & alienum, & infinitum, huc adducere, quæ acerba tantum & mordacia essent, aut quæ plus haberent aceti, quam salis. cujusmodi sunt gravissimæ contumeliæ verborum, emissæ tota vi contra adversarios, & in orationibus Ciceronis sane frequentes. Quanquam ego, qui tot ac talia, in delectu habendo jocorum, rejeci prudens, adhuc vereor ne nimis multa collegisse videar plerisque, non severis modo & fastidiosis, sed hilaris etiam promptisque ad jocandum. Cum enim diversi sint hominum sensus inter se, & unius etiam animus secum nonnunquam discordans, ut aliud alio tempore approbet: tum nulla fortasse major usquam varietas & discrepantia judiciorum, quam in gustandis probandisque jocis. Ex quo plerumque contingit, ut quæ quis pro urbanis & venustis potissimum attulerit, in iis alius quærat facetias; etiam aspernetur atque abhorreat alius, ac rem totam illepidam absurdamque arbitretur. Verum-

tamen

tamen quid hæc ad nos, qui, exemplis ad variam & quasi multiformem urbanitatem propositis, nihil aliud spectemus, nihil velimus, nisi ut joca M. Tullii, quæcunque sint, tam careant omni labe & vitio orationis, quam seria? Nec vero hunc eundem Ciceronem quidquam supra, tot paginis, locutum videmus in jocando, vel nimis prisce, quasi cum matre Evandri fabularetur; vel nimis populariter rusticeque, perinde ac si cum Arpinate aliquo municipe suo, aut cum Tusculano villico Formianove, ludorum otiosis diebus, garriret.

SECTIO QUARTA.

LUDICRA DICTIONE UTENDI NULLA CAUSA EST.

QUEMADMODUM quod exemplo fit, jure fieri vulgo putatur: ita quod nullo fit exemplo, injuria fieri, merito existimari potuit. Quæ sententia etsi non habeat ubique locum; propterea quod & multa quæ sunt in manibus, quibus quotidie utimur, olim primum inventa recte & laudabiliter fuerint, & nunc etiam inveniri possint ea, quorum exemplum nullum præcesserit: hic tamen contendere posse videor, quia nemo veterum adhibuit ridiculam & jocularem orationem, nemo de ea memoravit, eandem ipsam, sine ratione ulla, tempore hoc nostro, usurpari. Quid enim? Parum ingeniosos & solertes antiquos omnes & Græcos, & Latinos scriptores dicemus fuisse, qui præclaram illam jocandi artem ac disciplinam non perspexerint? fuisse negligentes & incuriosos existimabimus, qui augere his opibus atque ornamentis linguam quisque suam neglexerint? occupatos aliis literis ac negotiis, qui per angustias temporis non potuerint? Quod si & abundarunt otio, nec industria, nec curiositas defuit, atque etiam superfuit ingenium; neque tamen quisquam inter eos tanti duxit, ut aliquid, ex illo genere scribendi ad suum, præsidii & splendoris accerseret: quæ demum illa ratio est, cupide sermonem amplecti, quem certo omnes literati judicio repudiarunt, atque omnis superior ætas, unis nec variatis sententiis, damnavit? Cum igitur ostenderem, id quod mihi ego primum proposueram, neminem ex omni Græcia, eque omni Latio scriptorem eam formam attigisse loquendi: una & conjuncte ostensum est alterum, quod eram pollicitus, non fuisse causam, quamobrem nostri rem tentarent atque aggrederentur tam insolitatam; rem neglectam a melioribus, ac jacentem tandiu, tollerent, sibique assumerent: eosque ideo fecisse inconsiderate ac nulla ratione, qui se principes & inventores ejus generis ridiculorum esse voluissent.

Verum placet hoc ipsum agere separatim, & per se considerare quale sit, quidve auctores primos ac parentes ex natura rei spectare oportuit. Agedum, Gelasime, quisquis es, cui sic visum garrire & fabulari sive Latine, seu qua alia lingua, doce nos tui facti causam: tu siquidem tua, omnium optime, nosti. quid animi tibi est? quid consilii? quid, cur loquare, aut scribas ridicule? Hoc primum spectas, opinor, ut moveas risum? Et hoc enim vox ipsa sonat: nec ulla causa propior rei est, aut cum ea junctior. Illud deinde sequeris profecto, ut ingenii tui aliquod lumen ostendas? Atque hæ duæ sunt veræ & germanæ causæ, sive finis duplex: alter vicinior, alter remotior: alter scripturæ, alter scribentis. ex quo is utroque approbationem, laudem, admirationem speret ab æquis lectoribus, & consequatur. Quid, si autem has tibi causas ridicule scribendi excutio? quid, si finem & illum priorem, & hunc posteriorem frustra tibi propositum esse, teque neutrum magno conatu studioque tuo assequi posse demonstro?

Ac mihi quidem sic persuasi, a te non captari leves quosdam, aut mediocres risus, qui perpetua oratione nihil aliud agis, nisi ut ad ridendum, mœstissimum quemque excites; sed ingentes, & profusos, & ἀσβέστους, quales, quantosque risus edere Dii solent Homerici: ut qui legit, aut audit mortalis, moriatur propemodum risu. At, mihi crede, funditus ignoras cum naturam rerum tristium pariter & jucundarum, tum motuum ex iis concitandorum rationem modumque. Multo etiam minus, si fieri potest, vim & proprietates risus, qui maximus lætitiæ partus est, calles: nec ejus celeritatem in nascendo, in durando brevitatem satis advertis. Etenim si in cunctis affectionibus animi videndum est, quatenus unamquamque commoveas dicendo: hic perquam diligenter est videndum, ubi maxime valet, quod vulgo fertur, nimium magis offendere, quam parum. Præcipiunt doctores ac magistri artis, ut, si quis velit orator, commemorandis rebus adversis, & calamitoso statu reorum, commiserationem excitare judicibus, atque etiam fletum, orationem ne habeat, commotis jam animis, longiorem, neve in eodem moretur, aut habitet, hæreatque diutius. Quorsum hæc? Quia, ut dixit rhetor Apollonius, lacryma nihil citius arescit. Cujus dicti ea vis est, & potestas, ut, quoniam fletus minime potest esse diuturnus, præsertim in alienis malis, eum ne multum diuque pergamus elicere, non modo nequicquam ac sine causa, sed etiam cum audientium molestia & odio. Ac minime quidem mirum, si ingemiscere, & lacrymari, & mœrere desistimus facile, & cito. est enim id totum per se injucundum: &, si quid suavitatis habet, id ex eo est, quod minui levarique dolor istis quasi medicamentis existimetur, aut ejici malum atque egeri vi lacrymarum, oculis, sic tanquam foribus, apertis. Est vero mirum, id quod libenter facimus, ut lætemur, & gestiamus, & efferamur, exiliamusque gaudio, vel non posse nos, vel non solere, vel nolle denique facere diu. Sic tamen, BALZACI, res se habet. Suus lætitiæ debetur modus, sua intermissio, sua pausa: nec fere reperietur quisquam, qui in motu isto perpetuo esse velit: eoque celerius contingit, ut desinamus, & defatigemur lætando, quo res sunt lætiores, ex quibus lætitia afficimur. Quamobrem in eo quoque rhetores plurimum viderunt, quod, cum ipsa ad ornandum & ad delectandum

præcepta darent, monuerint id, quod est in vita cumprimis utile, esse in oratione polita & suavi necessarium prorsus, ut caveatur, ne quid nimis. Qui locus quoniam inductus est a Crasso Ciceroniano, tractatusque divinitus; & maxime quæstionem, quam agitamus, continet: expedit huc ejus transferre sententias omnes, atque ob oculos ponere.

Primum igitur Crassus illud, tanquam sedem & fundamentum constituendo operi, jacit, genus dicendi ut eligatur, quod maxime teneat eos, qui audiant: & quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. Ad eam rem conspergi quidem orationem oportere quasi verborum sententiarumque floribus: verum id per eam non debere fundi totam æquabiliter, sed ita distingui, ut sint quasi in ornatu disposita quædam insignia & lumina. Difficile enim dictu esse, quænam causa sit, cur, quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, & specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam & satietate abalienemur. Etsi autem ratio ignoretur, rem constare tamen ipso usu, ac per singulos sensus, perque ea, quæ subjiciuntur sensibus, manifesto ostendi. Non est dubium in picturis, quin suavitate, & claritate, & multitudine colorum, nova pleraque antiquis præstent, quæ idcirco nos rapiant statim ad se, primoque aspectu deliniant. At iidem nos experimur, illud ipsum veterum tabularum, quod est horridum, & obsoletum, ac pæne evanescens vetustate, ac paucorum colorum, quam multo oculos intuentium faciat attentiores, & moretur diutius. In musicis tametsi jucundiores sint auribus falsæ voces, & delicate ac molliter inflexæ, quam naturales & severæ: tamen iis non graves tantum & austeri offenduntur, sed multitudo ipsa, ut primum advertit sæpius fieri, reclamat, & de sua eas crebritate & frequentia aspernatur ac respuit. Idem in reliquis sensibus nonne licet animadvertere? suavitates odorum, quæ afflantur ex unguentis, majores interdum & acriores esse, quam ut ferre naribus aliquandiu possimus: quæ si unguenta temperata sint & condita simplicius, recreetur odoratus & acquiescat. mollia vero & lævia nimium habere quiddam, si bene attendimus, a quo ipse tactus tandem aliquando refugiat. Gustatum denique, unum ex sensibus voluptatis avidissimum, & maxime appetentem res sibi jucundas, quid celerius, quam mel, placentæ, crustula, similes cupediæ, satiat? quis ad cibum adhibeat, aut ad potionem, dulcia, suavia, pinguia, & si qui sunt alii ejusdem generis sapores, quotidie sine nausea? cum in esculentis & poculentis ea, quæ nos mediocriter afficiunt, famem ac sitim expleant in præsenti, minime creent fastidium in futurum. Ex quibus ita disputatis demum concludit, quod initio in medium adduxerat, esse velut in confinio jucundi tædium positum, maximasque voluptates habere celerem satietatem, quas, ut bonus deinde poeta dixit, commendet rarior usus. Quo minus mirum videri debere contendit, si vel poetæ, vel oratores parum ii diu delectent, quorum sit mitis illa quidem, & festiva, atque compta vel poesis, vel oratio, sed sine intervallis, sine remissione, sine varietate inæquabili procedat. Quinetiam in iis, quæ sunt oratoris aut poetæ, citius offendi, quam in iis, quæ sub sensus cadunt: propterea quod hæc nimia sensuum voluptas natura, non mente proprie sentiatur; in scriptis, & in dictis non aures solum, sed animus, multo acrior judex ac morosior, deprehendat copiam istam vitiosam, & repudiet. Itaque se facile pati, sibi ut dicenti acclametur, bene & præclare. si nimium sæpe obtrudatur, belle & festive: grave & molestum videri. Ac licet optandum sit oratori, ut crebro exclamantem coronam audiat, Non potest melius: tamen hac lege optandum esse, ut aliquid interveniat; & admisceatur identidem, non malum quidem, sed bonum minus; quo id, quod ita bonum esse dicitur, ut nihil supra, tale manifesto appareat. quemadmodum in tabulis abdita & opaca quænam videmus, tanquam umbras & recessus, quo magis id, quod fuerit claris pictum coloribus, nitidum, lætum, collustratum, prodatur atque emineat.

Cujus ergo artificii & prudentiæ est, jucundos & suaves animorum motus, esse velle perpetuos, & totos in hilaritate, qui ne diuturni quidem per naturam esse possint: præsertim cum risus, quem isti maxime, tanquam ultimum finem ludicrorum spectant, minus etiam permaneat diu? Et sane quomodo existat risus, qualem progressum, quem exitum & finem habeat, ut ei sit incipiendi extemporalis quædam ratio, desinendi subitus & præceps modus, nec longa in medio mora, vix videmur cogitasse. Quænam tandem in loquendo, aut in scribendo, quasi titillatione risum lacessunt? Dictum unum, aut alterum: brevicula narratio: nonnihil repentinum, & fortuitum, & recens ac novitate sua primum. Quod si pergas, si rem ante provisam, si semel jam expositam, iterum oculis atque auribus offeras: nihil effeceris. occasione data ridendi aut statim, aut nunquam risus consequetur. Hæc fere occurrunt, unde, ut dixi, risus oriatur. In risu vero quænam sunt? Rictus oris aliquis: parvæ genarum lacunæ utrinque: modici tumores: exporrecta frons: vox elatior: venarum inflatio: concussio laterum. quod ventri doleat nonnunquam, quod ilia vix ferant, quod exprimat lacrymas ex oculis. Quæ omnia quamvis sponte & natura fiant in principio, violenta sunt quodammodo, si mora accesserit, adeoque ad breve exiguumque tempus duratura: neque reperietur, qui, ut velit, hoc uno eodemque manere statu queat paulo diutius. Quare quemadmodum cupientes tenere plerumque risum nequimus, quin subito erumpat: ita facere non possumus, quin deficiat quamprimum, aut, ut levissima flamma, & ignis sine viribus, occidat derepente & extinguatur. Clausula hujus argumentationis & summa effici subductis omnibus potest, ut, si affectus quosvis animorum motos utiliter velis oratione, sat brevis sis: si jucundos & hilares, tanto brevior: si ita, ut risus sequatur, brevissimus. Quid igitur sibi Gelasimi volunt multis versibus, longis epistolis, totis voluminibus ac libris, nisi ut rem fluxam & fugacem retinere vi, & continuam & perennem reddere nequicquam conentur?

Sed cur hæc argumentamur, curve congerendis rationibus docemus, ridiculos scriptores istos mi-

nime,

nime, quo intendunt, pervenire nitendo, nec satis, ut sperant & confidunt, excitare risum? cum perspicuum sit quotidiana experientia hasce nugas, quæ non bonitate primo, sed novitate placuerant, & paulatim nunc obsolescere, & ab initio risus non fecisse tantos, quantos aut res ipsa ferre, aut auctores polliceri de se suisque scriptis viderentur. Equidem memini ante aliquot annos, cum in maximo cœtu versarer hominum literatorum nec inelegantium, allatum ad nos volumen fuisse ejusmodi, multis versuum millibus refertum, cujus cum pagina legeretur, statim arrisum esse ab omnibus, quod fatuitas operis, multo major, quam quisquam existimasset, ex improviso percussisset animos. Cum autem ad alteram paginam procederetur: risum singulos defecisse tanquam ventum, qui celeri & magno impetu exortus, continuo evanescit. Unum ex omni numero repertum, cui magis cordi ea res foret, quique, ceteris fastidientibus, rictu nudare pergeret dentes ad ridendum: nec mirum tamen visum cuiquam, quod is de nihilo soleret ridere. Ex illo neminem vidi inter literatos, quamvis urbanum & comem, qui ista ridicule scripta domi attentius volutasset per otium, quin a tota lectione aversus, ac velut frigida perfusus, discessisset. Quamobrem tantum abest, hæc ut scriptio longiore nec interrupta ratione sua jocandi, ad hilaritatem nos & risum vocet diuturnum & constantem: ut eventus habeat pene contrarios, & incredibile quoddam atque immensum frigus relinquat in animis legentium. Quemadmodum enim atroces & horrendi casus clarorum virorum, summæque calamitates, ut mutilatio membrorum; ut cruor, ut inusitatæ cædes, ut insanabiles ignominiæ, si ponantur ob oculos, non jam miserationem movent, sed immanem & durum stuporem, quo nihil magis est miserationi tenerrimæ contrarium: ita minime dubitandum, quin absurda quædam, & insulsa, & stolida nimis, quæ temperata risum facerent, immoderata frigus afferant. Et vero suum est aliquando, ut probe, Balzaci, intelligis, orationi frigus: quod quale sit, ex Theophrasto definit Demetrius: quam in locutione sit multiplex, opinor, ex Aristotele ostendit. Hoc porro frigus tametsi idem Demetrius velit esse finitimum vitium generi magnifico dicendi, quod genus quis affectet & consectetur præter ordinem, præterque modum: tamen haud scio, an propius junctiusque sit vitium ridiculo insolenti & nimio. Allati domo joci nonne plerumque frigidi? Dicta nonne frigidiora, quibus priores lacessimus, quam quibus respondemus provocati; aut quibus serius ac spatio sumpto, quam quibus ex tempore respondemus? Qui facetias procul arcessunt, sive repetunt altius: nonne periculum est, si dicendi artifices & doctores audimus, ne in frigus delabantur? Facile ut appareat illud jocositati vitium esse affine in primis, nec proprium solummodo, sed magis, quam quodvis aliud vitium, proprium. Quod si ita est, de continuatis istis & productis in longum, sine re seria ulla, ridiculis quid putamus? nonne fore, ut lectores suos, quanquam ardentes studio cognoscendi rerum novarum, refrigerent & glacient quodammodo, & malam eis tussim, & nauseam, longaque fastidia invehant? Ac faciunt quidem, ut ante dixi. nec jam tædet nos duntaxat tot nugarum, sed nugatorum miseret, qui aliud omnino, ac sperant, assequuntur. quos sublevamus interdum verbis, & tenui risu prosequimur, ne nimium displiceant sibi, dum nobis non placent; neve mœsti & magno cum malo suo discedant, qui lætitiam dare voluerint. idemque facimus, quod diserti & prudentes in symposio Xenophontis convivæ. Accubuerant jam isti, & sermones variis de rebus, jucundis ac minime negotiosis, ut conviviorum mos est, habebant. Ecce tibi in foribus Philippus ὁ γελωτοποιός. introducitur. locus datus. epulatur. qui, arrepta in sermone ceterorum occasione, dictum dicit unum & alterum, ut Terentianus gnato nescio quis, de dictis melioribus: advertit nemo. Pergit ille, & festiviora etiam promere conatur: tacent omnes ad hæc. Non desistit nihilominus, seque identidem & ridicularia sua inculcat auribus: convivæ vel comesse, vel agere res alias, & male dissimulare: idem omnium vultus, eadem gravitas, os tam serium. Quid multa? Cum is ridendo nihil se proficere intelligeret, lamentari cœpit sortem suam, qua actum de arte parasitica esset, quam nosset solam, & qua potissimum confideret: siquidem eo loco, eo tempore, tam belli homines ne subriderent quidem, aut arriderent leniter, ut solebant, salsa dicenti. Tum vero profecit aliquid. Miserati enim sunt hominem, jusseruntque bono esse animo posthac. se risuros alias, si quando dicta diceret. Tantum, quid fieri vellet, oblitos neque cogitantes admoneret prius. Eodem animo simus licet erga Gelasimos omnes. promittamus hominibus minime malis nos risuros: non facturi nisi promiserimus.

Jamvero quodnam istud specimen industriæ, quænam ostentatio ingenii esse potest in re tam facili, & expedita cuivis id agenti, aut etiam alia omnia agenti? Quid negotii est superstitiosa, morosa, avara, gloriosa, turpia, quæ cum fierent ab uno aliquo primum, exploderentur atque exsibilarentur, ea coacervare in unum, & oratione proponere ad spectaculum, & ad risum? Magnum vero faciunt prudentes & diserti scriptores, si vel pessimis utantur verbis, vel pejore etiam versu: quorum nulla sit ars, nulla disciplina, & quæ quisque ignarus, quisque somnians, quisque amens & furiosus, sponte aut casu faciat. Ac minus res ea tota difficilis debet videri, quo minus late patet, nec multis, nec occultis, nec remotis literis continetur. siquidem centum numero locutiones ad summum, partim ex ore vulgi arreptæ, partim ex immundo penu depromptæ sæculi superioris, negotium confecerint: quarum frequens iteratio fastidium affert quidem & satietatem lectoribus; collectio certe nullum neque laborem neque laudem habet. Cedo qui non queat, quotiescunque libuerit, isto pacto scribere, in quo vitium ipsum sermonis, cum rerum ineptiis conjunctum, primas obtineat, atque in maxima laude ponatur? Sicut enim in scena, & spectaculis, partes sunt facillimæ & senis, & temulenti, & gloriosi, quas actor fere nemo non sustineat; propterea quod sustineantur imitandis vitiis & peccando; peccare autem, & prava imitari, sit satis in

promptu

promptu cuivis: ita omnes illud ſuſcipere & aſſequi non magno labore ſuo poſſunt, ut male mala loquantur & ſcribant. Quare nuper, BALZACI, in trimeſtri obſidione illa Pariſiorum, quo præcipue tempore, & qua in civitate ſtudium ludicræ orationis exardeſcere cœpit, & ea quoque inſania flagravit vulgus imperitum; teneo memoria, cum prodirent novi quotidie ejus generis, & innumerabiles libelli, in quibus ſe miſerrimus, & maxime famelicus quiſque de fortuna belli, quoad poſſet, vindicaret linguæ licentia; huc eodem incubuiſſe & famulos in publicis gymnaſiis, & opifices in tabernis librariis, & pediſſequos, & ancillas, eundemque fere habuiſſe ſucceſſum, quem peritiores, eundem plauſum tuliſſe. Quis nunc autem, non dico procerum & urbanorum Lutetiæ atque in regia, ſed provincialium hominum, ſi leviter conetur, & cœperit modo, non tantundem perficiat? immo vero, cum nullus ſit angulus Galliæ tam abditus, nullum oppidum tam remotum, in quo non aliquis aliquid ejuſmodi, animi cauſa, & imitandi ſtudio molitus ſit, quis non tantundem perfecit? Ex quo tanta ſane poetarum agreſtium & oppidanorum hodie ſeges eſt, quanta penuria ſemper fuit & ubique optimorum. ut non tantum naſcantur poetæ, id quod vulgo dicitur, ſed etiam nullo ſemine ingenii, nullo nixu laboris & diligentiæ, derepente atque ex improviſo, magno ſimul numero, quaſi uno eodemque partu naſcantur. Quomodo igitur ſe quiſquam in communi laude jactabit præter ceteros? vulgari & trita facultate ſcribendi gloriabitur? venditabit peculiarem ſolertiam ſuam? vim & acumen ingenii prodet in eo, in quo omnes peræque valeant, idemque præſtent, nec aliis alius admodum excellat? Quanquam excipiendi mihi videntur eſſe, & ab hac turba vulgarium ſcriptorum ſegregandi unus alterve, qui, cum jampridem, ac ſine intermiſſione, in illo joculari genere literarum deſudent; ut nihil aliud præſtiterint præter aſſiduitatem, & conſtantiam in labore, merentur laudem. Sed habent hoc amplius, quod afferenda varietate & copia, vitarint faſtidium, cum re alioquin conjunctum; effecerintque, ut infimum genus ſcribendi nondum omnibus omnino ſordeat. Hos ingenioſiſſimos eſſe, affirmante & prædicante Gallia tota, non auſim negare. Verumtamen ego idem contendo, minimum id eſſe, in quo ſuas probare vires, & oſtentare potuerint. qui ſi ad alia ſe tractanda contuliſſent, non ingenioſiores eſſent illi quidem; quippe tales per ſe ac natura ſua: ſed certe ingenioſiores, quam hic videntur, tum eſſe, adjuvante materia, aut ſaltem non incommodante, viderentur. Quare quod iſti laudantur paſſim, laus eſt hominum, non opportunitas rerum ad parandam laudem: nec vero eis jocoſa ſcriptio adjumento fuit, ut ingenium commendarent ſuum; ſed ipſi, facilitate & elegantia ingenii, ſcriptionem jocoſam commendarunt, ut ne negligeretur prorſus, quæ, abſque illis foret, jamdudum viluiſſet.

SECTIO QUINTA.

LUDICRA DICTIONE

NON UTENDI

CAUSÆ MULTÆ SUNT.

DIXI nihil eſſe, quamobrem quiſquam levem & ludicram ſcribendi formam ſequeretur, atque excoleret. Nunc vero illud dico amplius, multis de cauſis ſemper a genere hoc toto ſermonis refugiendum omnibus eſſe. Ac ſane judicari non facile poteſt, boniſne moribus, an orationi bonæ plus importetur detrimenti, per ſcriptorem ſic effuſe perditeque jocoſum & nugacem. Ad orationem quod attinet, quid poteſt fieri pernicioſius? Nocet ſcriptor ejuſmodi ſibi: nocet ætati ſuæ: nocet poſteritati. Ipſum ſibi ſcriptorem nocere quomodo intelligitur? An eſt quidquam tam contrarium ſcribere volenti, quam neglecta ſcribendi ratio de induſtria, & detorta ambitioſe in deterius, & exquiſitis ſingularibuſque vitiis deformata? Etenim ſi ſtilus, optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter, id eſt; ſi recte ſcribendo aſſueſcimus recte dicere: contra perverſe ſcribendo; perverſe dicere nonne aſſueſcemus, ac plane demum conſequemur? Et, ſi fortuita oratio, fuſaque ex tempore, obeſt utplurimum, quod multa nobis excidant imprudentibus atque imparatis corrupta, quæ non mutentur facile aut dediſcantur deinceps: poteritne meditata ſcriptura, & ad delectandum vitio locutionis comparata, non afferre morem, & quaſi neceſſitatem vitioſe loquendi? Quocirca, ea de re qui præcepta dant juventuti, ſatius eſſe interdum putant, Latine non loqui omnino, quam male, nullo præſente, qui emendet, magiſtro, loqui. Metuunt quippe, ne, dum temere ac nullo delectu verba fundit juventus, pluraque mala admiſcet bonis, conſuetudine ad ſummam pravitatem veniat, nec ullo unquam tempore ſanandam. Et exiſtimabimus ſtudium peſſime ſcribendi, defixam in eo cogitationem, curam aſſidue poſitam, inde quæſitam & ſibi, & aliis voluptatem, nihil nocere puto, & ſincero, & omnis experti labis, quemadmodum quemvis eſſe velle par eſt, ſcriptori? Qui perſæpe prudens & volens loquitur ac ſcribit inquinate; loquetur, mihi crede, inquinate & ſcribet, etiam imprudens & invitus. Ut ſcurra non ſcurram gerit tantummodo, cum eam perſonam quaſi pro munere atque officio ſuſtinet, ſed habet nonnunquam plurimum illius, qui ſcurraretur, etiam tunc cum ſerio agit: ita noſter illo genere perpetuo cavillator, ſi quando redit ad ſe, & amoto ludo ſeria ſectatur, facere vix poteſt, quin retineat quædam uſitati moris, & ſe, qui erat, indicio ſuo prodat. Vidiſti, BALZACI, Lutetiæ Pariſiorum, e grege comœdorum, quos Auriſiacos vocarent, adoleſcentem. Is in ſcena puellam agebat ſic inſigniter & expreſſe, ut non ulla ſui ſimilior puella eſſe videretur. Idem poſita perſona, in circulis, in conviviis, in templis,

ſalu-

salutatione, incessu, voce, responsis & sermonibus, tam multa faciebat puellariter oblitus sui, ut eum puderet erroris; nos hoc ipsum magis rideremus, quod admitteret per imprudentiam, quam illud admiraremur, quod bene simularet prudens. Sed heus tu, videsne, ut delectus verborum, radix & origo est eloquentiæ; ita usum eorum promiscuum & liberiorem, ejusdem extirpationem eversionemque eloquentiæ esse? Quod si vocibus usurpandis passim, nulloque discrimine, vis omnis & facultas dicendi corrumpitur: quid futurum est, si deterrima quæque, certo judicio selecta, collocentur in oratione, & structuram expleant & coagmentationem totam, nihil loci relinquatur potioribus?

Esto: hac in re sibi non noceat quidquam jocularis auctor, tamque sit cautus ac religiosus in vitandis malis & verbis, & sententiis, cum quid bene scribere instituit, quam prudens ac sciens adhibet mala omnia, cum male, ridendi causa, scribit. Hoc periculum, hunc metum præstabitne lectoribus, nequaquam eis maximarum lectionem ineptiarum fraudi futuram? Quomodo tandem plebeium, & trivialem, & fæculentum sermonem impune tractabunt, neque allinent sordes ullas sibi, neque colorabuntur tam tetra fuligine? Quid adolescentibus & puellis ingenuis fiet? quid honestis matronis? quid eo omni genere civium, in quo aliquid esse literarum, aut politioris humanitatis atque elegantiæ decet? Cum viles libellos, & fœditate loquendi vel sola ridiculos, sument in manus, cum evolvent quotidie, cum prope ad verbum ediscent; qua ratione cavebitur, ne vitiis corruptissimæ inficiantur orationis, ac limum inde aliquem trahant, neve paulatim loqui tam pravæ lectionis usu dediscant? Quo pacto optimi & honestissimi parentes non metuent, ne liberi combibant, dum teneri sunt, agrestes sonos, incondita verba, locutionem obsoletam, neve omnis domus pejus etiam, quam servi & ancillæ recentes ex agris, loquatur? At vide, quæso, quantopere nitori consultum bonitatique sermonis esse voluerint sapientes & eruditi artis oratoriæ doctores. Marcus quidem Tullius rem maximi momenti & ponderis censet, puerum consuesse nulli, nisi qui pure loquatur & eleganter. *Magni*, inquit, *interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur.* Quintilianus autem ab incunabulis quoque infantis removet quosvis parum emendati sermonis homines domesticos. *Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus. Non assuescat puer, ne dum infans quidem est, sermoni, qui dediscendus sit. De pueris, inter quos educabitur, idem, quod de nutricibus, dictum sit. De pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, aut se non esse eruditos sciant. Si tamen non continget; quales maxime velim, habere nutrices, pueros, pædagogos: at unus certe sit assiduus dicendi non imperitus; qui, si quæ erunt ab his præsente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat. dum tamen intelligatur, id, quod prius dixi, bonum esse: hoc, remedium.* Constat porro observatione diuturna, nihil esse capitalius vernaculo sermoni cujusque nationis, quam longum & frequens cum externis hominibus commercium: idque non eo solum, quod rectus & simplex vocis sonus, qui exit ex ore, peregrinitate istiusmodi, & hospitum barbarie confusa, admixtaque, infuscatur; verum etiam quod verba illi sua tam transferunt ad nos, & communicant nobiscum, quam sibi assumunt nostra. Quæ causa est, quamobrem mulieres, quibuscum versantur & agunt alienigenæ rarius, facilius, quam viri, patrii sermonis integritatem servent incorruptam. Quis igitur dubitet, quin ii omnes, sive viri, sive mulieres, maximeque pueri & puellæ, in quorum manus, futili & inepto conscripti sermone, libri venerint, contagionem linguæ sentiant, ac sæpe rusticanum quiddam, sæpe peregrinum & insolens sæpe, nimia vetustate putre & corruptum, qualia sunt ea, quæ multum diuque legendo triverint, resonent ac recinant, aut quoquo modo denique oleant? Oppresserunt Gothi & Vandali adventu in Italiam suo, non tantum libertatem Romanam, sed linguam quoque ipsam. Longinquus nimirum & ex ultimo Septemtrione quasi advectus sermo, asper, hiulcus, totus absonus, totus confragosus, dignus incolarum moribus, admisceri cœpit Latino sermoni, qui reliquus erat, jamque paulatim confusione utriusque degeneraras imperii. Tum vero tanta fuit corruptela malæ locutionis, ut Roma seipsa vix intellexerit deinceps, osque illud purum, & dulce, & rotundum eloquentissimæ civitatis, in perpetuum audiri desierit. Avertat, BALZACI, Deus hoc omen. sed vereor, ne illud vere dicam, hosce ridiculos scriptores, ortu & patria cives nostros, sermone hospites & peregrinos, nobis quidem, si sic ineptire pergamus, pro Gothis ac Vandalis futuros, & linguæ nitorem floremque nostræ, qui nunc summus est, propediem totum exstincturos.

Quod si vivis obesset solum deterrima scriptio, & hujus ætatis hominibus: nimium obesset profecto; & latius pateret malum, quam ut ferendum videretur. Verum eos spectat etiam, qui nondum nati sunt, posteaque nascentur: ac serpit jam nunc in perniciem sæculi non unius venientis, & ad posteritatem derivatur ac redundat universam. Quibus auribus, obsecro, quo sensu animorum tam lepidos ac delicatos sermones, centum post annis, nepotes nostri accipient? Num vero sæculum hoc nostrum a Clementis Maroti sæculo, qui abhinc annis amplius centum vixit, distinguent? Num ab Alani Quadrigarii sæculó, quem extitisse videmus ante ducentos annos: num ab Villardoini, quem ante ipsos quadringentos? Quo indicio, quave nota scriptores istos serio, ita ut locuti sunt, cum melius temporibus illis non possent, locutos: nos, animi & voluptatis causa, tam male, cum optime potuerimus, locutos fuisse intelligent? Quomodo autem nos iidem posteri a nobis, cum alii aliter scribamus, secernent? Quos polite & luculenter scripsisse, quos secus, judicabunt: hos ut respuant, qui jocati sint; illos ut imitentur, qui seriam rem egerint? Qua arte denique eundem a semetipso, aliter atque aliter uno eodemque tempore, uno eodemque in scripto scribentem, satis discernent? Vix equidem risum teneo nonnunquam, cum audio Romani juris peritos, sed non ita peritos linguæ Romanæ, qui universe ac sine exceptione jus civile laudent, Latinitatis & elegantiæ nomine; adeoque velint institutiones, quæ dicuntur,

verbis esse puris conscriptas & valde bonis: non animadvertentes, ea ibi, quæ sunt veterum jurisconsultorum, probanda ut optima; quæ Theophilus, Tribonianus, alii Justiniani imperatoris æquales, interposuerunt de suo, multo inferioris habenda notæ. Errant hic isti, quod vel notitia linguæ, vel facultate dijudicandi, quæ recta & prava, careant. Tunc vero eveniet magis, ut malum non internoscatur a bono, cum unus atque idem auctor, ut fit, utroque modo scripserit, & illo puro ac simplici gravium & honestorum; & hoc jocatorum perverso & incondito. E qua re existet quæstio ridicula prorsus, ut, si ambigitur, quam recte quis aliquid scripserit, investigetur quæ mens illi fuerit in scribendo, quid propositum; jocone tum, an serio agere, pessime, an optime loqui libuerit. Hac igitur permixtione voluntaria boni malique in scriptis, hac exsuperantia & majore copia mali, hac ambiguitate utriusque ad discernendum, quotusquisque posterorum, qui ignorarit, quo quidque animo scriptum sit, non inducetur in fraudem? non mala eliget sæpissime pro bonis? non exprimet imitando vitia potius, quam virtutes? Quod si quis erit tam felix, aut tam lynceus, ut deprehendat aliquando, quicquid inest mali: non sic, credo, desipiet, ut pravitates manifestas imitari velit. Ita vel nullum fuerit exemplum, si vitia videt: vel fuerit, si non videt, periculosissimum exemplum.

Habes, quæ damna orationi afferat ludicra dictio. Nunc, ecquidnam moribus, & quantum adversetur atque incommodet, longum est dicere, finem tanquam portum spectanti jam diu; neque hoc loco, ubi de vita & moribus non agitur, statuere valde necessarium. Itaque rem solum proponam ante oculos, & relinquam in medio. Quæ ut omnino non ignoretur, satis est proferre, quid urbanus sit, quid scurra, qua re & quantum differant inter se. ex quo sibi sumat Gelasimus, quod commodum videbitur, atque ad utrius similitudinem propius accesserit, per se cognoscat, nemine admonente. Urbanus, dicax, facetus, lepidus, venustus, salsus, etsi paululum quiddam differant tot nominibus: eos tamen pro uno & eodem accipi volo, cujus sint ingenui, & liberales, nec vulgo inconcessi joci. Scurram autem parasitum, morionem, plus aliquid differentes inter se, ideo conjungo, quia suos isti, quibus oblectent domi & privatim, ut publice mimi & histriones, pariter jocos habent. Urbanum igitur, & quisquis ei utcunque affinis est, a scurra & similibus, qui distinguemus? Dupliciter: modo, & fine jocandi. In modo sunt primum raritas & infrequentia dictorum, quæ adhibet urbanus homo in sermone, ac tanquam salem primoribus digitis aspergit, parceque & restricte dispensat. Deinde delectus, & quæ habetur ratio hominum, loci, temporis. In quos enim, & pro quibus, & apud quos salse dicat, cogitat: neque ipse, cum alios alia deceant, obliviscitur quid se dignum sit. Observat autem & momenta temporum, & opportunitates locorum, ex quibus non minus joca plerumque pendent, quam negotia. Porro finem sibi proponat oportet, & causam urbanitatis ac facetiarum, cum utilitatem aliquam a re non remotam, tum honestatem & elegantiam in otio. Quippe gnarus enim & memor, esse risu inepto rem nullam ineptiorem, merito laborat ne sine causa renideat ipse, sine causa movere risum velle videatur. Omnia contra fieri apud scurram videmus. Is, cavillari & dicere dicta, cum artem existimet ac velit esse suam, nec aliud fere didicerit: ut vetatur nemo, ne, quam novit artem, in ea se exerceat; ita integrum sibi putat, assidue ac totum diem profiteri & factitare artem hanc joculatoriam: eoque magis, si quæstui habet opus suum, & ludicro se artificio tuetur, ac rem sibi & facultates parat. Hoc instituto vir, disciplinaque, & consuetudine vitæ, quibus verbis abstinet, quibus sententiis, quæ permulcere voluptate aures quomodocunque, & influere in animos possint? Quid tam deforme & pravum est, quod non ad risum faciendum convertat; cum ex eo potissimum, in quo turpitudo est aliqua, & obscena species, risum quæri arbitretur? In mittendis vero jaciendisque ridiculis, cui parcit mortalium, dum metus abest? aut etiam cupiditas dictorum nonne metum sæpenumero vincit omnem, & quovis periculo redimit potestatem ac licentiam jocandi ut velit? Itaque Metelli, Romæ in summo orbis terrarum imperio florentes & beati, denuncient minas, interminentur supplicia, vociferentur identidem, quod Nævius audiat: *Malum dabunt Metelli Nævio poetæ.* non deterrebitur Nævius, quominus dicat: *Fato Metelli Romæ funt consules.* Cum autem pervenit ad summum dicacitas scurrilis: declinat & delabitur in impietatem adversus res sacras & divinum numen: sicut singularis impietas, ubi, quo progredi possit ultra, non habet, scurrilem sibi dicacitatem, velut cumulum adjungit. Testimonio est Melius ille Diagoras, itemque Dionysius, cognomento tyrannus, quorum peræque celebrantur & nota sunt in vulgus ἀθεισμὸς & ἀγνισμός: cum ad violatam religionem, & spoliationem templorum, adderent risum, & sannas, & verborum contumeliam. Sed hoc ut magis ignoscas impotenti scurræ, si summos, & infimos, & cœlum ipsum petat stultitia: in se quoque arma convertit sua & mucronem stili: nec modo non recusat quo minus ridiculus, id quod est, habeatur; sed hoc ipsum studet, & efficit, quoad potest, ut habeatur: tanto scurra melior futurus, quanto majorem de se quoque risum præbuerit. Viderint nunc festivi scriptores nostri, quid habeant commune cum scurris, quid proprium ac suum. Habent præter eos, quod meditatas & laboriosas afferant ineptias: cum quidem scurris multa elabi & effluere videri possint, hoc ipso digniora venia. Habent, quod commendent chartis, & posteritatis memoriæ prodant mansura, quæ peccarint, adeoque magis nocitura exemplo: cum scurræ proferant ore, quæ ad aures aliorum accidant, mox prætervolent, citiusque evanescant. Habent denique, quod antique, quod nove, quod vitiose, lingua quisque sua, loquantur: cum scurras ita loqui nihil sit necesse. Jamvero utrum obscenitas, maledicentia, rerum cœlestium profanatio, qui tres numero scopuli sunt, ad quos persæpe scurra offendit, sint infesti quoque cavillatoribus nostris, & eorum quasi naufragio infames, nihil disputo: etsi malum ex his tribus unumquodque, insigne sit ad nequitiam & improbitatem morum; gravissimum, ad odium & detestationem. Tantum di-

dico, Merlinum Cocaium in Italia, & Antonium de arena in Gallia, qui ſemilatinæ ſcriptionis ludicræ auctores vel primi fuerunt, vel præcipui, non admodum ſibi a multiplici ſpurcitie rerum & verborum caviſſe: Theodoro Beza adverſus Lizetum præſidem, doctum & ornatum virum; Franciſco Hottomanno in Matarellum, procuratorem regium, inque Galliam totam, nihil fieri poſſe maledicentius: Martinum denique Lutherum, & Matthiam Flaccium Illyricum, ſic Romana & antiqua ſacra, puramque religionem, & theologorum ratas opiniones, præſertim Pariſienſium, iſto genere ſcripturæ cavillatos fuiſſe, ut ne ipſa quidem ſupra poſſit impietas. Quid his autem ipſis temporibus noſtris? Nuper, ut alia omittam, exhorruimus, cum joculati ſtilo profani & impuri neſcio cujus ſcriptoris, miſeranda Jeſu Chriſti, domini Deique noſtri, patientis ſpecies ac figura deformata eſt, habitaque ludibrio, & male tractata verſibus. Cui ſine dubio nec magis rex Herodes illuſit, injecta veſte alba tanquam homini hebeti & ſtolido: nec magis populus inſultavit Judæus, ſive conſpueret eum, & depalmaret, ſive inſignibus indueret regiis, per militarem laſciviam. Quanquam hoc evenit optime. ſtatim atque apparuit, ſuppreſſus eſt liber: non cura & mandato magiſtratus, quod minime expectatum fuit: ſed ſubito odio, & execratione publica hominum, etiam non optimorum. Uſque eo viſum eſt indignum omnibus, a ſcriptore Chriſtiano in Chriſtum Judæorum exempla renovari.

COROLLARIUM OPERIS,

ET CONCLUSIO.

QVÆ cum ita ſe res habeant, quid eſt reliquum, niſi ut recte & ordine fieri negemus, quod nullo auctore fit, nullo omnium in omni memoria literatorum exemplo? fortuitum ac temerarium putemus, quod neque arte, neque doctrina aliqua continetur? exſibilemus vero & explodamus, quod ratione prorſus nulla induci in uſum moremque, deterreri videmus rationibus tam multis? Magnam profecto gratiam inierimus ab indoctis ſcriptoribus, ſi hunc illis errorem eripuerimus, in quo verſantur qui exiſtiment tum denique ſe præclarum ſpecimen ingenii dare, ſi quiſquilias converrant ex omni angulo & officina ſellulariorum, atque ingentes ineptiarum velut acervos objiciant lectoribus imperitis; aut ad riſus eos & hilatitatem totos convertere, ſi frigida, & inſulſa, atque ipſis inaniora ſomniantium viſis, impingant. Admonenda ſaltem poſteritas tanto ante fuit, quid in iſto mali & quantum eſſet, quamque parum probaretur bene ſanis, atque intelligentibus majoribus ſuis: ne, ſi rem pravam, ut eſt, eſſe agnoſceret, de noſtra male ſentiret ætate univerſa; ſi non agnoſceret, imitanda pravitate aliquando falleretur. Nam ſi qui adhuc noſtrorum hominum perſeverent in errore, tantique riſum eſſe illum ſuum ducant, ut ridere perpetuo velint: ne tetrici ſane, & moroſi nimium ſimus. Primum feramus, ut oportet, non tantum ridiculos, ſed & indociles ac pertinaces. Deinde rideamus ipſi, ſiquidem hoc illis placet: at eos præſertim, qui cum ſe belliſſimos homines putent, omnium minime belli ſint, rideamus. Tum vero faceta & jucunda illorum omnia rideant omnes licet, dummodo ne ignorent, quid rideant, hoc eſt, barbariem in medio Galliæ regno, peregrinitatem Lutetiæ Pariſiorum, ruſticitatem in aula. Sin autem, quod magis intelligo, verius & æquius eſt, ut doleamus, quam ut rideamus: quid e multis dolendum potiſſimum, niſi tantam vim atque aciem ingenii, quanta elucet in pleriſque noſtrorum, ad ludicra & joculatoria eſſe converſam; in iis occupari totam, conſumique, operæ pretio nullo: interim dum patrius inficitur ſermo paulatim admiſtione rerum verborumque ignobilium, eique labes, quam nemo jam poſſit eluere, corruptela quadam malæ conſuetudinis adhæreſcit? Quæ cum omnes moleſte ferre convenit, quotquot Galliam honeſtam eſſe, & diſertam, ac bonis politam artibus cupimus: tum vehementer eſſe te ſollicitum, BALZACI, & in communibus malis, præcipuo quodam dolore angi neceſſe eſt. Tuum hoc onus, tua provincia, non ut tueare ſolum, & exornes Gallicam linguam per te, quod jamdudum facis, ſed etiam ut ab ea, omni modo & ratione, prohibeas aliorum dedecus & injuriam. An vero Phidias ſi Minervam, aut ſi Polycletus canona illum ſuum, unde ceteri ſumebant artifices exemplum ſibi, everſum & conculcatum videret, magnum ſine dubio acciperet dolorem, patereturque indigne ſui uterque operis jacturam; præſertim quæ tanto cum dedecore conjuncta eſſet: tu noſtratem facundiam, extremis a te perfectam atque abſolutam, quæ ad hanc diem defuerant, artis lineamentis, ſubito deformatam, vixque tibimetipſi, ut ſic loquar, cognobilem, nullo animi ſenſu, nullâ ſignificatione doloris, videbis? Etenim ſic intelligo, patrum memoria Amiotum in ſermonem noſtrum ubertatem & copiam invexiſſe tantam, quantam oportuit eum adhibere, qui tam multa, tamque diverſa abundantiſſimi auctoris opera Gallice redderet: exortos eſſe noſtra ætate & Perronium, qui vim quandam & robur adderet multitudini verborum ac ſententiarum; & Coffetæum. qui nonnihil ſplendoris ac pompæ ad delectum conferret; & Malherbium, qui accuratum, & Gallicum, & quaſi caſtigatum ad unguem, loquendi ſequeretur genus. His te acceſſiſſe deinceps, qui ab adoleſcentia ſtatim, patriam dictionem effeceris & nitidiorem, & lætiorem, & amabiliorem quodammodo: tuoque præterea exemplo civium noſtrorum ſtudia, ad audendum idem, & ſuſcipiendum negotium, commoveris. Primus tu ex omnibus, fatendum eſt enim, opifex nobis, & conditor illius ſuavitatis extitiſti, qua nunc regia, qua purpurati, & optimates, qua provinciales curioſi, qua omnis lautiorum & elegantiorum natio delectatur. Solus ne eſſes, quæ ſecuta eſt aliquanto poſt, quam cœperas, Academia Gallica effecit. Ea commodum te ſibi adjunxit, ſocium comitemque inſtituti operis, participem laudis & gloriæ; ac tua jam ſponte florentem, & opibus nixum privatis, in numerum aggregavit ſuorum. Quæ nunc tecum ſedulo adlaborat, ſermo ut noſter veterum ſubtilitati & ele-

 gantiæ

gantiæ ne admodum cedat; nationum vero, quæ nunc sunt, & vigent, linguas, aliam dulcedine quadam, ut Hispani, aliam munditia non fucata, nec exquisita nimis, ut Italicam, alias aliter superet, longeque post se intervallo relinquat. Vos, Quadragintaviri, vos, inquam, hoc agitis qua scribendo, qua dicendo, qua habendis cœtibus, & communicandis consiliis atque laboribus, ut opus sibi perfectum duplex, quo adhuc caruit, tandem aliquando Gallia habeat, doctrinam literarum, & artem oratoriam. Quibus cœptis, & conatibus vestris quid magis est, quam quod summi isti joculatores agunt, contrarium? Vos certo judicio verba vetusta, & ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa, crebro usurpari, aut continenter in oratione poni vetatis. illi a Rabelasio, a Maroto, ab Amadisiis nescio quibus revocant, atque operibus immiscent suis, aut ex iis etiam solis opera omnino sua construunt. Vos plebejis & abjectis sententiis locum esse nullum vultis, nullum pretium. illi ex tabernis, ex triviis, ex olitorio aut piscatorio foro accersunt, & in honorem, si superis placet, adducere conantur. Vos oratio delectat emendata, illustris, venusta, urbana. illos inculta, horrida, deformis, infaceto ture infecetior. Vobiscum ars, cura, delectus, honestas, decor habitat. cum illis inertia, negligentia, confusio, squalor, illuvies stabulatur. Quare, cum se ubique quammaxime adversarios vestris & actis, & consiliis intendant: nonne consentaneum est, ut iis sine mora, quantum in vobis erit, resistatis: nec solum tacite, & ex obliquo arguatis ridiculam dictionem, dissimili ratione vestra cum scribendi, tum docendi; sed palam contradicatis quoque, ac directo, & eum apertis hostibus bonarum literarum, atque omnis eloquentiæ, bellum indictum, nec obscurum geratis? Extet, obsecro, testimonium vestri judicii, vestræ voluntatis, quanti fiat ab unoquoque vestrum, & quemadmodum grata nulli acceptaque sit, fallax hæc & insidiosa joci & nugarum ratio: ne rudibus imponat, & improvidis lectoribus; neve ipsi sibi auctores imponant, vestrumque silentium interpretentur approbationem sui. Audiant omnes, qui ubique sunt, ætatis nostræ politi homines & urbani, nihil quidquam tam Gallicæ Academiæ purgatis auribus, quam ista cum ingeniosi & liberalis joci, tum puri & sinceri sermonis dehonestamenta, displicere. Intelligant posteri nihil tale sibi relictum, nisi vobis aut invitis, & ab initio, ne fieret, reclamantibus, aut ad extremum significantibus vim mali, & denunciantibus periculum, ne noceret. Et quoniam facta vobis est a rege Christianissimo, & ab amplissimo firmata senatu, publicisque tabulis consignata potestas conveniendi, cognoscendi, statuendi de Gallicis rebus literariis; quid cessatis in loco, & tempore tamdiu? cur, ut stilum, ita aciem hebescere auctoritatis datæ, atque impertitæ sinitis? quare pro vestro jure decretoriam non pronunciatis sententiam, haudquaquam vobis jocum & facetias probari, quæ in uno & perpetuo vitio ponantur orationis? Neque enim hic agitur de vocula aut novanda & facienda, aut ablegatida ex imperii Gallici finibus, aut relinquenda multitudini: non de probandis & examinandis quibusdam articulis in sermone nostro, quam vim & potestatem habeant, quem usum. Grammatica tota, rhetorica tota, corpus eloquentiæ totum periclitatur. Nec jam de dignitate & gloria Academiæ decernitis, sed de incolumitate ac salute: neque quam bono in posterum statu futuri, sed utrum omnino futuri sitis. Nam si neque ingenio, neque arte, nec ullo quidem fuco, aut cincinnis, aut calamistris, sed peregrina quadam barbarie, & insolentia verborum, atque agresti dicacitate obtinent architecti isti novæ dictionis, ut vigeant populo, influant in aures omnium honestorum, solertibus nec prorsus illitteratis feminis sint in amoribus ac deliciis: haud sane video, quid iis relictum sit loci, qui disciplinam, qui cultum, qui omnes orationis vel elegantis, vel copiosæ ornatus cum joco & salibus; jocum & sales cum liberali & digna homine ingenuo doctrina, cum modo & modestia, cum certo ac stabili decoro conjungant. Verum pluribus hortari & admonere velle sapientes, mihi non videtur esse sapientis.

Habes, præstantissime Balzaci, de joculari & ridicula dictione judicium meum, quod postulabas: meum consilium, quod non quærebas. judicium, quo scribendi genus fœdum & perniciosum improbem: consilium, quo suadeam, ut ipse tu, cujus plurimum interest, una cum disertis Academicis condemnes. Utrique tribues, quantum voles. Satis superque habebo, ita me tuæ obsecutum voluntati & studio fuisse, ut, cum in uno, plus aliquid, quam rogares: tum vero in altero, multo amplius, quam valetudo, & occupationes meæ sinerent, amicitiæ nostræ darem.

Finis Libri de Ludicra Dictione.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS SOCIET. JESU *DE EPIGRAMMATE* LIBER

AD

CAROLUM SANCTAMAVRUM Ducem MONTAUSERIUM, LUDOVICI *Galliarum Delphini Gubernatorem.*

CAPUT PRIMUM.

De multiplici præstantia epigrammatis.



ET carmen, & poetas, jam ex quo tempore ipse me nosse potui per ætatem, cœpique primum studia literarum attingere, singulariter dilexi, fateor, ILLUSTRISSIME MONTAUSERI. Sed diffiteri quoque non debeo, quin ab eo genere toto carminum, quæ vocabulo Græco Latini epigrammata appellant, sive natura & sponte, sive disciplina & institutione puerili, ac certo quodam præjudicio, semper abhorruerim. Visi sunt istiusmodi poetæ, dum res augerent aut extenuarent, ludere: dum laudarent aut vituperarent quempiam, nugari: dum narrarent, differerent, quoquo modo quid denique tractarent; neque serio, neque sincere ac bona fide, loqui; quæ mihi forma & ratio scribendi, ut agendi inter homines, ne puero quidem placebat. Displicuit deinde argutiarum acuteque dictorum, quibus hoc concludi carmen & perfici oporteret, conquisitio omnis: partim quia morosa semper & anxia, frivola & inanis plerumque videretur: partim quia tam diversi saporis esset, ut, quod probaretur uni, improbaretur ab altero; nec ipse vero hac in re poeta princeps satisfaceret omnibus eruditis. Veniebat in mentem, si labore & conatu & sedulitate opus esset ad tantulum poema procudendum, rem non esse tanti: si facile atque ex animi sententia carmen procederet, haberetque eum, quem poeta vellet, exitum, quod rarissime contingit; casus esse, non doctrinæ; felicitatis, non industriæ. Simul & illud cogitabam, enervari eloquentiam, & siccitatem induci orationis, tanta brevitate, ubi quamplurima & in rebus & in verbis poeta reticeat, alia coarctet, in quibusdam sæpissime plus intelligere velit ac suspicari & divinare legentem, quam loquatur. Postremo constare vidi inter omnes, etiam poetarum, qui in isto se vel ludo vel labore exercuissent, assensu, cum studiorum levissimum genus poetica foret, tum poeticæ levissimum opus epigramma esse. Quamobrem satis mihi futurum, si M. Valerium Martialem legerem, quem alioquin doctissimi quique existimarent, ad eruditionem & copiam Latini poeticique sermonis, perutilem: si legerem M. Valer. Catullum, quem vellent iidem, ad elegantiam & delicias latine loquendi, necessarium. Quod si quid, exercitationis vel animi causa, esset tamen poetice scribendum: multo futurum satius, si epica scriberentur mihi, aut tragica, aut elegiæ denique, in quibus non raro inesset extremum illud, quod in epigrammate quasi titillat ac pungit, salsum & acutum.

HAS habui fere speciosas & probabiles causas naturalis cujusdam odii, & velut alienæ voluntatis ab hoc genere minutorum poematum. Quorsum igitur, inquies, aut epigrammata ipse tu conscripsisti, aut edere nunc paras in lucem? Dicam equidem, vir illustrissime, neque te celabo rationem consilii mei: si quod tamen est, ubi nulla fer-

me deliberatio fuit, consilium. Ante aliquot annos cum ii me rogarent, qui a me quidvis exigere jure suo quodam poterant, viros ut principes nonnullos ornarem versibus; gravarer autem scribere, quod eam jam artem desiissem dudum, intermisissem certe; itemque alia me potiora occupatum haberent: facile defungi isto munere toto posse me putavi, exiguo laboris atque operæ impendio; nec minus iis, quibus nihil denegare vellem, satisfacere; si pusilla & brevissima, ut sunt, epigrammata subito ac veluti ex tempore effunderem. Hoc ergo primum necessitatis fuit, quam alienæ mihi preces, & officii ratio mei, imposuerint. Postquam autem incitata vis est φαντασίας, atque ardor ille poeticus efferbuit, majoresque se spiritus extulerunt: facilius esse intellexi non cœpisse, quam, ubi cœpissem, desinere omnino, aut modum tenere.

Accessit huic morbo communi poetarum, malum peculiare & proprium epigrammatum scriptoris, neque notum in vulgus, & forsan insanabile. Cum ægro, ut dico, divelluntur ac distrahuntur a Musis operibusque Musarum, quotquot his semel initiati sacris, his aliquandiu operati sint: tum ab epigrammatis pangendis deterreri vix ac ne vix quidem possunt, ingressi hanc vitæ viam atque institutum. Et reliqua sane longioris operæ carmina haud fere aggredi & elucubrare consuevimus, nisi per otium, ac sedentes, & sumpto calamo, multis circumfusi chartis, inter pluteos, & adversaria, & lituras. quem inchoatum laborem cum interrumpimus, aut relinquimus ad tempus; cogitationem quoque totam rei deponimus. Epigramma vero, quod in una & simplici explicanda sententia versetur ac elaboret, offert se & obtrudit imprudentibus: assidue comitatur invitos; neque interdiu nos neque noctu destituit. Hoc una nobiscum gestamus & circumducimus: hoc soli & publice, vacui & occupati, commentamur: hoc, aliud agentes, agimus denique. ac facile cum sit reliquis negotiis aut studiis quantum temporis impendatur, deprehendere: quam longum in hoc genere literarum tempus ponatur, ignoramus persæpe, nec animadvertimus; non ignari tamen bene longum nos in eo posuisse.

Sed nihil mihi quidquam tam fraudi fuit, tamque impedimento, quo minus has repudiarem literas, quas parum amarem, quam studium, & favor, & plausus aliquis amicorum; itemque communis eorum approbatio, quos ego multum in istis rebus intelligere arbitrarer. Qui mihi utrique, ut facillime de se quisque sentit, persuaserunt non invito, neque contradicenti, rem a me fieri minime ludicram, cum sic luderem; in tanta præsertim paucitate scriptorum hujusmodi vel mediocrium. Tu ipse, optime Montauseri, tu, inquam, ipse, si audire verum vis, utraque re, præter ceteros, nocuisti mihi; auctoritate, dico, & benevolentia. Si qua hic contracta culpa, tua est. si quid deliqui, reus es: nostri certe errati conscius ac particeps: immo vero dux atque princeps. Quid enim? Pro vetere illo amore, quo literatos omnes prosequeris, proque ea, qua vales apud eosdem fama & opinione eruditionis, nonne provexisti scriptiunculas hasce meas longius, quam vellem; meque, ut pergerem porro, nec plane cessarem, incitasti approbando, laudando coegisti? Recordari potes, id quod oblivisci non debeo, septem abhinc annis cum in primam Delphini, tunc paucorum dierum infantis, effigiem pictam, edolassem aliquid; qua tu humanitate leve scriptum & tenue exceperis; quóque id modo placuerit multis, quia ostenderis tibi non displicere. Quis enim quid, ex ore tuo, & commendatione tua, non laudet, atque admiretur? aut quis, te semel nactus approbatorem, non se cuivis abunde satisfacturum existimet? non idem sibi, quod libro suo Martialis, gratuletur, in uno se lectore lectores habere omnes? *Uni mitteris: omnibus legeris.* Nam hoc ipsum de epigrammate, quod explicare aggressus sum, quodque habeo jamdudum in manibus, si diutius non debetur juventuti, & exire nunc demum cœpit in vulgus: cujus est proprie aut præcipue, nisi tuum? qui, ubi sensisti aliquid me tale meditari, urgere non destiteris, ut cœptum opus absolverem, fœtumque jam maturum protruderem foras, recusantem adhuc licet & invitum. cum etiam nuper, gratiæ causa, ut opinor, adjungeres, daturum te operam, ut creditus curæ ac fidei tuæ regius puer, ne hujus quidem generis studiorum, quæ principe non indigna tanto viderentur, expers esset.

Quid vero, quod non modo gravissimus auctor fuisti mihi, benevolusque fautor; non consilio solum & hortatu impulisti ex tarditate diligentiam meam; sed tuo præterea facto, quod valentissimum genus est persuadendi, quid sequerer, quæ premerem vestigia, præivisti? Etenim cum ipse vir ex prima & vera nobilitate tantus, quantum te Gallia agnoscit; in tam sollicita provinciarum administratione; in tam impeditis aulæ negotiis, & otio forsan impeditiore; in tam multiplici copia omnis elegantioris doctrinæ, quam tu vasto animo complexus es, vasto ingenio; & sæpe alias huc descenderis, Latina ut epigrammata quasi ludens scriptitares; & nunc ea, quæ sint ejus generis in antiquis & novis scriptoribus cultiora, libenter & jucunde recognoscas: verendum mihi, credo, fuit, ne temere & cum aliqua reprehensione tacita sapientum facerem, quæ exemplo tuo facerem?

At vide porro, quantum tribuerim tibi: nec injuria. Parum erat auctoritati tuæ cedere, obtemperare monitis, imitari exemplum; nisi idipsum, quod facerem propter te, approbarem mihi; judicarem melius, quod tibi placeret; recte & ordine ac summa ratione factum a me, convincerem me argumentis meis, quod a re non alienum esse duceres. Itaque investigare animo ac mente cœpi, utrum in epigrammatis tantum mali esset, quantum suspicabar a principio; tantum esset boni, quantum videreris existimare, qui & conscripsisses ipse, & aliis, ut conscriberent, suaderes; uter nostrum opinione sua falleretur, utrius accederet sententia propius ad veritatem. Quamobrem, perpensis diligenter ex utraque parte argumentorum momentis, subductisque rationibus, hanc summam feci conclusionum mearum, quam tibi, justo rerum æstimatori, sigillatim notam ac probatam volo, per te deinde universis.

Primum poesim esse omnem quidem, ut eruditi & elegantes viri consentiunt, scriptoris ingenioli,

niosi: sed epigramma, si modo sic fiat uti fieri potest ac debet, multo ingeniosissimi. Ab ingenio rerum idonearum ad componendum epigramma inventionem totam proficisci. Ab ingenio certam quandam & peculiarem tractationem rerum inventarum pendere. In partibus epigrammatis singulis, quasi aliquod hujus poetæ decus, elucere ingenium. In extremis partibus ingenium dominatum & principatum obtinere. Unde, obsecro, nisi ab excellenti quadam forma & ratione ingenii, acumina, argutiæ, ventres, quæ maxime in epigramma cadunt? aut ubi vibrant crebrius bonæ mentis lumina, densiusque stipantur quodammodo cetera callidæ & solertis naturæ bona, quam in epigrammate? Certe si quando valet egregia & præclara indoles ipsa per se viribus suis; etiamsi neque alatur industria, neque excitetur arte: tunc potissimum valet, cum funditur breve vividumque carmen, quod fellis aut aceti plusculum habere, aut quod merum sal esse debeat. ut laus epigrammatis sit fere laus ingenii: huic poetæ cum plauditur, plaudatur utplurimum ingenio: qui admiratur hic aliquid, cumprimis ingenium admiretur.

NEC vero sua epigrammati summa & perfecta eloquentia deest, MONTAUSERI. Cave enim putes, eloqui esse duntaxat res ample dicere ac dilatare verbis: quo passim modo studiosorum vulgus accipit, & quo nonnulli videntur rhetores interpretari. Ejusdem est eloquentiæ, atque illius fortasse gravioris & maturioris; multa complecti paucis, multa per simulationem non intelligendi reticere, multa suspicionibus, conjecturis, divinationi audientium ac legentium permittere: tum narrare breviter: tum enumerare summatim: tum premere atque urgere propositum: coacervare aliud atque aliud, adstringere, contorquere: postremo elicere aliquid unum ex iis, quæ ante dicta sunt, & apte subtiliterque concludere. Quæ singula facere se diligens & peritus epigrammatum scriptor profitetur, neque inane quidquam, aut supervacaneum, aut vulgare versibus suis, ac ne mediocre quidem admittere, nec omnino ferre patique posse.

Sed agedum, erit istud testatius exemplo, comparatione illustrius. Duorum, qui vixerint uno eodemque tempore, & qui in uno eodemque sint argumento versati interdum, uter eloquentior? Marcusne Statius in silvis, dum rem sibi propositam persequitur centum aut quinquaginta versibus; an in libris epigrammatum Valerius Martialis, dum eandem tractat sententiam, & quatuor aut quinque distichis inclusam comprehendit? Turget ille quidem, & est fervidior ac rapidior, vix seipse coercens, vix sustinens; & vario, multiplici, copioso sermone profusior. Hic vero moderatior verbis, pressiorque sententiis, & castigatior, & in dissimili plane eloquentia si non prior, certe, quantum existimare possum, nullo modo inferior. Nisi forte malle debemus subitum & quasi extemporale poematium, quod triduo Statius aut biduo, aut intra unius cœnæ tempus, quemadmodum ipse gloriatur, absolverit; quam unum alterumve Martialis epigramma, in quo is diu, & multis lucubrationibus commentando carmine, desudarit.

NAM quod agnoscunt in epigrammate scribendo nonnulli non tam Apollinem ac novem Musas, quam Bonam Fortunam, aut Bonum Eventum; quæ duo veterum numina præsint aleæ, moveant urnam, & sortes æquent, nec a temeritate & inconstantia sejungantur: tantum abest, ut epigramma sit aliquid fortuitum, quod casu fiat, aut arbitrarium, quod ad libidinem, nunc hoc, nunc illo modo, fiat; ut sit artis opus maxime, præceptis propriis ac suis constet, ad certas quasdam regulas dirigatur, aliquot observationibus, omni ex parte in suo genere, expolitum perfectumque evadat. Sed de arte nondum dico, quam uberius separatim commodiusque infra attingam.

QOID ego nunc commemorem, quemadmodum inserviat epigramma historiæ, ipsumque per se historiam & annales suos quosdam efficiat, notandis actis regum & populorum, complectendis elogiis, & insigniotibus dictis? sic ut præteriti memoriam temporis custodiat fidelius, constantiusque retineat, quam æra, & marmora, & solidissima quæque basis; in qua idem sæpe epigramma incidatur; idem, hac collapsa & pereunte, nihilominus animis hominum insculptum duret ac permaneat? Quid adjiciam, quantum pertineat ad bonos mores, quod in perstringendis vitiis, in extollendis virtutibus, solerter & peracute noster hic scriptor versetur? quod præcepta vitæ gravesque sententias sæpe alliget numeris, gratioresque & acceptiores ad legendum præstet, ad ediscendum faciliores? Estne, ubi juventus studiosa mentem & intelligentiam, & stilum, & memoriam, utilius exerceat, si quid ipsa tale scribere cogitet, aut si lectione hac proludere velit, & præparari ad majora? Est, unde provectior ætas oblectet se magis recordatione veterum studiorum: cum unum aliquid totum, breve & contractum, quod alias didicerit, nullo negotio, jucunde & suaviter recolat; alia fere omnia propter longitudinem vel oblita sit, vel imperfecta tantum atque ex parte meminerit?

RELINQUO cetera. illud breve neque omittere nec differre possum: quantum epigramma magnitudine & quasi mole, aliis poematum generibus concedit, tantum absolutione operis & præstantia videri excellere. Nec res vero, ut probetur, argumentis eget. Satis, opinor, superque est, si proferatur in medium, & exponatur palam. Nec abeundum longius; siquidem pictura, cui cum poesi convenit plurimum, totum id planum fecerit. Quæso te, MONTAUSERI: linea penicillo ducta ex colore quid minus operosum in speciem, minus affabre industriaque factum? Atqui linea ducenda & Apelles notum se fecit Protogeni, & Protogenes se Apelli prodidit, qualis esset: & hic illi primas in pingendo confessione sua detulit. tantum tenuitatis erat in tribus lineis, ut sine ulla latitudine esse viderentur, ipsa longitudo visum effugeret: tantum eruditionis ac scientiæ, ut suum quæque monstraret artificem: tam absolutum opus, ut in alios artifices non caderet. Perge porro: informare partes in tabulis & pingere extremas, quanti demum est negotii, cum in eo tamen minimum esse positum momentum videatur? Audi Plinium majorem, hic, ut, sæpe alias, disertissimum: *Corpora pingere & media*

rerum,

rerum, est quidem, magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam quæ occultat. Denique res multo pingi difficilius parvulis in tabellis, quam in majoribus; corpuscula, quam corpora: cetera vero minutissima plus habere, ut laboris, ita cultus & excellentiæ, quam admirandos altitudine sua colossos; quotusquisque, qui modo oculos habeat, non aspectu primo videat? Idem esse atque idem valere in poeticis epigrammata, quod in picturis, minutæ subtilitatis, & argutæ enucleatæque diligentiæ opera, quibus exiguitas pretium facit; existimemus licet. Ac viderint sane alii, quid sentiant. equidem, quod ad me attinet, sic intelligo, atque ita ratio comparata prorsus est judicii affectusque nostri. Mihi pluris est cum sententiæ gravitate & pondere, tum vi dictionis ac potestate, Virgilianum illud epigramma, quasi μονόγραμμον, *Æneas hæc de Danais victoribus arma*, quam decem numero continui versus, ex eodem scriptore undecunque & exquisito delectu collecti. Quod idem de Ovidio Nasone sentio, cujus afferre clausulas aliquot possum elegiarum, instar epigrammatis efficitas, quæ solæ sint tanti, meo quidem judicio, quanti elegiæ totæ, quarum ipsæ minima particula sint.

His, Carole Sanctamaure, adductus vel firmamentis rationum, vel convenientia & similitudinibus rerum, mutavi omnino sententiam, non inficior: totus alius factus sum, tum in epigrammata, tum erga ipsos epigrammatum scriptores. Neque putavi solum palinodiam justam ac necessariam, qui in musas istiusmodi multa falso contulerim: sed redeundum esse duxi cum iisdem in gratiam, iisque satisfaciendum, quas oderim immerentes, nec in honore, ut par erat, habuerim. Itaque, pace sit hoc dictum tua, non jam auctoritate moveor cujusquam, sed veritati & doctrinæ do manus. neque uni duntaxat tibi assentior; sed ex parte quoque mihi: &, si tibi potissimum; non, quo modo Pythagoræ discipuli doctori suo, quod ipse dixeris; sed quia certa & constanti ratione dixeris; idemque, ut discerem per me, quod nosti prior, & tuam comprobarem scientiam mea, effeceris. Quo majores tibi gratias habeo, habeboque semper, qui causam dederis, cur me ipse dedocerem, & errorem hunc magnum, jamque inde a prima ætate insitum, eriperem mihi. Nec dubito fore, quin alii per me, si qui antea mecum senserint, revocentur ab errore, opinionem præjudicatam deponant, recte sentire tandem aliquando de epigrammatum dignitate ac præstantia incipiant. præsertim si attenderint, non multiplici tantummodo laude hoc poematii genus florere, id quod a me proxime ostensum est: verum etiam singulari artificio constare; de quo mox, quantum efficere & consequi potero, differam.

CAPUT II.

De singulari epigrammatis artificio.

Etsi in epigrammate scribendo quammaxime pollet, ut supra dixi, & commendatur ingenium: non tamen in eo totum esse existimare debemus; neque continuo, nihil arti relictum loci, inferre velle aut argumentari. Certe quidem artem aliquam si desiderant & breves odæ lyricorum, & elegiæ aliorum poetarum, quæ non sint interdum longiores: quid esse potest causæ, cur, ad hoc genus elaborandum versuum, ab arte parum adjuvemur? Quod vero plerique cum illustri ingenio & industria viri, tum singulari & perfecta eruditione præditi; addo illud, in reliquis etiam modis ac numeris exercitatissimi; dum se ad epigramma scribendum conferunt, versus illi quidem scribant, nihil minus aliquando, quam epigramma scribant: quid id habet argumenti; aut qua ratione fieri dicam, nisi quia iidem certam formam & regulam, ad quam epigramma dirigatur, vel negligunt, vel tum sane non advertunt, vel omnino non didicerunt?

Ac de ista institutione & disciplina nihil video scriptum reliquisse auctores antiquos, separatim a communibus & pervagatis de poetica præceptis. Prodiderunt aliquid memoriæ recentiores, noti & celebres magistri poeticæ facultatis, Lilius Giraldus, Julius Scaliger, Minturnus, Robortellus, Correas, Possevinus, Pontanus, Raderus, Donatus, Vossius, nonnullique præterea similes horum. Qui si omnes pariter obmutuissent, neque ullum posteriores hi, sicut illi priores, verbum fecissent, nec magnum in tam parvo carmine usum haberet diligentia & observatio privata quædam præceptorum: res tamen esset, ut opinor, ad cognoscendum neque injucunda, neque illiberalis: nec sanus quisquam pro nihilo putet, si quis, ubi alii parum videant, alii nihil sapiant præter vulgus, in eo ipse aliquid majoris rei, & occulta quædam velut mysteria deprehendat. Sed quoniam qui egerunt, nostro & superiore seculo, de epigrammate novi homines, eadem singuli ac prope totidem sententiis ita præcepta dederunt, quasi alii exscripserint ac transtulerint ex aliis; ego nonnihil annotasse videor, legendis veterum Græcis & Latinis epigrammatis, quod in hos modo poetas aut præcipue conveniat: hæc tibi non ingrata fore confido, optime Montauseri, quantulacunque prompsero de meo. Neque enim, sat scio, quam institui aperire paucis intimam artem ac doctrinam, rejecturus es, qui conscripta a me ex hujusce artis præscripto epigrammata non rejeceris: neque spernes ea, quæ accuratius observavi, qui minima quæque elegantiarum pervideas in poeticis, studiose consectere, dum otium est, libenterque usurpes. Hoc igitur primum, ratum atque firmum habeatur, esse artem quandam epigrammatis, retinendam semper, bene ut epigramma fiat. Illud quoque alterum maneat, ac fixum sit, præter artem, observationes esse aliquas, persæpe adhibendas, ut melius epigramma fiat. Quod utrum-

utrumque quale sit, ut penitus cognoscatur, manifestoque appareat; nomen, naturam, multiplices formas, virtutes epigrammatis, non oportet ignorari.

CAPUT III.

De nomine epigrammatis, deque definitione.

FRUSTRA videntur scriptores hujus artis fuisse, qui nos illud primum admonitos esse voluerint, epigramma atque inscriptionem unum sonare. Qui enim minus nota vox epigrammatis auribus eruditis atque etiam vulgi, quam grammatica, rhetorica, dialectica, philosophia, quas Latini voces, tritas & communes jamque dudum receptas, usurpant pro suis? Fuimus docendi potius, primis illis temporibus cum epigrammata quæ dicuntur, templis, aris, simulacris, publicis operibus & privatis inscripta essent; epigramma idem valere, atque inscriptionem. Postea vero quam hæc maximam partem desierunt inscribi, steteruntque per se, & in alios usus, quam in ornatus operum, cesserunt, & collecta simul, & relata sunt in libros; videre licuit, iis, quæ ipsa adhiberentur ad inscribendum, utilem ac sæpe necessariam inscriptionem fuisse; quodque amplius est, hoc idem, cui pro titulo fuerant, cœpisse illis esse pro titulo vicissim, & lumen, unde acceperant, eodem refundere. Ex quo facile intelligimus, mansisse vocem, mutata significatione & potestate vocis. ut infinitæ sint inscriptiones, in quas epigrammatis nomen non cadat: epigrammata innumerabilia, quæ jure nemo inscriptiones appellet. Latius igitur patet interdum epigramma, quam ut inscriptionis nomine censeatur: contraque est in epigrammate aliquando vis & sententia, quam in inscriptione, angustior. Quod cum ita se habeat; esto tamen huic verbo, cum epigramma dicimus, ista subjecta vis & notio, ut inscriptio, vel superscriptio, vel adscriptio, vel subscriptio nuncupetur universe; sive in fronte collocetur operis, sive tanquam ad basim, seu ipsum sit opus revera, quod solum per se, aut primario loco spectetur. Ceterum mirer hic ego Isidorum vehementer, qui in originum primo libro, epigramma ex ἐπὶ, quod est super, & γράμμα, quæ litera vel scriptio nominatur, compositum esse velit: si non idem gravirer in aliis plerisque interpretandis vocibus & enodandis erraret. Quanquam de nomine epigrammatis minus laborandum puto: quid rei epigramma sit, quo nunc sensu accipitur ab omnibus; quærendum nobis atque explicandum.

NON quo modo res quæ sunt, sive animatas, sive inanimes, vel ex materia & forma, vel ex genere & differentia, presse & anguste possimus definire ac solemus: ita exigendum a nobis aut expectandum, ut res quæ intelliguntur, disciplinas & artes, jura & leges, virtutes & affectus, & quæ morum sunt alia, definiendo exprimamus subtilius atque strictius. Latior his quædam ac velut licentior definitio convenit, vel descriptio potius, ex partibus, ex proprietatibus, ex adjunctis, ex communium frequentia, quæ quidem coacervata sic, proprium quiddam fundent atque constituant. Quo fit ut qualitates naturam subeant; quæ rei accidunt, substantiam: nec fere, nisi congerie & cohærentia quasi similium membrorum, totum id constet; atque adeo quid & quale sit, descriptum appareat. Isto pacto epigramma quid est? Carmen breve, & venustum, aut acutum: indicans & exponens unum aliquid tantummodo: vel concludens præterea inferendo, etiam brevius, venustius, aut acutius. Videsne ut epigrammatis natura, vis, modus, & ratio, concurrant in unum, & opus varium ac tanquam multiforme, quamvis parvum & minutum, efficiant: cujus quidem operis species sive formæ duæ, simplex & composita; partes sint præcipuæ duæ, expositio & clausula; tres autem numero virtutes, brevitas, venustas, acumen? Quid sequitur, nisi ut de singulis seorsim, quatenus tamen conjungi in epigrammate debeant, disputemus?

CAPUT IV.

De brevitate epigrammatis.

QUOD scriptores artis oratoriæ, cumprimisque Isocrates, præceperunt olim, ut narratio, præter ceteras virtutes, brevis sit; id præcipi ridicule diligentissimus artis ejusdem scriptor ait Aristoteles: neque spectandam narrationem brevitate aut longitudine, sed hanc utramque metiendam necessitate & usu; neque plus in narratione, quam in exordio aut peroratione aut mediis partibus orationis, requiri brevitatem: modum ubique adhibendum quem ratio postulet, & res ipsa, de qua agitur, finiat. Jure an injuria reprehensi sint isto nomine rhetores antiqui ab Aristotele, viderint ipsi, qui alias Aristotelem secuti, præceptum nihilominus hoc idem, quod improbat, dederunt, Cicero, Quintilianus, & alii complures. Esto enim; sit in narratione laus aliqua, sit nulla, brevitas: in epigrammate, natura est quodammodo, aut naturæ pars, aut necessaria virtus, sine qua consistere ac tueri se nomenque suum epigramma nullo modo queat.

Verumtamen, quia & multiplex ejusmodi esse brevitas potest, & diversis ex capitibus peti, quæ tandem hæc & unde brevitas, qua non ipsum epigramma facile careat? Equidem omnes video, quotquot aliquid de epigrammate præscribunt, aut plus hic quam ceteri intelligunt, in eo consentire, ut existiment paucis hoc opusculum versibus constare oportere: quorum rursum alii aliis restrictiores, aliis aliud placet. Ac versum quidem unum epigrammati satis esse, eumque minusculum, aut quasi dimidiatum, novimus. Sed quæritur quatenus pergere porro, quousque progredi liceat, atque ubi facere denique finem poeta debeat. In quo ego Græculos recentiores duos nihil moror, qui rem totam definiant angustius: quorum alter versus vetet adhiberi plures duobus; alter quatuor ad summum statuat; quod excurrit, non inutile modo & supervacaneum, verum etiam nimium esse & vitiosum: Sed neque nobis admodum curæ esse debet, quid quisque scriptor artis, licet

his duobus multo prud.ntior, dixerit; cum videamus, quid epigrammatis ſcribendi principes, Catullus & Martialis, fecerint. In hendecaſyllabis, & aliis aliquot generibus numerorum, apud utrumque verſuum magna profuſio, etiam ad quinquageſimum uſque verſum: in elegiacis uterque moderatus ac temperans. Facile ut appareat, quantopere facto hi ſuo refutent illorum parſimoniam, qui tam parvo contenti ſint ipſi, & alios, qui extra modum, quem præſtituant ſibi, prodeant, ſic tanquam largos & prodigos condemnent. Unum tamen admonere par eſt: quod produxerit tantum ſemel, tot libris, Martialis ad viginti verſus epigramma; iterum ſeſe in ſex & viginti effuderit, alias fere ſemper intra diſticha quatuor ſexve conſiſtens; ſatis eum ſigni dare, rarius numero & multitudini eſſe verſuum indulgendum.

Quanquam quid attinet, ex verſibus & paucitate ſyllabarum ac pedum, epigrammatis metiri atque æſtimare brevitatem; aut quid opus eſt, vulgare præceptum neque ignotum cuiquam, inculcare auribus: cum alia quædam, eaque non una ſe brevitas offerat, & ad præcipiendum illuſtrior, & forſan ad uſum neceſſaria magis? Poeta igitur noſter, quiſquis, ut fieri convenit, brevitati conſultum volet, huc ſane incumbat, primum ut non multa epigrammate perſequatur toto: deinde ut ipſa hæc non multa tractet atque expediat brevi. quod alterum quoque multiplici via & ratione aſſequi poteſt: ſive ſummatim quædam complectatur: ſive alia perſtringat leviter, alia indicet atque innuat tantummodo. cum voces faciat vel ſubaudiri, quæ omnino ſuppreſſæ ſint, vel ſemel poſitas, & ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, quod ajunt, petitas, ad plura accommodari. Sed nulla re magis perſpicitur, quomodo conciſum & breve eſſe debeat epigramma, & in quo potiſſimum ea quaſi contractio & exiguitas conſiſtat, quam ſi attendamus hic ad aliquid, unum duntaxat & ſimplex, omnia referri; unum hoc verſu uno fere aut altero, ut ſit tum finis, concludi: quod idem extremum ſi efferatur pluribus, auctius quidem fiat verbis & ſermone; at pondere levius, forma & habitu mancum & mutilum, reipſa decreſcat. Cedo tu, MONTAUSERI, optimum & pulcherrimum ex omnibus, omnium aſſenſu, epigramma Martialis. evolve totum paululum: dilata clauſulam: explica id quod vocant acumen: verſus effice ex duobus plures. aut ego fallor vehementer: aut perierit ſpecies & figura omnis prior; robur, quod ipſum per ſe ſtaret collectum, diſperſum evanuerit; epigramma, quia factum longius, nullum relinquetur.

CAPUT V.

De epigrammatis venuſtate.

QUÆ venuſtas ſit epigrammatis, & in quo ſita, atque unde exiſtat, ut melius intelligatur; non erit inutile præmittere quædam, quæ ad definitionis quoque majorem intelligentiam, reſque iſtius generis quamplurimas pertineant. Carmen breve, quod unam ſimplicemque ſententiam tractet, quale eſt a nobis epigramma deſcriptum, vel tota oratione peræque, vel extrema potiſſimum tractat hanc ſententiam. Inde natæ quaſi ſpecies duæ, quarum altera uniuſmodi & ſimplex, altera compoſita nuncupetur a quibuſdam: altera, uſque a principio ad extremum, velut pari pede, perſequatur argumentum, ſive uno eodemque filo texat opus: altera occupetur potius in fine, & concludere conetur ſermonem ſolertius, & aliud inferat atque efficiat ex alio. Priorem illam Catullus & Græci, paucique ex recentioribus: poſteriorem Martialis, aliique præterea complures ſecuti. Cum autem tres eſſe virtutes perhibentur epigrammatis, brevitas, venuſtas, acumen; intelligi dictum id oportere varie ac diſſimiliter nemo non videt. Ac brevitas quidem eſt utriuſque generis epigrammatum. In ſimplex vero epigramma venuſtas, quæ perpetua eſſe debet, & toto corpore orationis fuſa, cadit. Ad compoſitum acumen pertinet, maximeque regnat ac dominatur extremo loco. Advertunt porro, & quidem oculis perſæpe, imperitiſſimi quique brevitatem. Venuſtas unde accerſatur, quoque modo concilietur operi, non perinde ſentitur vulgo, neque a pleriſque, non indoctis tamen, ſcitur. Quo factum videmus, ut Catullum hæc amœnitate ingenii & lepore omnibus longe præſtantem, cui faciles, ut ſic dicam, annuerint Camœnæ, quique omnes omnibus, ut ipſe loquitur, ſurripuerit veneres; perpauci, quanti oportet, tanti faciant; imitentur, aut conentur imitari, aut poſſint denique etiam rariores.

HIS animadverſis, quænam demum eſt, in primo iſto epigrammatis genere quæ requiritur, venuſtas? Concinna totius poematii ab initio ad finem conformatio, & apta partium inter ſe convenientia, cum certa quadam ſuavitate velut coloris: unde jucundum quiddam & amabile utrinque efloreſcat. Ex una quidem parte ſine ceruſſa & purpuriſſo, neque calamiſtris adhibitis: ex altera vero ſine vilitate, ſine ruſticitate, ſine ſquallore, & maculis. ut natur' ipſa, nuda & tenuis, non tamen expers artis [illegible]nitus; mera ſimplicitas, ſed urbana tamen videatur. Accedant eodem faciles munditiæ: cultus nec diligentior, nec ſumptuoſior: parabilia cetera, & omnia moderata: propterea quod, ſicubi ea, quæ redundant & ſuperfluunt, ſunt offenſioni; offendat magis ac ſæpius hic, in tam minuta re, nimium, quam parum. Quare quod faciunt oratores ſumma cautione, faciunt etiam poetæ noſtri parcius, ut tropos ſive immutationes aſſumant ſibi, non e longinquo, ſed quaſi e vicinia; metaphoras ſeu tranſlationes verecundius admittant; figuris utantur ſententiarum ac verborum, non illis quidem acribus & ſeveris, ſed lenioribus & remiſſis. Neque enim ab his major ulla in opere majeſtas, aut amplior magnificentia, aut dignitas & ſplendor captatur. nitore quodam & lepore carminis placere juvat, legique cum voluptate, non ſectari admirationem. quippe cum omnis hic ornatus totius epigrammatis, ſic tanquam veſtis corpori, reſpondere debeat & aptari rebus, belle & inventis & diſpoſitis, quæ minimum habeant gravitatis ac ſupercilii, lætitiæ & deliciarum plurimum.

Ac ne confundi quidem venuſtatem volo aut æquari cum pulcritudine, neque parem huic formam,

mam, sed supparem: hoc est, si non multo minus aliquid atque inferius attribui; at in uno tenerius & mollius quiddam; in ultero virilius & generosius notari. Bene profecto Græci, qui καλὸν & ὡραῖον, duo esse, ut vocabulis, ita re & significatione, statuant. Quanquam tale aliquid Latini quoque præstiterint, si, quod possunt, pulcrum & venustum, notis quibusdam discernant inter se, ac distinguant gradibus. Distinxit quidem Suetonius, emendatissimus scriptor, a quo Cæsar nescio quis ex primis duodecim, Nero, ut opinor, vultu pulcro magis, quam venusto fuisse dicitur.

Nec vero fugit me, præter venustatem universam & epigrammatis communem cunctis, peculiarem esse quandam & singulorum generum propriam: ut alia sit in hendecasyllabis venustas, & alia in versibus junctis impariter; alia in scazonte, alia in iambo. Sed quia hæc exemplo magis, quam verbis ostendi possunt; & minutius est enucleare quædam: satis habebo epigrammata a primo versu subindicare apud Catullum septem, quæ quisque per otium contempletur, atque expendat secum. 1. *Phaselus ille, quem videtis hospites.* 2. *Ni te plus oculis meis amarem.* 3. *Suffenus iste, Vare, quem probe nosti.* 4 *Peninsularum Sirmio, insularumque ocelle.* 5. *Egnatius quod candidos habet dentes.* 6. *O funde noster seu Sabine, seu Tiburs.* 7 *Hoc, jucunde, tibi poema feci.* Veruntamen & hæc lecta jam tibi forsitan, qui librum hunc legis, & percepta animo, & memoria comprehensa, quæ nunquam effluent. Jamne igitur vides, quam neque tarus lepos, neque modice & ex intervallo sparsus, sed densus, & frequens, immo vero continuus & productus æqualiter, vel potius qui magis ac magis crescat procedens, ut crebra sit repetitio earumdem vocum: repetitio versuum crebra: idem versus extremus qui primus: narratio, fabella, compellatio sui & aliorum, domesticum, ut inter familiares colloquium, sexcentæ ejusmodi festivitates, quas sit & animadvertere facile, & recensere longum, & dulce ac jucundum degustare. Quanquam hic opus moderatione in observando, & medium quiddam tenendum legentibus. Sunt, fateor, qui venusti hujus, quodcunque sit, sensum nullum habeant, quorum obtusa mens est, & parum acre perspicaxque judicium. Sed non desunt quoque alii, qui ubique veneres suspicentur falso; certe quasdam ibi, ubi non sunt, lautitias somnient: cumque simplicia sint, & candida & nata sponte pleraque, aut efficta casu; artificii & mysteriorum arbitrentur plena: & ea se vidisse primos in scriptis, atque inde eruisse, de quibus scriptor ne cogitarit quidem, facile sibi persuadeant.

Ad venustatem suavitas accedat oportet, sive tanquam certa pars, sive ut comes & socia, sive in cumulum denique. Neque enim venustas, si verum quærimus, & recte interpretamur, idem ac suavitas; quamvis alterum alteri sit adjumento, & a se ambo sejungi non ament. Discriminis judicem luculentum habemus, optimumque testem, Horatium: *Nec satis est pulcra esse poemata; dulcia sunto.* Et Dionysius quidem Halicarnassensis τὴν λέξιν καλὴν ab ea, quæ est ἡδεῖα, secernit: & Hermogenis Tarsensis seclusa ab aliis dicendi formis, περὶ γλυκύτητος habetur præclarissima tractatio. Nihil autem vetat, quominus iisdem ex fontibus hauriat hic poeta noster suavitatem, ex quibus ipsi liberæ scriptores orationis edocti & soliti derivate suam. Transferantur ergo huc, quæ præcepta ad eam rem data, quæque subjecta præceptis a rhetoribus exempla; præsertim cum hæc illi sæpe sumant de poetis, & convertant in suos usus. Et quoniam cernitur tum rebus, tum dictione, ut fere alia quæ sermonis sunt, omnis epigrammatum suavitas; complectar brevi, quæ pluribus alii differant.

In rebus, blanda, tenera, mollia, delicata, & similia istorum; si materiem & argumentum præbeant epigrammati, tractenturque non incommode; cui dubium, quin una secum afferant suavitatem, eoque majorem, quo magis ipsa per se blanda, & tenera, & alia, quæ dixi, fuerint? Tum quidquid aut invisum, aut inauditum, aut novum, aut quovis modo admirabile, quod epigrammate brevi a poeta sub uno aspectu ponatur; nonne animos advertit, atque excitat, & subita quadam dulcedine perfusos movet? Postremo quæ reponit Aristoteles in jucundis, libro rhetoricorum primo; quam multa autem totis paginis reponit! horum profecto nihil est, quod non in epigrammate decenter apteque, ut par est, positum, cum quadam suavitate, delectet, ad seque rapiat.

In dictione, vitanda potius aliqua censuerim, quæ obsiot suavitati, quam accuratius exquirenda, quæ efficiant, aut augeant. Nolo primum, quod est in literis plenius ac sonantius, id continuari nimis. vocales ut A & O, quæ vastum quiddam & opimum reddunt, segrego frequentes a verbis. Neque placet crebra vox vel unius solummodo, vel plurium duntaxat syllabarum; si hæc inter se duo non misceantur. Structura vero & compositio omnis, ne sit aut nimium concisa, quæ membris minutis carpatur; aut productior, quæ circumscribatur longo anfractu. Sed nihil quidquam tam sancitum rhetorum præceptis omniumque assensu, quam ut lævis sit & perpolitus tractus orationis, & qui fluat æquabiliter ac sine ullis salebris, & qui cohæreat quamaptissime hoc est, quemadmodum distincte ac præcise & sæpius loquitur orator, neve asper sit, neve hiulcus. quæ diversa tamen esse duo, non animadvertitur satis a plerisque, nec qualia sint. Asperitatem habet concursus literæ M cum insequente vocali frequentior: literæ S cum litera X utriusque secum: aliarum quoque aliquot, quæ non minus rudes sint, & quasi confragosæ, & ad pronunciandum difficiles. Habet hiatum concursio ipsa vocalium inter se; illud item si fiat sæpius & continenter, sive in iisdem vocalibus, sive in diversis, aut in brevibus denique aut in longis. Quod si utrumque jam conjuncte quis faciat, ut & consonantes velut collidant ac rixentur, & hient vocales ac diducantur vastius: quid magis scabrum & nodosum, quid insuavius & auribus injucundius constructione tota hac verborum, quæ quodammodo coagmentata & lenis esse debeat, fingi atque excogitari potest? In monitis porro præceptisque ea de re suis, cum & Cicero & Quintilianus ad minima quæque ita descendant, ut hoc ipsum quasi

supervacaneum, aut quasi sese dedeceat, excusandum putarint; tum communis est amborum præscriptio, id ne fiat operose, quod esset cum infinitus, tum puerilis labor; ne fiat aperte, ut factum de industria non appareat.

Quanquam, quod mirere, doctissime MONTAUSERI, videntur hi duo locuti inconstanter, nec alter ab altero, sed a sequisque dissentire. Quatuor egit locis Tullius de concursu crebriore fugiendo vocalium, qui vastam & hiantem orationem reddat, ideoque minus gratam & suavem. Libro de oratore tertio, ad Quinctum fratrem: *Collocationis est componere*, &c. Eo, quem oratorem inscripsit libro ad M. Brutum: *ne extremorum verborum, cum insequentibus primis concursus*, &c. In partitionibus oratoriis ad M. filium: *conjunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disjunctos atque hiantes.* Quartus, isque valde insignis locus, in oratore est ejusmodi: *Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille quasi hiatus concursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis, quam de verbis laborantis.* Removet nimirum omnem curam suavitatis a summisso, quod ipse constituit ad arbitrium, genere dicendi: quam quidem suavitatem esse vult mediocri & temperatæ orationis formæ reservatam. Ac prius ea, quæ dixit, præclare inter se cohærebant omnia. veruntamen, qui significavit toties hiatum ex vocalium concursu nasci, ex hiatu duritiem contrahi sermonis, a qua magnopere refugiendum sit; idem nunc cum dicat hunc concursum, hunc hiatum habere molle quiddam, & quod auribus gratum accidat: quomodo consentanea loquitur? Docuit etiam Fabius inter se vocales, si fiat sæpius, concurrere vitiose: minimam esse in duabus brevibus offensionem: magis eum peccare, qui præponet longæ brevem, & adhuc qui longis breves subjiciet: pessime longas, quæ casdem inter se literas committunt, sonare. Quod autem adjunxit, coeuntibus literis, quæ συναλοιφὴ dicitur, leniorem fieri orationem, & nonnunquam hiulca etiam decere: quam in rem verbis iis utatur Ciceronis, quæ proxime attulimus: nonne merito videtur quoque pugnantia loqui? Quid illud vero, quod Tullio & Fabio Aulus Gellius in eo assentitur, in quo uterque a seipso diffidens ipse, secumque discordans a nobis ponitur? *Vocalis*, inquit, *in priore versu extrema, eademque in sequenti prima, canoro simul atque jucundo hiatu. tractim sonat.* Hujus autem rei exempla cum ex Homero, eque Catullo & Virgilio depromat; ut suavitatis & consonantiæ cujusdam jucundæ exempla recenset, consultoque factum ab hisce poetis, non fortuito, existimat. In tanta pugna doctissimorum hominum quid nos facere par est, optime MONTAUSERI, aut quo quemque modo adducere in concordiam, & reconciliare sibi possumus? Via, ut opinor, & ratio duplex. Primum si dicatur, in vitio ponendum concursum vocalium frequentiorem; virtutis habendum loco, modicum & rarum: illum durum & agrestem: hunc non insuavem neque injucundum. Deinde si rem sic interpretemur: negligere suavitatem sponte ac voluntate sua, cui plerique anxie & misere serviunt, dulce atque jucundum negotium. ut negligentia dicatur hic non ingrata, quo fere modo negligentia dicitur in re familiari laboriosior, quam diligentia: aut incompta mulier & inornata, quam idipsum deceat. Ceterum qui inter Latinos scripsere primi nec polite nec luculenter, hos utroque insigne vitio fuisse, & aspere & hiulce locutos apparet, cum ex eorum scriptis totis, tum etiam ex fragmentis. quam duritiem & quasi mœstitiam sermonis consequens ætas mitigavit. Lucretio lenior multo Virgilius in hexametris: Catullo in alternis versibus longiusculis Ovidius. qui quidem, cum Tibullo jam & Propertio cœpta res esset, ad extremum ipse dictionis has asperitates & hiatus non modo imminuit, verum etiam funditus ex poesi tota sustulit. Nobis certe pueris, in eam rem inquirentibus studiose, magistrorum admonitu, versum duntaxat unum licuit olim notasse, ubi poeta, cum præterquam solet, trium syllabarum verbo pentametrum, ut appellant, concludat, cumque magis etiam quam solet, ad prosam orationem versu accedat; tum vero durior visus est, neque in lenitate constans sibi. *Vix excusari posse mihi videor.* versus unus omnium fortasse durissimus, & vix, opinor, excusandus. ut ne ipse quidem hic, oratione soluta utens, durus non forem; nisi, opinor, interposuissem.

CAPUT VI.

De origine acuminis in epigrammate.

TRIA quædam in omni oratione esse video maxime ad pariendam delectationem comparata, jocosum, venustum, acutum: quorum rursus unumquodque multis nominibus notetur. Jocosum non aliud videtur esse, atque ridiculum, facetum, dicax, urbanum, salsum: quæ Fabius tamen Quintilianus inter se utcunque distinguenda putavit, cum diceret: *Pluribus nominibus in eadem re vulgo utimur: quæ tamen si diducas, suam propriam quandam vim ostendent.* Venustum placet idem dici, quod lepidum, concinnum, festivum, bellum, scitum: quæ dicta per congeriem, poterant a nobis distingui, si libuisset, aut si quid pertineret ad rem tam minuta nominum enodatio. Nunc autem conveniunt acuto etiam nonnulla, quæ idem valeant, argutum, subtile, solers, callidum, &, quod alias latius dicitur, hic restrictius, ingeniosum. Omitto cetera: duo voce prope eadem, acutum & argutum, utrum aliquod apud scriptores optimos discrimen habeant; quoniam erit hoc usui fortasse; videamus. Certe ab auctore magno linguæ Latinæ, & amplificatore ac perfectore Tullio dicitur Brutus nescio quis de suavianda matre, id est, terra, communi hominum parente, acute, arguteque conjecisse. Tum idem alio loco Tullius, *si*, inquit, *mihi acute arguteque responderit.* Hæc autem ne quis juncta semper συνωνύμως arbitretur esse, facit, quod ipse Cicero ait, sententias infimo generi orationis ad docendum convenire acutas, ad delectandum quasi argutas. Jam cum Horatius, scriptor sane purissimus, judicis & censoris acumen argutum, adjecto ad nomen vocabulo, dixit: num-

numquid & satis ostendit unum ab altero diversum esse? Ex quibus quoque apparet non modo inter se differre acutum & argutum; sed etiam hoc aliquanto plus, quam illud, existimandum videri. ut acumina levius sint aliquid & minus: argutiæ efficientius & actuosius. Sed & acutum ipsum per se quid sonet, quantumque valeat, & forsan ignoratur vulgo, & percipi tamen vel ex eo potest, quod sit acutus mucro, acies exacuatur, acumen in utroque insit: ut alterum cæsim, alterum punctim feriat. Verumtamen & hoc indagandum relinquo morosis grammaticis, ac velut artis intimæ suæ aperiendum mysterium: & utrumque confundendum tantisper, proque eodem accipiendum, facilioris doctrinæ causa, puto: ne & ipsi nimis hic acuti argutique esse velle videamur.

Hoc igitur, quod appellationis est & nominum, constituto, visne, SANCTAMAURE MONTAUSERI, propius accedamus ad rem: acumen repetamus jam inde ab ortu suo: notemus quos id progressus in oratione tum soluta tum astricta versibus habuerit; per quos scriptores creverit; quibus doctrinis atque artibus adhibitum tractandis & explicandis enituerit: denique indicemus, qua huc via & ratione venerit, ut sedem loco & ordine extremam in epigrammate, principem dignitate obtineret? At vere quidem & proprie dicere possumus, acumen ingenio non minus natu, sed hujus æquale prorsus ætati esse. Nam ut primum erupit ingenium foras, seque verbis & oratione prodidit, & specimen aliquod exhibuit sui conando; tum quoque acumen extitit, & argutiæ, quasi quædam scintillæ tritu lapidum, effulserunt. Inde nimirum acumen in topicis ad inveniendum, in dialecticis ad differendum, in oratoriis ad ornandum: cumque uno consensu Græci tribuerint vim Demostheni, suavitatem Isocrati, Lysiæ subtilitatem, aliud aliis; acumen & argutias Hyperidi reliquerunt, ita partibus, ut dixi, factis. Jamvero Latini, a primo diuque, prudentes magis quam acuti: postremis demum temporibus, quodcunque hoc erat acuminis uspiam apud alios, sive marte suo & industria, sive peregrinis & externis nationibus in urbem infusis, assumpserunt sibi immoderatius; factique sunt hac virtute forsan vitiosi.

SED hæc qualia Romæ & in Latio quantaque fuerint, ut planius dilucidiusque fiat; recordari placet ac distinguere tempora diversa duo scriptorum: prius, centum & sexaginta retro annorum ad mortem usque Ciceronis: posterius, annorum totidem deinceps. Unde autem disci melius potest, quam ex eodem Cicerone, quinam hoc genere laudis scriptores floruerint ante ipsum: cum & scriberent initio nulli, causas dicerent duntaxat; nec multi postea mandarent quidquam literis; pauciores etiam in eo, quod scriberent, acumen ullum suum peculiarius ostenderent aut insignius? Ac eo sane Tullius libro, quem Brutum inscripsit, claros oratores, qui quidem vivere desiissent, cum persequeretur numerando, & suam cuique tribueret laudem, & in quo quis excelluisset maxime, non taceret; si quis acutior præter ceteros fuisse, declaravit quoque. non ita tamen, ut primaria laus ea, & summa commendatio foret, sed ut lumen aliquod, aut flos ingenii gratus quidam, non fructus, & maturitas, atque optimum quodque videretur. Quin & perpaucos isto nomine laudatos ab eo video, hoc est, sedecim modo, aut octodecim, in tanta eorum multitudine quos recensuit; & quod magis mirum, conjungi cum acumine multa vitia, quæ tollere hæc virtus & vis ingenii, aut obscurare sane & compensare debuerit. Audi, quæso, quo Tullius pacto duos quosdam sibi notos oratores vituperet pariter, & aliqua ex parte deprædicet. *Omnium*, inquit, *oratorum sive rabularum, qui & plane indocti, aut inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo & acutissimum judico nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gergonium.* Idem videlicet acutissimus, idem indoctus, inurbanus, rusticus.

Præter hæc autem animadverti, & falso acutos videri nonnullos, qui revera acuti non sint, & obscuros alios evadere, qui nimium sint acuti. Illud prius de Cn. Lentulo: *Cum esset*, inquit, *nec peracutus: quanquam & ex facie & ex vultu videbatur.* De C. Pisone: *Minime ille quidem tardus in excogitando: verumtamen vultu & simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur.* Hoc posterius quod de Philisto deque Thucydide: *Horum concisæ sententiæ, interdum etiam non satis apertæ cum brevitate tum nimio acumine.* idem de C. Visellio Varrone: *Orator populo non erat satis vendibilis: præceps quædam, & cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida & celeritate cæcata oratio.*

Jam historici & poetæ Latini, eadem memoria, quantum acuminis habuerint, non est meum aut cujusquam assequi intelligentia, aut verbis exprimere: cum ad eam usque diem historicus nemo valde nomine dignus, auctore Cicerone, extiterit; nemo, Plutarcho auctore, poeta melior ante Ciceronem, quam Cicero ipse. Ac per id tempus omne servatus modus: immo vero summa parcitas acuminum fuit: pauci ea laude insignes, quæ neque laus habita, neque præcipua scriptorum.

SED hactenus intervallum ab Cethego consule ad Ciceronis usque mortem. Sequitur hinc ad Trajanum spatium, quod decurrit, annorum quoque circiter sexaginta supra centum: sed longe dispar ac dissimile spatii illius prioris. Postquam enim vir eloquentissimus mortalium, miseram illam proscriptionis & fatalem fugam executus est, in qua concidit; Roma fugisse, una cum ipso, literæ, humanitas, sermo purior & elegantior, atque occidisse videri potuerunt. Inde patroni ex oratoribus & advocati, diserti ex eloquentibus, acuti evaserunt ex copiosis. ut vere dicere liceat facta pleraque, & deteriora, & minora. Quidni autem dicamus, quod non tantum non diffitentur, qui degenerarunt sic a majoribus suis, & ab optimo genere scribendi defecerunt; sed indicant etiam ipsi priores, & ultro profitentur ac palam confirmant, Senecæ, Plinii, Quintilianus, Tacitus, alii, quorum opiniones sensusque animorum novimus, nomina ignoramus? Quanquam, ad propositum quod attinet, nihil est necesse dici, quod isti loquuntur, quodque nos videmus, tunc mutari cœptum genus orationis in deterius neque

 id

id ago nunc: neque me decet, hoc quidem loco qui ea quæ dicerentur acute, instituerim ac debeam laudare potius, quam vituperare, aut aspernari. Quamobrem non dico, rationem formamque sermonis Latini statim ab interitu Ciceronis factam, vel pejorem, vel meliorem. Aliam dico; recte an secus, nihil affirmo in præsenti; secutam, ab eoque quod proxime antea fuerat, diversam: qui autem sese immutarint ita & tam cito, eos acuminum vim & copiam consectatos fuisse potissimum.

Ecce occurrunt primi nobis declamatores, qui sive suasorias aut controversias dicerent animi gratia, sive pararent se foro, sive etiam tunc, cum agerent causas, declamarent, sive sublatis judiciis, hoc ipsis quod reliquum esset, repeterent exercitationis genus; soli, convocatis amicis, coacto in auditorium populo; tot enim modis, ob easque res, frequens habebatur ista velitatio, novis acuminibus & argutis sententiolis impleverunt omnia. Unde habes, inquies. Ex iis, qui eadem vixerint ætate, quique rem probarint, quique ipsi usurparint. Ex iis rursum, a quibus reprehensus iste mos; desideratus certe modus in eo aliquis, & conditiones aliæ; quamque hic multa peccarentur, ostensum. Evolve Quintilianum, & perlege aliquot locis, uno loco Petronium, Tacitum Dialogo disputantem in contrarias partes, de claris rhetoribus Suetonium: genus profecto loquendi agnosces illius temporis, cum abruptum & concisum, tum acute sententiosequе dictis abundans & refertum. Sed huic rei testimonio præcipue, unus pro centum nobis esse potest Marcus Seneca rhetor, Lucii Senecæ philosophi pater. Cum instar centum esse nobis posse unum dico; cave putes, MONTAUSERI, parum me proprie vereque loqui. Dico quod res est: nihil affingo: nihil exaggero. Nonne hic Seneca declamatores nobis ad centum protulit nominatim? nonne ex singulis decerpsit, & in unum collegit multa & varia seu effata, sive apophthegmata, sive commode & breviter dicta? nonne eadem subtilitatis & argutiarum plenissima? quæ si tantulum immutemus, si paullo aliter conformemus; in epigrammatum illico transeant formam, & ex prosa oratione peracuta carmen minime obtusum efficiant.

Etsi autem nihil minus videtur esse narratoris & veri ac simplicis historici, quam ita argutari, ut declamatores isti fecerunt: tamen traxisse inde aliquid video, & imitatione expressisse historicos, qui tum florerent. Cœpit Velleius Paterculus, haud paullo, quam superiores historici, acutior: cui plurimum sane Valerius Maximus addidit: cum & Plinius major ejusmodi pigmenta identidem asperserit libris naturalis historiæ suis; & minor in panegytico ad Trajanum imperatorem ea frequentarit quammaxime; & totus in iisdem Florus libro historiarum quadripartito fuerit; & Tacitus denique sententias habeat tam concinnas & acutas, quam graves & severas & scriptore politico dignas.

Ad poetas transeo, quos hæ lasciviæ & aucupia sermonum decuerint magis. Apud Ovidium cum in heroidum epistolis, tum vero præcipue in libris metamorphoseon deprehendunt, qui ista curant, multa solerter & acute dicta. Sed advertit nemo, quod sciam, unde exorta hæc ei præter ceteros libido, & quæ causa festivitatis novæ, & prioribus inusitatæ poetis, esse potuerit. Natus Ovidius eodem, quo Cicero mortuus, anno, in hæc incidit tempora, ut ita dicam, declamatoria, hoc est, ea, quibus inductus primum est, & valere cœpit; & in honore esse, strictior is habitus & comptior scripturæ; ubi color sententiarum, plurimi ac densi sensus, & qui cum quodam lumine terminarentur, non tarda nec inerti structura. Sic enim nove loqui cœptum est de novo genere loquendi. Itaque ejus adolescentia iis maxime studiis ac disciplinis declamitandi traducta, exercitaque tunc, cum Portio Latroni & Arellio Fusco rhetoribus daret operam, cumque sese non ad forum, a quo laboris fuga abhorrebat, sed ad poeticam, in quam erat natura propensior, contulisset: detulit una secum figuram hanc & formam sermonis, cui assueverat aliquandiu, & institutum jam oratione soluta morem retinuit in versibus. Seneca rhetor libro II. controversia X. *In armorum judicio dixerat Latro; Mittamus arma in hostes & petamus. Naso dixit: Arma viri fortis medios mittantur in hostes: Inde jubete peti.* Lib. III. controv. VII. *Alfius Flavus hanc sententiam dixit: Ipse sui & alimentum erat & damnum. Ovidius: Ipse suos artus lacero divellere morsu Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.* Lib. V. controver. XXXIII. *Dixerat & illam sententiam Labienus: Date miseris, quod unum percipere gaudium possunt. Ovidius, occiso Achille: Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset, Hoc fuit.* Sed cur ego, quid simile habeat Ovidius declamatorum, perscrutor & investigo; cum indicare possim, quid simile habeat sui ipse, qui declamavit, & cujus extat declamationum fragmentum? Ex quo quamvis perbrevi fragmento pauca hæc degustemus licet. *Facilius in amore finem impetres, quam modum. Tum hos pones terminos, ut nihil faciant, nisi considerate; nihil promittant, nisi ut jus facturi; omnia verba ratione & fide ponderent. Senes sic amant. Quid ad patres pertinet, quod amantes jurent? Si vis credere, nec ad Deos pertinet. Fer, socer, felicitatem tuam. Magnum tibi quam parvo constat exemplum.* Quin etiam hoc Ovidium vitio laborasse intelligimus, cui declamatores persæpe affines, qui nimium indulgerent argutiis: ut corrupte quoque diceret, &, quæ una ex multis est corruptarum sententiarum ratio, eadem iterum ac tertio repeteret. Seneca pater, *Habet*, inquit, *hoc Montanus vitium. sententias suas repetendo corrumpit. dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit ne bene dixerit. Propter hoc solebat Montanum Scaurus inter oratores Ovidium vocare. Nam & Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere.*

Secutus Ovidium Lucanus. ambo inter se, quanquam in diverso genere scribendi, non omnino dissimiles. illius siquidem nitidiores, ac velut amœnæ sententiæ: hujus graviores & austeræ: in utrisque sua vis, suus decor, suum acumen non desideratur. Quod si vero existimatur propior historico Lucanus, quam poetæ; quod parum figmenti & fabulatum habeat: quid est, cur non propior quoque declamatori videatur, quia plusculum habeat acuminis & sententiarum? Acuta certe apud hunc & sententiosa pleraque: sed in

pri-

primis epiphonemata, quæ ſunt, ut Quintilianus definit, rei narratæ, vel probatæ, ſumma exclamatio Cujuſmodi illud : *Victrix causa Diis placuit: ſed victa Catoni.* Quo loco meminiſſe potes, MONTAOSERI, quæſitum merito a nonnullis patrum memoria fuiſſe, quis ex ſummis tribus poetis laudarit ingenioſius & ſolertius Catonem. Virgiliuſne dimidiato verſu, qui Manibus eum apud inferos judicem præfecit : *His dantem jura Catonem.* an Horatius, qui binis verſibus eundem fecit a Cæſare invictum, qui tamen Cæſar vicerit omnia: *Et cuncta terrarum ſubacta, Præter atrocem animum Catonis.* an hoc denique, quem ſupra poſui, Lucanus verſu, in quo Catonis judicium Deorum judicio anteponat; immo hos innuat iniquiſſimos, qui cauſæ faveant quæ cauſam non habet; illum æquiſſimum, qui bonam, malo maximo ſuo non deterritus, cauſam ſuſcipiat. Augere poſſum dubitationem, contentione Ovidium inter & Martialem facta, uter in eodem ornando Catone acutior, cum fuerit uterque acutiſſimus. Quo fere pacto verſibus prolatis duobus, altero Propertii, Ovidii altero, *Venturæ memores jam nunc eſtote ſenectæ;* &, *Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam;* cum eadem ſit ſententia, eædem voces præter has, *memores eſtote*, &, *diſcite ſentire;* quæſtionem alias ponere ſolebam per ludum & jocum, primo cujus eſſet ſcriptoris alteruter verſus; deinde uter eſſet ſignificantior ac diſertior. Sed hæc, & alia curioſius, quam utilius, quæri ſentio. Reddamus cetera de proceſſu acuminum, deque eorum ſtato & immobili demum loco futuro, quæ reſtant.

In tragœdiis octo, quas unum in volumen relatas habemus, quis non videt acute dicta, ſive alternis intorta breviter eadem ſcena, ſive fuſa per ſingulos actus, ſeu continenter interdum producta, tenere principatum? Cum ſint autem hæ tragœdiæ non unius ſcriptoris, ut inſcribitur vulgo, nec duorum, triumve, ut ex doctis nonnulli ſentiunt; ſed totidem ſcriptorum, quot ſunt ipſæ numero tragœdiæ, & ſuum quæque nacta fuerit auctorem; ut qui rem propius ac per otium conſiderarit, haud dubie comperiet: quis quoque ignorat, non peculiarem & paucorum hunc ſermonem acutum; ſed communem & uſitatum, & ſæculi quodammodo fuiſſe?

Longo tandem intervallo ad poetas epigrammatum ſcriptores venimus, atque ad Martialem, facile omnium hac argutius ſcribendi laude principem. Et vero in epigrammatis ſedem videtur acumen, ubi conſiſteret, poſteaquam per ſingula ſcriptorum genera erravit, delegiſſe certam ſibi & ſtabilem, ac fixiſſe in perpetuum: hos fines, & ditionem, & regnum, & domicilium obtinere. Aliis in operibus partem faciebat operum acumen: in hoc opere opus totum occupavit. Illic acumen ut ſtellæ, & lumina, & quaſi in ornatu inſignia: hic ut ſolum & fundamentum, aut ut perfecta abſolutio & faſtigium, vel potius tanquam anima in corpore. Illic ἡδύσματα, condimenta, bellaria: hic ἐδέσματα, epulæ exquiſitiores, caput cœnæ. Poſtremo ſatietatem res, & quidem celerem, habebat: & vertebatur vitio, ſi qui tranſilirent modum, & crebrius & ſpiſſius facerent. vix quidquam ejuſmodi in epigrammate nimium eſſe poteſt, ubi in eo cardo rei & totum fere conſiſtit, ut epigramma ſit acutum.

Atque hoc, SANCTAMAURI, tempori aſſignandum, de quo dixi. Quemadmodum enim alii aliis temporibus mores, vitia & virtutes: ita alius alias & ſermo, &, qui ſermone exprimitur, ſenſus animorum. Verumtamen quid ſi illud idem nationibus adſcribi diverſis poteſt, quarum aliæ aliter pro varietate morum loquantur? Accipe vero rem non illepidam. Erudita præfatione in centum & quadraginta quinque declamationes Quintiliani, ſumme deprædicat Petrus Pithœus Gallos, quod in eo ſtudii genere excelluerint, ad eamque dicendi vim, quæ tum in urbe vigeret, ſe Romanis ipſis auctores, duces, ac magiſtros præbuerint. Idem teſtimonium tribuit, atque eandem laudem vindicat Hiſpanis Andreas Schottus, ſuo quoque in Senecæ declamationes quodam, nec minus nobili prooemio. Quæris, quid cenſeam? Laudem in communi opera communem puto: eſſe, quod utraque gens partem ſibi ſuam tollat. Quæris, quid malim? Neque hoc, neque illud: & prope eſt, alios ut malim, potiores, meo judicio, vereque Romanos, qui ab utriſque nihil didicerint: ut Livium & Suetonium in hiſtoricis, Virgilium & Horatium inter poetas, quibus nihil eſt iſtiuſmodi, aut parum admodum, argutiarum.

CAPUT VII.

De generibus acuminum in epigrammate.

FREQUENS omnino & familiaris rhetoribus, ac ſæpe neceſſaria, ex rebus & verbis petita diſtinctio. Et tropos enim in uno verbo ſeptem, in oratione quatuor ponunt: & ſchemata volunt eſſe verborum ac ſententiarum: & jocos ac facetias cum in re, tum in dicto verſari. Similiter nihil obſtare video, quominus acute dictorum genus a nobis conſtituatur duplex, quorum alterum in re poſitum, alterum in verbis inſit. Ac de poſteriore hoc genere videtur minus dicendum: non quia rem levem & contemptam putem & puerilem, id quod nonnullis exiſtimatum: ſed quia & majora nos ad ſe vocent; & ea res tota ex aliquot Martialis in iſto genere epigrammatis percipi facillime poſſit; & huc, quæcunque de facetiis verborum Tullius habet, ſi accommodentur, ſatis ſuperque ſit futurum. Ad fontes igitur, unde hæc haurire dicta liceat, & ad ipſa capita fontium, digitum intendo, & commonſtro viam, qua illuc eatur: ſimul & ſemitas oſtenſurus, quæ ad reconditiora quædam & interiora deducant.

I. Principio ſuos ab oratoribus locos mutuari par eſt & conducit: ex quibus unis & eiſdem, ut iſti eruere ſolent duo, & argumentorum vim ac robur ad faciendam fidem, & copiam amplificationum ad rem augendam; ita noſter aſſumet poeta & clauſulam epigrammatis & clauſulæ acumen. Nec vero ullum e ſedecim numero, quos inſitos appellant, locum excipio; nec parum idoneum, aut uberem & fructuoſum fore judico. Quare qui proferunt tres quatuorve rhetoricos locos duntaxat,

taxat, e quibus epigramma ducatur, ut a contrario, a dissimili, a comparatione majorum, minorum & parium; aut exempli causa & brevitatis, aut quia præcipui sunt, solos proferunt; non quod, opinor, excludi alios velint, vel inutiliter adiri arbitrentur.

II. Neque negaverim ex tropis aliquot, ex innumerabilibus figuris, ex omni reliqua supellectili, quæ sit in oratorio instrumento, depromi aliquid & suppeditari ad certam vim rationemque, ac præstantiam acuminum. Sed hæc quia sunt in promptu patentque omnibus, prætereaque referuntur ad elocutionem magis & ad ornatum, quam ad ullum acumen: possum ego vel alium commodiorem in locum rejicere, vel aliis post me, qui se tradituros, quæ sunt epigrammatis, cuncta profiteantur, disserenda relinquere.

III. Petuntur quoque a joco & facetiis aliquando acumina. Nec abs re profecto. Nullas siquidem istarum festivitatum facile reperias sine acumine, quod pungat, quodque quoquo modo sic tanquam cædat. tametsi contra risum non moveant acuta quamplurima: sed ut erudite & eleganter & scite dicta laudentur, atque admirationem quandam pariant. Ex quo intelligitur latius patere acute, quam jocose dicta, neque hæc inter se reciprocari: cum facetiæ acumen omnes habeant; acumina seria plerumque sint, nec in joco semper, sed & in gravitate versentur. Itaque cum ageret de jocis Tullius, ipsos distinxit nonnunquam ab acute dictis, quod hæc sæpenumero forent sine illis: alias confudit, quod his illi nunquam carerent. Confudit: *Cum duo*, inquit, *genera sint facetiarum, alterum peracutum & breve . . . Est plane oratoris movere risum, vel quod admirantur omnes acumen uno sæpe in verbo positum . . . . In dicto ridiculum est id quod verbi aut sententiæ quodam acumine movetur . . . Etiam interpretatio nominis habet acumen . . . Acutum etiam illud est, cum ex alterius oratione aliud excipitur atque ille vult . . . . Movent illa etiam, quæ conjectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne.* Distinxit: *Ambigua non sæpe magnum risum movent: magis, ut belle & literate dicta, laudantur . . . . Illa, quæ verbi ratione & vi continentur, plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent.*

IV. Ac nihil quidquam tam frequens usitatumque in epigrammate, quam ut ratio rei, ceu latentis & occultæ, quæ proposita sit in medium, & explicata deinceps, postremis versibus reddatur in clausula. Quamobrem eo magis providendum erit poetæ & suscipienda opera, ut, quod sæpius fieri solet, rectius fiat atque convenientius. Primum reddi simplicem & unam rationem oportet, aut ad summum alteram, ne vel longior, quam par sit, clausula existat, vel implicatior, ideoque obscurior: quæ ipsa clarissima esse debet, cum lucem impertiat prioribus dictis. Potest autem vera afferri causa rei: neque obstat quidquam, quo minus a poeta audire verum liceat in epigrammate; dummodo id, quod vere dicitur, obvium ne sit, pervulgatumque omnibus, nec facile cuivis veniat in mentem. Quid enim magnum ea res habet, aut novum, aut acutum, si in propatulo sit & nota per sese, atque incurrat statim in oculos legentium? Nec est tamen necesse causam, quæcunque in conclusione epigrammatis affertur, veram esse: sed satis superque ducere debemus, si verisimile id totum, & probabile, & speciosum esse videatur, habeatque aliquid convenientiæ & consensus. Robore ac firmitate invicta quadam, contra quam dicere nemo queat, mihi crede, nihil opus est. Exempli gratia: quodcunque hoc ratiunculæ, in epigrammatis clausula apud Martialem, adversus eum, qui sibi ipse volens consciscat necem; *Hic, rogo, quis furor est, ne moriare, mori:* quis homo Romanus non facile ita infirmet ac diluat? Non est furentis mori velle quamprimum, & quam citissime, ne lenta morte, ne crudeli pereas; ne ignominiam feras, ne injurias victoris superbi & insolentis; ne captivus ducaris in triumpho. Rursus illo in epigrammate ejusdem scriptoris;

Quid mirum, toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco:

factum casu, ut Pompeius in Ægypto, Pompeii liberi, alter in Europa, alter in Africa, occumberent & humarentur. Vera hæc causa, vel potius fortuna hæc fuit. Partem autem orbis terrarum, unam e tribus, parem non fuisse capiendis sinu & gremio ternis quoque corporibus; bella falsitas, plausibile mendacium; & ob eam causam gratissimum, quod excogitatum solerter & ingeniose. Usque eo verum est, quod acute dicitur, quamvis dicatur falso, videantque omnes falso dici; nihilo minus, immo plus sæpissime, quam quod reipsa gestum est, aut evenit, atque ita sese habet, delectare.

V. Locum etiam, in coaclusione præcipue & extremis versibus epigrammatum, obtinent ex ambiguo dicta: quæ si ademeris poetæ nostro, maximam partem acute dictorum ademeris. Tullius, *Ex ambiguo dicta*, inquit, *vel argutissima putantur.* Et paullo post: *Ambigua sunt inprimis acuta.* Postremo: *Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime. Ingeniosi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere.* Hic veterum & Græcorum & Latinorum sensus, hic olim gustus communis omnium.

Atenim nunc quidem, tanto post, sapiunt aliud alii nonnulli. Qui tandem, & quod habent palatum novi homines, omnis amphiboliæ contemptores? aut cur non modo non adhiberi parce amphiboliam, sed ex toto etiam repudiari volunt? Ambigua sunt, inquiunt, ita linguæ propria unius, ut non transferantur in aliam. Primo falsum in plerisque. Deinde sit ita: quid tum? Idcircone dictum ex ambiguo minus elegans & concinnum, quia magis unius linguæ proprium? Ludicrum & leve negotium, ambigua: neque tanti putandum, ut distineat & moretur occupatos. Res scilicet valde gravis, epigramma scribere, qua sit hic indignissimus in ancipiti verborum significatu lusus. Quam rem tamen si gravem esse concedimus, & majoris cujusdam operæ & contentionis, non temporis subcisivi: cur admittet oratione sua orator ambigue dictum, sibique aliquando appetet ad varietatem & ornatum; poeta, & epigrammatum scriptor poeta, excludet, atque a gravitate alienum existimabit?

Ac

Ac ne isti quidem, qui ambigue dicta sic fastidiunt, non adscribunt in numerum præstantissimorum epigrammatum ea, quæ sententias habeant in verbis, quod est ambiguorum proprium, differentes duas, aut plures. Quid enim? vel illud Martialis in principio primi libri, quomodo, nisi ambigue prolatum, & duplicem in partem acceptum, procedit, aut constare potest?

Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una:
Cum verus patriæ diceris esse pater.

Hic, primo loco, vocem, pro lingua sive idiomate; secundo loco, pro sermone sive pro sententia sermonis, quis non videt usurpari? Alia, inquit Martialis, atque alia lingua hospites ac peregrini, qui visendi studio Romam confluxerint undique, utuntur. qui tamen sonant ac loquuntur idem: cum patrem te patriæ, o Cæsar, omnes uno ore pronuncient.

Ambiguorum porro duo genera, quorum alterum in verbi vi ac ratione positum; alterum in re ac sententia inhæret. Prioris generis illud Catulli in verbo, opponere, cujus est notio & potestas duplex. Apud Martialem in verbis, legere, relinquere, excidere, aliis similibus. Posterioris generis cum sexcenta Martialis exempla suppeditat, tum hoc utrumque insigne. Libro II. epigr. 65. *Nollem accidisset hoc tibi, Saletane.* Quo versu incertum quid significet: Nollem extulisses uxorem, Saletane; an, Nollem morte uxoris tantam hereditatem crevisses. Libro IV. epigr. 33. *Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.* Atque hic dubites utrum velit, edine jam oportere scripta Sosibiani, non expectato herede; an ipsum jam mori, herede, ut facile fuit, invento. Quamobrem miror equidem, MONTAUSERI, quid sit cur Tullius, tam prudens & accuratus scriptor in præceptis dandis, quam eloquens in agendis causis orator, ambigua velle videatur in verbo esse posita duntaxat, in re non item: cum ea, quæ, quibuscunque verbis dixeris, manent, statuat re contineri: quæ mutatis verbis vim amittunt, in verbo pondus habere & momentum suum judicet.

VI. Sed ex his omnibus nihil magis approbationem movet legentium, aut eorum, qui scripserint, ingenii aciem commendat, quam cum aliud expectamus, aliud dicitur: propterea quod natura nos, ut non semel Cicero dixit, noster delectet error: quem nobis errorem is objiciat, a quo expectatione decipimur. In quo illud quoque admirandum sæpe mihi videri contigit, quomodo e rebus tam contrariis & repugnantibus unus & idem nascatur eventus. Dum primis & mediis epigrammatis versibus & sententiis ita lectoris animus præparatur ad intelligendum, ut priusquam pervenerit ad finem legendo, pæne divinet, quæ futura sint extrema: gestit ac triumphat gaudio, & ante inventis fruitur. Contra cum opprimitur ex improviso, eique tota præter expectationem clausula quodammodo evenit; ut, etiamsi belle fluant consequentia ex antecedentibus, neque dissentaneum quidquam præverterit; nihil tamen minus, quam quod videt ac probat, suspicatus fuerit: hoc ipsum, & hac ratione decipi placet; ac neque quæsita, neque expectata nancisci, quasi in lucro ponit. Atque in hoc genus, quod παρὰ προσδοκίαν Græci vocant, conjiciuntur ea, quæ παρὰ δόξαν appellant iidem Græci, quæque admirabilia, quæque vix fieri possunt, fortuita, subita, insueta, nec petita longe quidem, sed tamen velut ex abdito eruta.

VII. Sæpe etiam sententiose acuta dicuntur. Cujus generis quia non est obscura, neque difficilis, quale sit, intelligentia; poterunt exempla esse præscripti & regulæ loco. Martialis igitur lib. II. epigr. 68.

Reges & dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit.
Servum si potes, Ole, non habere:
Et regem potes, Ole, non habere.

Lib. V. epigr. 18.

Odi dolosas munerum & malas artes.
Imitantur hamos dona. namque quis nescit
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

Lib. VI. epigr. 70.

Infantes sumus, & senes videmur.
Ætatem Priamique Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane:
Multum decipiturque falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita.

Lib. X. epigr. 30.

Frui sed istis quando, Roma, permittis?
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O vinitores villicique felices!
Dominis parantur ista: serviunt vobis.

Similia hæc etiam dictis brevioribus & motatis D. Laberii & P. Syri.

Lib. III. epigr. 29.

Hominem malignum forsan esse tu credis.
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Epigramm. 43.

Extra fortunam est quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Lib. VI. epigr. 29.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

Lib. X. epigr. 23.

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

Lib. XI. epigr. 57.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Lib. XII. epigr. 10.

Fortuna multis dat nimis: satis nulli.

Est honos præterea in epigrammate proverbiis: nec nihil habent acuminis, interposita loco: nec inquinare a Catullo, nec humilitet dictum: *Suus cuique attributus est error. Sed non videmus, manticæ quod in tergo est:* minus etiam, quam si quis negaret quemquam oculos in occipitio habere. quippe cum sit hæc familiaris reprehensio erroris publici. Sed quoniam mutatis verbis non possunt proverbia non modo retinere eandem venustatem, sed ne consistere quidem: in verbis esse, nequaquam in re posita, observavit hic vere orator.

Postremo non omittendum, ex historia & narratione seu veræ rei, sive confictæ, trahi acuti aliquid. ut egregium illud ab altrice bellua Remi & Romuli, cum pueros duos leo interemit.

Lib. 11. epigr. 75.

Exclamare libet, crudelis, perfide, prædo,
A nostra pueris parcere disce lupa.

CAPUT VIII.

De divisione epigrammatis.

EXPLICATA per definitionem, ejusque partes jam aliquot, natura epigrammatis, nihil neque propius, neque junctius, aut magis consequens certe & consentaneum, quam ut epigramma, sic tanquam genus universum, in certas quasdam species ac formas dividatur. Qua de re non tam habeo, quæ doceam aut affirmem, quam quæ dedoceam ac refutem. Nam quid commune illud & pervagatum notumque omnibus, quod tetigi supra, exequar; aliud esse epigramma simplex & uniusmodi, quo breviter, ab initio ad extremum usque, res, aut persona, aut factum, aut dictum, pari cum venustate exponatur; aliud compositum & velut duplex, quo hæc eadem commode quoque & concinne tractata, etiam concludantur acutius & inferantur: quorum illud superius Græcorum more fiat, hoc Latinorum? Quanquam & utrumque sæpe fieri ab utrisque scio, & e contrario alterutrum ab alterutris. Quod plerique non advertunt tamen: quia bonitatem & præstantiam Græci carminis non per se ponderent, sed ex Latina interpretatione, quæ Græcæ dignitati sæpenumero parum respondeat, metiantur; ideoque epigrammata Græcis Latina anteponant. Quo fere modo contingit, id quod ab Hieronymo observatum est, ut ridiculum nonnulli Homerum Latinum judicent: quem si Græcum norint, aut si magis ex sua illum lingua spectatum, quam ex aliena, norint; merito ac jure suspiciant atque admirentur.

AIT Julius Scaliger in libro tertio poetices, ubi actum ab eo de epigrammate separatim, tria esse genera epigrammatum itidem ut causarum, judiciale, deliberativum, demonstrativum. Sed quidnam illud est, quidve sibi vult Scaliger, isto quidem loco; & quis præter hunc, & illos, qui ex ipsius ore sapiunt, sic loquitur? Quæ convenientiæ ratio epigrammati cum causis forensibus, ut distributa in res easdem sit divisio? Accusat, opinor, & defendit epigramma? suadet ac dissuadet? aut si ista fiunt in epigrammate, potius fiunt? non alia peræque fiunt? Numquid objurgamus, querimur, dolemus, consolamur, hortamur; vicissimque lætitia, & spe, & cupiditate elati, hos animi motus epigrammate expressos atque effictos damus? aut si in his & similibus epigrammatum scriptor versatur; nonne carminum alii scriptores idem sibi argumentum, pari jure, ac multo etiam nonnulli potiore, tractandum assumunt? Etenim quocunque me, Dux MONTAUSERI, converto; etsi minime quæram, statim reperio velut ansas ad reprehendendum complures & varias. tam multa occurrunt quæ nullam habeant non dico speciem veri, sed ne probabilitatis quidem umbram. Hæc e multis præcipua, quæ sequuntur. Animadverti equidem tres ab Aristotele tributam esse in partes orationem, pro triplici genere auditorum, apud quos dicat orator. Hujus ei partitionis causa fuit, quod qui audit, vel audiat solummodo, dum quid laudat videlicet orator aut vituperat; vel cum aliqua potestate statuendi disceptet de præteritis tanquam judex; de futuris, ut qui deliberet consiliumve capiat: orator autem pro reo, contra reum, dicat; suadendo impellere, & dissuadendo deterrere conetur. At vero ex his omnibus quid est, quod ad poetam nostrum, aut ad nostri lectorem poetæ ita pertineat, ut non alia præterea spectet ex æquo uterque & sequatur & capessat? Age, quid est divisor iste epigrammatum responsurus oratori Antonio, quem inducit Cicero ex eo triplici Aristotelis numero demonstrativum genus excerpentem: credo quod aliis passim generibus aspersum quoque admixtumque sit? Quanto minus velle debemus ei locum ullum esse in distributione formarum epigrammatis, aut certam rationem præceptorum, viamque peculiarem assignare? Quod si autem in epigramma, ubi & laudantur multa & vituperantur, non includendum putamus, tanquam maxime propriam speciem, opus exornativum; quomodo non excludemus & litis ordinandæ modum omnem, & consilii dandi; ad quæ duo vix ac ne vix quidem, ulla similitudine, epigrammatis accommodatur ratio, tota ad lusum & delectationem animi, tota ad cultum & elegantiam & concinnitates comparata? Ex libris rhetorum tanquam ex fontibus hauriri posse novimus, SANCTAMAURE, multa præcepta, multa monita, quæ ad poeticam artem transferantur, certoque modo quodam ac proprio aptentur: quod & feci ipse jam, & multo sum facturus impensius, iis tradendis, ad quas epigramma dirigatur, regulis & præscriptionibus. Verum quis quoque non videt inde peti non posse omnia: quædam duci altius, neque opportune, nec unum genus singulare & privatum in partiendis epigrammatum modis, qui tam varii multiplicesque sint, ut posterius ostendetur, recte constitui? Atque haud scio an idem peccarint, qui triplex hic etiam agnoscunt dicendi genus, summum, mediocre, infimum: qui genus quintuplex ponunt epigrammatum, majus, aut minus, aut par, aut diversum, contrariumve: qui oratoris locos communes, tam remotos, quam insitos in rebus ipsis, ad epigramma conformandum, vi & ingratiis trahunt, & sua cuique exempla subjiciunt. quibus universis nihil fieri potest, quantum judicare licet, inutilius, nihil alienius. Sane quidem, optime MONTAUSERI, si contemplere quam sese torqueat non nemo, ut argumenta, quæ assumpta dicuntur extrinsecus, id est, præjudicia, famam, tormenta, tabulas, jusjurandum, testes, usum habere demonstret aliquem in epigrammatis; idemque rem appositis exemplis illustret: satis riseris. Quid enim ridiculum magis, quam quæ fori & judiciorum, præsertim veterum, propria sunt, ea traducta velle ad compositionem versuum: ut quæ tormentis exigatur & exprimatur veritas & facti culpæque confessio, unde argumentum ducit accusator ad fidem faciendam: hæc inde abstracta, & in novos deflexa usus, convertatur ad pangendum epigramma. Sed redeo ad Cæsarem Scaligerum.

SUA

Sua illi, credo, non placuit satis divisio prima epigrammatis: quippe qui alias adjecit primæ, atque utinam non deteriores. Fecit is deinde genera epigrammatum duo: unum molle, tenerum, fusum, solutum, parum mel, sed languens tamen & parum efficax, quale Catullus nobis exhibuit: alterum vividum, & vegetum, & acre, in quo Martialis cultus & industria elaboravit. Quod Scaliger ipse rursus vult salsum felle interdum; alias aceti nonnihil habere; sæpius sic tanquam sale condiri. Denique præter hæc ab eo statuitur duplex iterum forma & ratio epigrammatis: ut sit quædam instans sibi, conferta, densa, multiplex, in qua quis secundo quoque versu terminare epigramma, si velit, possit, conclusa jam acute, perfectaque, quod satis sit, sententia: & cohæreat illa tamen cum sequentibus, atque etiam progrediendo vehementer crescat. Ex quo futurum sit, ut cum unum videatur epigramma, scribere unum certe voluerit poeta; reveta totidem numero, si quæris, epigrammata, quot disticha, reperiantur. Est alia huic opposita, & quasi e regione respondens species & figura epigrammatis, ubi processus æquabilis quidam, semper incertus, semper imperfectus, & qui suspensum teneat animum tandiu, quoad is pervenerit ad finem, in quo conquiescat omnino, neque amplius quidquam aut melius requirat.

Hæc Julii Scaligeri pleraque scio qui depravarit; ac prope ridicula fecerit tum referendo, tum utendo. Sed neque ignoro ea me fecisse meliora & probabiliora, cum sic exposui, quæ scripsisset ille satis implicate, hic crassius quodammodo referret. Ad rem quod attinet, his tot divisum concinne, MONTAUSERI, fateor; perite non item. Primum quid attinuit hic anteponere Martialem Catullo, summamque hujus & perpetuam venustatem, languorem interpretari quasi deficientis, & quandam imbecillitatem virium inertis ac minus actuosi poetæ? Vis vero salis propria, fellis amaritudo, & acrimoniæ aceti, distinguuntur illa quidem facile in saporibus: sed in epigrammate quam diversum gustum habeant, non perinde apparet. Nec video, quamobrem qui in Martialem unum congerat salem, fel, acetum; non idem etiam piper addat ceteraque acriora. Ejusmodi certe, & alia horum similia, ut immutata & translata, valent ad definitionem minus accuratam, divisionemque rudiorem, sive rem declarare velis, sive ornare: ad docendam vero tradendamque subtilius, norunt omnes parum hæc opis & adjumenti conferre. Quod si quid tale ducendum videtur a simili, & ex natura rerum transferendum ad artem hanc & disciplinam: malim ego id ab ipso Martiale mutuari totum, & hujus in eam sententiam epigramma interpretari, atque inde, quod licet, epigrammatum facere genera quinque, dulce, candidum, salsum, vehemens, acre. Ac dulce quidem & candidum ex his versibus:

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute.

Salsum autem, vehemens, & acre, juxta ea, quæ sequuntur:

Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit:
Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti.

Ut poeta hic noster carmen fundat dulcius melle & cerussa candidius, multo sale defricet quem invaserit, & contingat versus felle, acetoque perfundat. Postremo genera epigrammatis duo; quorum in altero jam tum initium satisfacit acumine, & delectat quasi expleta sententia; alterius expectandus finis, ut aliquis lectionis fructus capiatur; amplector equidem non invitus: sed ita tamen, ut cum modi sint epigrammatum complures ac prope infiniti, sint hi duo clarissimi & omnium maxime insignes, qui tamen ad divisionem de qua hic agitur, ubi nihil prætermitti, nihil redundare oportet, nequaquam pertineant. De materia porro epigrammatis videtur agendum, cujus ex varietate illi ipsi multiplices ac diversi epigrammatum modi nascantur.

CAPUT IX.

De materia epigrammatis.

TAMETSI dubium nemini esse potest, illustrissime MONTAUSERI, quin sermo liber & solutus, prior origine ac velut natalibus sit, quam numeris adstrictus; non sequitur illico tamen, id quod consequens videtur, genus esse aliorum, qui studerent literis, antiquius, quam poetarum. Cum enim primum loqui mortales inter se, ac de rebus suis agere & privatim & publice, ut necesse fuit, cœperunt: tum sermo natus, qui prosa dicitur, labore nullo, nulla cura, quasi sponte & sola voluntate fusus. Postquam autem facti homines ipsi cultiores, sermonem quoque excoluerunt studiosius; cum hi certo quodam modo, illi suo peculiari excoluerint: hinc orta reliquorum studiosorum oratio, inde poetarum carmen extitit. Sed utri prius negotium atque operam susceperint dictioni elaborandæ, restat ut quæratur. Ac ne quærendum quidem est, neque ambigendum, sive apud Græcos, sive apud Latinos, quin poetica sint, quam aliæ ullæ cujuscunque generis literæ, multo vetustiora. Tullius, *Apud Græcos*, inquit, *antiquissimum e doctis est genus poetarum.* Qui quamvis idem fateatur, poeticam Romanos a Græcis accepisse serius; contendit aliquid tamen poetici operis, ante prima oratoriæ facultatis incunabula, apparuisse. Ex quo mihi veteri observatione notatum illud, in Græcis & Latinis præter cetera dissimile, quod primo quoque tempore nacti sint poetas Græci perfectissimos omnibusque numeris absolutissimos, etiam antequam ulli prodirent oratores in medium: contra Romæ tum visi demum poetæ, quales optima ætas tulit, quantosque admirata posteritas fuit, cum deficere oratores & labi in deterius, una cum mutata republica, cœperint. Vincunt igitur quoquo modo poetæ antiquitate ac veluti nobilitate generis. Sed qui tandem ex his maximi natu, quove inter se ordine graduque censendi? Omitto, qua re & quantum alii aliis antecellant. Magna mihi opinio est, seniores epigrammatum ætate præcurrere ceteris, primumque esse poetices omnis opus ac monumentum, epigramma. Etenim scimus heroicis, ut appellant,

lant, temporibus, inscripta verbo, aut versu dimidiato, aut uno, aut pluribus opera publica, statuas, tropæa, imagines cœlitum, illustrium virorum: idque honoris & sempiternæ memoriæ causa. Quæ quid aliud, nisi prima epigrammatum liniamenta, & figuræ, & rudis atque inchoata duntaxat informatio, esse potuerunt? Erant autem prius hæc etiam, quam progressus ad hymnos, ad odas, ad elegias, ad alia poemata major fieret. Est itaque dispar ortus nascendique conditio oratorum & poetarum; poetæ inter se annis & ætatibus dispares.

Quod cum ita sit, communem tamen nihilominus materiam habet solutus sermo & astrictus, res videlicet universas, quarum esse studium aliquod, & intelligentia, & mentis agitatio potest. Quo posito satis constat subjectam epigrammati materiam quidvis esse, quod edisseri epigrammate & perpoliri queat; cumque nihil sit, quod non sub hujus artificis stylum cadat, nihil etiam esse, quod pro materia epigrammatis non habeatur. Sic ergo statuo, quamcunque noster in possessionem rei poeta venerit, ubicunque pedem posuerit, ibi consistere posse tanquam in suo, nec habere definitam aliquam regionem, cujus teneatur septus terminis: cœlestia, humana; sublimia, abjecta; magna, parva; huic proposita esse quæ tractet, & in quibus versetur. Ac de gravissimis quidem & nobilissimis personis, rebus, dictis, factis, fatentur omnes, neque quidquam est controversiæ, quin singula hæc materiem præbeant idoneam ad scribendum: viliora & ignobiliora argumenta quod attinet, contradicere video nonnullos. Verumtamen quid obstat, quo minus in catella, in passerculo, in apicula, in culice, epigrammate ludatur? Quid mali si anus, cervicosa, loquax, temulenta, perstringatur? aut si credulus senex, & suspiciosus, & querulus, & avarus, quod ætatis est, aut, quod ne ætatis quidem est, amator, notetur, & adducatur in contemptum? Nondum aperio, satisne deceat deformitatem irridere & vitia corporis; aut in tenui & infima fortuna insultare cuiquam; aut in errore & dicti factive imprudentia illudere decepto; denique incurrere in hominem, eumque vexare versibus, ob ea, quæ nulla ipsius contracta culpa sint. Tantum nunc dico, vilitatem per se nullam & ignobilitatem argumenti, si nihil subsit aliud, obesse, quo minus eo scriptor epigrammatum descendat, seque per jocum submittat.

Neque intra res gestas & veras hic se poeta continet, sed fictas etiam adsciscit aliunde atque amplectitur, easque varias & multiplices. Aut enim fabulas ex omni fabularis historiæ instrumento promptas habet & paratas, quibus apte & in loco utatur: aut ipse fingendi artifex, quod lubet, comminiscitur, sibique fabricat, & suos in usus convertit. Rursum hoc utrumque vel ex toto facit; ut aliud nihil epigrammate, nisi fabulosa persequatur: vel ex parte; ut ad aliud quippiam traducat hæc genera falsi, & ad institutum sermonem accommodet splendidum & solers mendacium. Hæc porro omnia fieri posse, licere, facta denique fuisse, quo modo & qua re melius ostendemus, quam exemplis veterum cum Græcorum tum Latinorum, ex quibus ars ipsa, qualis ea cunque sit, petita fuit; arti sua fides & auctoritas accersita?

Aliquid esse in epigrammate fictis fabulis & antiquis & recentibus ac novis loci, præterquam quod tot exempla probatissimorum scriptorum persuadent; convincit etiam, Montauseri, & fateri cogit ratio. Quid enim? Hujus poeta carminis omni fictione & commento, & imitandi potestate privabitur: ceteris poetis, ut fingant, non tantum relinquetur integrum ac liberum, verum etiam, si tueri nomen suum ac sustinere velint, necessarium judicabitur? Quid vero tam epigrammatum proprium, quod fabulas excludat; cum epigrammata munus exercere ac partes suas, & opus perfectum habere, ut in fictis personis, ita in fictis rebus, valeant? aut quid tam proprium fabularum, quod epigrammatis repugnet; cum fabulæ, imitandis & assimulandis rebus, vel ipsam adjuvent veritatem? Itaque nihil alienius unquam mihi visus est fecisse, dum poetas e re sua publica ejecit, Plato; quam quisquis e poesi nostra fabulas exterminandas esse duxit. Etenim civitas sine poetis stare potest, opinor: carere omnino fabulis poesis qui potest? Nec sane in re tam certa tamque evidenti disputarem, nisi exortus esset inter literatos, quod nunquam fore putassem, qui istud tam novæ tamque insolentis doctrinæ, scriptor & magister artis Correas ponere non dubitarit in præceptis suis, nihil ut poeta noster, nisi verum, factumque, adhiberet, atque adeo historicum potius & narratorem, quam se, cum, qui esse debet, poetam gereret. Quis autem non malle debeat aut proferre aliquid de suo, quod ipse non levi judicio multaque arte confinxerit, aut confictum ab alio solerter & ingeniose mutuari; quam nudam rem & simplicem, ita ut se habet, utque contigit, aut transacta est, mandare versibus ac juris facere publici? Videmus nunc quam longe lateque pateat materies epigrammatis, quæ complectatur omnia, & quam ingentem quamque immensum campum habeant scriptores epigrammatum poetæ: interim dum epici & tragici solis addicti mancipatique rebus magnis; comici nihil possunt nisi humile ferre & infimum; alii cancellos sibimetipsis circundant etiam angustius.

CAPUT X.

De vitanda in epigrammate maledicentia.

Ex tanta copia & immensitate rerum, in quibus tanquam in subjecta materia, qui scribimus epigramma poetæ, versamur, facere nullo modo possum, Sanctamaure Montauseri, quin duo quædam excipiam, maledica & impudica: quorum alterum sceleris, alterum sit flagitii, utrumque condemnent fere omnes, nisi ipsi scelerati & flagitiosi. Quæ si contra fas, contra jus, contra morum disciplinam & honestatem vitæ, contra omne, quod appellatur, decorum, suscipere cogar ea mercede, ut poeta ejusmodi fiam: quidquid & quantum est epigrammatum, projecerim citius in profundum,

dam, quam epigramma vel unum, si jaceat humi, sustulerim, aut loco me leviter ob eam rem commoverim. Atque hæc mea disputatio quamvis ad universum genus scriptorum pertineat, a quibus peræque omnis abesse contumelia verborum, omnis obscenitas debeat: tamen eo magis & mihi convenit, & propria est hujus loci, & epigrammatum scriptores attingit; quo magis isti sibi præter cæteros utrumque volunt licere, & suum hoc duplex opus esse, duplicemque linguam, qua utantur. Martialis, *Epigrammata*, inquit, *contenti fuit sua, id est, mala lingua*. Et, *Lascivam verborum licentiam, id est, epigrammatum linguam.* Evellenda igitur sua illis lingua duplex: sed eorum manu & scriptis. Neque philosophia ad eam rem Christiana uti placet contra homines profanos, ac ne Aristotelis quidem: sed suis eos armis non exuere tantum, verum etiam confodere juvat. Vis tu ergo, qui epigramma scribis, concessum tibi primo & solutum esse, quemvis ut perstringas versibus arbitratu tuo, vellicesque, & conscindas. At quo tandem jure, & quarum gentium? Græcorumne, an Romanorum; siquidem de utrisque hic gentibus præcipue quæritur? Apud Athenienses lege cautum video, ne quis cujusquam existimationem malo carmine violaret. Apud Romanos, in duodecim tabulis, idem etiam capite sancitum, cum perpaucas res capite sanxissent. Quam in legem præclare M. Tullius cum alia, tum illud: *Probris & injuriis poetarum subjectam vitam, famamque habere noluerunt: capite etiam puniri sancientes, tale carmen condere si quis auderet.* Ac legis latæ ibidem redditur ratio: *Judiciis ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus: nec probrum audire nisi ea lege ut respondere liceat & judicio defendere.* Jamvero postquam in desuetudinem abiit lex ea duodecim tabularum, ut remissiora pleraque fiunt tempore; pœna quidem huic facinori constituta levior, quod mortem effugerent: fuit ignominia fortasse non minor; cum ob carmen famosum qui damnatus esset, ex jure prætorio, & ex senatusconsulto, & ex imperatoris edicto, nec testamentum facere posset, nec ad testamentum adhiberi. quod quid erat aliud, nisi vitam, si non hominis, per gladium; at civis, per ignominiam, amittere? Non igitur ullum maledicendi alteri jus poetæ. injuria fuit, si faceret: actio injuriarum data: mulcta irrogata judicio: nota secuta infamiæ.

Atenim poeta exemplo se tuetur complurium, qui non tantum infimi generis, aut fortunæ mediocris homines, probris omnibus ignominiisque invaserint, sed in claris quoque & principibus viris rodendis hæserint ore duro & improbo. Nimirum hoc illud est, quod vulgo ferunt, ex moribus pessimis optimas leges natas quotidieque nasci. Cum enim grassaretur passim, & in obvium quemvis incursaret liberrimus grex poetarum, malumque non impunitate modo, sed plausu etiam vulgi & laudibus, ac maxime liberalitate & munificentia potentiorum aleretur & cresceret; propterea quod ingeniis & indulgetur facile & favetur: injiciendum frænum licentiæ fuit exultanti & crescenti in dies magis provectæ extra omnem modum. Quamobrem, qui aliis promitteret nominis immortalitatem, notam aliis ad dedecus sempiternum, quoad posset, inureret poeta obtrectator: jussus est ex ea parte, quatenus malediceret, tacere, & nocendi est jure privatus, quod per vim sibi, imperiose sine dubio nimis, seu potius tyrannice, arrogasset. Quis enim ullo in regno ac ditione princeps & dominus permisit unquam uni suorum, ut is quasi jus vitæ ac necis obtinens in omnes, sic famam & existimationem alienam, qua melius quam vita vivitur, haberet in potestate, huic illuderet quantum vellet, deque ea, quod videretur, statueret, cum visum esset, detraheret: ipse suæ spontis, suique juris, ac nulli obnoxius; horribilis & formidolosus cunctis; acumen carminum tanquam aciem & mucronem intentans ubique; in bonos juxta & malos asperrimus, parata cornua tolleret.

Sed tamen largiamur aliquid exemplo, nec injuria factum, quod olim diu nonnulli & impune fecerunt, putemus. Etiamne movebimur exemplo quorumdam veterum, qui pauca licenter, & cum offensione multorum, nec sine periculo suo, effuderint: non movebimur Martialis exemplo, qui plura, quam ante se omnes, ediderit, neminem autem verbo læserit? Sic est, MONTAUSERI. In sexcentos invehitur totis duodecim voluminibus Martialis. questus nemo, quia nemo violatus, nemo nominatus. Conficta ob id sexcenta nomina, ne verum ullius nomen appareret, ullus reipsa nosceretur. Ac initio quidem ita se sibi profitetur temperasse, ut in tanta scriptorum licentia, qui quem vellent adorti, insectarentur nominatim, liberius nullum appellarit, nec aperte nec obscure quidem significarit. Hoc ipsum diversis locis inculcat, ne quis sit nescius, & advertat parum, aut ne cui excidat unquam e memoria Quod si qua ab aliis contra famam alicujus dicta in se conferrentur; removere a se, pernegare, detestari. Usque eo ab omni malevola obtrectatione & contumelia refugiebat. Periculi causa, inquies. credo & id quoque fuisse. Sed malim tamen timore pœnæ sapientem & moderatum, quam cum malo & suo & alieno præferocem ac stolidum. Ipsa profecto natura admonet ac ratio, & æqui bonique quodammodo vox est, quod fieri nolis tibi, nemini faciendum; neque loqui oppotrere in quemquam, quod recuses ipse audire; tibique lege, quam in alterum statueris, utendum. Quotus autem quisque obtrectari sibi, notari sua facta aut dicta & vituperari malit, quam de se omnino sileri?

Quamquam facile intelligo, contra id, quod nunc quidem præceptum damus, ne in alterum epigramma scribatur, afferri posse quamplurima & solere. Nam si hanc semel epigrammarum scriptori legem necessitatemque imponas, ut pro omnibus dicat ad laudem atque ad gratiam & assentationem; nihil adversus ullam, vel ad minimam reprehensionem, nec jocandi unquam & ridendi causa: primo quantum materiæ & argumenti, in quo feliciter & cum laude versetur, poetæ nostro subtraxeris? quam multa lepida & peracuta ex epigrammatum numero scriptisque poetarum epigrammata sustuleris? Certe cum bono uni mala complura respondeant, ut uni vero, quæ falsa sint, complura adversantur: parca sesa

ad laudandum offert seges, amplissima suppetit ad vituperandum. Referti epigrammatum libri innumeris per ludum, per contemptum, per iracundiam dictis in perditus hominum mores, & cujusque sæculi labem atque maculam, acribus & aculeatis: quæ si tanquam non legitima resecentur; vix decima pars relicta sit eximiorum operum, & disciplinæ, & eruditionis antiquæ. Deinde vero si quis positum ob oculos argumentum non habet, quo invitetur, vel irritetur potius, ut collineet & contingat: quod studium, quis ardor, & conatus esse potest, qui nervi ferientis? quæ vis emissi teli? quam vehemens ictus? quam alta & insignis plaga? Cui admodum curæ est, quid geratur gestumve sit remotis longeque disjunctis vel locis vel temporibus, hæc ut contra, sedato & tranquillo animo, conscribat otiosus epigramma domi? Laborat scilicet poeta, quid in ultima Thracia privatus quisque cogitet aut moliatur: quid effectum quondam sit apud Indos & Garamantas ab uno aliquo de plebe horum populorum: aut efficitur ullo modo rebus, quæ absunt a sese & sæculis, & immenso terrarum tractu. Non enim solum, id quod docuit Aristoteles, nec misetamur mala, quæ abhinc aliquot millibus annorum acciderint, aut tantumdem post eventura sint: nec iis invidemus fere, qui ante annos mille vixerint, aut postea sint ad mille annos victuri: verum etiam neque voluptas, neque dolor, neque spes, neque metus tangit sic absentium: nec tam longinqua, & externa, & aliena, pertinere putamus ad nos. Præsentia, inquam, vel propinquitas rerum idonearum poetæ studium accendit & inflammat ad scribendum: odia parit, movet stomachum, risus excitat, mentem ad alios affectus voluntatesque adducit: & vim, & impetum addit viribus, nec languere sinit, quadam quasi αἰδιαφθορίᾳ, spiritus hujus poetæ nostri plusquam poeticos. Admonuit Martialis hoc ipsum usu sibi venisse, cum se multa deficerent in patria, quæ Romæ non desideraret. *Civitatis*, inquit, *aures, quibus assueveram, quæro: & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor. Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conventus in quibus studere se voluptatibus non sentiunt, ad summam omnia quæ delicate reliquimus, quasi destituti desideramus.* Postremum illud est, quod qua natura & indole scriptoris, qua vi singulari & propria scripturæ fiat, nescio; fieri scio; ut hic præter ceteros poeta facilius in arguendo & reprehendendo, quam in prædicando & extollendo desudet, neque quidquam faciat libentius, quam morsu petat merentes, aut stimulis exagitet, aculeos etiam relinquat in vulnere: qui autem epigrammata legit, hisce tristibus magis capiatur & amaris, quæ acutiora existimet, quam lenioribus nonnullis, in quibus minus ingenii, minus artis, inesse videatur. Quo fit, ut qui interdictum vult omni genere reprehensionis hac in poesi, cultori cuivis & studioso duplicem fructum adimat, & facilitatis in scribendo, & in legendo jucunditatis.

Ad hæc, quæ hic nobis opponuntur, facilis & expedita, unaque & simplex, quamvis, ut opinor, inexpectata, responsio. Et mihi probant ea quæ dicunt, qui se nobis præbent adversarios: & ego eis libenter assentior, dum unum ab illis quod facile quoque concessuri sint, impetrem. Persequantur sane vi & acumine epigrammatum non laudanda solum, sed etiam quidquid vituperabile est: naturas rerum sugillent, hominum facta, dicta, errores, suspiciones, eventus fortuitos notent, moribus insultent & vitiis, irrideant, aspernentur. At nominibus parcant: at revereantur personas: at versibus suis neminem prodant, neminem verbo ac velut nutu, designent. Equidem numquam dubitavi, quin a Martiale, quoties perstrictus est quispiam carminibus; perstricti sunt autem & gravirer & quamplurimi, ut dixi supra; fuerit illi præsentissimus unus aliquis, & certus, & definitus, & notus homo, non vagus, aut obscurus, aut fœneus & animi causa fictus, contra quem sic tanquam contra umbram pugnaret: idem vero epigramma cum fluxisset, aut tunc cum strueret, aut etiam ut strueret, affinxerit nomen arbitratu suo, sub quo nomine lateret quem vellet ignotum. Ex quo tanta multitudo & copia apud eum fictorum nominum, quantam nunc videmus, & quæ in iis etiam, qui laudantur, apparet. Ita porro tecte ac dissimulanter, quod erat unius insigne vitium, tractabat; ita diversa, quæ in eundem non caderent, admiscebat; ut neque se quisquam in alieno opere posset agnoscere; neque eum, qui esset, alius ullus, tunc quidem ac re recenti: nedum ut suspicione aliquid nunc, id quod conamur, assequi valeret. Quamobrem hac scribendi ratione istud est Martialis consecutus, ut & hominum offensionem vitarit, neque commodis illis prioribus & adjumentis, quæ vera afferre persona solet in quam dicatur, caruerit. Veto igitur nequem poeta noster appellet nominatim, aut ulla nota signoque vel leviore indicet, si quid sibi asperius scribendum sumpserit: non summos ac principes viros, quibus honor potius, ac singularis quædam reverentia debeatur: non medios, quibus salvum jus suum & inviolatum esse oporteat, in pari conditione vitæ & fortunarum: non infimos, qui injuria non sint opprimendi a potentioribus, & quibus subvenire magis propter imbecillitatem atque opitulari conveniat. Nec singulotum modo rationem haberi volo, sed & universorum. Sapienter, meo judicio, & considerate Quintilianus: *Male*, inquit, *dicitur, quod in plures convenit, si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio, aut studia multorum.* Quocirca hunc si auctorem audimus, neque Gallus in Hispanos carmen scribet, neque in Germanos Italus. neque magistratus, neque judices attingentur. neque eorum lædetur voluntas, quibus corpora nostra valetudinemque credimus. Non enim si aut in administranda publica re segnities & incuria, aut in judicando corruptela atque avaritia, aut in medendo temeritas & inscitia versatur; continuo vitia hæc artium sunt ac professionum habenda, sed hominum. Quod si ne homines quidem, quamvis in culpa sint, designari placet nominibus suis: quanto minus artes ac disciplinas accusari par est & traduci innocentes? Jamvero in alienas gentes invehi, damnare leges & instituta, quibus quis non utatur ipse in patria, criminari mores diversos a suis, imperiti vulgi stolidæque plebeculæ semper esse putavi, non prudentum

dentum & eruditorum, qui facile intelligant, nullam esse oram ac regionem inter paullo humaniores, aut tam rudem, in qua non aliqui nomine & laude digni, aut tam excultam, in qua non inepti & insulsi complures extiterint, etiamque hodie existant.

Atque hoc loco ubi reticeri propria nomina, personasque celari veras præcipimus in epigrammate; cetera permissa epigrammatis scriptori, & subjecta velut materiem, quam tractet, volumus: habet aliquid controversiæ, rectumne sit ac liceat in captos membris, in deformes ore, in breves statura vel longiores, in canos, calvos, nasutos, edentulos, in alios impedimentis naturæ & corporis vitiis, adversisque fortunæ insignes, quarum ipsi rerum culpam præstare non queant, meditari carmen & exarare. Equidem si disceptanda lis ac dijudicanda suffragiis factoque veterum utriusque linguæ scriptorum; quid Græci fecerint in anthologia, ut appellant, quamque frequentes & copiosi in hisce argumentis fuerint, vel ex ipsis epigrammatum lemmatis & inscriptionibus, satis apparet. Apud Martialem tantus epigrammatum ejusmodi numerus ac multitudo, ut nullum ei familiarius argumentum fuisse, & in nullo commoratus videatur diutius, libentius, sic ut loquar, habitasse. Sin quorumdam standum judicio præscriptisque recentiorum, qui perhumanos se perque honestos haberi volunt; constat hos præcepta dedisse plane contraria. Perinde quasi malignum sit & improbum, naturæ parentis vitia exprobrare cuiquam; in uno ferire plures, quod isto pacto fit, crudele & sceleratum. Ego vero, ne illis omnia, his nihil assentiar, distinguendam rem, vel potius certis quibusdam modis temperandam finiendamque arbitror. Primum si qua labes, aut noxa, debilitasve corporis, cum insigni vitio conjuncta sit & animi morbo, quem quis voluntate sua culpaque susceperit: cur non conveniat, aut parum deceat, aut ulla ex parte honesto repugnet unum ex altero reprehendi, atque in uno castigari alterum, disciplinæ & morum causa? Qui balbus est & lingua hæsitans, & indisertus, idem se loquacissimum præbet ac molestum odiosumque auribus omnium. Curiosior justo luscus est videndique cupidior. Est cæcus, qui sibi quærat uxorem, nec quærat nisi formosam: surdaster, qui multis de causis male audiat: claudus, qui se & omnia moveat assidue, sibi inquietus, incommodus aliis: gibbosus, aut ventrio, cui nihil non abnorme, & perversum, & distortum esse videatur. Quis hæc erepta velit poetæ nostro argumenta, quibus tam opposite ac tam e re nata mores hominum formentur vitaque communis, multa dedoceantur plerique, admoneantur omnes officii? Talia certe in Martiale habemus, quæ si condemnemus severius, iniqui simus, & erga bene moratum poetam injuriosi. Ecce tibi, qui morbum simulans, in ipsum, quem fingit, morbum merito incidat.

Discursus varios vagumque mane,
Et fastus, & ave potentiorum,
Cum perferre patique jam negaret;
Cœpit fingere Cælius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso;
Quantum cura potest & ars doloris?
Desit fingere Cælius podagram.

Alit aliquis luxu & intemperantia, & voluptatibus ac deliciis cujusque modi persequendis, diuturnam febrim.

Quare tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris & usque gemis.
Gestatur tecum sella pariterque lavatur.
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe & sæpe Falerno,
Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma purpureoque toro.
Cum sit ei pulcre, tam belle vivat apud te;
Ad quemnam potius vis tua febris eat?

Fucum faciunt & multiplici modo imponunt nobis: alii, qui emptis comis calvitium tegant: alii, qui tingendis & inficiendis crinibus dissimulent ætatem: alii, qui quo melius oleant, diffluant odoribus & unguentis: alii, qui purpurisso & cerussa, ruborem imitentur oris, & candorem. Hos qui contra, molles & effeminatos, acumen stili vertit Martialis, prohibendus fuit, ne tam bene de seculo suo, de tota posteritate, de moribus hominum universe mereretur? Jam si & levissima quædam nulliusque momenti ac ponderis objecta sint, & iis objecta, a quibus omne aliud peccatum absit: multo etiam minus nostro interdicendum poetæ est, ne talia conscribat quæ sine offensa cujusquam, sine ulla reprehensione culpæ conscribat. Quæ tandem ista sit injuria naturæ, si quis curvis esse humeris propter susceptos labores claudicare ob acceptum bello vulnus, dentes senectute, capillos morbo amisisse, alia alio casu fecisse damna, etiam per ludum & risum dicatur? Quis moleste ferat malamque in partem accipiat, si grammaticus, poeta, philosophus, orator, suaviter & jucunde notetur in re non admodum gravi? aut quis hanc obtrectationem putet optimarum artium atque studiorum, illius contumeliam his qui artibus studeat; ac non potius, si joco fit, ludicram oblectationem; si serio, documentum in reprehensione & disciplinam?

Contra vero si res habet aliquid atrocitatis, aut si detrimentum gravius & infortunium accidit, aut si consecutum dedecus & ignominia major: haud sane unquam suaserim poetæ ludere isto loco & argutari: ac ne philosophari quidem subtilius concesserim, ubi commiseratione potius & solatio opus sit; atque ubi, si quis objurgationi & acrimoniæ locus, auctores mali, non malo affectos, oporteat insectari. Vult ille quidem philosophorum longe princeps Aristoteles, ridiculum, sive dictum in aliquem per risum ac ludibrium, in vitio quodam & turpitudine sedem habere: sed ita tamen, ut hoc vitium, hæc turpitudo neque dolorem neque exitium creet, id est, majus aliquod incommodum vitæ tristiusque malum. *τὸ γελοῖον ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν.* *Exemplum*, inquit, *est in promptu: ridicula facies, turpis ac distorta, sine dolore.* *οἷον εὐθὺς τὸ γελοῖον πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης.* comicum illud: e contrario tragicum, quod facit dolorem, quod perniciem affert. Atque hunc quidem philosophi brevem locum, explicatum animad-

nimadverto ab oratore & illustratum pluribus verbis, tacito tamen philosophi nomine. Cicero, *Locus*, inquit, *& regio quasi ridiculi turpitudine ac deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur, vel sola, vel maxime, quæ notant & designant turpitudinem aliquam non turpiter.* Tum interjectis aliquot sententiis: *Quatenus sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est: nam nec insignis improbitas & scelere juncta, nec rursum miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos majore quadam vi, quam ridiculi vulnerari volunt: miseros illudi nolunt; nisi se forte jactent. Itaque ea facillime luduntur, quæ neque odio magno, neque misericordia maxima digna sunt.* Quod si ita est, nemini paullo humaniori probari debet, ut alia quædam Martialis, sic illud inhumanitatis plenum epigramma ejusdem, lib. XI. epigramm. 94.

Pierios vatis Theodori flamma penates
Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque Deorum;
Non arsit pariter quod domus & dominus.

Deflagravit poetæ domus subito incendio. magnum profecto malum, neque, ut ulli contingat, optandum, poetæ præsertim, homini ut plurimum non locupleti. Multo minus optandum fuit, ut cum ædibus dominus ædium arderet: aut duplex ei malum, perniciem cum calamitate, precari quisquam debuit. Quid enim poeta tantum commeritus est ac tantum sceleris in se admisit? Malos fecit versus fortasse & liberiores, dignos igni, & comburendos: comburi domum, comburi dominum, nimis magna pœna constituta sive malo poetæ, sive libero.

Rursum in pretio & honore si persona est, & habetur magnæ dignationis; ex quo & præclara judicia prudentum consecuta sit, & studia voluntatesque multitudinis: dandum hoc opinioni de ipsius præstantia publicæ, ut non minuatur fama quoquo modo; ne qui minuit, omnibus unus adversari velle videatur: ut benevolentia communi omnium & gratia quasi munitus, ne appetatur ab uno & oppugnetur. Tullius: *Parcendum est autem maxime caritati hominum. ne temere in eos dicas, qui diliguntur.* Nosti, optime Sanctamaure, una cum Luteria tota virum & puellam, de quibus vere dicas quod Sappho de se:

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo mea.

quorum facies cum sit non sane egregia; ingenii tamen excellentiam, & politioris doctrinæ & humanitatis, diligant & collaudent omnes; de forma, qualis ea cunque sit, vix cogitent. usque adeo bonis animi vitia obscurantur corporis, cumque interioribus compensantur externa. ut maledicentissimum esse eum oporteat, hos qui amores & delicias hominum elegantiorum, literula, aut verbo, aut minimo scripto læserit. Contra vidimus quemdam nuper non expertem literarum, sed cui nihil placeret, nec pulcrum videretur, nisi quod esset suum. Hunc propter ipsius odiosissimos mores, nemo tum poeta sive scriptor alius nefas duxit conscindere omnibus probris. Quanquam non recte nec ratione, mea quidem sententia, & pessimo exemplo. Non enim, si dignus is contumelia; perhonesti, graves, & literati viri digni tamen, qui contumeliam inferrent. Et erant alioquin in isto, quæ amare posses sine moribus, memoria, cognitio sermonis Græci, varietas aliqua doctrinæ & copia; unde diserent nonnihil etiam periti, quamvis hominem non probarent. Sed valuit nimirum maledicentia, grata cunctis, etiam iis, qui neque sibi maledici, neque maledicere ipsi aliis velint. Atque hanc, ut a me ante dictum est, maledicentiam vetant, natura, ratio, mos, disciplina, jura, leges: ubique gentium ac terrarum, atque in omni memoria pœnæ maledicis graves propositæ. crimen tamen impunitum persæpe & olim fuit, & nunc est, & erit, vel veterno & socordia, vel prævaricatione eorum, a quibus oportuerit pro officio vindicari. Ac multa peccant principes, & in his illud, quod tantam petulantiam, ita ut meretur, quantumque possunt, non coerceant, nec populo caveant satis, nec privatos conservent ab injuria. Interim nutu divini numinis & providentia quid fit? Ne ab istis quidem abstinetur tam lente ferentibus probra in alios: immo linguas hominum magis infestas habent, minusque sermones effugiunt obtrectatorum: & audire plerumque coguntur ipsi, quæ nolint, quia de aliis patiantur dici, quæ non debeant.

CAPUT XI.

De obscenitate in epigrammate vitanda.

Ut aliud mihi nihil suppeteret, quo scriptorem epigrammatum poetam, ab obscenis argumentis & turpibus pertractandis deterrerem, quam quod ii, qui licenter & inverecunde scripserunt, excusatione sibi opus esse duxerint: tamen omnino mallem satiusque arbitrarer abstinere, quam tam sæpe tamque multa, cur facerem fecissemve, excusare. Etenim qui excusationem afferunt, aut aliquid se mali admisisse sibi conscii sunt, aut quod non probetur sapientibus viris, aut quod gratum in vulgus acceptumque non sit: quam opinionem de se malam vel minuere volunt vel tollere. Quis hoc autem non facilius, pura & casta omnia scribendo, assequatur, quam, ubi impure quid scripserit, excusando? Vetus illud M. Catonis, præstantissime Montauseri, admodum scitum est, neque a re nostra alienum. Excusatum se voluit initio statim libri A. Albinus quidam, si quid ipse, homo Romanus, historiam Græce scribens, in Græci sermonis leges, & præscripta grammaticorum offenderet. Ad quem Cato, ut scriptum est in libro Gellii undecimo: *Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres ut ignosceretur.* Similiter excusant se apud nos inverecundi poetæ nostri, & protervιam nobis suam probare conantur, quam vitare nullo negotio potuerint, & cujus excusationem nullam habeant aut ab errore, aut a necessitate, aut a fortuna. Excusat nimirum se Catullus etiam tunc, cum se turpissimum ex-

exhibet, eoque epigrammate, quo vel inquinatissimus judicetur. Excusat se Martialis, tanto fœdior Catullo, quanto plura, quam Catullus, infanda scriptitavit ejusmodı. Plinius Secundus se excusat, cultor ille recti honestique gloriosus, & nescio cujus apud posteros, quam ipse sibi, errore communi mortalium, finxit, immortalitatis amator. Sese Apulejus, oratione soluta æque ac versibus impurus, excusat. Denique se Ausonius, qui sua ex alienis, spurcissima e castissimis fecit, excusat. Verumtamen quænam & qualis istorum, quam sibi tantopere necessariam putarunt ipsi, vel excusatio, vel satisfactio? Primum volunt hanc esse quasi naturam epigrammatis, & justam ac legitimam materiem, qua non possit epigrammatum scriptor carere. Deinde exemplo se & auctoritate priorum, qui sic ante se olim scripserint, pari in genere carminis, tuentur. Postremo ita se purgatos abunde existimant, si admonuerint non esse ex versibus æstimandos & judicandos poetas, sed ex moribus: neque continuo, quorum versus molles sint & parum pudici, eosdem habendos molles & impuros. Itane vero lex est illa hujus opusculi verissima, ut epigrammata, quemadmodum ipsi, ne tum quidem honeste, loquuntur, pruriant? Exigit modus, & ratio, atque institutio carminis, ut epigramma, nisi spurcum & immundum sit, epigramma non sit: nec epigrammatum censeatur liber, nisi sua quædam in epigrammatis aliquot insit obscenitas? Cedo tu mihi quæ Martialis libro tertio, itemque quinto profitetur epigrammata se scripsisse matronis, pueris, puellis, hoc est, modesta & pudica, quæ sexus & ætas pudentior animo ferre & auribus accipere potuerit. Cedo librum octavum, quem imperatori Domitiano cum dicaret, verecundiæ & pudori a se præter morem servitum ait, honoris ipsius causa. Decimum librum, in quo minimum est fæcis ac sordium, cedo tu mihi denique. Illa, credo, epigrammata non dignabuntur hoc, quo nunc appellant omnes, vocabulo? Illi epigrammatum libri minus nomen obtinebunt suum? reliqua, ubi cœnum & labes, quæ nullæ satis tenebræ tegere possint, nulla vis purgare aquarum aut ignium, vere proprieque epigrammata & libri epigrammatum dicentur: poeta præclaro isto clarus & nobilis vocabulo feretur? At in multitudine tanta eorum, quæ argumenti loco proposita sint poetis ad scribendum, quis, quo jure, qua auctoritate, suum cuique pensum munusque divisit, & lascivas res ulli, & epigrammatum potius, quam odarum, aut elegiarum scriptori assignavit? Videmus comicos, legimus satiricos, mimos recordamur, non interdum satis temperasse sibi ab obscene turpiterque dictis, ae ne vocibus quidem nudis abstinuisse, & ad omnem loquendi licentiam apertis. Cur sepositum hoc, & poetis reservatum nostris putemus, & proprium ac singulare epigrammata scribentium?

NAM quod proferunt plerosque, non poetas modo, sed etiam oratores, philosophos, imperatores, summos omnium ordinum viros, parum graviter ac severe in epigrammatis conscribendis versatos interdum: quid, amabo te, sceleris, quid flagitii est, quod non ista defensione elevetur, aut quis tam facinorosus, qui non inultus impunitusque, ac judicio etiam discedat absolutus; cum nulla sit labes, nullum dedecus, quod non in se aliquis aliquando admiserit? Non tam, mihi crede, præclare agitur nobiscum & cum hominum genere toto, ut crimina nomine solo nota habeamus, non admisso & usurpatione; utque minor sit numerus eorum, qui in omni memoria superiore prava senserint pravaque gesserint, quam eorum, qui posteris laudabilia prodiderint, quæ sequerentur. Quare quod isti fecerunt, valeat sane ad execrandum, non ad imitandum: & in exemplis spectetur, auctoritatemque habeat factorum bonitas potius, quam multitudo, gradusve, & conditio, & dignitates, & gratiæ omnes personarum. Pertinet huc insigne quoque Gellii quiddam, cum hac inscriptione: *Non purgari, neque levari peccatum, cum prætenditur peccatorum; quæ alii quoque peccaverunt, similitudo.* Sed ad fontem remitto, si qui talia sitiunt, curiosos.

Cum autem nostri hic turpitudinis & impudentiæ patroni, quo pessimam causam tueantur, distinguunt vitam a sermone, obscenos mores ab obscenis versibus; cum ait Catullus, *castum esse decet pium poetam Ipsum, versiculos nihil necesse est*; cum Ovidius, *Crede mihi, distant mores a carmine nostri: Vita verecunda est, Musa jocosa mea est*; cum Martialis, *Lasciva est nobis pagina, vita proba est*; &, *Mores non habet hic meos libellus*; cum Apulejus negat ullum specimen morum esse, versibus ludere; negat lepidiora carmina argumentum impudicitlæ habenda; cum postulat Ausonius & deprecatur, ne mores sui spectentur ex carmine; Plinio *in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram; esse Apulejum in vita philosophum, in epigrammatis amatorem*: hæc, inquam, omnia, defendendi sui causa, isti cum dicunt, nihil profecto dicunt. Non est necesse, fateor, vitam ac mores semper & ubique & in omnibus respondere orationi. Fieri potest, non nego, ut qui turpe quid scripserit, nihil egerit tuleritve turpiter. Verumtamen ego idem contendo probabiliter vereque dici, non sapientum modo, sed communi omnium, qui neque insaniant neque prorsus hebetes sint, assensu; talem utplurimum esse vitam, qualis esse sermo solet; alterum alterius signum, notam, indicium, argumentum, jure ac merito videri. Apud quos enim fidem non obtineat dictum illud Solonis in Laertio, ὁ λόγος εἴδωλον τῶν ἔργων, aut hoc Democriti in Græco interprete rhetoricorum Aristotelis, λόγος ἔργου σκιή, aut senarius iste nescio cujus, allatus a Stobæo, Ἤθους χαρακτὴρ ἐστὶ ἀνθρώπου λόγος?

Neque vero turpificati animi vitium prodit solummodo ac testatur, quæ sæpe & libenter de re turpi habetur instituta oratio, sed etiam, id quod aliis in vitiis locum non habet, efficit. Nunquam satis attenderunt plerique, MONTAUSERI, quæ est ipsorum vel tarditas vel perversitas, de avaritia deque parandis pecuniis qui loquatur, non fieri hoc ipso avarum; qui de ambitione & honoribus, non evadere tamen arrogantem & fastuosum: contra, cujus in ore versentur assidue impuræ voces, vix evenire, ut is contagione quadam turpitudinis & sordium non reddatur impurus; sive quod majores sint illecebræ libidinis & istarum voluptatum, sive quod proclivitas naturæ major,

seu quia denique arctior hic necessitudo, & societas, & copula, ut ita loquar, cordis & linguæ. Neque hoc loco dico, MONTAUSERI, quid in communi consuetudine hominumque congressu noceant isti locutores audientibus, sed quid sibimetipsis detrimenti afferant, quoque modo non alios inficiant solum & corrumpant, sed inficiantur priores & corrumpantur oratione sua. Quod si vero in familiari colloquio tantum sermo valet ad animi depravationem corruptelamque morum; qui quidem sermo simul elabitur ore, simul, ut sonus, evanescit: quanto majorem vim habet scriptio, manens ipsa per se, &, quæ scriptioni necessaria est; attentio mentis in componendo, & vigilia, & lucubratio?

Postremum hoc addendum, quod & multo valentius est, & multo, credo, minus, quam illa superiora, observatur. Qui liberum sibi & integrum esse volunt, ut quidvis in epigramma conjiciant atque intrudant obsceni, dummodo aliter vivant, aliter loquantur; ita demum disputant, quasi ἀδιάφορον quiddam sit, hoc est, neque bonum, neque malum, turpis oratio. In quo illos video sentire cum Stoicis quibusdam, cumque omnibus & Epicureis, & Cynicis ex ea parte, quatenus hi neque in re neque in dictione ac verbis; nostri isti in sermone nullam inesse existimant turpitudinem, quæ sese dedeceat, aut quæ instituto scribendi suo non conveniat. At vero contrà utrosque venit omnis Peripateticorum schola. Atque omitto quidem de re loqui, quam turpem esse nullam volunt homines inverecundissimi; neque enim nostros usque eo putaverim impudentes, ut nihil in vita pudendum censeant: αἰσχρολογίαν esse quandam, quam nostri non videntur agnoscere, suis illos monumentis literarum, perque suos scriptores & magistros; doceo. Ac primum agnoscit αἰσχρολογίαν hanc & vetat Plato, cujus in sermone verecundiam ait se Cicero & amare & imitari, atque ita consuesse. Agnoscit & condemnat, qui sæpe alioqiun cum Platone dissentit Aristoteles, idque luculento & insigni in politicis loco, lib. VII. cap. 17. ὅλως μὲν οὖν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως ὥσπερ ἄλλό τι δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν. ἐκ γὰρ τοῦ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν, γίνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς. *Ac turpitudinem quidem sermonis, si quid aliud, e civitate omnino exterminet oportet legislator. Ex eo enim, quod turpe quidvis profertur facile, proxime consequitur, id ut fiat.* Idem, in libro rhetoricorum, ubi agit de verecundia, secundo, significat esse; quod homines pudeat non factorum modo, sed dictorum quoque turpium. οὐ μόνον ποιοῦντες τὰ αἰσχρὰ, ἀλλὰ καὶ λέγοντες. Et in tertio libro capite 2. translationes prohibet ab obscenis rebus peti: neque enim, ut vult Brison philosophus, neminem turpia loqui. οὐ γὰρ, ὡς ἔφη Βρίσων, οὐθένα αἰσχρολογεῖν. Hoc vero ipsum ab Aristotele Ciceronem, ut alia, sumpsisse quis non videt? *Et quoniam*; inquit, *vel summa laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit; fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audient, trahet similitudo. Nolo morte dici Africani castratam esse rempublicam: nolo stercus curiæ dici Glauciam Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis.* Quid etiam quod inter jocandum, ubi res ipsa & consuetudo majorem dat licentiam, a convivio liberorum peræque propemodum, ut ab oratorum foro, removet obscenum sermonem? *Præstet*, inquit, *ingenuitatem & ruborem suum, verborum turpitudine & rerum obscenitate vitanda.* Sed nihil usquam neque firmius neque distinctius pro verecundia & pudore contra Stoicos Cicero attulit, quam ibi, ubi se maxime Stoicos sequi profitetur. His, ut dixi, philosophis, præter Epicureos, & Cynicos, cum placeret suo quamque rem nomine appellare, contra eos sic in libro de officiis primo disserit: quem locum, etsi longiorem, non pigebit exscribere. *Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu. quæ aut in partes corporis ad naturæ necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis: ipsique necessitati, dant operam, ut quam occultissime pareant: quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum usus suis nominibus appellant: quodque facere turpe non est, modo occulte; id dicere obscenum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec oratio obscenitate. Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici pæne Cynici, qui reprehendunt & irrident quod ea quæ turpia re non sunt, verbis flagitiosa dicamus: illa autem quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis. pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur, & id omne, quod abhorret ab ipsa oculorum auriumque comprobatione, fugiamus.* Tum aliquot interjectis: *Scenicorum quidem mos tantam habet ab vetere disciplina verecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo. verentur enim, ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adspiciantur non decore. Nostro quidem more, cum parentibus puberes filii, cum soceris generi, non lavantur. Retinenda est igitur generis hujus verecundia, præsertim natura ipsa magistra & duce.* Sed hactenus M. Cicero. Prætermitto enim, quæ cum fabricam hominis, omnemque humanæ naturæ figuram atque perfectionem membrorum exequeretur verbis, sibi prætermittenda esse, credo pudore ingenuo quodam, duxit: ne quid, ut ait, haberet jucunditatis oratio, hoc est, ut ego interpretor, ne honesti & condecentiæ parum haberet. Fabium vero Quintilianum a Cicerone, quem singulis paginis laudat, & a cujus vix unquam sententia discedit, quis putet hic in optima causa, & pudoris ac verecundiæ defensione discessisse? Principio omnibus omni usu interdicit verborum, sive propriorum, quæ quidem obscena sint & sordida, sive translatorum ab obscenis rebus & sordidis. Cui fere loco præclara quædam subjungit duo, quæ & transire silentio nefas arbitror, & meis potius, quam ipsius, verbis exprimere. Primum, *Obscena*, inquit, *si nudis nominibus enuncientur, viderint qui non putant esse vitanda; quia nec sit vox ulla natura turpis; & si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacunque ad intellectum eundem nihilominus perveniat. Ego Romani pudoris more contentus*

tentus

tentus ut jam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo. Alterum, *Mala*, inquit, *consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est: quam culpam non scribentium quidem judico, sed legentium. tamen vitanda, quatenus verba honesta moribus perdidimus: & evincentibus etiam vitiis cedendum est.* Præscriptum deinde a Quintiliano hoc aliud, dandam operam prælegenti poetas grammatico, ut juventus non modo quæ diserta, sed vel multo magis quæ honesta sunt, discat. In lyricis non auctores tantum, sed etiam partes operis eligenda. Nam & Græcos licenter locutos multa, & sibi religionem, quominus Horatium in quibusdam interpretetur, esse. Elegiam vero, quæ amet, atque hendecasyllaba, quibus sint commata sotadeorum; de sotadeis enim ne præcipiendum quidem esse; amoveri oportere omnino, reservari certe ætati firmæ, ideoque cautiori, debere. Comœdiam inter præcipua legendam illam quidem, sed tamen non ante legendam, quam mores in tuto fuerint. Denique oratori, quicquid loquatur, convenire, ut obscenitas non tantum a verbis absit, sed etiam a significatione.

Sed quid opus mihi, CAROLE SANCTAMAURE, tot tantisque auctoritatibus sapientum externorum, ut tertium doceam, quod proposui; esse *αἰσχρολογίαν* quandam, per se & natura sua vitiosam, quæ non solum indicet residere culpam & vitium in moribus, non mores solum extrinsecus ac velut causa efficiens reddat vitiosos; verum etiam quæ ipsa proprie vitium sit & turpitudo, & qua sola sint, quibus hæreat, introrsum turpes? Nonne hoc ipsum præ se fert, loquitur, clamat species & forma honesti, quod melior philosophia decrevit, quodque sapientissimi morum ac disciplinæ magistri suadent & hortantur? Etenim si vita & mores hominis non in actis consistunt tantum atque elucent, sed in dictis quoque: an non habebitur pars morum turpitudinis aliqua, sermones turpes fundere? aut non erit hoc, male moratum esse in vita, non erubescere impudica loqui? Et, si aliquid aspici pudor vetat, si de eodem audiri, si idem legi; cur verba facere pariter de quibusdam, cur in eam sententiam scribere, pudori & verecundiæ non adversabitur ac repugnabit? Maneat igitur fixumque sit, turpem revera, qui turpia loquatur, esse: neque ex consequenti tantum, quia turpis evadat, sed conjuncte quoque & ob id ipsum, quia turpia loquatur: cum quidem homini probo & pudenti constare debeat ratio non minus dictorum, quam factorum.

NEQUE vero id, quod jamdudum differo, ex omni parte ignoratum ab iis, qui fecerunt contra, spurcissimis quibusque scriptoribus: & secuti profecto deteriora, qui viderent meliora & probarent. Quid in comœdiis apud Græcos Aristophane, apud Latinos Plauto habemus impurius, & loquendi licentia liberius, nonnullis quidem in locis? Atqui & facit Aristophanes anteferentem se Æschylum Euripidi, quod feminas in scenam non induxerit amantes; Æschylus, ranis, Οὐδ᾽ οἶδ᾽ εἴς ἥντιν᾽ ἂν ἐρῶσαν πώποτ᾽ ἐποίησα γυναῖκα. & commendat Plautus suam, captivos, quod in ea spurce nihil, item ut in reliquis fabulis, dixerit. Prologus: *Neque spurcidici insunt versus, immemorabiles.* Tanta nimirum vis est honesti & pudoris, ut qui plerumque exprimit e vultu ruborem, ex ore hostium elogium & prædicationem sui expresserit. Neque non habuit aliquando aliquam rationem verecundiæ, qui perfricuisse frontem videtur, Martialis, cum significavit, videndum quatenus ad se castissimæ matronæ, ingenuique pueri, & virgines, & in scholis magistri, adirent, suaque epigrammata attingerent. Erubuit tunc aliquid certe, & modestiæ specimen dedit, cum libri versus illius, quem ad imperatorem Domitianum deferret, pudiciores esse cunctos & reverentiores quodammodo voluit; ipsi autem imperatori plus debere Romam, quod pudica esset, revocatis contra multiplicem impudicitiam legibus, quam quod triumphis, manubiis, templis illustrata, ingeniose & eleganter dixit. Sed, ut dicam quod res est, nunquam mihi magis placuit Martialis, quam cum suam verborum intemperantiam ultus est ipse per se, & Musis, quas conspurcavit, de corio suo, ita si loqui licet, satisfecit. Mirum illud, optime MONTAUSERI, sed tamen verum. Scripsit contra se Martialis, & factum damnavit suum, non modo, ut antea posui, excusavit. Lege ac judica.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Tanti non erat esse te disertum.

Est hoc epigramma Martialis scriptum in Sabellum nescio quem simulatum, an in Martialem verum? En quomodo tela adversus alios intenta resiliant, atque in caput jacientis recidant. Audi rem autem, MONTAUSERI, non jam veram aut factam uspiam, sed ad veri effigiem dicis causa confictam: quæ maxime tamen doceat sensum veteres aliquem, & intelligentiam, & curam habuisse honestatis dictorum atque factorum; nec plane omnem apud eos extinctum pudorem fuisse. In ludicris illis & fictis ad declamandum argumentis, apud Senecam rhetorem lib. VI. controver. 8. accusatur virgo vestalis, & rea fit, quasi in judicio lite instructa, quod versum conscripserit mollem & delicatum. Sed cujus criminis accusatur? incesti. quem versum conscripsit? istum:

Felices nuptæ! moriar nisi nubere dulce est.

Nuptas prædicat beatas, & suaves nuptias affirmat. quod cujus est puellæ loqui, nisi illius, quam tædeat status conditionisque suæ, & quæ amet & amari quærat, & virum optet? Visa res indigna vestali, aliquid putare virginitate, quam pro republica devovisset, vel felicius vel jucundius: hunc vero animi sensum mandare scripto, aut ore proferre & exprimere versu, longe indignissima Quantæ hic enim tragœdiæ declamatoris! *Felices nuptæ. cupientis est. Moriar nisi. affirmantis est. Nubere dulce est. aut experta juras, aut inexperta pejeras. Neutrum sacerdotis est. Tu carmen scribas? tu verba pedibus suis emollias? tu severitatem templo debitam modulatione frangas? Quod si usque laudare vis nuptias, narra Lucretiam. De illius morte scribe, antequam jures de tua. O te supplicio omni dignam, cui quicquam sacerdotio felicius est! Dulce est. quam expressa vox, quam ex imis visceribus emissa, non expertæ tantum, sed delectatæ! Incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum.* Jamvero sensus is com-

munis Romanorum si fuit, ut merito videtur fuisse; veri enim simile ex communi popularium sensu locutum declamatorem: quid restat aliud, MONTAUSERI, nisi ut ipsi quoque illud exclamemus.

Et dubitemus adhuc molles damnare poetas?
Ob versum, incesti virgo peracta rea est.

Qui si tamen declamator joco & velitationis caussa dixit, non quod sui cum illo cives sentirent: equidem non mirer, qui floralia spectarent, qui mimos scriberent, qui in servos quidvis sibi licere existimarent, quibus nihil fere nefas esset nec in facinore nec in libidine, hos & scribere aliquid turpe ac scelestum, &, si qui ita scribant, excusatos habere. Homines miror Christianos, ac potius indignor, quibus interdictum sit vel cogitatis impuris, eos non abhorrere a sermonibus, non scriptis: rationibus autem assentiri, quas ne isti quidem qui afferunt, satis firmas & probabiles putent; nos pugnare inter se nec ullo cohærere modo, planum fecimus.

PRÆTER libidinosa, de quibus dixi, & ea quæ majoris sunt in voluptatibus intemperantiæ, occurrunt alia minus gravia & pudenda quædam, sed parum tamen honesta, nec sine præfatione honoris appellanda, ac ne appellanda quidem, nisi necessario rectisque verbis, tametsi necessitatibus serviant & requisitis naturæ. His autem etiam nullum esse locum placet in epigrammate: illa siquidem communis sermo non recipit honestiorum. Sed ea de re agere non lubet pluribus; cum intelligatur satis, quale id totum sit; & verear ne qui dehortor deterreoque a turpibus, turpe ipse quid, vel exempli gratia, proferre cogar in medium. Omittere non debeo, tantam religionem ac potius verecundiam fuisse priscorum interdum, ut ne ferre quidem possent concursum syllabarum, vel in una voce, vel in pluribus, quo ex concursu aliquid existeret obsceni: vitarent etiam quorumdam verbotum usum, & quorumdam casuum, qui suspicionem injicerent, aut certam præ se speciem gererent turpitudinis. Hoc nimitum illud est κακόφατον, sive κακέμφατον, quod notant plerumque veteres grammatici in scriptoribus: quoties vel id effugere voluerunt dedita opera, vel id eis imprudentibus excidit. Virgilii vetus interpres Servius in illud libri Æneidos octavi, *Huic monstro Vulcanus erat pater: Bene*, inquit, *mutavit casum, in quo inerat turpis significatio.* hoc est: cum quidem deflexerit Virgilius & Caci, & Cacum, ab recto casu, qui sit Cacus, idem nomen in dandi casu noluit efferre, ne in turpe & obscenum quid incideret. Acron vero ad Horatii locum hunc, ubi agit de poetica, *Quamvis est monitus: Pro eo, quod est, Quamvis sit, propter κακέμφατον. ut Maro. Quamvis est rustica, Musam.* Quæ me Acronis observatio admonuit, ut illud Tullii subobscurum; *Nonne honestum verbum est, divisio? at inest obscenum, cui respondet intercapedo;* in quo pessimum quiddam Aldus Manutius falso suspicatur; mollius vereque interpretarer. Quid enim divisio, extrita prima syllaba, est, nisi illud, quod Acron notavit vitatum ab Horatio fuisse? aut quid hoc, quod illi respondet intercapedo, nisi postremæ duæ syllabæ hujus vocis, in nominandi casu, non in obliquis? Ac de isto posteriore ne dubitemus, Quintilianus facit in lib. VIII. instit. orat. c. 2. *Divisio quoque vocum*, inquit, *affert eandem injuriam pudori, ut si intercapedinis nominativo casu quis utatur.* Si enim vox intercapedinis Manutianum illud prius sonaret, non jam rectus id casus solum sonaret, sed ceteri quoque casus omnes idem valerent.

CAPUT XII.

De forma epigrammatis.

EXPOSITUM supra est a nobis, quæ materies & unde sumenda generatim sit ad epigramma scribendum: quæ speciatim rejicienda; si modo nemini obtrectatum, nullius aures violatas turpitudine sermonis velimus. Sequitur, ut de forma, quæ vagam hanc communemque materiam coerceat quodammodo, & cum eadem epigrammatis naturam constituat, agamus. Atque ea quidem forma qualis esse debeat, jam sciri potuit tum ex differentia, quam adjunximus generi, cum rem definiremus, tum ex triplici proprietate seu virtutibus iis præcipuis, quas utrique, generi & differentiæ, subjecimus. Verumtamen quia ratio ejusmodi viaque investigandi veri & rei penitus cognoscendæ, abstractior est a singularibus, remotior a sensibus, & ab eo etiam, quod sub intelligentiam cadit, libera aliquantum & soluta; communior autem alia quædam habetur, & physica magis per materiam perque formam: hac utendum quoque putavi; præsertim cum aliquid, quod priori deest, posterior supplere posse videatur. Sit carmen breve, venustum, acutum aliquod, quæ nostra fuit ante & communis omnium ac legitima definitio. desit certus quidam ordo, exempli gratia; desit certum vinculum: desit illatio quædam, conformatio peculiaris & tractatio propria, & suus veluti verus & germanus modus. fuerit epigramma non modo mancum & imperfectum, verum omnino etiam nullum. Hoc illud, MONTAUSERI, ex quo, præter subjectam & se præbentem materiam, epigramma, ut dico; constat; quale sit, sentio: verbis exprimere per se vix satis possum: possum comparatione, & similibus, & exemplis. Faciamus a Martiale atque a Juvenale, qui eadem ætate vixerunt ambo, petitum ad scriptionem idem argumentum ex iis rebus, quæ tum agerentur: id quod facere potuerunt; & vero fecerunt. Absumpta igni fortuito domus Asturii aut Tongiliani: nihil enim ad rem nomina pertinent, ficta præsertim. Moti misericordia, symbolam conferunt de suo ad reficiendam domum vel vicini, vel cognati, vel cives alii, vel princeps. Nec mora, reædificatur domus multo, quam antea, splendidior: ut videri possit ædium dominus ædes inflammasse, quo tantum lucri ex damno faceret. Placet hoc argumentum tractet Juvenalis? Tractavit hunc in modum.

Si magna Asturii cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc: & jam occurrit qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris & Polycleti,

Hic

Hic modum argenti. Meliora & plura reponit
Persicus orborum lautissimus. & merito jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.

En satira aut satiræ pars. Vis idem persequatur Martialis argumentum? Persecutus quoque est.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
Collatum est decies. rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

En epigramma. Utriusque scripti una & eadem materies, ut omnes vident. Forma, quæ utrumque constituit, quæ alterum ab altero distinguit, quæ, commune quod erat duorum, proprium & suum cujusque efficit, diversa sine dubio, ut vel mediocriter docti intelligunt. Sed quænam epigrammatis, quænam satiræ istiusmodi forma? Tractandi ratio. Quemadmodum enim e ligno, e marmore, ex auro conflat artifex & perficit aut vas, aut statuam, pro tractatione materiæ varia: sic aut epigramma, aut satiram scriptor, fingenda & informanda aliter atque aliter oratione, componit.

Pergamus porro. Invectus est satira tertia Juvenalis vehementer in perditos mores & dissolutos urbis Romæ: quod non esset in civitate locus honestis artibus optimisque studiis; nullum neque grammatici, neque rhetores, neque poetæ numerum obtinerent; citharœdi, præcones, parasiti, alii, qui malis ibi rationibus consuessent vivere, haberentur in honore, pervenirent ad magnas pecunias, etiam munera gladiatoria, quod non erat nisi potentiorum & nobiliorum, ederent. Eas ob res Umbricius inducitur quidam, excedens patria, & alio longe fugiens, qui hominum tantum fastidium, tantam rerum indignitatem ferre non possit oculis atque auribus: sed qui prius contra delicias togatorum non ferendas declamet in discessu, & stomachi atque iracundiæ suæ causas afferat. Hoc expressisse totum Martialis videtur quinque sexve præclaris epigrammatis. Primum libro III. epigramm. 4.

Romam vade, liber. Si veneris unde, requiret.
Æmiliæ, dices, de regione viæ.
Si, quando veniet, dicet: responde: poeta
Exierat: veniet, cum citharœdus erit.

Alterum libro eodem epigr. 38.

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte; quid aut speras, aut trahis inde; refer:
Quid faciam, suade. nam certum est vivere Romæ.
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

Tertium lib. IV. epigr. 5.

Vir bonus & pauper, linguaque & pectore verus,
Quid tibi vis? urbem quid, Fabiane, petis?
Unde miser vives, homo fidus, certus amicus?
Hoc nihil est nunquam sic Philomelus eris.

Quartum lib. V. epigr. 57.

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quæris sollicitus, diuque tentas.
Fac, discat citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias vel architectum.

Quintum lib. VI. epigr. 8.

Prætores duo, quatuor tribuni,
Septem caussidici, decem poetæ
Cujusdam modo nuptias petebant
A quodam sene. non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.

Sextum lib. X. epigr. 76.

Hoc, Fortuna, tibi videtur æquum?
Jucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus utraque, cujus unum est,
Sed magnum vitium, quod est poeta,
Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

Quasi unum dicat Martialis his versibus: Si cui Romæ est in animo pulcre ac beate vivere, qui rem augere cogitet, qui adipisci nuptias locupletiorum, qui ad aliquem gradum ascendere honoris, qui nitere unguentis & fulgere purpura: is bonas artes ne exerceat, rectum & honestum ne colat, discat fidibus, præconium faciat, aurigam gerat & mulionem. aliter, fore ut frigeat miser, & mille incommodis ac difficultatibus conflictetur in vita, maleque tandem pereat. Confer nunc Martialem cum Juvenale, epigrammata cum satiris: facile, quantum ego perspicio, intelliges, pari sententia & argumento versuum, quam sit dispar ratio tractandi: non dubium autem, quin ea figura habitusque & compositio orationis, quæ hæc inter se duo discernit, in suo utrumque genere constituat.

Quo isti poetæ modo collati sunt inter se; ut appareret duplicis diversi operis quæ forma esse debeat: eodem nobis modo comparare licet eundem Martialem cum Statio, opusque cum opere, epigrammata cum poematiis, idem ut perspici certo possit: eoque magis, quod æmulationis aliquid, ne dicam, tacitæ simultatis, inter hos poetas videatur intercessisse. Earinum, Domitiani libertum, qui ubi primum pubes fuit, comam & speculum dedicarit Æsculapio, celebravit Statius in silvis: idem fecit Martialis duplici epigrammate, cum jam triplici, ejus a verno tempore dictum nomen extulisset laudibus prius. Puerum Glauciam, Melioris libertum, deflet mortuum Statius: duplici quoque epigrammate eundem Martialis deflevit. De fonte ac domo Stellæ, futuroque consulatu, sunt Statii quædam in epithalamio: ejusdem sententiæ apud Martialem habemus epigrammata duo. Pollæ Argentariæ dedit hoc Statius, ut quem ageret ipsa Lucani mariti natalem, attingeret versibus: tria videmus Martialem epigrammata fecisse, quibus eundem festum prosequeretur diem.

Sed enim quid plura, cum tot istis ne opus quidem sit, ut contentio fiat poetas epicos inter & nostros; ex contentione vero operum facta perspiciatur, quæ cujusque sit poematis quasi indoles, & proprietas, constitutioque naturæ? Prætermitto itaque, quemadmodum comparare quoque possimus utiliter nostra cum comicis, in quibus jocus & venustas dominetur ac regnet; aut cum tragicis, in quibus acute dicta, more quidem Latinorum, insint frequentissima: ut eadem alias comœdiæ formam accipiant, alias tragœdiæ, alias epigrammatis. Difficilius fortasse reperias tum convenientiam epigrammatum cum elegis, tum dissimilitudinem. reperias tamen: siquidem habet utrumque certum quiddam, quo differat & unde conficiatur. Nonnullos certe versus elegiarum, maximeque clausulas quasdam de-

prehendi obſervatione diutina, quæ ab epigrammatis ſolerter acuteque concluſis & terminatis propius abſint. Quam multa in heroidum epiſtolis apud Ovidium epigramma redolent! quam multa in amorum libris eundem habent ſaporem! Ac ne iſto quidem concinnitatis ſale & lepore carent volumina quæ triſtium inſcripſit, quæque, in exilio cum eſſet, ex loco appellavit. Perlege illud, quæſo, extremum primi libri, elegia decima.

Non hæc in noſtris ut quondam, ſcribimus hortis:
Nec conſuete meum, lectule, corpus habet.
Jactor in indomito brumali luce profundo:
Ipſaque cæruleis charta feritur aquis.
Improba pugnat hiems, indignaturque quod auſim.
Scribere, ſe rigidas incutiente minas.
Vincat hiems hominem: ſed eodem tempore, quæſo,
Ipſe modum ſtatuam carminis; illa ſui.

Et illud elegiæ proxime ſuperioris.

Vos quoque Tyndaridæ, quos hæc habet inſula, fratres,
Mite, precor, duplici numen adeſte viæ.
Altera namque parat Symplegadas ire per altas,
Scindere Biſtonias altera puppis aquas.
Vos facite, ut ventos, loca cum diverſa petimus,
Illa ſuos habeat, nec minus iſta ſuos.

Adde huc ejuſdem poetæ, ex elegia tertia libri triſtium primi, diſtichum, quo ſignificantius, pleniuſque rerum, tam paucis verbis, haud ſane ſcio, an ullum unquam legerim. Egredi ex urbe juſſus Ovidius & ſtatim proficiſci in exilium, hæret ipſo in limine, æſtuat, tergiverſatur, haſque demum cauſas cunctationis affert & tarditatis.

Denique quid propero? Scythia eſt, quo mittimur, inquam:
Roma relinquenda eſt. utraque juſta mora eſt.

Pluſcula ejuſmodi cum ex Ovidio, tum ex poetis aliis poſſum expromere: quæ epigrammata non eſſe quidem novimus; ſed parum abeſſe, quin epigrammata ſint, intelligimus quoque. Hoc illud autem parum, quod abeſt, ac ſine quo epigramma eſſe non poteſt, quid eſſe putemus, niſi peculiarem quendam habitum & formam, quæ in ſubjectam materiem inducta ſit tractando? Atque hæc idea prima, & character qui dicitur, & notio eſt epigrammatis, ſimul & ejus ratio cognoſcendi.

Altera erit, ſi Martialem non jam cum reliquis poetis, ſed ipſum comparemus ſecum; videamuſque quo pacto communem & publicam materiem una eademque forma illigarit ſæpius, ex eaque epigrammata multa effecerit. Ecce tibi propoſitum in medio argumentum ac lemma unum, lepus & leo, manſueti & concordes, quod in eandem formam a Martiale incluſum, ſeptemque variatum modis habemus. Septena enim epigrammata ſunt, quæ cum ſingula epigrammata ſint, parem formam ſingula participent oportet. Nec vero abibo longius, aut diu vagabor: ea ſiquidem unus liber, iſque primus, epigrammata ſuppeditat, quæ & ipſa poni continenter potuerunt propter materiam, ſicuti ponenda hic viſa ſunt propter comparationem.

VI.

Æthereas aquila puerum portante per auras,
Illæſum timidis unguibus hæſit onus.
Nunc ſua Cæſareos exorat præda leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? ſummus utrique
Auctor adeſt: hæc ſunt Cæſaris, illa Jovis.

XIV.

Delicias, Cæſar, luſuſque, jocoſque leonum
Vidimus: hoc etiam præſtat arena tibi.
Cum prenſus blando toties a dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus:
Unde poteſt avidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen eſſe tuus dicitur; ergo poteſt.

XXII.

Quid nunc ſæva fugis placidi, lepus, ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis iſti cervicibus ungues:
Nec gaudet tenui ſanguine tanta ſitis.
Præda canum lepus eſt: vaſtos non implet hiatus.
Non timeat Dacus Cæſaris arma puer.

XLVIII.

Rictibus his tauros non eripuere magiſtri,
Per quos præda fugax itque reditque lepus.
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoſte,
Nec nihil a tanta nobilitate refert.
Tutior in ſola non eſt cum currit arena,
Nec cavea tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morſus, lepus improbe, quæris:
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

LI.

Non facit ad ſævos cervix niſi prima leones:
Quid fugis hos dentes, ambitioſe lepus?
Scilicet a magnis ad te deſcendere tauris,
Et quæ non cernunt, frangere colla velint?
Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.

LX.

Intret ampla licet torvi, lepus, ora leonis,
Eſſe tamen vacuo ſe leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quos procumbit in armos?
Alta juvencorum vulnera figet ubi?
Quid fruſtra nemorum dominum, regemque fatigas?
Non niſi delectat paſcitur ille fera.

CIV.

Picto quod juga delicata collo
Pardus ſuſtinet; improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello;
Mordent aurea quod lupata cervi;
Quod fræno Libyci domantur urſi;
Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis aper capiſtris;
Turpes eſſeda quod trahunt biſontes;
Et molles dare juſſa quod choreas,
Nigro bellua nil negat magiſtro;
Quis ſpectacula non putet Deorum?
Hæc tranſit tamen, ut minora, quiſquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et ſecurior eſt in ore præda,
Laxos cui dare perviosque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes;
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerint juvencis
Hæc clementia non paratur arte:
Sed norint, cui ſerviant leones.

His

His epigrammatis septem animo & cogitatione materiam deme, quæ solum præbet & fundamentum carmini: mitte diversos concludendi modos singulorum epigrammatum: ea denique oblivisscere, quibuscunque tot numero epigrammata existant, nec plura, nec pauciora. forma quædam relinquetur communis omnium, ex qua fiant & compleantur, taliaque sint suapte natura, hoc est, epigrammata.

TAMETSI quid nobis necesse fuit aut opponere epigrammata aliis poematiis, aut componere eadem atque committere inter se: cum satis superque sit ad notitiam carminis, unum per se tantummodo & simplex contemplari epigramma & expendere? quæ tertia ratio est veri, in hac quidem re, de qua agitur, inveniendi. Unicum igitur & singulare epigramma, CAROLE MONTAUSERI, aut dissolvamus sane per partes, aut contrahamus in pauca, aut dilatemus pluribus, aut invertamus ordine. Dissolvi sive dissecari volo per anatomen, contrahi per epitomen, dilatari per paraphrasin, inverti per ὕστερον πρότερον. Facio hæc etiam planiora. Cum dissolvi epigramma oportere dico, sic interpretor, ut vel eximatur modis numerisque omnibus, vel aliis efferatur verbis, vel alia lingua. Cum præcipio contrahi, fit ita demum, si brevis inscriptio maneat duntaxat, aut si argumentum redigatur in summam. Dilatatur postremo tunc & invertitur, cum exponitur res verbosius, neque retinetur ordo aut caussæ si antecedat, aut effectus si consequatur, aut contra, si series & contextus sit aliter institutus. Quæ si quatuor, aut si horum aliqua fiant in epigrammate, quo facienda modò præscripsi; quid futurum est? Alterutrum certe, ut aut vires ac robur amittat tota res, aut corrumpatur, ac decidat in nihilum, funditusque intereat. Quod equidem libenter experiar, nisi metuam, ne sim longior, aut minutior, aut ne nihil relinquere velle videar magistris artis ac doctoribus, explicatius ista tradituris per otium juventuti. Hoc breve dicò, ex iis, quæ huc attulimus, esse perspicuum, naturam epigrammatis e concursu quarumdam rerum complexuque existere atque effici, qui propria & peculiari tractatione, tanquam nodo, vinciatur: quem tractandi modum plerique vel e doctissimis non plus discere & assequi possint exercendo, quam stilum scribendi vel hunc vel illum veterum scriptorum; nonnulli autem ne intelligant quidem, etiam multum diuque meditati.

CAPUT XIII.

De partibus epigrammatis.

QUÆ quotve sint partes epigrammatis, etsi locus admonet exigitque, ut, posteaquam de materia deque forma actum est, dicatur: quia tamen jam satis hoc ex antecedentibus intelligi potest, de isto libenter fecerim ut taceam, nisi quædam præterea, vulgoque ignota, indicanda viderentur, quæ non minus servari oporteat. Sunt igitur partes epigrammatis, duæ numero duntaxat, insignes ac primariæ, expositio rei, & conclusio epigrammatis. Ac nihil huc opus in tam brevi munitoque opere partibus orationis, quales rhetorici nobis doctores & magistri præscribunt, exordio, narratione, confirmatione, refutatione, ac demum peroratione. Exordium inutile; cum proœmii sit instar ipsa rei expositio, a qua sit incipiendum. Neque necessaria confirmatio aut refutatio; cum si quid stabilire juvat, vel evertere, utrumque clara & probabili expositione continetur. Simile forsan aliquid habet narrationis, expositio, in epigrammate; perorationis, conclusio. Ut enim origo & quasi semen reliquæ orationis esse narratio dicitur; peroratio, finis ac terminus, in quo subsistat: ita res exposita, uti par est, causam præbet fontesque aperit, unde certo constantique lapsu conclusio tota manat. Quanquam verius dixerim, propositioni & assumptioni in syllogismo, aut in enthymemate, respondere expositionem hanc, complexioni conclusionem. Sicut enim ex antegressis & præcurrentibus, propositione atque assumptione, in quibus vis latet ac subest argumenti, elicitur & exprimitur, quæ nominata est complexio: ita ex eo, quod exposuit ipse prius, cogit & infert poeta quam appellant epigrammatis conclusionem sive clausulam. Sed remota omni contentione & comparatione rerum similium, dico de utraque epigrammatis parte seorsum: quo quamque modo fieri conveniat: quid in quaque spectare, quid sequi, quid fugere debeamus.

PRINCIPIO res ponenda ob oculos una & simplex, minimeque negotiosa, nec multis implexa actibus, nec adjunctis diversis onusta & gravis; eaque non uberiore filo sermonis explicanda: ut narratiuncula celeriter expediri, non historia institui longior videatur. Tum vero tendendum ad unum finem expositione tota. quod ut fiat, spargenda quædam quasi semina in decursu, ex quibus conclusio sponte nascatur potius, quam duci se manu quodammodo sinat. Imbuendus & informandus certis quibusdam notionibus legentis animus: certis dictis & sententiis præparandus. ut jam inde a primis versibus, suspicione attingat interdum & conjectura, quid sibi scriptor velit, quorsum ejus sit evasura, quemque exitum habitura, rei propositæ brevis declaratio: itaque lector suo illo reperto non minus propemodum, quam poeta opere & facto suo, lætetur. Quamvis autem res, ut dico, & una sit quæ exponatur, & exponatur paucis, & dirigatur ad unum quiddam: variari tamen & distingui aliquot aliis minus necessariis, quæ eodem pertineant, hæc potest expositio adeoque debet. Et quamvis acumen reservetur conclusioni: nihil moræ est quo minus antevertat poeta, & acutula quædam admisceat passim, inculcetque diversis locis, penitusque inserat. Id ita porro densum ac frequens esse potest, ut finis interdum ibi esse putetur epigrammatis, ubi finis non sit: & vero mens illius, qui legere incipiat, antequam ventum sit ad medium, supra dictis contenta, nihil requirat amplius, cum restent etiam meliora. Quod ego genus epigrammatis, ut difficillimum & rarissimum, ita omnium præstantissimum judico: cum quidem in uno epigrammate multa inesse epigrammata,

mata, totidemque fere, quot disticha, reperiantur. quæ disticha dum procedunt, & augentur numero; bonitate quoque & vi argutiarum, magis ac magis crescant. Eandem ad rem cujus potius, quam Martialis, proferamus exemplum? Ecce tibi lib. VIII. epigrammate 55. insolentis & mirandæ magnitudinis leo, productus in spectaculum a Domitiano.

Auditur quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties silva leone furit;
Pallidus attonitos ad plena mapalia pastor
Cum revocat tauros, & sine mente pecus:
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena.
Quis non esse gregem crederet? unus erat.

Quid est, SANCTAMAURE? hoc tibi epigramma perfectum, suisque absolutum partibus cunctis nonne videtur? an plus isto quidpiam ad præstantiam epigrammatis & integritatem expetendum? Nihil omnino. Atqui inchoatum est modo, necdum ad partem provectum dimidiam. Et quamvis nihil admodum expectes, accedere tamen potiora quædam & multo plura queunt. Sequitur enim:

Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
Aurea lunatæ cum stetit unda jubæ!
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria silvis?
A Cybeles numquid venerat ille jugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

Nec concisa, quæ in epigrammate quæritur, brevitas impedit, ne prior ista pars vel interpositiones, quas παρενθέσεις appellant, adhibeat, vel digressionibus a proposito utatur modicis, vel alia demum, quæ plurima sunt, horum similia, patiatur atque admittat. Audiamus Catullum.

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa.

Catullo addamus Martialem.

Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patrii signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.

Detrahe sane utrique epigrammati, quæ poetæ ambo interponenda esse duxerunt: sermo integer, salva epigrammatum sententia: sed neutrum, mihi crede, tam multiforme & varium, tam ingenuum, & liberale, & amœnum: longe abest.

Nonnulla vero, quæ per transennam, & quasi arrepta occasione perstringuntur, aut etiam accersuntur destinato; tum ut ne sit incompta, neve inerudita expositio, tum ut majore cum ingenio solertiaque fiat; non facile dimittenda putaverim. Quam præclarum illud Martialis, in quo e jam applaudit ipse imperatori; ad indicandam autem multitudinem infinitam rei diversissimæ, insertum non necessario!

... Oceani fluctus me numerare jubes:
Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.

Hoc ejusdem aureum certe & quantivis pretii:

Pallada prætereo: res agit illa tuas.

id est, Cum in ære tuo sint, Domitiane imperator, Dii plerique omnes, quibus templa excitaris, neque isto se ære alieno liberare possint; non dico Minervam quoque tibi debere plurimum, quippe cui debitum facile remittas, quod illa tibi adjuncta sit comes & socia, resque administret tuas. Est etiam cujusdam, ut sic dicam, dexteritatis & astutiæ, laudare tunc aut vituperare quempiam ex obliquo, cum aliud omnino agere videare. Hoc modo: *Lautior & nitido sis Meliore licet. Quem non lacernis Publius meus vincit. Debes non aliter timere risum, Quam ventum Spanius, manumque Priscus.*

Sed & placet comprimis, instituta per dialogum, expositionis in epigrammate ratio, quæ & usurpata sit a Græcis frequenter, nec a Latinis omnino neglecta. Non enim committendum nobis fuit, ut, cum reliqui poetæ, aliique scriptores, personas inducerent ita loquentes alternis; isto simplici & candido atque familiari sermone, qui congressus hominum moresque tam graphice & insigniter exprimat, soli non uteremur: præsertim cum sermo hic habeatur fere inter duos, exiguitas operis vix ferat aut recipiat plures. Extat Horatii decantata millies, & omnium laudibus celebrata, ode nona ex tertio carminum libro, *Donec gratus eram tibi:* quam tanti Julius Scaliger fecit, se ut ejus, aut similis odæ scriptorem mallet, quam totius Tarraconensis regem. Sed idem videtur non advertisse, non admonuit certe, illud esse in ea oda maxime insigne ad commendationem, quod inter se Horatius & Lydia, ut est consuetudo dialogorum, fiant loquentes. quo nomine multis partibus hæc illam oden superat, *Quem tu, Melpomene, semel:* cui tantumdem laudis Scaliger attribuat tamen. Atque ante Horatium quidem tale aliquid luserat Catullus in Acme & Septimio. Post Horatium vero Martialis in tertio libro, epigramm. 38. *Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam.* & in lib. V. epigr. 57. *Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem.* & in nono libro epigramm. 37. *Viderat Ausonium posito modo crine ministrum.* Expressius autem & disertius utroque, ad rationem dialogi quod attinet, Ausonius: quo loco ὄνειρος & Venus inter se, & quo Occasio & Metanœa cum alio loquuntur. Sed his epulis lautiores Græci, quam Latini, quorum sunt ut alibi, ita hic multæ parsimoniæ: gravitas certe vel in loquendo major, cum deliciæ sint ubique minores. Interrogant, inquam, verbo Græci, & vicissim paucis respondent; atque his minutis interrogatiunculis ac responsionibus tota res agitur; & veluti punctis carpuntur versus identidem: quæ species formaque est horum dialogorum. Lege, obsecro, totis septem florilegii Græcorum libris, sparsa huc & illuc, ejusmodi epigrammata: quæ si colligas, in unumque cogas, non dubito quin octavum ex iis volumen effeceris; perbreve quidem, & minus mole aliis, cum sint duo & quadraginta duntaxat epigrammata; sed pretius multo atque floridius.

Quid

Quid ego loquar nunc, quemadmodum res hic quoque exponatur ὑπερβολικῶς, sive augendi gratia, sive minuendi? Satisne unquam animadversum tibi, doctissime MONTAUSERI, cum multo nostris sit, quam aliis poetis, hyperbole frequentior, tum vero hanc esse longe frequentissimam? Nam quod epigrammatum scriptor ludicra & ea, quæ delectant, malit, quam gravia & seria; delectet autem ista superlatio, quæ sit comparata magis ad risum, quam exacta ad veritatem; quod idem & laudet sæpius & vituperet, ad utrumque autem sit non modo utilis, sed etiam necessaria amplificatio: quid mirum, si in isto se genere adaugendæ rei & extenuandæ citra fidem, præter ceteros exerceat? Vide sis Furii apud Catullum incredibilem & inauditam egestatem, qui minimo minus, ut ipse etiam hyperbola utar, possederit: de cujus egestate, quæ dicuntur, ea profecto intelliges non potuisse, nisi per summam exuperationem sermonis, dici. Apud Martialem tam multa istiusmodi reperias superlata, quæ fidem omnem superant, ut verendum sit ne modum, qui hic quoque adhibendus est aliquis, non tenuerit, atque a virtute, quæ in medio consistit, in id, quod nimium est, tantisper deflexerit. Vis elatam rem supra quam credi potest? Intuere togam a Parthenio dono datam Martiali; *Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici:* phialam a Rufo; *Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?* Vis rem depressam in immensum? Phialam a Paullo; *De prætoritia folium mihi, Paulle, corona.* Hedyli lacernas considera; *Nil est tritius Hedyli lacernis.* Est in rerum natura, aut fuit, aut esse potest tam gravis atque teter odor, quam affingitur aut Bassæ cuidam his versibus, *Quod siccæ redolet palus lacunæ*, &c. aut Thaidi istis, *Tam male Thais olet, quam non fullonis avari*, &c. Quis vero non rideat, aut quis non ridere existimet Martialem, cum agelli describit fines & constituit tam angustos, prope ut ad atomum vel ad nihilum redigat extenuando? *Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis.* Sexcenta licet ejusmodi proferre, ex quibus appareat non tantum non alienas a poeta nostro superlationes, sed etiam hujus esse poematii maxime proprias. Nam quod eo rem nonnulli deducunt, ut Martialem improbare malint, quam hyperbolas, tantas præsertim, probare; attendant ipsi & considerent, si in sua cuique arte credi oporteat, quid non sit artis auctori & parenti credendum, cujus ex scriptis propemodum unius ars manarit, sumpta præcepta fuerint, omnis disciplinæ & institutionis, observationumque petita ratio. Accedit illud scite ac prudenter dictum Quintiliani, quod utinam audaculi juniores nunquam deponant e memoria. *Modeste & circumspecto judicio de tantis viris*, magnis videlicet auctoribus, *pronunciandum est: ne, quod plerisque accidit, damnent quæ non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere: quam multa displicere maluerim.*

ATQUE hæc de expositione rei, necessaria epigrammati prorsus, dicta sunto. nunc videtur de conclusione, quæ altera pars est epigrammatis, disputandum. Hanc ego conclusionem, Dux MONTAUSERI, non interpretor finem merum & simplicem sermonis, qui cum nunquam infinitus sit, desinat alicubi aliquando & terminetur oportet. Non ita intelligo, quasi clausulam epistolæ, aut velut ἐπιμύθιον in fabula, aut ut in unoquoque sermone, ex rhetorum præscripto epilogum: quæ singula neque caput neque corpus efficiant orationis, sed appendicis sint & additamenti, aut etiam corollarii loco: necessaria illa quidem fortasse, ut res sunt, sed neque potiora, neque usu paria, neque dignitate. Ac ne conclusionem quidem esse volo, qualis fere semper est Catulli, in illo genere primo quod statuimus simplicis & uniusmodi epigrammatis, aut qualem interdum in Martiale deprehendi licet, persimilem Catullianæ. En exemplum.

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus:
Nasone Peligni sonant.
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba:
Gaudent jocoso Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te Liciniane gloriabitur nostra,
Nec me tacebit, Bilbilis.

Carmen facile sine dubio ac nitidum: sed in quo minimum subest rei. nec varium quidquam, nisi quod una eademque & simplex sententia efferatur modis aliquot diversis loquendi. nec vero finis ab initio progressuque ullus distinguitur. Vult hoc poeta: Novem urbes poetis quatuordecim gloriantur civibus & alumnis suis, inter quas me agnoscit Bilbilis & vindicat suum.

HIS igitur rejectis omnibus placet ista mihi conclusio, in qua tria potissimum summa diligentia, parique constantia serventur. Primum sit ea, diversum quiddam & aliud omnino ab expositione, compare sua, neve recidat in idem, neve cum illa confundatur. Deinde diversum illud, sit illatum & consequens ex alio, non vagum & solutum, aut affictum temere. Postremo illatum hoc quoque, sit ingeniosum præter cetera, & solers, & acutum. Presse angusteque dico, ut vides, MONTAUSERI, quamplurima; quo junctiora hæc, quam belle inter se cohæreant aptaque sint, uno velut aspectu appareat. Dicam & latius, ut quidque per se quale sit, magis pateat omnibus & percipiatur omnino. Aliud esse expositionem in epigrammate, aliud conclusionem, cum epigrammata Martialis demonstrant pleraque, in quibus hoc institutum renuit: tum vero nonnulla ostendunt, in quibus neglexit, aut parum sane attendit, atque ubi, mea sententia, erravit ac lapsus est, offenditque non leviter. Huc κρίσις tua tota, optime MONTAUSERI: huc illud acumen, quo in omnes poetas, maximeque in Virgilium, poetarum principem, inquiris, ac de omni constitutione & forma operis poetici disceptas. Ne gravere, quæso, perlegere una mecum nobile epigramma Martialis, cujus ego jam nonnihil observatione dignissimum tetigi; videamusque numquidnam maculæ ac nævi in tam præclaro corpore resideat.

Quantum jam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis;

Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Cogantúrque Dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpejæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piósque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Expectes & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

Hic a Martiale non quæro primum, quamobrem cum Dii non habeant omnino unde solvant Cæsari, quod debent, expectandum ei & sustinendum dicat, dum sibi satisfiat. A debitore, qui ad diem non respondit admonitus, est quod speret creditor & confidat se posse nummorum aliquid exprimere aliquando post. At ab eo, qui decoxit prorsus, sive fortunæ vitio, sive suo, quid expectes, aut quo usque sustinendum putes? Non quæro deinde, cur, cum Domitiano tot Dii debeant plurimum, nomina dissolvere sua possint nulli; solus postremum appelletur Jupiter, cujus in arca nihil suppetat ad sui æris alieni solutionem. Mitto hæc duo. unum reprehendo, quod si tueri aut excusare quoquomodo possis, Montauseri; pertinax non ero, potiusque me criticum nimis, quam Martialem parum accuratum, confitebor. Concludit Martialis ita, ut deesse Jovi dicat quod solvat Cæsari: *Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.* Belle hoc quidem, tamque belle, quam assentatorie. Verumtamen quid hic allatum novi? numquid idem jam supra dictum? numquid proxime, quinto & sexto versu, dictum? *Non erit uncia tota, Decidat tecum qua pater ipse Deum.* Quasi velit hoc epigrammate toto Martialis intelligi: Cum a Diis, Atlante, Junone, Hercule, Phœbo, Castore & Polluce, solvi tibi, o Cæsar, non queat, quod debetur; tum solvere Jupiter non potest. Expectes oportet; non potest Jupiter solvere. Atque hoc etiam, quod istis conceptum comprehensumque verbis perquam breviter astrinxi, multo concinnius, etsi nullo modo acutum, quam illud Martialis, in quo simul ac multa proposuit, multa attulit de difficultate & impeditis rationibus Deorum, qui solvendo non sint, quibus magnam expectationem moveat; frustretur ad extremum legentes, & fraudet ipse quasi debito, nihilque aliud, quam quod dixit ante, dicat. Quid igitur Martiali facto opus erat, ut ne conclusio ita vitiosa foret, aut ut mendum corrigeretur ejusmodi? Alterum de duobus: aut tacendum de Jove ab initio; aut aliter, quam mentione facta Jovis, concludendum.

Differre conclusionem oportet ab expositione; sed elici tamen quasi argumentando, & pendere ex ea necesse est. Ut enim expositio comparata est & refertur ad aliud, quemadmodum a nobis declaratum est: ita ducitur ex alio conclusio, & noxa cum priori parte, indeque apta, procedit. Ex quo facile perspici potest, Montauseri, quodcunque hoc conclusionis, sic appellari, & revera finem esse, non quod eo finiatur epigramma, sed quia ejus gratia, tanquam finis, quidquid antecedit in epigrammate, fiat, & apparatus cujusdam sit loco: ideoque partem hanc unam, propter quam altera, quanta quanta est, adornetur, habendam potiorem.

Repetenda autem aliunde ista conclusio, vel intrinsecus tanquam ex ipsis visceribus rerum, vel extrinsecus, ab iis quæ rei adveniunt, aut rem contingunt, aut certo modo, perque convenientiam quandam, afficiunt. Atque hoc quidem cum frequentius, quod foris assumitur, tum multis partibus præstantius, quam quod nascitur domi, & ex sese ortum habet. Quis enim primo non videt, quæ propria sunt rei & quasi domestica, esse pauciora; materiem & formam, ex qua utraque res constat; proprietates aliquot quibus carere non potest; præterea nihil, nisi externum: contra, quæ peregre accersiri, aut duci e proximo queunt, esse innumerabilia? Deinde vero quid illud habet admirationis, si quis rem cum promat, vim quoque & naturam rei promat, quæ ipsa res est, aut rei pars, aut a re sejungi nequaquam potest? At rei quid conveniat, & quantum, cumque quam multis conveniat, aperire, majoris est prudentiæ & perspicacitatis, majorum vigiliarum & industriæ. Quod siquando valent in epigrammate loci, quos rhetores insitos appellant, hic valent sane, & aliquid ad terminandum carmen commodi atque utilitatis afferunt. Erui enim epigrammatis conclusio ex iis totidemque locis potest, ex quibus argumenta videmus erui ab oratoribus ad fidem faciendam. Hoc unum excipio, quod quantum a dialecticorum severitate discedunt oratores, tantum ab oratorum cura & diligentia, epigrammatum discedat scriptor. Ac solent dialectici, quod eorum proprium inventum & opus est, subtili & accurata definitione uti. Definiunt oratores & explanatius, & uberius, & ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatius, ut sit illa descriptio potius rerum, quam definitio. Minimum denique præstant poetæ definiendo, qui descriptionibus magis indulgeant, quique de ceteris, dum plausibilia afferant, parum laborent. Itaque & ex hoc communi loco, & ex aliis videtur mihi dialecticus rei captare veritatem; orator veri similitudinem, in qua plus interdum sit, quam in vero, probabilitatis; scriptor epigrammatum convenientiam quandam, sive facto & re nixam, sive ficto & commentitio; quam & ipsam omnes concinniorem esse intelligant ad delectandum, quam firmiorem ad persuadendum.

Potest esse in epigrammate conclusio & diversa ab expositione, & ab ea necessario pendens; nec acuta tamen ipsa, nec acute ducta ex alio. Quocirca tertium quiddam est acumen, quod inesse placet vel maxime in conclusione. Sed quia tamen antevertendum putavi, & id alio jam supra loco tractandum: eo te, si grave non est, optime Montauseri, & si videtur non inutile eadem legere iterum, remitto. Non est autem novum, ad duo triave capita unum aliquid pertinere aut referri: de quo proinde, locis diversis, pari jure, agatur.

CAPUT XIV.

De elocutione epigrammatis.

IN magno quidem opere, quod sæpe fit & necessario, facile patimur obrepere somnum; cum multæ virtutes negligentiæ, aut imprudentiæ, aut ignorationis vitium compensent. Dormitet sane aliquando Homerus, per me licet, cujus tot vigiliæ tamque elaboratæ rependant veternum brevem, si quis est. At se ipse commendet Anacreon oportet se toto, tam pusillus, tam brevis. qui si parte aliqua sui non sit venustus, nec dulce, ut ita dicam, rideat; quis non perspiciat continuo, aut non culpet, aut non irrideat, aut non indignetur? Similiter epigramma qui scribit; quod uno versu defungatur partibus suis, ac perfectum opus habeat; si non sit ubique & omni numero præcellens, ubi erit; cum pars a toto vix distinguatur, in opusculo tam minuto ac tenui?

Sit igitur primum sermo in epigrammate purus & emendatus; quacunque lingua poeta, sive Græce, sive Latine, seu vernacule, scribat. Deinde vero cultus & elegans; quoad argumenti sententiarumque vel tenuitas patitur, vel dignitas atque amplitudo exigit. Horum alterum comparatur præceptis communibus & regulis servandis, quas tradit ars literarum, doctrinaque puerilis. Alterum contingit observatione rerum quarumdam interiorum & occultiorum, quæ, cum sint numero & varietate prope infinitæ, minus sub præcepta cadere possunt, & vinculis artis alligari. Conducit ad id maxime crebra & multa lectio veterum scriptorum, diligens & accurata imitatio Catulli ac Martialis, præter ceteros poetas omnes. Da mihi, quem poetarum, qui vixissent ad eam diem, non vincat Catullus munditia & omnibus Latine loquendi quasi deliciis: aut cui Martialis suorum temporum, eadem laude comptæ dictionis & excultæ, concedat. Certe, si poetæ est cujusvis, ut est, expolire sermonem etiam studiosius, quam soleat historicus, aut orator; propterea quod ille serviat voluptati, & placere tantummodo, aut sane potissimum, velit legentibus; isti aliud sequantur, & prodesse potius debeant, quam oblectare: quanto magis par est, scriptorem epigrammatum poetam elegantiæ studere & nitori locutionis, in qua facilius, propter brevitatem operis, & elaborentur omnia, &, si quid minus elaboratum sit, deprehendatur? Attulit ad me nuper aliquis amici potentioris, ac bene de se meriti, Latina epigrammata quatuor: quæ dum laudaret ipse magnopere prior, exquirebat quid sentirem. Tum ego familiariter & ingenue, Præscribis, inquam, mihi laudibus istis tuis, quid censeam: & amico, ut opinor, approbatorem quæris, non æstimatorem aut judicem. Libere tamen dicam: tacebis, quod tacendum putaris; ne aut amicum offendas in nugis, aut in re seria non audiare tamen. Carmen, ut apparet, non inane sententiis, nec sine acumine & lepore: versus elati & canori, verbis plenis & grandibus: apta compositio: naturalis ordo rerum: neque forsan ars desideratur. Verumtamen, ad dictionem quod attinet, haud sane video, utrum plus aliquid Latine poeta hic tuus sciat, quam quantum in scholis philosophorum aut theologorum, ubi ista fere dediscuntur, didicerit. Ita nimirum sese res habet, ut omnium tu optime nosti, Sanctamaure. Plerique, nisi caveamus, Græca Latine, Latina Gallice scribimus. Cur istud tandem, aut quo modo? Dupliciter. primum quidem cum sint uni linguæ communia quædam cum linguis aliis, quiddam proprium & singulare cujusque, certa elegantia, domesticæ nativæque veneres; hoc si posterius negligimus, aut si parum callemus, aut si omnino non persequimur, illa retinemus duntaxat: quis prudens lector atque intelligens divinabit scire nos Latine aut Græce, qui ejus, quod peculiare sit alterutrius linguæ, nihil in carmine nostro advertat? Deinde cum ex duabus tribusve linguis, unam aliis notiorem, magisque familiarem habeamus: quid proclivius, quam ad hanc accommodare ceteras, & inflectere, ac detorquere: ex quo Latinismus, ut sic dicam, in Græcis, Gallicismus in Latinis obrepat? Quid igitur provideri in epigrammate placet, aut quam rationem haberi sermonis? Si quis epigramma scriptor Græce condidit, deprehendat lector, volo, vel ex uno versu alterove, Athenas: si Latine, Latium quodammodo & Romam veterem agnoscat. nec vero jam puerum esse aut tironem intelligat, qui discat tum primum, sed virum ac veteranum, qui multum diuque didicerit. Quod si Græcum ex Latino, aut ex Græco Latinum scriptor idem fecerit; juvat ambigere lectorem, uter scriptor scripserit prius, utrum redditum sit opus atque ex altero conversum.

Nam quod ait nullius nominis scriptor, qui epigrammata nuper collegit potius, quam elegit, scriptores epigrammatum politiores & elegantiores, sua ista sermonis elegantia contentos, nihil acuminis ullius curare admodum aut consectari solere: perinde quasi sua illis cultura, suum elegantiæ studium fraudi sit: quis non videt hic, si quod aliquando vitium subest, hominum notari vitium, non rei: tantum autem abesse, ut alterum alteri officiat; ut duo juvent hæc inter se semper, atque etiam acumen ex elegantia, vicissim elegantia ex acumine petatur? Nec magis audiendum puto Gerardum Vossium, diligentem & accuratum quam voles scriptorem, per quem impune liceat poetis nostris, horridulis esse & subagrestibus; dum illud mordicus teneant, ut in concludendo subtiles acutique nunquam non sint. Sed unus omnium minime placet, vel potius maxime displicet vir ὑπερκριτικὸς, & maximus emendator sermonis vitiorum, Julius Scaliger, qui barbarismos nihilominus & solœcismos admittat epigrammate, ac verba quoque fingere liberum esse contendat, id quod fecerit, & Martialis exemplo fecerit. In quo illud profecto ridicule fit ab eo, ut quia iterum ac tertio Martialis aliquid σολοικοφανὲς usurpavit, vocem unam aliquam novavit, tradat ipse præceptis dandis, solœcismo & novitati vocum in epigrammate locum esse: cum quidem ratio quærenda potius ad excusationem fuerit, cur ita Martialis scripsisset, quam statuenda regula aut ponenda lex ad usum communem, ut ita scribere liceret.

Quibusnam autem modis ea non mediocris elegantia comparetur, paullo ante significavi generatim. . declarandum videtur peculiarius aliquid, & eruditius, minusque animadversum a plerisque, quamvis versetur ante oculos, ac de medio sumptum existimari possit. Tenesne memoria, præstantissime Montauseri, in rhetoricis olim M. Tullium & Fabium Quintilianum hoc quoque præcepti suis dare solitos, ut poetas evolvant percurrantque per otium ; inde plurimum opis ac præsidii non ad tropos modo & schemata, ut appellant, & majora lumina dicendi & insignia, sed etiam ad bonitatem quandam & nitorem verborum, cultumque & elegantiam sermonis peti? Ac Tullius quidem per Crassi personam, *Omnis*, inquit, *loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia literarum, tam a augetur legendis oratoribus & poetis.* Qui idem paullo post : *Prætereamus præcepta Latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani, ac domestici libri confirmant, & lectio veterum oratorum & poetarum.* Vides utrobique & quasi ex æquo oratorum lectionem cum poetarum conjungi? Atqui antea cum in oratore omne scriptorum genus requirendum esse contenderet, initium prope videmus duxisse a poetis : *Legendi etiam poetæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & pervolutandi.* Quintilianus vero : *A poetis*, inquit, *& in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur.* Quid quod idem tradit, initium discendi fieri oportere a poetis, sive quos domi apud se pueri legant, sive quos prælegant magistri atque interpretentur in scholis? Commendant igitur utrique, grammatici & rhetores, poetas oratoribus. Ego vicissim ac multo fortasse magis commendandos oratores, atque adeo optimos quosque scriptores orationis solutæ, poetis arbitror. Quemadmodum enim prius est conquirere verba, eligere locutiones, certos animorum sensus exprimere, quam hæc ipsa vincire numeris, & in poematis formam redigere : ita est prius, solute eleganter loqui, quam adstricte. ut sedes quædam & quasi fundus sit poematis, oratio : aut inchoatum sane poema, & sua quadam tinctum elegantia prius, quam ultimus color extremis lineamentis accedat. Quo loco de amico vetere meo, Nicolao Borbonio, quem tu præclarum imitatorem Virgilii, juxta mecum, Montauseri, nosti, sæpius audisse videor, cum diceret summo sibi usui semper fuisse in scribendis versibus Ciceronem. Quod mihi tum profecto mirum dictu, ac ferme incredibile visum esset, nisi meminissem adolescentem me, ac potius puerum, deprehendisse non pauca, quæ Virgilius de Cicerone sumpsisset. Atque hoc ipsum longo post intervallo animadverti observatum a Macrobio, & proditum scriptis etiam tunc, cum nihil esset necesse. quippe cum ageret de iis, quæ Virgilius prioribus surripuisset poetis, non autem scriptoribus orationis solutæ. *Nec Tullio*, inquit, *compilando dummodo undique ornamenta sibi conferret, abstinuit.* Nam & sententiam hanc, *O fama ingens, ingentior armis*, esse Tullii totam vult, neque falso vult ; & versum hunc, *Proximus huic, longo sed proximus intervallo*, conceptum totidem verbis a Tullio antea, & ex ejus de claris oratoribus libro depromptum. Quid si vero quædam interdum videtur poetice magis loqui princeps hic oratorum, quam ille poetarum princeps : tamenne dubitabimus, quin aliquid ab oratoribus poetæ mutuemur, faciamusque transferendo nostrum? Non abibo longius. versus Maronis vel primus eclogarum, dicto fidem meo fecerit ; nec te, puto, Montauseri, dissentiente. Nuda ista & unica vox Virgiliana, *recubans*, nonne minus est aliquid minusque poetam ac poesim redolens, quam Tullianum illud, *Epicuri philosophia, quæ in hortulis quiescat suis, recubans molliter & delicate?* Dicitur sine dubio a Cicerone multo nitidius ac lætius, platanus ad opacandum lucum patulis diffusa ramis, quam a Virgilio, patulæ fagi tegmen, ad umbraculum significandum profertur. Nec video, quamobrem plurima ejusdem oratoris, ab agitato mari, a ventis, a procellis, a turbinibus petita, ulli cedant tempestati Virgilianæ. Et alia sexcenta sunt, ex quibus planum fiat, quantum quoque modo adjuvent inter se orationis utriusque scriptores, itaque sibi mutuas operas tradant, ut utiles sint poetæ oratoribus, poetis oratores necessarii. Hoc nimirum illud est, quod aiunt vulgo qui ista norunt melius, ac præsertim qui de istis præceperunt, finitimum esse oratorem poetæ, & necessitudinem habere & cognationem cum oratione quandam poema. Neque negaverim tamen complura in utrisque dissimilia inveniri, quorum partim sint adstrictiora quædam, partim licentiora : quam dissimilitudinem sit pervidere summæ facultatis ac prudentiæ, nonnullius etiam artis ac disciplinæ.

Quod cum ita se habeat, quid propius tandem & junctius est, & quid minore ad exequendum negotio, periculo minore peccandi fieri potest, quam ut poeta a poetis dictionem corroget suam, & verba inde aucupetur, & locutionum vim atque copiam hauriat? Neque occurrit ex antiquis scriptoribus quisquam, quocunque in genere facultatis poeticæ tritus subactusque sit, cujus lectione non plurimum alatur, & ex qua non crescat pleniorque fiat : dummodo & observet ea, de quibus nullæ admoneant regulæ artis, & usurpet eadem, sive in iis sese exerceat stilumque procudat. qua re duplici processus omnis in elocutione, sive in elocutionis elegantia, nititur. Observatio, observatio, inquam, adhibeatur primum. legat, adnotet, excerpat, quæ perdisci non queant, nisi observando, quæque in consuetudine præstantium scriptorum sint, non in præceptis grammaticorum. Atque, ut a simili scribentium soluta ne recedamus hic quoque in poeticis, observet poeta noster quæ pertinent ad institutum suum, quo modo quæ ad suum pertinent, diligenter notarunt & curiose, Hadrianus Cardinalis de modis Latine loquendi ; Aldus Manutius eo libro, quem elegantiarum inscripsit ; Antonius Schorus de phrasibus Latinæ linguæ, ubi de ratione totius observationis quædam non semel legenda præmisit ; Franciscus Sylvius in centuriis progymnasmatum tribus ; Horatius Tursellinus de particulis Latinæ orationis. In quo ego scriptores nolim admisceri novos antiquis : qui quidem novi, etsi maxime laudabiles, quod & aspirent ad veterum bonitatem ac præstantiam ; non ii

sunt

sunt tamen, quibus in dictione utriusque linguæ, quæ jamdudum in usu esse desit, recte credatur. Itaque probare nunquam potui, aut Robertum Constantinum, qui in Lexico Græco-Latino quemadmodum appellat, Budæi epistolas proferret, aut Justum Lipsium, qui in epistolis Angelum Politianum Ciceroni & Plinio socium adjungeret; aut Franciscum Sylvium, qui recentioribus aliis quibusdam locum esse vellet inter antiquos. Quam enim fidem obtinere ista novitas potest apud eruditos, nisi quam ab annis & antiquitate acceperit? Quo magis etiam prudentiam requiro non paucorum tantum hominum, sed nationum & Academiarum, quæ superiore sæculo prælegerent pueris, & traderent in manus docendi causa, & editis quoque commentariis illustrarent fabulas Æsopi Planudeas, emblemata Alciati, Erasmi colloquia, Dialogos aliorum: non contemnenda illa quidem singula, sed auctoritate carentia, quam sola afferre sæculi potest vetustas, quo linguæ, nunc quidem intermortuæ, maxime vigerent. Nam Michaelis Verini disticha, pueri octo & decem annos nati, prætereaque multis in locis mendosi, qui puerulis magistri commiserint ad primam rudimentorum informationem, ne reprehensione quidem, sed contemptu & sibilis & convitio dignos puto, magisque pueros, quam Verinum, aut pusiones, quos a Verino discere pueto aliquid voluerunt, discipulos.

Sed & sterilis, MONTAUSERI, ut scis, ac supervacanea observatio, nisi usus accedat, primo frequens & assiduus, deinde a pueritia. Incidi olim non raro in versus quorumdam minime bonos, quos cum aperte vituperare nollem, vere laudare non possem: dicere solebam versus ab iis factos antea, qui mali essent, non satis multos. hanc mihi videri optimam regulam recte scribendi, si quis sæpius perperam scripsisset. Volebam istud nimirum, si versus fecissent complures malos, futurum fuisse ut exercitatione & stilo condiscerent facere meliores. Jam quemadmodum qui fidibus scienter utitur, didicerit puer oportet, atque a teneris assueverit; propterea quod pulsare digitis nervos grandior natu, & ad hæc etiam levissima durior, parum queat: ita ὀψιμαθία in poeticis ferri nullo modo potest. Vidi ego poetas in vita quamplurimos: legi de non paucioribus: nullum memini qui excelleret, quin cœpisset a puero, & aliquid in eo studio primæ ætatis contrivisset. Itaque illud hujus artis proprium maxime, proque fundamento habendum, nisi quis mature carmen scripserit, nunquam posse carmen recte perscribere.

CAPUT XV.

De scriptoribus antiquis epigrammatum.

EX antiquis epigrammatum scriptoribus alios habemus, qui unum epigramma, aut duo triave, pauca certe quædam, conscripserint in vita, publiceque ediderint, sive periclitandi sui, sive exercendi causa, seu quid temere secuti, & aliud agentes, ut hoc eis excidisse videatur. Habemus alios, qui, dedita magis opera, id amplexi studium professique sint, epigrammata exararint, plura numero, ex iisque velut justa volumina confecerint. Horum & illorum longe dispar, meo judicio, dissimilisque ratio & facultas. Non enim, si oden commode qui scribit, is plures odas adeoque librum scribere potest odarum; aut si elegiam qui scribit, is elegias & libros, cum lubet, potest; continuo, qui epigramma semel aut iterum fudit, alia atque alia, magno numero, ubi voluntas tulerit, effundet acervatim, & codices implebit. Causa hæc esse discriminis videtur, quod in ceteris quidem carminum generibus natura & indoles, quæ eadem fit fere semper, valeat; ars valeat, quam eandem quoque adhibere, si velimus, possimus: ad epigramma vero nonnihil præterea vel lucis ab acie ingenii, vel impetus ab animi vi ac robore, motuque ac velut impressione, requiratur, quod non sit omnium horarum, omnium poetarum: quod fato singulari nescio quo obtingat, aut quodam quasi fortunæ munere concessuque donetur. Etenim vidi ego, qui epica, tragica, alia, cum tentaret ac meditaretur, excelleret: cum autem idem se ad epigramma faciendum transtulisset, frustra conaretur, neque proficeret quidquam; certe non ei peræque cederet ex animi sententia iste labor. Quemadmodum igitur sunt, qui licet in aliis poetarum operibus scienter & callide versentur, hæreant hic tamen, nec ullum valeant ulla vi mentis extundere epigramma luce dignum, nisi certus illos, ut sic loquar, genius adjuvet: ita videmus qui pergere non possint, & plura conscribere etiam generis ejusdem, nisi eos eadem iterum aut vehementior aura provexerit, quæ in medio sæpe cursu flaccescentes destituit. Nec tamen hic, MONTAUSERI, intelligi placet instinctum illum cœlestem ac divinum, vel inflammationem mentis; vel sacrum furorem, poetis communem omnibus, &, ut plerique volunt, necessarium: sine quo videlicet neque poeta magnus esse, neque grave possit plerumque carmen fundere. Sed nec venam interpretor benignam ac divitem, quæ rursum poetis omnibus optimis fluere putetur utiliter vel ad facilitatem vel ad copiam. Aliud quiddam & singulare est & proprium epigrammatum scriptoris ac suum, quo fiat aptus ex toto & maxime idoneus ad hanc rationem formamque carminis: quod experientia & effectu, quale quantumque sit, sentitur quidem: sed ab occulta vi & interiore mentis, neque certa neque constanti, cum pendeat quodammodo; vix declaratur per causas, aut verbis exprimitur. Rem indicavit Martialis isto suo dicto: *Facile est epigrammata belle scribere, sed librum scribere difficile est.* Verumtamen causam neque attulit ipse dicti, nec aperiunt interpretes, qui difficultatem repetant operis ab argumentorum varietate, in quibus versari oporteat scriptorem, liber ut unus aliquis totus & integer ex epigrammatis quamplurimis fiat. Quid enim est negotii multiplicem ac diversam nancisci materiem, cum tam multa sese offerant non quæsita, idonea tamen quæ epigrammate tractentur? Quis dubitet vero, quin sit alicujus qua industriæ qua felicitatis, formam, quæ deceat, aptare materiæ, & proprium in eam habitum inducere: cum tam multi sint tamque diversi inter se modi, qui ne-

que epigrammati ullo modo conveniant, neque peræque conveniant?

JAM priores illos ſcriptores, quorum rara ſint opera, recenſere numerando longum eſt, quod complures extiterint: ſupervacaneum, quod de poetis qui egerunt univerſe, non omiſerint de epigrammatum quoque ſcriptoribus dicere. Poſteriorum partim ſcripta non pervenerunt ad nos, ac vix etiam nomina, ut Getulici cujuſdam, ut Marſi, ut Pedonis, qui uttum ſcripſiſſent, neſciremus, niſi a Plinio, Martiale, Apuleio, licenter eos & parum pudice ſcripſiſſe, proditum memoriæ accepiſſemus. Partim ad nos pervenerunt: ſed duorum duntaxat, Catulli & Martialis, de quo utroque nos & hoc ſparſim libro, & alias in eo, qui eſt a nobis de Ludicra Dictione inſcriptus, quid ſentiremus, attulimus. Addo hic tantum plus hiſce primis epigrammatum artificibus atque architectis tribuendum videri, quam arti. Non enim iſti artem ſecuti priorem quandam, quæ præceptis conſtaret: ſed ex eorum ſæpe ac diu perlectis ſcriptis, expenſiſque diligenter, ars ipſa nata eſt, quam alii deinceps omnes ſibi traditam ſequerentur. Et vero ejuſmodi compoſitores artis tanto poetas, ſui utrumque generis principem, in honore habuerunt; ut, cum differant inter ſe multum, duo genera maluerint conſtituere epigrammatum, quam alterutrum repudiare ſcriptorem. Viderint itaque quid agant, qui Catullum & Martialem facile reprehendunt ac vellicant; quod in Martiale Catullum, in Catullo Martialem requirant, nec inveniant. Fateor in altero quidem majorem ſuavitatem & elegantiam ineſſe ſermonis, in altero majorem vim, & aculeorum frequentia crebriorem. Sed quis non videt ſatius eſſe amplecti utrumque, etſi uno aliquo deficiat, quam alterutrum deſerere, in tam multis tam excellentem atque perfectum?

Martialem Auſonius renovare viſus eſt ac referre, ſcribendis epigrammatis, longo intervallo ut temporis, ita dignitatis ac præſtantiæ. Huic ego poetæ faveo libenter, cum homini Gallo, tum doctrina ſingulari, & ſumma ingenii ſuavitate prædito. Sed minus ei tempus profecto, quo vixit, favet. quo quidem tempore infici jamdudum cœperat Latinus ſermo, verbis & parum Latinis, & parum Latine junctis. poetica facta durior multo, quam olim: etiam in numeris & dimenſionibus vocum vel mendoſa per ſe, vel Græcorum licentia liberior. Quibus de cauſis quis non intelligit hunc audiendum in oratione utraque eſſe, quatenus ſe tueri auctoritate & exemplo priorum poſſit? Ita ſi quid loquitur, quo ſint modo locuti, qui illa ſcilicet primorum Cæſarum ætate ſcriptores floruerunt; recte ei credas. Sin aliquid affert omnino ſuum, neque nixum aliunde, aut ab ultima, de qua dixi, antiquitate alienum ac remotum; non temere diffidas. Quo magis miror, Claudianum, illorum æqualem temporum poetam, cujus aliquot extant epigrammata, celebrari jactarique in ſcholis, & juventuti proponi tanquam optimum exemplar ad imitandum: itemque in vocabulorum theſauris auctorem citari Latinitatis probæ ab iis, quos λεξικὰς appellant. qui tamen Claudianus apud nos plus fidei obtinere & ponderis non debeat, quam aut hic Auſonius, aut ejuſdem memoriæ Prudentius. Eſt ille quidem & dulcior ſtructura verſuum, quam Auſonius, & ſyllabarum menſura emendatior, quam Prudentius cum Auſonio: non is tamen, qui ad auream antiquitatem aſpiret, neque dignus qui conferatur cum Martiale, aut qui peræque, ac Catullus, diſcentium manibus teratur. Sed hoc præclarum judicium ſæculi noſtri quorumdam, qui, quanti pretii quiſque apud nos ſcriptor eſſe debeat; maxime ignari, ſummis poetis medios anteponant, infimos & recentiores utriſque. Dixi porro dulciorem Claudianum conſtructione verſuum facili & expedita, & ſine ullis ſalebris, aut eliſionum quaſi ſcabritie ac nodis. Sed ea tamen dulcedine parum ſuavis aliquando & jucundus; quod idem omnium verſuum curſus, idem tenor, nihil mutatis, quas vocant, cæſuris varietur. ut qui tres numero verſus legerit, omnes legerit. Repræſentare vero nobis Auſonius Græcos velle viſus eſt: quippe cum epigrammata ſcripſerit pauca ſupra centum; a Græcis amplius quinquaginta vel ut interpres ſumpſerit, vel ut æmulus & interpolator.

CAPUT XVI.

De collectoribus epigrammatum Græcorum.

DEBERE nos iis plurimum, qui epigrammata varia, quaſi disjecta membra, collegerint in unum corpus, niſi agnoſcimus ac fatemur, ingrati profecto ſimus. Cum enim opuſcula hæc tam parva, mole ſe non ſatis ulla ſua tueantur, neque ſponte, ut grandiores libri, conſiſtant, facile elabantur e manibus, ſpargantur paſſim, deliteſcant & obſoleſcant in angulis, ubicunque negligantur prorſus: quid futurum erat, niſi colligentis unius aut alterius diligentia & ſedulitas Sibyllinis hiſce foliis ſubveniſſet? quantum nos facturi damnum fuimus: quam multa, quamque præclara, quæ ante nos fuerunt, atque in omni poſteritate erunt, ingenii ac literarum monumenta perdituri? Collegerunt autem apud Græcos epigrammata ſuorum viri inſignes, & ipſi poetæ, primum Meleager, deinde Philippus, tum Agathias, ad extremum, ſed longo poſt temporis intervallo, propiuſque a nobis, Maximus Planudes.

AC Meleager quidem, homo natione Syrus, & oppido Gadarenus; quem, Seleuco VI. Syriæ rege ultimo, vixiſſe ferunt, incoluiſſe urbem Tyrum, in Co inſula mortem obiiſſe; ex diverſis totius antiquitatis ſex & quadraginta ſcriptoribus epigrammatum decerpſit flores, & inde coronam texuit, atque ita inſcripſit: cum ſuum cuique florem poetæ attribueret, ipſe pro parte aliquid in textum illud ſuave ac ſpecioſum conferret. Digeſtum opus, ac diſpoſitum pro ordine literarum, unde ſinguli poetæ initium ducerent nominis; non autem, quod fuit fortaſſe ſatius, pro tempore, quo quiſque vixiſſet. Sed hoc, credo quia facilius, & cujuſvis, neglectum: illud, quia rarium magis, & artificii eſſe alicujus videretur, uſurpatum. Quanquam hunc ordinem Meleagri dicitur

tur confudisse Constantinus nescio quis Cephalas, nec jam nominum aut personarum habuisse rationem, sed res modo spectasse præcipuas, de quibus in epigrammatis ageretur, & in diversa quædam capita distribuisse, ἤγουν ἐρωτικά, ἰδίως, καὶ ἀναθηματικά, καὶ ἐπιτύμβια, καὶ ἐπιδεικτικά. Certe videre licet etiamnum manuscriptos codices, in quibus iste retineatur quadripartitus & conservetur ordo. De patria vero Meleagri, deque habitatione non una quod dixi, facile intelligitur cum ex præclaro epigrammate libri Anthologiæ tertii, in quo ipse de se loquitur, Ἀτρέμας ὦ ξεῖνε βαῖνε: tum ex altero isto nondum edito, quod eadem habet omnia, præter clausulam, atque etiam distinctiora.

Πρώτη μοι Γαδάρων κλεινὰ πόλις ἔπλετο πάτρα·
  Ἠνδρωσεν δ' ἱερὰ δεξαμένα με Τύρος.
Εἰς γῆρας δ' ὅτ' ἔβην, ἃ καὶ Δία θρέψεν ἐμὲ ἡ Κῶς,
  Κἀμὲ θετὸν Μερόπων ἀστὸν ἐγηροτρόφει.
Μοῦσαι δ' εἰν ὀλίγοις με, τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον
  Παῖδα, μελιφθόγγοις ἠγλάϊσαν Χάρισι.

Prima mihi Gadarenorum inclita civitas patria fuit. Deinde quæ me sacra excepit Tyros, educavit virum. Postquam autem ad senectutem perveni, divina me Cos aluit: & adoptivum Meropum civem id ætatis fovit. Ac Musæ in paucis Meleagrum me, Eucratis filium, per mellitas exornarunt Gratias.

Sed rem, quæ hic agitur, maxime continet carmen versuum prope sexaginta, quod proœmii loco coronæ Meleager suæ affinxit, ubi & poetæ nominatim & flores appellantur, atque ut suus cuique assignatus flos est, inter se junguntur: quod ego carmen, in tam multis Meleagri jam editis, miror nondum vulgatum a quoquam fuisse. Præterquam quod enim suavitate quadam dictionis & numerorum ubique delectet: quædam nos, quæ nusquam alibi extent, docere potest. ut illud, qui viri epigrammata, quæ feminæ, primum fecerint: ut hoc quoque, statim initio, Meleagrum, quod sertum legerat, Diocli amico obtulisse, & sui apud illum μνημόσυνον, hoc est, amoris pignus & monumentum, esse voluisse.

Μοῦσα φίλα, τίνι τάνδε φέρεις πάγκαρπον ἀοιδάν;
  Ἢ τίς ὁ καὶ τεύξας ὑμνοθετᾶν στέφανον;
Ἄνυσε μὲν Μελέαγρος, ἀριζάλῳ δὲ Διοκλεῖ
  Μναμόσυνον ταύταν ἐξεπόνησε χάριν.

Musa dilecta, cuinam defers carmen hoc omnino frugiferum? aut quis poeta coronam texuit? Confecit Meleager, ac præclaro Diocli, quod amoris monumentum foret, hoc expolivit munus:

Πολλὰ μὲν ἐμπλέξας Ἀνύτης κρίνα· πολλὰ δὲ Μοιροῦς
  Λείρια· καὶ Σαπφοῦς βαιὰ μέν, ἀλλὰ ῥόδα.
Νάρκισσόν τε χορῶν Μελανιππίδου ἔγκυον ὕμνων,
  Καὶ νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω.
Ἐν δ' ἀναμὶξ πλέξας μυρόπνουν εὐάνθεμον ἶριν
  Νοσσίδος· ἧς δέλτοις κηρὸν ἔτηξεν ἔρως.
Τῇ δ' ἅμα καὶ σάμψυχον ἀφ' ἡδυπνόοιο Ῥιανοῦ.
  Καὶ γλυκὺν Ἠρίννης παρθενόχρωτα κρόκον.

Multa innexuit Anytes lilia. multa Myrus liria. Sapphus vero perpauca quidem, sed rosas. Narcissumque hymnum Menalippidæ choreis fertilem. Et novum œnanthes palmitem Simonidis. Ac plexuit simul odoratam & suavem irin Nossidis, cujus blandus ceram mollivit amor. Una cum ista sampsuchum a suavissimo Riano, & dulcem Herinnæ crocum, puellis colore similem.

Ἀλκαίου τε λάλαγον ἐν ὑμνοπόλοις ὑάκινθον.
  Καὶ Σαμίου δάφνης κλῶνα μελαμπέταλον.
Ἐν δὲ Λεωνίδεω θαλεροὺς κισσοῖο κορύμβους,
  Μνασάλκου τε κόμας ὀξυπόρου πίτυος.
Βλαισήν τε πλατάνιστον ἀπέθρισε Παμφίλου οἴνης,
  Σύμπλεκτον καρύης ἔρνεσι Παγκράτεος.
Τύμνεω τ' εὐπέταλον λεύκην, χλοερόν τε σίσυμβρον
  Νικίου· Εὐφήμου τ' ἀμμότροφον πάραλον.

Et Alcæi inter lyricos loquacem hyacinthum, & Samiæ ramum lauri nigricantibus foliis. Præterea Leonidæ teneros hederæ corymbos, & Mnasalci comas acutæ pinus, flexilemque platanum defregit ex Pamphili vite, ramis implexam nucis, quæ Pancratis est. Et Tymnæ frondosam populum albam, & viride sisymbrium Niciæ, & Euphemi litoralem paralum.

Ἐν δ' ἄρα Δαμαγήτου ἴον μέλαν· ἡδύ τε μύρτον
  Καλλιμάχου, στυφελοῦ μεστὸν ἀεὶ μέλιτος.
Λυχνίδα τ' Εὐφορίωνος· ὁ δ' ἐν μούσῃσιν ἀμώμων,
  Ὃς Διὸς ἐκ κούρων ἔσχεν ἐπωνυμίην.
Τῇσι δ' ἅμ' Ἡγησίππου ἐνέπλεκε μαινάδα βότρυν,
  Πέρσου τ' εὐώδη σχοῖνον ἀμησάμενος.
Σὺν δ' ἅμα καὶ γλυκὺ μῆλον ἀπ' ἀκρεμόνων Διοτίμου,
  Καὶ ῥοιῆς ἄνθη πρῶτα Μενεκράτεος.

Ac Damageti violam nigram, suavemque myrtum Callimachi, plenam semper densati mellis. Et lychnidem Euphorionis. hic vero inter Musas eximius, qui Jovis ex puellis nomen habuit. Atque his Hegesippi implicuit racemum, qui agat in furorem, & Persei juncum odoratum excerpsit. Una cum his etiam dulce malum e ramis Diotimi, & punicæ flores primos Menecratis.

Σμυρναίους τε κλάδους Νικαινέτου, ἠδὲ Φαέννου
  Τέρμινθον· βλωθρήν τ' ἀχράδα Σιμίου.
Ἐν δὲ καὶ ἐκ λειμῶνος ἀμωμήτοιο σέλινα,
  Βαιὰ διακνίζων τ' ἄνθεα Παρθενίδος.
Λείψανά τ' εὐκαρπεῦντα μελιστάκτων ἀπὸ Μουσῶν,
  Ξανθοὺς ἐκ καλάμης Βακχυλίδεω στάχυας.
Ἐν δ' ἄρ' Ἀνακρείοντος γλυκὺ κεῖνο μέλισμα
  Νέκταρος, εἰς δ' ὀλίγους ἔνσπορον, ἀνθέμιον.

Myrrhæque ramos Nicæneti, Phaenni terebinthum, & vescam achrada Simiæ. Tum ex prato fertili apia, exiguos carpens flores Parthenidos. Tum reliquias frugiferas a Musis mel stillantibus, flavas e culmo Bacchylidis spicas. Inde Anacreontici cantionem illam dulcem Nectaris, & fecundam elegis, anthemium.

Ἐν δὲ καὶ ἐκ φορβῆς σκολιότριχος ἄνθος ἀκάνθης
  Ἀρχιλόχου, μικρὰς στράγγας ἀπ' ὠκεανοῦ.
Τοὺς δ' ἅμ' Ἀλεξάνδροιο νέους ὅρπηκας ἐλαίης,
  Ἠδὲ Πολυκλείτου πορφυρέην κύανον.
Ἐν δ' ἄρ' ἀμάρακον ἧκε Πολυστράτου ἄνθος ἀοιδοῦ
  Φοίνισσάν τε νέην κύπρον ἀπ' Ἀντιπάτρου.
Καὶ μὲν καὶ Συρίαν σταχυότριχα θήκατο νάρδον,
  Ὑμνοθέταν Ἑρμοῦ δῶρον ἀειδόμενον.

Atque etiam ex horribili crispaque acantho florem Archilochi, parvas ex Oceano guttas. Et Alexandri novos surculos oleæ, & Polycleti purpuream cyanum. Tum vero amaracum immisit, Polystrati florem poetæ, & phœnicium novum ligustrum ab Antipatro. Nec non Asiam spicam nardi posuit, Poetam Mercurii donum canentem.

Ἐν

Ἐν δὲ Ποσείδιππόν τε καὶ Ἡδύλον, ἄγρι' ἀρούρης,
  Σικελίδεω τ' ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα.
Ναὶ μὴν καὶ χρύσειον ἀεὶ θείοιο Πλάτωνος
  Κλῶνα τὸν ἐξ ἀρετῆς πάντοθι λαμπόμενον.
Ἄστρων τ' ἴδριν Ἄρατον ὁμοῦ βάλεν, οὐρανομάκευς
  Φοίνικος κείρας πρωτογόνους ἕλικας.
Λωτόν τ' εὐχαίτην Χαιρήμονος, ἐν φλογὶ μίξας
  Φαιδίμου, Ἀνταγόρου εὔστροφον ὄμμα βοός.
Τάν τε φαλακραῖον Θεοδωρίδεω νεοθαλῆ
  Ἕρπυλλον, κυάμων τ' ἄνθεα Φανίεω.

Posidippumque, Hidylumque, raphanos sylvestres terræ, Sicelidæque anemonas. Quin & chryseum semper divini Platonis, stirpem vi sua ex omni parte fulgentem. Qui astrorum scientem Aratum eodem conjecit, & proceræ palmæ totondit cauliculos primos. qui lotum comantem Chæremonis, flammeæ admiscuit Phædimi, Antagoræ tortilem buphthalmum. ac Phalacræum Theodori recens natum serpyllum, & cyanorum flores Phaniæ.

Ἄλλων τ' ἔρνεα πολλὰ νεόγραφα, τοῖς δ' ἅμα Μούσης
  Καὶ σφετέρης ἔτι που πρώιμα λευκόϊα.
Ἀλλὰ φίλοις μὲν ἐμοῖσι φέρω χάριν· ἔστι δὲ μύσταις
  Κοινὸς ὁ τῶν Μουσέων ἡδυεπὴς στέφανος.

Multaque aliorum germina nova addidit, simul & cum iis, Musæ suæ, quæ cito oriuntur, leucoia. Cum autem hoc amicis desero munus, tum poeticæ cultoribus communis hæc Musarum suavis corona.

ALTERA est a Philippo Thessalonicensi corona contexta, eademque Camillo cuidam delata, instituto & exemplo Meleagri. Secutus quoque rectam seriem literarum Philippus, ut Meleager, ad poetas singulos, singulas vel plantas, vel flores, vel arbusculas, explicandi & distinguendi causa, aut ornandi adjunxit. Hoc dissimile, quod quatuordecim numero tantum poetas recensuit, quos ejusmodi suis instruxit insignibus, alios aliis, quibus quisque vellet, designandos floribus permisit. Sed ista dici quid necesse est pluribus, quæ ipse breviter Philippus complexus est? Sic enim loquitur præfatione sua, quam, ineditam quoque adhuc, non patiar amplius desiderari.

Ἄνθεά σοι δρέψας Ἑλικώνια, καὶ κλυτοδένδρου
  Πιερίης κείρας πρωτοφύτους κάλυκας,
Καὶ σελίδος νεαρῆς θερίσας στάχυν, ἀντέπλεξα
  Τοῖς Μελεαγρείοις ὡς ἴκελον στεφάνοις.
Ἀλλὰ παλαιοτέρων εἰδὼς κλέος, ἐσθλὲ Κάμιλλε,
  Γνῶθι καὶ ὁπλοτέρων τὴν ὀλιγοστιχίην.

Cum flores tibi excerpserim Heliconios, & inclytæ arboribus Pieriæ totonderim teneros calyces: cumque librorum recentium legerim spicas: nexui quoque Meleagri simile quiddam coronæ. Qui vero antiquiorum nosti decus, optime Camille, nosce & recentiorum in ea arte tenuitatem.

Ἀντίπατρος πρέψει στεφάνῳ στάχυς· ὡς δὲ κόρυμβος
  Κριναγόρας· λάμψει δ' ὡς βότρυς Ἀντίφιλος.
Τύλλιος ὡς μελίλωτον· ἀμάρακον ὡς Φιλόδημος·
  Μύρτα δ' ὁ Παρμενίων· ὡς ῥόδον Ἀντιφάνης.
Κισσὸς δ' Αὐτομέδων· Ζωνᾶς κρίνα· δρῦς δὲ Βιάνωρ·
  Ἀντίγονος δ' ἐλαίη, καὶ Διόδωρος ἴον.
Εὐήνῳ δάφνην συνεπίπλεκε. Τοὺς δὲ περισσοὺς
  Εἴκασον οἷς ἐθέλεις ἄνθεσιν ἀρτιφύτοις.

Antipater aptabitur coronæ pro spica: ut racemus Crinagoras: lucebit ut uva Antiphilus. Tullius, ut melilotus: Philodemus, ut amaracus: pro myrto Parmenion, pro rosa Antiphanes. Hedera erit Automedon, lilia Zonas, quercus Bianor, Antigonus olea, Diodorus viola. Evenum lauro implicuit. reliquos poetas confer cum floribus quibuslibet novis.

Videsne, Dux MONTAUSERI, quid sibi Philippus hic velit, quidve se profiteatur fecisse? Ait a se collectos poetas recentiores; eum quidem Meleager antiquos maxime, ut ejus ex prooemio perspicitur, collegerit. Sed quia, Philippo qui recentiores, iidem non modo nobis esse possunt antiquissimi, sed aliis etiam poetis compluribus Græcis; plurimum autem interest ad bonitatem & præstantiam, epigrammata esse a vetustioribus profecta, quod posterius tempus priori multum scribendi laude concedat: investigandum videtur quo Philippus tempore, novorum epigrammatum collector, floruerit, ne sua ei novitas fraudi sit, aut minori certe in pretio & honore habeantur, quæ collegit. Inter epigrammata Philippi amplius quinquaginta, esse video tria omnino, quæ admoneant nos, immo certiores faciant, quibus is temporibus extiterit: quanquam aliud alio manifestius aperiat. Primum, concinnum sine dubio & vetere Græcia dignum, est ejusmodi, quod nos e Græco libenter propter elegantiam & venustatem argumenti; ut & alia duo, convertimus.

Φοῖβον ἀνηναμένη ποτὲ Δάφνη, νῦν ἀνέτειλε,
  Καίσαρος ἐκ βωμοῦ, κλῶνα μελαμπέταλον.
Ἐκ δὲ θεοῦ θεὸν εὗρεν ἀμείνονα. Λητοΐδην γὰρ
  Ἐχθήρασα, φιλεῖ Ζῆνα τὸν Αἰνεάδην.
Ῥίζαν δ' οὐκ ἀπὸ γῆς μητρὸς βάλεν, ἀλλ' ἀπὸ πέτρης.
  Καίσαρι μὴ τίκτειν οὐδὲ λίθος δύναται.

Phœbum alias Daphne sprevit: nunc Cæsaris ultro
  Ex ara ramos protulit alma suos.
Ecce Deo inventus melior Deus. oderat olim
  Latoidem: Æneadum nunc amat illa Jovem.
Saxo radicem, non terra matre, profudit.
  Non potis Augusto non parere ipse lapis.

Tenemus igitur sæculum Philippi, qui sic imperatori Cæsari victorias & lauros gratuletur, ut ejus honoris causa fœcundum velit esse vel lapidem, quo nihil sit sterilius in rerum natura. Sed cum felix hoc augurium de lauro sive de palma, ex altari Cæsaris enata, alii prodiderint evenisse Julio Cæsari, alii Octavio Augusto: nondum satis constat, utrius sit Philippus cum ætate conjunctior. Leve discrimen, ut vides, MONTAUSERI, siquidem alter alteri successit imperator deinceps. tollendum tamen; cum secundo tertiove epigrammate tolli possit. Secundum epigramma ita habet.

Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς, ἀφεὶς λυγοτευχέα κύρτον,
  Ἤλυθεν εἰς δρυμοὺς ἀνθοφυεῖ πτέρυγι.
Αἰεὶ δ' ἐκμελετῶν ἀσπάσμασι Καίσαρος κλεινὸν,
  Οὐδ' ἀν' ὄρη λήθην ἤγαγεν οὐνόματος.
Ἔδραμε δ' ὠκυδίδακτος ἅπας οἰωνὸς, ἐρίζων
  Τίς φθῆναι δύναται δαίμονι χαῖρ' ἐνέπειν.
Ὀρφεὺς θῆρας ἔπεισεν ἐν οὔρεσιν· ἐς δὲ σὲ Καῖσαρ,
  Νῦν ἀκέλευστος ἅπας ὄρνις ἀνακρέκεται.

E cavea in sylvas pictis effugerat alis,
  Humano doctus psittacus ore loqui.

Sæpe

Sæpe salutato recolebat Cæsare voces:
Celsa nec oblitus per juga nomen erat.
Accurrere aliæ, subito didicere, volucres,
Certatimque sonant gutture: Cæsar, ave.
Flexit voce feras Orpheus in montibus. At te
Vocales, Cæsar, sponte loquuntur aves.

Tertium est illud.

Οὐκ ἔτι πυργωθεὶς ὁ φαλαγγομάχας ἐπὶ δῆριν
Ἄσχετος ὁρμαίνει μυριόδους ἐλέφας.
Ἀλλὰ φόβῳ στείλας βαθὺν αὐχένα πρὸς ζυγοδέσμους,
Ἄντυγα διφρηλατεῖ Καίσαρος οὐρανίην.
Ἔγνω δ' εἰρήνης καὶ θὴρ χάριν· ὄργανα ῥίψας
Ἄρεος, εὐνομίης ἀντάγει πατέρα.

Non elephas turritus adhuc, junctusque catervis,
In conferta ruit prælia dente trucs.
Sed juga, ceu metuens, prona cervice subivit,
Cæsareo Latium quo vehat axe ducem.
Commoda jam pacis sentit fera: projicit arma
Martia, fert juris pro quibus illa patrem.

Cui dubium nunc esse potest, MONTAUSERI, quin uterque, & psittacus, & elephantus, ad Augustum Cæsarem pertineat, in eumque unum duo hæc epigrammata cadant, frustra conferantur in alium? Est auctor Macrobius, reversum Cæsarem, quasi sublimem Actiaca victoria, salutatum a psittaco, ad id officii genus instituto, cum garriret illud identidem, Ave, Cæsar, victor, imperator. Eundem vero Cæsarem, invectum aliquando triumphali curru, quem juncti elephanti subierint, etsi nulli suo loco historici scriptum reliquerunt: tamen magna mihi orta suspicio ita rem habere, vel ex eo quod decretus defuncto a senatu, in circensi pompa, currus elephantorum. Quid si, vivo Cæsare Augusto, tunc aderat Romæ Philippus? Quid si ex Græculorum numero erat, qui porrigendis epigrammatis interpellarent, vel onerarent potius imperatorem? Quid si is erat, cujus daturi epigramma, epigrammate dando prævenit, ut illuderet poetæ: a quo tamen ipse festivo facto joculariqe dicto elusus est: ut sestertia centum millia ab optimo principe, summoque ingeniorum amatore, blandissimus poeta expresserit. Quanquam nihil hic affirmo. Sed divinatio placet. Simul & admonere volui, si qui rem non nossent, adirent locum Macrobii, aut etiam si nossent.

SEQUITUR tertius conquisitor epigrammatum & collector Agathias, Asianus & Myrinæus, idemque scholasticus appellatus. Cui non jam visum coronam ullam plectere, aut singulos poetas comparare singulis floribus, ut superiores fecerunt duo: sed proprie & simpliciter in unum aggregare locum nova quædam epigrammata, ad quæ symbolam ipse contulerit. Hunc autem quingentis circiter post annis ætas tulit Justiniani. idem Constantinopoli vixit, & suum hoc opus ad Theodorum decurionem τὸ Κουμᾶ conscripsit. ut videri debeant omnia inferioris notæ, quæ setius nata sint quodammodo, & creverint non optimis temporibus. Palladam certe invadit Henricus Stephanus & exagitat, vel ut plagiarium, si quid affert quod tolerabile nec contemptum videatur; vel, si quid profert de suo, ut ineptum. Contumeliosius etiam Josephus Scaliger, qui ineptissimum quotquot ante fuerunt non poetam, sed literatorem appellet. Duæ ab eodem Scaligero acceptus & Lucillius, apud quem esse jocos ait complures frigidissimos, & Græcanicas ineptias, ubi stomachum vix teneat. Gravis omnino & atrox: at justa fortasse reprehensio duorum. Sed hoc nihil est ad illud, quod in Paulo Silentiario condemnat sæculum totum, dum Paulum asserit, sui vitio sæculi, sive morbo, laborare. Quod autem vitium, qui morbus? Strepitus inanis verborum, ambitus sententiarum confragosus, compositio dithyrambis audacior: quod uno verbo exponi poterat, maluisse binis aut ternis versibus producere: dum se fecundum atque uberem præstet, nihil, præter verborum sonitum & ampullas, attulisse.

Verumtamen quid hæc ad me censura duorum criticorum, quid ad rem nostram pertinet? Eo spectavi, MONTAUSERI; hoc intelligi placuit: cum posterius illud Græcorum poetarum sæculum tantum degenerarit a prioribus; satius futurum fuisse, si ipsi a se poetæ non discerperentur, nec aliorum aliis admixta epigrammata, nec mala cum bonis propemodum alternis confusa essent. Sic namque fore manifestum vel ex tempore, quanti quisque faciendus poeta, quis honos cuique habendus; cum excellentes a mediocribus secernerentur, ab utrisque deterrimi: tutam imitationem juniorum futuram, quorum rudis ætas tam facile malis nunc quidem & infructuosis, quam bonis & utilibus adhærescat: nec voluptati non ducendum, nosse gradus & incrementa operum aut decrementa: cum pretium indicare pauci queant, pauci, quid sibi optimum sit, eligere. Hæc porro confusio & perturbatio duplex: altera, cum recentes poetæ admiscentur antiquis: altera, cum epigrammata nova novis quidem intertexta, prisca priscis; sed diversorum scriptorum: non autem ponuntur continenter individi poetæ & indiscreti.

Pæne præterii, quod tacendum non videtur fuisse: quemadmodum Meleager & Philippus præposuerunt operi suo quædam, sic Agathiam suo quoque scripto & collectioni affinxisse prooemium, immo etiam prooemia; qui & iambicis præfatus est, & hexametris. In quibus utrisque jam tum agnoscas licet, pompam inanem illam, & fucatam speciem, & copiam nimiam, quæ in tempus potius, quam in homines confertur. Hæc prooemia vero, quanquam non edita ante hanc diem; omitto tamen propter longitudinem, quam mihi statui esse vitandam. Paullulum quiddam delibare placuit, ex quo percipiatur, quod nunc habemus opus in manibus collectorum epigrammatum, non novo more, nec nullo exemplo, septem in partes seu libros divisum: ne quis forte primum ita divisisse Planudem existimet.

Πρῶτα δὲ συλλέξαιμι, παλαιγενέεσσιν ἐρίζων,
Ὅσσαπερ ἐγράψαντο νέης γενετῆρες ἀοιδῆς,
Ὡς προτέροις μακάρεσσιν ἀναθήματα, καὶ γὰρ ἐῴκει
Γράμματος ἀρχαίοιο σοφὸν μίμημα φυλάξαι.
Ἀλλὰ πάλιν μετ' ἐκεῖνα παλαίτερον εὖχος ἀείρει,
Ὅσσαπερ ἢ γραφίδεσσι χαραξαμένη τινὶ χώρῳ
Εἴτε καὶ εὐποίητον ἐπὶ βρέτας, εἴτε καὶ ἄλλης
Τέχνης ἐργοπόνοιο πολυσπερέεσσιν ἀέθλοις.
Καὶ τριτάτην βαλβῖδα νεήνιδος ἔλλαχε βίβλυ
Ὅσσα θέμεθλα τύμβοισι, τάπερ θεὸς ἐν μὲν ἀοιδῇ
Ἐκτελέειν νεύσειεν, ἐν ἀτρεκίῃ δὲ διώκειν.

Ac primum colligam, æmulatus antiquos, quæ scripserunt novi conditores carminis, ut majoribus Diis consecrata. Etenim conveniebat veterum scriptorum præclarum exemplar retinere. Deinde etiam antiquum decus attollunt quæcunque poeta stilo incidit quovis loco, sive in statuis affabre factis, sive in alterius artis laboriosæ diversis monumentis. Ac tertium spatium novi sortita sunt libri quæcunque posuimus in sepulcris, quæ quidem Apollo tum versibus perficere annuerit, tum ex vero persequi.

Ὅσσα δὲ καὶ βιότοιο πολυσπερέεσσι κελεύθοις
Γράψαμεν, ἀσταθέος τε τύχης σφαλεροῖσι ταλάντοις,
Δέρκεό μοι βιβλίῳ περὶ κρηπῖδα τετάρτην.
Καὶ τάχα καὶ πέμπτοιο χάρις θέλξειεν ἄεθλα,
Ὀππόθι κερτομέοντες ὑπεσβόλον ἦχον ἀοιδῆς
Γράψαμεν. ἐνταῦθα δὲ μέλος κλέπτουσα Κυθήρη
Εἰς ὄαρας ἐλέγοιο παρετρέψατο ποιείην
Καὶ γλυκεροὺς ἐς ἔρωτας. ἐν ἑβδομάτῃ δὲ μελίσσῃ
Εὐφροσύνας Βάκχοιο, φιλακρήτους τε χορείας,
Καὶ μέθυ, καὶ κρητῆρα, καὶ ὄλβια δεῖπνα νοήσεις.

Quæ vero & de vitæ multiplici ratione ac via scripsimus, & de inconstantis fortunæ fallacibus momentis, aspice, libri circa sedem quartam. Ac delectare potest forsan quinti venustas libri, ubi irridentes convitia & probrosum carmen scripsimus. Sextum volumen surripiens cithara, in feminas elegorum deflexerit copiam, atque in dulces amores. Septimo denique in florilegio sive apiario, gaudia Bacchi, & amicas meri choreas, & vinum, & pocula, & lauta convivia cogitabis. Calamo porro notatos codices, ex quibus horum quædam eruta, & indicavit Ægidius Menagius, vir in paucis doctus, & commodavit nobis: ut hoc ei, præter cetera, studiosi literarum acceptum referre debeant.

Restat ut de Maximo Planude, collectore postremo epigrammatum, quod promisi, persolvam. Is anno supra millesimum trecentesimo octogesimo, Romæ Urbano VI. pontifice maximo, Constantinopoli Nilo patriarcha, cum ibi floreret in cœnobio, multaque, vir Græcis & Latinis literis excultus, scriberet; temporis aliquid impertivit epigrammatis Græcorum veterum recolligendis. Ac distribuit ille quidem librum in septem volumina, ut Agathias: sed non eadem, quæ Agathias, in quodque volumen retulit: id quod ex fragmento superiore illo Agathiæ satis apparet, si quis cum eo Planudis opus totum conferat. Habentur autem quolibet volumine certa capita rerum, certæ sic tanquam per communes locos inscriptiones: idque ordine servato quodam elementorum. In quo se & religiosum videtur præbuisse honestique amantem, resecandis turpibus quamplurimis; & diligentem ac sedulum, accersendis undique & comportandis epigrammatis; & satis prudentem, disponendis atque ordinandis. Quibus ei nominibus obstricti sane sumus, quos carere non passus sit puris sincerisque deliciis eruditionis Græcanicæ. Tantum autem abest ut Planudes nactus sit gratiarum actores, uti meruit, aut, quos quotve debuit, laudatores; ut beneficii obtrectatores invenerit, qui extenuarent opus & industriam. Primum enim conqueruntur nonnulli imminutum ab eo numerum fuisse epigrammatum, circumcisis & amputatis compluribus, castratos & eviratos poetas. ut satis significent hoc utroque verbo, quod semper habent in ore, quinam ipsi moribus sint, quam parum pudentes, qui si Tullium audirent, non modo improbarent verecundiam in aliis, sed in dictis ipsi suis, & in aliorum reprehensione sua præsertim, retinerent. Facit quippe contra eos illud Tullianum, quod jam attuli. *Fugienda est*, inquit, *omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audiunt, trahit similitudo. Nolo morte dici Africani castratam esse rempublicam. nolo stercus curiæ dici Glauciam. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis.* Flagitium videlicet Planudes fecit, qui flagitiosa & turpia non exscribenda putavit, in quibus paginæ, prope dicam, ipsæ, tametsi charta non erubescit, erubescerent! quem referre & in publicum proponere piguit, quæ non minus legere oculis, quam ore proferre modestia & pudor vetat! Desinant vero, qua parte maxime laudabilis Planudes est, vituperare velle Planudem. Quod si tanta reprehendendi libido, & si quid isto de scriptore queri juvat; querantur potius, quod tantam in opere suscepto fidem ac diligentiam non præstiterit, quantam necesse erat, & quantam se præstiturum ostendit. Reliquit enim, optime Montauseri, nescio quo casu, imprudensne an secus, cum multa obscenissima sustulisset, pauca quædam non honestiora sublatis.

Objiciunt alii malum poetam fuisse Planudem. Etiam historicum non bonum fuisse concesserim, qui in vita Æsopi, contra fidem historiæ rationemque temporum, permulta, meo judicio, peccavit. Sed quid tum postea? Idcircone minus aut ex historicis colligere potuit, quæ visa sunt, & in unum locum conducere; aut collegit reipsa decerpsitque ex poetis? Equidem sic statuo, collectanea ejusmodi, & miscellanea, & farraginem epigrammatum, alicujus esse diligentiæ, prudentiæ mediocris; ingenio ad eam rem singulari & eximio, interiore & recondita vel arte vel doctrina, nihil opus esse; studiosos, qui plus aliquid possint ac valeant in literis, ab isto refugere labore toto solitos. Deinde vero, cum Planudes versibus aliorum, quos collegit, non admiscuerit suos, ut Meleager, Philippus, Agathias; neque potest esse dedecori collectis ac simul junctis poetis, neque detrimento lectoribus, contage quadam & communione versuum malorum. Jam ille ipse emendator Planudæ in Catonis distichis, Josephus Scaliger, vitavit, credo, justam reprehensionem curiosorum, qui etiam tunc cum correxit Planudea, hexametros heptametros fecit? Audi versum hujus non productiorem modo syllaba, sed pede toto redundantem. Cato in initio libri tertii:

Instrue præceptis animum: nec discere cesses.

Scaliger:

Τὸν νῦν ἐντολίαις ῥύθμιζε, μαθητὸς ἔποτε λήγων.

Leve illud, & aurium vitium, quæ forsan hebetiores sint factæ senio. Miror Thuanos & Casaubonos, quibus Scaliger quasi quidam Deus esset, quique scripta ejus omnia legissent millies, hunc ipsi librum Lutetiæ edi curassent; non advertisse, quod hic homini mendum excidisset. nisi forte ob id ipsum, ἀναμάρτητον putarint, quod pro Deo haberent. Sed hic Scaliger speciatim: genere toto peccavit, qui alienis usus vocibus versibusque Planudæ

nudæ dimidiatis, Catonem jam Græce redditum Græce reddidit. Improbaret sane Planudeana omnia: Græce negaret scire hominem Græcum, prætereaque in scribendo exercitatum: converteret denique Latina in Græcum etiam melius, quam Planudes aut Gaza. abstinere saltem ipsorum verbis, si facultatem illam suam ostensam voluit; videre ne quid commune cum iis haberet, potius quam interpolare aliena, & inculcare nonnulla aliquot locis, & levi commutatione opus alterius facere suum velle, debuit. qui plagii accusari potuerit, nisi plagium fateretur. Etenim videmus persæpe scriptoris unius Græci interpretes Latinos duos pluresve, qui semper id agant in primis, ut diversi sint; ne quid alius ab alio videatur sumpsisse, aut laborem frustra suscepisse vertendi.

Sunt etiam qui Planudæ minuant auctoritatem ex eo, quod communiter egerit Constantinopoli inter ascetas; professionemque & institutum hominis solitarii, & degentis in secessu vitam pietatis causa, illi probro vertant. Perinde quasi genus hoc hominum, quos nomine quidem isti proprio, sed per contemptum monachos appellant, totum sit aversum a Musis, præsertim mansuetioribus; nec solum literas nunquam adjuverit & humanitatem, verum etiam depravarit sæpe atque corruperit. Equidem, ut me tibi, præstantissime MONTAUSERI, indicem, facere non possum, quin indigner, si quando in scripta incido, aut sermonibus & querelis intersum eorum, qui in cœtus hosce congregatos hominum piorum simul & doctorum invehantur, sic tanquam in perditores elegantiorum artium & liberalium studiorum: quibus tamen, si verum quærimus, artes & studia, & optimum quodque literarum, incolumitatem, salutem, vitam quodammodo debeant. Ac vide, oro te, quantum ab illorum discrepet opinio mea. Absit odium, invidia, ambitio, sectæ, & partes. Vere mihi contendere posse videor, & asseverare duo triave, quæ omni ratione confirmare licet. Primum, sæculis illis & temporibus miseris, cum barbaries & inscitia occupasset orbem terrarum universum ac pæne oppressas mortalium mentes teneret; quidquid reliquum fuit literaturæ omnis, id totum, quasi quandam ex communi naufragio tabulam, penes istos constitisse. Alterum, ubi emergere literæ cœperunt, & efferre caput altius; tum demum qui susciperent eas, & amplecterentur, atque exornarent multis modis, plures ex ædibus & cellis eorum, quam ex omni alio hominum grege, & cœtu concilioque prodiisse. A quibus exarari fere calamo libri, nisi a sanctissimis illis, & religiosissimis, qui patres inter se fratresque usurpent, contubernalibus? Apud quos diligentius, fidelius, diutius, quam ab eisdem servati? Unde investigati & eruti maximam partem, & in lucem subinde producti, nisi ex perantiquis Monasteriis & cœnobiis? Tertium illud erit, quod unum pro multis accipi potest, & latissime patet. Quid viri, certa quadam necessitudine, & omnium rerum communitate juncti inter se, meriti de literis sint, quantum aliis ipsi literatis antecelluerint, non dico: quid & quantum mereri atque antecellere debuerint, verbo dico. Cum suppetant eis opes cunctæ, & adjumenta, & præsidia, quæ promovere studium literarum possint; quæ autem deterrere soleant, ea sint ab istorum conditione statuque vitæ remotissima; abundent otio, laboribus assuescant, adsit congressus & copia eruditorum, nulla impedimenta liberum, conjugum, cura rei familiaris & possessionum amplificandarum nulla, ambitiones nullæ, constans & perpetua fuga voluptatum; nisi uni ex aliis ordinibus hominum alicui docto respondeant religiosi ordinis docti decem, ut numero & multitudine vincant; nisi sint hi dimidio aliis plerisque doctiores, ut vincant copia, & varietate, & præstantia doctrinæ: non ii sunt, mihi crede, viri optimi, qui esse debuerunt. Conservatio certe bibliothecarum, & quædam perennitas, ut aliud nihil dicam, tota horum est: cum interim distrahi quotidie & dissipari bibliothecas privatorum, etiamque optimatum, videamus, multo labore, grandique pretio collectas. Scis, MONTAUSERI, scis ipse; quantopere nostri in Gallia proceres testamento caveant tum heredibus ad perpetuitatem familiæ & bonorum, tum bibliothecis ad celebritatem nominis. Sed bibliothecis, dic amabo, quid factum plerumque exiguo & brevi spatio? quid fit quotidie? quid fiet? Non sunt imminutæ aliquando rarissimis & pretiosissimis libris? non ab heredibus & dominis transierunt ad externos? Stant per sese, & corpus ut antea, unum efficiunt? non discerptæ dolo, vi, fuerunt? non discerpentur membratim? nec ut flumi minores, qui famæ majoris in amnem influxerint, nomen amittent? nec duæ bibliothecas complures supplebunt? neque confusæ cum illis nullæ erunt? neque commutabuntur libri libris, neque singillatim venibunt? Quanquam hic ego, MONTAUSERI, facile intelligo, nec tu pro tua singulari & eximia prudentia non perspicis, isto me sermone toto supersedere potuisse, carere potuisse lectorem. Sed, dum verissimum esse confiteare, quod dixi; digressionem sane puta hanc a proposito, aut etiam aberrationem.

CAPUT XVII.

De collectoribus Latinorum epigrammatum.

TAMETSI epigrammatum poetæ Græci habuerunt diversis temporibus, ut exposui modo, collectores suos, qui sua redegerint scripta in unum, seque ab interitu vindicarint; non Latini tamen adepti pariter, qui eandem sibi operam navarent. credo quod, ut hi serius poeticam attigerint, quam Græci, pauciores ex his hoc studium, quam ex Græcis excoluerunt: ita in parandis ad hanc artem adminiculis subsidiisque, se minus sollicitos atque impigros præbuerunt. Equidem inter scriptores Latinos video, qui ex historicis varia excerpserint; ut Valerius Maximus, ut Plinius rerum naturalium scriptor. video, qui grammaticos & historicos in pauca, tenui & stricta brevitate, contraxerint, vel resecando, vel immutando; ut Festum Paulus diaconus, ut Trogum Pompejum Justinus. Qui ex poetis Latinis primo quædam olim, aut ex intervallo

lo multa & diversa coacervarint, quæ compingerent unaque colligarent servandi causa; non comparent ulli usquam. Nisi forte ista me fugiunt, qui libros conquiram potius secterque, positos suo quemque loco & ordine, quam admistos alios aliis atque inter se confusos: aut qui libros emiserunt in lucem primi nova ista & præclara arte, emittere neglexerunt divulsos, quos jam totos possiderent & uniusmodi ac simplices. contra quam usu venire sensimus in aliis scriptoribus, quorum integra opera perfectaque perierint incuria hominum; epitome, summa, breviarium, pervenerint ad nos præpostero quodam judicio; quasi arctata & stipata quodammodo quæ sint, habeantur commodius, frustra longius aliquid & diffusius quæratur.

Nostra autem & patrum memoria, cum primum aut reviviscere de integro poesis Latina cœpit, aut aliquot augeri incrementis, aut consistere saltem eodem statu, nec admodum minui postea: ecce in manibus, ut volumina duo veterum Græcorum, quorum prius ab Henrico Stephano concinnatum sit, & excusum, sicuti appellant, formis; ita scriptores duo, qui Latinos veteres cunctos congregarint in unum, quorum alter corpus, alter chorum inscripsit. Josephus item Scaliger veterum poetarum catalectorum libros duos digessit, ut loquitur ipse, recensuit, ac tunc primum publicavit. Sex & decem post annis veterum epigrammatum quatuor libros accepimus a Petro Pithœo. qui ambo Græcorum exemplo, collecta redegerunt in communes locos, & certis rerum, de quibus ageretur, distinxerunt indicibus notis. Atque hi quidem, præter ceteros non ita magni nominis scriptores, antiquorum collegerunt poemata, in iisque epigrammata: recentiorum vero isti. Primum per Leodegarium a quercu duplex apparuit, ante annos amplius centum, volumen: prius, epigrammatum flores; posterius, farrago epigrammatum, inscriptum. quo in utroque confusi cum recentibus vetusti aliquot poetæ. Binis rursum voluminibus Michael Toscanus, primo centum poetas Italos, deinde alteros centum complexus est: cum tertium se volumen paratum habere diceret, quod ederet primo quoque tempore in lucem. Postremo secuti Toscanum, poetarum delicias Italorum, Gallorum, Germanorum, Belgarum inscripserunt, partim Ranutius Gherus quidam, partim alter ignotior, easque multos in libros retulerunt.

Hic, ni fallor, expectas, optime Montausieri, quam mox de collectoribus Latinis istis pronunciem, qui proxime de Græcis collectoribus, non dissimulandum putavi, quid sentirem. Ego vero, etsi eo minus habeo necesse aperire mentem meam, quo recentior & notior est eorum memoria, quibuscum patres etiam nostri vixerunt, quoque magis scripta sunt eorumdem in promptu omnibus: tamen libenter expectationi tuæ faciam satis; tum quia videor aliquid animadvertisse in his scriptoribus, quod plerosque fugiat, nonnulli forsitan secus, atque ego existimo, sentiant; tum quia sensum de iis meum & opinionem comprobatum iri tua confido.

Atque, ut ordiar a primo, quantum notarum, observationum, διατριβῶν, σχολίων, αὐτοσχεδιασμάτων Henricus Stephanus effuderit in vita, nonne videmus? ut hac libellorum copia quos scriptitavit, librorum, quos edidit typis, copiam, quæ prope infinita est, prope æquarit. Atqui ex Petro Puteano accepi quondam, Jac. Aug. Thuanum & sæpe Stephano & vehementer auctorem fuisse, ut libros edere veterum pergeret sane, quoad vellet, & quandiu susceptæ operæ non pœniteret; scribere ipse libros desineret prorsus: illa ratione multo rei literariæ magis profuturum, magis sibi. quod illi consilium, ut audio, dederat antea Petrus Pithœus, vir eruditus in primis valdeque prudens. Sed quæ causa utrique hominem sic admonendi? Non una, opinor. quod facilis quidem & solutus in scribendo, sed parum castigatus esset: quod ad minuta & frivola laberetur sæpe & adhæresceret; nimium præcipiens; nimium emendans: omnia loqueretur de omnibus, assidue de se: eum scriptorem prætermittere multa, & reticere, & dissimulare oporteat; de rebus vero suis verbum facere nullum, nisi necessario, sit pars aliqua non tantum modestiæ, sed etiam prudentiæ. Quod si est in oratione soluta Henricus Stephanus ejusmodi, qualem descripsi: quanto in astricta vitiosior, qui & inconcinnos plerumque versus, & durissimos fecerit, & inaniter, ut sic dicam, copiosos? Non discedam a re & argumento epigrammatum. In notis ad Anthologiæ librum sextum, titulo sexto, epigrammate Σὸς πόσις Αἰσχύνης, haud equidem scio, quid homini venerit in mentem variare, ut poeta loquitur, rem prodigialiter unam. Unum enim distichum, quo epigramma clauditur, diversis quinquaginta distichis extulit eadem sententia, atque interpretatus est; in eoque se magnum fecisse existimavit, sive ad prodendam vim & copiam poeticæ facultatis, sive ad inflammandam juventutem, acuendamque, exemplo proposito. At ista re, quæso, tota quid puerilius, in qua distichorum vel optimum nævo quodam suo non careat; cetera in plerisque absona & incondita, si recte attendimus, reperiantur? Quare merito ipsam illam futilem redundantiam, neglectam videmus fuisse & repudiatam ab eo, qui Stephani tamen notas, dum Anthologiam rursus ederet, retinendas putavit.

De Josepho Scaligero, deque ejus poetica vi, poetico ingenio, quæ dicturus sum, vereor ut perinde, ac vera esse ipse intelligo, aliis quoque nonnullis probem, quos ille sui semper habuit, hodieque habet, admiratores. Sed iis, qui nihil huc præjudicati ex partium studio attulerint, quique rem cognoscere ipsi per se, quam aliena niti auctoritate, maluerint, nequaquam vereor ut persuadeam. Primum igitur hunc, meliorem semper poetam Græcum putavi, quam Latinum. Ipsi de se locuto si credimus, extra eum Græcos iambos nemo eadem ætate scribebat bonos: nemo, quod minus est, quid sit bonus iambus, sciebat. Quod etsi dictum videtur arrogantius, cum ipse, quod aliis detraheret, assumeret sibi: tamen, quia in tanta penuria hominum, qui Græce luculenter scirent, probabile dictum videri potuit; pæne adducor ut assentiar. Dionysius certe Petavius, quantum recordari possum, qui Josepho Scaligero nihil plus æque, ut omnes norunt, tribueret; cum

de

de isto Scaligeri dicto ageremus, dicere solebat, propius illum a vero abesse, ita bene sentientem de se ac prædicantem. Viderint alii, locutusne sit tam vere Scaliger, cum anno hujus sæculi quarto ineunte scripsit, vastitatem Parisiensis academiæ mirandam, in qua præter Casaubonum nemo quemquam discendi cupidum morari merito posset. Scribebat is igitur Græcos versus quam optime, ac multo fortasse melius, quam posteriores Græculi. sed non solus tamen, neque tanta cum excellentia præstantiaque poetarum reliquorum, ut non huic adolescentem hominem ejusdem instituti earumdemque partium, præter alios, opponere, immo etiam aliquantum anteponere possimus, qui eodem tempore floreret in Germania, non tam grandis natu, Laurentium Rhodomannum. Contra vero optimos illum versus scripsisse Latinos complures, & multo, quam Julium patrem, meliores, ita demum fateor, ut scripserit malos item non paucos. Structura carminis & compositio sæpe, ut ita loquar, incomposita: concursu & collisione vocalium, consonantisque M, & aspera & hiulca. Cæsura aut nulla, aut loco non suo. Locutio alias ex antiquis & obsoletis verbis: alias popularis, & sumpta de medio, nec satis poetica: ut mera esse prosa videatur. Nec petendum argumentum & exemplum longius, aut a diverso genere rerum. Cum enim quæ Græcis versibus reddidit, facile ostendunt quam eleganter & polite reddiderit: tum ex iis, quæ Latine vertit, perspici, opinor, potest, si quid fuerit ineleganter inconcinneque versum. Adde quod eo magis elaborata esse dictio, & facta quodammodo, & pura, & illustris debuit, quo minus in inveniendis rebus, disponendisque ordine, laborandum fuit, unam agenti duntaxat urgentique partem operis. Philodemus ergo in Anthologia, lib. VII.

Ψαλμὸς, καὶ λαλιὴ, καὶ κωτίλον ὄμμα, καὶ ᾠδὴ
Ξανθίππης, καὶ πῦρ ἄρτι καταρχόμενον,
Ω ψυχὴ, φλέξει σε· τὸ δ' ἐκ τίνος, ἢ πότε, καὶ πῶς
Οὐκ οἶδα· γνώσῃ δύσμορε τυφομένη.

Scaliger vero:

Ars fidium, atque loquela, argutaque lumina, carmen
Xanthippes, & qui jam novus ignis init,
O anime, urent te. Unde, aut quando, quove modo, illud
Nescio: tunc, cum ignis te coquet ille, scies.

Quæso, quid simile Græci carminis, cum ad orationem solutam ne id quidem satis profluens & liberum videatur? At quanto illud idem, ab Hugone Grotio redditum, suavius!

Ars fidium, cantus, & vox, oculique loquaces
Xanthippes, & quæ jam nova flamma subit,
O anime, incendent hæc te. Qua, quomodo, quando,
Nescio. tu vero, tostus ab igne, scies.

Meleager:

Ἡδὺ μέλος νὴ Πᾶνα τὸν Ἀρκάδα πηκτίδι μέλπεις
Ζηνοφίλα λιγὺ, ναὶ κρέκεις τι μέλος.
Ποῖ σε φύγω; πάντη με περιστείχουσιν ἔρωτες,
Οὐδ' ὅσον ἀμπνεῦσαι βαιὸν ἐῶσι χρόνον.
Ἢ γάρ μοι μορφὴ βάλλει πόθον· ἢ πάλι μοῦσα·
Ἢ χάρις· ἢ τί λέγω πάντα; πυρὶ φλέγομαι.

Scaliger:

Dulce sonant, mea Zenophile, tua carmina docto
Pollice, sic faveat Pan mihi, dulce sonant.
Quo fugiam te? me cingunt indagine amores,
Nec respirandi tempus & hora datur.
Unde mihi formæ hæc aura appulit? aut ea Musa est,
Aut Charis est. eheu quid loquor? uror, amo.

Grotius:

Dulce canis, mea Zenophile, testudine mota,
Sic Arcas faveat Pan mihi, dulce canis.
Ah quo te fugiam? circum metantur amores.
Nec requies puncto temporis ulla datur.
Hinc decor, hinc cantus tuus, hinc me gratia torquet.
Omnia quid verbis persequor? ignis ego.

Quid quod apud Scaligerum versus ipsum statim initium synalœphe duriter & præfracte efficit?

Namque tibi hoc fert Venus orta mari:
Quæ abjecit, quæcunque fuit fiducia formæ.

Quid quod minorem versum disticha pronomen humiliter inepteque claudit ac terminat?

I. *Acer amor lecto paribus se fustulit alis,*
Prima luce. Quis, o, dicite, vidit eum?
II. *Et parva est, & fusca Philænion. Ast mage molle*
Non apium, non est blandior agnus ea.
III *Muneribus formæ Rhodope tumet: huic ego salve*
Dixi: cum fastu me resalutat ea.

At neque tale profecto quidquam hic in Grotio, cum eadem verteret, deprehenditur: neque alibi usquam in tam obtusa, tamque absurda incurrit. Sic enim primo loco:

Se subduxit amor prima modo luce cubili
Avolitans. index illius, ita, quis est?

Sic altero loco:

Parva quidem est, & fusca, Philænion: attamen agna
Mollior, & viridi crispior est apio.

Sic denique:

Dat facies animos Rhodopæ. Si forte salutem,
Torva superciliis vix mihi reddit ave.

Neque exponendo pluribus, quemadmodum voces partim quotidianas, & familiares, atque ex comicis, partim inusitatas & desitas vel temporibus, vel modis, vel casibus, vel totas omnino, Josephus hic Scaliger, epigrammata ex florilegio Græco Latina cum faceret, adhibuerit. *age sodes, apage, cælitus, caveant, cævesis, comissavi, eccum, saxis, flamma singula, ile laboso pede, lemavit Danaen, næ, mvela, mudare, obsolui, perpete, penitus ossibus, petaces, secus muliebre, trigu Charitum, veretor iter.* Quas vocum formas si quis semel, hoc genere versuum, communiter & promiscue receperit, tanquam veras & probas ac legitimas: causæ nihil esse video, quamobrem alias similes sexcentas excludat, adeoque poeticam, quæ cujusque generis propria est, locutionem non confundat. Sed hactenus de Josepho Scaligero, quod quidem ad rem nostram pertineat.

Non tam facilis existimatio est, qualem & quantum poetam Petrum Pithœum habeamus; cum pauca scripserit versibus; ex iis autem, quæ utraque oratione scripsit, videatur pressior & nervosior videri voluisse & doctior, quam comptior &

facundior. Id porro assecutum esse, quod maluit, isto excidisse, de quo non laboravit, satis superque illius, in unum relata volumen, opuscula testantur. Nec imparatus tamen, meo judicio, ad colligenda veterum poemata vir solers ac diligens aggressus est. In quo sane huic ipsi Josepho Scaligero minus assentior, qui neget esse cujusquam, idem si optimus poeta non sit, de poetis judicare. Quamvis enim orationis dispar sit ratio solutæ & astrictæ; ac majus quiddam, & pauciorum hominum, intelligentiam habere, & sensum aliquem, & gustum facultatis plusquam humanæ: tamen non dubito quin nonnulli interdum, inscii faciendi, cum solertia judicandi, ad poetarum lectionem accedant; idque, quod ab usu & exercitatione, disciplinaque & commentatione deest, singulari quodam & eximio naturæ ingeniique bono compensent.

Leodegarium a quercu denique, & Michaelem Toscanum quid moramur, quorum si scripta consulimtur a nobis & excutiuntur, modica omnia, aut intra etiam modum pleraque, hujus præsertim poetæ, ostendemus? Quod idem ne statuatur de Ranutio Ghero, neve omnino de eo cognoscatur; cavit ille quidem non scribendo, sola collectione alienorum operum contentus. Qui si tamen Ranutius Gherus, idem est, ac Janus Gruterus, id quod nonnullis vel ex anagrammate nominis placet: ejus opera complura novimus, ut diligentis & laboriosi scriptoris; sed, ut poetæ, nullo modo.

Atque hos habemus, Dux Montauseri, poematum collectores, quorum sit nomen aliquod inter eruditos: quibus si adjiciam turbam minutorum minusque celebrium collectorum, longior sim ac molestius sine causa. Tantum dicam, quod vehementer observari velim, & hos, & alios, qui colligendi laborem susceperint, poetarum, unde quid excerperent, culpam, quæcunque fuit, non præstare; nec judicium fere interponere ullum suum; nec damnare quæ omitterent; nec ex iis, quæ assumerent, alia aliis ordinando præferre; omnia denique relinquere in medio, & συλλογὴν nobis quandam, non ἐκλογὴν, dare.

CAPUT XVIII.

De nupero electore epigrammatum.

Ante novem annos, Lutetiæ Parisiorum, prodiit in lucem, inscriptus *epigrammatum delectus*, liber. locus, ubi venalis, beatæ Mariæ templi atrium. insigne tabernæ librariæ, tres virtutes. Profitetur scriptor, ignotus homo ac sine nomine, & quasi ex alto omnibus magna voce denunciat, non jam se collegisse epigrammata, quod fecerunt multi quotidieque faciunt: sed elegisse acri judicio, incredibili labore, invicta vi animi, & patientia molestiarum, quæ devorandæ plurimæ fuerint; ac suum cuique epigrammati locum destinato & pro meritis dedisse. Nec initio solum id ab ipso limine vociferatur, ipsa inscriptione, ipsis paginis primis: sed frequenter & assidue delectum sonat, scriptores evolutos a se & perlectos innumerabiles, alios ex toto repudiatos, alios maximam partem præteritos, ex paucis excerptum nonnihil, & summa cum cautione delibatum: ut videatur ponere ob oculos potius voluisse, quid relinqueret aut rejiceret; quam quid tolleret sibi, præcipueque adscisceret. In quo sane consideremus licet, illustrissime Montauseri, hominis perquam suaves delicias, superba fastidia, severitatem quorumvis criticorum supercilio dignam. Huic non satisfacit Catullus: huic, inquam, electori Catullus non satisfacit: quem verbis quidem elegantem non inficiatur, sed inopem rerum, sententiarumque inanem esse contendit: quem, ceu puerum magister, emendare conatur: cujus ex epigrammatis versus expungit arbitratu suo, vel ut obscuros per sese, & aliorum versuum obstruentes luminibus, vel ut nugatorios, atque a proposito alienos. Displicet ei multo maxima ex parte Martialis, cujus ex libris quatuordecim, mille & quingenta amplius epigrammata, ad sola, uno minus, septuaginta redigit, eaque duntaxat ceteris elegantiora pronunciat; ex his ipsis non plura, quam quindecim, elegantissima esse decernit ac judicat. Quanquam hic idem, Montauseri, usque eo difficilis ac morosus ab initio, ut principes in suo utrumque genere poetas non omnino probet; remittit deinde aliquantum de judicii velut acrimonia, deque severitate delectus. Gratificari nimirum aliquid voluit Catullo, cujus epigrammata numero quatuordecim, suo illo delectu præclaro dignetur. Recipit in gratiam Martialem, ex quo libros quinque, non anxie & sollicite, sed promiscue satis, ac non magno discrimine habito, effecit. Sed ne tamen expecta, Montauseri, tam mitem futurum erga reliquos scriptores, quam se his primariis duobus mitem exhibuit. Aget, ne dubita, cum illis severius: eritque multo jam restrictior & difficilior in eligendo. id ita spondet, & testificatur, & sancte affirmat fore. Rursum autem, si egisset summo jure semper, neque ad æquitatem quandam descenderet aliquando: quid futurum fuisset? Cum tam difficilis sit optimi investigatio, perfectique copia tam rara: non jam aliqua ei seligenda epigrammata restitissent, sed abjudicanda atque rejicienda propemodum omnia forent. Itaque miserari oportuit infelices poetas, nec eos facile a cœtu numeroque gregalium, divinaque collectione repellere. Etsi, fatendum est enim, factum raro, nec fere, nisi admonito prius, cujus intererat non falli, lectore.

Quid huic homini faciamus, amaro, leni; fastidioso, indulgenti; tam inconstanter locuto, tam pugnanti secum? Omittas, inquies, & eum cum delectu omni suo valere jubeas. Facerem, optime Montauseri: & libenter quidem. Quis enim modus librorum, si ex iis omnibus, quæ peccaverint alii, quæque corrigi merito possint, struere velim reprehensionis libros, & æquare quodammodo cum erratis? aut quid meream, ut hunc præter ceteros, in tanta multitudine pessimorum scriptorum, inemendatum non relinquam? Verum habeto paucis, quæ mihi causa, eaque non una, fuerit delectus hujus recognoscendi. Non te fugit, in quacunque facultate ac disciplina, quæ ratione & via traditur, posteaquam

actum

actum est de virtutibus, quas amplecti debeamus, subjungi solitum de vitiis, sive contrariis, sive aliis, quæ vitare oportebit. Ita fieri videmus a grammatico mentionem de vitiis inemendatæ orationis? a rhetore, de vitiis inornatæ; a dialectico, de argumentationum vitiis. Isto fere pacto virtutes epigrammatis & plurimas & præclaras cum explicuerim; sequatur autem, ut vitia persequar, a quibus omni ope refugiendum sit: visum est commodius multo & opportunius, quæ in uno aliquo revera inessent vitia, ad declinandum uno aspectu proponere, quam, quæ nusquam essent, fingere & comminisci; aut quæ vaga & in multis sparsa forent, conquirere undeunde & longius repetere. Cave enim putes, MONTAUSERI, ullam esse majorem usquam segetem & copiam vitiorum in epigrammatis, quam quantam iste suppeditat delectus epigrammatum, vel duplici proœmio, quod in fronte libri habetur. ut mihi sæpe necesse fuerit, quod ibi negatur, affirmare; quod affirmatur, negare; in plerisque contraria omnia loqui.

Adductus quoque sum, ut hunc delectus expenderem librum, eo magis, quod in utramque partem valere plurimum possit collecta vis ibi præceptorum: sive ad juvandum, si bona sit; sive ad nocendum, si mala. Facile patior scribi versus a plerisque non optimos, taciteque fero. Sunt, ut olim Mævii, Bavii, Anseres, Suffeni, ita nunc, sæcli incommoda, pessimi poetæ. qui cum fere noscantur a prudentibus & peritis, non admodum noceant exemplo; & a quibus, cum liberrima sit imitatio, sibi quisque nullo negotio caveat. At vero si quispiam, qui profiteatur se præcepta dare scribendi, mala det præcepta pro bonis; dissimulare profecto non debemus: propterea quod non sibi ipse serat neque metat soli, sed malo sit aliis, quos inducat in errorem, idque cum auctoritate & vi quadam inductionis faciat. Quemadmodum, qui profligatis est perditisque moribus unus aliquis, fertur impune sæpenumero, sibique ipse permittitur. At idem si venenatas opiniones spargat in vulgus, bonis adversa moribus & disciplinis dogmata clanculum vel aperte tradat: coercetur jure ac legibus, nec ulla ei venia ad ignoscendum dari solet. Causa hæc discriminis est, quod qui perperam agit, non continuo auctor sit alteri, idem ut faciat, imiteturque exemplum; nec ejus per se facinus eo comparatum sit, ut alterum adigat, aut pertrahat, aut ulla vi magna quoquo modo incitet recusantem. Contra qui præcipit, auctoritatem sibi quandam vindicat & imperium. ac præcepta per se pondus & momentum habent ad commovendum, ad eliciendam obtinendamque fidem. atque audimus non inviti eos, qui late quid ac generatim præscribunt, quasi qui fidele, & prudens, & salutare dent consilium, cum gratis, tum non petentibus.

Age ergo, quoniam sæpissime jactat elector iste noster, certis quibusdam se regulis usum & legibus in delectu habendo, quas dissertatione peculiari sua exponit; sive has ipse leges composuerit sibi, sive acceperit aliunde: videndum, quam rectæ sint hæ regulæ, quamque bene præcipiant leges. & quoniam multa monet in præfatione cum super regulis ac legibus, tum alia: expendendum etiam & considerandum erit, prudenterne moneat an secus. Tum vero de ipso delectu aut jam actum fuerit, aut agetur brevius ac facilius.

CAPUT XIX.

De nuperi epigrammatum electoris dissertatione.

OMEN esse omnino malum vulgo perhibent, offendere in limine: id quod fecisse video dissertatorem, cum pulcrum in utroque sermone, & soluto & adstricto, constituit quasi fundamentum, aut genus quoddam ad reliqua, cujus habenda sit ratio, tum ut eximium & singulare fiat opus, tum ut omnibus, qui ad legendum accedunt, ideo probetur. Equidem quodnam sit optimum genus dicendi, quæ perfecta idea & character oratoris aut poetæ, quis insignis ornatus sermonis, quæri scio, disceptari, statui. ut sit ista prima & præcipua, quæ tractetur, materies, atque generale argumentum, in quo omnis velut opifex dicendi potissimum versetur. At vero quid pulcrum sit in scriptis ullis generatim, non magis video poni quæstionem, aut sic inscribi, quam quid præclarum, excellens, præstans, egregium. quæ voces quia vagos & communes significatus habent, non certos & peculiares, unique rei ac sententiæ addictos; sedem nullo modo queunt & solum præbere disputationi universæ. Quamobrem, quamvis multa presse Aristoteles præcepta sermonis tradiderit, multa Cicero explicate; omnia fortasse singulari cura & diligentia complexus esse Quintilianus videatur: nemo tamen horum, quod meminerim, separatim de pulcro sibi agendum putavit, aut hunc operi indicem titulum suo præscripsit. At egit de isto Dionysius Halicarnassensis, egit Tharsensis Hermogenes. Audio. Ille quidem partitus est scripturam, sive probam & arte quodammodo factam loquendi rationem, in pulcram, suavem, austeram, decentem: hoc est, ex quatuor formis & quasi partibus assignavit unam pulcro, maximeque pulcrum a suavi distinxit. Hic vero divisit etiam minutius, atque inter formas dicendi numero septem, pulcritudinem reposuit: quam tamen cum accurato genere orationis confudit. Neuter autem e pulcro genus fecit, cui cetera, tanquam differentes formas, subjiceret: aut sic miscuit, ut pulcrum, idem suave, idem illustre, idem magnificum esset, idem omnes numeros haberet omnis præstantiæ.

Quid si pulcrum quod dicitur, minime in epigramma cadere potest; cum justæ magnitudinis id esse oporteat; quod hoc nomine proprie appelletur: venustum quidem epigramma, & bellum, & scitum, & alia ejusmodi, dicatur juremerito; nequaquam pulcrum? Nec vero facile quis pulcrum unquam gigantem, qui nimium statura excedat; nec Pygmæum dixerit pulcrum, qui cubito cum altior non sit, deficiat statura nimium quoque. O doctum Aristotelis dictum! præclaram quam affert dicti rationem! utrumque paucis animadversum! Τὶ καλὸν, inquit, ἢ ζῶον, ἢ ἅπαν πρᾶγ-

πρᾶγμα, ὃ συνέστηκεν ἔκ τινων, οὐ μόνον ταῦτα τεταγμένα δεῖ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ μέγεθος ὑπάρχειν μὴ τὸ τυχόν. τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστί. Διὸ οὔτε πάμμικρον ἄν τι γένοιτο καλὸν ζῶον συγχεῖται γὰρ ἡ θεωρία ἐγγὺς τοῦ ἀναισθήτου χρόνου γινομένη. οὔτε παμμέγεθες. οὐ γὰρ ἅμα ἡ θεωρία γίνεται, ἀλλ' οἴχεται τοῖς θεωροῦσι τὸ ἓν καὶ τὸ ὅλον ἐκ τῆς θεωρίας. *Pulcrum, sive animal, sive aliud quidvis, ex partibus quibusdam compositum, non solum has partes habere debet ordinatas, sed magnitudinis etiam esse non cujuslibet. Cum enim ordine, tum mole & modo cernitur.* * *Quamobrem animal, neque parvum nimis, pulcrum esse potest; quia aspectus rei confusus, dum res prope momento spectatur: neque nimis magnum, item pulcrum; siquidem non aspicitur unum ac totum simul, sed fugit oculos intuentium.*

Atque hæc prima offensio, vel lapsus dissertatoris potius. Erravit hic deinde graviter in eo, quod pulcritudinem eam demum esse epigrammatis voluit, non modo quæ naturæ rerum aut personarum, de quibus agitur, conveniat, sed etiam quæ cum natura eorum, qui legunt aut audiunt, omnino congruat: idque ita necessario, non ut sequatur aut comitetur hæc convenientia pulcritudinem, sed ut illam convenientia hæc efficiat, sit hæc ipsa pulcritudinis natura, ipsa pulcritudo. Quis veterum inter Græcos aut inter Latinos, ita pulcrum unquam quod esset in versibus, vel in oratione libera, definiit? Est tale aliquid apud rhetores, apud grammaticos, apud philosophos, si qui naturam rerum notam nobis & perspicuam describendo fecerunt? Esto: parum viderunt in eo veteres. intueamur rem ipsi oculis propius. Ut pulcrum de sermone usurpatur per translationem a pulcro, quod est proprie vereque corporis: ita definitur proportione & convenientia quadam, quam aliæ cum aliis sermonis partes habent. Quemadmodum autem consistit corporis pulcritudo in apta figura & compositione membrorum, quæ respondeant inter se; idque cum nitore quodam & suavitate coloris: ita pulcra oratio, pulcra poesis, pulcrum epigramma, debet id censeri, quod partibus competit integris & legitimis omnibus suis: sic ut commensus quidam & certa modi ratio ex universo quasi corpore existat & singulis membris. Quo fit, ut, ipsum per se pulcrum si spectemus in sermone quovis, prius sit sine dubio pulcrum esse, & natura stare ac niti constitutum & temperatum sua, quam placere & probari cuipiam, sive audienti, sive legenti. Neque enim idcirco pulcher sermo, quia arridet ac probatur: sed contra, quia pulcher est, arridet ac probatur. Qua prorsus ratione, formæ pulcritudo oculos delectat intuentium, & movet approbationem: non ipsam efficiunt oculi, aut augent, aut exornant. Scio pulcrum ad oculos referri, agnosci ab oculis, & discerni: hos in pulcro defixos acquiescere: hos pulcro frui prope unice & singulariter. Sed idem pulcrum tamen esse aptum ex se, nec aliunde pendere, neque extrinsecus peti, scio. Quid igitur tibi vis, cum ais parum esse in epigrammate, si verba sententiis congruant, sententiæ rebus: illud requiri præterea, ut a sensibus legentium, & voluntate, & affectu, hæc duo non aliena sint? Erunt non aliena, mihi crede, si hæc inter se consentiant prius; & si animus legentis sanus est & ipse concors sibi. & rationem audierit. Quare non est expectandum, ut sponte det seipsum lector, propendeat eo, & inclinet voluntate: neque verendum, ne abalienetur animo, aut offendatur; dum sapiat modo, & sensum rerum communem habeat, & pulcrum quale sit, quomodocunque intelligat. Ducenda, fateor, ratio & locorum, & temporum, & personarum. verumtamen non tam ut pulcrum epigramma sit, aut ne deforme sit, quam ut ne ineptum prorsus, & inconditum, & cui universi, harum rerum gustum qui babent aliquem, reclament. Scripsit hoc Martialis epigramma:

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Satis constat non esse epigramma hujus temporis, quo quidem tempore etiam emptitiis esse oculis locum videmus. Item non valet illud apud nos, quod potuit Martialis loqui:

Cana est barba tibi: nigra est coma. tingere barbam
Non potes; hæc caussa est; sed potes, Ole, comam.

Possunt Galli barbam tingere, quam alant, ex parte saltem; & nonnulli tingunt: non potuerunt, qui barba semper essent rasa, Romani. Verum hoc loco non agitur de eo, quod fluxum & caducum est, & quod aufert morbus aut ætas aliquando: de quo Apuleii præclare dictum: *Formosus est? expecta paulisper: & non erit.* Nec de eo agitur, quod in opinionibus hominum diversis & moribus positum, aliud atque aliud existimari solet. Res est nobis cum adversario de certa & constanti pulcritudine, quæ omnium nationum eadem sit, omnium fuerit, eademque per se futura sit.

Age autem, dissertator, congredere mecum propius. Natura, cui convenire epigramma vis, pulcrum ut habeatur atque fiat, est natura quædam universa & communis hominum, an privata & peculiaris quorumdam? Si prius, cur solos ad legentes & audientes, aut ad hos potissimum, restringis? Si posterius, cur non communicas cum scribente epigramma? Ideone pulcrum aut pulcrius epigramma, quia consentit naturæ legentis: non pulcrum, neque pulcrius, si naturæ scribentis consentiat? Et vero hæc, qua de agitur, natura, si nihil aliud quam recta hominis ratio, cui sit epigramma consentaneum: idcircoque pulcrum: non video cur recta ratio lectoris exigatur potius ad epigrammatis pulcritudinem, quam recta ratio scriptoris. Sed pergamus sane. In bonis numerantur hæc præcipue tria, de quibus ethici disserunt, utile, jucundum, honestum. quid horum est, quod tale fiat ea re, quia id homines aut sequantur, aut expetant, aut illuc natura & voluntate propendeant: ac non potius inclinent ad id, & ferantur cupiditate & rapiantur hoc ipso, quod tale factum sit? Honesto pulcrum subjungitur, quod una eademque voce Græci efferunt. τὸ καλὸν enim apud eos utrumque sonat. sed hoc ab aliis bonum cur differat statu & constitutione naturæ? Postremo decorum, quinta quædam species & forma boni, tametsi magis forsan sit relatum, quam illa superiora; per se tamen consistit, neque est in eo situm, quod probetur aliis, & gratum acceptumque accidat. Equidem, quantum recordari

dari possum, fuit hoc olim præter cetera philosophiæ genus, in quo traderetur vivendum secundum naturam: quam si homines ducem ac magistram sequerentur; aberraturos nunquam, nec ab ulla officii parte discessuros: in ea natura vim quandam inesse duplicem, alteram appetendi sibi consentanea, alteram contraria fugiendi; ex quo recessus a rebus incommodis & nocentibus, accessus ad utiles & salutares fieret. At vero non succurrit usquam legi apud ullum scriptorem, aut ab ullo dari in præceptis, scribendum secundum naturam, spectandos in scribendo affectus & voluntates nonnullorum, exigendas ad cujusquam libidinem, tanquam ad certam necessariamque regulam, voces & sententias: idque demum vere ac proprie pulcrum, & videri scriptum, & esse, quod elaboratum convenienter alterius naturæ, perfectumque habeatur. Sunt, inquies, propensiones naturæ quædam, quibus obsequendum: offensiones, a quibus refugiendum sit. Licet hoc loco interrogare de propensionibus ejusmodi atque offensionibus, quod quæsivi antea de natura, & quasi percunctatus sum: ac licet etiam potiori jure. Quid enim istuc verborum est? quæ novitas? quæ offuciæ? Sunt sua, non ignoro, in quaque arte nomina & propria rerum vocabula, trita & usitata, quæ non facile transferantur ad ceteras artes, nec alios in usus convertantur. Quando auditum in præceptis oratoriis aut poeticis de eo, quod quis ad aliquid propensum animum haberet, aut abhorrentem ab eodem? quis sic locutus unquam, cum de pulcro ageret, id ut fieri statuerer nutu & momento alienæ voluntatis, inclinantis eo & maxime incumbentis? Appellavi jam scriptores nominatim duos, qui dedita opera sat multis, non oblata occasione breviter & strictim, quid esset in sermone pulcrum, declararint. utri venit in mentem vel per somnium, aut excidit ulla unquam vox, aut scripta litera est, quæ doceat proclive & pronum esse aliquid in eo qui legat, ex quo pulcrum illud reapse fiat, quod legatur?

SED, o bone, do tibi quidquid vis; quod sumis, concedo; vera fateor omnia, quæ dixisti; dum ad unum modo respondeas. Propensiones hæ, quas appellas, naturæ, quibus indulgeri postulas; offensiones, quas jubes vitari, verba sunt quæ aliquo referuntur, res etiam quæ ad aliud pertinent. propensi ad aliquid sumus: aversi & alieni ab aliquo mente, intelligentia, studio, voluntate. Quæro nunc, quid id & quale sit. Verum, opinor, quo cupide tendimus: honestum, quod maxime sequimur. ad quæ duo præter cetera vergit & inclinat animus sua sponte. Atque hactenus assentior. Verumtamen inde quid infers ratiocinando, & concludis? Quæ tantisper recedunt a vero, ea locum in epigrammate non habere: ficta, quæ & eadem falsa: ambigua, quorum alterutra falsa pars: translata, quæ falsi aliquid habent: superlata, quæ habent plurimum falsi. Item quæ honesto adversantur ac repugnant, obscena, vilia, maligna, levia, excludenda esse ab epigrammate, & ableganda procul. His omnibus deformitatem induci per se intrinsecus, & ex natura rerum, in quodvis epigrammatis genus: cum illo utroque, veritate & honestate, concilietur pulcritudo. Satisne videor, MONTAUSERI, mentem attigisse dissertatoris, ordine digessisse doctrinam, expressisse verbis vim & nexum argumentationis & consequentiam? Atque hæc quidem tot illatarum rerum capita vides, quantum prima fronte probabilitatis habeant: quantam etiam pompam, quantam speciem interioris & reconditæ literaturæ præ se ferant. quæ si tamen introspicere velis penitus, & ad veræ directæque rationis quasi amussim revocare: intelliges profecto non tantum nihil falsius, sed nihil quoque nec indoctius, nec minus consequens, dici unquam aut cogitari potuisse. Quanquam quid, intelliges, dico? Perspicere jam potuisti ex iis, quæ dudum sunt posita a nobis & omni ratione confirmata, horum maximam refutatam partem, explosamque esse & ejectam. Quid igitur hic reliquum nobis, nisi ut repetita indidem tela torqueantur in dissertatorem; addantur, quæ effluxerint, omissa; denique, si qua sunt intacta ponderis alicujus & momenti, tractentur?

I. PRIMUM omnium cujus infantiæ, ne dicam stultitiæ, fictionem a poesi, quæ ipsa fictio suapte natura est, divellere ut a sese, & sejungere oratione; fabulas, quod præcipuum & maximum poetarum est opus, poetis adimere; veritatem sibi solam, quæ historicorum potius propria sit, vindicare tanquam suam; ac ne verisimilitudinem quidem, qua sunt vel oratores ad persuadendum contenti, admittere velle versibus, & composito ad ludum atque oblectationem sermone festivo? Non advertit videlicet homo incogitans & parum perspicax, quæ a vero tantulum recedunt, quæque is ideo in genus epigrammatis perfectum cadere negat, ipsa & eadem esse, quæ ad verum quamproxime accedunt, quæ rem ita ut est magis exprimunt atque imitantur; ob eamque causam & speciosiora videri solere omnibus & acceptiora. Quotus enim quisque ignorat nunc, quæ quondam notavit Aristoteles, & probabiliora sæpenumero esse falsa veris; & expressa imitatione, jucundiora, quam illa prima quæ imitemur; & pictas tabulas ipsis, quas exhibent ac repræsentant, rebus insigniores? Quid etiam quod causa, quæ falso effectus & eventis affingitur; dummodo solerter sit & ingeniose adinventa, dum accommodata scite ad institutum; moveat approbationem, plausus & clamores excitet, admirationem faciat: vera autem & naturalis ac necessaria causa neque hæc neque aliud apud animos hominum obtineat? erudiat illa quidem nos, doctioresque reddat: sed neque novitate ac raritate percellat, neque capiat illecebris, neque ullius magnitudine & insolentia mysterii suspendat?

Sed nulla re magis deprehendi potest hujus futilitas præcepti, quo ficta ab epigrammate omnia summoventur, quam isto uno dissertatoris facto, qui suum ipse præceptum secutus, epigramma nobile non eradat quidem ex albo epigrammatum, sed, quod pejus est, in exemplum vitiosi epigrammatis, quemadmodum ait, proferat. Debemus hoc opusculum, a Laurea Tullii Ciceronis liberto compositum, Plinio Secundo, qui mandavit scriptis, nec perire sivit.

Quo tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,
Silva loco melius surgere jussa viret,

Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope:
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Hoc brevi carmine quid ad patroni laudem honorificentius? ad liberti gratam memoriam testatius? ad compositionem versuum aptius & quasi rotundius? Itaque duplici illud elogio Plinius affecit: cum & libertus quanti fuerit, ex majestate carminis intelligi potuisse diceret; & carmen dignum prædicaret, quod ubique, non uno tantum, ubi iocisum esset, loco, legeretur. Quo minus mirum nobis debet videri, idem si carmen consequentium ætatum posteritas illustri gratia exceperit; neque quisquam tam longo intervallo deinceps, cui non vehementer placeret, extiterit. En tamen inventus, MONTAUSERI, paucis ante annis, hac ætate nostra; quod ad sæculi decus, si superis placet, pertineat; qui celeberrimum epigramma sententia sua condemnet atque explodat. Stolide, non dubito: sed qui causam quoque judicii sui & condemnationis afferat stolidiorem. *Falsum*, inquit, *epigramma*, atque idcirco vitiosum. *Prorsus enim de sanandis eorum, qui Ciceronem legerent, oculis, in patefaciendo illo fonte, natura cogitaverat nunquam.* Itane vero? de isto naturam cogitasse reipsa oportuit, ut diceretur cogitasse, & belle diceretur? Veritas hic rei exigitur tanquam a teste, non felicitas inventi a poeta? Spectatur fides, non sagacitas quædam in conjiciendo, non callida ratio interpretandi, non ad confingendum & comminiscendum dexteritas? Sed enim fac esse: datum a natura consulto & ortum fonti; & salubritatem aquis ac remedii vim, quo fessi legendo oculi leventur. Cui dubium, quin corrumpatur totum opus illico? pereat epigramma cum acumine? meta gestæ rei narratiuncula, aut nuda simplexque eventus historia relinquatur? Hoc flagitium, MONTAUSERI, qui semel admisit in præceptis dandis, sinisteritate quadam, aut inopia intelligentiæ ac judicii; quid in eum flagitii cadere deinde non potest; atque, ut solum sit, quantum & quam multiplex in uno flagitium habendum, quod ita late grassetur, ut dimidium tollat epigrammatum omnium, plus etiam quam dimidium optimorum epigrammatum?

Nec tamen omnem poetis quidlibet audendi potestatem facimus, ut neque pictoribus. Modus oportet aliquis adhibeatur cum in fingendis rebus, tum in utendo fictis. Alia aliis congesta fabulosa & obscuritatem cum confusione pariunt, & implent satietate ac tædio: nisi forte, vel ad variandum, commentitiis sincera admisceas. Quæ ficta fuerint licentius; & fidem omnem tollunt, nec verisimilitudinem, quæ saltem requiritur aliqua, ullam relinquunt. Designat hippocentaurus equitem sessorem, tam apte presseque inhærentem equo, ut unum ex duobus corpus effici videatur. Chimæra mons, parte prima sui, sic tanquam ore, flammas eructans, præ se fert leonem: postremo tractu longiore & sinuoso, draconem imitatur. utrobique si minus ratio & intelligentia falli potest; decipiuntur oculi sane intuentium e longinquo; a quibus inducitur animus non ad errandum, sed ad fingendum. Contra video quædam ejusmodi tam diversa tamque discrepantia, hæc ut aptare inter se & conjungere mens reformidet, nec cogitatio quidem ferat, nedum efficiat; monstrum, pæne dicam, cum monstro copulari sic & coalescere refugiat. Hoc illud videlicet est præceptum Horatii primum, ubi quæ poetæ maxime servanda, copiosius edisserit:

Sed non ut placidis coeant immitia: non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Nuper, MONTAUSERI, cum Lutetiam primum introiit Anna Teresia triumphali pompa; suscepit has partes pictor, alioquin celebris, ut ingenti in tabula ingentem currum, quo rex & regina veherentur, exprimeret penicillo & coloribus. Sed acumen vide pictoris. Ex una parte leo, ex altera gallus gallinaceus, juncti simul, currum subibant. Quis tum, superi, contemptus civium ac provincialium! quis alienigenarum etiam risus, dum aspicerent inter se, & alii aliis bigam insolentem ostenderent! Omitto, partes Gallo dari non debuisse tanto inferiores. Transeo, Gallum hominem non fere exprimi ave gallo, nisi irridendæ nationis causa. Depresserit se humeris, & summissius leo gesserit: gallus gallinaceus sustulerit se in pedes, quasi jactantior & expansis alis; quo melius tam dispares convenirent satisne aptabitur decenter ales cum jubato, glocitans cum rugiente, modicus cum prægrandi? Audio, quod est in fabulis, quod & aures ferre nostræ queunt, passeres una junctos currum subire Veneris, junctas columbas: non tamen ut passer jungatur ullo unquam modo columbæ. Quanto minus aliquid gallo gallinaceo cum leone conveniet, aut pari cervice jugum ferent cum avibus concordes feræ?

II. PRÆCEPIT etiam male dissertator & imperite, qui dicta ex ambiguo omnia ab epigrammate removit prorsus. Atque hæc quidem olim in honore apud veteres fuisse non diffitetur: sed obsolevisse deinceps & in contemptum venisse, ac jacere nunc tandem & nullius esse pretii apud *urbaniores*, qui ea non solum non captent & consectentur, sed vitent in primis ac respuant. Dic, quæso, dissertator, mihi, utrum vis ex duobus, antiquosne, qui improbanda probarint, parum vidisse; an recentes merito nunc, quæ tum recte probarentur, improbasse? Si prius; sibi tribuere, quod omnis antiquitas non advertit, summæ arrogantiæ est. Si posterius; non advertere hic agi de recto, quod semper & ubique sit, summi stuporis. Verumtamen ubinam, qui usque eo declinanda ambigua censent, elegantissimi quique, &, ut loquuntur, urbanissimi? Equidem citius existimaverim nullos ejusmodi aut perpaucos, quam tam hebetes & tardos reperiri: aut dissertatorem potius non verum dixisse, quam sic ætatis nostræ & gentis homines hallucinari. Nam quod in ambiguitate falsitatem inesse contendit: male rem interpretatur, nec satis distinguit. Ambiguum quidem ex ea parte falsum, quatenus acci-

cipi-

cipitur aliter, atque dicitur: vera autem omnia, si, ut par est sumi, sumantur. Ornandus, tollendus Cæsar. ornandus honoribus, tollendus de medio, vere dicitur. atque hæc mens & sententia Ciceronis, hoc si Cicero dictum unquam protulit. Tollendus, extollendus honoribus, falso dicitur, si, quo animo dictum sit, spectetur. Æneas patrem sustulit: matrem sustulit Nero. eodem significatu exponatur utrumque: alterutrum falsum. hoc & illud suo unius proprio intellectu: utrumque verum. Patrem Æneas sustulit humeris, ac servavit: ferro matrem sustulit Nero, ac perdidit. Quod infertur ea re esse Neronem ex Æneæ generatum stirpe; ne id quidem omnino falsum, quia per risum dicitur, nec eo quisquam, nisi rudis & obtusus, fallitur: cum mediocriter quivis intelligens ac literatus & quidquid id est dicti agnoscat, & ancipiti dicto delectetur.

Neque diffiteri tamen, neque dissimulare debemus, cautione hic aliqua opus esse, ne multa, ut sæpe fit, ex ambiguo pueriliter, & rustice, & fatue dicantur. Levissimum illud de Jucundo, architecto, qui, quod pontes fecerit, pontifex appellandus videatur. Hoc de surdastro, qui male audiat, tolerabilius, vel eo quod isto joculari Ciceronis in M. Crassum dicto nitatur. *Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat.* Ejusdem generis est, quod apud Tullium Appius C. Sextio lusco, *Cœnabo*, inquit, *apud te: uni enim locum esse video.* Uni, convivæ, quod supersit adhuc locus, ubi accubet; juxta illud Plauti Sticho, *Etiam uni locum esse conspicor:* cum simul cogitari vellet Appius uno de oculo, quem Sextius amisisset. Quæ tria nihilominus si cui rejicienda videntur esse; non eo, mihi crede, nomine rejicienda, quod falsa quoquo modo propter duas, quæ accipi possunt, differentes sententias: sed quod frigida, nec allata domo, & dicta millies, & a quovis de turba, & quæ in fabros ejusmodi, quotquot forent, atque in surdos & luscos peræque omnes convenirent.

III. In translatis mirifice dissertator philosophatur. Sic existimat, naturam mortalium infirmam & quasi nauseantem, translatis uti tanquam remediis; defessam verborum proprietate confugere ad translata, reficiendi ac recreandi sui gratia: causam hanc esse, eamque unicam, quamobrem translata tantopere delectent. Verene an falso, videro posterius. unde & qua ratione ac via illuc tendat, expono. Placet huic, hominum naturam partim robore ac viribus pollere plurimum; partim imbecillam laborare quodammodo: altero fieri, ut perpetuam cessationem gravem sibi & molestam putet: altero, ut contentionem perpetuam ferre ac pati non queat: vicissitudine quadam utriusque, otii ac laboris, gaudere. Ut in musicis concentum, ex eoque voluptatem soni efficiunt, etiam qui discordant: similiter cujusque mentem legentis, severa illa & tristi veritate, & nuda loquendi simplicitate fessam, translationibus, quæ a vero paullum discedunt, admixtis renovari. Atque hic observes, Montauseri, velim additam a me vim quam potui maximam dicto & sententiæ dissertatoris; omnia reddita, etiam, quam ipse fecit, probabiliora: ne forte quis putet me hujus aliquid aut astute reticere voluisse premendo, aut involvendo obscurare. Hoc tamen habeto, posteaquam robur & pondus attuli rebus, quoad licuit; ne sic quidem non infirma, quæ is protulit, non frivola & vana, & plena, ut ita loquar, inanitatum esse. Primum, quomodo tam cito oblitus est sui? tam facile exciderunt, quæ proxime recentique memoria egerit? Sustulit ficta ex epigrammate funditus: ambigua ablegavit procul. quid ita? quod in utrisque quandam, quam sibi finxerit, requireret veritatem. Cur non interdicit omni prorsus usu translatorum, in quibus falsi quoque inesse quiddam comperit? Sit hoc levitatis, non constare sibi: imprudentiæ, non attendere, neque animadvertere, quid repugnet. quale illud est, quod tam ex alto repetit, tot per ambages, & anfractus verborum circumducit orationem, tandem, ut concludat translata imbecillitati subvenire, lassitudini & tædio mederi; idque ea re quia varient & distinguant poesim? Quod si tamen proprium translatorum esset; non idem reliqui, quos appellant, tropi, non cuncta lumina verborum ac sententiarum, non sexcenta alia facerent: profecisset aliquid forsan dissertator argutando. Nunc, cum dictionem efficiant variam & quasi multiformem, quæ mutant; mutent omnia quæ propria non sint; ejusmodi autem infinita sint: nihil profecto dicit, qui talia loquitur tam generatim, tam communia translatis attribuit.

Atenim omnium consensu siquidem delectant translationes valde; unde hæc demum, nisi ex illo fonte & capite, orta singularis & multiplex delectatio? Equidem miror, sua quosdam nobis commenta & somnia obtrudere velle: quæ sunt jam & recepta usu, & intelligentium probata judicio, & vera solidaque & eximia, vel nescire, vel, ut sapere plus quam ceteri videantur, aspernari ac refutare. Disce igitur, si potes, & si vis, dissertator, ex communi rhetorum sensu disciplinaque quotidiana, ea, quæ transferuntur, cur delectent. verum ad id prius disce, hæc ipsa cur transferantur. Cum esset ab initio pro multitudine rerum, quæ verbis exprimendæ forent, summa verborum paucitas; non enim uno eodemque tempore aut nata vocabula cum rebus, aut sua & propria rebus singulis affixa: visum fuit transferre nomen ex eo loco, in quo proprium erat, ad eum, in quo deesset proprium; quandiu non suppeteret. Itaque hoc necessitatis fuit, & inopiæ, & angustiarum, quibus quivis institutus primum sermo laboret. Post autem usu & consuetudine facta res quasi familiaris; visa hilarior & lætior quodammodo; ac retenta demum & celebrata voluptatis causa, etiam tunc cum nihil cogeret. Sed tamen unde ista plane in translatis jucunditas, & qui fructus lætitiæ percipitur, exsistit? Ex eo potissimum, quod duarum simul rerum suscipiatur cogitatio: formetur idea & imago duplex; una unius rei, unde sumptum commodato nomen; altera alterius, ad quam aptatum: occurrat & obversetur animo, inter eas res & quid simile, & quam simile quidque sit. Quæ causa tandem est, quamobrem melius plerumque posita vox alieno loco, quam proprio ac suo videatur. quippe quæ illuc migrarit sua sponte, non aufugerit: deducta sit, non irruerit: precario, non vi & coacta, venerit.

nerit Sed hæc qui disseruit orator, a quo sumpsimus, commodius etiam verbis extulerit & declaravit suis, in quibus præsertim verbis liceat translationum festivam copiam, de qua hic agitur, agnoscere. Libro singulari, qui orator inscribitur; *Ex omni genere frequentissimæ translationes erunt, quod eæ propter similitudinem transferunt animos, & referunt, ac movent huc & illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat.* Tertio, qui est de oratore, libro: *In suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, & alia longe repetita sumere: vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat; quæ maxima est delectatio: vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur: vel quod omnis translatio, quæ quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus.* Pæne præterii illud Aristotelis, libro de poetica, quod profecto non habendum in postremis fuit, & quo videtur Cicero habuisse respectum. Τὸ δὲ μέγιστον τὸ μεταφορικὸν εἶναι· μόνον γὰρ τοῦτο οὔτε παρ' ἄλλου ἐστὶ λαβεῖν, εὐφυΐας τε σημεῖόν ἐστι. Τὸ γὰρ εὖ μεταφέρειν, τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστιν. *Omnium autem maximum est translationibus uti scienter. nam hoc solum neque ab alio sumi potest, & præclari ingenii signum est. recte enim transferre, est, quod simile sit, perspicere.*

IV. Si dissertatori recte creditur, qui omne falsi fictique genus ex epigrammatum quasi finibus exterminet: non dubitandum, quin ex ejus præscripto omnis quoque superlatio, quam hyperbolen appellant, cum sit omnibus falsis magis, ut ita dicam, falsa, quam longissime amandari debeat. Sed is nimirum, ut prox me, ita hic, quam sibi constanter convenienterque loquatur, parum attendit, qui quadamtenus patiatur ac toleret hyperbolen, quæ discedit a vero atque aberrat tantopere. Etenim & ementiens superjectio dicitur, & oratio superans veritatem, & aliquid ultra quam fieri possit, aut quod fieri nullo modo possit, significans & eloquens. Ex quibus intelligitur omnis hæc, quæ per exuperationem fit, significatio, non naturam modo rerum, sed hominum quoque fidem excedere: cumque multa nos facile credulos habeant figmenta, aut attollere res supra quam credi potest, aut abjicere. Ego autem non ferendam duntaxat in poemate, quod ille voluit, superlationem contendo, Montausieri: sed elegantiæ & ornatus causa, nostro in primis poetæ alciscendam. Ostendi jam ante veterum duorum exemplo, longe principum in ea facultate, Catulli & Martialis. Possum firmare auctoritatibus ac stabilire multis & magnis: possum omni ratione approbare. Hanc tum oratoribus, tum aliis in sermone quovis omnibus, quasi possessionem philosophus adjudicat: neque facit orator loco ullo de diversis dicendi luminibus mentionem, quin hunc inter ceteros cultum orationis & ornatum recenseat. Etiam quibus modis fiat, partite & distincte perscriptum videmus ab auctore illo nobili, quamvis imperfecto, ad Herennium: quem locum ita imitatus videtur Fabius, ut propemodum exscripserit, nisi quod hic exemplis illustrarit alienis, ille suis. Quid quæris amplius? ne literæ quidem sacræ ac divinitus traditæ, quibus nihil est sincerius veritatisque amantius, & quibus derogare fidem sine crimine impietatis non licet, hunc insigniorem ornatum repudiant: quippe quem ornarint ipsæ & nobilitarint, ac velut consecrarint utendo. Quod si gravissimis in omni genere scriptoribus concessum est, ut res ita supra se efferantur oratione, ita infra se deprimantur: quæ potestas & venia non dabitur poetis, apud quos sunt omnia, præter versuum mensuram, licentiora; poetis epigrammatum, quorum esse lusus, & nugæ, & levitates cujusque generis, propriæ feruntur? Tantum vero abest, ut mens hominis & ratio ab hac veritatis superlatione abhorreat; ut vincere isto pacto naturam rerum, & melius exprimere, ac magis magisque ponere ob oculos amet ac gestiat. Quo loco non dico, qui vero addunt aliquid, non fallendi animo, sed studio potius gratificandi; orationem facere jucundiorem. Dixit hoc Aristoteles in libro de poetica: πάντες προστιθέντες ἀπαγγέλλουσιν ὡς χαριζόμενοι. Dixit Cicero, qui ab Aristotele sumpsit: *Fit plerumque ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, lætius.* Dixerunt, qui fingi totum quiddam ad narrandum, aut si quid vere narretur, mendaciunculis aspergi volunt. quos ego peræque singulos improbo, quocunque tandem animo, quocunque consilio, falsum dicant & loquantur non sincere. Illud dico, & amplector, & verum puto, quod Fabius docet. *Est*, inquit, *hyperbole in usu vulgo quoque, & inter eruditos, & apud rusticos: quia videlicet natura est omnibus augendi vel minuendi cupiditas insita: nec quisquam vero contentus est. Sed ignoscitur, quia non affirmamus.* Quin tamen hic nimium aliquid esse possit, sive frequentet quis aut densiet hyperbolas, seu præter convenientiam rerum, præter omnium consuetudinem loquendi, provehat; nihil erit cum dissertatore controversiæ nobis: quandiu quidem hoc ab eodem Quintiliano meminero scite ac prudenter dictum: *Quamvis est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum.*

Aliud est falsi quoddam, minus etiam proprium, genus. de quo, cum perspicuum sit constetque inter omnes, supervacaneum videtur agere hoc loco. ut cum affectus tribuuntur non apti neque convenientes rebus aut personis: risu prosequimur, quæ potius digna sint lacrymis: eeu misera deploramus, quæ stomachum & indignationem movere debeant. hæc enim non tam falsa, quam præter ordinem, & decorum, & id, quod congruit, & quod cujusque rei natura exigit, posita, quis non videt? Aut cum sumitur pro certo, quod dubium, controversumque sit. ut si epigramma claudas dicto notabili: de quo tamen vulgo ambigatur sitne ita; & plerique secum tacita opinione refragentur. Sed minus quoque isthæc falsa, quam contra communem hominum sensum & opinionem prolata, dixeris. Adduci vero non possum, ut Martialis hoc epigramma improbem, quo scelus esse majus dicitur, & causa deterior Antonii, qui Ciceronem interemit, quam Photini, qui Pompejum: *Hic facinus domino præstitit, ille sibi.* Nocentior Antonius, qui facinus conscivit, necessitate nulla, sola ulciscendi libidine impulsus: excu-

cusandus Photinus magis, qui coactus metu Cæsaris, saluti ac rationibus domini servus, morte alterius providendum duxit; idque nullo emolumento præcipue suo. quis discrimen negat, aut quis non statim intelligit? Atque hoc satis, ut magis in culpa Antonius, quam Photinus ponendus esse videatur. Nec refert, quod cogitantibus deinde, multumque ac diu meditatis occurrant nonnulla, quæ in alteram partem dici possint ac rem dubiam facere: cum quidem hæc non ratiocinatorum calculis lente, sed populari quodam suffragio transfigantur cito; satiusque sit, quod sæpe dixi, & sæpius dicendum nobis, probabiliter, quam vere; speciose, quam graviter & solide, epigramma concludere.

Quid ad extremum dissertatori in mentem venerit loquacia quædam epigrammata dicere, haud equidem scio. Nam & morum potius hominumque vitium, quam sermonis, loquacitas; & in subitam magis atque extemporalem dictionem, quam in factam & accuratam, cadit; & brevius opusculum epigramma esse suapte natura solet, quam ut facile loquacitatem admittat ullam; nec fere ad loquacitatem, nisi antegressis aliis compluribus vitiis, de quibus prius admonendum fuerit, itur. Asiatici oratores parum pressi & nimis redundantes, quibus ubertas & copia verteretur vitio: non habiti loquaces tamen. Inter poetas habemus, qui superfluant licentia plusquam poetica, quibus in summa verborum abundantia luxuries quædam objecta sit, nullo modo loquacitas. Confert lasciviam Quintilianus in Ovidium, hoc est, copiam sermonis nimiam quandam. quis unquam in eundem loquacitatem contulit? Qua voles cunque parte operum simul ac aspexeris hunc poetam, cernere licebit fusum latius & profluentem: inaniter loquacem negaveris. Mihi quidem succurrit nec cogitanti, unde manifesta fiat illa sine hoc vitio profusior vis atque fecunditas: quo loco cibi fastidium, quod duobus potuit, octo versibus expressit.

Os hebes est, positaque movent fastidia mensæ;
Cum venit invisi tristior hora cibi.
Quod mare, quod tellus, appone, quod educat æther:
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
Nectar & ambrosiam, lances epulasque Deorum,
Det mihi formosa gnava Juventa manu.
Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum,
Stabit & in stomacho pondus inerte diu.

Atqui hoc nonnunquam loquacitatis vitio Martialis urgetur: Non credo. At dixit dissertator. Dixisse credo: vere dictum non credo. At duplici epigrammate probavit. Cedo utrumque. Prius lib. v. epigr. 38.

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indica dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum:
Fragravit ore quod rosarum Pæsti:
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, & frequens phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion busto.

Satisne sanus dissertator, aut nos putavit sanos, quibus persuadere vellet, aut se posse confideret, esse hoc epigramma non sapientis & emendati poetæ, sed garruli & effutientis quidquid in solum, ut dicitur, veniat? Quot ipse quibusve deformavit modis pulcherrimum poematium, id ut esse ostenderet haudquaquam pulcrum, & aliud omnino nobis, atque est reipsa, exhiberet? Primum circuncisi ab eo & amputati decem postremi versus, qui tanti, meo quidem judicio, sint, ut si quod inesset in prioribus vitium, elegantia obtegere sua & argutiis compensare potuerint. Deinde vero reliquos quatuordecim, truncos etiam diversis locis & mutilos dedit, sexque versibus quasi mulctavit: qui & ipsi præclari, futuri fuerint ornamento aliis. Restituamus ergo in integrum omnia: intellectum sic quoque melius, si quid forte loquax, immo inane ac supervacuum deprehendatur.

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galæsi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni:
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum:
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitellam:
Fragravit ore quod rosarium Pæsti;
Quod Atticarum prima mella cerarum;
Quod succinorum rapta de manu gleba:
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, & frequens phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion busto.
Quam pessimorum lex avara fatorum
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus!
Pectusque pulsans pariter & comam vellens,
Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, & tamen vivit.

Ex animi tui sententia dic, oro, doctissime Montauseri: Est quidquam in Martiale toto aut argutius ironia, qua hoc epigramma conclusit, aut concinnius objurgatione Pæti, quem induxit loquentem? Atqui scio, si quem usum habeo sensumque istarum rerum, prima extremis non modo nihil concedere, sed hac illa, quam ibi venustissimam poeta descripsit, corporis forma, quantacunque fuerit, esse venustiora. Non animadvertit scilicet homo parum intelligens, quam hic loquacitatem interpretatur, hyperbolen esse, eamque multiplicem: cujus si partes singulas percurras; nihil usitatius optimis poetis, dum formæ pulcritudinem describunt: si totam contemplere; & modos hyperbolæ habemus cunctos uno loco; & fecit more suo Martialis, qui in unam hyperbolen multas congesserit; & hic ei nihil omittendum fuit, quo sibi causam dolendi fuisse justissimam ostenderet. Ingens iste & immensus campus ad disserendum, Montauseri: sed hoc intelligentibus satis; tibi, quo nemo peritior, etiam nimium. Posterius epigramma, quod rursum

 sum

sum loquacitatis dissertator condemnare non dubitat sententia sua, extat libro primo, & septuagesimum septimum numero est.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes & alumne laris,
Pierios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ:
Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una Deos.
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & serta lyrasque Deorum,
Nil habet, & magnum semper inane sophos,
Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Permesside nuda?
Romanum propius divitiusque forum est.
Illic æra sonant. at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

Ignorat dissertator, ut ex iis, quæ supra dixi, apparet, quid hyperbole sit. Quid si minus novit, quod minus ignorandum fuit, quænam sit congeries verborum ac sententiarum idem significantium; quid ἔμφασις, quid συναθροισμὸς; quid similium, aut exemplorum inductio; quid enumeratio partium; quid, quæ dicuntur conglobatæ, sive causæ, sive definitiones; quid aliæ amplificandi rationes ac viæ? Etenim singula hæc quænam sint, quidve inter se differant, pervidere, artis ac doctrinæ est: suo quidque loco dispensare, judicii ac prudentiæ: distinguere a loquacitate, quæ fere cum stultitia conjuncta habeatur, mediocris facultatis. Hoc puerile forsan vitium, vel muliebre, vel senile, loquacitas: vitium certe. cum illæ esse virtutes orationis, & lumina, & ornatus, & insignia ferantur. Sed ipse nimius sim atque loquax, si loquacitatis Martialem reum temere factum, pluribus coner defendere. Solummodo miror os dissertatoris, qui vellicare principem hujus quidem modi poetarum, & in crimen falso vocare ausus sit: cum præsertim, si cujus foret reprehendere tantum poetam; non foret illius profecto, qui epigramma ipse condidisset nullum, ac ne versum quidem fortasse in vita scripsisset. Hic ex eorum genere nimirum, qui, ut sapere videantur, cœlum vituperant.

Quod argumenta dissertator, & vilia, & levia, quæ duo velit honesto adversari, affirmat non tractanda epigrammatum scriptoribus, ita ut, ea si tractent, epigrammata non scribant: erunt, qui præcise negent, non dubito; ac potius hanc esse materiem statuant epigrammatum vel unicam & singularem, vel omnium maxime idoneam. Ego satis habeo dicere, quod dixi jam; & aliter sensisse Catullum ac Martialem, qui abjecta & levicula scripserint istiusmodi multa; & quæ ita scripserunt, non esse reliquis alterius generis & argumenti inferiora. Quod idem contendit, quæ in turpibus & contumeliosis epigrammata versentur, non solum præclara non esse, sed ne epigrammata quidem: utinam dixisset vere, ac persuaderet. Hæc & haberent illecebrarum minus, neque tantopere conquirerentur, neque tererentur tam frequenter & assidue manibus omnium. Sed falsum dixisse puto: &, quia tum obscenum tum maledicum epigramma, sæpe nihilominus præclarum, sæpe etiam, quam alia quævis epigrammata, præclarius; idcirco magis utrumque vitandum admoneo. Verum his de rebus antea dictum a me plus satis, ne quis aures castas & pudorem, neve famam alterius & existimationem læderet.

CAPUT XX.

De præfatione nuperi epigrammatum electoris.

UT in dissertatione quamplurima elector falso præcepit, ita dissimulare non possumus quin multa quoque imprudenter monuerit in præfatione.

1. Ac suum primo consilium, & causas consilii in epigrammatis colligendis, exponit: nihil sibi antiquius fuisse, quam ut rationem morum haberet: voluisse consultum juventuti, cui quam studia literarum prodessent, tam librorum lectio turpium obesset. dolorem se maximum cepisse semper ex infelici & miserando tot adolescentium casu, qui cum ad impuros codices, tanquam ad scopulos, curiositate primum impulsi, adhæserint, infringantur & debilitentur in dies magis, ac tandem innocentiæ & morum integritatis quasi naufragium faciant. huic malo prospici non aliter potuisse, quam si nocentibus & pestiferis hisce libris omnis prohibeatur juventus. Sed quoniam in iisdem multa quoque sunt, quæ & proficiant & delectent, quibus adolescentes privari durius atque alienum videretur: incundam rationem fuisse, quemadmodum secernerentur salubria a pestilentibus. Ob eam rem tractatos & percursos Catullum ac Martialem non sine nausea & fastidio, atque etiam cum stomacho & indignatione: ita plenos esse ambo sordium ac fœtere totos. Verumtamen piget, optime MONTAUSERI, suis electorem vestigiis persequi: & tantam sermonis longitudinem verear exæquare referendo. In quo sane miror, quomodo, qui epigrammatum scriptores, brevissimos poetas, loquacitatis interdum coarguit; se loquacissimum & verbosissimum in re, quæ verbo confici potuerit, præbeat ipse, nec esse sentiat. Sed omitto, quam longus sit: quæro, quod se fecisse ait, cur fecerit; quamobrem Catullum & Martialem attigerit, qua parte uterque lutulentus & impurus esset. Quis hominem coegit hanc movere camarinam, aut in eum se gurgitem immittere, unde tam tetra mephitis exhalet? quid attinuit sponte insistere aut ingredi velle in lubrico, aut ferri in præceps, ex quo cohorrescat, de quo sibi displiceat & indignetur? Fecit necessario, inquies, locum ut purgaret. At quam multi præstiterunt hoc antea, quorum uti opera potuit, & labore suum levare, ac parcere pudori, si cautum esse voluit tantopere, ut par fuit, & virum pudentem modestumque decuit? De Catullo taceo, quem facile fuerit corrigere amputando. Bis perpurgatus Martialis, patrum memoria, & omni rerum verborumque turpitudine liberatus. primum ab Andrea Frusio, homine

ne Gallo, Carnutensi, nostrique otdinis: quod nos admonuit vir ætatis suæ eloquentissimus, Edmundus Augerius, qui anno Christi 1558. opus edendum curavit, eique peregregiam sane epistolam præmisit. Idem factum ipsis quadraginta post annis a Matthæo Radero, homine Germano, itemque ordinis nostri. Et Frusius quidem, vel simplicior minusque mali suspicans, vel non ita accuratus, quædam reliquerat, quæ Raderus tollenda existimavit: quædam, quod nollem, immutarat verbis suis. Sustulit autem multa omnino Raderus: ita tamen, ut indicaret, nota numerorum apposita ad oram, quot cuique libro epigrammata; asteriscis sive stellulis interpositis, quid epigrammati cuique deesset quod utrumque nollem rursus, quia curiositatem legentium, eo ut iretur, fortasse acueret. Ex hac porto castigatione Martialis operum natum, MONTAUSERI, si nescis, ut nostris hominibus verteretur probro, quod in laude poni debuit: quasi ademptus sit per nos optimis quibusque scriptoribus suus lepos, sua vis & robur, ac tanquam viriliras. Quod utinam fecissemus ptimi rem tantam, tam utilem omnibus, tam necessariam juventuti: caque nobis solida & integra laus & propria maneret, cœpisse vel sic de virtutis ac morum disciplina bene mereri. Sed est, qui hanc nobis lauream præripuerit, antequam etiam nati, ut sic dicam, essemus. Anno enim superioris sæculi decimo quarto, Franciscus quidam Sylvius, Ambianus, in academia Parisiensi qui tum degeret, ac literas publice profiteretur, quasi Augiæ stabula purgaturus, hunc se laborem Herculeum suscepisse declarat, horrida quidem & insolenter ac barbare scripta epistola; facile ut appareat potiorem ei curam fuisse morum, quam Latini sermonis; sed ex qua tamen intelligatur manifesto, & ignotum illis temporibus ad eam diem Martialem fuisse in scholis, & tota proscriptum academia atque exterminatum. Libri inscriptio hæc fuit: *M. Valerii Martialis epigrammaton lectoris castimonia digniorum liber: ubi omnia Veneris illius despuendæ quasi irritamenta, quibus passim sordidatus, lectorum nares corrugabat, accurata Francisci Sylvii Ambianatis diligentia, deleuli spongia detersa sunt, & eluta.* Epistola sic inscripta: *Reverendum in Christo patrem, D. Nicolaum Cousturanum, & D. Hadrianum Henencurium, Horesteæ amicitiæ ferrumine conferruminatos, Franciscus Sylvius Ambianas salute plurima impertiitur.* Respondet inscriptioni fœda & ridicule etiam informis, quæ sequitur epistola: quem sermonem tamen suum Sylvius, quod vix credas, MONTAUSERI, aliquot post annis ita emendavit, ut a se totus diversus, & alius plane scriptor esse videatur. Sed hæc hujus epistolæ, quæ rem maxime continent, pauca habeto: *Quod in causa fuit, ut superioribus ante sæculis isthæc Martialis epigrammata utilitatis abunde superfluentia, hominibus ignota fuerint. Quis enim Parisiis, unum ubique pædotribarum, tum maxime in Museo nostro Montiacuti, honestatis & morum norma exactissima, ubi legum bonitate Martialis lectio jure optimo cavetur, animi tam confidentis, Martialem illum propudiosum, ut publico auditorio profiteretur, adsumere sibi auderet?* Denique in extremo epistolæ sic erat: *Sylvio vestro, qui literarum hasce bonas segetes, ab illis effictum linguæ turpitudine multa superantibus, discriminavit, plausibiliter adplaudite.* Optimum quidem consilium, præstantissime MONTAUSERI, Martialis expurgandi; optime instituta ratio: sed cui nescio quo fato eventus defuit. Contigit enim, sive socordia librarii, sive negligentia editoris, seu improbitate quorumdam malaque fide, ut non minus turpitudinis & nequitiarum relictum, quam sublatum esset. Vidi ego hunc ipsum librum, a Jacobo Ketverio, Christi anno 1535. publicatum; hac inscriptione, quam modo posui; hac epistola, quæ castissima & sanctissima omnia promitteret: nudis tamen & prætextatis aliquot vocibus spurcum atque infamem. Vidi, quem anno edidisset 1554. Michael Vascosanus, ita inscriptum, *Martialis castus, ab omni obscenitate perpurgatus*, qui simili fraude inscriptionis legentibus imponeret, tetra quædam & graveolentia pariter complexus. Opportune igitur ac prope necessario a Frusio atque a Radero; sive nollent affectum jam ab aliis opus, seu, quod verius, intactum crederent; subventum huic rei est, arreptumque libenter negotium, ut tam gravem tamque perniciosam quasi sentinam exhaurirent. Quo labore duorum, multis abhinc annis, grata fruitur posteritas: & quo elector iste noster contentus esse potuit: & vero, ut opinor, fuit, neque manum ob eam rem nequicquam vertit. Sed venditanda scilicet erat opera & industria: præ se ferendus recti & honesti amor, ad opinionem probitatis: obrependum in partem alienæ laudis & gloriæ, gratis ac nulla unpensa.

11 ADMONET elector deinde, ac ne quis forte nostrum dubitet, certiores nos cum omni asseveratione facit; idque semel in præfatione, iterum separatim brevi appendicula; innumerabiles consultos a se & aditos scriptores hujus generis, in iis perlecta epigrammatum ad viginti millia; e quotum plurimis nihil excerpserit omnino, proptereaquod nihil visum sit excerpendum: inter excerpta esse quædam, quæ se admisisse pœniteat; inter alia vix ullum, quod se pœniteat exclusisse. Quibus ex dictis quid consequatur, satisne vides, MONTAUSERI; aut potius quid hoc ipsum, & quantum, & quale sit per sese, quod consequatur? Ptimum cum ex antiquioribus poetis tredecim duntaxat, e recentioribus viginti & uno summum, aut altero, nonnihil delibarit: reliquos omnes bene multos repellit suffragio suo & facessere jubet; ex iis enim nihil dignum existimavit, quod assumeret. Deinde ex quibus pauca quædam mutuatus est, cetera, quæ sunt in iisdem, omnia condemnat pari sententia. vix esse enim ullum, quod ipsum pœniteat exclusisse. Postremo ne illa quidem non damnat ex parte, quæ admisit. nonnulla enim admisisse pœnitet. Atque hic observa, quæso, MONTAUSERI, nihil quicquam electorem tam metuere, quam ne videatur, quæ rejecit, ea prudens & sciens certoque consilio non rejecisse. usque eo se obfirmat in habito discrimine delectuque epigrammatum, tamque gaudet sibi, tamque præclaro judicio suo delectatur. Quemadmodum autem gravis illum cepit horror & indignatio, in legendis ad discernendum obscœnis quamplurimis, contra quæ nitendum

dum fuit: sic affecit tædium, & lassitudo, & satietas, in legendis, quæ inepta & insulsa essent, nihilo paucioribus. quas tamen difficultates ac molestias, utilitatis publicæ causa, exsorbuit. Verum quid profecerit, videamus propius: nondum enim, certum scio, satis iotellectum est. ac triplex illa condemnatio, de qua dixi, quam late pateat, ad quos pertineat, quamque multos involvat, ne is quidem, qui sententiam protulit, quid faceret, intellexisse satis videtur. Principio quis putet Gallos omnes, quotquot ducentis abhinc annis floruerint, ac tale aliquid conscripserint, ab hoc censore quasi moveri tribu, & in ordinem redigi? Moventur autem, rediguntut: cum quatuor modo appellentur nominatim, prætereatur magna multitudo. Omitto, qui vivunt, quique nuper vixerunt, quos ipsi vidimus. Ubi Aurati, Dampetri, Salmonii, Bonefonii, Mureti, Remondi, alii, quos proferre magno numero possumus, qui majoribus nostris voluptati pariter & admirationi fueriot; nunc quidem auribus electoris nostri eruditis videantur indignissimi? Quid quod ipsos, quos profert quatuor tantum, poetas Gallos; & improbat hoc ipso, quia multa eorum epigrammata prætermittit; &, quæ pauca ex iisdem affert, tanquam vitiosa aut valde mediocria, sugillat atque contemnit? Nominatim præterea, & sioe ulla exceptione, proscribit quicquid est in poetarum Germanorum, quas vocant, deliciis; idque tanta cum acerbitate & contumelia verborum, ut nihil audire ipse ab adversario gravissimo possit, quod non occuparit, in eosque contulerit. homo festivus haud dubie ac suavis, qui duos tresve aut aliquot privatos notare nominibus suis, religioni ducat; ne quos ornare non potest immerentes, ad ignominiam nominasse videatut: idem nationem totam traducere non dubitet insolenter. Equidem nunc mihi curæ non est, quid, in illo epigrammatum acervo Germanico & congerie, boni malive insit, indagare & scrutari. Neque sum nescius, ab aliis quoque gentibus profecta complura, & in unum collecta, non optimæ frugis: quæ si promantur seorsim, ludibrium debeant elegantioribus & eruditis. Hoc dico, quod ptopius rem intuenti perspicuum fore confido, Germanos non minus de literis Græcis ac Latinis, quam de mathematicis artibus, manuque operibus factis, bene meritos semper fuisse, atque etiamnuoc bene mereri. Nec deerunt fortasse, qui sibi malint hujusce nationis maturam tarditatem, aut sedulitatem laboriosam, quam aliarum vel præcocem industriam, vel promptam ad omnia facilitatem non diuturnam, vel supinam denique negligentiam. Quanquam, Germanos si bene novi, optimos homines, fottes viros, neque facile irritabiles; ignoscunt isti quidem libenter incognito scriptori & obscuro, qui de ipsis detraxetit. quod gravius & iniquiore animo ferrent, si hic idem, homo Gallus, cum popularibus suis civiliter egisset. Hispanos poetas, eosque Belgas, qui sub ditione sint Hispaniæ regum, tacitus omni modo elector prætetite non dubitavit. Atqui sic habeas, mi homo, Belgas hos poetis recentibus & coævis suis non tantum nihil cedete, sed cum tota antiquitate velle contendere. Nam quos Belgas angustius Batavos appellant, videtur voluisse demereri, quorum plures, quam ex aliis nationibus profert: nec videtur tamen magni facete, quos male habet pariter, & quadam censura vexat, atque animadversionibus identidem arrodit. Italos autem mirum ni prætermittat, quibus ortus & patria favet, & unde Romanæ omnes literæ Latinusque sermo in reliquas gentes profluxerint. Tametsi in illis quoqoe per summam imprudentiam peccat aliquid: utpote qui Venetos in Italorum numero reponat, excludat Neapolitanos: Andream Naugerium esse Italum poetam velit, Jacobum Sannazarium nolit. Sed quid ego plura de paucis diversarum gentium poetis commemorem, ex quibus, quod libuit, libavit? Dicas, nihil aliud, quam obtrectare singulis & insultare, voluisse. ut præclarius actum videatur cum iis, de quibus silendum putavit, quam cum iis, quos velut honoris causa appellarit. Quid enim? nonne semel contra recentiores poetas omnes, quotquot adhibuit, pronunciat? Sunt viginti duo tantum epigrammatum scriptores: quatuordecim tantum epigrammata elegantiora: onum tantum, unum, inquam, epigramma Bochanani, *Nympha Caledoniæ*, quod stellula designat, elegantissimum: cetera, præ isto aut parvi pretii aut nullius. Quod tamen epigramma fere epigramma non sit, cum exitu subtili nullo concludatur. En quo recentiorum curæ omnes, vigiliæ, concinnitas, solertia, decus, fama reciderunt: quantam ad solitudinem, vel potius, quam in nihilum tedacti multiplices ingenii præstantesque fœtus.

III. TERTIO loco de duobus simul nos esse monitos elector voluit, & quod emendarit certo judicio inscriptiones non bonas epigrammarum, & quod notas sive interpretationes breviusculas epigrammatis apposuerit. Utrumque ad majorem opusculi intelligentiam. utrumque recte, MONTAUSERI: ne forte putes, quæ sunt electoris, culpari a me, ac damnari omnia. Verumtamen quærendum quam perire, quæ prudenter suscepit, præstiterit: quoque modo fidem, quam hic dedit admonendo, liberarit. Equidem epigramma semper optimum omnium existimavi, quod inscriptione indigeret oolla ad claritatem, & cui totum suppereret ex se, unde prorsus intelligi posset: præsertim cum tantulum opus, sit ipsum inscriptio. ut si ad illud inscriptio etiam requiratur; fiat hic demum inscriptio inscriptionis, titulusque titulo accedat. Itaque in nonnullis quidem Martialis, quæ αἰνιγματώδη & obscuriora sponte sua forent, lemmata adjecit; vel universe, ut xenia, ut apophoreta; vel singillatim, suam cuique disticho indicem voculam: & necesse fuit adjici, nisi plane latere vellet quæ exprimeret verbis, & quasi indicta esse, quæ diceret; quod res essent singulares & parum notæ. In totis vero duodecim libris abstinuit ipse omni inscriptione: librarii, vel grammaticuli, vel si qui alii, rudes certe & indocti, explere conati sunt, quæ desiderari viderentur. Sed quoniam poeta plerumque dicta, facta, res, personas, etiam privatas & ignobiles, leviter perstringit: neque nota omnibus omnia esse possint: & quæ clara nunc quidem sunt, obscuriora fiunt annis, & progressu temporis: optandum fuit, ut ipse scriptor, quo nemo facilius, melior

melior nemo esse potuit, index fieret atque demonstrator & interpres sui. Hanc inscribendi operam navavit præter alios Matthæus Raderus Martiali: & hanc elector noster tum in Martiale tum in reliquis, quorum epigrammata excerpsit, operam se posuisse profitetur. qui quoniam tunc, cum aliorum sensus & dicta aperit, quid sibi ipse velit, vix interdum assequor: dabit hanc mihi veniam discendi cupido, ut de nonnullis, quæ habeant aliquam dubitationem, interrogem. Etenim sic esse arbitror, sic mihi persuasi: in operis inscriptione mentem inesse & consilium sententiamque scriptoris oportere. quæ quidem inscriptio aliquid novæ lucis afferat: præcipuum quidque complectatur: non vagum quiddam & latum, quod generatim; sed fixum & arctum & adstrictum, quod proxime rem attingat. Et vero si nihil accedat aliud, nomen personæ, seu verum sive fictum, parum adjuvare; quod sit ad hoc usui duntaxat, ut ab epigrammate sejungatur epigramma, ne duo exscribantur continenter, neve in unum confusa temere coeant. Denique hæc inter se tria, epigramma, argumentum, titulum sive inscriptionem, sic distingui, ut epigramma sit ipsum breve opus; argumentum epigrammatis, contractum sit epigramma; epigrammatis titulus, sit contractum argumentum.

His igitur positis & constitutis, quæro, elector, a te, quid significent, quamque sint aptæ & accommodatæ ad rem istæ tuæ, quæ sequuntur, quo voluisti ordine, inscriptiones.

Pagina 3. inscriptio: *Ignavus, qui seipsum occidit.* epigramma: *Quod magni Thraseæ.* Ignavus, fateor, qui mortem sibi ipse consciscat vel tædio vitæ, vel contumeliæ metu, vel majoris cujusdam mali. Sed non id agitur, quid sentiam, aut alii mecum. De isto res est, quid hic propositi Martialis habeat: an ignaviæ quemquam nomine condemnet. Atqui neque hoc loco, neque alio, ubi de voluntariis istis interfectoribus sui agit, hanc ulli adscribit ignaviæ notam: cum præferat tamen, qui manus a se violentas abstineant.

Pag. 5. inscr. *Vive hodie.* epigr. *O mihi post nullos.* Arripere vocem unam alteramve ex epigrammate medio vel extremo, est epigramma inscribere? Hoc titulo factus sum doctior, & ad epigramma consequens intelligendum instructior, quam si omnis titulus abesset? Dicas saltem: voluptatibus indulgendum: fruendum præsentibus: de crastino minime laborandum: denique potius, vivendum in diem, quam, vive hodie.

Pag. 21. inscr. *Mors Romana.* epigr. *Indignas premeret.* Quid est hoc verbi? Romana mors est, veneno, inedia, laqueo, ferro, naturali fato ac suo, finire vitam. Expectandum igitur, quam mox epigramma interpretetur inscriptionem.

Pag. 33. inscr. *De visendis amicis.* epigr. *Ne valeam, si non.* Contra minus male: De non visendis amicis; qui habitent longius; qui videri nolint, fastidiosi; aut qui facile non possint, occupati.

Pag. 36. inscr. *Luxus morbos parit.* epigr. *Zoilus ægrotat.* Quis, cui hæc inscriptio lecta primum fuerit, non statim putet, hanc esse sententiam epigrammatis, luxu & deliciis atque intemperantia morbos contrahi: juxta illud Celsi: *Hæc duo, desidia & luxuria, corpora prius in Græcia, deinde apud nos afflixerunt.* At neque luxum hic, nisi in vestibus sumptuosis, neque morbum, nisi simulatum, intelligi oportet. Ut ostentet Zoilus lectum stratum pulcherrime, pretiosasque vestes, fingit ac mentitur morbum, quo, sic tanquam revera æget, decumbat. En quomodo luxus pariat morbos.

Pag. 40. *Locus ab arbitris remotus.* epigr. *Quid mihi reddat ager.* 46. *Disticha longa.* epigr. *Cosconi, qui longa.* 47. *Voluntaria nex.* epigr. *Hostem cum fugeret.* *Difficiles nugæ.* epigr. *Quod non carmine.* Quæso te, elector: His inscriptionibus quatuor, nihil erat, quod clarius exprimeret mentem scriptoris, aut apertius rem vel declararet, vel significaret certe? Ager liberat ab interpellatoribus: Disticha, longa, male si fiant: voluntaria nex est furiosi: Martialem multitudini non scribere: nonne aut ista melius, aut nulla, ut sæpe alibi?

Pag. 67. *De nivibus adulatoria.* epigr. *Aspice quam densum.* Hæc electori placuit inscriptio, quam quinquies adhibuit: cum ter, non amplius, ut opinor, extet apud Martialem. Atqui ego nullam in Martiale inscriptionem minus ferendam semper putavi. Quid enim? se ipse scriptor, cujus est proprie opus suum inscribere, adulatorem appellarit? se aliis adulari tam ingenue professus fuerit, quacunque mente sit, quidquid fecerit? Interpres de suo potest hoc afferre, & ex sententia sua ita loqui; scriptor, qui quidem in inscriptione loquitur, aut quasi loquens, oblique saltem, inducitur; nequaquam.

Pag. 98. *De puella defuncta ante sextum ætatis annum.* Pag. 102. *Varia genera vitæ.* Pag. 108. *Tutus a fame.* Pag. 110. *Bonæ leges.* Pag. 113. *De tribus capellis.* Quæ singula vel aliena prorsus a mente scriptoris, vel ipso obscuriora epigrammate, vel quod in epigrammate habetur primarium ac præcipuum, non complexa. Sicuti & illa quæ sequuntur non pauca: *Versus male dulces & insipidi: Fingens podagram: Morbo liberatus: Actor malæ causæ: Laus veterum: Amicus usque ad arcam: Vetus melius est: Dona iniqua.*

Sed nihil quidquam tam vanum ac futile, quam quod pag. 268. epigram. *Addixti servum:* inscripsit, *Anthropophagi*: tam ineptum & insulsum, quam quod pag. 252. epigr. *Quantum jam superis:* *Dii ridiculi*, inscripsit. Priore illo epigrammate, lurco & asotus pretium servi venditi non dubitavit unam in cœnam impendere. en cur, *Anthropophagi*, carmen inscribatur. Hoc epigrammate posteriore, Domitiani imperatoris laudatur pietas, qui Deorum templa refecerit, iisdem alia de integro exstruxerit, de iis ita bene meritus sit, ut par referre tantæ religioni ac reverentiæ non posse videantur. ob eam rem de Cæsare Domitiano in inscriptione mentio nulla: *Dii ridiculi*, quod solvendo non sint, epigramma inscribitur. In animo scilicet Martialis habuit Deos irridere immortales suos, non pleno ore prædicare Cæsarem? Atenim res difficilis, apta & idonea epigrammatum inscriptio: quod & ipsum judicare difficile quoque est, nisi experto. Inscriptio difficilis; fatendum est enim; eoque difficilior, quo brevior esse debet; neque est in cujusquam forsitan potestate, nisi in illius, qui epigramma, quod inscribi-

tur, scripserit. Sed erat prudentiæ, vel quam recte quidque fieri posset, dispicere; vel quod minus recte fieri posset, omittere: præsertim cum nulla plurimis epigrammatis sit inscriptio apposita; in aliis adhibere necessitas nulla coegerit.

NAM quod ait elector, Martiali se notas adjecisse, & Thomæ Farnabii perpetuas, & suas aliquot, improbare non possum: quod utrasque permiscuerit ita, ut quæ sint ipsius, quæ Farnabii, haud facile dignosci possit; res aliquid habet confusionis, plurimum incommodi. Ex aliis scriptis suis Farnabius laudat quædam, eoque lectorem rejicit. lector inscius adscribet electori. Redarguit elector interpretationem alicujus, anteponit suam. lector Farnabii hoc putabit esse. Multa de Radero totidemque verbis sumpsit Farnabius: qui mihi quidem plagiarius non est, qood nihil dissimulet, seque ex omnibus profecisse atque hausisse fateatur, quos ad exponendum poetam facere judicarit. ego electorem, qui Radero surripuit quædam identidem, & Farnabio sibique vindicat omnia, condemnare non dubitabo plagii. Denique Farnabius, quamvis diligens & eruditus scriptor, interdum est non bene locutus Latine: quamplurima elector contra grammaticæ leges & scita commisit. quo modo alteri non assignabo, nisi valde caverim, alterius errores? Quanquam ipse cavit elector, qui in præfatione, in dissertatione, ipsis in inscriptionibus, in aliis separatim nonnullis, tam multa ejusmodi vitia orationis concepit, nihil ut huic fallo imputari possit. Sed de isto postea. Miror nunc quidem, quæ de suo elector ad Martialem interpretandum contulit, quomodo tam facile Farnabio concedat, & transfusam in eum laudem suam velit: quasi tanti non sit omnis interpretatio. cum interpretationem sibi plerique scriptores, & merito, malint, quam omnem cujusvis electoris delectum. Quid si repudiet autem Farnabius ab electore sibi concessa tam libenter, suaque malit integra & sincera, quam interpolata aut incrustata? Fecerit sine dubio, si superstes sit aut reviviscat, & electorem norit. Edidit certe Petrus Scriverius in lucem & celeberrimorum octo scriptorum, inprimisque Grutheri uberiores notas in Martialem, alias ab aliis seorsim; nec ipse horum notis suas admiscuit: ut quod proprium cujusque esset, nemo non intelligeret. elector vero noster decurtavit Farnabiana, auxit, immutavit. tum omnem operis ac facti sui laudem, homo minime gloriæ cupidus, liberaliter confert in alium, neque ex ea sibi quidquam reservat aut decerpit.

HIC elector demum, *Reliquis*, inquit, *epigrammatis, quoniam aliunde non suppetebant, notas addidimus: sed parce. Vehementer enim ingentibus illis commentariis infensi sumus, in quos homines otio abundantes, quicquid didicerint, sine judicio inculcant.* Itane vero? in alios scriptores epigrammatum non suppetebant quæ adderentur explicandi causa? Non suppetebat Antonii Mureti in Catullum, non Justi Lipsii in Senecam commentarius? non in anthologiam Græcorum poematum scholia Joannis Brodæi? non quæ in Ausonium Elias Vinetus commentatus est? non quas Josephus Scaliger lectiones inscripsit Ausonianas? non aliorum breria Claudiani, Ennodii, Boetii interpretamenta, quibus adimendum nihil foret: non longiora, ex quibus, quod commodum visum esset, excerperetur? Sed quinam isti hostes atque adversarii, quibus noster est elector vehementer infensus? Odimus personas, facta, res: hæc eadem displicent. solis infensi personis sumus. Est nempe ex alio quodam hominum genere elector, qui male animatus sit erga ingentes commentarios: credo quod male sint de ipso meriti commentarii. Sed tamen quos prægrandes innuit libros commentarios, quos scriptores sibi non probari? Nicolaum Perrottum, cujus extat, cornucopiæ nomine, magnum volumen, in librum tamen non amplius fere quam primum Martialis? Domitium Calderinum, a quo habemus commentationes & explicatus ejusdem poetæ librorum omnium, profusos sane & uberes? Matthæum Raderum, cujus in commentariis longitudinem, brevitatis amatores, Lipsius & Scaliger non modo non improbarunt, sed collaudarunt etiam valde per litteras atque auctoritate sua commendarunt? Quanquam non hos innuit profecto. neque enim abundabant otio, ut opinor: nec illis judicium deerat: neque unum in volumen, quæ didicerunt cunque, conjecerunt; cum alia etiam opera conscripserint. Quod ipsum licet ita haberet, seque in uno semel exhausissent, & effudissent quæ norant & consumpsissent omnia: tamen id satis superque ad opinionem scientiæ & celebritatem nominis esset; neque isti continuo digni habendi odio electoris, aut reprehensione cujusquam.

IV. DE sententiis extremo libro ab electore adjectis taceo: non sane quia omnino probem; sed quia minus id totum ad epigrammata existimem pertinere. Nam si multitudo est sententiarum coacervanda, quæ libro de epigrammate jungatur; propterea quod sit aliquid sententiis in epigrammate loci: quid liber ejusmodi non asciscet sibi tanquam proprium ac vindicabit? cum tam multa alia tantundem habeant cum epigrammate commercii & cognationis? Rursum quandoquidem videmus sententias in pleraque alia cadere, diversisque esse opportunas sermonibus: quis fere liber, quæ sententiarum sint, non aliqua complectetur? Omitto igitur de illustrioribus sententiis, quas ex poetis elegit principibus Latinis, dicere: omitto de sententiis brevibus, Græcis & Latinis, qnas, ex aliquot millibus a se jam collectis, ut gloriatur, paucas elegit. quo in utroque incredibile est quam multa elector perperam præpostereque fecerit. Tantum dico, MONTAUSERI, quod tibi satis indicet, quid elector iste hominis sit, quem neque de facie neque de nomine novi; & vero ignorare libet: hunc videri mihi scriptorem novellum, usu atque exercitatione tyronem, qui e ludo literarum publicisque gymnasiis recens, cruda adhuc studia, quod ille ait, in publicum protrudat ante tempus. Qui si idem parumper collegisset seipsum; si prima & levia rudimenta artium, quas modo didicit, recognovisset; si cumulasset gravioribus disciplinis: tunc profecto nihil magnum ducere inciperet vir aut adolescens etiam, quod puero placuisset.

CAPUT XXI.

De nuperi epigrammatum electoris delectu.

QUANDO nos quidem regulas esse pravas docuimus, quibus usum se fuisse in seligendis epigrammatis, noster nobis elector toties significarit; quando item, quæ præmonuit ab initio, quam vana essent atque inania ostendimus: quid sequitur, nisi ut delectus his firmamentis constitutus, quæ funditus labefactata sint, concidat? Sed quia idem vitiosissimus est delectus tum per sese, tum aliis ex adjunctis compluribus: ne id quidem reticendum est, quod si celetur, eos, qui nou satis caverint sibi legendo, inducat in errorem. Principio igitur ex omnibus studiosis literarum neminem esse arbitror, quin, ubi hunc inspexerit ac pervolutarit, codicem epigrammatum, statim dicat epigrammata se nosse, eo non relata, digniora tamen relatis referri. Veterem sane amicum, atque istarum rerum præter ceteros intelligentem, audivi, cum diceret, plura se epigrammata recitare memoriter posse, eaque valde bona, quam quæ optima in eo delectu haberentur. Et electot jactet millies tamen in eam se partem sæpius peccasse, quæ esset mitior? Ac vere dixit se peccasse. Quid enim attinuit in epigrammatum numerum Famiani Stradæ poematium, quod nullo modo epigramma esset, aggregare? Qui convenit in versus collectos amplum Huralti Chivernii elogium includere, soluta oratione conscriptum? Quid, liber inscriptus epigrammatum delectus, nonne carere potuit ducentis paginis sententiarum, id est, tertia parte sui, quibus ea neutiquam inscriptio conveniret, altera fuerit uni libro apponenda? Quod vero faciliorem se videri cupit, quam severiorem: falsum. Qui etiam non tam severum aut fastidiosum, quam præcipitem ac temerarium propeque stupidum gessit, & sensus communis expertem, in epigrammatis improbandis atque rejiciendis. Dixi jam, quam multi sint ab eo, quamque immerito exclusi recentiores poetæ: quo actum modo cum recentioribus, quos adhibuit.

INTER antiquos Catullus quam indigne habitus! quam tractatus injuriose! Quatuordecim duntaxat hujus epigrammata idonea censuit, quæ excerperit, & in excerpta jam reponeret. Ac neque iis ipsis manus abstinuit violentas, imprudensque & iniquum judicium. Qui ex epigrammate, *Ni te plus oculis meis amarem*, quatuor erasit versus, lepidos, superi, & elegantes, nec, nisi cæcis aut obtusis mentibus, quod attinet ad sententiam, obscuros.

Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sylla literator:
Non est mi male, sed bene ac beate;
Quo non dispereunt tui labores.

Idem notat etiam gravius & configit hos primos quinque versus:

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs:
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs;
Fui libenter in tua suburbana
Villa.

Hac agri suburbani amica & familiari compellatione est aliquid candidius suaviusque? Ita me Deus amet, ut carmen hoc, quam totum Tibur, salubre, amœnum, molle, supinum, malo: quod ipsum tamen, ex ore Catulli quodammodo, & propter hasce delicias Catullianas, diligo. At elector, *Quinque*, inquit, *illi primi versus nihil ad rem prorsus: nec nostros ferremus ita nugantes. Verum hac venia antiquis concedatur.* Sapit palatus electori: prætereaque homo misericors est, qui facile Catullo ignoscat. Sed obsecro, mi elector, da veniam Horatio quoque, idem qui peccavit, totidem versibus, non prorsus absimili sententia.

Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps.
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.
Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta.

In Nonium & Vatinium quid valentius ad summam indignationem isto versu: *Quid est, Catulle, quid moraris emori?* eoque congeminato, & in principio carminis & in fine posito? Quid densius ac plenius rerum, verbis tamen paucis: *Sella in curuli Struma Nonius sedet: Per consulatum pejerat Vatinius.* Homines indignissimos, quorum alter revera sit struma civitatis, alter homo perjurus, ad summos magistratus pervenisse: quibus hic etiam abutatur; cum per consulatum non juret modo, quod ipsum intolerabilis arrogantiæ esset, sed etiam, quod aliud flagitium est, pejeret. At elector in hoc poematium: *Epigramma satis elegans, jejuno & exiguo sensu.* Commode, *satis elegans*, de Catullo, qui suis ipse verbis appellatus sit, omnium consensu, pater elegantiarum. *jejuno sensu*, de eo qui binis versibus quæ supra posui omnia complectatur aut subindicet. Satis tu quidem salsus ac lepidus es, elector. Sed, mihi crede, qui jejunum & exiguum sensum esse dixeris epigrammatis, nullum habes ipse sensum humanitatis ac literarum.

Antiquitatem quoque cum Catullo universam reprehendit, quod is proverbio, ut ait, humili epigramma concluserit. *Epigramma hoc, Suffenus iste, ceteroqui elegans, nonnihil inquinatur humiliore proverbio. quod vitii genus non omnino satis veteribus cautum est. Sed forte nec inter ipsos humile censebatur.* Hoc præclarum & volupe, ab eo præsertim, qui solemnes formulas & certos quosdam loquendi modos, vel vulgares & plebejos, vel leviter figuratos, cum proverbiis confundat, qui, *hoc age, priscis credendum, diligere sine rivali, de alieno liberalis*, sexcenta ejusmodi, nihil minus quam sententias, in sententiarum numero reponat.

Nec satis babuit per sese in Catullum incurrere, & vexare dictis scripta ejus pleraque: sed, ut omnem a se removeret invidiam, neve solus sapere velle videretur, alios ei reptehensores apposuit; quos neque appellavit nominatim; opinor, ne calumnia deprehendi posset. Est perfacetum, & præclaro Quintiliani elogio nobilitatum epigramma contra eum, qui in literis ibi, ubi neque opus, neque mos esset, aspiratione uteretur.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.
Credo, sic mater, sic liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerat atque avia.
Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
Audiebant eadem hæc leniter & leviter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba:
Cum subito affertur nuncius horribilis:
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse, sed Hionios.

Auditos a se ait viros eruditissimos, qui hoc quammaxime epigramma deprimerent, in eoque nihil vel mediocre agnoscerent. Ac ne dubites quin his eruditissimis assentiatur ipse; causam subjicit, quamobrem ejusmodi sit epigramma parvi faciendum. *Lusus enim*, inquit, *tenuis in homine blæso vocales asperante: quod genus obvium, & perfacile, nec valde urbanum est.* Quot verba, tot errata: vel potius hallucinationes in una maitæ, quas velim mecum, Montauseri, recognoscas. Primum cum sic epigramma elector inscripsit, *De Arrio asperante vocales*, eumque idem in interpretatione epigrammatis repetiit; oro te, quid sibi voluit? Agiturne tantum hoc epigtammate de vocalibus, quibus cunctis aspiratio extrinsecus adscribitur; ac non de consonantibus quoque quatuor, quibus solis, ut a Prisciano observatum, intrinsecus subjungitur? aut idipsum ad consonantes etiam pertinere nonne prima vox epigrammatis, *chommoda*, satis declarat & testatur? Deinde quamvis densus Græcorum spiritus, cui nostra Latinorum aspiratio respondet, asper a nonnullis appellatus sit; quis e grammaticis antiquioribus Latinis asperationem, aut asperare vel consonantes vel vocales dixit; pro aspiratione quam usurpant omnes; pro eo, quod Tullius, aspiratione in vocali uti; Quintilianus, consonantibus aspirare aut vocalibus; Priscianus, aspirationem ante vocales, post consonantes ponere? Age, quid necesse fuit isto loco blæsum suspicari, qui linguæ vitio chommoda, hinsidias, fluctus Hionios potius dixerit, quam alium quemvis, qui studio deditaque opera, & majorum disciplina & exemplo ita locutus sit? Quid si neque illud oris blæsi habendum vitium, neque impedimento linguæ sit ullo, ut literis aspiretur? Quod lusum esse illum in re tenui, & tenuem ex eo gloriam nasci, ad extremum elector significat; ne intelligit quidem quid in sua ipse dissertatione præceperit. Non enim hic ludum ullum proprie suum Catullus ludit, sed alterius ludit ludum, & ridicule factum cavillatur, atque exagitat. Quo modo si quis hanc Martialis annominationem, *prædium prandium*, irrideat: non luserit ille quidem in verbo, sed Martialis verborum lusum reprehenderit: quod fieri potuit tam graviter, quam jocose scripsit Martialis, & quam ridicule Arrius locutus fuit.

Sed neque unum modo epigramma improbant, quos elector obtrectantes Catullo introducit: verum omnia semel Catulliana minuunt & elevant atque in contemptum adducunt. quibus ipse subscribit demum ac suffragatur elector. Sic enim isti loquuntur: usque adeo rebus ac sententiis inopem esse Catullum, tamque inanes sonos fundere, nulla substrata neque vi neque scientia; hoc ut vitium virtutes, quas alii agnoscunt in eo & mirantur, obscuret & obruat universas. quod tenerum, & molle, & delicatum hujus poetæ est, id expressum imitando a nonnullis; qui modo in lingua Latina satis essent exercitati: vix repertos ullos adhuc, qui robur Martialis pariter & acumen assequerentur. Cœlites! quod os hominum! quæ confidentia! Putes verum loqui, quia valde ac sine ulla dubitatione affirment. Contra quos tamen quam multa occurrunt! Primum omnis in omni memoria consentiens opinio, & auctoritas eruditorum: ex quo docti nomen, vel proprio vocabulo, vel adjecto ad nomen, Catullus accepit. Deinde venustas & suavitas cum elegantia loquendi conjuncta: qua triplici laude par illi nemo poetarum, qui quidem pervenerint ad nos usque. Tum autem candor ingenuus quidam, & simplicitas, & imitatio naturæ, tam sine vilitate & sordibus, quam sine pigmentis & fuco, aut artis ullius cincinnis. Quo factum, ut plures, tum nostra, tum patrum memoria; id quod ex epigrammatum collectionibus disci potuit; sibi ad imitandum proposuerint Martialem, quam Catullum: non quod illum majoris facerent, sed quod ad hunc facillime & proxime accedere se posse magis diffiderent, cui vel ætas & temporis ratio felicioris nimium quantum faveret.

Extremum hoc est electoris in Catullum velut promeritum, quod ei Martialem in delectu habendo præposuit, & ab isto initium libri fecit. In quo profecto neque commune omnium judicium secutus est, neque ipse suum. Ut enim sit Catullus inferior aliquot rebus, quam Martialis; tamen quia superior tempore, nemo non videt, hic, ut alibi, ducendam temporis rationem fuisse. Jam quod primo sterni oportuit juventuti quasi solum Latini sermonis & fundamentum; sit autem sine controversia auctor Catullus melior Latinitatis, quam quivis alius scriptor epigrammatum: huic ullum præferri, meditato & exquisito delectu, vix rectum erat. Sed neque ipse attendit elector, quid judicarit, quidve fecerit; neque hic sibi, ut antea sæpe ac diversis locis, constitit. In colligendis poetarum Latinorum sententiis cum Lucretium prætetiisset, neque recensuisset loco, omittere tamen nollet prorsus; utendum excusatione censuit, quod Virgilium atque Horatium priores appellasset. At multo sane Catullus magis præcurrit ætate Martialem, quam hos poetas duos Lucretius: neque hunc elector violare ordinem religioni duxit.

Non minus præposterum habemus electorem in disponendis collocandisque Martialis epigramma-

matis, quam experti sumus in Catullo, quem licet tempore priorem, Martiale posteriorem situ & positione fecit. Et satis quidem se cavisse sibi Martialis putabat, ne sua epigrammata moverentur loco, neve in alium, atque ipse primo instituerat, transferrentur ordinem. Nam & numerum notavit librorum, versibus aut epistolis: ut cuivis illo auctore constet esse duodecim epigrammatum libros, decimum tertium, quem apophoreta, decimum quartum, quem xenia inscripserit: & designavit quotus ordine quisque sit, secundus, tertius, atque ita deinceps: & nnoquoque libro initium & finis certis quibusdam indicatur versibus: nec, ut quæque res vel gesta, vel scripta, quo tempore, quove sub imperatore, non innuitur. Sed o spes inanes Martialis, irritamque cautionem scriptoris diligentissimi, contra audacem imperitiam! Elector, MONTAUSERI, cujus erat, simul ac optima quæque secrevisset ab aliis, eadem unum in locum conducere, quam minima facta mutatione, ne qua in contractione & brevitate obscuritas existeret; pervertit & confudit omnia. Et libellum quidem de spectaculis, qui vestibuli & aditus instar erat ad Martialem, rejectum ab eo videmus fuisse ad calcem, & libris quatuordecim postpositum: quod quanquam multis de causis fieri posse censuit, solertissimus Martialis editor, Petrus Scriverius: facere tamen præter solitum ei, ut loquitur, religioni fuit: ne, quod vetamur veteri proverbio Græcorum, movere immota velle videretur, neve, quod ad mentem ipsius magis accedit, quasi capite Martialem mulctaret. Sed hujus religioni servire elector, credo, noster superstitionem putavit: præclarum quiddam, etiam hoc loco, indulgere novitati. Epigrammata vero cujusque libri singula, quam non certo judicio redegit in ordinem, inter seque disposuit! Quomodo rationem reddere non potest, neque quare libros quinque effecerit, neque cur alia in primum, alia in quintum librum conjecerit, neque ob quam rem hæc illis uno eodemque libro, vel postposuerit, vel anteposuerit! Ut non videt, nec sentit, absurde satis legi libro secundo suo, quæ sunt, ac dicuntur versibus a Martiale esse quinti? *Quintus nostrorum liber est, Auguste, jocorum.* Quanto satius atque ad vitandam confusionem ridiculam opportunius, decerpsisse ex libris quatuordecim Martialis quæ visa sunt, decerpta quonam ex ejus libro decerpta sint, notare, non alium instituisse ordinem, non rationem inivisse aliam numerandi, nec miscere jam distincta, nec facere denique quasi sortito pleraque, ubi te profiteare habuisse delectum? Cetera, quæ pessime de Martiale meritus est elector, etsi perquam leviter, perstrinxi atque attigi supra, ut sese dedit occasio. Sed hæc non minima injuria, quod notas Farnabii Martiali subjunxit neque recognitas, ut par erat, neque mendis expurgatas suis, & multis, & magnis. Quod ni ita esset, nisi ita versatus negligenter in eo foret, ut ne inspexisse quidem aliqua, sed omnia susque deque habuisse videatur: qui fieri potuit, ut tulerit obscena, a Farnabio de Volusianis annalibus nude & aperte prolata; cum alio ipse loco has easdem fœditates damnarit? tulerit barbariem Farnabianam & sermonis quisquilias, ut *in abstracto & eminenter?* tulerit meras hallucinationes, ut, *quo jure qua injuria*, pro, qua jure qua injuria: qui ex inemendato Terentio error sane subturpis profluxit.

SEQUUNTUR ex aliis antiquioribus poetis electa quædam ac primum e Cicerone in joculari libello:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda.
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.

Jocus ad minuendam rem per hyperbolen natus quodammodo & factus: non in fundum Varronis, ut elector inscripsit, sed in ejus etymon seu notationem nominis, qui ea de causa fundum ita appellatum velit, quod quis tantundem terræ mittere semel funda possit. Quo uno in loco quoties, Deus bone & quæ elector peccavit! Antiquitatem allatrat totam, Quintilianumque nominatim, quibus hoc quodcunque epigrammatis non displicuit: & quidem antiquitatem non complurium annorum, sed ætatum: hoc est eos omnes, qui sæculis abhinc quindecim & amplius ad nos usque vixerint: quorum approbationem tam longam, tam multam ferre non potest, homo scilicet limati & politi judicii. Sero, mihi crede, emendatur antiquitas, tam diu erudita, tot per ætates spectata & probata, ab unius sæculi & memoriæ recentioris hominibus. Quanto minus ab uno aliquo, cujus nomen nescimus, inscientiam, ut levissime dicam, videmus, reprehendenda tanto post? Qui si hyperbolas, sive significationes rerum, quæ per exuperationem sermonis fiunt, improbat, dum serio quis loquitur, & fidem vult apud eos, qui audiunt, obtinere; tametsi ne tum quidem sunt improbandæ: etiamne respuet & aspernabitur, cum ad risum fuerint non ineptum comparatæ de industria? Verumtamen fac esse; nihil sit huic, neque alteri hyperbolæ, loci in oratione soluta, in adstricta, in epigrammatis: hiccine vituperandus Cicero, qui hyperbolen irridet; reprehendendum epigramma, quo hyperbole irridetur: ac non potius expendenda Varronis etymologia, quæ materiem epigrammati præbet? Nam quod sequitur;

Extractam puteo situlam cum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ille locum:

illud existimaverim non conjunctum cum superiore disticho distichum: sed adjunctum ab interprete exempli causa. quippe qui ostensum voluit tale quiddam esse posterius carmen, ac prius: alteram alteri non absimilem hyperbolen putandam. Perinde quasi dicat interpres: Ex Varrone, satis est ad rationem & appellationem fundi, si ager terræ tantum capiat, quantum funda mitti potuerit. quemadmodum ex alio scriptore hortus & erit, & appellabitur, qui situlam capiat solum; hortulanus ibi nihil habeat ulterius, ubi pedem ponat.

DE Virgilio elector ne nihil diceret, attulit, inquit, duos versus. Gratum fecit Virgilio nimirum, & hoc ei princeps poetarum debet. Quid ergo? omissurus erat distichum tam præclarum, quam vulgatum & notum omnibus; nisi facere de Virgilio mentionem statuisset? & tanti per se aureum distichum non videbatur? & dandum fuit

poetæ non merenti, ejus ut versus bini, honoris causa, includerentur in delectum cœlestem ac divinum? Nam hoc isto delectu nihil, opinor, dignum in Claudiano, extra unicum epigramma? Ex Ausonio plura debuerunt excerpi historica ad memoriam rerum, quam acuta ad rationes certas & præcepta epigrammatum? Cur autem Sixti tertii, Romani pontificis, Paulini, Ennodii habetur ibidem aliquid potius, quam Alcimi Aviti, Sidonii Apollinaris, aliorum, quibus par in scriptis eruditio; Latini vero sermonis impuritas, aut duritia & scabrities carminis pro tempore non major? Ac si elegiam Boetius suppeditavit minime prætermittendam, quia nonnihil præ se ferret acuminis in clausula; erant Ovidii premendæ complures, quibus nihil extet in ipsis epigrammatis acutius? Et, si quædam ex eodem Boetio sententiosa & moralia proferri oportuit; conveniebat negligi choros, ut appellant, Senecæ, qui quidem ejusdem generis essent velut sensiculis plenissimi?

Sed nihil quidquam, mea sententia, toto illo delectu factum tam pueriliter, quam quod in anthologia Græcorum poetarum factum esse constat. Puerum, optime Montauseri, electorem semper putavi, qui, brevi studiorum quasi curriculo vix ac ne vix quidem confecto, ingenii & doctrinæ edere specimen concupisset libellis divulgandis. Hujus rei statim habui indicia duo, simul ac duobus locis codicem attigi: levia illa quidem per se, sed apud me gravissima, nec nullius momenti apud criticos sagaces, aut conjectores etiam non fatuos. Primum in dissertatione occurrit his verbis: *Epigramma, ut notat Scaliger, idem quod inscriptio.* Quid ergo, inquam? Absque Scaligero esset, nesciremus ipsi, posteritas nesciret, epigramma idem esse atque inscriptionem? Puer es, elector. nihil opus ad eam rem auctoritate fuit Scaligeri: tua satis erat: satis erat nullius. Alterum ætatis indicium, vox quoque est, quæ prodidit puerum: *De his omnibus vide dictionarium poeticum.* Rejicimur videlicet nos rudes & indocti ad dictionarium poeticum: hoc est, ad aliquid multo minus, quam si ad Ambrosium Calepinum rejiceremur, aut ad Joannem Despauterium. Sed ignosco tamen. Puer libros nobis obtrudit & inculcat suos. vir invitet ac mittat ad suos, & suggerat grammaticos, enarratores, fabulatores, Græcos, Latinos, sed veteres cunctos: in his Eustathium, Theonem, Festum, Hyginum. Hæc, ut dico, duplex nota, unde puerilitas mihi electoris cœpta deprehendi. Eadem argumento convincitur & manifesta fit certissimo, ex delectu quem habuit epigrammatum Græcorum. Quam parum enim vidit, cum epigrammata certa quædam ex tota, quæ dicitur, anthologia excerperet; aut quid inconsideratius unquam & magis temere facere potuit? Primum in tanta multitudine non solum epigrammatum, sed auctorem etiam, quos opponere Græcia Latinis potest; satisne consonum fuit, tam pauca epigrammata ex illo omni eruditionis & elegantiarum quasi penu depromi, quinque sexve numero duntaxat? Eane vero tantum aut in præclaris, aut præclarissima omnium habenda; quod alia complura excludantur, his admissis? Non agitur hic quidem utrum scriptores anteferendi sint Latinis Græci: & paucorum esse puto ea de re statuere ac docere; paucorum doceri atque intelligere. Etenim si Plutarchus, homo Græcus, Romanus magistratus, utramque linguam qui calleret, negavit se satis Latine scire, ut dictionem Ciceronis conferret cum Demosthenis dictione: quanto verius dicere possumus, Græce non didicisse plerosque, quod satis sit ut Græca cum Latinis comparent? Illud modo non prætermittendum videtur, quod observavi: unde appareat, quid Latini de Græca poesi senserint; eo præsertim tempore, quo maxime Latina florere poesis cœpisset. Laudavit poeticum nescio quid M. Ciceronis Julius Cæsar. Quomodo? Nihil se, ne apud Græcos quidem, legisse melius. Quid id est, nisi istud, Græcis, quorum optima ferme sint omnia, & meliora quam Latinorum, nihil hic tamen concedere Romanum hominem. quæ laus est unius non levis, conjuncta cum insigni laude Græcorum omnium. Egregiam vero opinionem habituri de Græcis epigrammatis, qui Græce nesciunt, ex iis mediocribus tam paucis, ac ne mediocribus quidem, ut vult non esse faterturque elector. Quid est autem causæ, quamobrem Græca qui attulerit in eligendis sententiis Græcis, in epigrammatis Græcis quoque eligendis Græca non afferat? aut quis recte æstimet Græca ex Latinis; cum qui reddunt ea Latine, sæpe detrahant vel de sensu vel de elegantia; & fraudi quoque sit atque incommodo, si quando elegantius aliena lingua reddantur, quam conscripta fuerint sua? Commode saltem versum esset, quod versum est: nec dure expressum foret, & sine falsitate syllabarum, sine barbarismis expressum. At hic te, ornatissime Montauseri, consulo; sententiam ea de re tuam & judicium singulare exquiro: an non hæc eadem, nondum edita in lucem, quæ Hugo Grotius, vir illustris, ante aliquot annos vertit, longe digniora luce, multisque sint partibus meliora.

Ex libro anthologiæ primo, epigram. Γυμνὸν ἰδοῦσα.

Femina cum natum Spartana videret inermem,
Ex duro celerem Marte referre pedem:
Irruit, atque jecur transfegit vindice ferro,
Insultansque mares edidit ore sonos.
Non recipit tales Spartæ domus. I, pete Manes,
I cito, majorum proditor & patriæ.

Ex eodem libro, epigram. Ποίην τις βιότοιο.

Quod vitæ sectemur iter? Fora plena molestis
Litibus: insedit morbida cura domos.
Rure labor multus, multusque in fluctibus horror.
Qui peregre vivunt, his & habere, metus;
Et, nec habere, dolor. tum ducta conjuge semper.
Anxius, in vita cœlibe solus eris.
Qui pater est, satagit: vivit non suaviter orbus:
Ætas est juvenum stulta, vieta senum.
Nil igitur satius, quam nunquam cernere lucem,
Vel modo conspecta luce repente mori.

Epigr. Εὔχολος ἑρμείας

Mercurius facilis Deus est pastoribus: illi
Lac satis, & quercu mella reperta cava.
Carior Alcides, aries cui, pinguis & agnus
Victima, placari nec fine ture cupit.

At

At fugat iste lupos. Quid refert, si minor est grex,
An pecudes custos, an lupus abripiat?

Ex libro secundo, epigr. Πλῦτον μὲν πλουτοῦντος.

Divitiis locuples, animo sed paupere vivis.
Heredi dives, pauper at ipse tibi.

Ex tertio libro, epigr. Ὁ τύμβος οὗτος. De Niobe.

Vides sepulcrum, quod caret cadavere:
Simul cadaver insepultum conspicis.
Sed quod sepulcrum est, quod cadaver, est idem.

Ex libro quarto, epigr. Τόλμαν Ἀλεξάνδρου.

Æquat Alexandri vultumque animumque ferocem
Lysippus: tantum posse quis æra putet?
Æreus iste, Jovem spectans, clamare videtur:
Subde mihi terras, tu pater astra tene.

Sed næ ego imprudens, MONTAUSERI, qui paullo ante ab electore exegerim, Græca ut Latinis adjungeret, conquestusque sim quod non adjunxisset.. Certum enim mihi est; & quovis pignore contenderim; & sum cuilibet, id si tanti est, paratus ostendere curioso; ne Græca quidem ab eo inspecta, cum Latina afferret: nihil haustum e fontibus, nec primum e capite deducta suo & origine epigrammata, sed arrepta alicunde ex Latine versis, iisdemque truncis atque mutilis.. Quod nisi ita sit, cur primos versus duos superioris tertii epigrammatis, qui ubique in Græcis extant, elector non habet: cum ex Latinis tollendi causa nulla fuerit; immo vis eos & perfecta ratio sententiæ requirat? Nec tamen qui Hugonem Grotium laudo quammaxime, ut debui, hic omni ex parte excusandum puto: quando is eodem epigrammate, ἐκ θυὸς, pro, ἐκ θυός legerit, ac de ture, quod de una e grege victima accipiendum fuit, acceperit. Verum quantulum id est nubeculæ aut caliginis ad lumen tantum ac splendorem?

CAPUT XXII.

De aliis quibusdam nuper epigrammatum electoris.

PARUM equidem intelligo, qua ratione de emendatissimis & cultissimis poetis, cujusmodi esse debent epigrammatum scriptores, elector judicare possit, ipse mendosissimus; quoque modo, qui soluti sermonis leges & præcepta ignoret, de adstricti virtutibus ac vitiis, deque venere & deliciis pronunciare ausit. Methodicen, quæ prior pars est artis literarum, didicerit antea oportet, qui criticen, quæ pars est posterior atque ex priore tota pendet, exerceat: & loqui saltem noi it non inquinate, ut homo liberaliter & ingenue institutus; qui poetice, hoc est, prope cœlesti ac divino sermone loqui, docere alios & assuefacere voluerit. Non longum faciam, præstantissime MONTAUSERI: nec dissimulabo rem diutius. Quid enim dissimulem, quod in promptu est omnibus vel mediocriter eruditis, & quod excusatione tegi nulla potest? Acyrologia, barbarismus, solœcismus, & si qua nomine alio fœditas sermonis, si quod contra grammaticæ regulas admissum; lucubrationem electoris inficiunt atque contaminant totam.

SCRIPTORES video nonnullos opera dedita fecisse, ut ἀνακόλουθα, quæ dicuntur, sive σόλοικα, aut σολοικοφανῆ admiscerent orationi identidem; dum sensum magis rerum, quam vocum convenientiam, aut conformationem sermonis, attenderent. Id a Terentio usurpatum observavit olim Donatus, a Cicerone Asconius, a Virgilio Servius. quod, horum admonitu, recentiores critici, variis undecunque congerendis exemplis, multo firmius atque auctius fecerunt: & eo nos aliquid de nostro conferre valuimus. Hoc de coma Berenices Catullianum, quid & quale est, aut cui usquam criticorum notatum?

Idem me ille Conon cælesti lumine vidit,
E Bereniceo vertice cæsariem,
Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,
Lævia protendens brachia, pollicita est.

Quæ tandem illa, quæ pollicita est? Berenice At ubi appellata prius, & qua voce nisi ista, Bereniceo? Id igitur, quod erat sententiæ, poeta respexit; non convenientiam generis, neque utrum substaret, an adjiceretur nomen. In locum prorsus eundem apud Ciceronem incidi, lib. xiv. epist. 5. *De hereditate Prætiana, quæ quidem mihi magno dolori est. valde enim illum amavi.* Quem Cicero amavit? Prætium. quo facta loco de homine mentio? nusquam. unde id, quod deest, suggerendum ac supplendum nomen; ex vocabulo ad hereditatem adjecto, Prætiana. Par quoque ac simile omnino illud Ovidii in prima libri de Ponto primi elegia.

Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse,
Non caret e nostris ullus honore liber.

Id est, nullum ego librum scripsi, in quo non aliquid honorifice dictum a me de Cæsare: tametsi ipse minime Cæsar desideret. Quare nuda voce hac & relativa, ipse, non jam intelligitur Cæsareus honor, quod expressum est; sed Cæsar intelligitur, quod non est, nomine quidem substantivo, expressum.

ALIIS hæc ipsa, quæ non cohæreant in verbis, aut insolita sint, nec vera, nec legitima, excidisse animadverti, incautis & aliud cogitantibus idque inprimis & patrum ætate, & nostra; quantumvis licet excelluerint & excellant, sive doctrina literarum, sive usu & cultura. Josephus quidem Scaliger, Villiomari nomine, in Robertum Titium, *Apage*, inquit, *apage viros nuptos. Hic in Gallia viri non nubunt, sed feminæ.* Atqui si audimus amicissimum Scaligeri Thuanum, Julius Scaliger Josephi pater, nupsit uxori suæ, matri deinde Josephi. Sic enim Thuani annales loquuntur. *Ex Andieta Lobeiaca, cui annos xv. natæ, jam provecta ætate nupsit, plures liberos sustulit, ex quibus ultimus Josephus Justus Scaliger.* Idem hoc persæpe Scaliger filius faciebat, ut barbarismos, solœcismos, & alia ejusmodi orationis vitia objiceret adversariis: qui nec ipse videtur tamen expers & immunis horum semper fuisse. Ut primum sumpsi in

ma-

manus elenchum Triharesii Serariani, evolventi occurrit caput XXIII. quo loco statim deprehenditur in culpa ipse, cujus alios millies condemnat. *Wolfius*, inquit, *tam bene de literis meritus est, ut, si nullo alio nomine, eo tamen quod ejus beneficio tot scriptores Græcos habemus, dignus erat, cujus ratio quædam haberetur.* Peccavit idem omnino, qui scriptor esse perhibetur Virgilii vitæ, Ælius Donatus. *Gloriæ vero adeo contemptor fuit, ut, cum quidam versus quosdam sibi adscriberent, eademque re docti haberentur, non modo ægre non ferebat, immo voluptuosum id sibi erat.* Indicatum quoque a Josepho Scaligero est, ac sæpe jactatum inter amicos, Gallicismum inesse in versibus Theodori Bezæ perquam frequentem. Vidi ipse primam editionem eorum versuum, in qua multa is contra rationem & modum syllabarum, multa contra leges sermonis alias fecerit. Sed abundant Gallicismis Isaaci Casauboni ad intimos & familiares epistolæ. Is quam sæpe! *Binas tuarum simul accepi; ternis tuarum responsum debeo.* Nec minus in reliquis artis suæ præscriptis grammaticus iste mendosus. *Iveram hesterna die apud principem Hessum.* Et: *Me tua epistola in suspicionem adducit voluntatem mei revocandi mutatam iri in nonnullorum animis.* Præfervido autem & præcipiti Salmasio solœcismorum affatim provenisse minus miror. quam illi copiam & segetem vitiorum, probri loco Joannes Miltonus objicit, in libro, contra Carolum eo nomine regem Britanniæ primum, scripro. Sed illud mirum pariter & festivum, quod is quo loco & quibus plane verbis attribuit Salmasio solœcismos, iisdem ipse solœcismum, aut solœcismo flagitium non minus admittat: cum quidem dicat, *vapulandum se præbuit.* Photii epistolas, ut scis, MONTAUSERI, Richardus Montacutius, homo quoque Britannus, Latine reddidit, non satis pure, quantum ego perspicio, sed nec sine solœcismis. In epistola 156. Photius: ὡς ἐχρῆν ἀναλαμβάνοντα, μὴ βαρβαροφωνίας τὸν τῆς ἀληθείας κήρυκα αἰτιᾶσθαι. Richardus: *Hos in memoriam reducens, non oportuit te veritatis præconem de voce barbara insimulare.* Quid hoc monstri est; te reducens in memoriam non oportuit: pro, talium virorum versus memoria repetentem non oportuit te, & quæ sequuntur. Et Richardus tamen pagina eadem pronunciare audet de Photio, & turgentem atque inflatum in epistolis, & Asiaticum dicere. Quod mihi profecto videtur secus: in eo præsertim, cujus habemus tam prudens de multiplici ratione scribendi optimorum auctorum, tamque sincerum ac subtile judicium.

SED exspatiatus aliquantum, ut vides, MONTAUSERI, venio ad rem propius. Qui veteres consulto rationem habuerint sententiæ magis, quam grammaticæ, ut varietas quædam accederet, satietas vitaretur; laude illi quidem, meo judicio, digni. Recentiores, quibus ea per imprudentiam interdum contigerunt, ut humanum hic quoque est errare ac labi, venia digni & impunitate. Electori autem nostro quis ignoscat, aut hunc excusare quoquo modo possit, qui deliquerit tam multa tamque turpiter? ut mihi sæpenumero remittendus videatur ad Priscianum aut ad Donatum, cujus e ludo atque disciplina exierit ante tempus, & quo magistro parum adhuc profecerit. Afferam vero paucula quædam de multis, atque ex præfatione duntaxat: sed ea tamen, ex quibus appareat minime notam esse homini primam virtutem grammaticæ, quæ eadem est morum prima virtus, vitium fugere; pudeat eos porro opinionis & sententiæ suæ, quib s hic visus sit in eo genere scriptor tolerabilis. nam si qui mirificum existimarint, quod non puto; stupidos utique & plumbeos esse oportet, adeoque contemnendos omnino, qui neque erubescere, neque dedoceri queant.

Epigrammatum delectus ex omnibus poetis decerptus. Etiamne frons libri, stigmate notata, jamque tunc infamis, & prima statim inscriptio vitiosa, delectus decerptus? non enim delectus decerpitur: sed eliguntur epigrammata & decerpuntur: & habetur delectus epigrammatum ex poetis. Succurrit, MONTAUSERI, hoc illius oratoris, qui in magna corona magnoque consessu lectissimorum hominum, initium dicendi fecerit a solœcismo.

Cum neutra mihi placeret via, necessario arripienda fuit quædam inter utrasque interjecta, illius licentiam fugiens, hujus severitatem declinans, vel potius indulgentia ntem. Dicam, quod res est, MONTAUSERI: torsi me valde, si qua liceret hic electorem absolvere solœcismi. Sed neque potui ipse ullo colore imponere mihi: neque amicis, quos consului, eripi potuit, quin id genus immanis vitii foret: mihi indulgentia utens. Esto enim: tertia quædam via licentiam fugiat, declinet severitatem: via certe indulgentia non utitur, sed ipse scriptor. qui tamen, quo referatur & quicum jungatur, non habet, nisi casum primum accommodaris tertio; ut, mihi utens, dicatur.

Cujusdam Lancini Curtii librum plusquam licet duobus epigrammatum millibus constans. Heus tu, puer: librum constans, estne oratio congrua? Mihi quidem, inquies. Præclare. convenit electori, librum constans, dicere: librum constantem quivis alius dixerit. Quam ἐόλοικον autem primam artis suæ regulam de mobili cum fixo, aut oblitum esse, aut non didicisse!

Ad hos ab illis abstrahendos alienus videbatur. Barbarismus, aut barbarismi simile aliquid cum obscuritate: alienum ad abstrahendos.

Ne quis illorum inter tot pestes se demitteret: nec jam ullus bonis adolescentibus color esset. Emenda: neve ullus jam. Sed vereor, ut hic erratum agnoscat suum. est enim id subtilius, quam ut is cernat, qui crassissima non vidit.

In Catullo & Martiale excerpendis. Purus putus Gallicismus. Neque hic dictum commune omnium, Catullum aut Martialem legimus, id est, Catulli libros aut Martialis: sed hoc peculiare & certo genere suo vitiosum, librum Catulli excerpsimus. neque suos Latini libros aut colligunt aut excerpunt: siquidem e libro excerpitur aliquid, & ex epigrammatis omnibus quædam excerpuntur. Quanquam ignosco, elector, tibi: certe accuso te minus. Tuum enim te *dictionarium*, quo nos aliquando remittis, fefellit: in quo videatur Quintilianus dixisse, quod non dixit, aut quod alio sensu dixit. Falsus es in Plinio juniore, quem sic locutum, atque ubi aliter intelligi rem non posse, male putasti.

Vere nobis videmur posse profiteri, acceptius longe

hoc

hoc opus eruditis lectoribus fore, si nossent qua diligentia versati simus in scriptoribus excerpendis. Potes hoc vere profiteri, summam a te adhibitam diligentiam: gratum id futurum legentibus, vere profiteri qui potes, salvo decoro? Sperare ac polliceri tibi, pro eorum facilitate & intelligentia, potes.

Ad multa utile putavimus, ne sine quibusdam notis hic delectus prodiret in vulgus. Plus etiam, quam barbarum: Ad multa est utile, ne hoc fiat: pro, fieri hoc, aut non fieri, ad multa est utile. Dic ita sane; Non prodire autem Martialem absque notis, conducere plurimum, aut interesse existimavimus.

Cum sæpe in epigrammatis aliquid obscuritatis insit, quæ totam illorum corrumperet gratiam, nisi lumen, quo illustraretur, præsto esset. Obscuritas, inquit, inest in epigrammatis, nisi lumen adsit. Verissime dictum: sicuti nox est, nisi sit dies: quis dubitat? Sed quis loquitur tam sincere, tamque bona fide?

Ut nos in totius epigrammatis memoriam redigant. Dic mihi verum, elector: Osce loqui voluisti, ut temporibus primis Latini sermonis; an Gothice, ut postremis: hominem redigere in rei memoriam. Licet per electorem nobis, ut cum redigamus in errorum suorum memoriam: per grammaticum non licet, nisi ut suos electori errores in memoriam redigamus.

Jamvero *accidentaria, accidentia rem concomitantia, æquivoca, homo credulus, rudis adhuc supponitur auditor, offensio naturalis quæ super quadam opinione fundetur*, sexcentas ejusmodi tum voces barbaras, tum locutiones vitiosas & corruptas, quisnam satis detestetur a sermone puro & emendato, ac longe removeat? In philosopho quidem, rebus occupato, negligentiore vocum, squallorem hunc orationis si afferat, non stomachet neque admodum succenseam. At eo vero, qui cogitate aliquid politeque scribere conetur, aut qui de scriptis alienis judicare velit; certe hunc pædorem, hanc illuviem, has fæces putem indignissimas. Neque oppono, quæ derivare errata elector possit in Farnabium aliosque interpretes, unde aliquid transtulerit. Quanquam ejus erat aut omittere spurcitias horum, ne quem inficerent; aut eluere & abstergere, siquidem interpolaret alia quædam ac reficeret; aut a suis distinguere aliena, ne sibi attribuerentur. Quid ego nexus, & vincula, & commissuras arguam dictionis, quorum ut est abstrusior quædam & reconditior loquendi ratio apud Latinos, ita major errandi occasio? Quid minuta quamplurima, inobservata vulgo, eruditis & politis hominibus non contemnenda tamen? Quid speciosa nonnulla, ut *epigramma vere aureolum*; quæ quid habeant vitii, ne intelligat quidem elector, etiam me indicante vitiose dici? Postremo infinita deflexa perperam, & ad Gallici formam detorta sermonis, condonata semel electori malim, quam diutius a me & laboriosius castigata.

Etenim invitus & repugnans feci, hunc ut laborem qualemcunque susciperem: primum in re, utili quidem studiosis adolescentibus, sed mihi non necessaria: deinde qui sim occupatior, quam ut ista leviora curare valde debeam: tum qui semper maluerim scribere, quam aut præcepta ulla scribendi tradere, aut quemquam, quod aberrarit a præceptis, coarguere. Sed faciendum tamen fuit vel tua, CAROLE SANCTAMAURE, Dux MONTAUSERI, causa. Nam, cum in tot rectissimis studiis, & omnibus bonarum rerum disciplinis, quibus te a pueritia dedidisti, ne hoc quidem genus literarum & politioris humanitatis fueris aspernatus; in eoque te sic exerceas aliquando ut excellas: non est mihi dubium, quin, hunc si audimus censorem & magistrum, quæ tua sunt hujus generis optima & pulcherrima, condemnemus. Neque vero mea res hic aliqua non agitur, qui alia spectaverim prorsus secutusque sim condendis versibus, atque monitor iste noster censuit. Quamobrem, dum, quæ præscripsit, improbo, vel omnia, vel pleraque; non tam arguo quemquam, quam me ipse meaque defendo: neque provoco adversarium prior, sed quasi lacessitus respondeo: neque omnino reprehendo, sed, ne reprehendar, laboro. Quinetiam inire me gratiam ab eo sum arbitratus, quicum mihi certamen institutum est, si sanæ mentis fuerit. Proficiet enim, opinor, aliquid ex iis, quæ attulimus: siquidem & ingenio valet, & sedulitate, neque deficit studium discendi, dummodo sit ætas ad disciplinam. Qui si mihi scriptor notus fuisset, satis habuissem admonere secreto hominem, ut emendaret opus, aut retexeret, aut suppressum, quoad ejus fieri potuerit, esse vellet; atque ita labori meo simul & ejus pudori pepercissem. Nunc & seipse cum celet, & eum librarius ignoret: latere sane per me poterit quandiu volet. velle autem debebit, quoad illa sua tam juventuti perniciosa scripta, tamque indigna fortasse aliis ipsius studiis, aut parta, si quam habet, existimatione aliqua, non correxerit.

QUOD ad totum opus de epigrammate meum attinet, illustrissime MONTAUSERI, non mihi propositum fuit, nec eo direxi sermonem, ne quis forte sit nescius, ut elicerem judicium tuum meos cum probe nossem, quid sentires; aut ut præjudicii tibi aliquid afferrem; aut ut in meam te sententiam pertraherem, quem scirem, ut alibi semper, ita hic incorruptissimum fore. Sed neque ingratum, aut injucundum tibi putavi futurum, si intelligeres me tecum sentire: & mihi honorificum duxi, si omnes intelligerent te sentire mecum.

T FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS E SOCIET. JESU

DE VI ET USU

Quorumdam Verborum cum ſimplicium, tum conjunctorum.

LECTORI.

De vi & uſu verborum quorumdam Latinorum promiſcuæ ad ducentas obſervatiunculæ cum nobis occurriſſent inter manuſcriptos Franciſci Vavaſſoris codices: has ut pote jam pridem ſtudioſis adoleſcentibus promiſſas, & magno omnium ſtudio expetitas dare quamprimum in lucem voluimus. Ecce illas tibi, ut jacebant in adverſariis, nullo, niſi quo obſervator poſuit, ordine. Inſcriptiones capitum comminiſci, rem partiri in tmemata; ſupplere, ſi quid mancum videbatur, ipſi noluimus. Sic nimirum opuſculum hoc poſthumum prodire nullo aſcititio cultu, & auctoris ſui funus proſequi inornatum & quaſi horridulum decuit. Tantum eſt. Tu fruere, quiſquis Latinæ locutionis delicias amas, editoris diligentia: & ſi quid præ feſtinatione peccavit, ne nobis aſcribe. Editionem enim promovimus quidem, ſed per nos ipſi non curavimus.

JOANNES LUCAS S. J.

Diuturna obſervatio notandis rebus fecit artem.

Cicero 2. de Divinat. 146.

DE VI ET USU

Quorumdam Verborum cum simplicium, tum conjunctorum.


IVA vox. Videtur nondum Latine dictum Tulliano tempore: quamvis ipse Tullius Græce istud quasi quiddam communis proverbii dixerit, lib. II. ad Atticum, epist. XII. *Ubi sunt,* inquit, *qui aiunt* ζώσης φωνῆς? *quanto magis vidi ex tuis literis, quam ex illius sermone, quid ageretur?* Suppletur autem ita, quod mutilum more suo Cicero ex communi sermone laudavit: ζώσης φωνῆς μεῖζω ἐνέργειαν εἶναι. Postea Latini tres Scriptores *vivam vocem* usurparunt, sed ita, ut adderent vulgo dici: quod argumento est nove tum & communiter dici cœptum esse. Plinius Secundus lib. II. epist. III. *Multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit.* Fabius Quintilianus, lib. II. cap. II.

Viva illa, ut dicitur, vox alit plenius. Aulus Gellius lib. XIV. cap. II. *Ut rem judiciariam, quoniam vocis, ut dicitur, vivæ nimia penuria est, ex mutis, quod aiunt, magistris cognoscerem.*

Verum, veritas. Præter communem significatum hujus vocis, & alterum a communi paulo remotiorem, pro eo quod rectum & æquum est; ut apud Ciceronem pro Mur. n. LXVII. *Negat Cato verum esse, allici benevolentiam cibo* II. Att. I. *Quid verius quam in judicium venire, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit?* II. Famil. XVII. *Rationes mei quæstoris nec verum fuit me tibi mittere.* Apud Virgilium lib. XII. Æn.

me verius unum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.

Apud Horatium lib. I. epist. VII. ad Mæcen.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.

Et lib. II. Satyræ III.

An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem & tanto certare minorem?

Tertia quædam vis est & potestas, quam, licet suam, & grammaticam, & valde peculiarem, non tamen ipsi grammatici, quod mirum est, seu veteres, sive novi, notarunt. *Verum* igitur & *veritas*, est, natura, necessitas, lex, norma, ratio in usurpandis emendate, & ex artis præscripto vocibus, ut jus, & rectum est, & oportet, & certæ, & communes regulæ jubent: quibus opponitur usus, & consuetudo, per quam peccare, hoc est, ab artis grammaticæ statis legibus & definitis discedere, aurium ac suavitatis causa liceat. Cicero in eo libro qui orator inscribitur. num. CLVI. *Quid verum sit, intelligo: sed alias ita loquor ut concessum est: alias, ut necesse est.* num. CLVII. *Nec vero reprehenderim, Scripsere alii rem. Et scripserunt, esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor . . In templis iisdem N. probavit Ennius. at, eisdem, erat verius, male sonabat iisdem . . Amovit, dicimus, & abegit, & abstulit ut jam nescias, abne verum sit, an abs . . . Noti erant, & navi, & nari, quibus cum, in, præponi oporteret, Dulcius visum est ignoti, ignavi, ignari dicere, quam ut veritas postulabat.* num. CLIX. *Confule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt . . . Aliquando, idque sero, convitio aurium, cum mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Cave autem locum hunc extremum sic interpretere: cum essem coactus verum fateri: sed ita potius accipe: a me consuetudo obtinuit ut se sequerer, vera & legitima ratione loquendi relicta: perinde quasi aures multitudinis hoc a me convitio efflagitarent, neque me ferre populus posset inusitate, id est, aliter, ac ipse loquitur, loquentem.

Saucius, vulneratus. Non idem proprie. Prius apud Græcos τραυματίας, posterius τετρωμένος. Cum *Saucium* dicimus, vulneratum quidem intelligimus, sed indefinite ac sine designatione vulnerum, quot, quæ, qualia, aut qua in parte acceperit. cum *vulneratum* loquimur, significamus percussum certa parte sui aut quoties, aut quo vulnere. Itaque proprie efferri saucios ex acie, non vulneratos, historici dicere solent, qui melius, quam ceteri, Latine loquuntur.

Ferre & pati, perferre, perpeti. Haud equidem scio quid differant: usurpari video quasi diversa, sive unum altero majorem vim habeat, sive æqualem & parem sed dissimilem. Certe efferuntur aliquando hæc verba duo non συνωνύμως. Cic. Tusc. quæst. lib. II. num. LVIII. *Honestatis si quasi lumen aliquod adspexerimus, nihil est quod, ut eo potiamur, non parati simus & ferre & perpeti.* In L. Pisonem: *Neque hæc mea natura fert, neque municipii dignitas patitur.* Ac satis quidem copula duplex, quæ magis affirmat, voces inter se duas distingui indicat. Multo etiam magis subindicatur discrimen illud ex hoc loco Ciceronis, Tusc. qu. V. n. LXXIX. *Omitto quæ perferant, quæque patiuntur ambitiosi, honoris causa.* Non quo modo alia juncta simpliciter quæ videntur eadem: *ut relinquere & deserere.* Cic. Tusc. lib. II. num. XXXIII. *Fortitudo te, nisi ita facies, custos dignitatis, relinquet & deseret.* Ut *agere & facere:* Philipp. III. XXXIII. *Nullum tempus dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin, quod agendum atque faciendum sit, id non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam.*

Videndum aliis in locis, numquidnam augeatur oratio, cum dicitur *ferre & perpeti.* Ut Phil. III. XXIX. *Multa quæ in libera civitate ferenda non essent, tulimus & perpessi sumus.* Aut cum, *perferre & pati* dicitur. Horatius lib. I. epist. ad Vallam.

Rure meo possum quidvis perferre patique.

Vel cum *perpeti ac perferre.* II. de Orat LXXVII. *Facile omnes perpetior ac perfero.* Non uno in loco disjuncte I. C. XIX. *Non feram, non patiar.* II.

Tusc. XVII. *Expectas fortasse dum dicat, Patietur, perferet, non succumbet.*

Amare, diligere. Quin sit plus aliquid, *amare*, quam *diligere*, neminem sinit dubitare Tullius. Nonius, *Amare & diligere, & contentus. Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.* XIII. Famil. XLVII. *Ut scires eum non a me diligi solum: verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo.*

Depravate, & corrupte. Duo hæc non omnino idem, aut pro eodem. Lib. I. de Fin. num. LXXI. *De quibus neque depravate judicant neque corrupte.*

Adducere aliquem illuc, ut quid existimet, loquatur, agat, est inducere eique persuadere. Et simpliciter adduci, est aliquando adduci, ut quis credat. lib. XI. ad Att. epist. XVI. *Ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo.* II. de Leg. VI. *Ut jam videar adduci, hanc quoque, quæ te procreavit, esse patriam tuam.*

Supplicare. Hujus elegans & præclara vis verbi in negando, cum dicimus quem ei non supplicare, quo facile careat, & quo præditus sit. *Tu vero, inquam, Piso, ut sæpe alias, sic hodie ita ista nosse visus es, ut, si tui copia nobis semper fieret, non multum Græcis supplicandum putarem.* De Fin. lib. V. n. LXXV.

Nec pluvio supplicat herba Jovi.

Ager Niliacus nihil indigens pluviæ, quem satis Nilus redundando irriget.

Careo. Cic. I. Tusc. num. LXXXVII. *Triste est nomen ipsum carendi, quia subjicitur hæc vis: habuit, non habet: desiderat, requirit, indiget.* Et n. LXXXVIII. *Carere igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis: inest enim velle in carendo, nisi cum sic tanquam in febri dicitur alia quadam notione verbi.*

Scripserunt, scripsere. Prius esse verius Cicero censet, hoc est, magis ex communi præscripto regularum. Posterius usitatum aliquando, non tamen usitatius. Et vero modi hujus rara apud Tullium usurpatio, quæ nunc frequens & familiaris. Cic. Tusc. qu. lib. V. n. CVII. *In perpetua peregrinatione ætates suas consumpserunt innumerabiles alii, qui semel egressi nunquam domum revertere.* Lib. V. in Verrem. *Bona sibi erepta esse dixere.* I. de Leg. VI. *Ecce autem successere huic Clodius, Asellio.* Lib. IV. ad Heren. *Spartiatas superavere Thebani.* Contra, qui modus est verus ac rectus: *fatearis, doceaxis*, vix usurpatus a Tullio, sed potius: *fateare, doceare.* Lib. IX. epist. XIV. *Me ex aliqua parte in societatem tuarum laudum venire patiare.* Et paulo infra: *Te imitere oportet.* Et in optandi modo, *sequerere* potius, quam *sequereris.* III. de Fin. XII. *Eadem dicere posses, si sequerere Pyrrhonem.* Item III. de Fin. XIV. *Id si solum est bonum, quid habebis praeterea quod sequare?*

Tertium Jovem Cretensem, Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur. III. de Nat. Deor. num. LIII. Nomen, Insula, respondet nomini, Cretæ, quod subauditur, non Cretensi, quod exprimitur.

Eodem libro num. LXIII. *Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam Zeno. Commentitiarum Fabularum reddere rationem: vocabulorum, cur quæque ita appellata sint, causas explicare.* Structura hæc non obvia cuivis, *suscepit molestiam explicare, reddere rationem.*

Habere fidem, de eo, qui credit, usitatissimum, neque exempli indigens. Sed *habere fidem*, de eo cui creditur, non ita tritum & cognitum. Hoc autem sensu *habere fidem*, est invenire, & obtinere fidem. Ut Acad. quæst. lib. IV. num. LVIII. *Visa fidem nullam habebunt, sublata veri & falsi nota.* VI. ad VI. epist. lib. Fam. *Debet habere fidem nostra prædictio.* Digna, cui fides habeatur. Itaque non tam vitiosum, quam plerique existimant, illud Josephi Scaligeri, *Miranda Batavia, peregrinis non habitura fidem*, ita si intelligatur: apud peregrinos non habitura fidem. Aliter, si dandi velimus esse casum, quem vox, habitura regat: non is effugerit crimen orationis inemendatæ. Cum autem, quando hic aliquem habere fidem dicimus, sit ei fidem potius haberi, & vis patiendi quædam intelligatur, non debet adhiberi ullus casus, sed simpliciter dici, non habent hi vel hæc fidem, id est non eis creditur. Nam, *hi non creduntur*, de personis dictum, barbarum quoque est: cum, *hæc non creduntur*, de rebus dicatur recte.

Adhibere vero fidem alicui, pro *adjungere fidem*, aut *alicui credere*, ut passim loquuntur plerique omnes, aut nusquam apud Tullium aut perraro legas. Semel in lib. II. de divinatione, n. CXXII. *Insanorum visis fides non est adhibenda.* Ac ne id quidem in editionibus optimis nonnullis: Roberti siquidem Stephani editio anni 1538. Gruteriana Hamburgi, itemque Paulus Manutius in commentariis idem omnes repræsentant; *fides habenda est.*

Molestus. Molestum in verbis videtur esse durum & insolens, & studio accersitum. *Causa sive quæstio . . . aut inficialis aut conjecturalis prima appellatur: definitiva altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis.* Topicis. In Crasso num. XCII. *Latine loquendi accuratæ, & sine molestia diligens elegantia.* De Clar. Orat. CXLIII. *Volo enim laudari eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas non molesta.* De Clar. Orat. num. CXVI.

Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus,
Effugiant voces verba molesta tuæ.

Octavius Cæsar epist. ad Agrippinam neptem: *Sed opus est dare te operam, ne moleste scribas, aut loquaris.* Sueton. in Octavio LXXXVI.

Rem aliquam non habere pretium, est *esse vilem, nullius aut parvi pretii, ejus jacere pretium.* Quod autem nos Galli loquimur de re pretiosissima & carissima, & quæ pecunia æstimari non possit: *cette chose n'a point de prix: elle est sans prix.* Nunquam sic Latini locuti: *res ista pretium non habet, caret pretio, est sine pretio.* A quo tamen plerique parum cauti non abstinent, cum rem significari inæstimabilem volunt, nec gemmis, auro, purpura, ut ait Horatius, venalem.

Adolescentia, juventus. Cave confundas adolescentiam cum juventute, quam Cicero aliique Scriptores antiqui distinxerunt certo quodam modo. Adolescentia peculiare & suum aliquod & privatum tempus ætatis complectitur, ut & pueritia; juventus vero accipitur generatim sæpius, & pro

tri-

triplici ætate, ut secum ambas priores includat. Hæc exemplo patebunt magis. Dixit Cic. in lib. de Clar. Orat. num. CXXVI. *Legendus est hic orator, si quisquam alius, juventuti.* & num. XLVII. *Certe & boni aliquid attulimus juventuti, & nocuimus fortasse.* Tum, nescio quo loco: *Non patiar diutius ista deberi juventuti.* Hoc est, pueris, adolescentibus, junioribus. Jam si quis in locum, *juventuti*, adolescentiæ, aut pueritiæ vocem reponat, ut efferat sic, *legendus pueritiæ, adolescentiæ deberi*; barbare omnino & inusitate loquatur. In isto parum vidit Carolus Stephanus, qui ipso statim initio dictionarii, ut appellat, sui, brevi ad Carolum Lotharingium Cardinalem epistola, *Remensem adolescentiam* dixit: non aliter quam si, ubi Maro, *Trojana juventus*, aut Horatius, *Romana juventus*, dicat quis explicaodi causa, Trojana, Romana adolescentia, quo nihil potest esse insolentius. Hic erravit quoque Franciscus Sylvius, proœmio in artis oratoriæ exercitationes, a quo adolescentia, pro juventute, dicta est discendi cupida. Et, quod miror magis, idem non semel excidit Adriano Turnebo, cum in Pet. Ramum disputaret de fato, scriberetque in hunc modum. *Adolescentiæ nostræ, quam improbus magister in deteriorem partem plerumque inducis, ostendo, qui sis.* Et, *Calumnia tua formidanda quæ contra legem Lectoriam ad induendam adolescentiam tota comparata est.* Nam alios ejusdem memoriæ, qui toties hoc idem peccarint, ut Leodegarium a quercu, missos facio, quippe minus diligentes & emendatos, tametsi loqui conentur eleganter.

Lapis, saxum. Saxum quidem pro lapide ponitur, ut jacere saxa, peti saxis, ut Grammatici & vocabularii animadvertunt. Sed vicissim & peræque, quantum animadverto, lapis pro saxo non ponitur, *Ex spelunca saxum in crura Icadii prædonis incidit:* ut loquitur Tullius libro de Fato, non *lapis*, opinor, nec præruptum illud, quod cecidit, appellatur proprie lapis.

Significo, declaro. Nulla, si quid judico, certior via & ratio investigandi, quid quæque vox sonet, quantumque valeat, quam si altera cum altera comparetur. *Significo*, aliquid minus: aliquanto plus, *declaro*. Cic. V. Fam. XIII. *Hoc sæpius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror.*

Expono, explico. De genere priorum est illud, *expono, & explico*. Ac sæpe quidem pro eodem accipiuntur: sed alias diverse, ut exponi quid dicatur cum prostat palam, & in publicum proponitur ad aspiciendum, etiam involutum & integumentis obductum suis; dicatur autem explicari, cum rejectis involucris ostenditur, & evolutum quodammodo est. Merces in foro & taberna ad vendendum exponuntur quidem, sed complicatæ & obvolutæ: tum explicantur, ubi quis liceri parat & incipit. Expositi libri in officina libraria, dispositi ordine & a tergo inscripti: alias explicati etiam & aperti in propatulo magis habentur sub porticu e pergula subque dio. Cic. de Cl. Or. CLXIV. *Plura etiam dicta, quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest.* Id est, perstrictis leviter, nec satis copiose tractatis. III. de Off. *Quæ dijudicanda sunt. Non enim ut quæreremus, exposuimus, sed ut explicaremus.*

Varium, diversum. Hac super duplici voce notanda animadvertendaque duo. Primum: has voces duas conjuncte M. Tullius sæpissime usurpat, sive significatu pæne easdem, sive dissimiles. I. de Orat. CCLXII. *Cetera quæ collegisti ex variis & diversis studiis.* III. de Orat. LXI. *Varia & diversa & in omnem partem diffusa disputationes.* Pro lege Manil. *Varia & diversa genera bellorum.* Alterum, dissimili ratione tamen utrumque usurpari. Nam & hoc dictum a Tullio, hoc est, diversum a reliquis; & illud, *Epicurus qui a te totus diversus est*: in quibus nec, *varium*, nec, *unius* locum habeat.

Noto, animadverto. Dixi paulo ante de verbis inter se conjunctis, quorum unum majorem vim, quam alterum habeat, cum tamen idem significare videantur. Dicendum nunc mihi de verbis quoque conjunctis, quæ idem ferme valeant, ideoque frustra videantur una poni. Cic. de Clar. Or. CCCXVI. *Quid tanquam notandum & animadvertendum sit in Hortensio breviter licet dicere.* II. de Div. XCI. *Chaldæi animadvertunt & notant ea sidera.* Or. CLXXXIII. *Notatio naturæ & animadversio peperit artem.* I. de Or. CIX. *Hæc ab hominibus callidis, ac peritis animadversa ac notata sunt.* I. de Div. XII. *Observata sunt hæc tempore immenso, & significatione eventus animadversa & notata.* Neque obstant ea tamen, quominus aliquid interdum discriminis deprehendatur in istis. Primum quale est in *aspicere* & *cernere*. II. de Orat. XXXII. *Non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius, quam alii dicant, id possit notare.* Deinde ut sit, &, *infamare & puniri.* III. Off. CXI. *Notationes, animadversionesque censorum.*

Tribuo, do. Quid dissimile habeot duo hæc, *tribuo & do*, quod ita junguntur? I. de Or. *Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis consumendi otii causa disserant, cum concessero, illud tamen oratori tribuam & dabo, ut, &c.*

Do, largior. XIII. Fam. L. *Hoc mihi da, atque largire, ut M. Curium ab omni incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque serves.* Hæc autem & generis ejusdem eo sunt magis investiganda nobis & observanda, si modo scriptores antiquos imitari velimus, quod minus nota sint, neque tale quidquam ipsi nullo exemplo facere debeamus. Retrahenda huc, quæ supra attulimus, *relinquo*, & *desero*; *ago*, & *facio*: aut hæc eo revocanda. *Erudio, doceo.* I. de Off. CLVI. *Neque solum vivi atque præsentes studiosos dicendi erudiunt, atque docent.*

Retrusa atque abdita. Huc adde, *retrusa* atque *abdita*, quæ cum sæpe ita jungantur a Tullio, verisimile est eam tum fuisse formam & consuetudinem jungendi. I. de Orat. LXXXVII. *Hæc autem esse penitus in media philosophia retrusa, atque abdita.* III. in Ver. *Simulacra Deorum jacent in tenebris retrusa, atque abdita.*

Recondita, & abstrusa. Similiter ista quoque duo juncta Tullius adhibet, quorum exempla tam sunt in promptu, quam proxime superiora.

Amitto, perdo. Est inter Scriptores, qui, *amitto*, a, *perdo*, vocem priorem a posteriore distinguat. Cornificius, sive quis alius, ad Herennium lib. IV. num. LVIII. *Decius, qui se devovisse dicitur, amisit vitam, at non perdidit: re enim vilissima & parva, maximam redemit.*

Invenio, reperio. Est quoque, qui hæc inter

 ver-

verba duo discrimen constituerit manifestum: ut alterum sit cogitantis & quærentis, alterum imprudentis & fortunati: ille rem consulto investigarit, hic in eam casu & fortuito inciderit. Ovidius lib. I. Metamorphoseon extremo.

Tune es quæsita per omnes,
Nata, mihi terras? Tu non inventa, reperta es.

Inachus Io filiam tunc cum minime quæreret, offendit. Quid si hoc differentiæ sit, quod Fronto grammaticus attulit: *Reperimus nostra, invenimus aliena.*

Aspicio, cerno. Aspicere, est intendere, aut adjicere oculos ad aliquid aut aliquo. *Cernere*, est videre aut intueri, quo conjeceris oculos. III. de Orat. CXXIV. *Neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit.* Aliquanto post: *ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo aspexerit.* Itaque nihil est aliud apud Latinos aspicere & cernere, nisi quod apud nos, *regarder, & voir.*

Tellus, humus, domus, ædes. Utilis hæc vel ad imitationem principis poetarum observatio, binas adhiberi voces sic tanquam diversas, quæ unum prorsus idemque sonent. *Tellus fundit humo victum: domus vomit ædibus undam salutantum.* In Georgicon lib. II.

Urbs, civitas, oppidum. Similiter princeps quoque oratorum facit, qui urbem separet a civitate, & cum oppido confundat. Separat quidem IV. Acad. CXXXVII. *Ego tibi, Carneade, prætor esse non videor, nec hæc urbs, nec in ea civitas.* Ibid. *Aristoteles aut Xenocrates non dubitasset, quin & prætor ille esset, & Roma, urbs, & eam civitas incoleret.* Confundit vero, I. de Div. *Eudemum Cyprium Pheras venisse, quæ erat urbs in Thessalia admodum nobilis: in eo igitur oppido, &c.*

Notavit certe Nonius inter Urbem & Civitatem hoc interesse, quod urbs sit ædificia: civitas, incolæ, idque ipsum multis & insignibus testimoniis confirmavit, inprimisque loco Ciceronis de rep. nobili: sed isto caret quem attulimus non inferiore istis. IX. lib. XIV. *Liberasti & urbem periculo, & civitatem metu.* Pro Sylla, *In qua civitate res tantas gesserim, memini; & in qua urbe, intelligo.*

Formosus & pulcher. Apparet quiddam esse quo differant inter se forma & pulchritudo. Verum quid & quale id sit, non ita compertum. Epist. Fam. lib. IX. epist. XIV. *Nihil virtute formosius, nihil pulcrius.* Videntur formosa non posse dici, quæ sensu carent, aut quibus quasi sensus non tribuitur: ut oratio, vestis, domus, formosæ non dicantur sed pulcræ: formosus tamen annus appellenir, ceu quædam quasi persona.

Subtile & acutum. Ex loco hoc M. Tullii lib. de Orat. III. num. LXVI. apparet a subtili acutum distingui. *Stoici orationis etiam genus habent fortasse subtile, & certe acutum: sed, ut in oratore, exile.*

Acer & vehemens. Quis non existimet hoc utrumque: *acer, & vehemens*, idem fere esse? At Ciceroni aliter visum, de Clar. Orat. num. CV. *Carbonem canorum oratorem, & volubilem, & satis acrem, atque eundem & vehementem & valde dulcem, & perfacetum fuisse Gellius dicebat.* Et infra paulo num. CVII. *Cum in omnibus rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse.* Quo loco mihi minus probatur Nonius Marcellus, qui acrem equum interpretetur celerem; acrem Turnum, fortem: acrem dixerim potius equum animosum, & ardentem; Turnum audacem & actuosum: licet Servius fortem quoque velit esse, qui Virgilio acer Turnus dicitur. Proprie videtur locutus Phædrus, & vim expressisse verbi lib. II. Fab. VII. Canis de se.

Quia videor acer, alligant me interdiu,

Hoc est, *asperior, intractatus, ferocior, inquietus.* Pertinet quoque ad majorem intelligentiam hujus vocis, quod habet Tullius de Clar. Orat. CCCXVII. *Acrem oratorem, incensum, & agentem, & canorum, concursus hominum forique strepitus desiderat.*

Luculentus. Quoties ante præmunit Cicero, vel interponit ejusmodi aliquid, *ut ita dicam, ut sic loquar*, toties signi est cum vel durum verbum mollire velle, vel insolens & parum tritum notare, vel illius loci minus proprium quasi excusare, vel translatum licentius vereri se, nec ignorare. Ex quo etiam perspici potest quæ sit vis & notio vocis. De Cl. Orat. CXXIX. *C. Fimbria habitus est sane, ut ita dicam, luculentus patronus.* Quid autem sibi vult, ita qui loquatur? minusne proprie luculentus patronus dicitur, quam luculentus scriptor, quod non semel Cicero dixit? Itaque mihi suspectus est iste locus errati, eoque magis, quod statim post idem Fimbria, quem hic luculentum patronum appellat, tolerabilis patronus fuisse dicatur. Isto nomine suspectum quoque habeo illud ejusdem libri, num. CCCXII. *Causæ deinceps inde multæ, quas non minus diligenter elaboratas, etiam quam elucubratas afferebamus.* Rectissime emendatur unius literæ mutatione, *& tanquam elucubratas.* Sive autem sic corrigatur, sive non; noli existimare, istud, *non minus diligenter*, pertinere ad consequentia, quasi dicatur, causas afferebamus non minus diligenter elaboratas, quam elucubratas; sed ad superiora isto sensu: causas deinde multas afferebamus non minus diligenter elaboratas & elucubratas, quam antea, & initio attulimus.

Præeo. Anteeo quidem sicut ejusmodi cetera, & præstantiam quandam notat, & accusandi casum vel dandi admittit. At vero, cum quis præire dicitur, neque excellere dicitur, & præit alicui verba vel iter, sed non alios præstantia quadam transit. Aliud Emmanuel Alvarus, sensit recentium Grammaticorum cum doctissimus, tum disertissimus, qui Plinium tanquam testem & auctorem citet quasi dixerit, *de Scripto præire aliquem.* Sed hæc illum sua auctoritas & testimonium vehementer fefellit. Plinius enim lib. XXVIII. cap. II. *Vidimus, inquit, certis precationibus obsecrasse summos magistratus: & ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de Scripto præire aliquem.* Vides-tu hic, ut verbum infiniti modi, *præire*, ante se accusativum, *aliquem*, habeat; non regat, aut admittat post se?

Rogo, oro. Plus hoc habet virium, quam illud. XVI. ad Att. XVI. *Igitur, mi Plance, rogo te, & etiam oro.* II. Fam. VII. *Te, mi Curio, pro tua incredibili . . . rogo atque oro, ne patiare.*

Rogo, obsecro. Post red. ad Quir. 16. *Pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.*

Postulo, flagito. Patet esse majus quiddam, flagitare quam postulare. I. de leg. V. *Postulatur a te jamdiu, vel flagitatur potius historia.* Pro Quint. XIII. *Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me*

me P. Quinctius cupit commemorare : tametsi causa postulat : tamen, quia postulat, non flagitat, prœteribo. Atque hæc, opinor, observata habent, qui voces ordine certo literarum collegerunt. Sed omiserunt iidem significari hac voce, assiduum esse & molestum in petendo : *être fort pressant & importun en ses demandes.* Ita ut aliquid inverecundius, & magno clamore, & convitio exigatur, & instet aliquis etiam atque etiam, & urgeat. Servius in illud Virgilianum, *notum efflagitat ensem : efflagitat : cum clamore magno deposcit.* Et vero Plautus longe antea, Pseu. sc. v. act. I. *Si non dabis, clamore magno & multum flagitabere.* Tull. II. ad Quinctum, ep. X. *Epistolam hanc convitio efflagitarunt codicilli tui.* Quintil. in ep. ad Thryphonem. *Efflagitasti quotidiano convitio, ut libros .... jam emittere inciperem.* Sed Tullius quoque vim verbi magis aperit lib. IX. ep. ad Varronem VIII. quam a se diligenter & studiose conscriptam, credo, significat Attico epist. XXV. lib. XIII. his verbis: *Sed, quæso, epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit? male mihi sit, si unquam quicquam tam enitar, at ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet : sed Spintheri syllabatim.* Marcus igitur Tullius superiore epistola : *Munus flagitare .... ne populus quidem solet ... expectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem : misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos, qui metuo, ne te forte flagitent ego autem mandavi, ut rogarent.* Ac de re eadem, Acad. quæst. lib. I. n. III. *Et ego ista quidem, inquam, Varro jam diu expectans, non audeo tamen flagitare.*

Flagitium, scelus. Illud in obscenitate & libidine, hoc in aliis facinoribus. Lib. IX. epist. III. ad Varronem : *Cum omnes in omni genere & scelerum & flagitiorum volutentur.* Geminata copula diversitatem indicat. Tritum istud, quod huc ego non afferrem, nisi aliter Manutius, & meo judicio, non bene hanc interpretaretur diversitatem. Flagitium, inquam, cum turpitudine conjunctum, scelus habet aliquid atrocitatis. IX. ad Att. XII. *Spes quædam me sustentabat, fore, ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris, (Pompeius) aut ille tantum flagitii (Cæsar) admitteret.*

Culpa, peccatum, facinus, scelus. Rursum levius aliquid, *culpa & peccatum*, quam *facinus*, aut *scelus.* Cic. pro Marcello XIII. *Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus.* Ovidius lib. I. Trist. Eleg. II.

A culpa facinus scitis abesse mea.

Et lib. IV. eleg. I.

Scit quoque cum perii, quis me deceperit error,
Et culpam in facto, non scelus, esse meo.

Vel quia peccavi citra scelus. Trist. lib. III. eleg. I.

In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur,
Non facinus causam, sed suus error habet.

Et lib. IV. Trist. Eleg. 4.

Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis.

Ibidem,

Ergo ut jure damus pœnas, sic abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo.

Hunc porro versiculum Ovidii superiorem,

A Culpa facinus scitis abesse mea.

male intellexit Carolus Stephanus, vel potius non intellexit, qui sic reddiderit, *Vous sçavez bien que je n'en suis pas coupable, que ce n'est pas ma faute.* Contra vertendum fuit : culpa quidem hic aliqua nostra est, sed imprudentiæ culpa ; a scelere certe, ut scitis, liberati sumus.

Cur aliquid vidi? Cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Judico. Quin dicatur nullo vitio, *accusare, condemnare, absolvere aliquem*, nemini unquam dubium fuit : at non perinde dici, *judicare aliquem* in re forensi, *aut judicatum esse*, pro, *jus ei dicere*, vel *dictum esse*, pauci advertunt. Id vitii tractum vel a sacris Scriptoribus, vel ex consuetudine patrii sermonis : ubi causa cognita & judicata, finita lis, statutum & decretum de re intelligitur : sed in alterutram partem tantum. Vidit quæ loquimur, ut talia multa, Paulus Manutius, in Romano, cujus esse fertur scriptor, catechismo. Is cum exponeret caput septimum professionis Christianæ de Christo ad jus orbi terrarum dicendum venturo, non venturum dixit ad universum hominum genus judicandum, sed de universo hominum genere judicaturum esse. Quod si ab ista locutione non deinde cavit, ideo fecit, qui ipsa sacratum paginarum verba sæpe immisceret in sermone, non quia dici emendate putaret. Sed omitto alia : isto modo si locutus est aliquando aliquis probatus scriptor ; cedo exemplum. Nam quod affertur contra, *judicare aliquem pecuniæ & judicatum esse*, ex Livio atque ex Gellio, vel potius ex Ambrosio Calepino ; non enim repetierunt longius, qui attulerunt ; nihil ad rem, neque id agitur. Contendimus tantum nullo auctore dici vere Latino & Romano, *judicare aliquem, aut judicari*, sed *de aliquo judicare, aut pronunciare sententiam secundum vel contra aliquem.*

Item. *Vendere, emere agrum* recte dixeris, non *agrum solvere*, sed *solvere pro agro aut agri pretium, aut nummos, aut pecuniam, aut debitum.*

Et *venditor* quidem, *& emptor*, & *creditor*, & *debitor*, usitatæ voces : rara vox, *solutor*, neque nisi in Codice reperta.

Prædari. Quis non licitum existimet dicere, ut *spoliare & exuere aliquem, depopulari agros, depeculari civitates*, ita *prædari*? Atqui nemo, *prædari aliquem* dixerit, pro *adimere aliquid ei* : prædetur quis alium quidem, sed si rapiat ipsummet. Neque obstat hoc tamen, quo minus omnium templorum atque lectorum totiusque urbis prædo dicatur Clodius a Cicerone.

Cave autem unquam usurpes, quod plerique sæpe adhibent in oratione, nullus Scriptor probus antea dixit, *deprædari.* Quod est tamen apud Gallos reliquum forense verbum, *les depredations.*

Dicere, habere orationem, agere tragœdiam, Ballionem, ante aliquem, pro *coram, vel præsente aliquo, vel ad, vel apud aliquem*, nusquam reperias in Latinis Scriptoribus. Id e sermone Gallico sumptum. Neque nos movere debet, quod Cicero dixit, *ante oculos vestros trucidari* ; Virgilius, *Ante ora patrum oppetere.*

Fa-

Facere magni. Legere passim licet apud Scriptores non ineptos, *magni, maximi, parvi, minoris, minimi, pluris, plurimi facere; majoris & multi facere*, nequaquam. Conveniebat tamen certe, id etiam postremum dici. Sed ubique convenientiam quis exigat ab usu, domino potius quam magistro loquendi. Contra hanc animadversionem objici posse locum sentio unicum Ciceronis, in II. de Orat. num. CI. *Nonnulli dum operam suam multi æstimari volunt.* Sed præterquam quod plerique omnes libri habent, *multum æstimari*, vel, *operam multam*; ne illud quidem advertunt, fuisse negligentis, ita scribere, *volunt nonnulli multi æstimari operam suam:* quo nihil a Cicerone alienius.

Duco, pro *existimo & judico*, non ubique locum habet. Ubi valeat, utendo magis, quam præcipiendo, intelligi potest. Habet hic locum, ubi minus videtur habere: *sprevit Siculos, duxit pecudes.* Quod de Verre dictum, qui Siculos pecudes potius, quam homines esse existimaret.

Auctus filio. Filiolo auctum me scito. Cic. lib. I. Att. I. Qui, *unum*, adjunxerit, & *filiolo auctum uno* dixerit, Gallice locutus fuerit, non Latine.

Vidua. Mulier vidua, quæ & eadem orbata viro, non dicitur recte vidua illius quem morte amiserit, estque hæc locutio inusitata Latinis. Quare quæ mulier mortuo conjuge librario, viduam se profitetur & proscribit illius, prima statim librorum pagina, vel hoc ipso nescire Latine existimanda est.

Fulmino. Quam nostris nunc poetis frequens est, tam parum antiquis usitatum, *fulminare arces.* Ut hoc deponens, *fulmino*, vim agendi perraro obtineat. Itaque Juppiter rubente dextera sacras jaculatur, non fulminat, arces. Et quamvis fulminati homines, fulminatæ arbores Plinio dicantur, vix tamen dux belli fulminarit urbes. Quod autem Herculis Oetæi scriptor tragicus habet, *Fregimus quidquid fuit tibi fulminandum;* si tam corruptus est & vitiosus elocutione, quam rebus & sententiis turgidus ac inflatus, nihil est quod illum audire magnopere velimus.

Cesso. Cessare non id modo sonat auribus, quod quivis intelligit, id est, desinere aut intermittere; sed valet etiam illud, negligenter aliquid & languide obire, aut minus recte emendateque facere. Horat. de art. poet.

Sic mihi, qui multum cessat, fit Chærilus ille.

Ovidius lib. III. Trist. eleg. VII.

Aut ego præbebam factis modo versibus aures:
Aut, ubi cessaras, causa ruboris eram.

Non erat ista cessatio, omissio aut interruptio, & dilatio operis, & tarditas, & cunctatio: neque non fecisse tanti fuit, neque res digna, in qua Perilla erubesceret: sed si quid peccasset in versu gravius, afferebat pudorem justa reprehensio.

Fœtus Fœtum de hominibus dici, inveneris quidem aliquando, sed non sæpe. Quamvis & animi fœtus, & mulier effœta dicatur. En quomodo, quod sæpius dixi, ab usu pendet sermo Latinus, non ratione nititur ex toto.

Fictitius. Commentitium, factitium, alia simili forma & positione nomina usurpemus licet. *Fictitium* ulli usurpatum, qui quidem dignus sit, quem sequamur auctorem, non meminimus.

Thronus. Agedum, lector. Qui poetæ tragici conscripserunt octo numero tragœdias, quæ Senecæ omnes attribuuntur, cur ii non usi voce hac, *thronus* ne semel quidem? Cum agerent de regibus & regnis assidue, de sceptro, & diademate, & solio, & sella aurea, & ceteris regum insignibus; aptus vero inprimis hic iambus esset ad terminandum versum? Utrum illis non venit in mentem ea vox, quæ tam sit in promptu? An Latinam non putarunt, quam nusquam legerint in libris, neque tum quisquam ore proferret? Sic est. Ac ne postea quidem teri cœpit verbum hoc Græcum pro Latino. Extat apud Plinium solummodo in libro XXXV. cap. IX. *Magnificus est Jupiter Zeuxidis in throno, adstantibus Diis.* Nam quod habet Suetonius in Octavio, num. LXX. ignoti auctoris notissimos versus, ubi præter cetera legitur,

Fugit & auratos Jupiter ipse thronos.

Melius multo legas, *toros.* Sicut & in Pervigilio Veneris:

Cras Dione jura dicit, fulta sublimi trono.

Quo loco nihil videtur obstare, quominus, *sublimi toro*, legamus: immo vero est ita legi convenientius.

Atque ista mere Græca vox, non usitata Latinis, admonet nos ut in *diadema*, quod utrumque est, ortu Græcum, Latinum usu, proferamus, si quid habemus. Regium igitur insigne, diadema, fascia seu vitta fuit, quæ cingeret tempora, cujus quæ esset species & conformatio, suspicari possumus ex his Valerii Maximi verbis lib. VI. cap. II. *Pompeio Magno, candida fascia crus alligatum habenti, Favonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobrans.* Pro *diademate coronam* quomodo nunc vulgo loquuntur omnes, vix ullus unquam veterum Latinorum posuit in scriptis. Regni quidem coronam & sceptrum Hetrusci dixit Virgilius: sed ita forsan ut nove dixerit, neque ante eum quisquam, neque post. Multo certe minus licet, id quod audio quotidie dici, *coronas* pro regnis usurpare.

Abortus. Et prægnans aboritur, & aboritur fœtus, apud Varronem, Plinium, Gellium, & alios. Quid ergo sibi vult Donatus in Terentium? *Non est*, inquit, *Latinum: aborsa est, sed, abortum fecit.*

Cetus. Quid vero Servius in Virgilium? Negat is apud ullum usquam scriptorem, *hic cetus, hujus ceti*, legi. Atqui Plinius lib. XXXII. cap. I. *Cetos*, ait ex scriptis Jubæ ad C. Cæsarem, *sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, in flumen Arabiæ intrasse.*

Albedo, nigredo. Muretus lib. I. epist. 36. *Albedo, Latinum non est, non magis quam Nigredo.* Quod si ita habet, philosophis nunc, quæso, quid fiet, quibus nihil tam, quam albedo in pariete, familiare est: Sed hujus vitii culpam sustinent collectores vocum, qui utramque hanc, ut usitatam, nullo auctore nobis, nullo exemplo, tamen obtrudunt.

Ausus. Ausa fortia & fortibus ausis, scriptores

res passim *fortes ausus*, frustra quæsieris apud eosdem. Quæ tamen vox eo casu, & eo genere poetis nostratibus Latinis valde solet in ore esse.

Roma Septicollis. Compositam hanc vocem, nemo, quod sciam, veterum Romanorum, quos maxime opportuit, usurpavit. Ita loquendi caussam ceteris videtur Plutarchus præbuisse, cujus hæc in quæstionibus Romanis verba habemus: τὸ δὲ σεπτομόντιον ἄγουσιν ἐπὶ τῷ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει κατανεμηθῆναι, καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι. Septimontium festum diem agunt ob adjunctum urbi septimum collem, & quod Roma sit facta septicollis. Hoc enim vocabulum ab nescio quo formatum instar vocabuli Græci; vel, ut verius dicam, a Latino imitatione quadam & exemplo expressum: ut septimontium, festum dicatur; septicollis urbs dicatur, quæ in septem collibus sita. Quo modo τετράπολιν Atticæ regionem Attius nominavit quadrurbem, ficto sic nomine; ita ἑπτάλοφον septicollem, appellavit, quisquis hoc primum nomen fecit.

Antiquum & vetus. Novum & recens. Comes & socius. Inter & inter. Sanus & recte valens. Supra commemoratum est a me, esse verba quædam quæ redundent, propterea quod eadem videantur, ideoque in oratione frustra simul poni. *Antiquum & vetus.* Cicero Philippica v. num. XLVII. *Majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant.* Quod si mendum hic subest, ut nonnulli suspicantur: minime est, opinor, illud mendosum de univ. 34. *Credendum nimirum est veteribus & priscis, ut aiunt, viris.* Plinius lib. III. epist. VI. *A tergo æs ipsum, quantum verus color indicat, vetus & antiquum.* Juvenalis Satyra VI.

Antiquum & vetus est alienum, Postume, lectum
Concutere.

Recens & novum. Cic. lib. XI. ep. XXI. *Segulius res novas quærit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem novam devoravit.* Quo loco Paulum Manutium ad harum vocum discrimen cognoscendum utiliter legas. Sed & in orat. pro Flacco Cic. XIII. *A vobis peto, judices, ut memineritis, quarum rerum invidia, lege hac recenti & nova, certus est inquisitionis comitum numerus constitutus.*

Comes & socius a Cicerone copulantur, quasi unum & idem sint. I. Fam. IX. *Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium, comitemque habebis.* XI. ad Att. XIV. *Cum, ut nihil aliud, comites me & socios habere putabam.* Pro Sylla LXVI. *P. Sylla, hoc importunissimo tum honoris, tum etiam calamitatis socio atque comite, & secundas fortunas amittere coactus est, & in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.* Alias ita distinguit alterum ab altero, ut aliquid esse inter utrumque discriminis significet. VIII. ad Att. epist. XXII. *Sed me movet unus vir, cujus fugientis comes, remp. recuperantis socius videor esse debere.* Horatius conjungit. I. Carm. Ode VII.

Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.

Sanus, & recte valens. Idem Horatius lib. epistolarum I. nec semel.

Si me vivere vis sanum recteque valentem.

Et epistola ad Quinctium in l. eodem I.

Neu si te populus sanum recteque valentem
Dictitet.

Inter & inter. Sed nihil in speciem magis supervacaneum ac inutile, quam, *inter*, congeminatum; quod apud Horatium tamen, lib. I. epist. ad Lollium, habetur.

Nestor componere lites
Inter Peliden festinat & inter Atriden.

Atque hic unus solum mihi primo videbatur ita locutus: usque eo mihi novum illud accidebat. Sed inquirenti obtulerunt se, & occurrerunt loci apud Tullium duo, quos legeram millies nec animadverteram. I. de Fin. XXX. *Interesse enim inter argumentum, conclusionemque rationis: & inter mediocrem animadversionem: atque admonitionem.* De Fat. XIX *Sed interest inter causas fortuito antegressas, & inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem.* Atque hæc minime necessaria repetitio præpositionis ejusdem apud Latinos; sed Hebræis familiaris ac prope perpetua Initio statim Genesis versu IV. *Divisit lucem a tenebris.* vers. VII. *Divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* XIV. *luminaria dividant diem ac noctem.* XVIII. *Ut dividerent lucem ac tenebras.* Totidem enim scriptum locis, הַבְדִּיל בֵּין וּבֵין. Dividere inter & inter.

Celantissimus. Placebat ea mihi locutio valde, *celantissimus arcanorum*, pro occulto & tecto homine, qui facile contineat linguam, & omnia clausa habeat consilia sua: præsertim cum vocabulorum noti collectores eam Q. Curtio tribuerent. Sed evolve hunc scriptorem diligenter; perlege, si tanti est, versus ad unum omnes: Sic reperias, adduci Persas non posse ut occulta aperiant, commissa prodant, conscios indicent; *celantissimos arcanorum* Persas non appellavit Curtius, ut Carolus Stephanus scribit. Hunc porro taciturnum, prudentem virum ac fidelem, cui seria & arcana recte commiseris, qui nemini se ipse indicet, Horatius lib. II. Serm. Sat. VI. vocat.

Egregii mortalem altique Silenti.

Contra Terentius de eo, qui tacere non possit:

Plenus rimarum sum: hac atque illac perfluo.

Horat. eadem Sat. VI.

Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.

Serius. Seria res, Sermo Serius, Passim: *ore Serio*, apud Gellium lib. I. cap. XIX. *Homo Serius* nusquam, nisi apud Afranium in Nonio, qui quidem Afranius antiquior est, & apud Macrobium lib. III. Saturn. cap. XIV. & XV. qui parum vetus, nec satis magnæ auctoritatis est.

Ut ut erit, ut ut hæc sunt, ut ut hæc erant. Ut ut est. Recte quidem, *Ut ut est, quoy qu'il en soit.* Ita Plautus, Terentius, Cicero: cum vulgus tamen loquentium semper nunc, *ut ut sit*, usurpet; nemo veterum. Cicero nihilominus. *Verum ut ita sit, tamen. Verum ut hoc sit, tamen.*

Quare quod in libro ad Att. xv. ep. xxv. emendavit Bosius ex Crusellii codice, itaque reposuit, *Ut ut sit res*, suspecta mihi est ea emendatio vel eo nomine, quod nusquam alibi sic Cicero locutus sit. Marcus tamen Muretus lib xi. cap. i. Var. lect. *Sed ut ut sit, quoniam de eo Taciti loco*, &c. usque adeo rarum est ab imperiti vulgi consuetudine discedere omnino, etiam scriptores ætatis suæ politissimos.

Cardinalis. Vox minime Latina, *Cardinalis*, quia nulli veterum Romanorum usurpata, sed necessaria tamen propter dignitatis institutum deinde gradum & ordinem: in auferendi casu quomodo tandem habet? Opinor, *Cardinale* & *Cardinali*. atque id utrumque ex æquo. Unde nos novimus? Proportione. *Ædilis*; Romæ minor magistratus, in sexto casu, *Ædile* & *Ædili*. ita Cicero dupliciter una oratione de Har. resp. terminavit xxi t. *Vis innumerabilis collecta servorum ab hoc Ædili religioso, repente in scenam irrupit.* xxiv. *Tota, hoc Ædile, servorum Megalesia fuerunt.* Tum pro Sextio xcv. *Nam quid ego de Ædile ipso loquar?* Apud Varronem ea quoque dictio exit in e, libro de re rust primo. cap. ii. *Accersitus ab Ædile, cujus procuratio hujus templi est.* Omitto Livium, Plinium, alios, qui alterutro modo, qui utroque terminent hujus vocis ablativum. Non enim id ago ut doceam, quod Grammatici est, fieri duobus modis: Sed, cum ita fiat, moneo recte hunc vocabuli, *Cardinalis*, casum, instar illius, qui est, *Ædilis*, formari. Cui dicto consentaneum est, *ut* adjungam, *Generalem* & *Provincialem* eodem casu in alteram aut tertiam vocalem, e, &, i, similiter exire. Ceterum de *Ædilis* positione duplici cum diserte Alvarus docuerit, etiam versu, miror hoc ab illo non didicisse, neque Methodium, neque Creuxium.

Cyris, *Paphie*, *Charites.* Has esse voces meras Græcas nemo non videt. Pro Latinis usurpatas olim plerique putant, in quo falluntur, ut & recentiores Poetæ, qui utuntur iisdem. *Cypris* ergo & *Paphie* pro Venere, nusquam extat, *Charites* vero habet Propertius lib. iv. eleg. i.

Accersis lacrymis Charites, aversus Apollo.

Sed locus suspectus. Plinius lib. xxxvi. cap. v. *Non postponuntur & Charites in propylæo Atheniensium, quas & Socrates fecit.* Ovid. v. Fast.

Protinus accedunt Charites, &c.

Vide Alvarum, de anomalis.

Et mirum, quod nemo alius, ac ne ipse quidem aliis in locis adhibuerit. Nam quod legimus in collectione Pithœana epigrammatum versum hunc,

Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem.

Id forsan fuerit satis argumenti nobis, ut suspicemur ab antiquis epigramma non profectum. Certe non ulli dubium quin *Paphia* vocabulum aut sit propter vetustatem obsoletum prorsus, aut in morem novissime inductum. Atque id mihi causæ fuit, quamobrem cum scite scriptum & venuste hoc distichum.

Τέσσαρες αἱ χάριτες, Παφίαι δύο, καὶ δέκα Μοῦσαι.
Δερκυλὶς ἐν πάσαις, Μοῦσα, χάρις, Παφίη.

Latine redderem, utramque vocem, *Charis*, & *Paphie*, transferendo vitarem.

Bina Venus, Musæque decem, bis Gratia duplex:
Dercylis has inter, Gratia, Musa, Venus.

Alta vox, alte loqui. Quis non ita loquitur recentiorum, pro *elata vox*, *elate loqui*. *Contendere vocem & voce, attollere vocem.* Sed ex vetustioribus quis omnino sic loquutus est? Unus uno loco in hendecasyllabis Catullus:

Conclamate iterum altiore voce.

Quod si non dicitur Latine, miror quomodo optimus Latinitatis auctor usurparit; si Latine dicitur, miror magis cur eorum, quos habemus in manibus, nemo scriptor usurparit. Cicero, pro, *alte & alta voce* hæc adhibet: *clare & clara voce* iv. ad Att. viii. *Dic, oro te, clarius, vix enim mihi exaudisse videor.* Pro Cluent. cxxxiv. *Africanus, clara voce, ut omnis concio audire posset, dixit se scire.* Pro Cæcinna xxii. *Æbutius servo clara voce imperavit.* Pro P. Sylla xxxi. *Non intelligebat, ea, quæ clare diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probabatis.* Notandum etiam illud ex eodem loco. *De Supplicio P. Lentuli, de carcere, magna queribunda voce dicebat.*

In honorem alicujus, in gratiam, in laudem. Quam multa, oro te, dedocendi sumus, ut Latine discamus? Quid usitatius inter nos, quam quid *in honorem, in gratiam alicujus facere*: quo se tamen Cicero & ante eum omnis ferme antiquitas incorrupta abstinuit? Atque illud quoque dubito, an usquam apud probos scriptores extet, *quidquam in alicujus laudem scribere aut loqui.* Contra vero celebrarum sermone passim videmus in scriptis veterum, *alicujus causa, alicujus gratia, honoris causa, honoris mei, tui, illius causa, gratiæ causa, in aliquem* denique, seu *de laudibus alicujus.* *Pour honorer quelqu'un, pour l'obliger, à sa louange, par respect, pour lui faire plaisir, pour avoir ses bonnes graces*, officii causa, *par civilité, par compliment.* Cic. xiii. epist. lxv. *Peto a te majorem in modum, ut, honoris mei causa, hac laude Hispanem affici velis.* Plautus Amphitruone.

Nunc huc honoris vestri venio gratia.

Cic. xiii. epistol. xxvi. *Id ut honoris mei causa suscipias, vehementer te etiam rogo.* Ep. xxxi. *Quamobrem velim, honoris mei causa, quibus rebus honeste, & pro tua dignitate poteris, quam honorificentissime, & quam liberalissime C. Flavium tractes.* xxxvii. *Quoquo modo autem se res habet, peto a te, ut honoris mei causa eum expedias.* lxix. *Peto a te, ut quantum commodo tuo poteris, tantum ei, honoris mei causa, commodes.* lxxvi. *Vehementer vos etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis.* Tot a nobis auctoritates, cum una alterave satis superque fuerit ad institutum, subjectæ de industria, deprompt æque ex uno libro xiii. epistolarum, ut admoneantur studiosi has esse formulas usitatas postulationum in literis commendatitiis. Quibus illud apud nos ferme ref-

pon

pondet, *en ma consideration, pour l'amour de moy faites moy cet honneur, cette grace, cette amitié.* Cic. lib. XI. ad Att. ep. IX. *Hic Ligurius furere. Se enim scire, summo illum in odio fuisse Cæsari: illum tamen non modo fovisse, sed & tantam illi pecuniam dedisse honoris mei causa,* lib. XV. ad Att. epist. XV. *Magna cura & sollicitudine Atticum & me liberaris, si hoc, honoris mei causa, susceperis.* Plautus Curc.

Tui honoris gratia feci, quod mandasti.

Cic. pro Arch. XXV. *Malus poeta de populo quod epigramma in Syllam fecisset.* I. Tusc. LXXXIV. *Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est.* II. de Orat. CCCLII. *cum cecinisset Simonides id carmen, quod in Scopam scripsisset, in quo multa, ornandi causa, poetarum more, in Castorem scripta & Pollucem fuissent.* Quo loco deponant errorem suum licet, qui particulam, *in*, si personæ accusativo præponatur, malam in partem semper accipi existiment, nihilque aliud esse, *in aliquem*, quam *contra aliquem scribere.*

Nam quod objicit aliquis Senecas duos, quibus ista locutio, *in honorem*, primum usurpari cœpta est, hos minime morabitur, qui attenderit, quantum degeneret a patre filius, uterque a M. Cicerone, & a Jul. Cæsare, nec non a primis Augusti Cæsaris temporibus. Neque vero Seneca pater potior ducendus declamatoribus, quos bene multos commemoravit, & quorum quædam attulit quasi fragmenta: qui tamen ipsi rursum superioris memoriæ scriptoribus plurimum concedant verborum delectu ac puritate. Seneca filius epist. LXXIX. *Si hæc mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Ætnam, quoque ascendas.* Seneca pater lib. V. controv. In præfat. initio. *Quomodo L. Magius, gener T. Livii declamaverit, cum illum homines non in ipsius honorem laudarent; sed in soceri ferrent.* Plinius secundus lib. VII. ep. XXIV. *Alienissimi homines in honorem Quadratillæ (pudet me dixisse honorem) in theatrum cursitabant, exsultabant.* Magis moveat Velleius Paterculus qui l. II. ut me amicus admonuit, semel iterumque ita locutus sit. *Cum M. Piso consularis Annium, quæ Cinnæ uxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam* & eodem libro antea. *M. Aquilio aliisque vinctis libertas in unius Theophanis gratiam postea a Pompeio restituta est.* Legitur etiam Flori lib. IV. capite XII. *In illius honorem,* sic enim loquitur de Aug. *Quatenus fiebat Patrem suum Cæsarem bis trajecto ponte Rheno quæsisse bellum in illius honorem concupivit facere provinciam.*

Præter, præterea: sic tanquam: quodammodo quasi. Hasce binas voces, quarum una redundet, quis ausit nostrum in oratione, nisi scriptoris alicujus fide, ita ut posui, ponere? Præstat id tamen locuples auctor Cicero ad Quin. Fr. I. XXII. *Præter commune fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipue debere videmur.* III. de leg. XLV. *Præter enim quam quod comitia illa essent armis gesta servilibus, præterea neque rata esse possent.* XV. Att. XV. *Saram autem, præterquam quod nefarium hominem cognovi præterea in me contumacem, semel eum omnino domi meæ vidi.* IX. Att. XVIII. *Præterquam quod te moveri arbitror oportere injuria, quæ mihi a quoquam facta sit; præterea te ipsum quodammodo hic violavit, cum in me tam improbus fuit.* De Cl. Or. num. LXXI. *Nam Odyssea Latina est, sic tanquam opus aliquod Dædali.* I. XIII. ep. XXVI. *Literas ad te a Marco Lepido consule, non quæ te aliquid juberent, sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus.* Atque hæc eo magis notanda duxi, quod diligentiam fugerint illius, qui particulas Latinæ orationis omnes, etiam tenuissimas, scienter accurateque digessit, a membris separatim, veteque articulatim divisas.

Cœlum. Cœli. Cœlitus. Si cœlum annuerit, juverit, faverit. cœlo duce, auspice, propitio, secundo. Nil minus Latinum, nihil Gallicum magis. Habere tamen aliquid ejusmodi videtur Virgilius cum dicat, Æneid. I.

Cœlo gratissimus amnis.

Et Statius in primo libro Sylvarum, in Soteria pro Rutilio Gallico,

Es cœlo, Dis es, Germanice, cordi.

Sed illud Virgilianum interpretor, non quemadmodum Servius, *cœlum*, pro his qui in cœlo sunt, verum cœlum pluvium, sive aërem, qui in nubem cogatur, fluviosque augeat imbribus. Hoc autem Statianum, *Es cœlo cordi*, obscurum per se, ipse poeta facit clarius, cum addit, *es Dis cordi.* Neque minus dixerim, *conscia sidera, conscius æther connubii:* ac nescio quis Poeta vetus, *æther annuit*, aut *respicit*, aut *adjuvat*, dixit. Hic tamen verbo res confici potest; quod ad similia quoque pertineat. Ubi semel tantummodo quid in scriptoribus dictum invenitur, iis cum millies dicendi fuerit occasio, immo sæpissime dictum oportuerit, parum usitate, hoc est, vel nove, vel obsolete, ideoque perperam dici existimandum est.

Cœli Cœlorum. Qui negant *cœli* nomen, appellari numero multitudinis, non idcirco, defugiunt auctoritatem, aut Lucretii, cujus est hic versus lib. II.

Qui pariter cœlos omnes convertere.

Aut Ciceronis, qui in hunc modum scripsit lib. IX. ep. XXVI. ad Pætum: *Ille te quæsiturum putavit, unum cœlum esset an innumerabiles:* Sed utrumque volunt ita locutum ex opinione & sententia Epicuri, quam explicarent, placuit enim Epicuro non modo cœlum plus uno esse; sed etiam innumerabiles. Certe Orator de cœlo alias cum meminit, nusquam, nisi ἑνικῶς, dixit. At Epicureum aliquid cum afferret, & hoc attulit, quod proxime laudavi, & illud in Hortensio apud Servium, *Epicuri plures volunt esse cœlos.* Atque hic emendandus Cicero ex Cicerone, qui enim cœlos nunc non dubitavit dicere, non video, cur non dixerit antea cœlos innumerabiles, non ut vulgo legitur, innumerabilia. Quid si vocem hanc ex parte novavit, cum numero augeret, explicandæ Epicureorum doctrinæ causa, quomodo ob eam rem ex toto finxit, *individua & intermundia.* Sed ista se vox quomodo habeat apud antiquos, explico ordinatius. Primum e Gellii, lib. XIX. cap. VII. intelligimus in ea sententia Caium Cæsarem fuisse ut existimaret singulo numero duntaxat cœlum dici, idque in libris, quos ad Marcum Ciceronem de

analogia composuit scriptum reliquisse. Deinde Frontoni, qui inducitur ibi loquens, idem visum, deinde Gellio ipsi. Contra vero usurpatum legimus pluraliter & a solutæ Orationis scriptore pervetusto uno, & a duobus Poetis. Varro de lingua Lat. lib. 4. ab initio non procul. *Cœli dicuntur loca supera, & ea Deorum.* Præter Lucretium, cujus modo verba protuli. Silius Ital. lib. IX. vers. 287.

Discordia demens
Intravit cœlos, superosque ad bella coegit.

Atque hic Sosipatrum quidem Charisium non ignobilem grammaticum miror tam multa peccare, qui affirmet ut *cœlum*, ita *solem*, *ingenium* carere numero multitudinis. Levius falli Vossium puto, sed falli tamen, cum ait *cœlum* in plurativo licentia Poetica dici. Quid enim hoc licentiæ Poeticæ est, quod oratores sibi & alii scriptores, ut supra ostendi, permittant?

Cœlitus. Mureto non displicuit hoc adverbium, in lib. XV. c. I. observ. Sed ut auctoritate probaret Latine dici, quæso, quid fecit? confugiendum putavit ad Lactantium, ante quem nemo sit ita locutus auctor satis idoneus, præter Servium: Si tamen hic & ille idonei videri debent auctores istius linguæ.

Damnum, detrimentum, pati. Non dubitat Gaspar Scioppius, quin barbarum sit, *damnum*, aut *detrimentum pati*, eoque nomine reprehendit Bembum, Manutium, Maffeium, aliosque scriptores clarissimos, ita locutos. Nec vero auctoritate movetur Senecæ, cujus hæc extant lib. I. de ira, cap. II. *Totos populos capitis damna passos.* Atqui si Latine dicitur, *damnum ferre*, non video, cur vitiose dicatur, *damnum pati.* Ovidius autem lib. III. Trist. eleg. VIII.

Nec melius valeo, quam corpore, mente: sed ægra est
Utraque pars æque, binaque damna fero.

Et Lucanus lib. II.

Dii melius, belli tulimus quod damna priores.

Adde huc quod Ciceronis est, *detrimenta atque damna cum maximis injuriis contumeliisque perferre*: & illud quod est complurium, *injuriam accipere*, *injuriam pati*; *facere jacturam*, *pati jacturam*: non tamen aut *accipere jacturam*, pro *pati*; aut *injuriam facere*, ut *damnum*, pro *accipere*, vel *pati*.

Donum, munus. Donum a munere quid differat non tam video, quam differre scio. Et hæ quidem voces interdum junguntur copulate quasi unum idemque sint; alias dissolute sequuntur ut diversa duo. Apud Tullium frequens conjunctio: *Poetæ quasi deorum aliquo dono atque munere commendati.* Pro Archia XVIII. *Tantum donis datis muneribusque perfecerat.* Pro Clu. LXVI. *L. Cincius legem de donis & muneribus tulit* II. De Or. CCLXXXV. Distinctio vero apud Plinium Secundum lib. V. epist. XIV. ex qua satis constat donum inter & munus esse aliquid discriminis. *In causis agendis, non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis semper abstinui.* Differunt igitur *donum* & *munus* inter se. Sed quo tandem modo? Donatus in Terentii Eunuchum act. V. Sce. V. *Donum Deorum est: munus hominum.* Servius in illud Virgilii, V. Æn.

Struceremque suis altaria donis.

Dona sunt enim tantum superorum: munera sunt inferorum. Ulpianus D. de verb. Sign. *Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse donum Labeo a donando dictum, munus speciem. Nam munus esse donum cum causa, ut puta, natalicium, nuptalicium.* Addunt alii quartum quoddam discrimen, ut *donum* sit rerum majorum & immobilium; *munus*, moventium & minorum.

Nex, necis. Nex, necis, non solum pro morte violenta, quæ ferro, aut laqueo, aut fame, aut veneno, aut igni & aqua consciscitur; id quod grammatici & vocabulorum collectores observant; sed etiam, quod nemo advertit, pro morte naturali ex morbo aut aliqua invaletudine, aut senio. Ovidius Trist. lib. V. eleg. I.

Usque jacens ripa deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem.

Idem in consol. ad Liviam.

Stabis & in rostris tituli speciosus honore:
Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis.

Atqui Drusus morbo periit. Quod ne dubitemus, Suetonius in Claudio cap. I. *Inito*, ait, *consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo obiit.* Hoc ipsum Dio diserte, & Velleius satis significanter: Nec non idem perspici ex Flori verbis his potest, lib. IV. cap. XII. *Defuncto ibi fortissimo juvene.* Et paulo post. *Postquam vero Drusus defunctus.*

Gratitudo, ingratitudo. Non esse Valerium Maximum auctorem inscriptionum cujusque capitis, vel illud argumento est, quod in libro V. cap. II. *de gratitudine* inscribitur, & cap. III. *de ingratitudine*: quas voces neque usqoam apud probum scriptorem reperias, nec ipse Valerius toto duplici capite usurpavit: cum occasio usurpandi, immo prope necessitas non deesset. Contra in A. Gellio accidit, qui profitetur ipse se capita rerum, quæ cuique commentario insunt, exposuisse & speciatim & universe. Habemus autem scriptum mano Valerium Maximum, in quo non jam *de gratitudine & ingratitudine*, sed *de gratis & ingratis* capita inscribuntur.

Industria. Non est *industria*, quod putatur vulgo, quodque sua Gallicis auribus vox sonat, *l'industrie.* Non est, inquam, *industria*, solertia ingenii, perspicacitas, acumen, dexteritas, sagacitas, excogitandi cognoscendique ratio; quæ singula naturæ sunt & indolis: sed hac voce significatur acre studium, cura vehemens, sedulitas major, vigilantia animi & contentio: quæ sunt in omnium potestate sita, & a quolibet exigi queunt. atque hunc mentis navum & constantem habitum proprie nos Galli & significanter nominamus, *application*: unde ista sunt, *il a de l'application*, *il s'applique beaucoup*, *il n'a point d'application*, *il ne s'applique pas à ce qu'il fait.* Cum quis enim incumbit in aliquam rem, & enixe dat operam, atque applicat se studiose vel ad Philosophiam, vel ad jus civile; ita loqui consuevimus. Quamobrem

obrem si quisquam a se aliquid elaboratum industria profiteatur, non is gloriatus fuerit, quia tantummodo laborem suum & operam ostendit. Contra gloriatur seque jactat, si quid ingenio perfectum a se prædicet. Sed hæc exemplis clarius apparebunt, in quibus nemo peritior secus, ac dixi, capiat *industriam*: ibi præsertim, ubi hanc Cicero cum studio, opera, labore conjunxit, & oratores intelligi vult, qui se laboriose & assidue, & anxie, & quasi quadam cum miseria exerceant. De Clar. Orat. CXIII. *Multaque opera multaque industria Rutilius fuit.* CCXXXVII. P. *Muræna multæ industriæ & magni laboris.* CCXL. Q. *Pompeius incredibili labore atque industria.* CCLXXI. *Studio neminem, nec industria majore cognovi.* Acad. quæst. lib. IV. num. VI. *Qui Carneadem audierant, admodum floruerunt: e quibus industriæ plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum. il paroist par la multitude de ses livres qu'il avoit beaucoup d'application.* Lib. III. ad Fam. epist. IX. *Non est meum, qui in scribendo tantum industriæ ponam, committere, ut scribendo negligens fuisse videar.* Neque tamen negaverim, si quando res subtilius agitur, industriam a studio, eandemque a diligentia separari. Ita ipse quoque Cicero distinguit, de Clar. Orat. CCLXXX. *C. Curio a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum: industriam non sum expertus: studium fuit.* XV. Att. III. *Enitar igitur, ne desideres aut industriam meam, aut diligentiam.* Quod autem proxime dictum est a me, *industriam* haud quaquam nomen esse laudis & gloriationis indecoræ, si quis eam sibi tribuat, illud constat & manifesto tenetur insigni dicto Tullii de Clar. Orat. CCCXVIII. *Nimis multa videor de me, ipse præsertim. Sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium & eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem & industriam.* Hic nimirum non ostentat se Cicero, qui industriam sibi arroget: non plus quam, dum laborem sibi, ingenio & eloquentia ademptis, relinquit, gloriatur. Sed quid ego plura, cum capite uno Maximus Valerius rem totam satis indicet, atque testetur. Ac primum quidem exprimit verbis omnibus suis laborem & occupatam agitationem mentis, non ullam solertiam. Deinde quæ proferuntur exempla, sive Romanorum, sive externorum, complectuntur non quod quisque ingenio & acie mentis perfecerit, sed quod labore & constantia & attentione, & nitendo executus sit. Denique *industriæ* opponitur *otium laudatum*: ut *industria* proprie sit gestio rerum & functio animi; *otium*, requies ac cessatio.

A quo tempore, a longo tempore, a multis annis, a sex mensibus, aut rarum, aut nullo modo Latinum. Sic effer potius, *quam dudum, jamdudum, pridem, jampridem, jamdiu. Diu est cum. Ante annos complures, abhinc sex menses, aut sex mensibus. Annus est, menses sunt cum, aut ex quo. Quamdudum abes ab urbe? absum jam mensem, tres omnino menses.* Nec facit contra nos illud IV. Verr. XXX. *Habuit secum eos ab illo tempore.* Hæc enim alia ratio loquendi est: ut expendenti locum patebit. Sicut nec istæ *ab adolescentia, ab ineunte ætate, a primis temporibus ætatis, a primo tempore ætatis.* I. de Nat. Deor. I. de leg.

Integra ætas. Ætatem integram plerique dici de flore ætatis volunt. Vere. Nam Terentius de Chryside.

Egregia forma, atque ætate integra. Quem in locum Donatus: *Integra est ætas quæ in flore consistit, cui neque addendum jam sit, neque quicquam adhuc sit imminutum.* Nihilo tamen minus accipitur pro ætate plena seu robore ipso ætatis. Servius in hunc Virgilii locum.

Vos o quibus integer ævi

Sanguis:

Plenam ætatem significat ex sanguine, qui non est integer nisi in juvenibus. Quin etiam integram ætatem tributam video a Cornelio Tacito homini sex jam & quinquaginta annos nato. Is enim de Agricola socero: CXLIV. *Excessit sexto & quinquagesimo anno.* Tum paulo post: *Et ipse quidem quanquam medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum ævum peregit.* Apud Suetonium quoque in Vitellio, num. VII. *Advenientem Vitellium male animatus erga principem exercitus, pronusque ad res novas, libens ac supinis manibus excipit, velut dono Deûm oblatum ter consulis filium ætate integra, facili ac prodigo animo.* Atqui dictum id de Vitellio paulo ante, id est, mense antequam consalutaretur imperator, cum natus jam tum esset quinquaginta sex aut septem annos: siquidem imperium octo modo menses obtinuit. Suetonius autem, *Periit*, inquit, *anno vitæ VII. quinquagesimo.*

Jam plenis nubilis annis. Femina quidem minor duodecim annis, legibus nubere non potest: cum expleverit duodecim annos, nubilis. Sed tamen plena pubertas censenda tum solum, cum ad decimum octavum annum pervenerit. D. Lib. I. tit. VII. l. XXXX. *Cum quis adrogat, major esse debet eo, quem sibi per adrogationem filium facit. Et utique plenæ pubertatis, id est, decem & octo annis eum præcedere debet.* Hic vero Servius nimia juris prudentia, ut opinor, peccat. Cum ait: *non est iteratio, sed secundum jus dictum: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur.* Lex ista duplex valet in maribus: ad feminas non pertinet. Instit. Quibus modis tutela finitur: *Pubertatem veteres quidam non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant, antiquitatis normam in feminis bene positam in suo ordine relinquentes, ut post duodecimum annum completum viripotentes esse credantur.*

Amicitur, amictus. In oratore, aut declamatore etiam, qui surrexit ad dicendum, amictus non tam vestis est quæ mutatur vel injicitur ex integro sive induitur de integro, quam certa quædam ratio componendæ togæ ad aptam conformationem & condecentiam præsentis habitus, & actionis futuræ. Plinius junior. Lib. II. epist. III. de Isæo declamatore, *Surgit, amicitur, incipit.* Seneca pater de oratore Scauro, lib. V. contr. in præfat. *Scaurus dicebat negligenter sæpe causam in ipsis subselliis, sæpe dum amicitur, dicebat.* Atque in ipso quidem amictu dicentium fuisse momenti aliquid ad dicendum significat vel locus iste Tullii de Cl. Orat. CCXXIV. L. *Apuleius Saturninus eloquentissimus visus est. Magis specie tamen & motu, atque ipso amictu capiebat*

homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Quo loco firmari potest non levis conjectura nonnullorum ad hunc Ovidii versum, lib. II. eleg. V. de Ponto.

Spemque decens doctæ vocis amictus habet.

Ubi legi volunt, & recte, meo quidem judicio, etiam ex antecedente versu:

Dumque silens astat, status est vultusque diserti,
Spemque decens doctæ vocis amictus habet.

Sed de amictu Quintilianus lib. XI. cap. IX. plenius atque uberius.

Supra, nec uno loco memini de vocabulis synonymis unum & idem significantibus binis. Nunc occurrunt præterea quædam quæ συνωνύμως quoque ponantur.

Adire, & convenire. Cic. Famil. l. VI. epist. XIV. *Cum rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem, atque omnem adeundi & conveniendi illius indignitatem & molestiam pertulissem.*

Jungi, & copulari. Cic. de or. CXXII. *An hæc inter se jungi copularique possint.* Et eo libro qui Orator inscribitur num. CLIV. *Libenter etiam copulando verba jungebant.* Orat. CLIV.

Existimo, & judico. Idem valent hæc verba duo fere apud omnes scriptores. Est tamen, ubi distinguantur. Cicero in Topicis: *Vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia diriguntur & qui judicant, & qui existimant.*

Falli, & decipi. Ovid. IV. Trist. elegia. I.

Fallitur ancilla decipiturque labor.

Virg. IV. Æneidos.

Postquam primus amor deceptam morte fefellit.

Capi, falli. Cic. IV. Acad. XLIV.

Cavere, ne capiatur: ne fallatur, videre.

I. De Officiis num. XCIV. *Quid sit veri videre & tueri, decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam, &c.*

Podagra, vox una quidem est ex duplici Græca composita, ut sit ποδῶν ἄγρα cum quis captus pedibus est, aut *chiragra*, cum manibus captus. Sed quia Isidorus *podagram* ait vocatam a ferali dolore, siquidem omne quod immite fuerit, abusive agreste vocamus: & quia Charisius a pedum ægritudine podagricum dici vult, ille ab agro, hic ab ægro etymologiam sive interpretationem nominis ducunt. Seneca epist. LIII. *Pedes, dolent articuli, punctiunculas sentiunt, adhuc dissimulamus, & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio & incipiente morbo, quæritur nomen; qui talaria cœpit intendere, & utrosque pedes dextros fecit, necesse est podagram fateri.* Nodus impeditissimus, *utrosque pedes dextros fecit.* Quo loco Muretus silet: Nihil se extricare fatetur Lipsius, cum sic immutet, *dextros fecit*, distorserit. Tanaquillus Faber rem se factam habere existimavit, qui restituerit hunc in modum, *utrosque pedes tumefecit.* Solvo sic expeditius, & meo judicio satis feliciter, duarum tantum literarum mutatione, ut *ægros* legamus, non autem *dextros*. Primum enim tollatur *de*, quod est e superiori voce, *pedes*, malo & usitato exscriptorum more, repetitum. Relinquitur *xtros*, vel, *stros*. Ex quo facile fuit, *æ*, &, *e*, concinnare, ut fieret *ægros*. Jam vero & *morbo æger* Latine dicitur, & *æger pedibus*, qui podagra laboret. Itemque perfecta est hic allusio, & ex parte etymologia: *cum morbus pedes ægros fecit, necesse est Podagram fateri.*

Nam ubi habetur minus clare, qui talaria cœpit intendere, nihil est negotii, *quum* adverbium, pto, *qui* pronomine, substituere. Nec Guillelmi tamen Pellicerii conjectura displicet, quam ipse manu sua Senecæ nostro adscripsit olim: *utrosque pedes clodastros fecit.* Et erit quidem clodaster: qui leviter claudicet, ut surdaster, qui aliquantum male audiat.

Labor, laboro. Acad. IV. num. CXXXIX. *Laboro ut assentiar Epicuro aut Aristippo: revocat virtus vel potius reprehendit manu. Je panche du costé d'Epicure. Je suis sur le point de m'accorder à ce que dit Epicure, mais la vertu m'arreste & m'en detourne. Laboro, ut assentiar Epicuro. J'ay peine à consentir à ce que veut Epicure. La vertu m'en empêche & me retient.* Priorem lectionem videntur exigere ea quæ proxime antecedunt; *Video quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur.* Posteriorem astruunt quæ sequuntur: *Pecudum illos motus esse dicit: hominem jungit Deo.*

Indicare, indicatio, indicatura, eloqui, pretium statuere, pretium dicere, taxare, indicare semel. Verba sunt hæc forensia, & negotiationis, sive quis vendat, sive emat, seu liceatur. *Dites au dernier mot ce que vous en voulez avoir, ce que vous en voulez donner sans marchander davantage, je vous le laisse au prix qu'il m'a coûté, sans tant marchander.* Plautus Persa, actu IV. scena IV.

Po. *Modo ut sciam quanti indicet.*

Sa. *Siquidem hanc vendidero pretio suo.*

Sa. *Indica, fac pretium.* Po. *Tua merx est: tua indicatio est.*

Sa. *Age, indica prognariter.*

Po. *Indica, minimo daturus qui sis, qui duci queat.*

Po. *Tum tu pauca in verba confer; qui datur, tanti indica.*

Sa. *Habe tibi centum minis.*

Po. *Nimium est.* Sa. *Octoginta.* Po. *Nimium est.*

Sa. *Nummus abesse hinc non potest.*

Quod nunc dicam. Po. *Quid id est ergo? eloquere actutum atque indica.*

Sa. *Tuo periculo sexaginta hæc datur argenti minis.*

Cicer. III. de Off. LXI.

Uterque, (venditor & emptor.) *si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cum postulasset ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit se pluris æstimare.* Plinius Secundus in præfatione: *Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura. Multa valde pretiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata.* Seneca tragicus.

Quo pœna taxatur modo.

Præcidere. Præter varios ac multiplices hujus verbi significatus, duplex est peculiaris. Priori idem valet ac *dicere breviter, absolvere paucis.* *Ab-*

Abscindere sermonem, & ut Plautus loquitur, *verba conferre maxume ad compendium.* Milite glorioso. Tullius IV. Acad. quæst. CXXXIII. *Præcide, inquit: statue aliquando quid libet.* Posterior verbi vis & potestas est, omnino quid alicui negare. Tull. ad Att. Lib. VIII. epist. IV. *Nunquam reo cuiquam, tam humili, tam præcise negavi, quam hic mihi. Plane sine ulla exceptione præcidit.* Et alio loco: *Balbus minor aiebat, nihil malle Cæsarem, quam ut Pompeium assequeretur. Balbus quidem major ad me scribit, nihil malle Cæsarem, quam principe Pompeio sine metu vivere.*

Que Cesar ne demandoit pas mieux.

Hospes. Distinguitur quidem *hospes* a *caupone*, tum quia ille recipit hospitio aut recipitur, hic recipit solummodo: tum quia ille gratis, & officii causa, pro amicitia, & necessitudine aliqua, hic pretio & mercede, lucri gratia. Cic lib I. de div. n. LVII. *Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, & Megaram venissent: alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem, alterum.* Interdum tamen videtur hospes sic confuse dici, ut non tantum hospes hospitem, sed caupo quoque hospites accipiat. Pro Clu. CLXIII. *Hominem multorum hospitum A. Binnium quemdam cauponem.* Quanquam si verum quærimus & locus a nobis totus consulitur, jocus est ac lusus in verbis *caupo, hospes, invitare, hominem accipere, de via decedere.* Rursum *hospes* atque *peregrinus* sæpe pro eodem. Sunt in eam rem apud Tullium testimonia quamplurima. Alias distincte. II. contra Rull. XCIII. *Nos autem, hinc Roma qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenæ nominabamur.*

Soluta oratio. Orationem solutam dixit Tullius, ac vulgo dici significavit. III. de Orat. CLXXXIV. *Liberior est oratio, & plane, ut dicitur, sic est vere soluta.* Nunquam autem, quo modo plerique nunc, orationem dixit *strictam*, ac ne *adstrictam* quidem, aut *vinctam*, nisi adjungeret, *numeris*, usurpavit.

Palinodia, canere palinodiam, recantare palinodiam. Palinodiam recanto, ideo videtur vitiose dici, quia ex supervacuo dicitur, *recanto*: cum in voce, *palinodiam* vis jam insit & potestas contrariæ repetitionis. Satis enim est significari, *dico contra quam dixi*: non addendum, quod falso addatur, *rursum dico contra quam dixi.* Idem fere peccat qui sic loquitur, per κατ᾽ ἐξοχὴν cum satis sit, κατ᾽ ἐξοχὴν. *per*, addatur frustra. *Palinodiam* autem *canere* nemo dixit veterum Scriptorum. Itemque *palinodia* ita vox Græca semper fuit, ut apud priscos Romanos numquam pro Latina usurpata sit: quo tamen modo complures aliæ voces venerunt e Græcia in consuetudinem Latini sermonis. Nam quod Cicero istam vocem tertio adhibuit in epistolis ad Atticum; & fecit more suo, ut Græca interdum admisceret Latinis, nec usquam alibi usus est eo vocabulo.

Gratus in aliquem, ingratus in aliquem, sive erga, sive adversus. Ingratum tamen alicui legere licet, apud Comicum. Plautus, Persa act. V. sc. ult.

Ni id efficit: ni ei maledixit, ut grato ingratus repertus est.

Cic. pro Planc. XCI. *Si bene de me meritis gratum me præbeo*: Velleius Paterc. l. II. *Sulla gratus Dianæ, cujus numini regio illa sacrata est, solvit aquas, salubritate in medendis corporibus nobiles, vel potius agros omnes addixit Deæ.* Quanquam in locis primis duobus, non respondet fortasse nomen nomini, *grato ingratus, bene meritis gratum*, sed nomini verbum, ut sit *grato repertus, bene meritis præbeo.* Tartium vero locum, non interpretor sic ut *gratus Dianæ* dicatur, sed ut solvere aquas Dianæ quasi voti reus intelligatur. Plinius tamen secundus aperte ac sine controversia, *gratus alicui* l. X. ep. CXXI. *Mihi parum gratus tibi fore videbar si dissimulassem inter alia beneficia hoc unum, quod me debere sciebam indulgentiæ tuæ.*

Gratus in aliquo. Fam. l. III. ep. VIII. *Studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent.*

Major natu. Audio addubitatum esse nonnullis, satisne Latine diceretur de fratribus, aut filiis, *Major natu, natu minor, maximus natu, minimus natu.* Causa dubitandi fuit, quod apud Tullium *major* aut *minor natu* dicatur antiquior aut recentior quivis alius, filius autem aut frater, *major*, & *minor*, & *æqualis*, duntaxat, nude & simpliciter, nunquam addita voce, *natu*, usurpetur. Adde quod Terentio, cum de binis fratribus in comœdiis tribus agat, nunquam accidit, ut *natu majorem* aut *minorem* fratrem diceret; dixerit *majorem, minorem*, solummodo. Sed omnem scrupulum tamen nobis & dubitationem tollit Valerius Maximus lib. V. c. V. cujus hæc ibi verba habentur: *Scipio Africanus legatum se L. Scipioni, (fratri suo) in Asiam ituro, promisit, major natu, minori.* Itidem, cap. X. *Xenophon e duobus filiis majorem natu nomine Gryllum, &c.* Auctor quoque incertus argumenti in Eunuchum Terentianam. *Ejus*, inquit, *frater, minor natu, virginem amare cœpit.* Miror autem tam raro inveniri, ut quæsito opus fuerit, & majore quadam diligentia ad investigandum.

Ad vivum exprimere: Tirer au vif, au naturel. Non memini alias me legere apud ullum veterem probatum scriptorem, id quod vulgo nunc omnes loquuntur, *exprimere ad vivum.* Interrogati juniores studiosi, utrum aliquid ejusmodi, recenti memoria, legissent, negarunt: cumque amplius ac diligentius inquisiissent iterum, nihil inventum a se responderunt.

Opus est. Idem esse arbitror atque, *refert, expedit, utile est.* Non idem esse atque, *necessarium*, aut, *oportet.* Cic. II. de Or. XLIII. *Illud etiamsi opus est, tamen est minus necessarium.* I. ad Fam. IX. *Legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse.* XIII. ad Att. ep. XXV. *Hoc fieri & oportet & opus est.* IV. Att. VI. *Si loquor de rep. quod oportet, insanus: Si, quod opus est, servus existimor.*

Strenuus. Strenuus, navus est & industrius proprie, sive *celer ac diligens*, non *fortis*. Cic. II. in Ant. LXXVIII. *Celeriter iste, redisti, ut cognosceret te si minus fortem, attamen strenuum.* XV. ad Att. VI. *Noli me tam strenuum putare, ut ante Nonas recurram.* XVI. VI. *Magis commode quam strenue navigavi.* III. ad Heren. XXIV. *Strenue quod volumus ostendere factum, celerinscule dicemus. At aliud otiose retardabimus.*

Dures, as. Terentius Heautontimor. act. II. sc. III.

ST. Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. —

Pla-

Placet in primis mihi hæc mea conjectura, legendum esse ex una solummodo litera mutata, *dures dabis*, recto & convenienti sensu isto quo Syrus Cliniam alloquitur. Clinia ante ad Syrum;

Syre, vix suffero.

Hoc est, durare vix queo. Cui Syrus:

Imo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam dures dabit.

Id est, *atqui, quantum cognovi ex animo & affectu, patris, tibi iratissimi, velis, nolis, durandum tibi etiam diu, idque pater efficiet.* Quare quod subintelligit Calpurnius Brixiensis *duras vel lites vel partes*, & quod manuscriptus liber optimæ notæ apud nos habet quoque, *duras*, nihil hoc aliud significat nisi vetustum esse errorem istius loci, quem corrigimus.

Promitto, polliceor. Donatus in Terentium. *Promissio & pollicitatio eandem vim habent. Sed pollicitatio, majoris asseverationis est: item pollicemur magis sponte, promittimus rogati.*

Promitto & spondeo. Juncta sic inter se verba duo apud Tullium sæpius, quam ut debeat auctoritatibus & exemplis probari.

Polliceor, recipio. Ita demum distat *recipio* a *polliceor*, ut plus aliquid vitium habere videatur. Cic. ad Att. XIII. 1. *Quoniam de æstate polliceris vel potius recipis.* Augetur quoque significatus hujus verbi, si *in me, in te, in se*, addatur. *Je prens cela sur moi, je vous en répons, je m'en charge.* XIII. Fam. x. *Promitto in meque recipio, fore eum tibi & voluptati, & usui* XVII. *Spondebo tibi, vel potius spondeo; in meque recipio, eos esse M. Curii mores.* Ac ne illud quidem hic prætermittendum, a Cicerone adjungi receptum promisso, in Verrinis, in Antonianis.

Latine loqui ex Tullio est, *pure & emendate loqui.* De opt. gen. Or. *Pure & emendate loquentes, quod est Latine.*

Eleganter loqui tertium quiddam est quod adjungitur ad illa, superiusque est, cui tanquam cumulus accedit eloquendi vis & facultas. Itaque hic ordo est, & hi sunt quasi gradus elocutionis, ut primum pura sit, deinde ut emendata, tum ut elegans, denique ut ornata. Elegantiam sermonis Julio Cæsari Cicero tribuebat, prætereaque M. Bruto.

Horride & inculte dicere est *minime oratorie dicere.* Cic. Orat. XXVIII. *Putant qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere.* Huic loco Ciceronis jungendus alter ejusdem II. Att. 1. Ubi horridiora quædam ab Attico de Consulatu Tullii Tullius ipse significat conscripta fuisse. *Tua illa*, inquit, *horridula mihi atque incompta visa sunt.* Ut *horride inculteque scribere* sit, *inornate neque copiose scribere:* quamvis pure quis & emendate atque etiam eleganter scripserit. Quo loco animadverti par est, loquendi elegantiam neque grammaticæ proprie esse neque rhetoricæ; sed medium quiddam, vel expers amborum vel particeps; consuetudinis domesticæ, aut privatæ observationis. Cic. de Cl. Orat. CLIII. *Adjunxit etiam, ad dialecticam Servius Sulpitius, & literarum scientiam, & loquendi elegantiam.* Ibidem CXL. *In Antonio: verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone: itaque diligenter loquendi laude caruit, neque tamen est admodum inquinate locutus.* CXLIII. In Crasso *latine loquendi accurata & sine molestia diligens elegantia.* De Jul. Cæsare, CCLII *De Cæsare ipse ita judico, illum omnium fere oratorum loqui elegantissime: nec id solum domestica consuetudine, sed, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis & iis quidem reconditis & exquisitis, summoque studio & diligentia est consecutus.* CCLXI. *Cæsar rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat. Itaque ad hanc elegantiam verborum Latinorum adjungit illa oratoria ornamenta dicendi.* De M. Bruto. XV. ad Att. ep. I. *Quod judicium Brutus habet de optimo genere dicendi, ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius nihil esse possit.* Et proxime supra: *Est autem oratio scripta elegantissime, sententiis, verbis: ut nihil possit ultra.*

Vir & homo. Ex eo quod Tullius jungit hominem viro sæpissime, suspicari licet aliquid inter utrumque esse discriminis. Quale sit facilius exemplis declarari potest, quam verbis exprimi. II. Tusc. LIII. *C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur*, sive cum varices ei secarentur. . . . *crus alterum non præbuit, ita & tulit dolorem ut vir; & ut homo, majorem ferre sine causa necessaria noluit.* II. Q. Fr. x. *Cum veneris, virum te putabo; Si Sallustii Empedoclea legeris, hominem non putabo.* II. Fam. XIV. *M. Fabio, viro optimo, & homine doctissimo, familiarissime utor.* IV. Fam. VIII. *Neque te monere audeo, præstanti prudentia virum, nec confirmare maximi animi hominem, virumque fortissimum.* VI. ep. IV. *Quotidianus congressus & sermo cum familiarissimi hominis cum optimi & prudentissimi viri.* VII. ep V. *De quo tibi homine hoc spondeo. . . . probiorem hominem, meliorem virum, pudentiorem esse neminem.* XIII. ep. VII. *Hoc cum mihi gratissimum feceris, tum viros optimos, homines honestissimos, eosdemque gratissimos, & tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris.* XIII. ep LIII. *Lucio Genucilio Curvo jampridem familiarissime utor, optimo viro, & homine gratissimo.* XIII. LV. *Jam, apud ipsum, gratissimum hominem, atque optimum virum, quam bene positurus sis studium tuum, atque officium, dubitare te non existimo.* Pro C. Rabir. XXVI. *An non intelligis, primum quos homines & quales viros summi sceleris arguas?* XII. ad Att. XLVIII. *Quoniam Cæsaris omnis potestas essee viri optimi & hominis liberalissimi.* IV. Att. VI. *Virum bonum, & magnum hominem perdidimus.* II. de Fin. CXIX. *Credo Syronem dicis, & Polydemum, cum optimos viros, tum doctissimos homines.* III. de Orat. XIII. *Propter eos, tantos, tamque præcipites casus clarissimorum hominum atque optimorum virorum.* De Cl. Or. CXXXV. *Catonem, magnum mehercule hominem, vel potius summum & singularem virum.*

Ponere, Nihil neque frequentius, neque notius, quam *bene apud aliquem beneficium collocare* aut *ponere*, sed illud singulare forsan & unicum, *apud aliquem præclarissime ponere*, ut hic verbum, *pono*, quasi neutrum fit. XIII. Fam. LXIV. *Hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti: apud ipsum præclarissime posueris.* Quanquam videtur iste mihi locus depravatus. Sequitur enim: *sed mihi etiam gratissimum feceris.* In quo supplendum aliquid

aliquid ejusmodi, ut tota sit & emendata & perspicua dictio : *hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, non modo studium apud ipsum præclarissime posueris, sed mihi etiam gratissimum feceris.* De Pet. XXI. *Modo intelligat se magni æstimare, ex animo agere, bene se ponere.* Ubi subaudiri quoque *beneficium* potest ex antecedentibus verbis. Sed hæc etiam significatio verbi, *pono*, elegantior minusque vulgaris, cum dicitur a Tullio IV. Acad. II. *Erat memoria illa præstantior, quam fuisse in Themistocle, quem facile Græciæ principem ponimus, singularem ferunt.* Aut illa ejusdem Tullii, cum ait IX. ad Fam. XV. *Et quidem cum in mentem venit, ponor ad scribendum,* aut cum illud IV. acad. *Cum in ea arte tantum ponitis.*

Indolentia. Vox est *indolentia* ex eo genere verborum quæ plurima Cicero finxit, cum philosophiam primum literis illustrandam Latinis suscepisset. Sed & hic fecit more suo, ut molliret utendo, quæ nova fecisset, & novata etiam interpretaretur. II. de Fin. XI, *Nondum id quæro, num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia.*

Atque is eodem libro *indolentiam* passim, *vacuitatem doloris, privationem, amotionem, depulsionem* exponit. Agit autem in hoc secundo libro pluribus contra Epicureos, eorumque istam refellit indolentiam. Ex quo facile intelligitur in eo nonnullos errare, quod vocabula diversa duo confundant, tantumque falli qui *indolentiam* tribuant Stoicis, quantum falluntur si qui ἀπάθειαν Epicureis tribuendam existiment. Aliud est enim omni vacare dolore, in quo, præter voluptatem, posuerunt summum bonum Epicurei : aliud, vacare omni animi perturbatione atque affectu, quæ fuit tota ratio summi boni Stoicorum. Induxit videlicet imperitos in errorem vocum harum similitudo ἀναλγησία, ἀπονία, ἀλυπία, quas easdem atque ἀπάθειαν, falso putent, in utraque secta philosophorum.

Inscribo, inscriptio. Inter varias verbi hujus potestates intelligitur hæc ei subjecta vis insignis & notio, ut qui scribit epistolam, nomen apponat illius ad quem scribit, præponat suum, quamvis inferior multo dignitate. Ita Græci & Latini. Plato ad Dionysium, Syracusarum tyrannum, Aristoteles ad Alexandrum, Macedonum regem. Πλάτων, Διονυσίῳ, Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ. *C. Plinius Secundus T. Vespasiano suo Sal. C. Plinius, Cæcilius Trajano imperatori.* Lucianus denique ac divites per eum cum Deo, literas inscribunt, se prius, quam Dei nomen adscribunt. Ἐγὼ, inquit, Κρόνῳ χαίρειν. οἱ πλούσιοι τῷ Κρόνῳ χαίρειν. Atque iste mos, ut dixi, veterum utriusque linguæ diversis temporibus fuit. Quem etiam morem Ausonii poetæ ætate retentum, & servari tunc solitum ipse plane & aperte, epistola XX. ad Paulinum, indicat.

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior : & nomen prægrederere meum.

Quod enim præter consuetudinem inscriptionum initium facit a Paulino, non a se, ut debuit, sive ab Ausonio, necessitatem carminis excusat. Unus videtur excipiendus Valerius Martialis a quo ista, forsan per assentationem novam, inscriptio epistolæ in octavum librum epigrammatum, *imperatori Domitiano Valerius Martialis salutem.* Si tamen hæc ejus est inscriptio qui plerasque epigrammatum inscriptiones certe non fecit. Plerique vero omnes aliquot abhinc seculis honorificentius esse putarunt, si cujus nomen adscriberent epistolæ prius suo. Ac putidius etiam nonnulli nunc, qui nefas ducant aut non satis decorum, *te, &, vos*, sine majuscula initio litera scribere. Perinde quasi honos sit in grandioribus literis aliquis : quod sæpe Græci ne tum quidem cum propria nomina scribunt, observare curant.

Nullus, nulli, nullo. Non fuit quod Alvarus ex Sallustio in bello Jug. longe repeteret, & quasi peregre, *nullo*, in dandi casu, cum id habeamus apud Tullium in proximo. Pro Mur. XXVI. *Et carmen compositum est cum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo usui.* II. ad Herennium *Nos vero arbitramur non modo nullo adjumento esse, sed potius maximo impedimento.* Pro Quint. V. *Quod si tu judex nullo præsidio fuisse videbere contra vim & gratiam solitudini atque inopiæ.* Pro Cæcinna LVIII. *Tuus libertus nullo tuo præpositus negotio.*

Esse amori : Esse admirationi. Saluti esse, utilitati, voluptati, honori, fraudi, invidiæ, molestiæ, odio, similia sexcenta reperias apud Ciceronem : vix ac ne vix quidem *amori esse, admirationi esse.* Unus apud eum Cassius lib. XV. Fam. XIV. illud prius habet : *Spero homines intellecturos quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia.* Hujus posterioris, *admirationi esse*, exemplum adhuc quæro, cum dixerit Plinius, *in admiratione esse.*

Melli esse. Horat. Serm. XI. Sat. VI.

Ad Mecænatem memori si mente recurras,
Hoc juvat, & melli est : non mentiar.

Juvaturus, præstaturus. Plin. lib. IV. ep. XV. *Tuum quemcunque quæstorem in petendis honoribus, omni ope, omni labore, gratia simus juvaturi.* Cic. l. I. Fam. ep. VIII. *Otium nobis exoptandum est, quod ii, qui potiuntur rerum, præstaturi videntur.* Balbus Ciceroni lib IX. ad Att. ep. IX. *Benevolentiam utrique te præstaturum confido.* XIV. ep. XVIII. *Puto, si quid in homine pudoris est, præstaturum eum ne pro se quodammodo dependatur.*

Haud vidi magis. Nihil vidi magis. Tanto melior. Si Dis placet. Optimum est. Egregium vero. Scilicet is superis. Dicta quædam intelligenda ex contrario, ac per ironiam. Plautus Amphitruone, sc. *Satin' parva.*

AM. Expectatusne advenio? SO. haud vidi magis
Expectatum.

Id est, *qui magis expectatus advenirent.* Captivis, sc. *Quo illum.*

HEG. At etiam te suum sodalem esse aiebat. TYND.
Haud vidi magis.

Id est, *qui magis sodalis esset.* Pœnulo, sc. *Sæpe ego res multas.*

AG At amans per amorem si quid feci, Milphio,
Ignoscere id te mihi æquum est. MI. Haud vidi
magis.

Id est. *quidquam esse æquum.* Cic. pro Sex. CX. *Est enim homo iste populo Romano deditus. Nihil vidi magis, qui usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset.*

Tanto melior. Videtur hæc formula dictum alterius aut factum probantis, atque gratulantis sive serio, sive per jocum & fallaciam. Phædr. lib. III. Fab. V.

Æsopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior: assem deinde illi dedit.

Quintil. lib. VIII. c. II. *Unde illa scilicet egregia laudatio, Tanto melior: ne ego quidem intellexi.* Quasi dicant hi: *Bene, quod lapidem mihi impegeris. Bene, quod obscures orationem. Nihil potuit melius.* Seneca epist. XXXI. *Rursus ad honesta nitentes, quanto minus sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo: tanto melior; surge & restriga.*

Plerorumque. Durum & insolens, neque usquam in probis Scriptoribus, eo casu multitudinis, positum vocabulum: quicquid contradicat Gaspar Scioppius, contraque ipse sæpe fecerit.

Litera, cognitiones, scientiæ. Ut literam, pro literis sive studio literarum, numero singulari; ita cognitiones & scientias, pro multiplici scientia & cognitione rerum, plurali numero, apud Tullium non memini legere.

Actor. Actor, quem factorem vulgo appellant, is est, sive servus, sive liber, sive rure, sive domi atque in urbe, qui negotium gerit alterius, minus aliquid aliquanto, quam procurator, aut œconomus, aut dispensator, aut villicus. Columella lib. I. de re rust. cap. VIII. *Idem actori præcipiendum est, ne convictum cum domestico, multoque minus cum extero habeat.* Et l. XII. c. III. *Nihil nocebit, si villicæ atque actoribus, & aliis in honore, servilis vestis domi confecta fuerit.* Plin. lib. III. ep. XIX. *Posse utraque prædia, sub eodem procuratore, ac pæne iisdem actoribus habere.* Hac voce scienter & perite usus est vulgatus interpres, cum Græca Pauli ad Gal. c. IV. versu II. νήπιος ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐςὶ καὶ οἰκονόμους, Latine redderet, *Parvulus sub tutoribus & actoribus est.* §. ult. inst. de Curatoribus. *Quod si tutor adversa valetudine vel alia necessitate impediatur, quominus negotia pupilli administrare possit: & pupillus vel absit vel infans sit: quem velit actorem, periculo ipsius tutoris prætor vel qui Provinciæ præerit, decreto constituet.* Latius patet ea notio vocis apud Cic. III. ad Att. XVIII. *Scripseras … causam nostram Pompeium certe suscepturum: actorem etiam daturum.*

Suscipio: Suscepti: Suscepta: Suscipere aliquem ejus causam, patrocinium, & defensionem suscipere, illum amplecti illius rationem & curam habere, ejus studere partibus. Cic. XVI. Fam. ep. XII. *Ego A. Varroni diligentissime te commendavi, ut totum te susciperet ac tueretur.* Vatinius apud Cic. l. V. ep. Fam. IX. *Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum. Suscepti*, id est, clientes. Servius in Virg. VI. Æn. ver. 609.

Fraus innexa clienti.

Vult intelligi prævaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc *susceptos* vocamus. *Suscepta:* cliens cujus personæ aut rei susceptum patrocinium. Augustinus contra Julianum libidinem sive concupiscentiam carnis, cujus ille defensionem susceperat, sex libris octies appellat ejus *susceptam.* Locus iste ex omnibus maxime insignis lib. IV. c. XV. *Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tua suscepta, quod fidem libertatemque patroni non decuerat, erubescis.* Ceteri septem loci, non exscribendi quidem illi omnino, si breves esse studemus: sed indicandi tamen, si consultum labori pariter & intelligentiæ lectoris volumus. Vide sis ergo lib. III. c. XIV. lib. IV. c. II. XII. XIII. XV. lib. V. c. VI. VII.

Sum. In verbo substantivo *sum*, nnsquam, *erint*, reperias: sed ubique legendum, *eraat.* In futuro indicativi est, *erunt.* In futuro subjunctivi, *erant*, vel *fuerint.* In decem aut undecim verbis ex substantivo verbo compositis, semper, *aberunt, aderunt*, & his similia: nunquam, *aberiat, aderint, suberint, supererint*, nec ejusmodi cetera. Ac ne in patiendi quidem verbis, ubi necessario tempora quædam ex substantivo verbo supplentur, aliud, numero plurali, tertia persona, futuro subjunctivo, nisi, *erunt* aut *fueriat*, legas. Habent videlicet quatuor conjugationes verborum, *amati erunt vel fuerint, docti erunt vel fuerint, lecti erunt vel fuerint, auditi erunt vel fueriat:* de voce barbara, *erint*, nulla mentio. Hæc monenda duxi propter eos, qui non satis internoscunt librariine aliquid, an scriptores peccarint, quippe cum in libellos editos irrepserit iste sæpe errot vitio & negligentia operarum. Etenim apud Ciceronem, Philipp. XIV. num. XXVII. cum alii legant, *si aberint*, alii, sic *aberiat*, mendum sublatum video in editione omnium optima, Hamburgensi, Gruterana, ubi sic habetur ex codice Palatino. *C. Pansa, A. Hirtius, Consules, aut si aberunt, M. Cornutus, prætor urbanus, &c.*

Infractus. Ambigi potest utrum præpositio *in* privet ea vi, quam vocabulum simplex habeat, an firmet potius ac roboret. Servio videtur *infractus* valere, aut *valde fractus* seu *fractus antea*, aut *omnino non fractus.* Ita adeo sentit, quia loci Virgilii quinque sexve sensum admittant utrumvis. Meo quidem judicio sonat idem *infractus* atque *fractus*, ut *curvus* & *incurvus*: *canus* & *incanus*: quod aliter de *invicto* sentiendum. Sed & *infractio animi* demissionem solummodo & abjectionem notat, non animum fortem, magnum & invictum.

Operarum harum. Habet illud Quintilianus l. IX. cap. IV. in præceptis compositionis, de junctura verborum: *Videndum ne Syllabæ verbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis.* Minime porro mirum videri debere cuiquam, ita si præcipiat; siquidem id vitii Ciceroni in epistolis exciderit, & in carmine. Quid si vero Tullius fecit interdum prudens, sic ut loqueretur? Pro Mur. XXI. *Servius assiduitatis & operarum harum quotidianarum putat esse consulatum.* In Verr. lib. IV. de signis CXXIV *Quam multi Græci de Valvarum harum pulcritudine scriptum reliquerint.*

Pleniore ore. Non affine modo illud, sed par ac prope idem Cic. lib. I. de Off. LXI. *ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus.* Cui adjicias & hoc licet, initia diversarum vocum continua eadem. II. de divin. CXLIII. *Alcibiades visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo.*

Proxime supra vetuit quoque Quintilianus, ne S. ultima cum X. proxima committeretur. Sed neque minus dure confligunt atque colliduntur inter se, *ex*, & *ex*, sive in uno vocabulo, ut *exlex*, sive in duobus, ut *rex exit*: a quo tamen non semper Cicero

re-

refugit. III. de Off. n. XXXVIII. *Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ* Quinctiam videtur sic de industria locutus. III. de Orat. XLI. *Nolo verba exiliter exanimata exire.* Item XLII. *Hanc dico suavitatem, quæ exit ex ore.*

Verba numero tria, diversa modis, temporibus, significatu trajicit Cicero, & continenter ponit in oratione, idque ita, ut non hæc tamen fiat obscurior. Non faceremus vero nisi auctoritate freti & exemplo tanti scriptoris. IV. in Catil. XIX. *Atque hæc non ut vos, qui mihi studio pæne præcurritis, excitarem, locutus sum.* I. de Or. C. *Jam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quæ percunctati erimus, explicaris, dimiserimus.* num. CXXXV. *Studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris.* Cœlius Ciceroni lib. X. ad Att. ep. XI. *Saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta.* V. Tusc. LXXVI. *Ut jam a laqueis Stoicorum, quibus usum me plus ibus, quam soleo, intelligo, recedamus.*

Tollo. Exquisita & valde propria florentis & beatæ illius ætatis significatio verbi, *Tollere: tolli in currum, rheda tollere: Prendre quelqu'un dans son carrosse, ou dans sa litiere, pour le mener avec soy.* Cic. ad Quinct. Fr. lib. II. ep. IX. *Mea factum est invisa verecundia, ut te proficiscens non tollerem . . . Marium autem nostrum in lecticam conjecissem . . . cum hominem portarem ad Baias . . . Hunc, ut dico, certe sustulissem.* II. de Off. XCIV. *Phaëton optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est.* Horat. lib. II. Serm. Sat. VI.

Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens.

Eodem fere pertinet & illud Tullii, pro Quint. XII. *Tollitur ab atriis Licinius, atque a præconum consessu in Galliam Nævius, & trans Alpes usque transfertur.* Atque in eandem quoque sententiam Horat. lib. III. Od. IV.

Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos.

Inter duo substantiva quorum sit alterum genitivi casus, ponunt sæpenumero aliquid idonei scriptores, inprimisque Cicero, atque id nescio cujus elegantiæ causa, certe nulla necessitate, imo minore in speciem claritate dictionis. III. de Off. V. *Si gladium quis apud te sanæ mentis deposuerit.* Virg. I. Georg.

Urit enim lini campum seges.

Ad annotata quinque aut sex ab Horatio Tursellino, accuratissimo scriptore, in adverbiis ordinis addo ego totidem, aut etiam plura.

Denique, postremo. Ad Famil. II. ep. XV. *Deque nunc sollicitus non sum; postremo, non tam mea sponte.* I. Cont. Rull. II *Urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint.*

Primum, deinde, deinde &c. In Famil. VII. *An ego tibi obviam non prodirem? Primum Appio Claudio? Deinde imperatori? Deinde more majorum? Deinde quod caput est, amico.*

Primum, tum, denique ad extremum. Post. red. ad Quir. XVI. *Cujus oratio fuit tripartita. Primum vos docuit . . . tum in perorando posuit . . . denique ipse ad extremum.*

Primum, deinde, postremo, denique: postremo. I. de Nat. CIV. *Primum ubi habitet . . . deinde quæ causa . . . postremo, cum hoc proprium sit . . ad quam denique rem . . . postremo quo modo beatus sit* Quæ vero sequitur multiplex enumeratio & longior & liberior, maxime est sine dubio insignis, in primo de Oratore libro, num. CXLII. *Primum-deinde-tum ea denique-post-ad extremum.* Num. CXLIII. *Initio-deinde-postea-tum-post-extrema autem oratione.* Num. CXLIV. *Primum-deinde-tum-post.*

Offendo, violo. Violare homines non omnino idem est atque *offendere.* I. Off. XCIX. *Industriæ partes sunt, non violare homines: verecundiæ, non offendere.*

Colo, vereor. Verendi major quædam vis est, quam colendi LXXXIII. de Amic. *Neque solum colent amici inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.* Itaque non erat quamobrem Beza immutaret vel leviter illud vulgati interpretis, Matth. XXI. 37. Luc. XX. 13. *Verebuntur filium meum*, poneretque *reverebuntur: ils n'ont pas eu égard à mes serviteurs: ils auront du respect pour mon fils.*

Ridiculus. Is est etiam ridiculus, qui movet risum facile: non tantum qui ridetur facile ipse. Cic. de Cl. Orat. CCXVI. *Cn. Sicinius homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam.*

Malo. Cum ex interpretatione Ciceronis, atque etymologia verbi, *malo* sit pro *magis volo*, *malle* pro *magis velle*; redundet oportet adverbium, *potius*, in isto exemplo, lib. XIV. ad Att. ep. XIV. *Arbitror malle te quietam senectutem & honorificam potius agere, quam sollicitam.* Quanquam hoc ipsum, *malle potius* videtur non adscribendum M. Tullio, sed M. Antonio cujus epistolam Tullius inclusit in suas. Sed hic quoque Gasparis Scioppii in grammaticis institutionibus Latinis erratum duplex, qui velit *potius*, cum, *malle*, a Cicerone conjungi loco isto per pleonasmum: *Casum potius, quam te laudari magis.* Primum enim editiones Roberti Stephani, Dionysii Lambini, Pauli Manutii, Mamerti Patissonii, Jani Gruteri, aliæ aliorum ferme cunctæ habent, *potius laudari vis*, non, *laudari mavis.* Deinde vero, ut ita non esset, epistola illa XV. libri quinta ad Famil. ubi hæc leguntur, Catonis est ad Ciceronem, non Ciceronis ad unum ex familiaribus aliquem.

Nihil aliud nisi sola virtus. Falso attribuit Nizolius Ciceroni hoc παρέλκον, *sola.* Nizolius quidem: *Zeno nihil aliud numeravit in bonis nisi solam virtutem.* Cicero vero I. Acad. XXXVI. *Zeno qui omnia in una virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis.* Rursum ibidem affictа quædam verba Ciceroni a Nizolio videmus, ut, *circumstantiat*, & similia, quæ nunquam, aut non isto modo usurpavit Cicero. Itaque studiosis junioribus maxime providendum & cavendum puto, ne quod Nizolii tantummodo est, Tullianum continuo existiment.

Quandoque. Non est, *quandoque*, eo sensu Latinum, quo sensu parum accurati Scriptores sive in-

interptetes accipiunt, ut significet, *aliquando*, *aliquoties*, *interdum*, *rarius* : sed idem valet atque, *quando*, *quandocunque*, *quotiet*, *quotiescunque*, *si quando*, *tunc cum*. Excute Horatium tribus locis : sic intelliges, sine ista acceptione verbi constare non posse sententiam versuum. In IV. lib. Carm.

Concinet majore poeta plectro
Cæsarem ; quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sicambros.

In Oda prima :

Et quandoque potentior
Largis muneribus riserit æmuli.

In de arte poet. Chœrilum :

Bis terque bonum cum risu miror, & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

Ægre fero si quando quid excidat tam bono poetæ; Chœrilum rideo pessimum poetam, qui si toto in opere iterum ac tertio recte & emendate scripserit, miror.

Videntur expressa quædam verbis nimis simpliciter, vernacule seu Gallice potius, quam Latine, quæ tamen recte loquentium commendat usus : & ipse interdum Cicero in oratione posuit. lib. v. ad Att. XXI. *Scaptius me rursus seducit & rogat ut rem sic relinquam.* Id est, ut integram rem & causam relinquam : *il me prie de laisser là toute l'affaire, sans rien decider, ou sans m'en mêler davantage.* XII. ad Att. I. *Istuc jam pro facto habeo : Je tiens cela pour fait.* VIII. Fam. IV. *Nunciatum nobis, & pro certo jam habetur.* XIV. Att. XVII. *Incipit res melius ire, quam putaram.* Ibidem XVIII. *Nunc, mi Attice, me fac ut expedias.* XII. Att. XXIV. *De Attica optime it, ei salutem dices & Piliæ.* I. Acad. XLII. *Errorem & temeritatem & ignorantiam & opinationem & suspicionem, & uno nomine omnia quæ essent aliena firmæ & constantis assensionis: En un mot.* I. ad Famil. VI. *Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum.*

Capio consilium, capio voluntatem, consentio, suscipio molestiam, cum modo infinito. Digna vetere Roma locutio, digna Cicerone, qui, quemadmodum vere gloriatur, exquisitius & minime vulgare genus orationis attulit XIV. ad Att. XIII. *Nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum cum consilium cepi legari a Cæsare* lib. II. in Verr. XLI. *Cepit consilium de amicorum & propinquorum sententia, non adesse ad judicium.* De Clar. CXLVII. *Cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuisse in nostra rep.* VI. ad Fam. ep. XVIII. *Q. Curtius consensit cum Hispanis quibusdam, si in oppidum Pompeius venisset, eum comprehendere.* I. contr. Rull. XV. *Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est?* II. Philip. XVII. *Cum homines confiterentur se urbem inflammare consensisse.* III. de nat. Deor. LXIII. *magnam molestiam suscepit & minime necessariam ... commentitiarum fabularum redde rationem, vocabulorum, cur quidque ita appellatum sit, causas explicare.*

Alere, educare, exhibere. Plaut. Menæch. sc. Juventus.

PE. Nam illic homo homines non alit, verum educat. Nonius; *Alere est victu temporali vitam sustentare: Educare autem, ad satietatem perpetuam educere.* Quibus verbis suis versum Plauti quasi testem producit, sed corruptum & parum idoneum.

Nam illic, inquit, *homo homines non aves educat.* Quo loco neque habetur mentio verbi, *alo* : neque constat in versu ratio & numerus syllabarum. *Exhibeo* vero *aliquem*, pro, *alicui præsto alimenta*, modus est loquendi jurisconsultorum. Ulpianus D. lib. XXV. tit. III. leg. v. idque eodem loco sæpius: *Si liberi desiderent, ut a parentibus exhibeantur.* — *Idem in liberis quoque exhibendis a parentibus, dicendum est.* — *Divus Pius rescripsit, ut filiam suam pater exhibeat.* - *Sed si filius possit se exhibere.* - *Quibus alimentis necessario filiam tuam exhibuisti.* — *A milite filio exhibendos parentes esse.* - *Si sit unde se exhibeant.* - *Patroni filium negat exhibendum.*

Consilium est, sententia est, cum infinitivo, pro *deliberatum, propositum, statutum, constitutum, certum est*, cum eodem modo. Lib. IX. ad Att. VI. *Primum, consilium est suffocare urbem & Italiam fame; deinde agros vastare, urere.* III. ad Her. XL. *Pluribus verbis ad eam te hortari non est sententia.*

Proximus. Proximum, quod ad tempus spectat, non solum dicitur Latinis illud quod antecedit, sed hoc etiam quod sequitur post. Illius omitto exemplum, quia in promptu est omnibus : hujus autem subjicio, quod non ita obvium cuivis. Cic. x. Famil. ep. XXVI. *Scilicet id agitur utrum hac petitione an proxima prætor fias.* Id est, utrum hoc anno præturam petas, an petitionem in consequentem annum sive venientem differas. II. de Fin. LIV. *Ita aperte cepit pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola Tribunus pleb. ferret ad plebem.* Id est, ut anno, post quam cepisset pecunias III. ad Att. XXIII. *Tu ad me, velim, proximis literis, ut se initia dederint, perscribas.* Cœlius lib. VIII. ep. IX. *Ut video, causa hæc integra in proximum annum transferetur.* VIII. ad Att. II. *Conculcari miseram Italiam videbis proxima æstate.*

Bene Latine loqui, bene Græce. Certa quodam modo nonnulla exprimuntur verbis, quæ nunquam sic exprimas, nisi quia mos iste loquendi gentis Latinæ proprius fuit & veterum Romanorum. Hac ratione & forma significare vis bene loquentem Latine? Significat Cic. III. de Orat. XXIX. *Quid jucundius auribus ... hujus oratione Catuli, quæ est pura sic, ut Latine loqui pæne solus videatur.* Bene Græce loquentem? II. de Orat. II. *Illud sæpe intelleximus Crassum Græce sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur.* Virum esse doctissimum? Lib. eodem : *Doctoribus nostris eu ponere in percunctando, eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur.* Doctorem minime aptum ad docendum? Pro Flacc. XLVI. *Habebat rhetor iste adolescentes quosdam locupletes, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat, ubi nihil possent discere, nisi ignorantiam literarum.* III. de Orat. XCIII. XCIV. *Ob eam causam juventus nostra dedisceret pæne discendo.* - *Hos novos magistros nihil intelligebam posse docere nisi, ut auderent.* - *Hoc cum unum traderetur, & impudentiæ ludus esset.* Historicum, qui ab optimo longe abesset? I. de leg. VII. *Sisenna in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque præterea quemquam de Græcis legisse videatur.* Item quædam solerter, & ingeniose elata, quæ quo appelles nomine, quod ad

ca-

caput adversariorum referas, non habes? Cic. ad Att. l. x. *Velim ut tibi amicus sit. Hoc cum tibi opto, opto ut beatus sis, erit enim tamdiu.* IV. de Fin. VII. *Scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam: sed sic, ut si quis obmutescere concupierit: nihil aliud legere debeat.*

Communis Mercurius. In commune. Ex duobus una iter facientibus, si quid unus inveniret in via, alter autem sibi partem peteret, succlamabat hic statim apud Græcos Κοινὸς Ἑρμῆς, apud Romanos, *In commune.* Quo dicto jure sibi aliquid tanquam suum vindicare ex præda communi censebatur. Ac facit id quoque nunc vulgus nostrorum hominum, cum dicat invenienti continuo sub rem inventam: *J'y retiens part.* Repetunt hoc proverbium critici recentiores e Theophrasto charact. Βδελυγίας, e Luciano in votis, e Phornuto in Mercurio, ex Hesychio, e Phædri lib. v. Fab. VI. e Senecæ ep. CCIX.

Video, viso, Eo visere, certo scio, Certum scio, certiorem facio. Quid hæ voces valeant separatim diversisque locis, norunt omnes: quomodo a jungendis peculiari quadam ratione non refugerint antiqui, non ita constat plerisque, quod planum fiet exemplis. Cic. IX. ad Fam. ep. XXIII. *Constitui ad te venire, ut & viderem te, & viserem, & cœnarem etiam. Eo visere.* Terent. Hecyra, sc. Senex si quæret.

PA. Nostra illico
It visere ad eam.

Phorm. act. I. sc. II.

GE. Vultisne eamus visere.

Plaut. Rud. act. I. sc. II.

PL. Nunc huc adveneris fanum venio visere.

Cic. IX. ad Fam. ep. XXIII. *Cum certum sciam, faciam te paullo ante certiorem.* Ep. X. *De quo, etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio . . . Te hoc scire volo, vehementer populum solicitum fuisse de P. Syllæ morte, antequam certum scierit. Nunc quærere desierunt, quomodo perierit. Satis putant se scire, quod sciunt.*

Æther, favor, urbanitas, redamo, beatitas, beatitudo. Vocabula primum cœpta Tullii ætate usurpari. II. de Nat. XCI. *Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam æther Latine, quam dicitur aër.* Nam nomen erat *aër*, Græcum illud quidem, sed receptum jam tamen usu a Romanis. Tritum est enim pro Latino. Quintil. Lib. VIII. c. III. *Favorem & Urbanum Cicero nova credidit.* Alterius exemplum affert ex epistola ad Brutum quæ non extat: alterius, ex epistola VIII. ad Appium Pulcrum quæ habetur lib. III. ad Famil. Addo ego Quintiliano ex Cicerone pro Sextio num. CXV. locum insignem unde constet quoque *favorem* tum vocabulum novum fuisse. *Qui rumore, &, ut ipsi loquuntur, favore populi tenetur & ducitur.* Alias ista voce usus tantummodo semel Cic. Orat. pro Roscio. Com. XXIX. *Quam enim rem, & expectationem, quod studium & quem favorem secum in scenam detulit Panurgus.* Verbum quoque, *redamo*, novum putavit Tullius, ac velut ætatis illius, qua erat ipse. Usus est autem isto, ut recordor, non sæpius quam semel, idque cum præmunitione solemni sua, *ut ita dicam.* De amic. XLIX. *Animo virtute prædito, eo, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare possit.* I. de Nat. Deor. XCV. *Ista sive beatitas, sive beatitudo dicenda est. Utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt.*

Nepotes nusquam pro posteris in singulari reperiuntur, sicuti neque *majores*, neque *minores*, neque *priores*, neque *posters* simpliciter, ac ne apud poetas quidem. Ubi enim lectum aut auditum, *major, minor, prior, posterus* & *nepos* pro posteritate?

Teneor facere. Teneor cum infinito modo, pro *debeo, cogor, oportet, officium est, partes sunt, contra officium est, non possum, salva fide, salvo officio, salvo jure, salva lege*, tam vitiose dicitur, quam vulgariter ab omnibus Latini sermonis ignaris. Da, si quis est scriptor modo tolerabilis, qui sic locutus sit. Quid quod ne juris quidem consultis veteribus, qui millies agant de obligationum vi nexuque, venit in mentem, cum dicant *lege teneri*, dicere *teneor* aut *tenemur facere.* In institutionibus legas modo, *ipse de re ea, quam accepit, restituenda tenetur.*

Opem & auxilium: ope & auxilio. Antea loco suo fugit me admonere, has voces duas jungi sæpius, sive συνωνύμως, sive εἰς ἔμφασιν. Pro Dom. XXVII. *Qui meæ saluti opem & auxilium tulisset.* pro C. Rab. num. V. *Ab Jove opt. max. ceterisque Diis, quorum ope & auxilio resp. gubernatur.* l. II. in Verrem. num. IX. *Si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis.*

Subsidio sum, juvo, prosum, efficax, cum dandi aut accusandi casibus legitimis suis, sensu tamen prope contrario. Cic. pro Sylla XLV. *Cum literæ posteritatis causa repertæ sint, quæ subsidio oblivioni esse possent.* Id est, *contra oblivionem, sive ne quid oblivisceretur posteritas.* Horatius lib. I. epist. II.

Juvant fomenta podagram.

Id est, *remedium sunt, aut remedio sunt, contra podagram.* Apud Plinium vero itemque apud Celsum multa passim dicuntur prodesse, apta esse, utilia, efficacissima morbis, id est, morbis tollendis, sive contra morbos. Pari ratione ac figura loquendi dici posse arbitror *hamos piscibus aptos*, etiamsi non adjiciatur, *capiendis.* Propterea quod ea vox maxime propria hujus rei, atque hamus fere solum comparatus ad capiendos pisces. Contra vereor, id dici possit, *calamus, arundo, lina, linea, rete, retia, apta piscibus, avibus, feris*, cum pateant latius & in alia plura conveniant. Sed hæc omnia deciderit usus, & auctoritas veterum sicunde aliqua erui poterit, etiam nulla, immo adversante ratione.

Exardens. Animadverterunt grammatici quidem inchoativa verba præteritum, a verbis, unde nascuntur, mutuari posse. Sed iisdem minime observatum, participium inde non semper repeti. Ut dicatur *exardesco, exarsi* ab *exardeo; incalesco, incalui*, ab *incaleo:* non dicatur *exardens, incaleas*, ab *exardeo* & *incaleo.* Neque, opinor, *ingemens* ab *ingemisco.*

Particulatim, Particularis. Adverbio usi sunt isto, Lucretius, auctor ad Heren. Seneca, Columella, & si qui alii. *Particularem* nemo dixit

veterum, nisi qui fuerit hospes & peregrinus Romæ.

Animadvertere. Animadverti passivum quoniam Cæsar in commentariis sæpius posuit, Adrianus Cardinalis notandum duxit. Multo mihi magis notandum videtur, quod Virgilius in carmine huic verbo locum esse posse existimavit Georg. lib. II.

His animadversis terram multo ante memento
Excoquere.

Et lib. III.

His animadversis, instant sub tempus, & omnes
Impendunt curas denso distendere pingui.

Sum. Artis literarum magistri præcipiunt ad unum omnes, verbum substantivum, *sum*, jungi cum dativo, ea ratione qua Cicero dixit I. de Or. XXXIV. *Et vobis honori, & amicis utilitati, ac reip. emolumento esse possitis.* Verumtamen, utrum idem verbum admittat aliquando ablativum, prorsus tacent: de quo certe celandi non fuimus. Cicero ergo ad Att. & lib. V. epist. prima ex edit. Ascensii Badii, Caroli Stephani, Christophori Plantini, Pauli Manutii: *Multa prætereo, quæ tum mihi majore stomacho, quam ipsi Quincto fuerunt.* Et lib. X. epist. ultima ex iisdem editionibus & Gruteri præterea: *Me mirificæ tranquillitates adhuc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt, quam custodiæ, quibus asservor.*

Illud quoque, ut alia quæ supra attuli, concinne ac venuste dictum a Tullio, ac libenter quidem cum bis eodem tempore, hoc est, sub interitum Cæsaris dixerit. XIV. ad Att. ep. XXI. *De Patuleiano nomine, quod mihi suppeditatus es, gratissimum est, & simile tuorum omnium*, De Fato IV. *Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, & tuorum omnium simile: nihil enim unquam abnuit voluntas tua meo studio.*

Quis vero ausit, vel potius cui veniat in mentem sic loqui, ut Cicero locutus est, nisi hunc habeat dicti gravissimum auctorem. II. de Div. CXIV. *Sed nescio quomodo isti philosophi, superstitiosi, & pæne fanatici, quidvis malle videntur, quam se non ineptos.*

Ab eadem ingenii solertia, parique jucunditate orationis nata hæc, III. de Orat. LXIV. *Epicureos admoneamus, ut illud tacitum, tanquam mysterium teneant, quod negant versari in rep. esse sapientis. Nam si hoc nobis persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.* LXV. *Stoicos quos minime improbo, dimitto tamen; nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt.*

Pro Dejotaro IX. *Cum facile exorari Cæsar, tum semel exorari soles.* Pro Lig. XXXV. *Memoria teneo-- Sed parum est me hoc meminisse: spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias.* XXIX. *Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quamplurimos.*

Constitutum habeo, id est, *contractum*. Cic. l. VII. ep. IV. *Si quid constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas ... & me hoc biduo aut triduo expecta: Si vous êtes d'accord & comme d'intelligence avec vôtre goutte; si vous avez quelque chose d'arresté ensemble, differez à un autre tems d'être malade, & ne permettez pas que vôtre mal vous prenne à l'ordinaire. Attendez de me voir au plûtôt. Dans deux ou trois jours je suis à vous.* Hoc figurate translateque dictum, *constitutum aliquid cum podagra*, sic tanquam cum homine *habere.* Illud proprie XII. Att. XXIV. *Sica rescripsit constitutum se cum Silio habere.* Sed id superius quod translatum est, Cicero per jocum scripsit ad Marium identidem laborantem ex pedibus, quicum sæpe jocari soleret. Itaque male hunc locum interpretatur Manutius, & ex eo Gothefridus, quasi serio locutus sit Tullius ita: *Si constituisti curare podagram, has curationes tuas differ in aliud tempus:* quæ est expositio petita longius, nec tam elegans.

Minuti ac nimium diligentes, qui, ne verbis utantur tribus, eadem prima litera continenter, cavent. Non ita Cicero V. Tusc. XCVI. *Corpus gaudere tandiu, dum præsentem sentiret voluptatem: animum & præsentem percipere pariter cum corpore.*

Noceo. Nocere videtur levius, quam injuriam facere. De fin. III. LXXI. *Alienum esse a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere.*

Diligo sive amo, carumque habeo. Alterum supervacaneum in speciem, revera non est tamen: cum frequentius nihil sit quam illud apud Tull. I. Famil. VII. *Quem nos in primis amamus, carumque habemus.* II. Att. XX. *Pompeius amat nos, carosque habet.* Pro Corn. LIX. *Eos, qui principes fuerunt conservandæ salutis aut dignitatis meæ, diligitis, & caros habetis.* I. de Fin. LIII. *Diligi & carum esse jucundum est.* II. Off. XXIX. *In has clades incidimus, dum metui, quam & chari esse & diligi maluimus.*

Corpus, caro. Qui Latine sciunt ac loquuntur, opponere solent *animo corpus*: sacri Scriptores *carnem.* Nihilominus apud Tullium semel *corpus*, pro *carne*, pro *corpore carnem* poni videor animadvertisse. II. de Nat. Deor. CXXXIV. *Quid dicam de ossibus, quæ subjecta corpori mirabiles commissuras habent?* I. de Leg. LX. *Nam cum animus a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, ... societatemque carnis ejecerit.* Nisi forte aliud hic legi oportet: de quo non habeo quid affirmem.

Mi. Cum recte dicatur, *Mi homo*, facile fuit imprudenti eo labi, ut non vitiose dici existimaret, *Mi mulier*: præsertim cum de isto nihil fere grammatici admonerent: quod tamen erratum non leve est. Neque enim hic vocandi casus accommodatur ad genus femininum, neque ad neutrum. Unde novimus? Ex eo quod & apud Plautum passim, *anime mi, mi lepus, mea rosa, voluptas mea, meum mel*, non aliter, legamus: & Terentius sæpe quidem hæc usurpet, *mi pater, mi gnate, mi Laches, mi Pamphile, mi Thraso*, pro *meus*; numquam autem pro *mea*, aut pro *meum*, vocativum singularem, *mi*, adhibuerit, sed *O mea Glycerium, o Thais mea*, posuerit. Nec vero Apuleium moramur, aut alios aliquot præterea, quibus contra visum sit docere ac loqui. Nec Sosipatrum falli putamus, qui ita scripserit lib. I. cap. de Pronomine: *in omnibus fere comœdiis Mi ad masculinum dicitur: ad femininum nunquam:* citiusque dixerim rudem hic ut in multis, & horridum fuisse Apuleium, & peccasse mille alios, qui a pura & incorrupta antiquitate deinceps degenerarunt.

Verba quædam Græca adjectiva, quæ ει diphthongum habent, dum transeunt ad Latinos, vel e abjiciunt, vel i, & longa ita, ut erant, sunt:

Areo-

Areopagus & Ariopagus, Areopagitæ, & Ariopagitæ. v. Att. xi. *Cum Patro mecum egisset, ut peterem a vestro Ariopago. Non dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis invito Memmio impetrari non posset.* I. de Div. LIV. *Ascendit in Ariopagum* Sophocles: *detulit rem. Ariopagitæ comprehendi jubent eum.* I. Att. xiii. *Clamare præclari Ariopagitæ.* Aristoteleus, Aristotelius, Carneades, Carneadeus, Carneadius. Thucydides, Thucydidius, III. de Orat. LXXI. *Aut vobis hæc Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est.* LXXX. *Qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque sententiam possit dicere.* Orat. xxx. *Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur.* De Opt. gen. Orat. xvi. *Si quis erit qui Thucydidio genere causas in foro se dicturum esse profiteatur.* IV. Acad. quæst. CXLVIII. *Ad patris revolvor sententiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat* v. de Fin. xvi. *Carneadea nobis adhibenda divisio est. Ille igitur vidit.* Quis? Carneades. Vide supra, *Jovem Cretensem.*

Loqui, pronunciare, proprie est *ore verba proferre.* Sed utrumque, si usum quærimus, ad scriptorem epistolæ, ad historiæ scriptorem transfertur. I. Att. x. *Accepi tuas tres jam epistolas unam-alteram-tertiam. quæ fuerunt omnes rhetorum. Pure loquuntur, cum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis.* De Clar. Orat. CCLXXVII. *Thucydides rerum gestarum pronunciator sincerus & grandis etiam fuit.*

Præter jocos & sales, quos alias separatim collegimus ex Tullio, sunt apud eundem ingeniose & solerter & acute dicta quamplurima, quorum tango partem leviter, vel ut invitem atque acuam studiosos ad observationem locutionum dictarum, sententiarum similium. Quæ belle sic efferas. VIII. Att. VI. *Modo audivi quartanam a te discessisse: moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum, eam diutius habere, nec id esse vestræ concordiæ.* XII. Att. XXXIX. *Legere isti læti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi ... Nunc ipsum, ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem.* III. Fam. II. *Tullius non convenerat me: nec erat jam quisquam mecum tuorum, præter omnes meos, qui sunt omnes tui.* Paradox. v. *Reviviscat eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos.* III. ad Quinct. Fr. I. *Ea villa quæ nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum insaniam.* v. de Fin. II. *Equidem etiam curiam nostram, Hostiliam dico, non hanc novam, quæ mihi minor esse videtur posteaquam est major, solebam intuens,* &c. v. Tusc. CII. Divites *pungit aliquid, cum signa & tabulas unde habeant, recordantur.* Paradox. v. *Actionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. Omitto, unde sustuleris, & quomodo habeas.* III. Fam. XII. *Neque non me tamen mordet aliquid.* I. de Nat. Deor. LXXII. *Cum quidem gloriaretur Epicurus se magistratum habuisse nullum. Quod & non prædicanti facile equitem credam ... Xenocratem audire potuit, quem virum, Dii immortales! & sunt, qui putant audivisse: ipse non vult, credo plus nemini.*

Advertunt Grammatici quædam substantiva; quum ad laudem vel vituperationem referuntur, genitivo vel ablativo gaudere, & quædam genitivo solum, aut solum ablativo. Sed observat nemo, quod meminerim, uno & eodem loco genitivum simul & ablativum usurpari: immo vero nonnulli vetant fieri... contraquam tamen Cicero factitare consuevit. III. de leg. XLV. *Vir magni ingenii summaque prudentia L. Cotta dicebat.* I. Fam. ep. VII. ad Lent. *Lentulum nostrum, eximia spe, summæ virtutis adolescentem.* IV. ep. VIII. *Neque monere te audeo præstanti prudentia virum, nec confirmare maximi animi hominem virumque fortissimum.* Ex quo perspici potest sermonem Latinum non minus usu & notatione, quam præceptis & regulis grammaticis niti: nec facile, quod fit a nonnullis, reprehendenda multa, quæ videantur cum arte doctrinaque literarum parum congruere.

Blandis, & suavibus, & officiose dictis, quibus tota est Ciceronis oratio refertissima, veluti illud, superius: *gratissimum est &, simile tuorum omnium;* respondet ista non minus honorifica & comis locutio, *ut omnia, ut multa, ut alia.* Quasi dicat quis, laudis & approbationis causa: *facis id tuo more; præclare tibi, humanitati tuæ, reliquis factis tuis constas.* XII. ad Att. XV. *Quod me ab hoc mærore recreari vis; facis ut omnia: sed, me mihi non defuisse tu testis es.* XV. Att. XVII. *Tu vero facis, ut omnia, quod Serviliæ non dees, id est, Bruto.* Scilicet. quod Brutum omni ope juvas, facis tu quidem, ut soles, qui omnibus omnia gratificere. Et alio loco ad Att. *Ego autem sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore.* II. de Nat. Deor. LXV. *Euripides autem, ut multa præclare, sic hoc breviter.* IX. Philip. III. *Ut igitur alia, sic hoc, Pansa, præclare, quod nos ad ornandum Ser. Sulpicium cohortatus es.* Ita quoque Quintilianus. I. lib. cap. VI. *In plurimis quæ Tullius in oratore divine, ut omnia, exequitur.* Quæ potius assero, quia Cicero Quintiliani testimonio digne ac meretur commendatus est, quam quia Quintilianus ita loquitur.

Peccare in rep. peccare in matrona. Cic. VII. ad Att. I. *Hæc enim cogitabamus; nec mihi, conjuncto cum Pompeio, fore necesse peccare in republica aliquando; nec, cum Cæsare sentienti, pugnandum esse cum Pompeio: tanta erat illorum conjunctio.* Horat. lib. I. Sat. II.

Quid inter
Est in matrona, ancilla, peccesve togata?

Deseri a mente, aliena loqui, errore mentis affici. Cic. ad Att. III. XV. *Ad primum tibi hoc scribo; me ita dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firma mente ubi utar, & quibuscum, non habere.* Ovid. III. Trist. Eleg. III.

Quinetiam sic me dicunt aliena locutum,
Ut foret amentis nomen in ore tuum.

Celsus lib. III. cap. VIII. *Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione ægros desipere, & loqui aliena.* ad Att. III. XIV. *Quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra est.*

Lene & leve. Hæc a Cicerone juncta duo quæ pæne eadem, itemque a Catullo. XIII. ad Att. XXI. *De Attica optime, quod levius ac lenius, & quod fert εὐκόλως.* Epigr. de Arrio

Av-

Audibant eadem hæc leniter & leviter.

Leviter dolere. Parce dolere. Cic. xi. ad Att. vi. *Id si ita putarem, levius dolerem.* Mart. viii. xxxviii.

At si quis dare nomini relicto,
Post manes tumulumque perseveret,
Quærit quid nisi parcius dolere ?

Furcilla extrudi, furcillis ejicere, furca expellere: Est hoc quiddam proverbii, quo quis intelligitur vi expelli, aut depelli, aut cogi omnino, & invitus quid facere. Cic. xvi. ii. ad Att. ex emendat. Lambini, *Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito.* Catullus a Tullio, vel, si quidem est proverbium, ex ore vulgi.

Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

Horat. lib. i. epist. x.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Pergo præterita. Cicero iii. ad Att. xv. *Sed pergo præterita*, id est, pergo præterita meminisse, quod non debeo, quod frustra facio. Parum intellexit novæ methodi auctor, aut is unde hic auctor sumpsit, qui ita reddidit, *Je passe sous silence.*

Cum Gallice dicatur vulgo: *J'ay receu la vôtre. J'ay receu deux des vôtres. Je vous écris celle-cy:* ubique vel epistola, vel literis intellectis, nec expressis: apud Ciceronem legere licet, *has, nullas, binas, duas, triplices*, sic ut nomen *literarum* subaudiatur: nunquam, *unis tuarum, binis tuarum, trinis tuarum* quamvis hæc partitiva sint. xiii. ad Att. xv. *Triduo abs te nullas acceperam.* Ibidem: *Quo die has Valerio dabam* xv. ad Att. viii. *Post tuum discessum binas a Balbo.* ix. ad Att. x. *Nihil habebam quod scriberem, & ad tuas omnes rescripseram pridie.* xi. ad Att. xxiv. *Tu ad me velim quam sæpissime scribas; eoque magis, quod præterea nemo: ac si omnes, tuas tamen maxime expectarem.* Porro, si quid memini, semel duntaxat usurpatum Tullio, *has*, cum *literas* suppleret. Ovidius, *hanc*, cum usurparet, non amplius quam semel subaudiri voluit, *epistolam.*

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulysse.

Quare & *hanc* & *has* sæpius a Cicerone dictum Vaugelasius falso prodidit.

Incredibile est quantum sit in M. Tullio Synonymorum: cum tam pauci, credo quod non advertant, imitentur. Quæso te, quod discrimen inter *cupio* & *exopto*, inter *rego* & *guberno*? Aut nullum, aut certe perexiguum. At duo tamen Cicero, quæ significent idem, conjungit, & quasi pro uno ponit. i. de Orat. ii. *Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est.* Ibidem viii. *Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare remp. possint, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam majorum extiterunt.*

Jocose dictum. xiv. ad Att. xxi. *O hominem pudentem! Kal. Jan. debuit: adhuc non solvit. Præsertim cum se maximo ære alieno Faberii manu liberarit, & opem ab eo petierit. Licet eum jocari, ne me valde conturbatum putes.* Ad hujus intelligentiam joci. Vide supra eodem lib. ep. xvi. *Rapinas scribis ad Opis fieri.*

Belle quoque dictum, sed Attici in eundem Dolabellam. xiv. ad Att. xxii. *Me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ. Tibi vero assentior, majorem πρᾶξιν ejus fore, si mihi, quod debuit, dissolverit.* Allusum est eodem, xxiii. *Antonii, horribilis concio: Dolabellæ præclara. Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret idibus.* Neque absimile illud, & pariter amarum. De Ar. resp. xxix. *Alter est rex judicio Senatus, per nos… alterum putabo regem, si habuerit unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti.*

Officia, merita. Merita in aliquem, Multo plus, quam *officia*, valere, Cicero manifesto declarat. xi. ad Fam. xvii. *Magna* Lamiæ *in me non dico officia, sed merita.* xii. xxix. *Ad hæc officia vel merita potius, jucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter.*

Ante, prius, pleonasmo juncta duo, cum alterutrum satis esset. Cicero viii. in Ant. xxiii. *Virgula stantem circumscripsit, dixitque se non ante renunciaturum senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet.* Virg. iv. Æneid.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.

Aliquando, ut supra monuimus, ad dativum personæ accedit dativus rei, significantis fere commodum aut incommodum, laudem aut vituperationem. Sed in his omissa duo, triave minime omittenda, *esse bonitati, esse morti, amictui esse.* Cic. i. ad Att. xiv. *Si ita statueris esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiemque naturæ plerumque bonitati.* Philip. ix. num. iii. *Etenim cui legatio ipsa morti fuisset.* v. Tusc. sub finem. *Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegmen:* sic enim legitur in optimis editionibus Roberti Steph. & Gruterana Hamburg. cum alii legant: *mihi amictus est.*

Multum, plurimum. Adverbia duo quorum alterum positivum, alterum superlativum, promiscue tamen, proque uno & eodem video accipi. Quod cum ita sit, distinxit inter se Cicero nihilominus. xvi. ad Att. v. *Mihique credas multum allaturam vel plurimum potius ad illius judicium confirmandum, auctoritatem tuam.*

Bonus homo. Quantum mihi animadvertisse videor, semel aut iterum ad summum a Cicerone relictum in scriptis, *Bonus homo:* millies, *vir bonus* xvi. ad Famil. xviii. *A. Ligurius, Cæsaris familiaris, mortuus est, bonus homo, & nobis amicus.* i. ad Att. xvi. *Cossinius hic, cui dedi literas, valde mihi bonus homo, & non levis, & amans tui visus est.*

Vaco. Vaco, si audimus Senecam epist. lxiv. Plin. ad Trajan. lib. x. Quintil. lib. xii. cap. i. quorum Alvarus testimonia & auctoritates protulit, est idem interdum, atque *operam do.* Ac Cicero quoque cum dicat, *vacare studiis, vacare philosophiæ*, nihil verisimilius, quam hoc eum intelligi velle, *dare operam studiis, philosophiæ operam dare:* quod a vero tamen plurimum vel potius omnino abest. Nam iii. de Orat. xliii. ubi habetur, *Athenis jamdiu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur.* Quibus est auferendi casus; &, *vacant cives*, est, *vacui sunt*

sive

sive *carent cives*; &, *fruuntur peregrini*, opponitur tanquam contrarium, huic verbo, *vacant cives*. Primo autem de Divin. xi. ubi legitur, *Ego vero Philosophiæ semper vaco*. *Philosophiæ*, est dandi quidem casus, quem regat verbum *vaco*, sed isto sensu, *Philosophiæ causa vacuus sum*: quem sensum verba quæ proxime supra posita sunt, postulant: *Ita tamen si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prævertendum putes.* Quare erravit hic Nizolius graviter, qui &, *vaco*, interpretatus est, *operam navo*, & locos Ciceronis duos, quos proxime supra posui, firmandæ rei causa, falso attulit. Errantem vero Nizolium secutus est tanto post novæ methodi magister, cum istud, *Philosophiæ vaco*, quod Ciceronis esse vult, ut revera est, interpretatur, *étudier en Philosophie*, quod falsum est. Atqui *μεθοδικὸς* iste novus, ab Alvaro, a quo multa didicit, dedoceri hoc certe potuit. Sed quid pluribus opus est? Apud Tullium nusquam *vacare doctrinæ & literis*, pro *studere literis*, *doctrinæque se dedere*, reperias: nusquam *officio*, *muneribus vacare*, pro *fungi*, & *applicare eo mentem*, *ac se totum impendere*.

Verbera lenta. Nihil quicquam tam frequens & familiare Virgilio, quam *lentum* pro *flexibili*. *Lenta salix*, *lentum vimen*, *lentum flagellum*. Quo magis miror grammaticæ methodi novum artificem *lenta* Virgilii *verbera* interpretatum fuisse *modicos & leves ictus*. *Verbera*, inquit, *lenta pati: endurer de petits coups.* At aliud profecto suadet illius loci sententia. Domitores enim equorum adhibent ad domandum, & fræna dura, & faciles virgas ac versatiles: quæ duo primum equi nondum domiti pati recusent, si quis iis uti equis velit intractatis & novis. III. Georg.

Namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

Atque hoc ferme illud est, quod aurigarum poeta appellat *undantia lora*.

Ardeo. Verbum neutrum; quod aliquando tamen patientis habet significationem, casum agentis. Virg. ecl. II.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.

Id est, *ardebat Alexidis amore*, sive *deperibat Alexim*. Hic per summam imprudentiam provectus est nimium Methodicus, atque offendit, &, quod pejus est, falso testimonio turpe erratum confirmavit. Primum enim,

Ardebat, inquit, *Sirius Indos*. Virg.

Id est, *adurebat*. Agendi vim tribuit huic verbo, qua caret. *Ardebat* videlicet est *urebatur*, non *urebat*. Deinde vero quarto casu verbum donat, quem nullum habet apud Virgilium, isto quidem loco. Unde igitur, *Indos*, qui quartus est casus, regitur, aut cui verbo respondet? Non verbo ulli, sed participio activo, quod idem est, respondet: *torrens*, inquam, *Indos Sirius*. Nec homini venit in mentem construendam aliter & ordinandam orationem fuisse, atque sic interpungendam III. Georg.

Jam rapidus, torrens sitientes Sirius Indos,
Ardebat cælo:

Et vero admonere potuit, si quod erat periculum offensionis, vel Erythræus in indice, cum dixit plene & integre, continenterque posuit, *Torrens sitientes Sirius Indos*. Qui torret Indos Sirius.

Est in erratis novæ quoque methodi illud non postremum. *Exorare*, inquit, *est expetere & exposcere aliquid Deos & a Diis*, Cic. & alii, *demander*. Sed isto nihil falsum magis. *Exorare aliquem* est *impetrare ab aliquo*, non *orare*, non *exposcere*, non *expetere*. *Orare* igitur & *exorare* apud Tullium diversissima semper duo: *audire* & *exaudire* nunquam non idem.

Infans. Methodicus ita scribit. *Entre les adjectifs, qui n'ont qu'une terminaison pour les trois genres, doit estre compris*, Infans, *puisqu'Horace a dit*, Infantes statuas: *Ovide*, Infantia guttura: *& Valere Maxime*, Infans puer. Cum quidem sæpius dixerit Cicero, *puer infans*; Horatius, *infans puella*; Ovidius, *os vagiens*: nihil erat, quod Methodicus ad Valerium Maximum confugeret, ut nomina adjectiva quædam, unam tantum habentia terminationem, tribus generibus communia reperiri significaret. Quin etiam solo contenti Tullio esse potuimus non modo ad intelligendum genus triplex hujus unius vocis, sed etiam ad numerum utrumque, & singularem & pluralem comprobandum. Ab hoc enim & puer dictus *infans*, & oratio *nec nimis infans*, & præcipue atque insigniter, x. ad Att. ep. ultima. *Nam illa Hortensiana omnia fuere infantia.*

Ambulare maria, terram navigare. Excerpenda dictione multiplici, & vocabulis in unum congerendis ad imitationem, nisi prudenter & caute fiat, inducitur studiosa juventus in errorem. Exemplum hoc esto Scriptum Cicero reliquit II. de Fin. cxII. *Maria ambulavisset, terramque navigasset.* Si quis hoc collector, ut Methodicus, etiam aliud agens, protulerit in medium solummodo, neque quidquam addiderit, neque monuerit de quo illud dicatur, quidve sibi velit: quis puer legens, non sibi facile persuadeat, *ambulare maria* idem esse ac *iter mari facere*: *navigare terram*, esse quoque non aliud, quam *obire terram navigiis*, sive quis litus maris radat, sive legat ripas amnium,

Dum circum pictis vehitur sua rura phaselis,

ut poeta loquitur. Sed neutrum ita est. Significandum igitur fuit quale quid id esset, quem in oratione usum haberet: non universe dici, neque ad omnes pertinere: Xerxem intelligi, qui, Atho perfosso, terram navigabilem; Hellesponto constrato navibus, mare durum quodammodo & solidum, & terendum pedibus, quasi solum effecerit. Itaque non proprie dictum illud, sed valde figurate, quodque transferri alio non debeat, nisi re simillima. Ut qui perfodere Isthmum agressi, si conata perfecissent, in istos ea vox caderet, terram ut navigarent: aut idem quoque diceretur, cum lacus Velinus interciso monte in Nar influxit. Jam vero hoc præclarum & memorabile de Persarum Regis laudibus cave putes Ciceronis esse; qui ab Isocrate in panegyrico mutuatus sit: ac ne Isocratis quidem, qui fateatur ipse ore omnium & sermone illud idem celebrari.

Amarantus, sive *amarantum*. Est illud parum docti & intelligentis, vel parum attenti certe, *amaranthum* scribere, aspirata syllaba ultima. Quo tamen modo & Carolus Stephanus in prædio rustico, & is in dictionario, & Passeratius, &

alii vocum collectores scripserunt. Ac turpiter quidem errant, qui ne cogitarinr quidem quæ sit hujus origo vocis. Sed multo illi turpius. qui falsam huic voci originem attribuunt, dicique volunt conjectura futili & plane inscita, *ἀμάραντος*, quasi sit amoris ἄνθος, flos amoris. Etenim si hybrida ea vox est, id est, ex lingua diversa duplici composita, quis non videt non jam *ἀμάραντος*, sed *ἀμόραντος* dici debuisse; siquidem florem amoris intelligi placet; quod non nemo falso putavit?

Alapa, *colaphus*. *Alapa* Latine, Græce *colaphus*, pro quovis ictu sumitur inflicto manu, sive capiti, seu genis; sive palma, sive pugno. Apud Phædrum lib. v. fab. III. ubi scriptum,

Alapam sibi duxit gravem,

percussio capitis intelligitur, non os verberatum manus palma, sive, ut ita dicam, *depalmatio*. Quamobrem qui ex Latino Gallice vertit: *il se donna un grand soufflet*, pessime vertit. Agitur enim de nudato capite calvi, quod musca momordit: neque credibile est tam imprudentem calvum ac præcipitem, tamque præposterum fuisse, ut cum ferire muscam vellet infestam capiti, genas feriret, quas non attigisset musca. Jam addita injuriæ contumelia nihil est aliud, quam digna risu frustratio calvi hominis, cujus petitionem musca elusit aufugiendo. Atque hoc quidem, male, ut dixi, conversum, sic emendandum videtur: *Un homme chauve, qui avoit la tête découverte, étant piqué d'une moûche, se donna un grand coup, pensant écraser la moûche. Alors celle-ci lui dit en se mocquant: Tu as bien voulu faire mourir une petite bête, pour te vanger d'une legere piqueure: comment te vangeras-tu de soi-même, qui outre le mal que tu t'es fait, as donné sujet de risée par sa sotte méprise?*

Excretus. Virg. III. Georg.

Multi jam excretos prohibent a matribus hædos.

Excretos nolo, qui jam excreverunt, a crescendo: id quod probari video Methodico, p. CCLXXXII & DLVI. Malim excretos ab excernendo, separatos, *sevrez*, depulsos. *Excretos prohibent*, id est, *excernunt & prohibent*. Jamvero *depulsus a lacte*, & *depulsus* simpliciter, III. Eclog.

Dulce ... depulsis arbutus hædis.

III. Georg.

Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audiat.

Et *depulsus a lacte*. Eclog. VII.

Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos.

Hæc tria Virgilii. Quartum illud Horatius, carm. lib. IV. Ode IV.

Fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem.

Neque nobis Servius in Virgilium adversatur, cum *excretos* interpretetur *validiores*: quippe qui depulsi jam primum lacte parvuli, paululum sint per ætatem firmiores. Neque nisi isto habitu virium lacte ali prohibeantur.

Ætas jam firmata. Animadversum mihi sæpe est, ab oratore poetam complures loquendi formulas sumpsisse. Cic. pro Cœl. XLIII. *Multi ... quorum cum adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes firmata jam ætate extiterunt.* Virg. Ecl. IV.

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.

Mutæ artes. III. de Orat. XXVI. *Et, si in his quasi mutis artibus est mirandum; & tamen verum.* Virg. XII. Æn.

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Ætas, *statura*. Cum aliud *ætas*, aliud *statura* apud Latinos significet, tum ἡλικία Græca vox una utrumque sonat. Cujus ignoratione differentiæ peccanr nonnulli interdum, qui Latina aut Gallica facianr ex Græcis. Luciani quidem interpretes Gallici duo, Perrotus Ablancurtius, & ante eum Philibertus Bretinus, cum Vincentio Obsopæo interprete Latino erraruntr in isto, quod Lucianicum illud imaginum, τῆς ἡλικίας τὸ μέτρον *ætatem* verterint, cum *staturam*, vertere debuissent. Cui enim dubium, quin si quis Scriptor pulcherrimam fœminarum ex multiplici Dearum forma & simulacris depictam compositamque velit, non spectandam potius putet staturam & proceritatem Deæ sive Heroinæ, quæ ad formæ dignitatem pertineat, quam ætatem, quæ aut nulla sit proprie statuarum, aut junior esse debeat, mulieris formosæ, quæcunque tandem ex statua petatur?

Peto, sive *jaculor*, *βάλλω*. Blasium Vigenerium, Philostrati Gallicum interpretem, recordor multum vel potius nimium in citandis & proferendis undique scriptis Græcorum fuisse, qui Græca tamen non ex Græcis *ἀμέσως*, sed ex Latinis Gallice reddidisse videatur. Eundem animadverto in hisce Latinis, quæ sola consuluit vertendi causa, vel negligentem se, vel parum intelligentem aliquando præbuisse, virum alioquin acrem & studiosum. Unde hæc habes, inquies, aut quomodo probas? Recognosce, quæso, si grave non est, in dialogo Doridis & Galateæ ista Luciani, *εἰ ποιμένι καὶ ἐνδεεῖ καλὴ τὴν ὄψιν ἔδοξας, ἐπίφθονος οὐκ γεγονέναι.* Quæ conversa sic a Vigenerio. *Te semble-t-il donc qu'on te doive porter envie de cela, si à celui qui est un pastre en premier lieu, & puis aprés demi aveugle, tu as semblé la plus belle.* Quia est in Latinis videlicet, quæ absunt a Græcis, *si primum pastori, deinde lusco formosa visa sis.* Non igitur inspexit Græca Vigenerius: sed neque Latina intellexit interdum. Is in uno Theocriti idyllio VI. ter prodidit nescire se, quid, *petere*, esset. Theocritus primum.

Βάλλει τοι Πολύφαμε, τὸ ποίμνιον ἁ Γαλάτεια
Μάλοισιν.

Latinus inrerpres, *Petit tibi Polypheme gregem ovium Galatea malis.* Vigenerius: *Galathée te demande, ô Polypheme, un troupeau de brebis à coups de pommes.* Idem Theocritus paulo post:

Πάλιν ἅδ' (ἴδε) τὰν κύνα βάλλει
Ἅ τοι τῶν ὀΐων ἕπεται σκοπός.

Interpres: *Iterum illa ecce canem petit: Quæ te ovium sequitur custos.* Vigenerius: *Et voici qu'elle te recher-*

recherche d'un autre côté d'avoir ce chien qui te fuit, gardien du troupeau. Denique poeta Græcus:

Εἶδον καὶ τὸν Πᾶνα τὸ ποίμνιον αἰπόλ' ἔβαλλε.

Interpres Latinus: *Vidi per Pana, ovium gregem cum peteret.* Gallicus: *Par le Dieu Pan j'ay assez veu quand elle me demandoit un troupeau.* Istis vero Gallicis: *demander un troupeau à coups de pommes; rechercher d'avoir un chien.* Quid est, non dico mendosius, & ab auctoris sententia alienius, sed ridiculum magis: cum quidem Galatea nequaquam peteret, ut sibi donaretur aut grex ovium aut canis, sed peteret malis & gregem ovium, & canem, id est, malis appeteret, impeteret, incesseret: quippe quæ lasciviret, ac delicias faceret inspectante Polyphemo amatore. Qua ratione, quoque sensu in idyllio v. Theocritus idem:

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα.

Petit & pomis caprarium Clearista. In Ecl. III. Virg. ex Theocrito.

Malo me Galatea petit lasciva puella.

Galatea porro apud Theocritum ibidem διαθρύπτεται, id est, quod dixi, delicias facit, & quasi petulce se gerit: apud Scholiasten, μηλοβολεῖ, sive μήλοις βάλλει τὸν Κύκλωπα, τὴν κύνα, τὸν αἰπόλον, τὸ ποίμνιον, sive εἰς ἔρωτα ὑπάγεσθαι πειρᾶται.

Capite minutus, caput perdidit, pro caput abscissum, vel abscissum cervicibus huic est, securi percussus est: *il a eu la tête tranchée*; barbarismi duo quorumdam, qui se putent eleganter locutos. Triplicem enim diminutionem capitis in jure,, sive maxima sit, seu minor, sive etiam minima, aliud esse quiddam satis constat ex digestis, eque institutionibus: unde ejusmodi nulla in scriptis veterum ducta translatio. Neque illud quod Plauti simul & Terentii est, *diminuere alicui caput*, putes interpretandum, *secare caput*, sed *diffringere*.

Lectio. Gallica hæc, *étudier sa leçon, apprendre sa leçon, dire sa leçon*, quæ partes sunt discipuli, &, *faire sa leçon*, quod magistri officium est, si quis efferre Latine velit, ne voce *lectionis* utatur, ad eas res declarandas minime apta. Quis enim vel orator, vel poeta, aut grammaticus antiquior, & paulo magis tolerabilis, sit unquam locutus: *studere lectioni, discere lectionem, recitare lectionem, facere* denique? Atenim isthæc si dicuntur parum Latine, doce tu, quo tandem modo pure & emendare dixeris. Primum, non id ago nunc, ut demonstrem, qui fiant Latina ex Gallicis: tantum quædam vitiose dici, id quod vulgo non advertitur, velut in transcursu admoneo. Deinde placet audire, qui se grammaticum novum profiteatur, reprehensoremque veterum; barbare autem loquatur ipse, ac deprehendatur in sermonis vitio. Vide Methodicum, quid attulerit de suo in gerundiis, & a se fictum exempli causa: *Discenda est*, inquit, *lectio*.

Sedet animo. Vere ac proprie non est istud, *placet* aut *suave est*: sed, *mihi statutum, constitutum, ratum, fixum, definitum, decretum, deliberatum, certum est, sive statutum, constitutum, decretum habeo*, id est, *je suis tout resolu, j'ay arresté cela, c'est ma volonté, c'est mon plaisir.* Non ita tamen ut esca dicatur sedere, quæ palato sapiat, & jucunda sit. Quare tribus locis, ubi Maroni dictum, *sedere*; non jam illud, *placere*, significat, *& jucundum esse*, aut *gratum*, aut *acceptum*; sed *velle prorsus*, & *ratum*, & *firmum habere*. Versus autem Horatianus:

Memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit.

Si verum quærimus, hanc habet sententiam: *esca, quæ simplex tibi apposita fuerit, nulla condimenti admistione, varietate ciborum nulla*: contra Servium tamen, & eos, qui leviter huic assensi, Henricum Stephanum, Alvarum, Methodicum.

Cado. Cadit aliquid in aliquem. Cic. pro Cœlio LXIX. *Nihil est quod in ejusmodi mulierem non cadere videatur.* Methodicus; *Il n'y a rien qui ne lui siée fort bien.* E Scriptoribus Latinis excerpta qui Gallice vertunt, excerpserint ipsi, oportet: adierint per se fontes: legerint suo quidque loco: non alii ab aliis sumpserint. Aliter, facere non possunt, quin stulte sæpenumero turpiterque errent. Dictum a Tullio vituperandi causa, nihil esse quod in Clodiam non cadat. Subjecit enim paulo post, *omnia quæ cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam videri apte quadrare.* Accepit contra in optimam partem Methodicus, a quo sic redditum, nihil esse quod non illam magnopere deceat. Male omnino, conjuncta nimirum cum turpitudine nequaquam decebant mulierem nobilem & notam: conveniebat fortasse tale aliquid probri in merentem conjici.

Consentio. In eum omnes illud consentiunt elogium. Cic. *Tous lui accordent cét éloge d'un commun consentement.* Ita Methodicus, verbo, *consentio*, quem video, uno in elogio, unaque in locutione, bis graviterque errasse. Primum quod verbum *consentiunt* activum fecerit e neutro, cui quartum casum rei adjunxit, & eundem casum personæ cum præpositione *in*. Quasi vero dictum sit, *in eum illud omnes consentiunt*, sive uno consensu conferunt, *elogium*. Deinde quod, quæ locutus ipse Tullius sit per se, a verbis elogii non distinxerit. Is hæc solummodo, lib de Senect. n. LXI. *In quem illud elogium*: supple, extat, scriptum est. Et II. de Fin. CXVI. *Velut hoc elogium ad portam.* Verba vero sunt elogii, quæ sequuntur: *Uno ore quem plurimæ consentiunt gentes populi primarium fuisse virum.* Confudit igitur Methodicus verba elogii cum Tullianis, inscitia distinguendi. Sed idem elogium neque Methodicus, neque alius, quod sciam, distinxit, utrum soluto esse, an adstricto numeris sermone conscriptum. Merum certe iambicum, meros senarios fuisse, magna mihi opinio est. Quod quidem carmen Cicero dissolverit, cum ad institutum suum referret, ac primo memoriter in Catone majore, deinde expressius & fidelius in II. de Finibus recitaret: Cui si numeros reddere ac restituere suos postremo velis, facile possis, nulla re ferme addita, vel immutata. Isto enim quid magis in promptu, aut quid est negotii pauculas voces, & duos tresve sic ordinare versus, atque pertexere?

Hoc in sepulcro est Lucius Atilius situs,
Populi fuisse quem virum primarium,
Uno ore gentes plurimæ consentiunt

 Per-

Porro ne dubitemus, quin communis iste consensus gentium de laudibus Atilii Calatini, pars sit aliqua incisi elogii in monumento, declarant & hæc Ciceronis: *Idne concessisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse?* & illa ejusdem: *Jure igitur gravis Atilius, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens.* Atque hoc quidem loco ridicule indoctus Methodicus, cum præcepta artis grammaticæ daret. Nec minus in culpa fortasse Gaspar Sciopplus fuit, qui hoc ipsum antea usurpasset scribendo in paradoxis liter. Epist. v. *Uno ore omnes hoc Bembi Cardinalis elogium in Sannazarium consentiunt.* Utrique, ut apparet, occasio allata errandi in Nizolio, qui hæc e Cicerone deprompta parum distincte exscripserit, *In quem illud elogium unicum plurimæ consentiunt gentes*, cum neuter neque Ciceronis inspexisset locum, neque mentem satis attendisset.

Secus. Præpositio, *juxta, secundum.* Usi sunt hac voce, *secus*, ut præpositione, scriptores aliquot antiqui graves, & ante Ciceronem, & postea aliquanto. Cato de re rust. cap. xxi. *Dextra sinistraque, foramina utrinque, secus laminas.* Sempronius Asellio in libris historiarum rerum gestarum, *Non possent stationes facere secus hoc.* Plinius lib. xxiv. c. xv. in Erasmi editione Basileensi: *Camæleuce nascitur secus fluvios* Ex Quintiliani lib. viii. cap. ii. *Conductus est cæcus secus viam stare — Ingeniosa hæc & fortia, ut ex ancipiti diserta credantur, perficiunt.* Hæc cum ita sint, cumque vox ea testimoniis & auctoritatibus tot tantisque veterum nitatur: non video, quamobrem Sosipater Charisius nobilis grammaticus, hanc e finibus, ut ita dicam, Latii ableget, atque etiam non sine contumelia verborum quodammodo dimittat. Quippe quam vocem & fatuam & sordidam appellet. Nisi forte Charisium male interpretamur, qui non universe, neque funditus exterminet hanc præpositionem: sed id solummodo, quod vulgus usurparet, *secus illum sedi*, hoc est *secundum illum*, cum fatuum existimet, tum etiam sordidum. Certe in sacris utriusque testamenti literis crebrum & frequentem usum istius præpositionis animadverto: nec verbum rejiciendum idcirco ullum, quia vel novi scriptores, vel sacri usurpant sæpissime: sed neque improbandum prorsus & ex toto, cum probati & spectati in omni antiquitate, & quasi classici aliquando usurparint. Nam quod dixit Franciscus Sanctius vocem hanc inauditam Latinis, eamque se adverbium duntaxat putare; quod Gaspar Sciopplus interpolator Sanctii, & velut refector addidit de suo aliquid; nihil utrumque grammaticum moror, & hoc istorum, ut plurima alia eorumdem, frivolum atque inane duco.

Secus, adverbium, id est, *aliter*, *contra*, *minus recte*, *male*: ut & negandi vim habeat, & malam in partem accipiatur. Siquidem opponitur recto malum, sic tanquam aliud quiddam, & diversum aut etiam contrarium. Cic. in Pis. lxviii. *Recte an secus, nihil ad nos.* iii. de Fin. xliv. *Nobis aliter videtur; recte, secusne, postea.* Sed hoc instituti loco quæstiuncula duplex potest. Prima, utrum *secus*, simplex in oratione ac solitarium positum, nulla re antecedente ex adverso, cui repugnet, vel expressa, vel subintellecta saltem, idem sonet ac valeat, quod, *prave*, *perperam*, *minus bene*, *omnino male.* Exemplum hoc esto: Vertit Marcus Cicero locos Platonis quosdam *secus*, id est, *male*, aut simile illud: Quæ Cicero Græca habet in scriptis, sunt interpretati Latine scriptores novi *secus*, id est, *male.* Ego vero ista vitiose dici arbitror, neque auctore veteri ullo probo & digno, cui credatur. Nec favet Tullius sic loquentibus, qui hoc loquatur ipse iii. ad Fam. ep. vi. *De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse.* Quis enim, si paulisper aciem mentis intendat, non videt, suppressum quidem, sed subauditum aliquid. De tuo in me animo amico & benevolo, sive de tua mecum reconciliatione gratiæ, fictam hanc esse gratiam & simulatam, non sinceram, neque bona fide initam, existimandi. Præterea vero cum de iniquis & malevolis hic agat Cicero: non est dubium, quin male sentientes intelligantur, neque expectandum ab inimicis, ut de iis, quos oderint, bene existiment. Hoc alterum habet, ni fallor, plus aliquid etiam quæstionis, numquidnam, quemadmodum dicitur, *recte an secus*, pro *recte an male*, ita vicissim dicatur, *male an secus*, pro *male an recte:* cum quidem videatur idem jus, eadem ratio ac disciplina, & tractatio contrariorum: &, si malum oppositum sit bono, ut est; non possit bonum non esse oppositum malo. Ego autem, quamvis fatear libenter prius illud, *rectene an secus*, emendatum & Latinum esse: non facile tamen concesserim posterius hoc, inverso ordine & præpostere dictum, *malene an secus*, labe & vitio carere. Cur ita? quia publicus usus, ex quo id totum pendet, alterum admittit, alterum repudiat, & aspernatur. Similiter nos ita Galli loqui consuevimus: *Si j'ay bien ou mal fait, le tems le fera paroître.* Qui si contra loquimur: *Si j'ay mal ou bien fait*; inusitate ac præter morem etiam vulgi loquamur, ut ab isto os & aures refugiant nostrorum hominum. Quod cum ita sit, nihil Mureti, viri in primis diserti, nos movere debet auctoritas, cujus hæc extam in lib. xix. Var. lect. cap. x. *Id num temere an secus judicem, res ipsa indicium faciet*, quæ sint meo quidem judicio, vitiosa. Secundum hæc vix videri debet correcte & emendate satis locutus, qui dixerit, *falso an secus*, sed qui *vere an secus*: non quod ulla regulæ & normæ ratio prohibeat, sed quia non appareat usus.

Imminutus. Diminutus. Imminuta & diminuta.

Habent illa quidem eandem vim ac significatum apud omnes Latinos scriptores: sed in arte tradenda sua trahunt alio grammatici & rhetores, bifariamque distribuunt. Imminuta sunt tum verba, tum nomina, quibus detracta sit aut litera aut syllaba initio dictionis, in media dictione, in extrema: quæ eadem contrahi & contracta dicuntur: idque per syncopen, sive concisionem, præter aut etiam contra leges artis præscriptas, quibus rursum plena respondeant ex contrario. Horum Cicero certus auctor & fundus. In Orat. cliii. *Vocales sine vocalibus sæpe contrahebant, ut ita dicerent, multi' modis. Quid vero licentius quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut duellum bellum, sic Duellium eum, qui Pœnos classe devicit, Bellium nomina-*

naverunt, cum superiores appellati essent semper Duellii. Quinetiam verba sæpe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Itidem CLV. *Idem poeta qui inusitatius contraxerat:*

Patris mei meûm factûm pudet;

pro, *meorum factorum.* Rursus ibidem CLVII. *Quid, quod,* inquit, *sic loqui, nosse, judicasse, vetant: novisse jubent, & judicavisse. Quasi vero nesciamus in hoc genere & plenum verbum recte dici, & imminutum usitate.* Qua etiam velut sectione: *Itaque utrumque Terentius:*

Eho tu cognatum tuum non noras? — Post idem,
Stilphonem, inquam, noveras? Siet, plenum est;
sit, imminutum: licet utare utroque verbo.

Ad hanc imminutionem, quæ quoquo modo pertineant, tria quædam licet apud Tullium animadvertere; sed hoc inprimis, quod is inter imminuta, *Alam* recenseat pro *Axilla*, *maxillam* & *taxillum*, pro *mala* & *taxo*, *vexillum*, *paxillum*, pro *velo*, *paloque*. Sic enim in Oratore, CLIII. *Quomodo vester Axilla, Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? Quam literam etiam e maxillis & taxillis, & vexillo, & paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis evellit.* At contra quis non potius existimet has ex aliis voces diminutas per significationem, quam imminutas per syllabæ aut literæ detractionem? Nemo certe in diminutis paulo doctior non reponit: quæ quidem consentiens & constans opinio est grammaticorum. Eundem porro Tullium miror bis idem argumentum uno ferme loco tractare de imminutis: ubique de diminutis omnino tacere. Fecit hoc ipsum tanto post intervallo Emmanuel Alvarus, ut iterum ac tertio ageret de imminutione, prætermissis diminutis.

Diminutiva, sive diminuta, aut deminuta certo quodam modo terminantur multiplici ac diverso. Fere semper autem & minuunt significationem rerum seu primitivorum, & numerum augent syllabarum aut literarum.

Quemadmodum est a me notatum proxime supra imminutis plena respondere, apud Ciceronem; sic in Fabio perspicio diminutis opponi integra. Libro enim primo, capite quinto, *Magnum,* inquit, *peculiolum, erunt qui solœcismum putent: quia pro nomine integro positum sit diminutum.*

Aliquid monstri alunt. Terentius, Andria, act. I. sc. v. Satisne sanus, in dictionario Carolus Stephanus, ita qui reddat: *Ils nourrissent quelque grande méchanceté en leur courage.* Atqui agitur de gnata Chremetis, uxore danda Pamphilo.

Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me.

Donatus enim; *Dum monstrum dixerat, ea, subjunxit, tanquam non verbis, sed sententiæ serviens. Et mutavit genus, dicendo ea, quoniam femina est.*

Splendidus & illustris. Cum dicimus *splendidus & illustris*, una conjunctione, nihil vetat quominus dici intelligatur συνωνύμως, & significatione una eademque. At cum conjunctio geminatur, *& splendidus & illustris*, videtur intelligi necessario diversitas significationis verborum, sive significatio augeatur, sive non. V. de Fin. IX. *Atque his de rebus, & splendida est eorum & illustris oratio.*

Pono. Ponere panem, cibum, obsonia, aprum, leporem convivis; recte Latine dixeris: *ante convivas*, nullo modo; hoc est nullo exemplo veterum, qui pure sint & emendate locuti. Nec facit contra, si rem interpretari velis, locus insignis Plinii lib. IX. cap. XXXVI. de margarita, sive unione, seu bacca, quam diluerit aceto Cleopatra, itaque ebiberit. *Ex præcepto ministri unum tantum vas ante eam posuere aceti.* Non est enim hic illud ministrare mensis, sed antequam ministraretur, instruere mensas, easque certo ordine, & re quadam onerare.

Scribere mea manu, sua manu, non propria manu, quod nusquam apud bonos auctores reperitur: vere dictum, & ab Adriano Cardinale his totidem verbis observatum: sed nimis anguste, cum latius pateat, & ad plura pertineat tam prudens animadversio. Dicitur enim primum *judex in sua causa* aliquis, *in propria causa* non item. Ulpianus lib. II. tit. I. l. X. *Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet.* Marcianus lib. IV. tit. VIII. l. pen. *Si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest.* Callistratus, tit. II. leg. XIII. *Isque sibi jus in eam rem dixisse: jus crediti non habebit.* Nullo modo faciunt *causæ propriæ* mentionem. Deinde vero *litem facere propriam* nunquam ab ullo dictum vetere & eleganti jurisconsulto, se *litem suam facere.* Ulpianus lib. V. tit. I. l. XV. *Judex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit.* Cic. II. de Orat. CCCV. *Quid, si, cum pro altero dicas, litem tuam facias.* Tum ne illud quidem scribi video, *lite cadere*, quod ait Carolus tamen in dictionario, sed *litem perdere*, qua Tullius dictione utitur I. de Orat. CLXVII. *Neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.* Rursum utrumque usurpari, *causa cadere*, millies; aliquando, *causam perdere; causam suam facere*, vix ac ne vix quidem. Pro Q. Rosc. X. *Amplius sestertio nummo petisti, quam tibi debitum est: causam perdidisti.* Ibid. *Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus.* Postremo sexcenta ejusmodi proferre licet, quæ dicantur Latina, quæque Latine non dicantur: *oculis suis*, non *propriis: pedibus suis*, non *propriis: suo gladio* non *proprio: heredes sui*, non *proprii, forte sua contentus*, non *propria: modulo suo*, non *proprio. De suo*, ac non ita bene & usitate *de proprio.* Nisi forte illud Martialis, *vivere de proprio*, tam barbarum tamque fictum, quam, *domicœnium*, qua is voce primus, atque, ut opinor, solus apud veteres, probos & emendatos scriptores usus fuit. Cic. I. Tusc. XXXIX. *errare cum Platone, quem tu quanti facias scio, & quem ex tuo ore admiror.* Luc. XIX. XXII. *De ore tuo te judico, serve nequam.* I. de Div. LV. *Lecticula in curiam delatum, —pedibus suis salvum revertisse.* Pro Cæc. LXXXII. *Aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro defensio tua conficiatur necesse est.* III. de Or. X. *P. Crassum suapte interfectum manu.*

De suo, de suis rebus, & de publico. IV Fam. III. *Aliquid, atque adeo multa addunt, & afferunt de suo.* Ad Att. XVI. XVI. *Atticus qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo*, id autem est, ut pecuniam, quam Buthrotii deberent, solveret a se.

Suo periculo rem esse velle, non *proprio sumptu*, non *malo*, non *damno*. *Suapte sponte & voluntate*; nequaquam *propria*. *Suo Marte*. Ita Cicero semper. II. in Ant. xcv. *Rex ipse* (*Dejotarus*) *sua sponte, nullis Commentariis Cæsaris, suo Marte res suas recuperavit*. Contra *proprio Marte*, nemo dixit, nisi forte quis de turba studiosorum, aut pleriquc illiterati prorsus: tametsi passim, *Mart communis*, & recte quidem; cui respondeat, *proprius*, inusitara vox, ut dixi, & scriptoris nullius. *Suo aut alicujus periculo aliquid facere, dixerunt ii, qui purissime sunt locuti: qui vero ab iis discedunt, aliter loquuntur: ut suo damno, suo sumptu, alicujus damno aliquid facere*. Ita totque verbis, quot protuli, Antonius Schorus. Verumtamen quid hoc esse dicam, quod Schorus adversatur maxime sibi, & non modo non cohærentia loquitur, sed etiam testimonium contra se dicit ex ore Tullii? Neget hic Schorus recte dici *suo sumptu aliquid facere*, pro, *suo periculo aliquid facere*: cum statim proferat exempli causa ex Tullio. In Verr. lib. v. xlix. *Qui ex fœdere ipso navem vel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumptu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt*.

Cum, adverbium, quomodocunque scribatur, sive litera una, ut scribo hic, sive duplici, ut scribunt nonnulli, *q &, u, quum*, poni potest conjuncte, & uno loco cum præpositione ejusdem nominis. Ita Cicero loqui non dubitat, vel potius, si quid in eo est offensionis, vitare non curat. XIII. ad Att. XIX. ep. *Commodum discesserat Hilarus librarius: — cum venit tabellarius cum tuis literis pridie datis*. ep. XXXVII. *Ante lucem cum scriberem contra Epicureos ... deinde cum, somno repetito, simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola a sororis tuæ filio*. II. de Orat. CCLXVII. *Scipio apud Numantiam, cum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur*. III. ad Fam. VI. *Idem ego cum L. Clodium Corcyræ convenissem, hominem ita tibi conjunctum, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui viderer*. & lib. III. ad Q. Fr. *Præsertim cum, ut scribis, cum Cæsare communicaris*.

M. Tullium sæpenumero deprehendi nec tam accuratum in sermone, ut non aliquando aliquid negligentiæ præ se ferat, nec tam varium & copiosum, ut non idem aut fere idem vocabulum paucis iteret versibus, atque frequentet, nec tam politum & elegantem, ut respuat delicias, & ambitiones, & fastidia ætatum consequentium aut hominum etiam, si superis placet, nostrorum. Locus illustris x. ad Att. ep. IV. *Ea vero quæ voluminis instar erat, sæpe legenda, sicuti facio: in qua non frustra laborem suscepisti: mihi quidem pergratum fecisti. Quare, ut id, quoad licebit, id est, quoad sciet, ubi simus, quam sæpissime facias, te vehementer rogo. At deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit jam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quædam; quod profecto potest*. Quid quod Publius Virgilius, Ciceronis exemplo, unde multa sumpsit, idem vel peccat, vel recte facit.

Qualis populea mærens philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans, nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mæstis late loca questibus implet.

En pauculis versibus, iisque continuis, ferme una quasi periodo participia tria, *mærens, observans, sedens*: duæ voces cognatæ *queritur, questibus, mærens mæstis*. Vocabula duo *late loca, la, lo, loca questibus, ca, ques*, velut complosione quadam syllabarum, aut alteratione insignia.

Utraque lingua. Utramque linguam Latini cum dicunt simpliciter & absolute, nulla re præmissa, verbo nullo aut sermone subintellecto, Latinam atque Græcam intelligi volunt, & nullam aliam. Sic autem locuti Romani, quasi qui ceterarum gentium sermones pro nihilo putarent, præ suo & Græcorum. Horatius lib. III. carm. Od. VIII.

Docte sermones utriusque linguæ. Traxit ab Horatio longo post tempore Gellius, lib. XVII. cap. V. *Rhetoricus quidam Sophista, utriusque linguæ callens*. Non eandem vim habet ac potestatem Horatius alio loco suo, ubi habet, Sermonum lib. I. Sat. x.

Sermo lingua concinnus utraque.

Ibi nimirum facta paulo ante mentio de verbis Græcis, quæ Latinis admisceantur.

At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit.

Quibus, *utraque lingua*, respondet, & satis, quænam sit, declaratur. Contra Ovidius, cum *duas linguas* dixit alicubi, neque ante aut post addidit quidquam, unde, quid sibi vellet, significaret, intelligi voluit linguas Latinam & Græcam.

Nec levis, inquit, *ingenuas pectus coluisse per artes*
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

Isto fere pacto vulgus studiosorum, juris utriusque doctorem cum appellat, jus civile & canonicum, tametsi taceat, ita interpretatur, itaque nobis interpretandum profert.

Contineo. Illud verbi, *contineo*, præclarum & insigne, eo significatu, quo dicitur passim, *premo, comprimo, supprimo, celo, exire non patior*. In una eademque epistola plus semel usurpavit Tullius: neque tamen id ulli observatum grammatico memini fuisse. Cic. XIII. ad Att. epist. XXI. *Tu autem commode, feceris, si reliquos continueris — Ea vero continebit, quoad ipse te videam*. Contrario sensu, *edo*, simpliciter, *emitto, divulgo, evulgo, foras do, apparere volo, emanaturum puto*.

Facio, feci, facerem. Miror quomodo in tam multiplici significatu verbi *facio*, tamque diligenti observatione peritiorum non venerit in mentem, vel Adriano Cardinali, vel Antonio Schoro, qui maxime omnium insignis esset usus & potestas vocis admonere. Cic. XV. Fam. epist. XVIII. *Facio, me alias res agere, ut convicium Platonis audiam*, id est, *fingo, me alia omnia agere*, neque σπουδάζειν neque philosophari, neque πολιτεύεσθαι, sed jocari omnino & ludere. Epistola namque superiore XVI. *De re*, inquit, *nihil scribere possum. Neque enim quod sentio, libet scribere*. Pro Plancio LXV. *Destiti stomachari, & me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent*. Idem Catullus, & ex Tullio forsan, in hendecasyllabo, cujus initium, Varus me meus.

Ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorum.

Moj

Moy, pour montrer à cette personne, & pour lui faire croire que j'étois un de ces aisez, & des opulents du tems. pro Flacco XLVI. *Cum verbis se locupletem faceret, haberet nihil præter illam impudentiam, quam videtis.*

Cic. XVI. ad Att. ultima ad Capitonem. *Adjuvabis igitur, mi Capito: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo.* Hic attende, nihil opus addi, *te rogo*, satis intelligi. Quo nos modo alibi;

Divina poesis,
Quam colis, ad superos evehit usque Deos.

Evehit, clare dictum, prætereaque melius, quam, *te vehit*. Horat. Ode XXX. lib. I.

Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.

Debemur. Horat. de arte poet.

Debemur morti nos nostraque.

Favetur, invidetur. Cic. II. de Orat. CCVII. *Invidetur commodis hominum ipsorum, studiis autem eorum ceteris commodandi favetur.* I. ad Fam. VII. *Simul quod video non, ut antehac putabam, novitati esse invisum meæ.* Horat. de arte poet.

Ego cur acquirere pauca
Si possum, invideor.

Successum esset, successum esse, successum iri. Tria hæc habet Cicero una eademque epistola VI. libri III. ad Famil. *Te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse, — Cum posset jam suspicari tibi esse successum, Qui brevi tempore sibi successum iri putarent.* IV.

Nihil attinet, nihil attinent. I. ad Her. I. *Illi Græci Scriptores, ne parum scisse multa viderentur, ea conquisierunt, quæ nihil attinebant.* Cic. ad Att. lib. XII. XIX. *Primum mihi non venit in mentem: deinde ea re non venit, quia nihil attinuit.* Horatius lib. I. Ode XIX.

Venus
nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.

Hæc Tullii Horatius expressit imitando. *Nihil attinet, nihil attinent*, nulla re adjecta. Quæ loca e Cicerone alia Gothofredus attulit eodem, falso attulit. Nam ubi, *nihil attinet* legitur, ibi additus infinitus modus.

In mentem venire, apud Tullium legi millies: sed, obsecro, apud eundem eodem sensu sicubi legeris, *in animum venire*, suggere locum. Contra, *in animo habere, in animo esse*, sæpius. *In mente habere*, nunquam; *in mente esse*, aliquando sicut & *mens esse* dicitur.

Aspernari, contemnere, ac negligere. Cic. lib. IV. in Verr. CXIII. *Quas illorum querimonias nolite, per Deos immortales, aspernari, nolite contemnere, ac negligere.* Gradatim, sive ascendat oratio, seu descendat, aut res una non unis verbis, aut oratorie ac per amplificationem dicatur.

Fide mea, tua, sua, alicujus, non *ulla propria*. Cic. pro Flacco XLVI. *Cum iste sese pecuniam, quam hujus fide sumpserat (muniam*) a discipulis suis, diceret se Fufiis persoluturum.* Propertius lib. IX. eleg. *Sacra facit vates,*

Vincit Roma fide Phœbi.

Id est, præstat Phœbus Apollo, tum prædicendo, tum auxiliando Cæsari securitatem, & certam in Actiaca pugna victoriam.

Idem. Idem sentio, Cum illis sentio. Nequaquam, *idem cum illis sentio.* Non dicitur, inquam, ab ullo vetere, quod a Josepho Scaligero, ceterisque similibus, & novis, & non malis Scriptoribus, *Idem cum illo*. At, *idem illi*, & Cicero usurpavit, lib. IX. ad Fam. ep. 6. *Quasi quidquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus.* & Horatius de arte poetica.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

Florus lib. IV. cap. XII. *Defuncto ibi fortissimo juvene, ipsi, quod numquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit.* Huic simile & germanum est illud: quod ego exempli causa propono. Defuncto Romæ Cardinali Toleto, homine Hispano, funus ei amplissimum faciendum curavit Lutetiæ Parisiorum Henricus IV. Rex Galliæ. Itaque nec dicto Flori demendum, *ipsi*, nec nostro, *ei*, emendata ut sit, minimeque vitiosa oratio. Nec vero quidquam vetat quominus absoluto ablativo alius casus jungatur, qui supervacaneus videri possit. Ita locutus aliquando Cicero. Pro Sextio LIV. *Consules statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, &, spirante etiam republica, ad ejus spolia detrahenda advolarunt.* Vide hic Joan. Georg. Gravium, recte alioquin de literis & scriptoribus judicantem, a quo ego invitus, & repugnans dissentio.

Joannes Despauterius libro de orthographia, in extremo. *Glycerum & Glycera, vel Glycere Glyceres, proprium mulieris, interpretatur dulcis amor.* Γλυκὺς, *id est, dulcis*, ἔρως, *id est, amor.* Hic mirari subit tam diligentem grammaticum in grammaticis errasse tam graviter, ut sæpe dixerit e duplici voce esse compositam vocem Γλυκερός. Non enim hæc istius etymologia vocis e substantivo eque adjectivo, sed idem γλυκερὸς, quod γλυκὺς poetis. Ut apud Homerum neque γλυκέριον quisquam dixerit per diminutionem, sed & γλυκίερος, & γλυκιερώτιον, si quid tale fictum compositumque voluerit Græcorum more. Vidit hoc vero Robertus Stephanus in thesauro suo, & alii hunc secuti, quorum nemo ejusmodi etymon attulit, cum doceret unde ea vox peteretur, neque γλυκερὸς, & γλυκέριον, interpretatus est amorem dulcem, aut dulciculum, sed dulce duntaxat aut dulciculum simpliciter, id quod e Græco transferret. Ac neque apud quemquam inter veteres Latinos grammaticos hæc etymologia blandi, & blanduli amoris.

Veteres hoc probi Scriptores, tum sacri, tum alii usurpant, *facere tempus, dies, & horas*, ut sit hic accusativus transitivus, pro *peragere spatium temporis in re aliqua*, non autem, *peragere rem in temporis aliquo spatio.* Recte dictum, scio & a plerisque jamdudum animadversum. Sed notavit nemo, a Gaspare Scioppio hujus dicti testem productum falso Tullium. Scioppius igitur pag. CLIII. Institutionum gramma-

maticæ Latinæ: *Si cui*, inquit, *insolentius videtur. factum est tempus, noverit Ciceronem dixisse*, v. Att. xx. *Apameæ quinque dies morati, Iconii decem fecimus.* At si quando Scioppius, quod plerumque, hic profecto turpiter, & ridicule erravit. Ita enim Cicero: *Laodiceam venimus. Ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque verbis omnes injurias revellimus superiores, quod idem deinde, Apameæ quinque dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem, fecimus.* Quis autem tam cæcus non videt, *Iconii decem*, jungi eum antecedente voce, *morati*, non ad insequentem vocem pertinere, *fecimus*? Ut sit hæc structura atque hic sensus, morati Iconii decem dies, fecimus, ut injurias veteres revelleremus: nullo modo intelligi Cicero voluerit, aut dixerit ipse, *Iconii fecimus decem dies.*

Europa. Tota Europa celeberrimus, totius Europæ doctissimus, totam Europam gloria implevit nominis sui, aut peragravit. Vulgo dictum nunc quidem, antiquis inauditum. Manavit e lingua vernacula in Latinam illa, credo, ratio loquendi: quam vix advertunt in aliis etiam ii, qui in se non admittunt. Ut intelligas autem quantum sit hac in locutione flagitii: repone, si lubet, *Europæ* nomen, ubi sic locutus Cicero est, *princeps orbis Pompeius, ager Campanus orbis terræ pulcherrimus*: tum excute notiones antiquas, & memoria repete, num quis olim Romanorum tale aliquid eo verbo expresserit. Nimirum infinite cum loquimur, *terras & orbem terrarum* usurpamus: definite & singulariter, pro parte universi orbis una ex quatuor, *Europam*, item ut *Africam*, aut *Asiam*, appellare licet Latine, atque ita consuevimus.

Apud, prope, vel, *in*: sive hoc, *proxime, juxta, secundum, propter*: sive, *cum, domi, intus, intra. Apud*, nusquam respondet quæstioni *quo*. Itaque Casauboni epistolæ in quibus habetur: *Iveram hesterna die apud Principem Hessum*, magnum mendum, quod neque Thuano, neque Scaligero, amicissimis duobus probaverit, continent.

Apud, a Tullio sæpe usurpatum, pro *juxta*, vel *proxime*. I. cont. Rullum v. *Agros in Hispania, apud Carthaginem novam.* xv. ad Fam. ep. iv. *Quinque cohortes apud Philomelum consedissent. — Anneius legatus castra in Lycaonia apud Iconium faceret.—In Cappadocia extrema, non longe a Tauro, apud oppidum Cybistra castra feci.* II. ad Fam. epist. x. *Ita victoria justa imperator appellatus apud Issum.* v. ad Att. xx. *Castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander.* VIII. ad Att. xx. *littera .... in quibus scribis Cæsarem apud Cornificium castra posuisse.* Pompeius ad Domitium. Usurpavit vero Cicero rarius, *apud*, pro *intus* loco designato. I. Tusc. x. *Triceps apud inferos Cerberus.* xi. *Si ergo apud inferos miseri non sunt, non sunt quidem apud inferos miseri ulli.* Propertius:

Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Virg. Æn. vi.

Quæ quis apud Superos ....
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Virg. Æneid. *Ad Trojam.* Servius: *Ad & apud accusativæ sunt præpositiones. Sed apud, semper in loco significat. Ad, & in loco, & ad locum.* Ex quo cognoscas licet, opinor, motum ad locum, sive ad quæstionem *quo*, non hic significari.

Usque adeo non refugit Tullius ab iis, quæ dura putaverimus nos, alii etiam vitanda omnino censuerint, ut ea usurparit non eodem versiculo tantum, sed conjuncte & continentibus verbis lib. VI. ad Att. epist. I. *Hæc non noram tum, cum Democrito tuo locutus sum.*

Rursum quædam, quæ nonnihil negligentiæ videntur habere, dici non potest quin Tullius fecerit prudens. Ut illud lib. XII. epist. IX. ad Fam. *Sed tamen, ut omnia, ut spero, prospere procedant, multum interest te venire.* Quis enim Ciceronem putet non animadvertisse, bis hic a se positum, *ut*, diversa structura, diversoque sensu, tam prope utrumque.

Non videtur omnino inutile Ciceronem notari, si quando una & eadem sententia, & iisdem verbis utatur sæpius. VII. ad Fam. ep. XV. *Quod vero in C. Marii, suavissimi doctissimique hominis, familiaritatem venisti, non dici potest, quam valde gaudeam: qui fac, ut te quam maxime diligat. Mihi crede, nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare.* Lib. VI. ep. I. ad Att. *Plane te intelligere volui, mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam literis scripsisses, si nihil aliud de hac provincia, nisi illius benevolentiam deportassem, mihi id satis esse.*

Horatius lib. I. serm. satyra II.

Leporem venator ut alta
In nive sectatur, positum sic tangere nolit:
Cantat, & apponit: meus est amor huic similis, nam
Transvolat in medio posita, & fugientia captat.
Hiscene versiculis, &c.

Mirum profecto cur hoc tam sit obscurum atque cæcum, cum tot explanationes adhibitæ sint interpretum ad hanc diem, vixque adhuc quisquam rem ex toto, quæ sit tamen in promptu, intelligat. Sic igitur habeto: Ex amatore si verum quæris, cur matronas potius quam libertinas & ancillas tam ardenter amet atque depereat, statim pro se, Callimachi carmine isto respondeat: ut leporem venator per altas nives scrutatur in montibus: post autem sic positum, sive, ita ut est, relinquit. Cantat, inquam, hos tibi Callimachi poetæ versiculos amator: quibus & sequentes ejusdem poetæ apponit sive adjungit. Meus amor talis est: & fugientia captat, & in medio posita prætervolat. His autem versiculis, hac poetæ cantilena speras, opinor, omnes molestias & sollicitudines, sensum doloris omnem a te depulsum iri? Est hoc antiqui Scriptoris Epigramma Græcum ad Epicydem, & quasi canticum, quod Latine ad verbum expressi quoque versibus.

Ὡ' γρευτὴς, Επίκυδες, ἐν ὄρεσι πάντα λαγωὸν
Διφᾷ, ἠ πάσης ἴχνια δορκαλίδος
Στίβῃ κ' ἀν νιφετῷ κεχρήμενος· ἢν δέ τις εἴπῃ,
Πῆ τόδε βέβληται θηρίον' ὐκ ἔλαβεν.
Χ' ὠμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲ φεύγοντα διώκειν
Οἶδε. τὰ δ' ἐν μέσῳ κείμενα παρπέταται.

Vena-

Venator leporem ſaxis, Epicydes, in altis;
Et capream ſequitur preſſaque ſigna pedum,
In nive pone legit. Quod ſi quis dixerit illi,
En cape: percuſſa eſt bellua: non capiat.
Talis amor meus eſt. Longe fugientia novit,
Quærere, &, in medio quæ ſita, negligere.

Ex quibus ita propoſitis ac probe intellectis, deprehenſum apparet hic primum apud Horatium, *ſic*, particulam ſimilitudinis, in ſecundo verſu, non reſpondere adverbio, *ut*, quod eſt in verſu primo, neque reddere ſimile, aut ullo modo ſignificare *ſimiliter*: quod quidem ſi fiat, bis eodem loco, ideoque negligenter & abſurde fiat. Sequitur enim: *Meus eſt amor huic ſimilis.* Paret deinde, ubi habemus, *ſic poſitum*, &, *apponit*, ibi nequaquam agi de lepore poſito in epulis: deque appoſita convivis quacunque eſca: nec voce ejuſmodi, *tangere*, expreſſum intelligi, *comeſſe*, aut *cibum attingere digitis*, aut *ad os admovere*. Quid ergo eſt, *ſic poſitum?* Nihil aliud, quam vel ex Latino Horatii, temere atque ante pedes poſitum, ita ut eſt, quo ſit cumque ſtatu. Eadem forma & ratione loquendi uſum lego Virgilium non ſemel, IV. Georg.

Sic poſitum in clauſo linquunt.

Et Æn. IV. quoque.

Sic te ut poſita crudelis abeſſem.

Vel ex Callimachi Græco βέβληται proſtratam telo, ſive jacentem ex vulnere beſtiam, ut Homerus ſæpe, Iliados E. λ. Βέβληται μὲν ὁ Τυδείδης βελέεσσι, ὀϊστῷ, ἰῷ. Et ſimpliciter, Βέβληται nullo addito. Stratus, afflictus, atque abjectus, ſive perculſus & proſtratus jacet. Tertium vero illud, *cantat & apponit*, quod unius Horatii proprium eſt, nec e Græco, ut reliquum carmen, petitum. eo magis certum & evidens, mihi quidem, videtur eſſe, quo a pleriſque, ad hoc uſque tempus, neſcio quo modo minus intellectum. Quid vere proprieque ſignificat hic, & valet Horatiana vox, *cantat*, in iſto verſu, niſi ut in ſoluta oratione, *inquit*, ſive reſpondet amator ex Callimacho, & quaſi ex ejus ore priorem partem carminis profert. Quid ſibi vult, *apponit*, niſi *adjicit*, ac velut applicat primis illis hos conſecutos ejuſdem poetæ verſus quodammodo per ἀπόδοσιν, & reddendæ ſimilitudinis cauſa: Meus quoque amor eſt ejuſmodi. At hæc, ut jam dixi, duo, *cantat & apponit*, neque antiqui interpretes, neque novi ſatis, quale id eſſet, ceperunt: non Porphyrion, qui alia omnia diſſeruit in eam ſententiam: non Acron, qui interpretandi laude, quam Porphyrion, inferior. Atque hic quidem ab initio recte cum dixit, *apponit*, *addit ad cantum*. Poſtremum rem pervertit, cum ait, *ſociis apponit ad comedendum*. Recentiores iſti, a quibus eſt hoc de Callimacho primis & ſolis exploratum atque compertum, Joſephus Scaliger, Daniel Heinſius, Tanaquillus Faber, ſuum quique non dico vitium habent, ſed erratum, aut incogitantiam potius & oblivionem. Ac primum iſta de voce duplici, *cantat*, *apponit*, nihil explicat Scaliger, nihil meminit. Deinde quod idem Horatium furti accuſat Scaliger, quia ſumpſerit a Callimacho verſiculos aliquot, & inſeruerit ſuis aliqnid trivialis cantilenæ; quis putet Scaligerum proprie locutum, cum Horatium ait furtum feciſſe, qui palam & aperte, quod eſſet in ore omnium tunc quidem, recitarit, & operi ipſe ſuo ludens ac nihil diſſimulans intexuerit: immo vel poetam notiſſimum ſic canentem, vel amantem unum aliquem induxerit. Frequens hoc olim nimirum, & quaſi familiare Romanis, etiam mulieribus, non modo Græca transferre, quæ Latine verſu canerent, ſed mera etiam Græca concinere, quæ itidem, ut Latina & patria pulcre noſſent, quod quidem ejuſmodi ut fieret, Ovidius præſcripſit:

Sit tibi Callimachi, ſit Côi nota poetæ,
Sit quoque vinoſi Teïa Muſa ſenis.
Nota ſit & Sappho.

Ac notiora etiam tum Græca Romanis, quam extera quævis & peregrina ſive Italica, ſive Hiſpanica, nunc quidem Gallis, ob eamque rem uſurpata frequentius & magis trita.

Facile patior. Non moleſte fero. Si quid judico, Gallis eſt noſtratibus: *Je ſuis tres-aiſe.* Ut leviter Latini, & minuendo, graviter & affirmate augendo Galli loquantur. Cic. lib. XV. epiſt. Att. II. *Conſilium meum a te probari, quod ea non ſcribam, quæ tu a me poſtularis, facile patior . . . Flamma quod bene loquitur, non moleſte fero.* lib. XVI. ad Att. II. *Conſilium meum quod ais quotidie magis laudari; non moleſte fero.*

Cic. XV. ep. Att. XI. *Exclamat tua familiaris: Hoc vero neminem unquam audivi. Ego repreſſi.* Erravit hic, ni fallor ego vehementer, Simeo Boſius. *Servilia*, inquit, *exclamabat ſe neminem audiſſe, qui prudentius conſilium daret, quam id quod modo Cicero dederat, de Senatu vocando.* Contra vero exclamavit Servilia. *Qui hoc loqueretur quod Cicero, neminem ſe unquam audiviſſe.* Quid enim ſibi vult qnod Cicero ſubjecit: *Ego repreſſi*, niſi iſtud: *Cum negaret Servilia tale ſe quidquam audiviſſe de quoquam, quale proferrem, contraque me omnino diceret, nihil tum ego videlicet aliud feci, niſi tacui.*

Febris. Aliquem febris reliquit, a febre relictus aliquis, ab aliquo febris diſceſſit; acceſſit febris, deceſſit. Cic. VIII. ad Att. VI. *Audivi, quartanam a te diſceſſiſſe . . . Tironem noſtrum ab altera relictum audio.* VII. II. *Etſi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit deceſſiſſe, & alteram leviorem accedere.* Loci duo Tullii obſcuriores, quos ne ſtrictim quidem interpretes tangunt. Sed eo lux affulget, & certa fides a Celſo de re medica. In libro enim tertio, cap. V. *Si impares*, inquit, *acceſſiones ſunt, conſiderandum eſt quo diſtent, Nam ſi altera gravior, altera levior eſt . . . Si altera longior, altera brevior . . . Si altera gravior, altera longior eſt; conſiderandum eſt utra magis affligat, illa vi, an hac tempore.* Tum capite XVI. *At ſi duæ quartanæ ſunt . . . Aut ſi duæ febres pæne junguntur, poſt utramque cibum ſumere.*

TABULA ALPHABETICA.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS
E SOCIET. JESU
ORATIONES MISCELLÆ.

ERUDITO LECTORI.



Tsi has orationes neque tum, cum primo habui, nimium expolire curavi; neque nunc, cum exire patior in lucem, satis lente, &, ut erat animus, fastidiose per graviores occupationes recensere liberum fuit: tamen eas tibi qualescunque sunt, erudite lector, non offerrem, si contemnerem. Habet argumentum, in quo versatus sum, partim quod regium sit, aliquid dignitatis; partim quod ad studia literarum adhortetur, atque instruat, non parum in communem juventutis usum opportunitatis. Neque, opinor, displicebit ordo, & varietas, & aliquis fortasse, naturalis, ac simplex, non sine vi tamen, & aculeis, rerum nitor. in quibus si τὸ ἠθικὸν illud, cui tantum tribuunt uno consensu scriptores artis, imitatus sum, atque expressi; est, ut volui. Profiteri hoc liquido possum, me, sive quid affirmavi, atque exaggeravi verbis, sive quid vicissim minuere, & deprimere libuit, utrumque horum serio, & ex meo sensu fecisse, ac tanquam si a teste veritas exigeretur, ita de re instituta habuisse sermonem. Quod eo moneo, ne quis forte secutum me putet fluctuantem, & incertum morem eorum, qui omnia disputant in contrarias partes, atque illud sæpe, quod minus credunt, asseverantius dicunt. Quamvis enim hanc licentiam dabat genus hoc præfationum, quod ad speciem, atque pompam, & quasi ad proludendum comparatum est, ut ficta pro veris tractarem, incredibilia pro receptis, vel animi causa, vel stili: facile tamen remisi id aliis totum, existimavique semper, sicut mendacium vitam, & mores, & privatum sermonem, ita falsum, quod falsum sciatur, quantumvis dicendo fiat plausibile, orationem publicam dedecere. Sed de his, deque ceteris ex orationibus existimabunt, qui eas sumere non gravabuntur in manus. Ecquodnam genus dicendi oportere putem sequi; quoniam fieri potest, ut id, quod sentio, mihique præscripsi, parum executus ipse sim; placet mentem meam, & judicium aperire paucis. Quod quamvis videor jam egisse oratione tertia, & res tota latissime patet; non diffido fore, quin idem pla-

Z 2 nius,

nius, ac diſtinctius, licet brevius, retractem, & aliquid adjiciam, quod pridem agitabam mecum, & velut parturiebam, aliquanto melius. Ac videtur primum una unius orationis forma, & figura, & quaſi filum, & contextus eſſe debere dictionis, unde ſcriptor, aut orator, legitimus operis ſui parens, effectorqne, certo agnoſcatur. Quemadmodum enim ex inceſſu quempiam, ant vocis ſono, facile, quis ſit, intelligas; etiamſi a tergo duntaxat videas præeuntem, ant verba ipſa non exaudias: ita ſoluta ſcriptio, & libere profluens, & æqnabiliter fuſa, ſi neque temere variet, neque adulterata ſit de induſtria, neque a pluribus confuſa, prodit auctorem, nec ſinit, ab iis ſaltem, qui cnm aliqua ſolertia judicandi ad opus conſiderandum accedunt, ignorari. Atque hoc præceptum, ſicut & alterum, huic conjunctum, quod afferetur mox, minime illud quidem, ut vides, ſuapte ſponte exquiſitum, neque in recondita quadam arte, aut ſubtiliore doctrina poſitum; ut maximi tamen momenti & ponderis videatur eſſe, nonnullorum facit vel ignoratio, vel negligentia, qui quod ab iſto ſæpe multumque diſcedant, in pleriſque vehementer errant. Quid neceſſe eſt, vel ab imperito, & leviter in veterum literarum monumentis verſato, ſtatim atque is in ſcriptum aliquod meum incidit, & paucula quædam percurrit, maniſeſto deprehendi, a cujus auctoris lectione recens dederim me ad ſcribendum, quo pervenerim legendo? Qui convenit, ut plurimi in unam oratiunculam contuliſſe operam, aut miſiſſe velnt in acervum lapidem prætereuntes, ac de ſuo quique auxiſſe tantulum videantur? Quam puerile, & ridiculum, ſi accidat, quod ſæpe obtingit, ut de uno eodemque ſcripto, qui legit, facile dicat, hoc Salluſtii eſt, hoc Livii, iſtud Suetonii, aut Taciti, illa a Petronio ſumpta, illa ab Apuleio. nt cum ex diverſi coloris pannis, aut ex centonibus aliquot obſoletis ooncinnata ſint prope omnia, crebris locis interpolata, & refecta; auctor ipſe aut nulla pars, aut minima ſit ſui. Neque hæc idcirco diſputo, nt eos, qui id in ſe admittnnt, maniſeſti furti arguam, aut vocabula, & locutiones mutuari nefas habeam undique ex probatiſſimis ſcriptoribns. Hoc volo, ut cum verba commnnia ſint omnium, cum dictio de medio ſumatur, cumque utrumque non ſit Plauti, aut Terentii potius, qui priores occuparunt, quam meum, qui tot annis poſt uſurpo; fiat cujuſque proprius, ac domeſticus, nativuſque ſtilus, non vinciendo ſolum voces, ant continuando ſermonem, ſed apte, ac ſcienter transferendo, & colorando paullatim, ac roborando, & quaſi in ſuccum, & ſanguinem vertendo. quem fere ad modum educatum corpus nutrimentis varii & diverſi generis eundem habitum, eandem figuram membrorum, eadem lineamenta retinet, eaſdem notas, quibus a corporibus internoſci ceteris queat. Neque vero, poſteaquam formam dicendi & ſpeciem momento quodam, atque judicio ſelegeris, eamque in una oratione adhibueris, video, quamobrem, ſi ſemel bonam nactns ſis, te tibi in reliquis orationibus mutes, nec nbivis pari conſtantia, & uno tenore, nt ajunt, tuique ſimilis ad extremum procedas. Quid hoc habet argumenti, quod de Stoicis agitur, eorumqne omnis doctrina exponitur, nt aſtrictior tua ſit oratio, multoque contractior: ant quod Socratis vitam, mores, leporem, humanitatem, ſectas ex eo natas philoſophorum, profers in medium; ut perpetuam ironiam, diſſimnlantiamque Socratici ſermonis exprimas? Quaſi vero qui ſcholas

las nobis complures philosophicas disseruit orator, vel jejunum se, & exilem; & aridum præbuit cum Stoicis, vel ideo pleniorem, & latiorem cum Peripateticis, quia ab iis sat fusum orationis, & vagum, nec a nomine abhorrens suo, afferretur genus. Jam quoties res sacras voles attingere, illicone ad imitationem decurrendum putabis Cypriani, Hieronymi, Augustini, ceterorum; qui potiores habeas, quos sequare, in profanis, & hoc istis auctoribus, sanctissimis viris, qui exemplum facti reliquerunt, facere non impune solum, sed summa etiam cum tua laude possis? Insistere porro tam multorum vestigiis, & in unum volumen orationum includere ea dicendi genera, in quibus omnis fuit superior ætas, ut non negaverim alicujus esse judicii, alicujus facultatis; contendo laborem ad id suscipi, &, quod experti nonnulli fatentur, diuturnum ac molestum, &, quod omnes experimur, inutilem. adde ludicrum, & jocularem, tot unum personas agere. adde noxium, neque justum, alienæ multiplici naturæ, destituta sua, inservire; certe totum sibi tempus, quod impertiatur tam multis, totam operam subducere. Quod cum ita sit, ut unum ac simplex, non permixtum e pluribus, genus debeat esse orationis; cumque aut nullus, aut unus, ne confusio nascatur a multis, restet imitandus: sequitur alterum præceptum, de quo verbo disputandum, ut eximium aliquem, & excellentem, in quem tota mente defixi atque omni animo intueamur, cujus optima quæque diligenter persequamur, cui similes prorsus in dicendo velimus esse, proponamus nobis. Quis est vero ex omni antiquitate, ac memoria, ex omni copia scriptorum, quem non dicam anteponamus Tullio, sed cum eo contendamus? quis sive apud Græcos, seu apud Latinos, artis, & præceptorum, & observationum omnium, quibus eloquentia continetur, scientior? quis in omni scribendi genere, epistolarum, orationum, disputationum de rhetoricis, de philosophicis exercitatior? in quo prudentius judicium, acrius ingenium, flagrantius studium, majorem industriam, laborem, constantiam legimus, aut audivimus? ut si hæc spectentur singula separatim, is, qualis est, quantumque valet, quo nullum habuit omnis consequens ætas specimen eloquentiæ illustrius, totum hoc uni istarum virtutum, nihil aliis, debere videatur. Quæ cœlestis, & prope divini viri laus, quem tot sæcula approbarunt deinceps, quot interfluxerunt ab illo ad nos usque, supervacanea foret, nisi ejusdem incidisset necessaria defensio adversus eos, quibus tanto post etiamnum summa, & singularis eloquentia non satisfacit. reprehendunt enim quidam, &, ne soli reprehendere videantur, opponunt fuisse oratorem ætati non omnino probatum suæ; genus ejus dicendi non placuisse Bruto, non iis, qui Attici numerabantur. Accederent ad Brutum, atque ad Atticos, qui hæc loquuntur, neque magis istorum ipsi dissimiles, quam isti Ciceronis, essent. Nunc cum tantum hi nostri reprehensores a Bruto, ceterisque absint, orationis bonitate, ac præstantia, quantum disjuncti intervallo non annorum, sed sæculorum sunt: quid est causæ, quamobrem quorum scripta merito contemnimus, eorum de tanto viro judicia pertimescamus? Non probavit genus dicendi Tullii Brutus? at probavit Atticus, earum rerum prudens, ac subtilis, sincerusque habitus æstimator. probavit Cæsar, Sulpitius, Luceius, Cælius, Plancus, similes, quorum si nomina tollas in epistolis, nihil requiras, quo has à Tullio scriptas fuisse jures. pro-

bavit Quintilianus, a quo non jam ut eloquens, ſed ut exemplar omnis eloquentiæ prædicatur. probavit junior Plinius, qui eloquentia ſæculi ſui non contentus, Ciceronianam, quantum in ſe fuit, jam tum vitio temporis inclinatam, & velut fugientem retraxit. Non probarunt Attici? qui tandem? iine famelici, macilenti, egentes, ignari quid Atticiſmus, quem ſequi ſe profiterentur, valeat, aut quid a Lyſia Æſchines differat, ab utroque Demoſthenes: qui tamen inter ſe tres diſſimillimi, omnium conſenſu, Attice dixerint? Præclara vero noſtra judicia, ſi quos nemo fere eorum ætate adhibebat ad cauſas; aut adhibitos irridebat, aut, quod haud ſcio, an miſerabilius ſit, cum dicere cœpiſſent, relinquebat; eos contra Tullium, quem judex, & populus peræque ſuſpiciebant, peræque admirabantur, peræque frequentia, & plauſu celebrabant, dicentes audiamus: aut ſi eoſdem potius non emendemus ex Tullio, quam ex iis leviter reprehendendum eſſe Tullium putemus. Probavit enim Cicero Atticos, quos tribus locis, libro de claris oratoribus, altero, qui orator inſcribitur, tertio, qui eſt de optimo genere oratorum, exagitavit graviter, & erudite; eoſque, quam ſe, & veros Atticos ignorarent, edocuit? probavit Brutum, de quo quam ſenſit prudenter, tam ſincere, quid ſentiret, communi amico, Pomponio aperuit? *Brutus*, inquit, ***miſit ad me orationem ſuam, habitam in concione Capitolina, petivitque à me, ut eam ne ambitioſe corrigerem ante quam ederet. Eſt autem oratio ſcripta elegantiſſime ſententiis, verbis, ut nihil poſſit ultra.*** Intelligis, ut ei elegantiam duntaxat, quod in oratore minimum eſt, & infimo generi dicendi relictum, attribuat? *Ego tamen ſi illam cauſam habuiſſem, ſcripſiſſem ardentius* ὑποθέσει. *vides, quæ ſit perſona dicentis.* Agnoſce contra, ut vim, gravitatem, copiam detrahat: quæ cuncta ardor poſtulabat, & perſona tanti herois. ***Itaque eam corrigere non potui. quo enim in genere Brutus noſter eſſe vult, & quod judicium habet de optimo genere dicendi, ita conſecutus eſt ea oratione, ut elegantius nihil eſſe poſſit.*** Obſecro, num perſeverat, ac veretur, ne quid Brutinum approbet extra elegantiam? *Sed ego totus alius ſum, ſive hoc recte, ſive non recte.* Rectiſſime, mi Cicero: neque tu, quin ita res ſit, quidquid dicas, dubitas; neque aliter, qui errare nolint, ſentiunt. *Tu tamen velim orationem legas, niſi forte jam legiſti, certioremque me facias, quid judices ipſe.* Fecit vero, & idem ſe, quod illum ſentire, ſignificavit per literas. *Quanquam vereor, ne cognomine tuo lapſus* ὑπεραττικὸς *ſis in judicando. Sed ſi recordabere* Δημοσθένους *fulmina, tum intelliges poſſe &* ἀττικώτατα *graviſſime dici.* Fruſtra timuit, quid exiſtimaturus eſſet Atticus, qui & id, quod dico, reſcripſit huic Ciceroni, & cum eo multis verbis egit, ut eam cauſam, quam Brutus ſcripſiſſet, ſcriberet nihilominus de integro, & quaſi à Bruto habita oratione ederet. quod quid erat, niſi Bruti ſcriptum reſpuere, malle Ciceronis? Sed à me dictum prius, quemadmodum judicaret Atticus ſecundum Tullium. id nunc agitur, quam parum Bruto Tullius ipſe aſſenſus ſit vel ſcribenti, vel exiſtimanti. Quod ex eo quoque patet, quia cum hunc minus æquum expertus eſſet in oratore ſuo, & aliis aliquot operibus, nihil ſe immutavit, contraque obfirmavit magis, & ſuo maluit, ac reliquorum, quam hujus, paucorumque præterea, judicio ſtare. Nam & ad Atticum ſcripſit his verbis: ***Hoc etiam malis oratoribus contigit. quid tu Bruto putas, & ingenioſo,***

so, & erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto. scripseram rogatu tuo. meum mihi placebat, illi suum. Quinetiam cum ipsius precibus pæne adductus, scripsissem ad eum de optimo genere dicendi: non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare sine, quæso, sibi quemque scribere. suam cuique sponsam, mihi meam: suum cuique amorem, mihi meum. Et ad Leptam sic: *Oratorem meum tantopere à te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me quidquid habuerim judicii de dicendo, in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei judicii fama detrahatur.* Quamobrem hac auctoritate veterum Bruti isti, aut similes Brutorum dejecti, ad rationem tanquam ad arcem confugiunt. objiciunt enim Ciceroni profusionem quandam verborum, & quasi luxuriem orationis, quam neque Rhodus, ubi Moloni, maxime ob eam rem, dedit operam, neque stilus, quem ejus esse vitii optimum censet emendatorem, neque maturior ætas, quæ amputare supervacanea solet, & juvenili quadam libertate, atque æstu nimis effervescentia reprimere, satis depasta sit. Nisi forte hanc ipsam inanem profluentiam loquendi veteres quoque reprehendebant in eo. Sed magis dicant homines nostri, si attendant, id quod res est, quodque Plinio juniori video esse persuasum, plura etiam Tullium dixisse, quam ediderit. quod ex orationibus pro Muræna, pro Vareno intelligi potest, *in quibus brevis, & nuda quasi subscriptio quorumdam criminum solis titulis indicatur.* Viderint autem quid agant sive veteres, seu novi, cum quod optimum, & præcipuum in oratore, ac fortasse totum existimari debet, in eo Tullium notandum graviter, vituperandumque suscipiant. Quid, obsecro, aliud oratorem, nisi ubertas, & copia, non dicam, ad opinionem singularis artificii commendat, sed proprie, vereque facit? aut qua re una magis oratio, quæ quidem sit elaborata, atque compta quodammodo, a familiari, & quotidiano sermone, quam granditate, magnificentia, abundanti, & lauta supellectili differt? Quis amplificationi, quæ res exaggerat, quis vel ei, quæ extenuat, quæ licet aliud vox sonet, eodem amplificationis nomine censetur, locus esse potest, si orator presso, & conciso genere uti velit? Unde tam multa, tam varia schemata suppetent, nisi læta ac nitida fecunditas quædam ingenii pariat, ac subministret? Quomodo porro suo quæque in lumine collocabuntur ornamenta, subjicientur oculis, eminebunt, nisi magno theatro, magno verborum, ac sententiarum apparatu dictio exaggeretur altius, & crescat, & amplior efficiatur, atque illustrior? Jam ambitus ipse, comprehensioque vocum, quæ adjuvantibus numeris, & conjunctis inter se partibus, a primo progreditur ad ultimum, nonne per se est quædam, terminata, nec exuperans, longitudo? Ne hoc quidem Lacones nostri intelligunt, brevitatem in oratione usque eo laudem non habere, ut irrideat Aristoteles tertio artis libro rhetoricos doctores eos, quorum hoc esse fertur in præceptis, narratio ut brevis sit. Equidem cum Tullius præter ceteros oratione usus sit morata, excitare sciverit motus animorum, collegerit historiæ, & antiquitatis memoriam, opportune digressus sit a proposito, definitam rem personis, ac temporibus, ad universi generis campum traduxerit, gravitatem incredibili jucunditate temperatit; tum eum arbitror naturale quoddam bonum, quod ante, ac post eum nemo, uber-

ubertatem dico & copiam, ad hæc tractanda pro dignitate singula attulisse, conjunctam cum vi, expertem redundantiæ; eoque nomine tantum oratoribus omnium ætatum, quantum oratores reliquis hominibus antecellunt, præstitisse. Itaque memini, me, quando hoc agebam, idque mihi studium curæ erat, cui prorsus ante aliquot annos nuncium remisi, conferre cum Virgilio Tullium solere sic, ut cum utroque nihil posset in suo genere esse præstantius, nec alter alteri concederet, in illo poeta plurimum artem valere, in hoc oratore naturam dominari agnoscerem: ob eamque causam imitationem videri Ciceronis, quam Maronis, difficiliorem; quod ejus rei, quam natura fundit, atque effert ex sese, non sint præcepta; sint ejus, quam ars efficit: cum ipsa nihil aliud ars sit, quam collectio certa quædam præceptorum. Nihil igitur lædunt adversarii Ciceronem, qui armis illum oppugnare conati sunt & antiquis, & novis. Sui ei amici fraudi fuerint potius: primum pueri, quibus tradatur in manus, cum id ætatis tantum sunt, ut bonarum rerum nullum sensum habeant, quique tunc, cum judicare jam aliquid possint, deponant, nec fere quidquam hujus in reliquum tempus ætatis, nisi satietatem, ac fastidium retineant. deinde viri, qui cum dignissimum quidem oratorem censeant esse imitatione, sed in quo, & quatenus, minus videant; & perperam imitentur ipsi; & retardent, ac deterreant ceteros ab eodem instituto, omninoque omnem imitationem, quæ tam parum studiosis procedat, infament. Certe peccari in hoc genere multis modis, prope ut imitatio non sit tanti, an non videmus? Quid hoc superstitionis est, singulas numerare voces, & excutere minutius, nec ullas usquam, nisi quas in Tullii scriptis legerimus prius, adhibere: cum de multis dubitetur adhuc, usurparitne ipse Tullius in iis libris, qui extant, & multo fortasse pluribus usus sit in reliquis, quorum jacturam fecimus, & alias adhibiturus innumerabiles esset, si argumenti ratio, ac necessitas coegisset? Cujus imprudentiæ exscribere locutiones ad verbum, compilare periodos ipsas, qui totas paginas imitari, atque exprimere, nulla surrepta vocula, si artem novimus, & tectius possimus, & validius? Quæ temeritas, si quando scribimus, quæ ipse non attigit, ut historiam, commentarios, scholia, sectari potius quod in dissimili, ac prorsus alio genere fecerit, quam attendere, quid in eo, in quo versamur, faciendum esse præscripserit? Quo modo igitur imitabimur? Primum in isto non sum, ut præcepta dem imitandi, sed ut ostendam male ab iis Ciceroni, qui eum non recte imitentur, consuli. Vim tamen consilii, regulæque aliquam obtinent & vitia, quæ declaravi, & virtutes vitiorum contrariæ, quas patefeci: cum nemo non intelligat esse consequens, ut hæ abdicatis istis, ac repudiatis colantur. Quod si quis compendium operæ facere velit, non morabor eum diutius, qui præceptorum multitudinem perniciosam duco, usum necessarium. tantum auctor ero; quod magnæ cujusdam artis, si probe percipiatur, instar esse possit; imitetur sane Ciceronem; sed ita, ut imitatus est Cicero Demosthenem, cujus nulla est ullo in genere laus, quam in suis orationibus non adumbrarit. imitetur Ciceronem, ut idem se ipse imitatus est, cum eadem verba, easdem dictiones iteravit, eadem frequentavit lumina dicendi; cum sententias quasdam totas, universa capita quædam, disputationes, aut exornationes quasdam, bene longas, quibus erat semel usus, tertio, ac sæpius, varie tamen, ac dissimiliter, re-

retractavit. In quo non solum considerandum esse censeo optimo imitatori, quid Tullius fecerit, sed etiam interdum, ac præcipue, quid, si loco esset nostro, facturus fuerit, hoc est, si idem argumentum, pari ætate, apud similes personas, tam frequenti, aut exigua corona, in regno, non in republica, in scholis, non in judiciis, aut in senatu, aut pro rostris, egisset. Atque hinc, ut istud exempli causa ponam, magna mihi opinio est, quod genus dicendi Atticorum, non illorum stulte, ac judicio tantum suo, sed vere, ac proprie Atticorum, a concionibus rejecit, & subselliis, ut angustius, & exilius, qnam aures judicum, & multitudinis ferre possint, traducturum idem ad scholas, ubi tenuissimæ, subtilissimæque res agitantur, ut elegans, ut sanum, nt expers omnis vitii, fuisse. Loquor, ut opinor. Sed aliis licebit, quibus majus vel otium vel cognoscendi voluntas erit, de conjectura nostra æstimare. Nec sum nescius & hoc, & alia nonnulla, quæ interposui, me complexum esse brevi; disseri potuisse pluribus. Verum fuerunt ista quoque nimium multa, duo ut docerem, genus esse nobis debere dicendi unum, idque Tullianum. & jam ferme orationem confeci, qui scribere volui epistolam. Quod reliquum est, erudite lector, si quam formam dictionis, ideamque exposui, his orationibus assecutus videar peritis artis; gaudebo. sin minus; non mirabor, me, qui aliud alia ætate scripserim, secus diversis temporibus, atque nunc sentiam, scripsisse; neque Romani oratoris scriptis inclusam eloquentiæ speciem, ac virtutes reddidisse, qui mihi ne in mea quidem, quam animo, & cogitatione comprehendissem, inferiore, multoque imperfectiore forma repræsentanda, unquam satisfecerim. De re neque melius judicavero, si quod optimum puto, orationibus istis meis expressi: neque minus bene, si non expressi.

ORATIO PRIMA.

Ludovico XIII. regi Christianissimo unius anni quatuor victorias gratulatur.

Alencione Saiorum. XV. *Cal. Novemb.* CIↃ IↃ CXXIX.



Nnus omnino est, auditores humanissimi, aut non multo secus, cum optimi quique Galli hæc a Deo immortali precabantur, ut si Ludovicus rex Christianissimus lacessitus, violatus, eorum, qui se Britannos, & perduelles esse, quam cives bonos ac fortes mallent, sceleris furore coactus, fidenter oppugnationem instituisset Rupellæ, promossetque constanter, optato eandem exitu felicique concluderet. Quo quidem tempore, cum mihi esset, hoc item e superiore loco, vobis secundissimis & libenter audientibus, facultas oblata dicendi, moleste ferebam præter cetera, dolebamque, mora deditionis, & oppidanorum pertinacia, luculentam mihi occasionem ob eam rem gratulandi meritissimo principi, aut eripi prorsus; aut serius in tempus, quam & aviditas mea peteret, & incuntis studiorum anni ratio, differri. Quid enim, inquam, auditoribus ad voluptatis sensum & oblectationem otii poterat accidere jucundius, quam victoriæ mentio illius, cujus antea eventum multum diuque propter rei utilitatem omnes optarant, propter difficultatem desperarant? Quid oratori ad vim dicendi, suavitatem, copiam opportunius, quam id argumentum, de quo pauca & exilia si dixeris, de veritate plurimum detrahas; si infinita ac grandia, neque omnia tamen unquam, nec satis digne singula persequare? ut & mera narratio atque nuda amplificandi pondus habeat, neque amplificatio periculum assentandi incurrat. Denique sic statuebam nihil aut oratori Gallo consentaneum magis, aut Gallis auditoribus esse, quam utrosque res a rege Galliarum strenue mirabiliterque gestas, cum dicendo, tum audiendo, grata saltem memoria prosequi. Simul & illud occurrebat, si aliam mihi aliunde, quod fieri tamen oportuit, materiem depromerem ad dicendum, fore, ut, brevi urbe capta, de ea si agere hoc loco vellem, vertentem ac plenum ad id annum expectare necesse haberem; itaque & seram gratulationem meam, annuo interjecto spatio, visum iri, & pervagatam vulgaremque sententiam, complurium jam labore atque literis occupatam. Quæ cum ita, ut timebam, postea aliquanto cecidissent, urbsque circumsessa dederetur, evenisse tandem aliquando sum lætatus; citius non evenisse, ut jam ante dixi, dolui. Qui tamen dolor non diuturnus, auditores, fuit; sed statim remisit, finemque habuit atque cœpi reputare mecum, neque seram videri gratulationem debere, quæ non sit ulla negligentiæ culpa dilata; neque inops, tritum, atque exhaustum id argumenti genus unquam fore, e quo, sic tanquam jugi e fonte, quo plura hauseris, eo relinquas plura haurienda. Accessit eodem, quod tum mihi subito, nec cogitanti venit in mentem, siquidem illustria Ludovici ac recentia duntaxat facta pertractare vellem, futuram mihi in dies segetem ac materiam ab eo rege ampliorem, qui fortunam comitem, virtutem haberet rerum præclararum ducem: Rupellanam obsidionem, exercitationem ad spissiora, ad altiora gradum, prolusionem ad magis seria, ac præmeditationem fuisse Nec vero me ratio, non prædicta fefellerunt. Ex quo enim primum, malis subacta atque calamitatibus, perfidiosa civitas in potestatem se justi & legitimi rectoris, vel in sinum potius optimi parentis recepit; quæ regi hora sine commentatione belli, qui dies sine novo labore, quæ hebdomas sine prælio, quod porro prælium sine victoria ac triumpho fuit? Qui postea quam Britannorum classem, vario auctam supplemento, & magnis adventitiis perduellium ac transfugarum copiis, iterum atque tertio partim fudisset, partim depressisset, portu duplici prohibuisset, pedestri prælio navalique domuisset, ad conditiones denique suas perduxisset; non robustum illum suum ac victorem exercitum, rebus eo loci pacatis, illico dimisit; sed lustratum cura, affectum stipendio, à finibus regni maritimis ad terrestres oras deportavit. qui interim Parisios divertit, tum Divionem contendit, inde ad exercitum quamproxime Alpes, quo eum principis oppressi salus vocabat, convolavit. qui invicta situ ac regionis natura loca perrupit, arte inexpugnabilia expugnavit, viam sibi, qua via esset nulla, cum ad itinera militum: tum ad vecturam tormentorum, aperuit. qui clusa tergiversatione Taurinatium, effractis Italiæ claustris, fusa, ibi quæ servaret, cohorte, positis in prærupta illa montium altitudine castris, cum procul abesset, sola adventus sui opinione, Hispanienses legiones perculit, & urbem Casale extremis undique obsidionis cinctam periculis expedivit. cujus incredibilis ac divina virtus, quæ ut quidque minime fieri posse crederetur, ita potissimum efficeret, hoc e medio victoriarum cursu ad civile ac domesticum bellum conversa, urbes perduellium plurimas vi cepit, aliquot evertit funditus, ceteras ad petendam qualibet, dummodo tolerabili, conditione pacem compulit. Quæ cum ita magnitudine ampla sint, ut grandiora fingi, ita numero multa, ut plura vix queant, ita recentia,

ut

ut anno proxime superiore, necdum etiam toto, claudantur; quid attinet, auditores, ad regiam laudationem aut præterita longe atque antiqua, quæ in memoria inhærent, repetere, aut nora ac futura, quæ in spe modo sunt, expectare? Quamobrem omittamus, si placet, quibus sit excitatum initiis, quibus incrementis propagatum, qua completum summa, tantarum, quæ Ludouicum commendant, virtutum fastigium: qualis in pueritia docilitas, quantum in adolescentia robur, quæ in firma jam ætate morum maturitas eluxerit. Prætereamus, quid domi gesserit latione legum; ut redundantem luxum coercuerit; minus caste abstinenterque in pecuniis publicis versatos mulctarit; impunitam illam inter se digladiandi licentiam represserit. Ne id quidem afferamus, quod militiæ nuper vi & armis confecerit; quemadmodum altaria Deo, antistitum ac sacerdotum collegio bona, jus omnibus suum postliminio pacemque restituerit. Neque vero expectandum est, quam mox aut privatim sibi finitimis a regibus, universe ereptas a communi Christianorum hoste possessionis repetat ac persequatur Ludovicus. Quæ enim meminisse possumus gestis abhinc anno rebus insigniora? quæ iisdem in posterum sperare meliora? ut parta laus Ludovico per hosce proximos dies, neque veterum, quæ peramplæ sunt, collatione deteri queat, neque futuræ cujuscumque accessione obscurari. Quas ob res tot ac tantas haberem religioni, ducerem que nefas, si quid aliud in præsenti mihi argumenti sumpsissem. facerem vobis, auditores, injuriam, si vos ad me attente audiendum cohortarer: cum præsertim non tam orationi meæ, quam prædicationi regiæ, non tam regis, quam Dei per regem præclare factis recolendis, animos sitis atque aures daturi. Quid enim divinius, quam imparatum a copiis, pecunia exhaustum, præpeditum valetudine, collectitia manu, & paucis admodum, non dico mensibus, sed diebus, raptim conflata, justissimo exercitui, paratissimis ducibus, & ad eam rem jampridem meditatis occurrere? quid divinius, quam sic opportune ac tempori, circumclusis arctissime nostris hominibus, commeatus atque cibaria præbuisse, ut, si die vel dimidiato serius subministrarentur, frustra, deditione jam facta insulæ, subministrarentur? Hoccine vero humanum est, infedato mari, turbulento, &, ut sic dicam, furenti, præter expectationem perduellium, præter spem nostrotum, præter omnium opinionem frænos injicere? hoccine humanum est, quod, cum mare idem æstu quodam ad æquinoctium utrumque accommodato effervescens, vi tempestatum & concursu fluctuum, obvia quæque disturbet semper, ac dissipet; eximii & insolentis artificii aggerem tantulum primo concusserit, tum, perinde quasi pervertere penitus & labefactare regiam molem aut vereretur, aut se posse diffideret, salvo opere atque integro recesserit? hoccine non cœleste, eum illum aggerem, annum & plus eo, quoad usus esset, violentissimis temporibus restitisse, fidemque & operam præstitisse; triduo autem post, quam oppidum in regis potestatem venisset, cum usui amplius non foret, suo quasi perfunctum munere, & emeritis stipendiis, nullo maris accessu ac recessu, nulla ventorum vi atque impressione, sponte dissolutum minutatim esse. Verum non faciam præpostere atque perturbate; nec contra, quam subobscure a principio significavi, dicturum me admodum nihil, quod extra unius anni cancellos excurrat, quodque non intra ante diem xv. Cal. Noremb. anni proximi, & eundem diem anni hujus consecuti, qui dies hodie est, vel inciderit, vel revocari necessarie propter contextum rerum & seriem debeat. Ac neque id totum. Quis enim in tanta turba actorum illustrium, tametsi maxime vellet, efficere tamen ac consequi posset? Vetum summa quæque ac speciosa, non ut diligens & curiosus narrator, sed ut verecundus exornator, parce tangam, & simul singulis leviter locis insistam, quæ non tam pedibus rex Christianissimus ac vestigiis, quam virtutibus his majoribus fortitudinis, constantiæ, gravitatis, beneficentiæ impressit. Tenetis memoria, auditores, neque oblivisci certe potestis, cum Rupella Ludovici Justi consiliis, laboribus, periculis, ita esset undequaque terra marique vallata, ut oppidani non jam in urbe versari, sed in custodia viderentur, quo commeatus nihil non ad vitam modo integram tuendam, sed ne ad mortem quidem differendam liceret introferre; cum expectatum diu auxilium aut deesse his extremis rebus, aut proficere nihil intelligerent; lamentationes mulierum, puerorum ejulatus, omnium ætatum atque ordinum trementes & intermortuæ voces audirentur; cum compita acervis cadaverum redundarent, tecta ipsa deserta ac sola mœrerent, cœli plenior & crassior natura graviter oleret; inedia, egestas, annona non jam cara, sed nulla; crudelitas autem tanta, ut ab humana carne (horret animus, atque reformidat dicere, quæ suggerit memoria; vere tamen hoc dico, non temere attestante omnium cogitatione tacita affirmo) ut ab humana, inquam, carne non abstineretur: hoc tam lugubri ac perdito statu cum essent, ut vita cruciatus instar, mors in optatis esse videretur, neque, quod omnia miseria occupasset, novo foret dolori locus; nostis eos, auditores, hisce malis ad sanitatem rediisse mentis, deque urbe dedenda, quæ teneri non posset amplius, consilium salubre ac necessarium cepisse. Bonum factum, Rupellani, quod exitium commune omnium vestrum antevertitis, quod de venia ac salute postulanda, de rege implorando decernitis. Veruntamen quo illum vos ore aspicietis? quo vos ille vultu intuebitur? ille ceterorum tegum ac majorum suorum acta rata habuit, immunitates vestras, & vacationem prope omnium rerum valere jussit: vos nova extorquere vel jura vel præmia vi doloque non cessastis, ille fecit vobis cœtus privatis de tebus habendi potestatem: vos conventiculis contra regiam auctoritatem consilia nefaria inivistis. ille sæpe vobis multa de more conquerentibus faciles ad se aditus dedit, sæpe veniam impertivit, pacem semper obtulit: vos toties animi æquitate tanta ad instaurandum bellum ac renovandum usi estis. Quid illud an celari potest, aut ulla excusatione, vel facti alterius similitudine defendi, quod palam in oculis orbis terræ Ludovico prorsus amicitiam renunciastis? fidem jusjurandumque violastis? ad alium vos regem, ad alias gentes ac nationes, ad antiquissimos & infestis-

festissimos hostes per summam perfidiam contulistis? Quod si nunc demum vere resipisceretis atque ex animo, etsi mulctandi acriter, non tamen desperandi prorsus essetis. Jam vero quis hanc delicti potius & contumaciæ, quam necessitatis atque inopiæ confessionem putabit, aut quis a vobis fide bona efflagitari veniam præstabit, qui ficte millies ac simulate expetistis? Pergunt nihilominus in incepto, auditores, & in desperatione rerum suarum de regia clementia, ad quam sibi iter tot tantisque maleficiis obstruxerant, minime desperant. serum quidem, dedere id, quod tueri non liceat diutius; permittere te victori, ubi amplius non sis tuus: nunquam tamen regi serum, benigne ac liberaliter facere; alienæ eum citius injuriæ immemorem, quam suæ mansuetudinis futurum; positurum iracundiam, cum se non jam despici intelliget; denique dolorem justissimum suum victurum, qui cetera omnia vicisset. Itaque approperant, illo ad summa omnia & cunctarum gentium admirationem nato Cardinali, duce facti & auctore, ad Ludovici pedes accidunt, quæ ad molliendum irati victoris animum pertinere existimarent, loquuntur. Hic quid attenditis, auditores, quid expectatis, dum quod factum jam accepistis, tanquam de integro factum inculcem, à rege perduellibus ignotum, itaque ignotum, ut vitam, fortunas, honores, condonaret omnia, nullas odii justi ac meriti reliquias, nullos iracundiæ aculeos, memoriam præteritorum nullam retineret? Quo loco non dico Rupellanis pepercisse regem, sed bis ac sæpius vicisse; non iisdem concessisse vitam, sed peperisse sibi immortalitatem; non humano eum modo & more fecisse, sed divino. Vicit se ipse Ludovicus, qui offensioni mentis suæ non inservierit: vicit victoriam, quæ jus omne vitæ ac necis in victos, potestatemque vendicat: vicit semel Rupellanos, qui ad deditionem longo eos intervallo adegerit, vicit iterum magnificentiusque vicit, qui impunitatem gravissimorum scelerum ac veniam concesserit. Quid enim aliud, si proprie velimus loqui, vincere est, quam ei, quem viceris, nulla re parem, sed omni ex parte superiorem evadere? Enimvero, auditores, si tantam Ludovicus perduellionem ulcisci pro merito (quamquam quæ pœna tam immani perfidiæ par inveniri queat?) sed tamen si facti atrocitati animadversionem quoquo modo respondere, si inusitatum crimen inusitato suppliciorum genere mulctare statuisset, nonne se cum reis quodammodo exæquasset? Deliquerunt illi graviter quidem; at graviter item luerunt. læsa majestas regni est; sed vindicata: paria omnia, dissimile nihil; hæ sunt vices, quæ referri perhibentur: debebant illi Ludovico regi pœnas; persolverunt: potuit repetere, repetiit: jure uti suo, usus est. quid vultis amplius? Hæc si ita, ut dico, usu nuperrime venissent; esset tum quidem ipsis, quod plecterentur, dolendum; nihil tamen continuo regi, præter reliquos victores belli, gloriandum. Nunc autem cum id, quod exigere jure ac merito posset, liberaliter atque abunde remiserit, beneficiis cum injuria, humanitate cum perfidia, condonatione cum facinoribus contenderit; cui esse dubium aut obscurum potest, quin debitores sibi omnes constituerit, inque perpetuum devinxerit, & jam ante victos in acie, novo quodam prælio vicerit? Qua quidem non tam corporum, quam animorum victoria quid inpræsentia jucundius, quid ad perpetuitatem & posteritatis memoriam firmius, quid ad divinarum effigiem virtutum expressius fingi, aut excogitari potest? Nou enim ex eo victoriarum genere est, quæ cæde funestentur hostium: non ex eo genere triumphorum, quibus in triumphis pompæ, gratulationi, plausibus captivi obstrepant edito gemitu, carenisque tractis: non ex eo monumentorum genere, quibus tam victi mœreant, quam victores gaudeant. Cum victoria communis hæc est, in qua periit nemo, nisi qui voluit, nisi qui victoris experiri humanitatem noluit, tum sensus lætitiæ non peculiaris unis ac privatus, sed per omnes omnino pertinuit. pares animorum motus, similis gratulatio, eædem acclamationes, gemina frontis, oculorum, vultus totius jucunditas. nisi forte victi aut mœstiores, quod non ante victi, aut hilariores, quod obligatiores, veniamque sint amplius, qnam ipsi victores, consecuti. Quid ego ejusdem diuturnitatem victoriæ prædicem? Tua quidem sunt, o Ludovice, & dicta omnia & facta constanter. tuus ille agger, opus instar multorum operum, ventis non cessit, fregit fluctus, matinorum æstuum semestrem vicissitudinem una & menstruam pertulit, tum domesticorum hostium conatus, tum exterorum, ut ita dicam, derisit. tuæ illæ munitiones, moles substructionum, turres ad formidinem compatatæ, castella, fossæ, urbs urbi propemodum opposita, hæc opere aut manu facta omnia, annum, diutius, qnam denique diu visum tibi est, sarta tecta, integraque perstiterunt. Illa vero incredibilis tua in subeundis obsidionis diutinæ laboribus patientiane dicam, an semper novi moliens aliquid fortitudo, quæ & imitationi infimis militibus fuit & admira'ioni, non ante finem, quam adversariorum pervicacia, fecit. hæc, inquam, omnia perquam diuturna, non diffiteor, fuerunt. Sed hoc pace dicam tua, & aggeris istius fabricam, quantumvis compactam atque coagmentatam, aliquando tandem dissolvi cœpisse, ad nihilumque recidisse, & te in diruendis, urbe capta, tot illiusmodi molibus tuis, tantummodo prævertisse diem, qui dies iisdem brevi finem, sponre perituris, allaturus esset. Quod si constantia tua, divina virtus, firmior hisce omnibus, utl spero, erat futura; haud dubitans tamen dixerim, tibi occasionem exstinguendi belli, quiescendi tempus obtigisse non invito. At vero hæc clementiæ laus, hoc humanitatis monumentum, hoc mentis invictæ trophæum, neque vetustate unquam, mihi crede, obsolescet; neque oblivione delebitur, neque ulla aut hominum, aut temporum injuria concidet. Neque sic velim, auditores, accipiatis, quasi communi quadam loquendi consuetudine, quod ita dici mos est, hanc beneficii gratiam sempiternam dicam; propterea quod apud animos hominum immortales posita sit, aut ad memores posteros perventura deinceps. esset istuc quidem, quod in omnes conveniret, qui beneficia contulerint aliquando, amplissimum; sed ad Ludovici singularem gloriam perexiguum. Quare, ut id illi sit cum aliis permultis commune, quod in exulcerati animi acerbitate, cum per-

perdere posset, pepercerit; hoc certe præcipuum habet & peculiare, quod non vulgari more & humano, sed immortali ac divino pepercit. Est hominum, sicuti probe nostis, solenne, veniæ dandæ rationem certis quibusdam & locorum & temporum, ac multo etiam magis personarum adjunctis illigare. ita fit, ut sceleribus aliis concedendam veniam, aliis prorsus negandam putent, & semel interdum, iterum perraro, tertio vix unquam ullis sese precibus exorari aut inflecti leviter sinant. Quod cum faciunt, quid aliud, nisi humanitati terminos suæ præstituunt? quid aliud, nisi, quatenus in benefactis deceat progredi, decernunt? quid aliud, nisi hoc dicunt, usque eo misericordes se, atque, ut sic loquar, homines, nequaquam ultra, futuros? perinde quasi miserari atque ignoscere, laudem si habet, quod certe maximam habet, non eo majorem habeat, quo & majoribus maleficiis ignoveris & pluribus. Longe vero alius Ludovico animus ac studium, alia virtutis exuperantia fuit, qui nihil quicquam, doloris ulciscendi studio, de pristina indulgentia & bonitate insita remisit, nullum misericordiæ perfugio vel locum, vel tempus exclusit, nullum inexpiabile, indignumque venia crimen putavit. Deliquerant Rupellani. quis negat, cum ipsi rei non inficientur? At quam graviter? ut qui gravissime. quando? novissime. quam sæpe? millies, vel semel potius; qui perduellionem in amplius septuagesimum annum ad hanc usque diem continenti serie propagarant. Ille tamen, ille divinarum laudum cupidus & acer æmulator, facinorum non attendit atrocitatem, multitudinem non dinumerat, recenti injuriarum memoria nihil movetur, se suis hostibus placat ac lenit, & una in proditione, omnium reos criminum, solutos a se liberosque dimittit. Atenim paucorum scelus quamplurimis insontibus; certe quamplurimos sontes, aliquorum condonavit innocentiæ. Neutrum vero ita habet, auditores, contraque sunt omnia. Quis enim Rupellæ ordo, quis magistratus, quis privatus homo, cui ceterorum rex fraudem capitalem daret? quæ domus hostili in regem odio vacua fuit? quæ ætas a tanti sceleris conscientia, quod genus abfuit? qui senes nefaria quadam animi inductione in perfidia illa sua non obduruerant? qui robusta ætate ac virili non eandem aluerant mentis insaniam? quis puer infans non cum nutricis lacte pariter perduellionem suxerat? quis cum effrænata ferocia non adoleverat? quæ muliercula autem contumelias in regem, purpuratos, ac proceres, ridicula, execrationes, quod unum poterat, non affatim congesserat? quis denique tanto numero unus aliquis non ejusdem audaciæ atque furoris se participem obsidionis tempore præbuit? ubi si qui ejusmodi extiterint ab initio detestabilis hujus atque impii tumultus, quibus hæc factio probaretur minus; ejecti ex urbe, privati bonis, ædium demolitione mulctati, judiciorum severitate, si ea in urbe ulla tum judicia fuerunt, nomine proditionis indignissimo notati. Quæ tam universa, tamque late patens hominum pravitas cum nullam ad ignoscendum ansam, multiplicem autem ac justam puniendi causam præberet; fatendum utique est, quod alioqui Ludovicus compluribus, quod aliquot integerrimis & nulla perduellionis labe respersis, aut raro hominum, aut nullo exemplo, dedisset, hoc indoli illum suæ, hoc virtutibus suis, hoc posteritati, quæ tanto de facinore nunquam conticescet, dedisse. Quid vero, quod neque decimum quemque sibi, neque vicesimum, neque centesimum, nec duces quidem ipsos & antesignanos defectionis, ad debitas pœnas meritasque depoposcit? quid, quod non cunctis modo superstitibus, quotquot erant, sed quindecim hominum millibus, quos misera fatalisque inedia necaverat, plene atque integre ignovit? non solum vivis ac spirantibus, sed mortuis etiam, quantum in ipso fuit, vitam concessit? qui enim omnibus omnino sine ulla exceptione pepercit, numquid & iis, quos putaret vivos, aut certe nesciret mortuos, pepercit? Nisi forte existimatis aut iis non ignotum, qui si vixissent, idem, quod ceteri, juris habuissent, aut minus ignotum, quod veniæ beneficio uti, fato quodam suo, non potuerint. nam de regis quidem voluntate locus dubitandi qui potest esse multitudinem ac struem cadaverum videre, de ea audire, sine gemitu ac doloris significatione nequiverit? facile ut appareret salvam eis voluisse vitam, quos, si fieri posset, rursus omnes a morte revocaret.

Nam quod Britannorum greges insula Rea primum, profligatis eorum copiis, extrusit, quod eosdem iterum tertioque vel a portu Rupellano procul rejecit, vel admovere propius exercitum vetuit; quam tandem longe hujusce triplicis fructum victoriæ patere, ad quæ loca pertinere, ad quæ tempora, ad quos hostes denique censetis? Neque enim existimandum est Britannos, cum ab insula nescio quo ejecti, cum ab urbe Santonum maritima exclusi nuper sunt, aliquo a portu uno, aut summum duobus esse prohibitos. Sunt una eademque opera a portubus Aquitaniæ omnibus, sunt a portubus Aremoricæ, sunt a vestris, auditores, oris atque litoribus. quid oris dico, quid portubus? non Aquitania modo, non Aremorica, non Morini, maritimæ provinciæ & in primis portuosæ, verum etiam Parisii, Aureliæ, Bituriges, omnes in gremio positæ regni, ac maxime mediterraneæ civitates hac insolita victoria, tanquam Dei optimi maximi erga Ludovicum, Ludovici erga se singulari munere atque concessu fruuntur. Quod autem vestrum hoc, Alencionenses, oppidum, ut aliud nihil dicam, statum etiamnum retinet priscum ac florentem, trepidatione nulla, custodiis vigiliisque nullis; quod præsidia neque maximis vestris sumptibus periculisque alitis, neque cum metu in dies singulos expectatis; quod res rusticas vestras ex animi sententia obiistis, villarum fructus percepistis uberrimos, tuto condidistis; quod denique ut cum maxime commercia vigent, forum loquitur, jus unicuique suum tribuitur, pax, otium, concordia in summa copia atque affluentia rerum omnium dominatur; quanta demum Ludovici in laude, quanti in beneficii gratiæque loco ponitis? Quid enim? si quod Deus malum avertit, offensionem eo bello formidolosissimo aliquam accepissemus, si Gallorum experrecta virtus ad commune incendium extinguendum non undique concurrisset; nisi Ludovicus effer-

veſcenti jam in Gallias, atque erumpenti Britanniæ ſe ipſe quamptimum, roburque copiarum ſuarum objeciſſet; ſi quo noſtro fato, miſero, funeſtoque, inſidiatores hi repentini tam celebrem & tutum nobis e manibus portum extorſiſſent; an non de aliis haud paulo inferioris notæ locis, hac inflati victoria, ſpem concepiſſent? an non reliquos item portus, crepidines, ac ſinus tentaſſent, oppugnaſſent, ſubegiſſent? an non, ut remotiora modo ſileam, in Neuſtriam, ampliſſimam ac fructuoſiſſimam provinciam, quam ſuis e faucibus ereptam recordantur ac lugent, tanquam in avitam poſſeſſionem, involaſſent? Quod ſi bellandi conatus hic alter ex ſententia proceſſiſſet; ſi unquam fors tuliſſet, ut occuparent agros, circumſiderent urbes, flumina intercluderent, vias ſepirent valentiſſimo exercitu; quod ſine dubio nobis imparatis, perterritis, deſertis etiam, malum, ac proditis per eos, qui tueri debuerant, facile accidiſſet; quanta vaſtitas, Deus immortalis! quanta vexatio! quanta direptio! quæ ſtrages, ubicunque ponerent veſtigia! quæ incendia, quis legum, conſuetudinum, patrii moris ac juris interitus! Aliena illi, credo, templa non diſpoliaſſent, qui ſua exinaniverunt? longinquis hominibus bene de religione ſentientibus peperciſſent, qui ne populares quidem ſuos a metu cædis, exilii, mulctæ, ac proſcriptionis reſpirare jam tot annos ſinunt? libertatem nobis eam vivendi, quam veterum ſacrorum deſertoribus damus, permitterent, qui civibus ſuis ademerunt? Quamquam quid attinet argumentari atque exquirere quid facturi parta victoria fuiſſent; cum ſciamus, quid in re olim ſimili, necdum corruptela ſectarum depravati, fecerint? Probe adhuc, ni fallor, commeminiſtis, auditores, quod propter temporis illius calamitatem e Gallorum animis nunquam excidet, cum patrum noſtrorum memoria Britannica illa tempeſtas in has potiſſimum oras incubuiſſet, & Cadomum, ceteraſque non ignobiles interjectas urbes prætervecta, ad vos, ad vos, inquam, Alencionenſes, arce capta veſtra, redundaſſet, ac demum provinciam aliquandiu cunctam eluvione quaſi fatali oppleviſſet; aliquanto poſt Lutetiam Pariſiorum, domicilium ac ſedem nobiliſſimam Franciæ regum, atque adeo univerſum prope regnum demerſum obrutumque tenuiſſe. Quo in naufragio antiquiſſimi populi & florentiſſimi, jacturaque opum Gallicarum, cum is, qui clavum teneret, amiſſis gubernaculis, ad urbem e ſuis unam, tanquam e triremi in ſcapham, ſalutis cauſa confugiſſet; alii adventitio regi atque peregrino, rebus domeſticis implicati, & habitandi neceſſitate, obſequi cogerentur; alii juſti ac legitimi regis afflictis fortunis & diſſipatis adeſſe non nollent; alii, qua flatus oſtenderetur, vela darent, & ſopiti donis ac muneribus, conniverent; alii alio abrepti ſpe dubia atque incerta fluitarent; nemo, cui regale nomen ſacroſanctum eſſet, cui charitas ulla patriæ reſtaret, non intolerabile hoc jugum extraneum duceret: quis tam parum æquus nobis atque amicus fuit, qui malis tum noſtris non illacrymarit? quis tam hoſtili in nos animo, qui & plura nobis incommoda & graviora optarit? Nolo hic præteritorum vulnerum ſpeciatim refricare memoriam, quæ tanta fuerunt, ut tanto poſt in exciſis urbium muris, in vicis exuſtis compluribus, in labefactatis aliquot magna & multo maxima ex parte turribus, necdum obductæ cicatrices appareant. Tantum, quod ſatis eſt, univerſe dico: quæ libido in flagitiis, avaritia in furtis ac rapinis, crudelitas in cædibus, incendiis, exciſionibus efficere ſolet, aut meditari; ea nos illis temporibus omnia fuiſſe perpeſſos: ut antea nihil, quod modo cum his ærumnis conferri poſſet, nihil poſterius, tametſi ægris admodum ac male affectis rebus noſtris, mali viderimus. Quod ſi idipſum ferme temporis, idem, qui ſemper, reſtitutor ſalutis noſtræ Deus; cui hujus imperii fuiſſe defenſionem cordi niſi agnoſcimus, cæci; niſi prædicamus, niſi meminimus, impii certe quidem ſimus; ſed niſi huic regno non dico labenti atque inclinato, verum jacenti jam & proſtrato quaſi manu porrecta ſubveniſſet; ſi non, debilitata, aut etiam fracta hominum Gallorum virtute, illius immortalitate dignæ virginis animum excitaſſet, adjuviſſet conſilia, robur firmaſſet: non erat recuſandum, quin aut deleti jamdudum, & exſtincti, atque in Gallici ruina nominis ſepulti eſſemus, aut libertatis amiſſæ ſuperſtites, ſervitutem hodie tranſmarino regi & ignoto fœdam ſerviremus. Has igitur miſerias, & majores etiam, quam ut eſt a nobis antea commemoratum, hac malorum molem, quæ unicuique noſtrum impendere, jamjamque adeſſe videretur, ab omnium cervicibus præſentiſſima Ludovici virtus depulit, depulit vigilantia, felicitas depulit; atque ita depulit, ut non calamitate modo hac ſimus ad præſentis & exigui uſuram temporis, ſed etiam calamitatis metu, in conſequentes annos bene multos, liberati. Non parte ex aliqua repreſſus hoſtis eſt, ſed plane compreſſus: non pacatus induciis, ſed victoriis domitus: non vi argentea & pace empta domum remiſſus, non compoſitione aliqua luculenta ornatus; ſed aut veteribus exuviis ſpoliatus, aut ſpe novarum dejectus. Vindicavit olim Aquitaniam ſibi: hanc provinciam ſurripuit: Caletum firmiſſimum regni propugnaculum non ita pridem tenuit; quæ urbs quidem plus ducentos annos noſtram nobis ob oculos cladem objecit, cum recordaremur ejus in ditione quondam Gallias etiam fuiſſe, penes quam jam inde ab eo tempore invicta & inexpugnabilis arx, tantæ particula prædæ, remanſiſſet. Nunc autem noſtrum habet nihil; quod abſorbuerat, evomuit; pedem, quem in optima & fertili inſula poſuerat, retulit; quam ſpe jam & cupiditate devorarat urbem, ut navali prælio victus, ut terreſtri victoria diffiſus, reliquit: non villulam ei, non agrum, non ædiculam, non ullum Gallia tota locum, ſedemve, niſi quam corporum acervi, id eſt mille & quingenti nudiuſtertius cæſi occupant, divina Ludovici vis animi reliquam fecit. Atque hæc quidem ita ſe habent in præſenti: in futurum vero quid? Silere de re, purpurate Galliarum cuſtos, neque volo hac oratione, neque debeo, qui Ludovici laudum pars es maxima, quod is talem ſibi ac tantum virum, unum ex omnibus, auctorem conſiliorum, laborum adjutorem, periculorum ſocium, participem etiam gloriæ aſciverit. tu pro tua illa perſpicaci ac pæne divina prudentia, regni interiora, ſi deeſſet inte-

rior

rior hoſtis, roboris & nervorum ſatis habere per ſe putaſti: tu portus omnes, oram maritimam omnem, terreſtres aditus omnes, magnis & firmis præſidiis, fideliſſimis atque experientiſſimis ducibus, exercitatiſſimis militibus inſtruxiſti: tu turribus, arcibus, propugnaculis, munitionibus, omnique tormentorum militarium genere cinxiſti. verum bona hoc tua venia dixerim, te abundantia quadam conſilii ac providentiæ magis, quam quod ulla rei aut temporum neceſſitas cogeret, feciſſe; neque ſane loca ſatis, & pluſquam ſatis hac recenti victoriæ memoria communita, hoc omni apparatu ad ſecuritatem, hac cautione eguiſſe. Quæ enim claſſis non dico Britannorum, qui quod ſuccincti portubus, & in medio Oceani quaſi amplexu poſiti, diſciplina navali plurimum, maritimiſque rebus valent; non Hiſpanorum, qui propter novam illam terrarum atque hereditatum acceſſionem, ſatis late utrumque jam mare tenent: quæ claſſis uſpiam tam ingens, quis tam omnibus rebus inſtructus atque ornatus exercitus, qui fines noſtros aut aperte bello laceſſere, aut occulte atque ex inſidiis adoriri audeat; cum pauci tot, imparati paratos, diviſi conjunctos retuderint, fugarint, occidione occiderint? quis audeat obſidione urbes, aperto marte milites, excurſionibus agros, Galliam omnino, integram & pacatam interius, conſentientem ſecum & conſpirantem attentare, quæ privatis ſtudiis atque ambitionibus diſtracta, diſſipata ſectis ac partibus, domeſticis difficultatibus attenuata, identidem recurrentibus bellis confecta, hoſtibus exteris non par, quod permagnum quiddam fuiſſet, verum ſuperior eſſe potuerit? Etenim ſi recte ratiocinari, ſi loqui id, quod res eſt, volumus, auditores, tres in partes tributa Gallia, prima, quæ ſe ad Britannos contulerat, altera quæ obſidionem tolerabat, tertia ac bene ſana pars, quæ regiam auctoritatem ſequebatur; ita diſpertita Gallia ac diſſociata, ſecum dimicavit, ſe ipſa quodammodo vicit: neque Britannos vicimus, vel potius non ſolos vicimus: nos, nos ipſos, vireſque noſtras vicimus. vicimus Britannos quidem, ſed ope noſtra fretos, ſed copiis auctos, ſed pecuniis adjutos, non tantum iis, quas Rupella maximas ſuppeditavit, ceteri ubique toto diſperſi regno perduelles furtim contribuerunt, ſed iis præſertim, multoque magis, quas a nobis ipſi ſecum Britanni dotis nomine & inſidioſo fœdere, noviſque nuptiis & affinitatibus regiis abſtulerunt. Quod ſi Gallia ſe ſibi reconciliarit ſemel, ſi cæci cupiditate animi atque abalienati errorem ſuum depoſuerint, & in gratiam cum recta ratione, cumque rege redierint, ſi ſuas in commune facultates contulerint; qui liberi populi, qui tam confidentes futuri reges ſunt, nos ut poſthac aggrediantur? qui tam firmi & ſibi conſtantes, ut non eorum vim atque impetus vel in ipſa acie prælìantes frangamus, vel mœnibus noſtris tecti, patientia famis atque inopiæ rerum omnium fatigemus? atque eo id magis, quod hanc inuſtam nomini noſtro maculam penitus deleverimus, hanc opinionem falſo conceptam, inveteratam tamen apud externos populos & prorſus inſitam, exſtinxerimus, ineſſe quandam in Gallis cupiditatem vincendi, ardorem mentis ad gloriam acres animos, præcipites impetus, geſtientem ferociam; quæ ubi ſingula, id quod fit celeriter, deferbuerint, ſeſeque remiſerint, flacceſcere ſtudia atque elangueſcere ſolere. Enimvero ſi Galli, Galli, inquam; neque enim ipſorum obſtabit perfidia, quominus patrio a me, & ſuo nomine appellentur; tantum habuerunt virium, tantum roboris, ut iniquiſſima cauſa, rebus deſperatiſſimis, extrema omnia, quæ ne fando quidem unquam acceperamus, circumſepti ſuſtinerent; quid eos tum demum facturos, aut quo futuros animo putatis; cum parem ad obſidionem, ſi quando ab alienigenis hoſtibus tentetur, & ſpes auxiliorum, & cauſæ inſuper bonitas accedet? niſi vero arbitramini infidelitatis, quam fidei, deſperationis, quam bonæ ſpei, temeritatis, quam conſultæ rationis, vim eſſe efficientiamque majorem.

Facile intelligo pauciora me iſto de genere toto belli, quam rerum dignitas exigeret; plura tamen, quam eorum, de quibus dicturum me recepi, pateretur infinitas, verba feciſſe. Sed orationem meam veſtra provexit attentio longius. quæ ne mihi ad reliqua properanti deſit, veſtræ itidem erit benignitatis & conſtantiæ providere. Venio nunc ad Ludovici Seguſianam, quemadmodum vulgo appellant, expeditionem; ut alii, regni limitum recognitionem, ut nonnulli, in alienos fines ſine cujuſquam injuria excurſionem; ut qui planius loquuntur, ſociorum hujus imperii principum propugnationem. ego quo nomine appellem, non habeo; cum omnes mihi ineſſe eo in negotio complexæ atque aptæ inter ſe virtutes, omnia laudis, honoris, gloriæ ornamenta videantur. afflicto ac laboranti ſuccurrere principi, humanitatis fuit; fœderato, juſtitiæ; alieno anni tempore, & iniquo loco, fortitudinis; ita autem ſero, ut neceſſarium auxilium viſum ſit, ita mature, ut eſſe utile potuerit, prudentiæ ſingularis. Hoc vero cujuſmodi eſt, aut quo potiſſimum dignum elogio, quod ipſe hoc patrocinium Ludovicus aggreditur, ipſe adornat, ipſe ſuſcipit, non legatis hanc provinciam, non ducibus, quorum magna in Gallia tum, ut ſemper, copia erat, mandat. Aut tu tibi, ô rex, aut me tecum duo hæc loqui verba patere: Quid agis? difficillima tempora ſunt, longum iter, corrupta via, res alienæ, non tuæ. deſerere regnum, periculoſum: penetrare Alpes, non neceſſarium: regi, ſe facile commovere, non ita decorum. Quod ſi principis te, quem in fidem recepiſti tuam, tangunt anguſtiæ; ſatisfactum jam eſt officio, ſubventum imbecillitati. delectus in Gallia militum conceſſi, equitatus ſatis idoneus, pedeſtres copiæ non tenues. voluntariis etiam ſtudiis eo ſe a nobilitatis flore non pauci contulerunt. Si ne iſto quidem contentus es, potes ſumptibus ſuppeditandis, potes mittendis copiis & alendis, ad quodvis bellum tolerandum, potes per alienos, per tuos, per quamvis operam denique vicariam potius, quam per te, opitulari indigenti. ita armorum diſcrimine carebis, fructu non carebis. Sunt iſta quidem, inquit, regi fortaſſe ſatis; mihi non ſatis: neque committam, ut meæ mihi res, quibus præſens interſum, potiores ſint, quam meorum. O liberale & effuſum gratificandi ſtudium! ô incredibilem regis humanitatem, beneficentiam, man-

mansuetudinem, benevolentiam, & si quid aliud est, quo res post homines natos, præsertim in regibus, insolentissima notetur! Ita vero, auditores, ita præstitit, ut præ se tulit, & verbo professus est. hoc etiam amplius, quod externa domesticis, aliena suis anteponit. aguntur per idem ferme tempus res maximæ nostræ in diversis Italiæ locis: Telina vallis appetita bello; huic per alium periculo occurrit. eductus adversum Genuenses exercitus; id per alium negotium transigit. suscepta socii principis defensio; per se instruit, neque hanc in alium derivat curam, neque trajicit periculum, neque deonerat laborem. Audivi ego hoc de majoribus natu puer, cum magnus Henricus prolem, quod erat omnium votum, virilem suscepisset, (ille, ille non tam duorum regnorum, quam utriusque rex nomine duplici, quod ista & jure hereditario acceperit, & manu sibi atque armis quæsierit) hunc igitur patrem, eum Ludovicum recens natum, in ulnis ad se jussisset primo deferri, parvulis ejus manibus ensem sive stato ritu, sive afflatu divino quodam inservisse, cum hac deprecatione, eo ut primum ad gloriam Dei, tum deinde ad suorum incolumitatem ac præsidium uteretur. Hic te, Henrice, appello, principum bellicosissimum, qui regnum nobis e turbulento pacatum præstitisti, regem tui similem, aut etiam, quod facile pateris, superiorem reliquisti: si hodiernum videres diem, eum optatorum tibi amplissimum fructum capere liceret; quis, obsecro, sensus esset tuus? quid loquerere? quibus lætitiis exultares? quanto gaudio perfunderere, cum hujusce devotionis tuæ plane convictus, intelligeres, non arma modo tua Ludovicum, quod volebas, sed vires, lacertos, seipsum in suis tutandis totum, ut sine ulla exceptione operæ, ita sine ulla vel minima dilatione temporis, impendere? Quanta, Deus bone, celeritate Rupella Lutetiam Parisiorum accurrit? quæ Parisiis commoratio, ubi vix respirandi spatium sumpsit, neque ei longius quicquam, quam ut se in viam daret, fuit? iter vero ejus indidem Lutetia, hoc est, usque ex ultima ferme Gallia, in Alpinas regiones, ad exercitum, quem præmiserat, quid habuit aliud, præter festinationem, cursum, ac pæne dicam, volatum? quam non devia loca, flexiones & anfractus quæsiit! quam oppida, quæ præteriri oportuit, cursim præteriit! quam strictim villas attigit! quam ipsammet semiram raptim, minime oscitans, retroque respiciens decurrit! Non illum principum ad amœna loca invitatio retardavit: non civitatum, intra suas urbes ac mœnia devocantium, prompta atque ardens voluntas: non denique populi universi ad gratulationes & plausus effusi occursatio. Etenim si propter expugnatam, quam frustra proximi superiores reges oppugnarant, arcem, ostentare sese otiose, si circumspici, si salutari, si applaudi studuisset; quis id ei vel laborum solatium, vel victoriæ præmium denegasset? Quæ dum omnia aut contemptu abjecit, aut repudiavit judicio, aut integra in aliud tempus fruenda distulit; quid aliud egit, nisi ad beneficium celeritatem adjunxit? Neque vero hoc præter consuetudinem ideo fecit, quod urgere res videretur, aut quia avidus præter modum victoriæ foret. suum illud tenuit a primo solenne, ne quid remisse, ne quid sine sudore, ne quid non viriliter efficeret. Cum enim lectica ceteri principes viri, aut curru, aut equo denique delicate vehi, ac molliter, lentissimeque soleant, citatos ille, quos vocant, equos ut plurimum adhibere consuevit, & magnis itineribus progredi. cum isti intra domesticos parietes, in aulæ umbra, levibus sese & desidiosis fere oblectamentis pascant; ille, animi causa, inter venandum, montana difficili ascensu atque arduo loca transcendere, neque pransus, neque potus agros, dies totos, & nemora peragrare, sæpe se in noctem conjicere, non imbres nimios, non vim hyemis, non ardores solis, non ejusmodi cœli injurias deprecari. sic ut ejus exercitationes ludicræ, atque ipsa adeo joca a quorumvis regum gravibus seriisque rebus, & severissima & laboriosissima militia nihil aut non fere multum differant. Et mirabimur tanto eum robore fuisse, ut pruinas Alpium ac nives illas non perhorruerit? ut in prærupta saxa sese, in fauces atque angustias viarum lubenti, imo lætanti animo immiserit? ut iter in Italiam sibi, suoque exercitui, quod & loci regionisque natura, & hostium obsessio intercludebat, impetu primo atque incursione patefecerit? præsertim cum, id quod maxime auget animos, pro defensione contra vim atque oppressionem, pro imbecillitate contra nimiam potentiam, pro pace contra bellum illatum veniret. Nam quæ causa ferro potius atque armis cum principe pacis amantissimo experiundi, quam amice, & gravi aliqua interposita persona conveniendi extiterit; quam nullo jure cupidi homines; ejus in fortunas ac patrimonia duo invaserint, vel nescio, vel dissimulo. tametsi enim verisimile videatur optimam causam fuisse eam, quam Deus immortalis etiam adjuvit, felixque exitus comprobavit: regiam tamen defensionem a principis rationibus sejungo, itaque universe disputo: si miseriæ justæ causæ defensionis sunt, uti sunt, si ullum, quæ profecto multa sunt, sublevandæ calamitatis tempus est; hanc ex omnibus unam justissimam causam, hoc necessarium cum primis tempus fuisse. Ut enim omittam, quod suspicari quivis jam debet, adversus principem natum in Gallia, cum regibus Galliæ educatum, in eorum aula versatum assidue, cum eisdem, tum nonnullis suis, tum permultis majorum suorum officiis conjunctum, hanc esse belli excitatam procellam, odio quodam Gallici nominis & malevolentia, dum aliis belli laboribus & curis distinemur: miserandus ille rerum status quem, quæso, nostrûm, si quid valeremus, ad opem ferendam non permoveret? Mantuani ducis verus heres ac minime controversus, antequam pæne hanc hereditatem crevisset, cum nondum mœroris illius propinqui insignia posuisset, propter nescio quos minus, ut volunt, religiose servatos ritus, suos intra fines, tribus potentissimis exercitibus vexatus, agris expulsus, dispoliatus oppidis, paucis diebus (magno hoc dico cum dolore) dominatu duplici nudatus; cum ne urbem quidem ei superesse, in quam reliquias laceratæ fortunæ traheret, hostium vellet immanitas. Quo vobis etiam gloriosius Ludovici debet factum videri: qui antea in suo, vestigium in quo faceret, unam extra urbem, non haberet, qui in summa victus inopia, arctissima ob-

obsidione circumclusus undique teneretur; eum ita ex hisce derepente malis, Ludovici regis interventu atque præsidio emersisse, ut recuperata libertate, receptis oppidis, discussa belli caligine & tenebris, lætus atque erectus in clarissima principatus sui luce versetur. Neque tamen ignoratis, auditores, quale id hominum sit genus, qui isthæc jam bona sibi vi & armis adjudicarant; quam arcte atque mordicus cum parta, tum rapta teneant, invitique amittant; quam raro gradum, in quascunque sese possessiones intruserint, reflectant. ut eorum vel repressa, vel recisa cupiditas certissimum sit regiæ fortitudinis argumentum, qui prædam ex unguibus nunquam dimisissent, si per eum se retinere diutius posse sperassent.

Itaque pace tum, cum maxime vis arderet belli, sine ullo cruore, primo aditu, atque adventu, Italiæ reddita, ad alteram in Gallia conciliandam pacem, deletis prius aliquot ad terrorem oppidis, gloriosissimus victor remigravit. At quam pacem? si pacis naturam quærimus, veram; si jura partis utriusque attendimus, æquam, si regiam auctoritatem spectamus, necessariam ac perhonorificam. Ac pacis quidem quæ hactenus inita cum perduellibus sæpe ratio est, si rem metiri volumus eventis, speciem pacis atque imaginem habuit; stabilitatem certe & constantiam non habuit. amplissimæ erant & datæ & acceptæ ultro citroque conditiones; sed ab iis brevi violatæ, qui non tam pacem quærerent, quam bellum differrent. Quamobrem qui in rebus videre plurimum, de iisdem æstimare prudenter solent, nunquam pacis illi pactiones, sed inducias, aut, quod gravius est, spatium perduellibus & ad muniendas opportunius urbes, & ad reficiendas augendasque copias datum nominarunt. ut illos non arma abjecisse penitus, sed tantisper, colligendi sui causa, cum spe primo quoque tempore retractandi, seposuisse dictitarent Unde autem inconstantia tanta, tantæ infidelitates? Ex eo, credo, uno, auditores, quod solum hoc nostri, pax ut fieret, studebant; quam explorata esset, non admodum satagebant. quippe qui præpostero quodam quietis studio, arma confestim, nullis acceptis fidei obsidibus, nullis pignoribus voluntatis, ponerent; non cogitantes eam demum optimam pacem esse, quam martis ipsa vis quæ pepererat, aleret ac foveret. ut tandiu staret concordia, quandiu in armis essent; dirimeretur & concideret, ubi ab armis discessissent: cum adversarii statutas obire leges negligerent, regis imperia eluderent, & alias ex aliis querelarum causas prætenderent. ita finem illi tumultuandi nunquam faciebant, nos exitum belli nullum videbamus. At vero quam Ludovicus paullo ante pacem confecit, quid habet simile? in qua ille armatus leges imposuit, armatus ut legibus staretur, perfecit, armatus urbes, quæ eodem se conscientiæ scelere devinxerant, quæ his temporibus alteræ jam Rupellæ aut erant, aut fieri quamprimum poterant, clausas diu fidei, justitiæ, religioni, sublatis in perpetuum seditionum repagulis, patere jussit. cujus vi pacis ac beneficio insana annorum sexaginta opera diruuntur, perduellionis fundamenta percelluntur, qui pestem regni hanc muri texerant, complanantur, quæ arces propugnarant, affliguntur, dejiciuntur speculæ, complentur fossæ, denique ea pacis diebus paucis convelluntur, quæ annorum complurium nullo modo bella commoverant. ut murus sit unus singulis in conjuratis oppidis, non ad impetum sustinendum hominum, nedum ad resistendum regibus, sed ad incursus ferarum prohibendos, relictus. In quo illi dolere forsitan queant, quod insolentiæ subsidia, instrumenta audaciæ amiserint: conqueri certe non debent, quod ad hasce ipsi conditiones, cum esset eorum optio descenderint. quanquam ne dolendi quidem causa est, quod in laudabilem recte vivendi atque in fide & officio manendi necessitatem incurrant. est vero regi summa, si unquam fuit, & quanta non fuit, occasio gloriandi. Quorsum id tandem? voce dicam contentiore, ut omnes hoc unum regis magnum, atque haud scio an omnium maximum elogium exaudiant. Nunc primum Ludovicus longo intervallo pedem in possessionem regni ponit. nunc, ut se res habet, purpura regalis nitet, majestas splendescit. nunc vere suavissimas illas voces, quas & lubenter Galli & crebro usurpant, proclamemus licet: vivat rex, rex vivat. nihil sibi ex hoc nomine decerpunt amplius discordiarum duces & signiferi, nihil eorum gregales, nihil civitates scelerum inter se fœdere ac nefaria communione devinctæ. non jam luctuosa illa vox causæ aut partium, qua aures hic nostræ diu circumsonuerunt, odiosa bonis, inimica otii, deletrix majestatis audietur. quid multa? rex jam nunc est, auditores, qui aut non fuit, aut non omnium fuit. Quid enim? an esse tum in regno regem existimas, cum alii alias urbes occupant, & in eisdem præsidia constituunt; alii vexilla explicant, buccinum canunt, decuriant improbos, imperia ducibus mandant, militibus stipendia persolvunt; cum sodalitates, coitiones, conventicula, fœdissimam pactionem periculorum, prædarum, scelerum ineunt. Nam illa levia nimis prætereo, quod qui vectigal pensitare recusarent; qui judiciorum sibi formam ad libidinem effingerent, qui jus nummi cudendi ac potestatem usurparent, non pauci fuerunt. num quæ regni facies, num quod simulacrum, num quod tum nomen, cum cives exteros, in regni portus, oras, urbes, sinum, atque ipsa viscera armatos introducunt; cum templa diripiunt, sacram supellectilem exspoliant, signa demoliuntur, tabellas pictas inquinant, custodes atque administros sacrorum, velut greges armentorum, cædunt? Qui vero hæc pro rerum indignitate ulcisci non queat, qui horum dissimulare multa, multa probare cogatur, qui omnia omnibus invitus ignoscat, eum tu esse regem putas? Perge porro, quæ ista ratio est urbes cum suas, qui rex habeatur, castella, loca munita, præsenti & numerata pecunia semel, iterumque redimere? quæ labes, quod dedecus, eundem vel ingressione urbium prohiberi omnino, vel certa lege adstringi, ne plures, quam decem aut viginti, de sua cohorte comites haberet? quod quid est aliud dicere, nisi hoc, intra mœnia superiorem aut valentiorem ac potentiorem, qui imperet, regem denique velle se neminem? Quæ cum universa sceptri vim & auctoritatem debilitent, mutilent, exstinguant; tum quid horum est jam ante id tempus, quo sorores geminæ duæ,

hæresim dico, ac perduellionem, imperium hoc infestum habent, quid horum est annis superinribus prætermissum? quid aliud loca ipsa clamant? quid tempora atque dies testificantur? quod oppidum toto passim regno, cui pagi, quis tam abditus angulus teperiri potest, qui non retineat etiamnum in ruinis eversionis, in cineribus incendii, in cruore cædis impressa non leviter vestigia? dies ipsi tantis cladibus notati, atque, ut sic dicam, atrati, qui quotannis tecurrunt, hntum nobis dolorum anniversariam acerbitatem exhibent. hoc, ajunt, die insequentium perduellium manus, cum pæne comprehendetetur Ambasiæ, rex subterfugit. hoc die Aureliarum propter pulcritudinem visendum, propter religinnem colendum templum ictu sacrilego concidit. hoc die, Turonum surrepta urbe, sanctissimi viri, doctoris antiquissimi Martini extractum e sepulcro & raptatum corpus, semiustulata ossa, cineres dissipati. Quod si ne adhuc quidem testatum diebus, insculptum in lncis, crimen illi agnoscunt suum; num tandem confessionem suam agnoscent? Pactiones cum iis priore sæculo confectæ, prope dicam, sexcentæ quid aliud ab initio & fronte præ se ferunt, nisi oblivionem, veniam, condonationem? cujusnam scilicet? rei bene gestæ, opinnr, ac non potius eorum scelerum, quæ si a quopiam adversario sibi objicerentur, non ferrent? Jam novissimis hisce fœderibus quid cautum vel maxime voluerunt, nisi ut sibi fraudi ne sit, quod sacras ædes compilarint, pecunias publicas avertерint, alienigenas homines & longinquos, in partem prædæ accierint, certas urbes, tanquam receptaculum spoliorum, cnnstituerint? Quid ergo? dicet quispiam: Tu Franciscum II. qui hæc videte mala nascentia potuit; tu Carnlum IX. qui adnlta ac provecta maximam partem tulit; tu Henricos III. ac IV. qui ulcisci inveterata partim non potuerunt, partim nnluerunt, reges negas? Ego vero, auditores, non is sum, qui cum majorum sunrum injuria laudare Ludovicum velim. nnln ne verbo quidem teges spoliate regno, quod eis sunt perduelles reapse detrahere conati; non faciam. audeo tamen dicere, tres superiotes meliori esse jure reges non potuisse, auctoritate majori esse potuisse. idem dico proximum IV. nomine Henricum, & regem, & potentissimum regem, & eo jure, quo qui optimn, fuisse; etiamsi perduellibus imperate usquequaqne nnluerit: feliciorem Ludovicum tamen, ne dicam, potentiorem, qui in eisdem dominari ad arbitrium suum, & vnluerit pariter & potuerit. Quæ cum ita sint, n rex, cum tu externum, intestinum, mixtum ex utroque, tor genera bellorum, quot esse possunt hostium, anno uno confeceris: cum tu popularem hujus imperii principem, vel cadentem fulcieris, vel jacentem erexeris; cereris, qui in metu essent, eandem auxiliorum spem ostenderis: cum tu perpetuum nnbis, uti cnnfidimus, otium intra regni latitudinem pepereris, extra fines propagaris: nnn est tenuitatis meæ atque infantiæ, tibi pro rerum magnitudine, quas gessisti, gratulari; tibi pro meritis in nos singularibus gratias habere non est profecto cujusquam. Etenim si in radicibus Alpium, quo tibi obviam venerat, professa aperte ac palam amantissima soror est, tantum videri splendorem illum tuum, eum ut ferre adversis oculis nequiret; quis, amabo, nostrûm singillatim, te tantn, pace hac firmata, illustriorem intuebitur? quis agere tecum, colloquive audebit? Nnn igitur ego te, qui unus e tuis ac minimus, sed cuncta Gallia, quam habes charissimam, extrema hac oratinne compellabit. vns eam, auditores, loqui putatote. Bene, Ludovice, habet: te, qualiscunque tandem esses, pro eo, quod mihi a Deo præficerete, venerari atque observare debui. nunc merito tuo maximn, vnluntate mea, propter tua incredibilia in me beneficia faciam, quod faciundum necessario fuit. Tu mihi deformatæ splendorem, enervatæ vires, exstinctæ ferme salutem teddidisti. tu domestica, quæ mihi a meis imposita erant, vulnera sanasti. tu conjectas extrinsecus petitinnes, ac tela in meum corpus intenta undique retudisti. Tibi ubertas frugum mea, tibi rerum, quæ a me exportantur, quæ ad me convehuntur, abundantia, tibi, qua perfrui modo cœpi, securitas jure meritoque adscribitur. Natura me antea Alpium quasi muro contra influentes Italorum copias, Pyrenæorum vallo contra ascensum transgressionemque Hispanorum munierat: utroque mari contra longinquorum hostium vim impetusque cinxerat. Considant jam montes licet, maria exarescant, nativum omne præsidium tollatur. Et solo nnminis tui oppositu tuta sum; & illi maris interjectu, montium objectu tuis ab armis tuti non sunt. Quod si te maturius hoc animo, hac fortitudine, hac felicitate, tantis rebus gestis, tulissem; neque antiquos ad Rhenum fines, neque amissas uspiam provincias requirerem. Non frustra tenuisse Palæstinam aliquandiu perhiberer. non utramque Siciliam fuisse meam cum dnlore tecordarer. non mancum, truncum, atque mutilum multo maxima ex parte Navarrorum ad me regnum pervenisset. Postremo nec bona fides dolis malis, nec jus violentiæ ullo unquam tempore cessisset. Neque tamen despero fore, ut hæ cunctæ possessiones, quæ usu capi non queunt, ad justum dominum ac germanum, tandem aliquando, te repetente tedeant. Interim tibi suas sacratus ordo immunitates, tibi nobilitas vitam, legum tuarum severitate atque edictorum conservatam, tibi populus otium ac tei familiaris obeundæ libertatem acceptam feret. A te summi amplitudinem, a te medii mediocritatem, a te infimi quantulumcunque est quicquid habent, se habete prædicabunt. Quid de hominibus loquar, cum ipsi tibi cœlites plurimum debeant? quid de cœlitibus, cum Deus ipse, si fas est dictu, nonnihil debere tibi videatut? quippe qui urbibus templa, templis aras, aris cultum ac veneratinnem, sed præsertim Deum, extorrem quodammodn jam tot annos, atque ejectum, restituisti. Vive igitur, &, sicut adhuc fecisti, vive, mortalibus, quos tueris, salutaris, superis, quorum propagas observantiam, utilis, ipsimet Deo, cujus tu personam sustines, prope necessarius.

Atque hæc est, auditores, Galliæ ipsius ad pristinæ dignitatis spem tevivìscentis oratio. mea vero ad perorandum perbrevis ista erit, ut, si a Ludovico justo majus nihil, quam quod adhuc gessit, expectare possumus; si nihil item Ludovi-

cus a Deo immortali majus, quam quod impetravit, optare debet; quotquot ex animo amici, vereque benevoli, ac fideles regiæ causæ sumus, pro earumdem rerum, quoniam hoc unum ad summam bonorum accedere potest, perpetuitate vota faciamus.

ORATIO SECUNDA.

Qua re potissimum, & quantum viri literati ab illiteratis different.

Condate Rhedonum. xv. *Cal. Novemb.*
CIↃ IↃ CXXXIV.

IN vitæ quotidianæ varietate, viri illustrissimi, hominumque conditione multiplici, permolestum illud mihi, spero item & vobis, accidit, quod, cum dignitatis, & maximorum in publicam rem meritorum insigne pariter, atque merces, honos sit; nequaquam satis literati jam viri, pro eo gradu, in quo non fortuna eos, sed sapientiæ studium collocavit, observentur. Hujus sive ingratæ despicientiæ, sive insolentis fastidii, seu, ut ego interpretor, injuriæ non ferendæ dum causas exquirerem apud me, atque eruere conarer, ut duplex hominum genus est, doctorum & indoctorum, duas numero reperiebam verissimas. primum quod imperiti, sicut pleraque omnia, ita & hoc nescirent, quantum esset in literarum scientia ornamenti repositum, atque splendoris. deinde quia ipsi illi, his doctrinæ opibus & facultatibus præditi, multo se minoris, suaque sæpenumero facerent, quam tam ampla, tamque opima possessio postularet: credo quod, ut avari negociatores partas jam, congestasque pecunias parvi, vel pro nihilo potius ducunt, studio & cupiditate crescendi; sic isti, ut maxime abundant eruditione, ita minime se æquos æstimatores, ac judices præbeant eruditionis. Primi docendi mihi libere hac oratione sunt, ut egestate intellecta sua, saltem opes aliorum, & fortunas, atque amplitudinem reverentius habere condiscant. alteri amice monendi, non ut elatius de se, quam antea; neque enim literæ, quas sequuntur, velint; sed ut commodius de rebus suis, idemque de jam adepta, quod de adipiscenda doctrina senserunt, sentiant. Hoc autem facile, meo quidem animo, consequar, si, quod intervallum sit interjectum inter utrosque, ostendero, quid dissimilitudinis, quanta distantia. ita fiet certe, ut cum alter ab altero, quoad longissime potest prospicere, se intellexerit anteiri; alter alterum respiciens a tergo identidem, longo spatio ac prope immenso meminerit subsequi: tum ambo & verissimum de literarum quasi antecessione atque præstantia judicium habeant, & easdem sive in aliis, sive in semetipsis, justo tandem honore ac debito prosequantur. Atque hic quidem gratulandum mihi illud jure, gloriandumque esse video, quod aut ego sponte selegerim, aut vos mihi genus id argumenti dederitis, in quo, ut cetera desint omnia, quæ vel sola oratorem, vel maxime commendant, ingenium, disciplina, assiduus usus, consuetudoque dicendi; orationem tamen meam non possum maxima vestra cum laude non conjungere. Dicendum est enim, non quid olim princeps ille populus Romanus, hostiumque victor, omnibus, quas ubique devicit, gentibus ac nationibus, bellica laude armorumque gloria præstiterit: non quid nunc imperiosus orientis rector & dominus cum numero copiarum ac fortitudine, tum latitudine possessionum, ceteris hac ætate regibus excellat; quorum alterum ab nostra memoria sejunctum procul est, alterum cum nonnulla calamitate nostra, Christianique nominis macula conjunctum. Verum dicendum nobis est, quantum splendidissimus hic ordo, quantum suprema Armoricorum curia, quantum denique cunctus iste consessus, literarum doctrina, ab ignara multitudine rudique differat. Quo sane argumento cum ad suavissimam, quæ mihi crebro usurpanda necessario est, vestrûm omnium memoriam nihil ceciderit optatius: tum vero quid fructuosius inveniri potest, quam ut, dignitate vestra palam ante oculos omnium collocata, vivo ac spiranti parentum exemplo proposito, liberos vestros, si nihil modo a patria degenerare virtute velint, ad eandem gloriæ similitudinem, & communitatem laudum excitem? Quæ duo cum profitear in præsenti, quantum in me erit, neque quidquam præterea agam: nihil attinet vestram mihi hoc loco, juvenes academici, attentionem deposcere, qui de parentum amplitudine non inviti audituri sitis: diffidere non debeo vestræ, viri humanissimi, benevolentiæ, qui si minus nostra, certe liberûm vestrorum gratia, æquissimis animis, hoc ad literas incitamentum, qualecunque est, accepturi sitis. Sic igitur primo statuimus, viros ab illiteratis literatos discrepare: deinde qua id re potissimum fiat, inquirimus: tum ad extremum, hæc si duo sejungi possunt, agique separatim, quantum illi inter se, quamque incredibiliter distent, edocemus. Utrum differant, nec ne, principio volumus constitutum. quid ita porro? ne forte, non bene, neque ex a te jacto fundamento, nostra labet oratio, aut cum de discriminis præstantia agemus, vos quoquo modo de ejusdem vel probabilitate, vel veritate magnitudo rei addubitare cogat. In quo ego tamen facere me inepte faterer, qui actum agerem, remque clarissimam ac minime controversam dirimendam susciperem; nisi temere sparsas a malevolis rerumque imperitis voculas potius aggrederer refellere, quam novam mihi, litigandi causa, quæstionem ponere. Percrebuit enim levissimis quorundam sermo, doctum inter & indoctum nihil admodum interesse effutientium: si quid intersit, idem quod inter operarium & operarium, artificem & artificem, idem demum, quod hominem inter & hominem, quos vultus oris & perparva quædam lineamenta discernant, interesse. Quid enim, inquiunt, tantæ dissimilitudinis intercedat inter eos, in quibus paria sint utrobique ad dignitates adipiscendas momenta? quid est eruditis unquam in omni memoria hominibus concessum, quod ineruditis fuerit, modo a ceteris

rebus parati accederent, denegatum? Principalis quidem est, quæ summam rerum administrat, omnium prima sine controversia potest, quæ aut jure hereditario obvenit, aut armis atque ferro quæritur, aut, id quod tertium est, patriis legibus, communi consensu ac suffragiis omnium ordinum, mandatur. Si primum; esse principem, felicitatis est, non litterarum: si alterum: victoriæ, non doctrinæ. Jam si leges sunt regni, ut per eos regatur, quibus seipsum commiserit; quis citius aut eum optet, aut legit unquam, qui inertissimo librorum otio languesceret, quam qui vel militiæ fortitudine, vel domi justitia, aliisque id genus ubique privatis virtutibus ac regiis, præter ceteros eluceret? Sequuntur publicæ res, & magistratus, in quibus aut honos sit aliquis, aut potestas, au procuratio, ubi literarum rationem habitam esse nihilo majorem intelligi licet. Quis Athenis in archonte philosophiam, quis Lacedæmone in ephoro eloquentiam, quis Romæ in consulibus, tribunis, prætoribus exquisitas ullas literas, reconditam artem aliquam requisivit? quis quid, ubivis harum gentium, in summo atque perfecto belli duce deligendo, nisi rei militaris scientiam, secutus est? Sed hæc vetera, & ab alienigenis. hic apud nos etiamnum qualia, quanta fiant ab iis, qui constituunt nihil esse opis in liberalium artium disciplinis, quid ego dicam? Præfectos rationum ærarii mitto. publicorum operum curatores prætereo. sileo provinciarum moderatores, custodes urbium, eos præsertim, quibus in tutelam atque fidem regni tradita sunt claustra. sexcenta hujusmodi munera non colligo, quæ tam facile opem literarum respuunt, quam sine eisdem commode sustinentur ac geruntur. In ipsis obeundis, aut committendis legationibus, ubi literæ, si quando opus sunt, videntur permultis nominibus necessariæ, quid spectamus, aut quem arbitramur, qui tantum munus tutatur, idoneum? acre atque intelligens judicium, quod natura largitur; experientiam, quam dies affert, spectamus; hisce qui duobus unus polleat, nobis judicatur idoneus. Etiamne si rudis in exemplis? certe. si in veterum institutis hospes? sic est. si tyro in jure gentium? omnino. etiamne si regiones, intra quas venire debeat, ignoret? si illius populi ipsius, ad quem legatur, quicum agendum quotidie, colloquendum est, linguam nesciat? etiam. quid ergo? viam non novit? ducem itineris; linguam non callet? interpretem adhibemus. hoc ignoratione proficit sua, ut duobus comitatior sit. Postremo in hanc viri, si superis placet, callidi sententiam concludunt, ut velint neque magis regem, neque magis ductorem, neque magis futurum legatum fuisse quemquam, si literas nosset, neque minus, si nescivisse: imo fortasse minus, si didicisset, aut penitius combibisset, propterea quod eæ per se cum magnopere nihil unquam adjuvent, tum vel sola interdum opinione officiant: cum ea re aut otiosi homines ac minus actuosi, aut imbelles atque timidi, aut ad solitudinem nati, aut sententiarum a populari captu abhorrentium insolentia depravati, denique dicendi potius minuti artifices atque intelligendi, quam agendi auctores idonei censeantur. Gravis omnino ista oratio est, auditores, neque huic modo nostræ ad rem aggressioni primæ inimica, sed etiam omnibus optimarum artium studiis pæne capitalis. quæ si tam vere, quam vulgo jactarentur, viris ego eruditis esse prorsus auctor, ut assiduitate tam acri, tot vigiliis, tam effusa in persequendis literis contentione, nihil tamen promovere tandem desisterent. Quid enim mereas, ut, cum pugiles exercitatione, excubiis milites, opifices antelucana opera, omnes omnium ordinum occupatissimos homines constanti ac perpetuo labore viceris; tum singulis illico & dignitatum gradu, & vitæ conditione adæqueris; neque plus te inter, & quemvis unum e populo, quam inter mulierculam & mulierculam, servum & conservum, mediastinum aliquem & vicarium intersit? Id si ita est, & scitis, juvenes academici, næ vos insani, qui sponte ad has sine ulla spe angustias ruatis: si nescitis, miseri tamen, qui magno conatu, & anxia superstitione, nihil progredi pergatis. Sed non ita est, mihi credite, abestque longissime. Quid? aut nullum, aut pertenue, literatos inter, atque illiteratos, ut vix alius ab alio possit internosci, discrimen ponemus? At ne hoc quidem in illis, quos isti nobis ingerunt, artificibus valet, quorum, etiam eadem in arte, tanta persæpe dissimilitudo cernitur, ut in diversa plane versari disparique videantur. Locum in hominibus, à quibus duxerunt simile, nihilo magis habet. Ut enim nunc omittam de deformitate, deque pulcritudine dicere, quæ sunt dissimilitudines non modicæ, nihil de debilibus, nihil de iis qui membro vel pluribus deficiuntur, aut redundant, loquar, nihil de distortione, ceterisque corporis vitiis ac nævis attingam, quanta in specie oris vultuque hominum, tanquam in promptu, posita varietas sit, videtis quorum, ne fratrum quidem geminorum, alteri ullus est adeo forma ac figura similis inventus, ut non aliqua ex parte propius & curiose intuentibus dissimilis appareret. Quod si vel artis ostentandæ, vel vitandæ confusionis, vel majoris, quæ in varietate quoque consistit, pulcritudinis conciliandæ causa, admirabiliter hoc natura comparavit, ut quot hominum vultus, totidem dissimilitudines, tametsi pari numero partium, existerent: an censemus eandem aut animos jam inde à primo ortu nostro non variasse, aut variandorum, sicuti & perficiendorum modum nobis ac viam non tradidisse? Atqui omnia in animis, quam in corporibus, video majora. venustas corporis eximia; major animorum: vis corporis ac robur singulare; majus animorum: ingens corporis velocitas; sua quoque est, & quidem major, celeritas animorum. cur ergo, corporum si tanta dissimilitudo, non isto modo, parique jure, animorum dissimilitudinem fatemur; aut qua potius in re volumus hanc, quam in literatum notis atque insignibus, sitam? Atenim eandem honorum viam docti promiscue atque indocti ingrediuntur. Quasi vero aut aliud ab initio sim questus, quam literatos justo honore sibique proprie debito fraudari; aut discriminis rationem atque præstantiæ ab hisce adventitiis, & fallacibus boni simulacris, atque umbris repetere debeamus. Quis nescit amplissimas dignitates vel addici pretio, censuque & modo divitiarum spectari, vel ex unius alicujus dominatoris, litera-

rum

rum ut plurimum expertis, liberalitate, concessis, nutu pendere, vel in imperitæ multitudinis levissimæque libidine positas esse, quæ á seipsa ante desciceret, quam aut prudentiam in delectu adhiberet, aut in prudentia constantiam retineret? Ex quo profecto alterutrum fieri necesse est, aut, id quod est verius, utrumque, ut in honoribus mandandis, & quos præteriri non oportuit, sæpe prætereantur, & quos repelli decuit, asciscantur. Nam quod Græcos nobis, & Romanos opponunt, apud quos regnum tandiu fuisse literarum novimus: indigna responsione argumentatio. quis enim tam parum sciens, aut memor antiquitatis, quin intelligat, causam nos obtenturos, iis si judicibus agatur, quorum jam facta pro gravi & certo præjudicio habeamus? Difficilior sit fortasse hujus temporis nostrorumque hominum defensio, cum aurea nunc vere sint sæcula, plurimus auro veniat honos, & pecunia summæ quæque dignitatum sedes infimæque emantur, ac mox earumdem gestio, quod fieri necesse est, ad lacunam rei familiaris explendam, veneat. Quanquam non usque adeo res sunt nostræ desperatæ, neque ita omnes honorum gradus nundinatio ista occupavit, ut non sit residuus ullus eruditis locus. Primum enim quanta divinis in rebus copia munerum sacrorum, quæ quia sine quadam, ut aliud nihil dicam, mediocritate doctrinæ obiri non queunt, viris literatis præripi aut interverti, neque imperitorum ambitione, neque potentia, neque gratia, neque pecunia possunt? quæ sola si essent, non tamen omnino magnorum illi suorum laborum fructu carerent. Deinde in foro ac judiciis, quot, Deus bone! quam varia munia sunt, quorum ut sit possessio venalis, functio tamen & curatio opem literarum subsidiumque implorat? Adde quod curiarum octo principes totidem magistratus spectatissimis, & in hac cognitionis & scientiæ laude egregiis, gratis constant. Postremo, ut aliquando loquar, quod sentio, deferri non citius eruditis, quam ineruditis honores, in quo tandem id regno hi nostri obtrectatores usurpant? nempe in quo Druides olim ut doctrinæ, ita & dignitatum primas tenuerunt. in quo Massilienses Græciam pæne totam, convulsam sedibus suis, peregrinam atque hospitam exceperunt. in quo Lugdunenses & certamen dicendi institutum, & proposita præmia victoribus habuerunt. in quo Carolus magnus, Carolus Martellus, Pipinus, itemque ceteri complures, omni doctrinarum varietate ac copia instructissimos undique viros conquisierunt, aluerunt, locupletarunt. Sed quid ego hæc longinqua, quæ accepimus aut legimus commemoro; cum nuper, ecquid dico, nuper? imo quotidie videamus, ex aula atque palatiis, procerum sese liberos, honorum adipiscendorum causa, ad hæc studia literarum capessenda abjicere, & ex officinis juvenes oppidanos, relictis rebus, erigere? Quamquam non eo sum usus verbo, quo decuit, auditores, non enim, si infimorum hominum filii supra conditionem sese suam efferant, idcirco qui sunt aliquo loco & numero, se infra genus sortemque deprimunt: sed & isti e plebeia in patriciam quodammodo familiam transire, & hi generis claritatem nova quadam luce ac splendore cumulare gestiunt. Neque vero utrique frustra. Ubi enim majora doctrinarum studiosis præmia, quam in Gallia? ubi tanti honores, quanti in Gallia? ubi tot immunitates, tot in omni genere concessiones, quot in Gallia? Hic reges non antiqui modo, quos ante posui, sed etiam recentes, Francisci, Caroli, Henrici, Ludovici, philosophis, poetis, historicis, scriptoribus etiam epistolarum, opima annua pensitarunt. hic profanarum simul & sacrarum artium doctoribus, certam mercedem ac perpetuam constituerunt. hic ne mulierculis quidem, quæ plus aliquid saperent, quam ceteræ, sedulitatis & industriæ constare fructum noluerunt. Jam cum viri mittuntur, si quando mittuntur, eruditionis expertes, qui personam & negotium principis apud exteras gentes agant; non mihi dubium, quin hoc vitium, & inopiam rerum, quarum disciplina est, ingenio, prudentia, magnitudine animi, industria, reliqua excellenti natura, usuque rerum compensent. Quæ si secus aut olim habuissent, aut nunc, in posterumque se haberent omnia, si in honoribus mandandis præterirentur eruditi viri, si, ut gravissime dicam, nominatim excluderentur non modo his majoribus præmiis, quæ paullo ante commemoravi, sed etiam levioribus, quæ cuivis uni e multitudine pateant: neque se minus ea re amarent, & Catonis sapientissimi viri atque hominis fortissimi dicto consolarentur, de quo cum quæreret non nemo, cur item ipsi, ut ceteris, in foro, honoris causa, statua posita non esset; festive respondit, id esse sibi satius, id se multo malle, ab hominibus quæri, cur statua non poneretur, quam ut, posita si esset, facti causa quæreretur. alterum enim cognitæ virtutis, non tamen remuneratæ argumentum: alterum aut virtutis non satis spectatæ indicium, aut honoris non debiti tacitam reprehensionem esse.

Sed enim sentio, auditores, longius me vel veritatis amore, vel fortasse patriæ, quam propositi ratio mei pateretur, esse provectum. nam cum esset ad institutum satis, ita literatum illiterato aut æquari, aut concedére dignitatum ordine, ut ea re nihil de insita præstantia, innataque deperderet: illud abunde demonstratum a nobis est, non modo non inferiorem hisce extraneis ornamentis, sed multis etiam partibus, præsertim hoc, in quo vivimus, regno, superiorem haberi. Neque tamen nihil profecimus: verum ad alteram orationis partem per imprudentiam sensim devenimus; simulque tacite innuimus, eo inter se utrosque distare, quod sit erudito liberior atque expeditior munita ad dignitates via. Quod mihi discrimen si quale, & quantum sit, per literatos viros planum facere liceret: haud sane esset, quod aliunde differentiæ notas conquirerem. Sed non licet. neque se illi propter mercedem literarum, atque præmium collaudari sinunt; neque ea re, quæ sibi potest ullo pacto cum imperitis communis esse, distingui. præterquamquod intelligenti rerum judici videri nequit non vulgare ac tralatitium discrimen, quod in vitioso hominum judicio, quo de genere vidimus honores esse, quodque in incerta hominum atque commutabili voluntate consistat. Aut igitur leve hujuscemodi ac nugatorium esse distinctionis genus, contraquam præmo-

monuimus, fatendum eſt; aut alia in re, & magis eruditorum propria germanaque ſtatuendum. Sed qua tandem in re? Hic ſeſe mihi ſponte tam multa offerunt, & obverſantur animo non vocata, ut non tam copia, egeam in dicendo, quam delectu. Quapropter relinquo, quod princeps olim philoſophorum ſcriptum reliquit, doctos perinde indoctis, atque vivos præſtare mortuis. non prædico, quod alius ex eodem grege neſcio quis, eruditum ab inerudito differre ſpe bona. ne illud quidem attingo, quod unum forſan Socraticus ille Ariſtippus bene ſenſit, hoc ipſo alterum ab altero diſcerni, quod ubi doctus ſedet, non ſedeat ſupra ſtipitem ſtipes. Sit aliquid mortuum inter & ignarum diſcriminis: deſperati & ineruditi differant: non ſit idem ſtipitem ſuper ſtipitem, atque imperitum ſuper ſtipitem conſidere. Sic locum hunc complector brevi. Qua re beſtiis homines præſtant, qua cœlites hominibus antecedunt, qua denique Deus ipſe præpotens, vel maxime naturis intelligentia præditis excellit: hac eadem prorſus, non alia, ab illiterato literatum contendo diſcrepare. Obſtupeſcitis, auditores: attendite ſedulo, quæ loquor. non ſum tam inſolens, qui literatos Deos eſſe dicam. non ſum ita hebes, ut imperitos cum animantibus conferam. Licet vim, ac robur, & opes ſcientiæ oſtendere una, & imbecillitatem inſcitiæ atque tenuitatem ſilere. Neque etiam id agimus, ut quantum homines feris, quantum cœlites hominibus, quantum viciſſim cœlitibus ſuperior Deus eſt, tantum ab indocto diſtare doctum velimus. iſtud certe primum incredibile jure videretur. ſed hoc ſolum poſtremum, quod magnum quidem eſt, & ad eruditorum prædicationem inſigne, probabilitate non caret tamen, nunc pugnamus; hoſce inter ſe omnes non eodem modo, ſed una re & eadem ſecerni. Atenim quanti id refert, utrum tu a me eadem re, qua homo ab animantibus, an tantum differas? Permagni vero intereſt, auditores. non enim, ſi vos ſumme perfecteque eruditi, nos, qui non ſumus eruditiſſimi, ab indocto eadem re, id eſt doctrina differimus, tantundem continuo diſferemus: ſed vos ſublimi eruditionis genere multum, nos hac noſtra mediocritate modice, aut etiam intra modum differemus. Placet igitur doctum a rudi non tantum, verum eadem re, qua hominem a belluis, diſſidere. quem fere ad modum laudatum Tullio videmus perfectum atque abſolutum oratorem, quod quo uno homines maxime beſtiis præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat. Quid id eſſe, auditores, cenſetis, niſi ſapientem illam, corpori præpoſitam divinitus, gubernatricem, omniſque conſilii inventricem, rationem dico, vimque differendi, per quam homo id, quod adeſt, quodque præſens eſt, late cernit, præterita quæque replicat, in futurum ſeſe intendit, & tanquam in interminatas omnibus partibus regiones injicit? hæc hominem facultas exornat, hæc hominem tuetur, hæc hominem in primis facit; hæc, quod ad rem pertinet, à trunco atque ſtipite, à ſtirpibus atque radicum fibris, à mutis animantibus, tantumne? ab homine etiam hominem diſtinguit. Enimvero ſi hominis eſt præterita meminiſſe; cujuſnam potius, quam ejus, qui omnem antiquitatis memoriam collegit? ſi tenere conſequentia; in quem niſi in eum cadit, qui ſepulta quodammodo & delireſcentia in cauſis, multo ante rerum eventa excitat, & in apertam lucem producit? ſi denique nihil magis hominis eſt, quam præſentia intueri; quis in eo plus erudito viro videt, qui ardores ignis ac mobilitatem, aeris cedentem maxime, ac diſſipabilem naturam, hominumque altricem, terræ nutus, figuramque conglobatam, mari circumfuſam, funditus intravit? Parum dico, cum in hiſce tribus hominum fungendis muneribus ſcienter doceo virum literatum, inſigniterque verſari. quid ſi ſolus præſentia cernit, ſolus prævidet futura, ſolus in præterita revolvitur; nonne de homine imperito, utrum homo ſit, magis erit, ut dubitemus, quam ut de homine docto, an ratione ab indocto differat, inquiramus? Atqui ſic habetote, neque præterita eum poſſe, nec futura intelligere, qui præſentia non norit, neque ſcire præſentia, qui literas neſcierit. niſi forte, præſentia cum dicimus, interpretamur ea, quæ ſunt ante pedes poſita, quæ manu contingimus, quæ ritu pecudum oculis percipimus, ac non potius cœlum, mare, terram, univerſitatemque rerum. quibus ex omnibus quid vel unum eſt, quod non modo ſine rationis, ſed etiam ſine literarum opera, atque uſu poſſit comprehendi? Itaque ſæpe ſoleo dicere, rationem tædarum non abſimilem videri, quæ nondum ſint in infante puero vivæ, jam ſint in ſtultis atque amentibus exſtinctæ, in ceteris aliquantulum colluceant, in literatis lumine literarum accenſæ incredibiliter ardeant. Sed quid argumentamur? quid plura coacervamus, aut quid dubitamus, unam & eandem ob rem, hominibus pariter, atque animantibus anteferre literatum, qui quo uno ſuperi, interpretes, internunciique Dei, homines potiſſimum vincunt, hoc ipſo facile literarum rudes ſuperet, nullaque liberali doctrina politos? Quo loco quid homines inter, & animos illos uniuſmodi atque ſimplices interſit, nolite a me commoneri velle. ſatis vos corpus commonet, ſatis ipſe poculentorum atque eſculentorum uſus, ſatis & infima naſcendi conditio, & extrema emoriendi neceſſitas hominem diſtare quamplurimum teſtatur a naturis, omni materiæ concretione atque admixtione liberis, quæ nulla unquam inedia, nullis ſitis incommodis premantur, quæ neque ortus ſordes, imbecillitatem, infantiam erubeſcant, neque ſibi morbos, interitum, ac diſſipationem metuant. Hoc vero cujuſmodi eſt, quod, hominem cum natura progenuerit, & quodammodo projecerit rudem, impolitum, ignarum, ſine cognitione, ſine rerum prudentia, atque in tenebras potius erroris & inſcitiæ compegerit, quam in lucem ediderit; tum hiſce divinis legatis, quibus Angelis nomen eſt, rerum naturalium intelligentias ac notiones ingenuit, atque adeo jam inde a primo eorum natali die, quæ aut digna ſcitu eſſent, aut neceſſaria, patefecit? Illud videlicet eſt, quo ſeſe tanquam divortio ab imperitis periti diſtrahunt, & ad haſce mentes, a primordio quaſi vitæ perdoctas, quamproxime accedunt: qui rerum ſpeciem, viſa, formas objectas extrinſecus arripiunt, perſimiles in animis intrinſecus commentatione aſſidua procudunt, fabricantur, ad intelligendi uſum quamordinatiſſime recondunt: ea re æquales his beatis,

quia

quia idem ad scientias instrumentum, easdem imagines adhibent: hoc vero superiores, quod quas illi a natura gratis acceperunt, hi multo labore suo, atque industria pepererunt. Quare cum eandem, atque homines cum belluis, cœlites cum hominibus, eruditi cum ineruditis habeant dissimilitudinem, & ita habeant, ut cœlitibus anteire quodammodo videantur: erit scilicet, opinor, qui hoc a me amplius exquirat, ut doceam, eadem re Deum, id est, scientia, inprimis naturis mente ac ratione instructis præstare? cum præsertim hæc earum sit vis, gradus, atque ordo; ita partitos habeant inter se, atque divisos doctrinæ thesauros, ut docti nonnulla, permulta cœlestes, omnia vero Deus pro infinitate divina, sine ulla exceptione, cognoscat. Quam porro cognitionem, animique perfectionem quanti, quæso, valere censetis ad discrimen? cujus tanta vis est ac natura, tamque dissimilitudinis efficiens, ut non iis tantum, quos inter varietas intercedere vera nulla potest, varietatis aliquid simile admisceat, sed eundem quoque a semet quodammodo ipso distinguat? Redite mecum in memoriam, & recolite, quod optima fide, auctore Deo, didicimus, cum sit ita Deus unus, unum, cui pareant universa, numen, ut plus uno esse non possit, nedum numero multiplex induci; triplicem tamen nihilominus consortem divinitatis esse personam. Quis autem id sive discriminis, sive dissimilitudinis, sive tripartitæ in individuo divisionis, sive quod aliud est nomen, quo rem eandem natura, persona distinctam appellari licet, præter unicam cognitionem primo invexit? Sic enim accepimus, cum se Deus in omni æternitate intueretur ac scrutaretur interius, inquireret in sese, atque seipse observaret, vim ac potestatem infinitam deprehenderet, bonitatem agnosceret, reliquas opes immensas censeret: ex hac plena perfectaque suimetipsius cognitione, tanquam e semine, felicem illum, ac divinum partum, a procreatore distinctum, quem filium nuncupamus, mirabiliter extitisse. Et est quisquam omnium, qui, cum hæc intellexerit, dubitare possit, quid in homine perfectura cognitio sit; cum Deum ipsum disparem sui, si fas est dictu, atque dissimilem effecerit?

Quod si a subtiliore hac differentiæ conquisitione discedere lubet, & ad ea, quæ in sensus incurrunt omnium, sermonem familiariter traducere; facile intelligo quantus mihi ad dicendum campus aperiatur, quam se nostra jactare hoc in genere, & quam libere excurrere possit oratio. Quis enim, vel infantissimus, qui id ornate eloqui copioseque non queat; ut prudentius consilium literati ineant, susceptum constantius retineant? quemadmodum minus errent frequenter, facilius, ubi deerraverint, reducantur in viam? ut res quasque minimas, certo quodam modo, proprio, ac suo, id est scite, atque haud paullo, quam reliqui, solertius obeant? Quare quod dici vere solet, quæ pensi mulierum sunt, eadem a viris, animum si adjiciant, perfici melius: hoc de nostris hominibus dictum puto, etsi operæ nihil aliud, præter id, quod fit passim, navent; in eo tamen ipso & scientiam peculiarem, & non parvum specimen sui exhibere. Age vero illa res parumne declarat literatorum præstantiam, quod hanc sibi legem tacite tulerunt, ut ab rebus omnibus contemptis ac vilibus, remis, ut dicitur, velisque refugerent? quod hanc sibi necessitatem imposuerunt magnarum rerum persequendarum? Nescitis, academici, nescitis, cum literas discitis, quid suscipiatis; quantum vobis in omnem vitam negotii præscribatis. magnum literarum onus, magna res, magna provincia. neque enim licet, neque fas est, non potestis, honore salvo, integra existimatione, sine tota turpitudinis aliqua facere, ut ad illiberales & sordidos quæstus, ad commercia hominum generi reliquo fortasse honesta, certe quidem concessa, descendatis. mercenaria vobis omnis contrahendi ratio interdicitur. quæ artes, quæ operæ emuntur, etiam removentur severius. Qui si secus feceritis, non intelligentium solum judicium ac censuram effugere, sed ne voces quidem populi potestis serpit enim hic rumor: videsne tu illum opificem, nundinatorem, quæstuosum? idcircone ludos adiri oportuit? literas disci? bene longum tempus insumi? Proinde quasi adeo præclare de literarum dignitate magnificeque, iniquus cæteroqui judex, populus sentiat, ut quemadmodum nobilibus viris mercaturas fere facere non licet, ne lucri sordibus generis splendor inquinetur; sic vix satis consonum, ac decorum fore putet, si jam ex doctrina nobiles & clari, ad hæc extrema aut cupiditatis pabula, aut necessitatis inventa decurrant. Itaque avaritiæ, quæ per causam rei honestis rationibus quærendæ irrepit, aditus est maxima ex parte præclusus. Quid? ceteris vitiis nonne obstructus pariter, & omni virtutum choro apertus? An ille, qui susceptos pro patria ac principe sæculis superioribus labores, adita pericula, mortes gloriose oppetitas intelligat, pari in causa difficultates subterfugiet, discrimina deprecabitur, vitæ ac saluti cupidius indulgebit? An qui temperantiam a natura suggeri animantibus, ratione hominibus approbari, legendo magis aut commentando, quam vivendo diu, aut experiendo didicerit, virtutem non admittet, quam sic a libris commendatam habet? Qui vero in scelerum omnium impunitate atque licentia retineri meminerit a nefariis prædonibus justitiam inter se; is non plus etiam, quam justus esse debeat, ne amplius nihil, quam communes omnium gentium hostes, præstare videatur? Unde usu autem venire putatis, ut qui sunt voluptatibus adhibeodis intenti, iidem sint literaturæ omnis negligentissimi? Non ob id solum fit, quod illi peramantes semper otii sunt, discendi autem negotium laborem operamque desiderat; sed multo etiam magis, quod literæ vitiorum intercludunt omne commercium. Neque enim cujusquam tantum os est, tanta audacia, tam obfirmata in flagitiis indoles, quin aut vituperatione moveatur, aut monitis cedat, aut reprehensione deterreatur. Quare libros illi vitiorum vituperatores acerrimos, officiorum omnium monitores minime verecundos, perpetuos etiam vitæ suæ objurgatores ferre non possunt diutius: non possunt omnino. aut facinorosam vivendi viam, aut usum & consuetudinem scriptorum commissis suis adversantium deserunt. Jam vero quid de facilitate, commoditate morum, huma-

nitate

nitate loquar, quam etiam mihi, dum me perattente auditis, singularem tribuitis, quæ vitæ & congressus quasi rubiginem absterget, mœstitiam exhilarat, duritiem emollit, & principes quosque viros, & omni ornamentorum genere præcellentes, ad amabilem quandam cum hominibus cujusquemodi æquabilitatem, salva atque illibata dignitate, demittit? Illa & hominis maxime propria virtus est, & literatorum, nisi omnes in iis virtutes residerent insigniter, unica pæne, ac singularis. qua de re quis dubitare jure poterit, qui modo earum nomen literarum, quæ humaniores appellantur, non ignorarit? O literæ, literæ, quæ singula edocetis singulos, nondum satis tamen, quanti sitis, quid in omnem partem valeatis, mortalium quemquam docuistis. vos confusione sublata, hominum discrimen ac delectum induxistis. vos agrestes incultosque mores perpolivistis. vos mancam atque mutilam intelligendi vim restituistis, inchoatam complestis, nudam atque inopem exornastis. Quod homines cum beatis cœlitibus adæquentur, vestrum est. quod cum Deo immortali quodammodo componantur, vestrum. quod omnia honorum genera aut nanciscantur, aut mereant: quod hisce freti adjumentis; ornamentis cumulati, tantum ab imperitis, quantum possunt maxime differant, totum hoc, inquam, vestrum est. Neque vos hoc, præfecti urbis sapientissimi, non intellexistis, cum optimarum artium tanquam officinam multum diuque primum expetiistis: deinde, ubi maturum fuit, instituendam, omnium incredibili consensu, studioque curastis. In quo sane fructum jam estis expectationis vestræ ac judicii consecuti amplissimum, cum & liberos ipsi vestros, & alienos intuemini non modo ad hanc literatum dissimilitudinem atque majestatem patrio more, magnis itineribus tendere, sed etiam nonnihil, imo fortasse multum adeptos esse, quo a ceteris rudibus atque ignaris perpetuo atque ubique distinguantur. Et vero reliqua discrimina, excellentiæ reliquæ certarum sint ætatum, non omnium temporum, non eorumdem locorum: præstantiam autem literarum ac discrimen illud, qualecunque est, quod certe maximum est, cum neque eripi possit, neque magno præsidio & custodia ad conservationem sui, ut divitiæ, ut honores, indigeat; cum pacatis, tranquillisque temporibus vigeat, turbulentis non jaceat, floreat in negotio, non obsolescat in otio, cum domi nobiscum commoretur, non desideretur foris: tum scitote nulli vitæ humanæ addictum præcipue parti, omnium omnino ætatum esse commune. Pueri pueris, adolescentes adolescentibus, viris viri, senes senibus maximopere antecellunt. verum hic erro; pueri adolescentibus, viris adolescentes, senibus viri, modo iidem literis vel leviter tincti, plurimum præstant, & suam quisque ætatem quadam tempestivitate præcurrit. Quid enim putatis? utrum eum puerum, qui non, ut mos pueris est, quæ ante se natum acciderint, ignoret; sed perinde ac si plane grandis natu esset, aut priscis illis jam tum temporibus vixisset, rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem cum sua ætatula contexat? num adolescentem, qui quem non habet usum rerum, multorum experientiam annorum, qua caret, librorum usu, literarum copia, exemplorum multitudine compenset? *num virum, ac non potius senem, qui neque canis, neque rugis, sed auctoritate, consilio, gravitate, senectutis diem repræsentet? Ita est igitur, ut dixi, auditores, & hæc præstantia cum pueritia communiter crescit, una cum adolescentia adolescit, pariter cum virili ætate corroboratur, ac demum non tam cum senectute consenescit, quam maturitatem assequitur, nullaque ætatis parte derelicta, ad sepulcrum usque literatos prosequitur. prosequitur autem? quid si terminos prætervolat vitæ, extraque mortem excurrit longius? quid si post dissolutionem corporis superstes, animo se jucundam & assiduam comitem præbet? Scitum est istud, cum necessitas naturæ adventarit, & quasi signum Deus optimus maximus aliquod ex hoc orbe receptui cecinerit, manuque veluti prehensa lectissimos quosque in cœlum sursum extulerit; nihil plane nos, morte obita, deperdituros eorum, quæ hic, dum maneremus in vita, perdidicerimus; sed ita momenta doctrinæ fideliter conservaturos omnia, ut ceteris quidem rebus, vitæque conditione pares, hac vero parte, id est, poetica, eloquentia, prudentia juris, philosophiæ studiis atque theologiæ, reliquisve ante partis literarum quasi honestatibus, superiores futuri simus. Quod etsi leve, & instar stillæ videri possit, pulcherrimarum & optatissimarum rerum flumen, & summi boni copiam habituris: tamen præclarum nobis putare debemus, si ubi vita deficit, minime nos literæ destituant, cumque animo immortali nostro, suam quandam immortalitatem obtineant. Ad extremum si non facile inveniatur, qui, quod sciat, non tradat alteri; sua autem merces & propria, quam aureolam vocant, cum maneat in cœlo, qui quemvis in vita docuerit: nonne unum idemque est literatis & pro doctrinæ præmio, & pro dignitatis ac præstantiæ cumulo futurum? Et quisquam in posterum tam inconsideratus, tam nullius consilii, tam amens reperietur, qui ceteris vitæ ornamentis, etiam in unum collatis, malit, quam hoc animi cultu & expolitione eminere? qui vacuas & caducas hereditates cernere, ad altissimos dignitatum gradus ascendere, nomen in vulgus, gratiam apud principem aucupari, quam sibi hanc literarum supellectilem, natura præstantem, industria parabilem, diuturnitate nunquam perituram acquirere? Sed de his satis. neque enim quidquam tam multiplici ac varia dote, quæ locupletat & ornat eruditionem, majus afferre possum: & ea minuendi metum faciunt, quæ augendi spem sua magnitudine sustulerunt. Quo de genere præstantiæ ad dissimilitudinis quæcunque dixi, viri illustrissimi, ea vestra omnium gratia, qui ab ineruditis mirum quantum abestis, pluribus dixi. Supersedissem oratione longiore, si aut in literis, unde hæc amplitudo petitur, multum profecissem, aut hac mea prædicatione literatorum, parum profecturos literarum studiosos putassem.

ORA-

ORATIO TERTIA.

Pro vetere genere dicendi contra novum.

Fixæ Andegavorum. XIV. *Cal. Novemb.* CIↃ IↃ CXXXVI.

VELLEM equidem vehementer, auditores humanissimi, inter vetus dicendi, atque novum genus constituta necessitudo, omniumque rerum communitas tanta esset, ut qui alterum tueretur ac prædicaret, alterius quoque defensionem, atque præconium susciperet. Nunc cum novum a veteris dignitate tantum absit, quantum a tempore; mirum videri potius debet omnes, quotquot istius studii intelligentiam, & usum præterea aliquem habent, hac in sæculi labe, atque macula connivere, quam me ex omnibus unum dissimulare justum dolorem meum, atque indignationem non posse. Dolet supra, quam dici queat, mihi, pristinæ formam eloquentiæ, integerrimam, pulcherrimam, ornatissimam, in qua augenda & perficienda tot egregii artifices, tot continnæ ætates, tantoque opere contenderant, obsolevisse jam pæne totam, brevique tempore e mundo imprudentibus nobis excidisse. Indignor, hujus in locum longe aliam atque disparem, hoc est, in castæ corruptam, in sobriæ temulentam, in politæ denique, atque comptæ quasi dominæ, & reginæ, vel incultam, vel fucatam, prope dicam, pedissequam fuisse substitutam. Illud vero quo ferendum animo est, hanc natura fœdam, arte nequiorem personam eloquentiæ atque umbram, amatoribus usque eo suis non carere, ut, nisi vobis, qui hic adestis, quos aliter ego & institutos scio, & reor affectos, confiderem, in tanta mali cum universirare, tum etiam ignorantia desperandum de remedio mali putarem? Neque enim vos istud celatos velim, ut ægri quidam sunt, qui sanos se existiment, iidemque ægrotent periculosissime, sic oratores nuvellos ita studiis, & pravis erroribus conflictari, ita in re sua stupidos, atque amentes ferri, ut ulcera domestica, quantumvis tetra atque spurca, non modo non horreant, sed etiam exosculentur, perditeque diligant. Huic tam late patenti, quam parum noto recentis eloquentiæ morbo mederi penitus non nisi prisca eloquentia potest: quam quia mihi sentio deesse; id, quod sponte nutrices solent, uti puerulos edoceant loqui, faciam coactus, ut balbutiam, neque recusabo, quominus meam prodam, dum communem aliqua ex parte sanem infantiam. Sed quoniam nec morosi usque adeo sumus, ut e tot eloquentiæ novæ partibus, nullam probemus; nec ita faciles, ut e tam multiplici ac varia, quæ disparibus subinde temporibus extitit, veteris eloquentiæ forma, nullam improbemus: statuendum primo nobis est, quid ex ætate hac nostra rejici oporteat, quid ex omni superiore memoria admitti. Atque omisso quidem, quemadmodum res homines nostri inveniant, ac disponant, quantumque valeant agendo, speciem dicendi & figuram, seu characterem, quam alii elocutionem, alii stylum, alii alio nomine appellant, in qua summa eloquentiæ ac fere tota vis est, probare nullo modo possum. Ex omni autem vetustate id dicendi genus præ cunctis amplector unum maxime, quod jam inde a principio Tullii, ad postrema usque Augusti tempora, spatium, sic tanquam regnum, obtinuit annorum circiter centum. Quid igitur eloquentiæ placet nomine intelligi? stylum. quam veterem volo? Tullianam, Augustanam. quam novam? hodiernam, nostram. quid habeo, de utraque quod dicam? optimam veterem illam esse; novam hanc deterrimam. Quæ duo si præstabuntur, ut a me præstari non difficulter, hoc præsertim silentio; & tanto vestrûm omnium favore, quantum ex vultu conjicere licet, posse intelligo: & fidem apud vos meam, qui hoc recepi in me, liberavero; & beneficii non unius ab omnibus, qui falsum dedoceo, verum eloquentiæ iter aperio, gratiam inivero.

Ac perbelle initio eadit, quod argumenti me ratio impellat eo, quo jam voluntas inclinabat, ut brevis sim; cum ne egere quidem prima pars videatur oratione. Nam cui hoc dubium est, aut obscurum, qui modo his de literis paullum aliquid degustarit, quin optimum genus dicendi, Julii, & Augusti, Cæsarum felici vel ea re sæculo, floruerit, & ad maturitatem quandam suam pervenerit? Evolvamus libros, conferamus tempora, distinguamus personas: Romanæ certe dictionis reperiemus ætates admodum quatuor, ineuntem, adultam, virilem, extremam. Quid tu tibi primis regibus videris audire, si quid tamen audis, præter infantem, qui in cunis vagiat? quid consulibus primis præter puerum, qui syllabatim & articulate conetur loqui? Cum vero intermediis, ac ferme extremis liberæ reipublicæ consulibus, grandius jam natu aliquid deprehendamus, & provectum, & satis firmum: quid est consequens, si modo ire eloquentia perrexit, nisi ut imperatoribus primis duobus, medium attigerit, atque optimum tempus ætatis? Utrum senuerit postea sensim, & ad id venerit, quod propius absit a morte, atque etiam suo ipsa casu imperii longe ruinas præverterit, neque id ad rem, & si quid pertinet, paullo post viderimus. Hoc modo dicimus, in virilem ætatem cadere virtutis præcipue nihil, quod non apposite huic dicendi viæ ac rationi conveniat, cujus laus apud omnes eloquentiæ studiosos, sæculo nobili, & celebri illo uno, viguit. Equidem sic existimo, quando non injuria orationis quoddam ferunt esse corpus, quod ex membris, nervis, articulis propriis constet & suis, ut in virili potissimum ætate, ita in absolutissimo genere dicendi quatuor has partes ac numeros inesse, sanitatem, robur, pulcritudinem, decentiam. Sanum vocemus licet genus id orationis, quod sincerum, purum, sobrium, ac siccum; cui quod opus est, adsit, nihil vitiosi & corrupti insit, nihil integritate salva detrahi possit. robustum, quod sanguinem plurimum collegit, quod movet lacertos, quod pugnat, quod vincit. pulcri autem, & illius, quod decet, quæ vis ac notio, aut in quo potius utriusque discrimen con-

 sistat,

fiſtat, etſi minus proclive dictu eſt, declarari tamen quomodocunque poteſt; ſiquidem pulcritudinem natura alteram, ars alteram ſuppeditat, atque iſti nævus, huic fucus inſidiatur, ac, niſi præſens vel cautio, vel remedium ſubveniat, adhæreſcit: cum decentia hic nihil ſit aliud, quam perpetuus quidam, & aptus ex ſeſe urbanitatis lepos, ſive ſale condita munditia, & undecunque concinnitas efflorefcens. quæ quia efficiunt, ut id, quod dicitur, gratum accidat, & cum bona omnium gratia dicatur, male Latine forſan, ſignificanter certe a noſtratibus bona gratia nuncupantur. Verum ad me revertor. An eas virtutes huic ætati negabimus, quæ, quales, ac quantæ ſint, niſi nos ipſa eadem re & factis docuiſſet, neſciremus? Sicut enim Æſchines Græcis, quænam ſanitas dictionis foret; Demoſthenes, quodnam robur; Iſocrates, quid pulcritudo; hi tres iidem, quid decentia, utendo magis, quam monendo præiverunt: ſic una hæc ætas, cujuſmodi iſta ſint quatuor, Latinis prima, non tam præceptis ad oſtentationem, quam exemplis ad imitationem indicavit. Ubi ſuccus, ubi candor, ubi bona quaſi valetudo, ſi non in horum virorum ſcriptis, elucet: quid eiſdem nervoſius ac valentius non dicam haberi, aut legi uſpiam, ſed cogitatione informari poteſt? quis naturæ nitor, quis pigmentorum flos & color illorum, ut ita loquor, lineamentis deſuit? iſta vero conciliatrix animorum decentia, quæ res nobis ſuapte natura contemptas atque viles interdum approbat, ſine qua inſulſa & incondita optima quæque videantur, qua in parte eorum non dominatur ac regnat? Quæ ſi ſolus dicerem, tamen cuivis probare deberem, cum ea dicerem, quorum nunc periculum facere nemo non leviter eruditus queat. Sed non ſolus dico. Sed non ſolus dico. hæc mihi omnis ætas & antecedens, & conſequens aſſentitur: hæc iſti mediæ ætati attribuit: ob hæc iſti de principatu facile concedit. Superior ætas parum ſe artis habere; ætas inferior nimium artis habere ſe non diffitetur. Superior non dubitat fore, qui, rudia ſibi & acerba quæ exciderant, perpoliant, ac mitigent: inferior clamat non alios ſibi eſſe, quam qui ſi non recta detorqueant, pura adulterent, at longo omnia intervallo relinquant. Quid? qui de corruptæ eloquentiæ cauſis agit ſive Quintilianus, ſive Tacitus, nonne rem agnoſcit, cujus in cauſam ſtudioſius toto & ad id inſtituto volumine inquirit? quid? Seneca filius, qui ſcripta cum antiquis ſua conferri cavet, nonne inferior ut eſt, ita ne habeatur, & dicatur, merito timet? quid? Seneca pater, qui quod inſolenti Græciæ Roma aut opponat, aut præferat, id omne Tullii tempore natum aſſerit, nonne tempus ſuum excludit? Age porro, quid ætates ad noſtram uſque reliquas commemorem, quale judicium fecerint; cum priſcæ huic ſuppares, quæ magis illius invidere gloriæ, minus ab illius abeſſe præſtantia debuerunt, & præ hac ita ſe parvi putarint & eidem tam amplum, tam liberale, tam honorificum perductæ ad ſummum eloquentiæ teſtimonium dederint? Nos autem ipſi, nos, inquam, ſi qui harum rerum guſtum habemus, licet noſtra nos, ut ſua quemque, delectent, licet in commune literarum multum contuliſſe nos gloriari poſſimus non falſo, fatemur victos. nobiliſſimum iſtud ævum unice amamus, unice miramur, &, ſi minus cogitamus imitari, id imbecillitate potius, quam judicio, deſperatione, quam faſtidio, facimus. Itaque una illa ætas tot ætatum poſteriorum, id eſt, decem & ſex approbationem nacta eſt: centum anni annorum mille & ſexcentorum ſuffragium abſtulerunt. neque aliud majores, patres dicunt, nos dicimus, cum monumenta hujus ævi tanta cura retinemus ſalva, ſparſa colligimus, lacera reconcinnamus, præſertim in turba ſcriptorum innumerabili, quæ deinceps apparuit, niſi hæc nos & per ſe pretioſa, & aliis omnibus potiora ducere. Quamobrem ex iis quod periit, id temporum iniquitati tribuendum eſt: quod manſit, poſteritatis judicio & æſtimationi. ut quæ ſervata pauca ſunt, pluris faciamus, quam quæ poſt plurima extiterunt; & quæ ſunt deperdita, horum jactura, ſi utrumvis liceret, facile redimamus. Quo loco teneri non poſſum, quin miſerrimum naufragium doleam, aut etiam defleam tot voluminum, quæ benefica illa ætas tulit, ingrata oblivio abſorbuit. quæ ſi ſuppeterent, quanto id diceremus magis, quod paucorum, quæ e calamitate publica ſuperſunt, gratia dicimus? Quid igitur? dicet aliquis tantam Romanæ eloquentiæ amplitudinem, tot virorum opus, tot ætatum ſudores, unius hominis ævo metiris, unius ſæculi anguſtiis circumſcribis? Sic eſt, auditores, ſic habeo perſuaſum, quod non nemo ex ea, quam prædico, ætate, politus * ſcriptor & in paucis doctus, obſervavit, præſtantiſſima in quavis arte & facultate ingenia in unum tempus, idemque breviſſimum, quaſi de compacto confluxiſſe, &, quemadmodum honeſtiſſimos quoſque a populari conſeſſu lex, & ratio, & conſuetudo ſeparat, ita cum infimis ac mediocribus pari in ſtudio, ne forte honores pervulgarent ſuos, verſari, & ſedere promiſcue noluiſſe. Attendite ad Græcos, ad Latinos. inſpicite tragicos, & comicos poetas. philoſophos, hiſtoricos, oratores conſiderate. ii quidem omnes ita ſtipati, & arctati cancellis temporum, ut nemo memoria dignus, alter ab altero videri nequiverint. Hoc idem eveniſſe grammaticis, plaſtis, pictoribus, ſcalptoribus, ut quiſque ætatum inſtiterit notis, comperiet, ampliſſima quæque opera in exiguum temporis curriculum ac breve compingi. Quo minus mirari debemus perfectum proſæ eloquentiæ decus ita ſe univerſum ſub principe operis ſui profudiſſe Tullio, ut quibus delectemur, ante vel poſt eum, pauciſſimos; quem ſuſpiciamus, niſi aut ab illo viſum, aut qui illum viderit, habeamus neminem. Verum cur iſtud tandem? ægre enim videtur reddi cauſa poſſe. Si eſſet incertum, utrum ita res haberet, exquirerem fortaſſe, cur ita haberet. nunc, cum certo teneatur, non video, quare veritati rei ignoratio cauſæ detrimento eſſe debeat. Tametſi rationes affert idem auctor, quem laudavi, ſi non veras, de quo ipſe affirmare nihil audet, at ad veri ſimilitudinem propenſas, quas ejus malim verbis, quam meis audiatis: *Alit*, inquit, *æmulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt: aſcendit in ſummum: difficiliſque in perfecto mora eſt: naturali-*

* *Vell. Pat. lib. 1. hiſt.*

raliterque, quod procedere non potest, recedit. &, ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita, ubi præteriri, aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, & quod assequi non potest, sequi desinit, &, velut occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus: sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit. Hæc ille hactenus. Quæ si rerum pulcherrimarum fluxam conditionem, instabilem statum, brevem moram probant, celebrium virorum in idem tempus incidentium concursum, magnum illum quidem, sed non diuturnum; quid longum, & firmum, & vitale ab eo expectes, quod eadem via, iisdemque rationibus, quibus creverat, ubi ad propositum sibi finem honoris pervenit, decrevit? Est mirum id, sed nimium in Romana eloquentia verum, idem illi iter ad summam gloriam, & ad gloriæ jacturam, atque interitum fuisse. Cedo, quibus tantum artibus, quantum omnes novimus, illa flexanima, ut dicitur, & omni in regina rerum propagata sit? Deductione coloniarum, donatione civitatis. Atqui hæ viæ duæ, si nescis, nefariam orationi pestem, & improvisam attulerunt. qui emigrarunt ex urbe, commercio & usu exterorum non potuerunt non oblini. qui convenerunt in urbem, advexerunt quandam peregrinitatem secum, quæ cum primo cives, velut gravis aura quadam, afflasset, imbuit paullatim eos, & immutavit inter se, & decoloravit: ad extremum, prope ut hospites domi suæ, advenæque viderentur, ingravescente in dies infinito malo, effecit. Sed ut omittamus literarum gravem casum, & miseram hanc fortunam, conditionemque eloquentiæ, ac de ejus potius celeri incremento, progressuque memoremus, numen sane hac in re tota immortale, & divinum aliquod, plurimis, justisque de causis, agnoscere & fas est, & oportet. Qui enim usitata via, humanis consiliis accidere potuit, ut in unam eandemque ætatem excellentis eloquentiæ inclusum redactumque corpus haberemus, cujus paria singillatim membra nequicquam aut alibi quæramus, aut mente fingamus? Quo vero modo, nisi cœlesti, cum bonis artibus inimicius nihil, quam arma, videatur esse, quo hæc tempore late imperarent, earum quoque summum imperium obtinuimus? Quid illud, quanti putatis, quod tam præcipue Latinæ literæ perfici cœptæ sunt, imo perfectæ ex toto sunt, cum maxime orbe terrarum per vim belli subacto, per victorias aperto, spargi quodammodo, ac disseminari ubique potuerunt? Salve sæculum fortunatum, ætas aurea, quæ principes nobis, creatores, perfectores eloquentiæ tulisti. Salvete mentes clarissimæ, augustissima nomina, quibus quod præstans, quod admirabile, quod divinum in sermone est, fere totum jure debemus acceptum. Ita me Deus amet, ut quoties de vobis, deque ceteris, qui ante vos natos, quique postea fuerunt, cogito, toties desiderio majore in dies quodam vestrum omnium extabesco, &, aut vestra, si fieri posset, tempora revocare ad nos post tanto, aut nostra ad vos usque retro agere discupio. Quos quoniam vivos habere præsentes neutro modo possumus, certe vobiscum mortuis colloqui, pernoctare, habitare nunquam, dum ipsi vivemus, desistemus.

Multa paucis complecti, multa præterire cogor, ut ad alteram partem, eamque præcipuam veniam orationis, in qua contra novam, quæ per hosce dies increbuit, eloquentiam pollicitus sum me dicturum. quod utinam omittere salva fide, atque officio integrum esset; neque tanti referret juventutem de tam pernicioso, ac turpi errore præmoneri. Quid enim est, quod malle debemus, quam nostram hanc ætatem neque superioribus concedere, & celebrandi sui potius, quam vituperandi materiem consequentibus dare? Verum cujus tantum os, tantus stupor esse potest, qui eloquentiam ausit non dicam laudare, sed non improbare eam, qua & careat necessariis, & abundet vitiosis; cæcitate porro tanta feratur in utroque, ut alterum habere se credat, alteri splendidum nomen & insigne virtutis obtendat? Ac primo Latine dicere cum necessitatis sit, ut convenit inter omnes, cumque inflate, minute, vage, non æquabiliter dicere, in vitio non uno ponatur; quis tam parum intelligens non animadvertat & illo carere, & his abundare, quæ plerisque nunc est in honore species, & forma dicendi? Nescire Latine quomodo ostenditur? An ignati non simus hujus linguæ, quæ patria non est, quæ mille abhinc annis desiit, quam ab Gotthis, Hunnis, Vandalis, longo intervallo deinceps, per ipsius inscitiæ ac barbariæ manus accepimus? An hujus bene periti simus, quam e sola librorum lectione hausimus, qui pauci, qui mendosi, qui pauca, qui parum intellecta contineant? Profecto si reviviscerent prisci ex optimo illo sæculo heroes, ad nosque redirent, acturi nobiscum, aut ego vehementer fallor, aut interpretem requirerent; non vestigium, non umbram sermonis illius divini sui agnoscerent. Quapropter vere hoc mihi confirmare posse videor, neque magis, neque minus ullo unquam tempore, quam nunc, patuisse linguam Latinam. Magis pater quidem nunc, quam olim. Quis locus tam remotus, quæ tam abdita regio, ubi audita hodie vox Romana non sit? Europam implevit totam, totam Asiam peragravit, trajecit in Africam, penetravit insulas, in novum orbem terrarum Americam invecta est, & quo non dicam arma Romana, sed ne fama quidem aspirarat, eo sonus oris, & lingua pervenit. denique omnes omnium gentium partes unus sermo Latinus devinxit, & proprius singularum, ac vernaculus evasit. ut jam indigeat nemo, extra hanc, linguæ alterius, ut & intelligat, quid quisque dicat, & vicissim, quid ipse dicat, quisque intelligat. Quomodo ergo minus nunc, quam olim pater? Scietis. Primum omnium usus Latini sermonis totus penes viros est, quem si quæ mulier callet, & præter modum docta habetur vulgo, neque sane melior. Deinde ii inter viros soli istius studii facultate pollent, qui hanc disciplina puerili, ac multo labore suo partam habent. Jam quotusquisque est sive in orientis imperio, sive in occidentis, ei rei qui dare operam a puero aut possit, aut curet, aut si dederit, progressus non vulgares faciat? Latinitati in oriente nullus

lus honos, ubi omnes literæ omnino jacent. in occidente, ex populis iis, qui ad ſeptemtriones præcipue vergunt, non diffido aliquot eſſe domi, qui nonnihil in hoc genere valeant. certe qui ventitant in Galliam ad nos, non plus fere quidquam Latine ſciunt, quam quantum Gallice ſex aut octo menſibus nobiſcum diſcere potuerunt; quid autem potuerunt? Reliqui ſunt, qui ad meridiem pertinent magis, Itali, Hiſpani, noſtrates. De Italis Italo facile adhibeo fidem: quid enim mereat, ut de patria detrahat? is mihi aſſeveravit, excellentiſſimos quoſque populares ſuos mediocritate noſtrorum hominum, ſi optio daretur, fore contentos. De Hiſpanis Hiſpano multo credo magis, apud quem ſcriptum memini legere me non pridem, nihil eſſe quidquam tam Hiſpano homini, quam Latinum ſermonem, contrarium. quo fit, inquit, ut ſi quem in librum inciderint miſere ac fœde conſcriptum Latine, ſibi pro ſuo non temere vendicent: ſi purum & emendatum nacti ſint, illico non modo conjiciant, ſed etiam certo ſciant, hominis longinqui, & alienigenæ, non Hiſpani opus eſſe. De noſtratibus eo dico liberius, quod inter nos, quodque eos hac laude præſtare ceteris gentibus non parum putem. Si tamen familiariter audire verum, & fateri volumus, Latinitas in aula, ridicula: in foro, inutilis: in ſuggeſtis templorum, odioſa. Videtiſne igitur totum Latium, quantulumcunque eſt, ex ſole & pulvere, quo id loco, illuſtri & aperto, verſari decuit, in ſcholarum umbracula, otiumque, & ad domeſticas exercitationes relegatum, ſoliſque diſcipulis, & doctoribus commiſſum? Et diſcipuli quidem nomine ipſo ſuo declarant ſe diſcere tantum, & in curſu eſſe; atque adeo, ſi quid hæc habet lingua myſteriorum, ejus ſcientiam ſuis ipſos magiſtris libenter concedere. De doctoribus vero adoleſcentes ſentire nolo deterius; neque eſt, quod illis obtrectem; neque, ſi eſſet, non diſſimularem. Defendo ſolum rem univerſam: vix bene doceri poſſe, quod male diſcitur: ætatem vitæ alterius generis ſtudiis conſumi pæne totam: ex iſtis literis tantum quemque ſibi aſciſcere, quantum ad ſenſa exprimenda mentis ſatis ſit: nonnullos etiam, ut res nunc habent, animi eſſe ita ſecuri, ita alieni, ut verba aut obſoleta captent, aut de integro cudant, aut inſolenter coagmentent: itaque naturæ, & artis, & gentis, ſi quod eſt, bonum de induſtria corrumpant: ſive errore, quod exiſtiment, ut quiſque minime verbis ac dictioni ſtudet, ita illum maxime cogitatis inſervire mentis: ſive judicio, & certa opinione, quod cum mos ſit iſte hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere, vereantur, ne cetera graviorum artium, atque diſciplinarum ornamenta, quibus inſtructiſſimi ſunt, ſibi detrahant; ſolas probe loquendi partes, & famam relinquant. Ex hoc fonte quot, & quantæ, ſuperi, in opinando pravitates! cum quidem vim & gloriam Latine dicendi alii in celeritate verborum, & profluentia; alii in miſera quadam, & anxia ſuperſtitione locutiones, ac formulas vel aliunde excerpendi, vel inter ſe conſuendi collocent; alii in eo denique, quod non tam barbare quis, neque tam corrupte & inquinate, quam philoſophorum, ac theologorum, ſuperioribus ſæculis, vulgus, loquatur. Quare, ut rem aliquando tandem definiam, cum Latine plurimi intelligunt, non pauci loquuntur, nonnulli ſcribunt; tum, qui norint, quid ſit, bene Latine vel loqui, vel ſcribere, rariſſimi ſunt; qui bene utrumque præſtet, aut etiam de duobus alterum, ferme dicam, nemo. Quod ſi Latinitatem, quæ Romanæ eloquentiæ quaſi ſolum ſubeſt, reliquam fere nullam habemus: quid cenſetis, ſi opus Latinum aliquod exædificare voluerimus, aliud fore, niſi ut qui Latine non poſſimus, eleganter, & ornate nunquam dicamus?

Atenim perierit id, quod neque ſervari diu, neque ratione & intelligentia teneri, neque tradi, niſi viva voce potuit: hæ veneres, quæ exibant ex ore: hæc germanitas, & nativa quædam, quæ nutricis cum lacte ſugebatur, orationis proprietas: quæ temporum laus potius, quam hominum fuit. Adhuc vincemus nihil eorum, quæ puerilis doctrina affert, docent interiores literæ, alit lectio veterum poetarum, & oratorum, confirmat conſuetudo & ſcribendi, & loquendi, noſtro etiamnum deeſſe ſermoni. Neque hoc non obtinebimus, cunctis nos ornamentis, quæ non uni addicta, & conſecrata linguæ, ſed omnium communia ſint, quæ vel ars pariat, vel ingenii felix quædam ubertas, & benigna quaſi vena effundat, eſſe refertiſſimos. Itane eſt? nos virtutes aut retinemus antiquas, aut adjungimus novas? nos vitia plane contraria non ſequimur? non in morem inducimus? non per cauſam, ac nomen virtutum obtrudimus? At quid vitioſius, quam oratorem ſeſquipedalibus verbis, ampullatis ſententiis tumere? tumemus. levibus ſtimulis acuminum, & inanibus ſententiolis, ſic tanquam ſiculis, ſine intermiſſione pungere? pungimus. deſcriptionum uberiore licentia, quaquaverſus infinite, occaſione aliqua, nulla, vagari? vagamur. nihil tenere certum in ſtylo, nihil æquabile? nihil tenemus. hæc genera enim quatuor vitiorum ſunt, ſi recte animadvertimus, quæ præter cetera tempeſtate hac graſſari incipiunt, ac niſi pro veſtra, academici, induſtria prohibetis nefas, ſedes & domicilium inter vos, in hoc ipſo literaturæ omnis ſacrario collocant. Quo magis elaborandum nobis eſt, hæc ut vitia quam importuna ſint, quamque fœda, exploratum habeamus: ne forte quæ aditum ad nos, ſemel nota, nunquam impetrent, incognita furtim ſimulatione boni in familiaritatem noſtram irrepant.

Quod ad tumorem iſtum & inflationem verborum attinet, quis hoc non videt, aut quis ignorat tantum abeſſe, ut opus ſit artis, quæ naturam perficit, aut ingenii, quod e natura, tanquam e lumine ſcintilla, exiſtit; ut depravatio quædam ſit naturæ? Ea quippe & recta, & ſimplex, & temperata hos abſceſſus turgentis orationis, & quaſi gibbos incredibiliter refugit, & quantum a portentis atque monſtris, tantum ab hoc, ut ſic dicam, gigantum ſermone abhorret. Quamobrem qui te huic generi dediſti, qui ſis, vide, quæ verba tibi ſint, quæ res. quænam iſta ratio nunquam loqui, quin aut iraſci, aut objurgare, aut minari, aut ſuperbire ac gloriari videare? quæ libido, quæve intemperies alias ex aliis voces grandiſſimas, atque anhelatas nectere, producta,

nec

nec intermissa serie, quæ non nisi contentis buccis, & horribilem in modum eminentibus pronunciare possis? At at, quæso, clementer. te, ac tua verba rebus accommoda. noo omnia hic leonum, elephantorum plena: est etiam formicis suus atque muscis locus. nolo pulicem contrucidari. non fero a culice ad volandum vela alarum duo pandi. Ferrea ista Latinitas est, inquiunt: ô plumbeos homines! Est virilis: ô pueros insanires? cujus enim tanti stuporis est, canere in pace classicum, aut cujus tantæ infantiæ, in simpulo, ut dicitur, excitare fluctus? Pusos, pusillosque ridemus, si qui, quo proceritatem imitentur grandiorum, pedibus insistant summis, aut si qui calceos habiles, & aptos tantum viris ad pedem, induant: & risum tenebimus, cum res isti aut exiles, aut modicas, verbis plenissimis vestiunt, sonantibus exaggerant. Quid testat amplius, nisi ut hanc inanem vocum elationem, sententiarum quoque, & hyperbolarum insolenti fastu cumulent? faciunt vero, & ita sane strenue, ac fortiter, ut, cum falsa, incredibilia, quæ fieri nullo pacto queunt, permulta afferant, tum sic affirmate, atque asseveranter dicant, ut testimonium dicere, & conceptis verbis dejerare semper velle videantur. Unde autem, obsecro, imperiosa hæc nobis magniloquentia? neque enim nata apud nos, quantum e moribus nationis nostræ suavissimis, liberali, atque ingenua quadam agendi ratione conjicere possum. Si quæritis, ex eodem loco in Galliam, unde olim in Italiam, unde usque Romam id importatum mali est. nam ea prima Romanæ eloquentiæ clades, & Latinæ majestatis imminutio fuit. Sed tamen unde? Si dixero; certum scio, ridebitis. verum dicam, vel ut rideatis. unde nobis bellum, inde hoc oris, & linguæ vitiom erupit; ex hostili videlicet solo. loquor extra jocum: Iberia primis illis temporibus, ut fere mores sequitur dictio, lentam hanc verborum, ac ventosam pompam, & peregrinam insolentiam in urbem, velut adulterinas, & pestilentes merces induxit. Quid enim? cujas Martialis; Bilbilitanus. cujas Lucanus? Cordubensis. cujas uterque Seneca? indidem. * Atque hi quidem, nonnullique præterea, seu oratores, seu poetæ, Hispani homines, Romani sermonis elegantiam contaminarunt primi, & cum inflatum quoddam, & tumidum, & gentis suæ moribus congruens invexissent orationis genus, averterunt exemplo suo ceteros á pura illa, & directa, propter quam inventus sermo est, & in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione naturæ. Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque dictionem, ac versum maxime inflaverat, sententiam maxime contorserat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui, ita in pretio haberi cœpit. Quod autem ætate nostra Galliæ pars, quæ cum Hispania continens est, & istiusmodi hominum redolet mores, & ex omnibus una præcipue hoc dicendi vitio laborat; nonne satis argumenti est, ut alia omittam, mali hujus e vicinia contagionem omnem manare? Expertus loquor: totus ille tractus in Pyrenæi radicibus, usque a Narbone ad ultimum Garumnam, licet ipsum per se satis latum spatium sit, & præterea montis amplius triginta millia lati intervallo disjunctum, nescio quid hujus adventitii fastus, actumotis cum in agendo, tum in Latine loquendo vel maxime retinet, quod ceterarum Galliæ partium congressu, atque consuetudine emendari, & corrigi nondum potuit. Facile ut appareat, quam multo sit periculosior struma hæc orationis, quam corporis: cum strumæ, quæ os, atque fauces sæpe montanorum hominum, atque in pruinis ac nivibus degentium obsidet, verbis atque tactu medeamur; strûmam, quæ inhæret orationi, contrahamur & tam regione longinquam, & vix ulla medicinæ scientia sanabilem.

Hoc primum vitiati sermonis genus, sed externum, sed crassum & rusticanum. Alterum est eorum, qui præpostera quadam opinione, atque sapientia imbuti, nihil acute dictis, nihil sententiis melius putant; itaque nullam partem orationis aculeis istis vacare, omnia sententiose dici volunt. Quod ego vitium eo arbitror capitalius, quia, cum magis insitum in nostrorum hominum est moribus, magisque ab ingenio videtur profectum, tum vero unum multa in se vitia continet. Quid enim non peccant ii, qui sic animum semel suum induxerunt? Primum quoniam sæpe contingit, ut e certis quibusdam vel vocabulis, vel locutionibus istæ argutiæ existant: neque verbis uti pravissimis, neque dictionibus habent religioni; modo deliciolas has suas elabi e manibus sibi ne sinant. Deinde ambitum omnem, & comprehensionem vocum, quæ maxima laus est orationis, ab oratione excludant oportet: propterea quod acute dicta incisa quædam sint, sententiæ solæ melius, ac separatim incedant; ideoque neutrum horum illigari in orbem magis amet, aut debeat, quam signifer, aut dux aliquis in ordinem redigi. Accedit, id quod est omnium gravissimum, & quo nomine uno rem totam explodendam arbitret, ut crebritas hæc acuminum sententias delumbet, atque differendi vim omnem, sine qua non tantum dignitatem, sed ne nomen quidem tueri potest orator, labefactet penitus, atque infringat. Id adeo ex eo est, quod, cum undique, fidem unde faciat, orator coacervet, rationum valentissimarum loco, acutulum aliquid isti, speciosum quidem, sed minus valens ingerunt, quod alio atque alio acumine confirmant, vel potius obruunt. ita prioribus infirmis consequentia accedunt non firmiora. Quæ si animo cuncta, & gravi commentatione presseris, nihil solidum exprimas, futilitatem meram, & vanitatem reperias. Atque hæc perinde loquor, quasi facile veniant acumina in mentem, aut sese offerant non vocata nam si deficiunt, & invita Minerva eruenda sunt (habeant enim alicunde, velis, nolis, oportet) Deus bone! quam longe ab instituto, quærendi gratia, erratur, & quam alte non jam acumina, sed perfrigida quædam, & obscura dicta accersuntur, quæ prima fronte artideant, risum inspecta propius moveant. Id autem, quod dico, & tam sæpe fit, ut asserere ausim ex acuminibus decem, vix unum vendibile, momentique ullius esse, & tam dissimulantet, atque recte, ut ex ineptis decem, vix unius auditione sola percipias ineptias. quæ causa est, quamobrem isthæc cum auribus accipis, annuas; cum legis, nausees: quod audira

* *Mur. in com. in Catul.*

ta prætervolent sensus, antequam advertere ratio possit; scripta effugere mentis aciem non itidem queant. Verum hoc concedamus, tihil frigide dici, nihil obscure; tenebricosa lucem; levia obtinere pondus: etiamne nostris hæc auribus ad fastidium inculcabitis? etiamne ex iis solis orationem texetis? quando rebus melioribus locum, quando æqualibus, quando inferioribus denique relinquetis? mihi enim oratio non videtur, quæ nihil remittit, sed pari ubique contentione fertur. Sint sane lùmina, sint lacerti, atque nervi. quis tam insulsus, tamque absonus, qui totum ex oculis conflari corpus velit, solis e nervis, solis e lacertis? imo vero quod ex iisdem membris, sed congeminatis conflet, omnino corpus arbitretur? At videte, quantum inter vos, ac veteres illos, admodum antiquos, intersit. vos io unis acuminibus momenta dicendi omnia, & eloquentiæ principatum, & quasi regnum poniris: illi, cum vim oratoriam in tria genera tribuissent, quorum alterum summum, alterum mediocre, tertium infimum diceretur, & suas cuique partes pro dignitate fecissent; acumen generi infimo reliquerunt. Quid vero, quod in epigrammatis Græci, ubi sine dubio, si uspiam, est acuminibus locus, a ratione hac tota scriptionis abstinuerunt; Latini meliore ævo tenuerunt idem institutum? Quod si tanto post inventus unus Martialis est, qui in scrutandis acuminibus vitam egerit, eventu non plane nullo; si hujus exemplo incensi complures idem tentarunt: & pauci certe deinceps, quod operæ pretium esset, fecerunt; & res nunc pæne omnis ad nugatores & otiosos rediit, qui posteaquam pauculis versibus suum illud, Quid mirum, nihil mitum, aut, In promptu causa est, aut aliquid ejusmodi attexuerint; tum ineptam causam, ac frivolam pro vera, germanaque subjecerint, præclare se, atque divinitus terminasse carmen putent. Quare haud scio, utrum vel ob id doctum virum, atque in paucis disertum laudare debeam, qood e Martiale quotannis librum solemni quasi ritu combusserit. auctorem videlicet, quoad potuit, ultus est eum, qui corrumpendæ, ut ipse loquebatur, orationis primus exemplum præbuisset juventuti. En cur hi novitii oratores nostri palleant, secum obmurmurent, nihil cibo, nihil somno, nihil aliis necessitatibus, aut oblectamentis indulgeant, omnem vitæ sibi libertatem abjudicent. est enim incredibile dictu, auditores, quantum se ipsi, geniumque suum torqueant, atque vexent miselli, ut istud, quod tantopere adamant, undique aucupentur, atque extundant. Quamquam, cur admoaum æstuent, ac sudent, non video; non modo quia res, ut ante dixi, perversissima non est tanti, sed etiam quod, ut loco dicam magis idoneo, est, meo quidem judicio, non difficilis. nisi forte, quod certe faciunt, obtinere *vi*, & extorquere velimus, quod elici gratia oportet. Sed esto hoc quoque. sit perdifficilis, quoniam ita volunt, & ita rationes eorum poscunt, ut ne frustra in re facili laborare videantur. Nos, auditores, hoc qui novimus, naturam, quod suum est, edere conatu noo magno, & artem esse debere auxilio, non augere difficultatem; naturæ tamen, si facere necesse est, renunciemus, artem desinamus potius, quam tam misero exitu tantum laboris suscipiamus. Nimius sim & molestus, si vitia reliqua duo pari modo, pro eo, ac merentur, accipiam durius, exagitemque diccodo: ut alteri neque modum neque finem rerum describendarum faciant, seque suscepisse exilliment flagitium, si non, verba de regia domo, magna, pulcraque cum habenr, ad postes & cardines, & capita clavorum descenderint: ut alteri in filo, contextuque dictionis nequaquam sibi constent, cum antiquis, cum æqualibus suis, secum denique non solum in diversa, sed etiam in una eademque oratione pugnent.

Quæ cum sint omni vituperatione dignissima, tum nihil deterius illo, quod multiplex, & insigoe ad turpitudinem vitium, qua facilitate sunt, ita malam in partem homines minime mali non accipiant, ut totidem virtutes interpretentur, eoque & impunius peccent, & liberius, quo id facere se putant gloriosius. Scitum istud est, positis in mediocritate virtutibus esse vitia finitima: recti nos specie & umbra decipi, in fraudem induci: his crassis erroris, & ignorantiæ tenebris, a nobis pro vero falsum plerumque sumi, malum pro bono. quod fit non ideo solum, quia aut in rebus clarissimis parum admodum videmus, aur plus habet interdum mendacium probabilitatis, quam veritas; plus malum illecebratum, quam bonum; sed etiam quod, cum plus uno in unaquaque re verum, ac rectum esse non possit; mendacia autem & pravitates recto uni & vero sexcentæ adversentur; in illas incurrere, sit proclive, ad hoc pertinere, operosum negotium. Hic festivi oratores nostri quid agunt? Satis intelligunt virtutem orationis aut principem, aur in principibus, ut supra posuimus, sanitatem esse quandam. tumor hanc, velut bonam corporis habitudinem inflatio, aut adeps, imitatur: consectantur tumorem, valere jubent sanitatem. Alteram virtutem orationis robur esse consentiunt: acute dicta, sententiæ videntur habere non parum virium, quod ista punctim, hæ cæsim feriant: robur omittunt, roboris similitudinem arripiunt. Pulcritudo, ac decentia denique tertias, & quartas tenent: quid in speciem descriptionibus pictius, quid styli inæquabili distinctione aptius? ita si turgent, graodes sunt; si titillant, fortes; si spatiantur extra tem, floridi; si non æquales, neque sui unquam in dicendo similes, varii: ut jam tumori granditas, inanitati subtilitas, aberrationi ubertas, inconstantiæ varietas successerit. neque vero hoc tantum sui vel excusandi causa, vel consolandi loquuntur, sed etiam prædicandi, & gloriandi: nec se eloquentiæ tam alumnos, quam parentes, tam cultores, quam assertores, ac vindices dici volunt: nos, qui has delicias aut nescimus, aut non agimus, criticos, antiquarios, moris ac modi ignaros, & politioris humanitatis, si superis placet, expertes. Istis hominibus quid facias? ridebisne stultitiam cum vanitate conjunctam, an succensebis ob illatam contumeliam? neutrum, opinor. illorum ego errorem miserabor potius: simul & amice monebo, si laudes sibi has præcipuas & proprias volunt, venditare amplius, & ostentare easdem desinant. nam si mihi, homini, ut me vobis, auditores, indicem, tardissimo, stomachum moverint, ego tri-

bus

bus horis me & grandem isto pacto, & sententiosum, & fœcundum, & varium esse profirebor. quid tribus horis dico, cum virtutibus tantum comparandis indigeamus spatii, ad hæc autem vitia suapte sponte satis quilibet incitatus currat? Cedo mihi naturam elatiorem: tumebit. cedo cogitabundam: describet. cedo levem: variabit. cedo acrem, & morosam: acute omnia, & sententiose efferet. verbo dicam, cedo puerum, modo non plane hebetem, neque obtusum: is si, ubi prehenderit stylum, ac voluntati se suæ, vel studio potius, & cupiditati permiserit, non continuo in horum generum aliquod impingit, causæ nihil dico, quin non solum hoc mihi, sed ne aliud quidem in vita quidquam credatur. Hæc nimirum aut indolis, aut ætatis, aut morum vitia sunt, quæ effervescunt, & in orationem redundant; quibus, nisi sponte, ac subito defervuerint, maturior ætas, virtus severior, ratio consultior moderatur. Quæ quia magnam partem puerilia sunt, nihil habet admirationis, si a pueris amantur, & plausum ferunt, istique ei, qui afferat ita lucubratam orationem, perinde quasi sua recognoscerent in aliis, subrident, acclamant, gratulantur, eoque magis, credo, laudant, quod se idem assequi posse minus desperant. Ut enim hos pueros eosdem videmus, propter parem gustus & rationis infirmitatem, cupediis & dulciarii operis epulis, minus bonis, sæpe nocentibus, libentius vesci, ab escis saluberrimis refugere, quibus ali melius viri intelligant: ita nostri isti tum oratores, tum auditores, quos bonarum rerum, ac solidarum aut tenet ignoratio, aut satietas capit, aut etiam difficultas deterret, dulce illud suum, & quasi de musto, ac lacu fervidum, & novitate ipsa blandiens auribus dicendi genus maturo, firmo, defæcato anteferre non dubitant.

Malum habetis, & quantum sit, & quam specioso nomine defendatur. Causam nunc mali accipite. ex quo etiam clarius intelligetis utrumque, & mali gravitatem, & defensionis inanitatem. Contendunt, quod faciunt, non fieri nullo exemplo. nam se hæc, quæ nos damnamus, cum a Gallis recentibus mutuatos non negant, tum a veteribus Latinis ajunt imitatos fuisse. Ac de Gallis quidem quod non diffitentur accepisse, nostis hoc omnes, auditores, paucis abhinc annis, an mensibus, exortos esse adolescentes homines aliquot, qui cum vibrarent sententias, descriptiones infercirent, festivitates alias nescio quas frequentarent, exquisitius quoddam dicendi, & magnificentius genus afferre se putaverunt. Hæc cum primum increbrescere in Gallia elegantium & politorum juvenum secta ac natio cœpit; illico venit in mentem vereri, ne, ut nostra gens ficta tota est ad imitandum, qualecunque istud foret seu vitium, seu ornamentum, e Gallica lingua in Latinam temere communione quadam serperet. Ita factum: proque uno aut altero, qui sic Gallice scriberent, complures, idem qui Latine experirentur, certatim fere puncto temporis emerserunt. Qui si priores erraverunt turpiter; cui dubium, quin ii quoque posteriores in summo errore versentur? Sed id non ago nunc, neque disputo, utrum recte fecerint, an secus isti novæ dictionis, & ante hoc tempus inauditæ architecti, ac principes. illud tandem tam ridicule factum, tamque præpostere, ferre quis potest, scriptores Latinos a vernaculis scriptoribus regulam scribendi, legesque repetere? An vero, cum & Latinorum, & Græcorum omnium fontes nobis pateant, non alienum ducemus, mitto adolescentulorum, ac pæne puerorum, mitto recentium, verum muliebri sermone scribentium rivulos consectari? Atqui sic oportere, sic hactenus fieri solere accepimus, ut præter Græcos reliqui Latinorum se copia locupletarint; ac non ut Latini ex aliorum inopia aliquid corrogarint, nedum vitia e virtutibus expresserint. nam quis non videt hæc apud Gallos si minus in numero reponenda virtutum, ignoscenda certe esse, quæ habent excusationem vel necessitatis, vel utilitatis, vel jucunditatis, vel ornatus atque perfectionis? Si jejunam linguam alere plenioribus verbis voluerunt, necessitati tribuo: si levem firmare sententiis, utilitati: si mœstam condire descriptionibus, jucunditati: si inornatam, & uniusmodi, quoquo modo variare & excolere, perfectioni. Etenim constat inter omnes, patrio sermoni nostro extremam, quod ajunt, manum, atque fastigium nondum accessisse. Quod si qui præstanti quodam ac divino ingenio viri, huic imperio nati, imponerent; næ illi & gratum patriæ, posteritatique facerent, & immortalem sibi gloriam crearent. Quare hoc qui sibi sumunt, non modo a tam glorioso conatu, si quid promovent, non repellendi sunt, verum etiam, si nihil efficiunt, ferendi: propterea quod tanta in re est, vel eniti, aliquid; & eorum quoque, qui nihil proficiunt, exemplo, ad idem audendum, qui rem perficiant, excitari queunt. In Latinis vero quid est simile? quæ lingua gravitatis, dignitatis, auctoritatis plenior? quæ varietate, suavitate, illecebris abundantior? ad eamne fieri alicunde potest accessio; aut in apicem gloriæ sublata nondum est, & horum hominum nostrorum opem, ac manum implorat? tanta, mihi credite, majestas externum huoc comitatum non appetit: tanta forma bas cincinnorum fimbrias respuit: tanta præstantia opera vestra, atque industria nihil utitur; multo vero minus exigit, ut mera Latinis Gallica admisceatis, & candorem suum peregrino colore infuscetis. Nihil igitur agunt adversarii; imo causam perimunt suam, dum publicam Latinorum destituunt, qui se de iis didicisse non recusant videri, quos, si saperent, docere debuerunt.

Quanquam non Gallorum novorum tantum facto se, verum etiam, multoque id impensius, veterum Latinorum defendunt. Quorum videlicet? eorumne, quos beata illa, & nunquam satis laudata ætas tulit? Minime: sed & recentium ab hac ipsa ætate, & posteriorum, qui annis consecutis multis excelluerunt. Intelligo, auditores, quam difficilem, & quam lubricum in locum compellar invitus etiam tum, cum finem ad vos dicendi fieri tempus est. Gravis enim est ita oratio: Ita Senecæ ambo, ita Plinii ambo, ita Flori, ita Taciti scripserunt, ita laudationum, & suasionum auctores. Quamobrem horum mihi aliquod unum necesse video, ut aut id præcise infitiando tollam, aut novam hanc antiquitatem coarguam, aut ne

sic

ſic quidem, qualiſcunque ſit, imitandam evincam. Quid ergo? refellam ita veteres ſcripſiſſe? longum eſt. contendam male ſcripſiſſe? durum eſt. negem, cuicuimodi ſunt, effingendos fuiſſe? ſi probi ſunt, ut videtur, cauſa non eſt. Rem nunc in medio relinquam, neque ullum meum judicium interponam. erit aliquando fortaſſe tempus, cum id, quod compreſſum animo jamdudum teneo, veritas exprimet, neceſſitas extorquebit. Tantum veteres ipſos, quibus auctoribus iſti ſcilicet fecerunt omnia, rogabo ſententiam. Excitemus igitur non unum e ſchola aliquem, qui lucem fori non aſpexerit; non e foro, qui nihil palæſtræ, & olei habuerit; ſed verſatiſſimum in utroque munere, & in umbra, atque acie Quintilianum. qui ſi ad dicendum ſurrexerit, non dubium, quin ſic loquatur. Ain tu, quiſquis es, noſtrum te ævum præter cetera tibi propoſuiſſe ad imitandum? Quid eſt, cur prius & tempore, & dignitate non imitere? quid eſt, cur poſterius, etiam in eo ipſo, in quo poſterius eſt, imitere? Neſcis, cum vitia multo, quam virtutes, exprimantur citius, optima quæque intuenda exempla? neſcis, quod ſemper ſit, qui imitatur, inferior, ut qui ſequitur, poſterior, te, ſi potiores imitarere, eſſe nobis parem poſſe; dum imitaris nos, non niſi inferiorem eſſe oportere? Dicendi mutavimus genus. ultra nobis, quam oportebat, indulſimus. nos nimia cultura in deterius abduxit, affectatio nimia depravavit. Ego recentem hanc laſciviam, deliciaſque, & omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ compoſita, non probari mihi, præ me ſemper tuli. ego corruptum hoc, & omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad ſeveriora judicia contendi. Ego hujus generis anteſignanum Senecam, quem vos in amoribus nunc habetis, quem tanquam numen obſervatis, cum ſolus hic fere tum in manibus adoleſcentium eſſet, non omnino quidem excuſſi, ſed potioribus præferri non ſivi. Et vero hos iſte non deſtiterat inceſſere, quod diverſi ſibi conſcius generis, placere ſe in dicendo poſſe iis, quibus illi placerent, diffideret. Sunt in eo quippe, ne ſis neſcius, corrupta in eloquendo pleraque, atque eo pernicioſiora, quod abundent dulcibus vitiis. velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet, conſenſu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Auditis, auditores, quid optimus intelligendi, ac dicendi magiſter de ſua iſta ætate ſentiat: an hunc oratorio more loquentem induximus, & ſermonem ipſi arbitratu noſtro affinximus? Ego vero non modo nihil prope ſententiarum de meo appoſui, ſed verba pleraque omnia retinui: nec quid loqueretur, pro tempore divinavi, ſed, quid olim ſit locutus, vocibus fere totidem retuli. Ex quo omnino liquet, quæ duo initio refugeram attingere, ſecundum me eſſe ipſa veterum confeſſione deciſa, neque bonam illis temporibus ſcribendi formam viguiſſe, neque, ut bona eſſet, continuo imitandam, cum fieret melioris copia, fuiſſe. Quod ſi in illa ætate, quæ propius abeſſet ab optimo, tantum jam inerat ſordium, atque fæcis, quale tandem de reliquis ætatibus, quæ nimium quantum, labe ſemel facta, deſederunt, judicium eſſe veſtrum debet? Quid relinquitur, niſi ut de eo, quod primo loco propoſui, quoniam id ſolum eſt, per me ipſe tranſigam, neque amplius pronunciem. quamvis enim iſti, quantum intelligo, qui provocant ad veteres, & horum ad normam ſe locutos dictitant, non ſerio hoc, ſed joco, & dicis cauſa afferant, neque ſibi tam ad bene ſcribendum idoneos auctores parent, quam ad excuſandum, ubi male ſcripſerint, non penitus alienos ſuffragatores: tamen juventutis intereſſe arbitror, illos ne hoc quidem perfugii habere, neque hæc imperitis, & credulis dare verba poſſe: Eſto, veteres illi non imitandi fuerint, non probi; ſecuti tamen ſumus, nec, ſi quid erratum eſt, ſoli, nec primi erravimus. De quibus ſi primum ſic quæram, utrum perlegerint, quoties, prorſuſne intellexerint, quorum ſe exemplo tuentur: faceſſam negotium fortaſſe verecundis hominibus, & amicis veritatis. Sed his non urgebo, neque tentabo horum pudorem, ac modeſtiam, quorum eſt nomen notum, celebreque in vulgus. Sciſcitabor iſtud potius, an virtutes expreſſerint veterum illorum ſuorum; an vitia ſola, non plura: virtutes, quibus errata compenſare ſua poſſint: ſola vitia, ne ſaltem deteriores imitando evaſerint. quorum alterutrum ſi deſit, non video, cur veteres in partes trahant, & ſuam, cum illorum, cauſam conjungant, & quam eos vere ita ſcripſiſſe dicant. Atqui de primo dubito, neque, alterum cur facile credam, habeo: imo ſic intelligo, ſic ſtatuo, cum Latina eloquentia non articulo temporis præcipitarit, ſed quibuſdam gradibus ab ſummo ad imum pedetentim deſcenderit; ſuum cuique ætati, ut gradum deſcenſus, ita vitium fere unum non amplius fuiſſe: in ætate autem noſtra, qui ad ſupremum fato neſcio quo rei literariæ devenimus, una omnia ætatum omnium vitia hæſiſſe. Perinde quaſi, ubi, deteriore ſtatu ut eſſet, nihil haberet inferius; præteritæ memoriæ gradus cunctos replicuerit, eiſdemque uno, & eodem tempore inſtiterit. Ac videte, quam non temere, & quam brevi confirmem. Si inclinantem eloquentiam, & quaſi occidentem ſuis perſequi non veſtigiis, ſed ruinis volumus, ſic reperiemus, præcipuas viciſſitudines, ac tanquam in curriculo flexus quaternos eſſe, aut etiam caſus; quos, ſi lubet, notare licet exemplis. Degeneravit optimus orationis habitus, ſalubritaſque primum in tumores, & hyperbolas, nihil ut non modo vere, ſed ne credibiliter quidem dici videretur. Tum fuit hoc tempus, cum non quicquam aliud mirandum, ac jucundum ad aures animumque accideret, niſi quod dictum acute eſſet, & omnium operum virtutes ſolæ, quod ait locuples auctor, ſententiæ putarentur. Deinde ventum ad juvenilem quandam, & profuſam luxuriem deſcriptionum, quibus totæ confertæ, & plenæ paginæ, magna volumina redundarent. Poſtremo perverſiſſimo comparatum more fuit in illa Gothorum, ac Vandalorum colluvie, in iſta ſeu philoſophorum, ſeu theologorum, recte quidem ſentientium, ſed non ita accurate, cogitateque loquentium licentia, ut quilibet ſtylum ad libidinem procuderet, ac ſi, quid vellet, intelligeretur, perfectum ſibi opus eſſe cenſeret. Hæc ipſa

au-

autem vitia singula quid sunt aliud, nisi quæ nostram ætatem universa infestam habere jamdiu queror, vos doletis, auditores, sat scio, ac ne longius serpat malum, quantum est situm in vobis, providetis?

Neque enim existimandum est, neque id volo, neque hæc eo pertinuit oratio mea, in perditis ac desperatis sic esse vim omnem oratoriam, ut popularem hunc morbum, quamvis gravem, & mortiferum, nemo declinet, advertat nemo. Sunt, quos ego meo jodicio, cum veterum scriptorum laude, aliqua ex parte, conjungam. sunt, qui suadam illam, optimam parentem suam, antiquam dico, ex communi literarum incendio eripiant. sunt, qui eripere non nolint. Hos, & hos amplector, laudo, hortor, audeant, pergant, extorrem pridem, & ab hominum etiam literatorum longe maxima multitudine dimissam Romanam eloquentiam vel revocent, vel retineant; cum paucis magni eam facere, scienter adhibere, quam cum multis ignorare prorsus, aut vituperare malint. Sic namque persuadere, academici, vobis, non nunc ita nobiscum agi præclare, ut virorum bene, & ex veritate has præsertim literas æstimantium majorem copiam habeamus, quam eorum, qui ea studia tota damnent, atque a se amittant, quæ se consequi posse diffidant. Ad paucorum vos numerum aggregate, & suspectam vel ea re vim eloquendi habete, ad quam greges imperitorum convolant, quam suspiciunt, quam venerantur. Mutata ratio est. abiit tempus & dies, cum idem ignaris, idem intelligentibus placeret orator. primum quando viva, & nota omnibus lingua: deinde cum de se potius quisque, quam de oratore judicium habebat, ac bene tum dixisse credebat, cum vi verborum, ac sententiarum ad credendum, quod is dixerat, inductus erat. Vetus illa est oratio, quæ obsolevit: suum cuique stylum esse: serviendum rebus, non verbis: satis quemque probe dicere, qui quod probe intelligatur, dicat. Nova jam hæc, nihilo melior, vox passim auditur: parendum tempori, mutatis moribus, mutandam dictionem: palatis delicatissimis istis, qui recte dictis fastidiant, pulpamenta quærenda, etiamsi minus firma, minusque alimenti habentia: decipiendos, siquidem decipi volunt, auditores. Contra venenatas has opioiones, profligatumque morem remedium hoc præsentissimum esto. accessus ad priscam ætatem, tanquam ad purioris eloquentiæ footem: a nostra, velut a turbido lacu, qui non fluat, aut lutulentus fluat, recessus. ista se ætate metiri; ista comite, ista duce uti: ab hac, re, judicio, voluntate dissidere. Quare si recte sapitis, deponite, academici, e manibus plebeios, minutos, subitarios, ad captum muliercularum, & fatuitatem accommodatos unius diei libellos, qui ætatem ipsi ferre non possunt, vestra abutuntur. Ne veteres quidem illos admodum curate, inter nostrum tempus, & Augustanum interjectos, Augustaoo propiores, qui quamvis probatæ sint ætati proximi, longo tameo debent intervallo videri proximi. Contra vero certatim in sinu, in manibus, in oculis perfectæ eloquentiæ custodes, parentes, Deos, per quos nullo deficiendi periculo proficiatis, ferte. Hi primas, hi secundas, ac tertias suffragio vestro, & judicio apud vos teneant, qui apud omnes bene sanos rerum æstimatores, merito jam suo obtinuerunt. Quos ubi perlegeritis, & imitati non ossa solum, sed etiam succum, & sanguinem fueritis; non modo non veto, quo minus ad ceteros quasi minorum gentium scriptores decurratis, sed vereor valde, ut ne lectione quidem, atque aspectu dignos putetis. Certe si demittitis eo vos, nulla deinde jactura temporis, nullo damno vestro facietis, nec jam ut discipuli, discendi causa, sed ut censores, ac judices, recognoscendi gratia accedetis. De me si persuasi, si quem illius antiquitatis amorem in animis vestris, si quod odium novitatis hujus excitavi: plus me nunc sane, jam inde ab hoc studiorum ingressu, quam ut consequi anno toto possim, profecisse arbitrabor. Sio minus: neque mihi laboratum frustra credam; & hoc satis habebo, dum veterem eloquentiam ornavi, reprehendi novam; detraxisse laudem, cui non conveniebat; tribuisse, cui oportebat.

ORATIO QUARTA.

Eloquentiæ studium poëticis, & Græcis studiis egere.

Fixa Andegavorum XIV. *Cal. Novemb.* CIϽ IϽ CXXXVII.

NOVUM nomen, viri humanissimi, adolescentes lectissimi, & abhinc annis paucis auditum, jactari nunc in scholis, & increbrescere, vimque in dies obtinere eo majorem audio, quo magis delicatæ juventuti videtur favere, plusque dignitatis cujusdam habere pariter, & indulgentiæ. Inter enim cultores, & alumnos artium humaniorum, maximeque eos, qui recentes huc ad nos, ex inferiore loco, & gradu venerunt, quique modo limen ingressi eloquentiæ sunt, immunitate quidam gloriantur, dici immunes, immunes haberi volunt. Quas ego voces, magnificas in speciem sane, atque illustres, cum auribus accepi primum, &, earum quæ vera vis esset, ac potestas, cum meam, tum peritiorum intelligentiam excussi, communemque usum consului: nihil, præter mercedem laboris, ac præmium virtutis, nihil, nisi corona duces, aut rude gladiatores, aut multis jam confectis stipendiis, missione, ac rerum omnium vacatione milites donatos, subesse comperi. Postquam autem patefactum est, quam verbis his notionem, & sententiam quotidianus, & familiaris scholarum sermo subjiceret, tacitæ cogitationes multitudiois imperitæ puerorum attribuerent: sic statui, sic mihi persuasi, rem unam omnium perniciosissimam saluberrimo, turpissimam gloriosissimo nomine velari. In quo si hoc mali tantum esset, quod parum vocabulum conveoiret rei: vel studiosos admonendos, ne honoris appellatione ad vitii significationem abuterentur, vel, ut agi quam severe vellem, grammaticum, qui perperam posuisset nomen, arte sua removendum putarem; de

ipſa re amplius verbum non facerem. Sed quoniam animadverti, optimis ſtudiis, & diſciplinis rem non minus adverſari, quam contrarium nomen eſt rei: eam vobis ponere totam placet ob oculos, quam furtiva origine, quam audax progreſſu, quam maturitate ipſa, & abſolutione ſui turpis; qoam ſe autem futili, quamque oulla, quovis tempore, & ſtatu, excuſatione defendat: ut ne magis appellatorem pudeat, huic literarum peſti nomen immunitatis dediſſe, quam nonnullos, qui literas profitentur tamen, pigeat, eam ut ament, foveant, oſculentur, adduci ulla ratione potuiſſe.

Principio igitur cernere puerulos licet, quemadmodum ingenio, atque conditione ſæpe quidem diſpares, at naturali utriuſque linguæ, qua fons omnis eruditionis continetur, inſcientia pares, deducantur a parentibus ad grammaticos, & in ludum diſcendi cauſa ventitent: moxque rurſum, ſicuti operam, & ſedulitatem io ſtudiis adhibent diverſam, ita gradibus, proceſſuque cognitionis, & ſcientiæ, inter ſe longe diſſimillimi fiant. Quatuor enim, aut quinque annorum ſpatio, dum ſolertiſſimi quique, & omnis officii diligentiſſimi recta iter ingrediuntur ad ingenuas, & homine libero dignas artes, fierique ſtudent quotidie & aliis, & ſeipſis doctiores: ecce tibi inertes, ac deſidioſi nugatorum greges, qui ſive inopia conſilii, ſive perverſitate voluntatis, ſeu laboris fuga, corpus, atque animum ſubducant, & furentur operi, tempus apinis, triciſque eximant, muneris diurni, ac menſtrui partem utcunque perſolvant, parti omnino deſint, ac ne multa, ſeipſi cura, contentione, vigiliis liberent. interim doctor vel propter eorum multitudinem, qui ei in diſciplinam traditi ſunt, minus advertere, vel propter iſtorum imbecillitatem ætatis, indoliſque tarditatem connivere. hæc hujus immunitatis primordia. Poſt ſenſim ubi confinem eloquentiæ gradom attigerunt, propiuſque a nobis, & communi ſolum pariete dirempti, abſunt: qood grandior ætas licentiam, major rerum diſcendarum moles prope deſperationem afferat; vix illos ceſſarionis jam inveteratæ, atque otii conſuetudo occupationibus graviſſimis ſuis in præſens tempus reſpondere, nedum præteriti ſarcire jacturam, finit. Itaque quod nolebant antea, nunc non poſſunt: quod celabant, nunc oſtentant: quod impune, ſi palam erat, interdum non ferebant, ſe uſu cepiſſe, & jure quodam ſuo ſibi vendicaſſe exiſtimant. hactenus de incrementis immunitatis. Accipite vero, ut ab humili ducta, paullatimque progreſſa altius, quod jam declaravi, ad ſummum tandem, oixa vi & propria, & aliena, evaſerit. facinus oppido perridiculum, atque ejuſmodi, ut non ante fidem adjunxerim, quam oculis, atque experientia comprehenderem totum, ac manifeſto tenerem. Quemadmodum qui in ſacris doctrinis, aut juris prudentia, aut in facultate quadam principe medendi, quantum ſatis eſt, profecerunt, ii virorum conſimili arte, & ſtudiis præſtantium ſuffragiis, ac voce doctores creantur, idque ſcripto, & publica auctoritate teſtatum volunt: ſic noſtri iſti otii potius, quam literarum alumni, ſimul atque poſuerunt hic pedem, in hoc eloquentiæ ſanctiſſimo templo, ſanctiſſimo aſylo, immunes, & ab diſcendi moleſtia ſoluti, ac liberi pronunciari, ſuamqne inſcitiam literatorum hominum aſſenſu comprobari, ſignoque firmari petunt, atque exorant. Quamobrem ſi quando, ut fit, ceteri ſpecimen dant eruditionis, idemque iſti viciſſim, ut edant, togantur; indicem, ac teſtem imperitiæ ſcidulam, tanquam obſidem atque pignus, ſeu quoddam quaſi diploma, & obſignatas tabulas proferunt: eumque verſiculum inde, hoc fere exemplo, Martinus Aſinius a Græcis immunis eſto, aut, Mathurinus Cantor immonis a carmine eſto, aut io eam ſententiam aliquid ejuſmodi perlegendum obtruſerint; non ſe modo ſecuros, ac munere uno aliquo perfunctos, ſed etiam emeritos in perpetuum, victoreſque, ac triumphales putant. Hic ego, auditores, quid loqoar, quidve ſuſpicer, aut quæ tandem cauſa eſt, cur iſtud neſcio quid vel veniæ, vel beneficii & gratiæ ſanciendum voce, ſcriptiſque mandandum tantopere curent? utrum adoleſcentes minime mali metuunt, ne ſibi non credatur ſatis, aperte, & ultro de ignorantia confitentibus: an hoc tam præclarum, tam inſigne ad laudem induſtriæ, atque ingenii elogium extare, prodique poſteris geſtiunt? Cavent, opinor, ſibi, ut, ſi quis hoc illos opimo fundo dejicere lite, atque judicio velit, poſtuletque vindiciarum, agere cum eo poſſint ex ſyngrapha, & jus novum ſuum retinere neſciendi. aut potius, quod intelligant apprime id in vita eſſe utile, ne quid nimis; veriti, ne plus æquo quid ſapiant; ne addiſcant, conſultiſſimum, atque e re ſua futurum exiſtimant, paciſci. Quinam ergo, ut paucis complectar, ſumme, perfecteque immunes? qui aliquid neſciunt, qui minime diſcunt, qui diſcere aut nolunt, aut non queunt, qui ſuam hanc inſcitiam palam edunt, & conſignant monumentis, qui uſque eo faciles, & grati ſunt, ut lectiſſimam conditionem ſibi oblatam, munus conceſſum ampliſſimum, ſingulare jus obtentum interpretentur. Quæ immunitas? inertiæ perfugium, imbecillitatis iovolucrum, ignorantiæ profeſſio; verbo dicam, monſtrum, cui ſocordia parens, nutrix indulgentia, dux error, comes ignominia. Obſecro enim, auditores, quid ſimilius monſtri, magiſque ex contrariis, ac pugnantibus inter ſe naturis conflatum, quam ſcholas, ut diſcas, pactionem, ne diſcas, inire? quid? diſcere nolle; quid? diſcere non poſſe; quid? utrumque præ ſe ferre, nonne monſtrum eſt? Etenim ſi comparatum ita eſt, ut homo nemo veri videndi non feratur ſtudio, non flagret, atque ardeat cupiditate ſcientiæ: an non fatebimur, qni minimis igniculis, a natura paſſim datis, caruerit, aut aculeos, quibus tardiſſimi quique incitantur ad inveſtigationem rerum occultarum, & admirabilium, excuſſerit, nihil illum hominis in humana ſpecie, ac figura habere? Jam cum nulla nobis ingenerata cupiditas ſit, quam explere & ſatiare non liceat quoquo modo; propterea quod neque unquam eſſe natura fruſtra, neque fruſtra quoquam impellere videatur: quid aliud eſt, diſcere non poſſe literas, niſi non ſolum tardum, & hebetem, & obtuſum eſſe, verum etiam prorſus rationis, naturæque communis expertem? Quapropter ſi recte ſapimus, adoleſcentes, omittamus ſuam iſtam immunibus immuni-

ta-

tatem invidere. appellentur ſane per nos immunes; ſed ita, ut apud omnes gentes mulierculæ, quæ publicæ rei adminiſtratione dejectæ, ad privatæ & familiaris cuſtodiam compinguntur, atque anguſtias: aut ut apud pleraſque ſervi, quibus arma ferre per fortunæ humilitatem nefas eſt: aut ita, ut apud noſtrates perditi nepotes, ac profuſi, quos per jocum ab omni recto vulgus immunes uſurpat: poſtremo ut apud poetam odioſiſſimum muſcarum alieno viventium genus, fuci; *immunisque ſedens aliena ad pabula fucus.*

Atenim durius omnino, quam decuit, rem totam interpretati ſumus. non enim a diſcendo abſtinendum cenſent, ſed in diſcendo quatenus progrediendum, conſideraut. neque nihil ſcire volunt, ſed omnia ſcire nolunt: neque ſe varia erudirione privare, ſed in tam multiplici delectum habere. Præter cetera ſolutum & pedeſtrem ſermonem, eundemque Latinum amplectuntur: unum, alterumve rejiciunt. Ecquando Helvetios legiſtis, aut audiſtis, regibus quidem noſtris operam locare ad bellum, ea lege tamen, atque conditione, ut urbes neque ſubita vi, & impreſſione facienda capiant, neque obſeſſas circumcluſi defendant? Reſiſtere fortiter, & apertre norunt, audacter aggredi non item. hoſtem ferre poſſunt, famem non poſſunt. qui obſidionem tolerat, videri cum inedia potius, quam cum hoſte certare. qui facto impetu urbes oppugnat, cum ſaxis, atque muris, non cum hominibus rem habere. utrumque ſe peræque odiſſe. Par huic, & geminum noſtrorum tironum factum, qui non omnem bellandi conditionem, non omnia hoſtium genera admittunt. nominatim enim excipiunt duo: poetica, Græca. Quo modo? poetica nolunt, Græca non poſſunt. Nolunt poetica? faſtidioſi. non poſſunt Græca? delicati. Nolunt poetica? At voluerunt pontifices, voluerunt imperatores, voluerunt reges, ductores belli, rectores civitatum: voluerunt philoſophi, medici, juriſconſulti, theologi, oratores. nullus enim virorum principum ordo eſt, nulla liberalis facultas, in qua noo poetam etiam unum aliquem nanciſcar magnum, & excellentem. Quod ſi neque illi dignitate, qua præditi ſumma erant, neque hi ampliſſimis, quibus diſtinebantur, occupationibus, ac ſtudiis alienam artem poeticam duxerunt: quid moroſis iſtis adoleſcentulis facias, quorum ad ſtomachum legibus, & numeris adſtricta non facit oratio? Non poſſunt autem Græca? At poſſunt Italica, Hiſpanica, Germanica, Belgica, Britannica, ſordes, & infimam fæcem ſermonum. quæ denique tam externa, tamque barbara lingua eſt, quam vel legationum, vel mercaturæ, vel animi gratia Gallus homo non addiſcat? Ac ſi ſatis haberent dictionem tum verſam, tum Græcam abs ſe dimittere ſilentio, nec ullas, cum idoneis careant, facti ſui cauſas jactare: eſſent illi quidem pro noſtra erga eos benevolentia admonendi, qui duplici ſe, tantoque ornamento ſpoliarent: ſed tamen eſſent, ſi perſeverarent in eodem vehementius, ferendi, qui ſibimet ipſis injutiam facerent, nocerent præterea nemini. Cum vero ad alia omnia ſe totos convertant non ſine contemptu, notaque harum literarum, quas aut inutiles eſſe criminantur, aut in ſumma verſari difficultate expoſtulant, quibuſque aliud antevertendum negotium putant: non huic modo, qui auctoribus obſit ſuis, errorem eripere, ſed omnem illis, ne exemplo noceant, fidem, & auctoritatem imminuere, atque abrogare debemus. Nolumus, inquiunt, poetica. quorſum? propter inutilitatem. Non poſſumus Græca. quid ita? propter difficultatem. quod utrique ſtudio temporis tribueremus, id facilioribus literis, magiſque neceſſariis reſervamus. Videtiſne fieri cauſam ipſa defenſione deteriorem, &, ſi non probabatur antea factum, nunc excuſationem eſſe facti accipiendam multo minus? Atque ut de eo dicam prius, quod videtur indignius, quæ, malum, ſtultitia eſt, uno hoc nomine, quod nulla hic, aut pertenuis merces oſtendatur, aſpernari, ac reſpuere poeticam, quæ aliis tot nominibus amore ſe dignam, & veneratione præbeat? Parumne vobis, homines mercenarii, reſpondeam, ſi neceſſitate, atque utilitate, & magnarum artium ſcientiam, & omne vitæ inſtrumentum metiri oportere negem? In ædificiis, in veſtibus, in conviviis, in cetero humano cultu quid relinquitur, aut quam ruſticam, atque incomptam parſimoniam in mores noſtros inducimus, ſi ſolius commodi, atque uſus habendam rationem, nec quidquam operæ navandum gratis defendimus? quaſi vero occupare utilitas omnia, ac non ſuus jucunditati, non honeſtati ſuus, & rebus utriuſque efficientibus eſſe aliquis locus debeat. Quis porro ſic egit unquam, ſic omnia quæſtui habuit, ac tam duram, tamque iniquam hominum generi, & elegantibus ingeniis, novi in dies aliquid ex ſe efferentibus, conditionem ſtatuit, ut neque ſuſcipiendas, neque retinendas, & colendas artes putarit ullas, niſi quas lucri aliqua ſpes, & emolumenti illecebra commendaret? iſto enim pacto & liberalibus doctrinis, atque homine ingenuo dignis nuncium remitteremus, & ad feram, agreſtemque Mahumetanorum, ac barbarorum vitam ſponte delaberemur. Sed quid ego hæc ita diſputo, quaſi nihil fructus mortalibus manſuetiores muſæ, Parnaſſique montis arbores ferant: cum eas oſtendere facile poſſim non minus uberes pomis, quam umbra, & viriditate foliorum amabiles, & nunc eſſe, & ſingulis olim ætatibus extitiſſe? Primum enim, ut de multis pauca ſtrictim carpam, atque delibem, ſi profana, ſi impura ad depravandos mores poeſis tantum habet roboris, & corruptelarum, quantum omnes novimus, plerique malo magno ſuo ſenſerunt, ipſi mali artifices fatentur: nihilne omnino ad informandos, aut etiam corrigendos ſacra, & pudica, & pudens valebit? Deinde non eſt exiſtimandum, auram hanc cœleſtem, ac divinam, quæ ſola, ſi quem ſemel natura afflaverit, poetam poteſt efficere, dare, uti dat, certiſſima, & clariſſima magnæ indolis, magni animi, magnique ingenii indicia; efficientiæ præterea nihil habere. mentis, mihi credite, tarditatem incitat, jejunitatem alit, vim acuit, induſtriam ad ſumma omnia rapit. Quid illa, adoleſcentes, contemnendane vobis videntur eſſe, quod ad intelligentiam veterum ſcriptorum, ad cenſuram, & æſtimationem recentium non mediocriter coofert? quod pronunciationem adjuvat, & ita adjuvat, ut ſine arte hac non dicam decore, ſed ne emendate quidem pronuncia-

re quisquam possit? Quæ cum ad usum sint & optima, & plane necessaria, tum hoc quantivis profecto pretii est, quod verbo tetigit dicendi juxta, & intelligendi gravissimus auctor, & magister Aristoteles, ab aliis, qui sermone tractant aliquid, ea re poetam differre, quia isti in quovis argumento singulare quid, & unum sibi propositum habent; hic universale spectat, atque contemplatur. quod quid est aliud, quam ceteros rem nudam, & solitariam, quanta, qualisve per se est, certe quantum ad finem peculiarem quempiam interest, declarare: poetam rem ornamentis quasi publicis convestitam, omnibus artis coloribus depictam, qualem esse, & quantam deceret, exhibere; seu potius ideam quandam, atque speciem, formamque pulcri universam, qua expressior nulla possit esse, nec insignior, effingere? ita reliqui, quantum expedit; hic quantum placet: reliqui alterius rei causa; hic propter hoc ipsum bene dicere profitetur. Cedant ergo rerum creatarum, cedant gestarum historici; cedant, qui hoc quoque, quod agimus, agunt, orationesque conscribunt. primum quidem munus est vim naturæ exponere: alteri hoc suscipiunt, ut veritatis fontes aperiant: postremi opus habent perfectum, si quod sit ad persuasionem satis, expromant. at naturam poeta, si quid in ea vitii resident, emendat: veritati, si quid excogitari potest splendidius, atque ornatius, affingit: persuasione non contentus, sui quæque generis optima, quæ cunctis admirationem moveant, non modo approbationem, efficere imitando molitur, neque usquam, nisi in absolutissima suis numeris, ac partibus, honestatum omnium, & dignitatum effigie conquiescit. Quo minus audiendi, qui solos hos fines, exiguos sane, atque ignobiles poetæ præstituunt, aut inventa fabularum, aut quandam quasi comprehensionem numerorum, aut voluptatem aurium: cum præterquamquod mores imbuit, id quod supra dixi, aut prudentiam, quam adjuvat, aut cognitionem, quam auget, finis ei loco assignare jus, & æquum, vel fortasse multo rectius sit. Quod si ita est; haud equidem scio, utrum magis tum damnandus Plato, si poetas ad unum omnes e sua civitate per ignominiam ejecisset; an ii nunc ridendi, qui invehuntur in Platonem, quasi ea vigilans locutus sit, quæ ne forsitan quidem in somnis vidit. homines incauti videlicet non advertunt, eos modo poetas, qui falsa de divinitate, qui virtutibus, integritatique morum parum consentanea protulerint in medium, cum bona tamen gratia, dimitti; etiam magno honore propter artis, in qua versantur, præstantiam affectos; magna humanitatis, & benevolentiæ significatione deductos: qui vero narrent non inaniter, qui delectent non turpiter, qui omne semper studium, atque omne, quod summum in illis esse solet, ingenium conferant ad cœlitum, heroum, virorum illustrium gloriam, laudemque celebrandam, tanquam pios, gratosque & honorarios cives, & de dignitate patriæ bene merentes, meritutosque, retineri.

Esto; reprehendantur ii jure, poetica qui nolunt: cum id duntaxat voluntatis, non ullius operæ opus esse videatur. Verum quid iis succenseas, Græca qui non attingunt? neque enim possunt. Quidni possunt? ob multitudinem præceptionum? at paucæ sunt. ob inopiam præceptorum? at multi sunt. linguæ eos copia conturbat? varietas scriptorum deterret? quamvis sit, ut est, prope infinita Græci sermonis ubertas, qui tot verbis dives, tot locutionibus: novimus tamen, si circumcidere, & amputare multitudinem minime necessariam, & materiem, quæ se nimium profudit, velimus, quam paucas ad radices omnis hæc vocum, aliarum ex aliis pullulantium, sylva redigatur. quæ lex autem, quominus scriptores aliquot ignorare, non legere liceret, unquam sanxit? Itaque qui rei difficultatem excusas, vide, ne tua tibi incuria, atque pigritia accusanda potius sit. imo etiam atque etiam considera, ne tu contra nolle te Græca, non posse vero poetica, dicere non injuria debeas. Iste mos est hominum, auditores, sive temeritate loquendi, seu agendi malitia invectus, nequaquam certe vanitatis expers, ut aiant se nolle, quod non possunt, negent se posse, quod nolunt. Quod pro certo jam habetur, excitari poetam, rapique, si non divinitus, at majore vi aliqua mentis, atque instinctu; poeticam parum artis, naturæ plurimum habere, ac bonitate quadam constare ingenii; facile plerique adducuntur, rem ut tantam se sua voluntare repudiasse jactent; ne quis eos assequendi desperatione, consilium persequendi abjecisse putet. Item quoniam in percipiendis Græcis aut sola, aut una maxime pollet assiduitas, quam est adhibere cujusvis; dissimulant id se posse, quod valde gloriosum non est perficere. In quo alterum cavent, ut non ingeniosi ne videantur: alterum non recusant, quominus non laboriosi habeantur. Si fateri tamen, quod res est, volumus, quis non videt, aut quis ignorat multo esse credibilius, propter inertiam Græca, propter impotentiam poetica relinqui?

Tametsi cur quisquam difficultate carminis præpeditus nihil operæ navare possit, aut otii dulcedine abreptus persequi Græca nolit, nihil admodum video. quæ vero ad utrumque invitent, ac pæne cogant, ea & mihi ante oculos multa versantur, & vos videre nonnulla, adolescentes, & mecum recognoscere potestis. Age quisquis es, quem lex versuum, & nostra ista numerorum severitas terrent, si poema abs te eximium quoddam, & longum, & varium, & divinum postularetur, esset fortasse, quod hæreres, ac tergiversarere, tuisque ipse viribus, in tantis angustiis ætatis inexercitatæ, in tanta penuria styli, & experientiæ, diffideres. magna res in eo, in quo nihil nimium, satisfacere: Homericum opus, aut Virgilianum condere: apposite dicere non ad hominum rudium intelligentiam, non ad curiosorum delectationem, non ad permotionem inexorabilium, verum ad omnium, quicunque sint, admirationem. Quantulum autem id est, quod tibi, ut nunc res sunt, imponitur? pusilla, non inepta, diligens, & ex communi grammaticæ disciplina, præscriptoque elaborata scriptio. quod ad pedes, atque syllabas, offensio nulla, nullum mendum. aliqua cum in verbis granditas, tum festivitas in sententiis. imitatio etiam veterum, non illa expressa, & solida nervorum, ac virium, sed adumbrata quædam, rudisque lineamentorum.

de-

denique in omni genere & argumenti, & versuum mera mediocritas; in quam incumbere, ludus est; qua defungi tamen, victoria: ad quam nemo non pervenit, nisi qui eo contendere noluit. Hoc dico amplius, quod & usu didici, & ratione confirmare possum, quoque uno jejuni, & angusti animi, ac suis rebus diffidentes, si qui sunt, sublevari maxime arbitror, nihil ferme tam elegans, tamque laudabile, in hac quidem palæstra, & celebritate gymnasii, ab ingeniis præstantissimis edi, quod idem ab adolescente mediocriter ingenioso, si laborem conduplicaverit, non proficiscatur. Quid enim magnum parit hæc vix adulta ætas, vi mentis, atque acie quam voles freta, cui nondum corroborata vel tempore, vel disciplina ratio, quæ consilio, quæ experientia deficitur, quæ nihil majoris rei, nisi alterius impulsu ac ductu, neque suscepit adhuc, neque confecit? Cur igitur hac spe, & fiducia puer non periculum faciet sui? non dabit specimen industriæ? aliquo esse inter æquales numero cum possit, esse nullo præoptabit?

Perge porro, quo jure Græca, quo exemplo non vis? Si jus est, ut, quo quidque magis excellit ceteris, eo religiosius colatur ab universis, & sanctius: cui dubium, quin summo in honore, ac pretio habendæ Græcæ literæ sint, quæ, sive rem multiplicem, in qua versantur, sive accuratam, & politam orationem, qua utuntur, spectes, primas non dignitate minus, quam tempore, omnium intelligentium judicio, tenent? Unde nobis enim, quæso, nisi a Græcis, dialectica, physica, mathematica, rhetorica, medica, moralia, politica, graviorum artium omnium principia, incrementa, absolutio, perfectioque? a quibus hæc aut inventa felicius, aut disputata subtilius, aut uberius explicata? quæ lingua locupletior dictione, plenior scriptorum, diuturnior tempore? Et quidem cum testis copiæ vel optimus noster ille Cicero sit, qui Græcam linguam copiosiorem videri, quam Latinam hominibus Romanis, dicat; licet ipse contra sæpe non tam sentiat, quam studio, & amore patriæ disserat: tum vero ambigi non potest, quin si denis scriptoribus Græcis, tanquam convivis, Latinus scriptor unus, velut pocillator apponatur, decades Græcorum multæ pocillatorem requisituræ unum aliquem suum sint. Jam floruisse hunc istum sermonem mille & sexcentos annos amplius, si rationem temporum bene subductam, constitutamque habemus, intelligimus. ut Græcam nationem gentes fere cunctæ vicerint, Græca lingua de cunctis gentibus triumpharit. Ex his quid consequens est primum? linguam Græcam, seipsa contentam, aliunde nihil aut opis, aut ornamenti expetere. quid deinde? nos hac quoque contentos, si in integro res foret, ac tum voluntas, aut casus tulisset, Latinæ usu carere facile potuisse. Quæ si causa non esset, quamobrem magnopere genus hoc arripere literarum vellemus: tamen, ne omnino rejiceremus, exemplum nos majorum prohiberet. Neque enim licet, nec fas est, non modo decorum, hoc regno, his parentibus, his popularibus, uti Græca non discamus. avitum est, & patrium, hujus amare sermonis intelligentiam, vim, delicias, opes. Gallorum laus est, doctores istius disciplinæ, ac magistros, exquisitis præmiis, & conditionibus accersere. Nostrum est, hoc sermone scriptores locutos amplecti; qui de eo præcepta dederint, retinere, ejus omni ratione suffragari studiosis. Tu mihi, Massilia, testis, quæ colonis Græcis sedem, ac domicilium, Romanis novas Athenas, Lycæum novum præbuisti. Tu, Gallo-græcia, quæ & gremio Gallos excepisti, & nomen indidem a Gallis accepisti. ut gens genti in populi unius corpus coaluisse; Græcia in Galliam prope convulsa sedibus suis, vicissimque Gallia in Græciam immigrasse primis illis temporibus videatur. Quid consecutis, aut nostræ ætati propioribus? Centum anni sunt, & eo amplius, cum eruditionis istius ita studium, quod oppressum, ac prope exstinctum videbatur, efferre se cœpit, atque exardescere de integro, ut & patrum memoria Græcis doctrinis, & institutis perinde erudiri omnes, atque Latinis concupiscerent, & nostra nemo paullo quidem politior, instructiorque sit, qui nescire Græce, flagitii, aut ignominiæ instar non putet. Quod si turpe est aut exheredari, aut hereditate paterna sponte cedere; propterea quod vel liberûm culpa, vel parentum, facto hoc notatur: an non probro nobis, & crimini dabimus, si quas majores nostri possessiones reliquerunt, non cernamus? quæ studia coluerunt, non æmulemur? ab hac perenni, justaque laude Gallorum degeneremus? præsertim cum eo nos vel sermo vernaculus noster subinvitet, cui cum Græco plurimum convenire, & vetus est, neque vana observatio, totis etiam paginis illustrata. Quod si nihilominus duriores ad hæc literarum genera essemus, neque hæc ipsi attingere per vitæ rationem, & maximas occupationes nostras, neque quanti sint, sensu nostro æstimare possemus: tamen ea mirari, cum in aliis cerneremus, aut etiam omni studio fovere, & quantum in nobis esset, augere deberemus: ne nostrorum hominum vel ignorare laudes, vel repudiare studia, vel judicia contemnere videremur. Quamobrem nihil cedat apud nos, opinor, Græcia Latio, Athenæ Romæ, Demosthenes Ciceroni; sint denique in regno eæ celebres literæ, propter quas ipsum est regnum apud exteras gentes, ac nationes hodieque celebre. Sive igitur simulabant nolle se poetica, non posse Græca; sive fatebantur ingenue, quod res est, se tenuitatis suæ conscientia deterreri a poeticis, voluntate a Græcis abhorrere: commentitios istos, ac male feriatos immunes explosimus, immunitatemque illis suam, in quam, velut in possessionem caducam atque vacuam, involarant, abrogavimus.

Nam quod aiunt adolescentes frugi ac seduli, sibi esse in animo, quod tempus in his ambobus studiis ponerent, una in soluta oratione totum consumere; primum dubito: deinde non credo: postremo non committam, ut, quam nullo fructu, quantum dedecus suscipiant, celent nos diutius, & sapientiæ insuper laudem ex suis inconsideratis, & mollibus consiliis auferant. An ego mihi persuadeam, e tribus impositis sibi oneribus officii, qui duo sua voluntate, vi nulla coactus, abjicit, tantundem, quantum sustinebat antea, suscipere laboris velle; ac non potius id agere,

atque experiri, ut quod reliquum onus est, simul ac primum ei occasio visa erit, deponat? Quotusquisque horum est, qui poetica excutiunt, qui Græca amoliuntur a se, qui utraque usitaro, & quasi legitimo tempore suo privant, quotus, inquam, quisque horum est, qui cibo, qui somno, qui feriis tantulum spatii detrahat, quod bonis literis vel discendis impertiat, vel etiam recolendis? Quid de vacuis, ac liberis, & subcisivis, quæ incurrunt, horis commemorem, quas isti quamplurimas ludo, joco, meris nugis luculenti cessatores perire patiuntur? Quid si de hoc illo penso, quod sibi arbitratu suo fecerunt reliquum, eunt imminutum in dies aliquid, deque ipsa summa derutum: nonne satis signi dant, se non tempus ad laborem subduxisse, sed otio paravisse; non industriæ occasionem reperisse, sed ignaviæ excusationem, latebras, atque impunitatem quæsiisse? Attendite cetera. Persuasum nimirum habetis, vos hac duplici velut sarcina liberos, atque expeditos, in hoc eloquentiæ curriculo iter celerius, & ingentes progressus facturos: quippe qui hac mente & Græcos valere, & poetas jubeatis, hac spe uni vos orationi solutæ addicatis totos, atque consecretis. Si contra non modo vos nihilo processuros magis, sed haud paullo etiam minus, ostendero: dabitis, opinor, manus, & hoc mihi concedetis, etsi nihil ista per se studia ad rem aliam ullam valerent: tamen quæ eloquentiæ causa respuitis, ea vel eloquentiæ causa amplectenda avidius, & excolenda fuisse. Atqui sic istud, auditores, habet: Romanus, Græcus, poeta societatem coeunt inter se, & ad privatam quisque rem communiter defendendam, & augendam mirifice conspirant: seu quemdam quasi triumviratum gerunt, cujus ita ictum fœdus, conjunctæ sortes, officia communia, ut ab uno nemo his temporibus nostris alieniorem animum habuerit, qui non inimicitias aliis quoque duobus denunciarit; nemo in uno victus succubuerit, quin inferior in ceteris discesserit. Et constare sermonis Latini perfecta scientia sine Græci cognitione nequit, & neuter se, ac munus suum tueri sine versu potest. ut ne rhetor quidem ejus ipsius artis, cui studet, nomen satis intelligat, si a Græcis, aut non vitiose pronunciet, si a poeticis prorsus remotus sit. Quod ne dubitare possimus, maximo argumento est, quod qui tria hæc literarum studia amplexantur, atque consociant, etiam hos istis antecellere videamus, qui partibus doctrinæ factis, unam, in qua se sola exerceant, sumpserint. Nolo itaque deditum Græcis, qui non eadem opera Latina discat, confirmet, augeat. nolo poetam, qui proprietatem linguæ, elegantiam, veneres innumerabiles non calleat; qui rhetorum omnes arculas non excutiat, & compilet, omne oratorum artificium, omnia pigmenta non consumat. Inter hæc, mihi credite, intercedit necessitudo, non simultas; æmulatio, non invidia: adjumento sibi sunt inter se, non impedimento. qui Græcis literis dat operam, dat Latinis: qui versæ non deest, prosæ studet orationi. Nisi vero Tullium existimamus, qui dies ac noctes puer, partim evolvendis poetis, partim faciendis versibus, contriverit, qui adolescens quotidie Græce declamarit, qui provecta jam ætate scripserit Græce sic, ut nationem Græcam, quemadmodum ipse loquitur, conturbaret, ac suis eam armis devictam in desperationem conjiceret; idcirco male istue in eloquentiam, cujus parens, & Deus jure quidam habetur, consuluisse, ac minus valuisse dicendo. Desinant igitur imperiti, quæ & natura, & doctrina, & utilitate copulata sunt, ea usu, atque exercitatione separari velle. desinant arbitrari, fore sibi fraudi, animum si ad pluscula hæc adjecerint, tantumque ex uno sibi decessurum lucri, quantum ex aliis accesserit compendii. Caveant potius, ne id, quod sæpenumero versant, ac frequentant, in quod assidue toti, ceteris omissis rebus, incumbunt, aut minus, quod fieri solet, ut ostendi, aut minore, quod evitari non potest, gloria assequantur. Nam quid habet admiratio..is, si dum unam, atque eandem incudem usque, & usque tundis, extundas nonnihil, & promoveas, & faber mediocris quidam, uno tandiu armorum fabricando genere, fias? Quam turpe autem officii, ac muneris sic rationem claudicare, ut mutilum te, & truncum, & dimidiatum, hoc est, vel jejunum dumtaxat, & matutinum, vel saturum, & pomeridianum præbeas auditorem? quam indignum ex tribus, quæ recepisti, mandatis, duo vel propter perfidiam, vel propter animi imbecillitatem deserere, ac frustrari; uni te modo parem profiteri? Quod ad vos, ipsi videritis. de me, multis utique partibus malim triplici tam præstanti officio, etsi modice, tamen pro virili, cum approbatione aliqua fungi, quam sic in uno, ut excellam, cum tam insigni turpitudinis nota versari.

Verumtamen, dicet quispiam, næ vos injusti, qui immunitatem damnatis, quam donatis; immunes reprehenditis, quos fecistis. Equidem si mihi præstanda essent omnia, quæ in re literaria peccantur sive adolescentium licentia, sive eorum, quos minime decuit, remissione animi, & negligentia; desinerem artem potius, & ea, quæ ad me tantum attinent, alienis relictis, curarem, quam tot unus malorum causam sustinerem. Sed ut de aliis nunc taceam, quos neque arguo, neque purgo, hic tradone ullam immunitatem, an tu occupas? concedo, an tu extorques? Contendis a me, tibi ut aliquid de multis nescire liceat: æqua, & honesta postulatio; per me licet. ut ne Græce discas, qui Latine nihildum didicisti: annuo. ut numerosa non antea capessas, quam soluta: nihil repugno. Quid facerem enim? an ego si non tuis speciolis argutationibus, & ratiunculis, at tuorum, quos adhibes, molestis, & assiduis efflagitationibus non cederem? an hoc tibi non concederem, quod si aperte negem, clam arripias, nihiloque plus facias, quam si non petisses; fortasse aliquanto etiam minus, quam si remisissem? quis autem sanæ mentis non malit tecum parte decidere, quam toto excidere? decedere de jure suo tantulum, quam te iratum, & tristem, aut si id minime laborandum est, queribundum semper, & superioribus obstrepentem, & incommodantem æqualibus habere? Accedit, ut & cum venia levius pecces, qui hoc omittas, & gravius, si munia cetera non quamdiligentissime obeas. Quid, quod de eo, quod mihi superat, sumptu nullo meo, tibi gratificor avidius postulanti, & nonnullo me onere libero

bero

bero debiti exigendi? Quæ demum culpa mea est, qui prædicam, & moneam, & ante denunciem, id nullam in partem tibi ex usu futurum: me rem totam fieri tuo periculo velle, qui tua tantum amare, quantum egomet, debeas; fieri tuorum, qui, tibi quod sit opus, æque, atque ego, & nosse, & prospicere, atque consulere debeant. Quamquam, ne metuite, nihil, adolescentes, horum excusabo, nihil prætexam. Si facio, non causam dico, quin omnem in me istorum negligentium, & dissolutorum culpam conferatis. certum est enim hanc inertiæ, nequitiæque personam, hanc falsam, & ementitam immunitatem neque patienter, neque obscure ferre, nedum ullo scripto facere ratam, aut fovere. Etenim si ne illis quidem promissis standum est, quæ non iis ipsis fructum ferant, quibus illa promiseris: quid meream, ut gratiæ, & precibus parentum contra liberûm perspicuam utilitatem indulgeam, juniorum cupiditati contra experientiam, judiciumque meum obtemperem? cum præsertim rationes omnium petant, ut ne odiosa hæc impunitas paucorum, & libido agendi quidquid velis, neve hæc munerum, atque officiorum inæqualitas in publicam rem literarum, & ludum hunc communem dicendi inducatur. Nam me invito, & reclamante, vel unum ex omnibus appetitutum sibi quidquam licentiæ ambitiosius, aut partes ullas suas deserturum negligentius, non est opinio, quos mihi singulos tam dicto audientes spero, & confido fore, quam me omnia vestra causa velle intelligitis. Quare extrema hac oratione gratulor inprimis mihi, quod vos ego tales nactus sim, quales optare facilius erat, quam sperare; his præcipue temporibus, quibus mores jam pestilens bellorum, quæ ubique geruntur, rumor infecit, & ad omnem prope vivendi libertatem deflexit. Neque vero quemquam sum vestrûm insectatus, qui obvios nescio quos immunes repuli; & vos omnes laudavi, cum vestri dissimiles vituperavi. vos enim novi maximam partem & ab hac præpostera immunitate longe remotos, & cunctarum peræque doctrinarum studiosos. Pergite, ut facitis, & quandiu pro rege, pro patria, per ætatem, vitæque institutum decernere ferro, & armis non licet, tandiu pro vobis, pro triplici hac literarum corona, stylo, & calamo dimicate. Simul & hoc obtinete, ut ambigatur Græcisne, an Latinis; vinctis, an solutis, velut nobiles æquimani quidam, utroque sermone, utroque genere sermonis usi, præstetis. Vincite, ut qui ardentibus studiis vestris favent, si qui, quod non putem, industriæ gloriæque invident, æqui, & iniqui, laudare, quos habetis in literis progressus & velint, & sine exceptione possint; neque quisquam scire vos aliquantum Latine, Græce nihil; callere qualemcunque orationum modum, versuum ne pedem quidem tenere, merito obloquatur. Hunc sermonem, hanc ignominiam, hoc nefas; quoad potestis, potestis autem omnino, prohibete, & palmam aut in suspenso relinquite, aut ei adjudicate parti, in qua ut rarius est, ita gloriosius excellere.

ORATIO QUINTA.

DELPHINI HOROSCOPUS.

ASTRUM LUDOVICUS XIII.

ASPECTUS DUPLEX:

ALTER REGIS, ALTER PATRIS.

Lutetiæ Parisiorum. VI. *Id Octobr.*

CIↃ IↃ CXXXVIII.

QUo quisque mortalium astro sit, auditores ornatissimi, quave primum ex affectione cœli spiritum duxerit, doceri velle curiosius, si de viris principibus fiat, periculosum; si homines Christiani faciant, impium; quiqui id agant, de quibus id cunque agatur, supervacaneum fore, vetus, & constans hactenus opinio fuit bonorum, atque sapientum. Et plenam quidem rem periculi suscipi, si quis in vitam, mortemque procerum inquirat, cum natæ ex eo novæ spes ac magnæ, deinde turbæ, conjurationes, cædes, atque strages satis, superque commonstrant: tum sexcentæ in omni memoria leges loquuntur, quæ, ne quis artem hanc tractaret, neve, qui tractarent, consuleret, publicatione bonorum, exilio, capite, gravissimis suppliciis quibusque sanxerunt. Cum vero isti sive Chaldæi, sive Genethliaci, sive Planetarii, sive quo alio nomine nuncupantur, pro Deo fatum, pro miraculis naturam, pro libertate necessitatem nobis inducant: neque genus hoc vatum, neque hic eorum modus vaticinandi potest non maxime sacris, & religionibus adversari, quæ auctorem sui Deum, credulitatis suæ robur miracula, recti honestique fontem liberam voluntatem agnoscant. Jam quod hos eosdem siderum, stellarumque inspectores falli interdum, quod fallere sæpius, quod nunquam verum, nisi casu, ac fortuito loqui constet inter eos, qui rem totam penitus introspexerunt: quis non tanquam vana, & futili scientia, supersedendum notatione dierum natalium, animadversione globorum vel errantium, vel inerrantium putet? Itaque nobis nunc, qui pueri regii thema recte, ac ratione ponere ingressi sumus, neque e vulgari hoc cœlo, & quotidiano cœlestium signorum aspectu, tantæ, tamque raræ sortis indicia repetere visum est, neque committere, ut periculo nostro aliquo, summo cum scelere, nihil agamus: præsertim cum magnum, illustre, præcelsum, neque mutum, neque expers sensus, ac rationis astrum jamdudum Galliæ, recens Delphino lumen præpandat, vimque præsentissimam ingeneret, unde, quantum homini scire fas est, qualis, qualique tum natura, tum fortuna futura proles sit, prænosci multos in consequentes annos queat. Nam si majorum censu, atque divitiis, opes heredum metiri, & ad nummum subducere licet universas; nonne & facile æstimare, & liquido pronunciare de Delphini

ni magnitudine, ex Ludovici regis post conditum hoc regnum potentissimi viribus, & copia possumus? Age porro, cum sit ex parentibus soboles excerpta quædam, & delibata quasi particula; cum genus indidem, atque intimam temperationem corporis hauriat; cum plerumque lineamenta, colorem, incessum, morbos ipsos, ac nævos sic effingat, ut in liberis parentes certo agnoscamus: quis aut difficile, aut alienum vicissim ducet, in parentum vita, & moribus, gestisque rebus, liberûm indolem, ac naturæ habitus, expressamque mentis imaginem intueri?

Unicum ergo primæ, quemadmodum appellant, magnitudinis astrum, e quo Delphini petere genituram placet, Ludovicus esto. Cujus quoniam aspectus duplex, alter regis alter patris, qui parem vim ambo in Delphino, efficientiamque declarant, sinite me, auditores humanissimi, de utroque nunc, deque eo prius, quod reipsa primum, de regia dignitate videlicet agere. Ac illa quidem regni Gallici majestas, quæ reliquis orbe toto imperiis & diuturnitare remporis, & splendore nominis antestat, Ludovicum puerum supra reges extraneos multum sine controversia extulit. Nunc illam vero & adolescens, & vir Ludovicus supra reges majores suos, virtute duce, comite felicitate, incredibiliter provexit. Cedo nostris e regibus regem, qui tam late mari, qui tam longe rerra, qui tantum in suos imperium tenuerit? Primum omnium ad mare veniamus. Majores nostros, veteres istos, admodum antiquos, patriis agellis, & possessiunculis suis contentos transmarina regna nec attigisse, nec concupisse, nisi si quando amor eos religionis propagandæ domo excivit, & ad oras barbararum gentium, ac litora appulit, quis ignorat? quare minime mirum hos aut nihil, aut perparum classe, maritimisque rebus valuisse, qui avaritiam, & cupiditates reliquas habendi, intra modum, solique natalis angustias, ac terminos continerent; non opes peregrinas ad prædam, non merces ad lucrum, non abundantiam ad delicias exposcerent. Patres autem nostri sive necessitate impulsi, quod bello peterentur, sive aliorum exemplo, quod spe laudis ducerentur, maris fortunam tentare, ac periclitari, seque committere alto ausi illi quidem sunt; sed in dispari conatu, gloriæque studio, parem ferme virium imbecillitatem prodiderunt. Regiæ naves onerariæ paucæ, paucæ bellicæ: triremes juxta robore, & numero infirmæ, eæque magis ad maleficos plectendos, quam ad rem gerendam comparatæ. Hoc dolorem augebat, & ignominiam, quod plenissimæ naves exterarum nationum Gallis militibus, ac nautis essent, & quam illi operam patriæ, regique deberent, eam alienigenis, cum a suis non adhiberentur, locarent mercede, atque navarent. In quo bis inconsulti eramus, bis nobis perniciosi, qui neque labore, industria, vigilantia nostrorum uteremur, & eosdem hostibus contra nos quasi utendos commodaremus. Quod si qui in regno privati ductu suo aliquid, & auspiciis, & impensis mari poterant, ii sibimet solis, ii contra fas, & jura, contra leges, & instituta, ii contra regem, ac majestatem Francorum poterant Sed quid isthæc autem levia, & minima recordor? Hominibus Gallis ego excursiones trans mare nullas, nullas expeditiones susceptas ante hosce annos dicam fuisse; cum vix oras ipsi nostras ratibus legerimus, vix sinus, atque freta actuariis defenderimus? Quid regibus nostris maria clausa omnia querar, cum ne Galliæ quidem portus, atque eos portus, quibus non dignitas modo, sed vis, ac robur regni, sed salus, atque incolumitas continetur, nec ipsis rerum, ac locorum dominis, cum liberet, nec quot, quibusve liberet, patuisse sciamus? An vero ignoramus alios pignori non semel, & sat diu oppositos, alios plus ducentis annis in regum finitimorum potestatem redactos, reliquos aut fraude surreptos, aut vi occupatos, aut fœdis, & iniquis pactionibus obtentos, vel a civitatibus, quæ res in regno publicas excitarent, vel ab optimatibus, qui tyrannidem exercerent; quorum omnium sibi quisque dominus, atque rex, nemo alterius ex nutu, arbitrioque penderet? Pro Deus immortalis! tantosne mari unius astri, hoc est, Ludovici incredibilis, ac divina vis, atque virtus ciere motus, tantamne rerum vicissitudinem potuit, mutationemque moliri, ut nos, quibus nuper ad villas maritimas, ac res domesticas obeundas, cymbæ tantum, & lintres, ceteraque ejusdem modi minora navigia suppeterent, ii nunc pulcherrimam, instructissimam, ornatissimam classem non unam habeamus; & qui nostra ægre contra insidias prædonum, incursus quorumvis hostium tueri valeremus, iidem non modo erepta, secundissimis ventis, præliis, hominibus, superis, repetamus, sed etiam ultro, ac priores lacessamus, & in aliena tam audacter, libereque, quam si derelicta, si caduca, atque vacua, si indefensa sint, involemus? Nunc, nunc, auditores, utrumque mare velis, remis, armis obsidere cœpimus. oceanum cum mediterraneo, orientem cum occidente, integerrimis, & florentissimis copiis conjunximus. Hostium non urbem unam aliquam, sed ditionem totam, atque regnum, in singula ostia, æstuaria, navalia, ac litora infesti, imminentesque, cinximus. Quas fraus incautas, multitudo solas, vis inermes insulas interceperat, eas opere, ac præsidio munitas, apertoque marte, ex hostis, ut aliud nihil dicam, tenacissimi manibus, ac pæne faucibus invictissima, & gloriosissima classis recepit. Neque vero aut ante facinus tam nobile cessavit, aut post in tam insigni victoria acquievit; neque minus otiata unquam est, quam dum nobis videbatur otiari; neque parum egit, cum, ne quid hostis rerum ageret, deterruit. Quæ clandestina consilia cautione non occupavit? quos commeatus, quasve copias præsentia non interclusit? quæ oppida, nostra, fœderatorum, sola adventus sui opinione, non servavit? verbo dicam: toties provocavit, restitit, vicit, quoties aggredi, oppugnare, superare, absque ea esset, hostis potuit. Hæc rei nauticæ velut incunabula, & prima quædam in naves conscensio, portuque solutio. progressum considerate. Sic fere fieri solere accepimus, ut non uno diu statu rationes, & copiæ belli maritimi consistant, sed diffluant sensim, ac dilabantur, & quæ vis alios perculit, per se ipsa tempore, ac situ, morbisque concidat; sive quod angustius vectot, incommodiusque habitet; sive quod difficilius alatur mari, quam terra exercitus, cum ad victum mare nihil admodum, ac ne

ad

ad potum quidem ex sese profundat; sive quod altero tanto majorem maritimum esse, quam terrestrem exercitum oporteat, cum ad rem maritimam administrandam & nauta sit, & milite opus. Quod aliter longe hominibus nostris evenit. Nam quo tempore aut successu elatæ, aut præda onustæ, aut stipendiis, ac tanquam penso perfunctæ, aut satietate defessæ dissipari, ac distrahi, minuique cohortes solent ceterorum, eo tempore exercitus noster clarus, atque victor, usque eo se novo, ac superbo delectu, & sedula conquisitione firmavit, tamque magnis adventitiis & propugnatorum, & naviculariorum opibus, atque supplemento invaluit, ut neque se capere ipse, ac ferre potuerit, sed dividendus duas in partes fuerit; neque mare unum tenere satis habuerit, sed suum cuique, alteri mediterraneum, in quo jam erat, alteri Atlanticum, unde digressus fuerat, sic tanquam laboris, industriæ, victoriarum curriculum assignatum sit. Atque illa quidem ad meridiem classis sic regi deinceps se probavit, sic hostibus, ut sit his, quod diu doleat; huic, quod sibi gratuletur tantum vires præstitisse divisas, quantum conjunctæ consequi, atque efficere potuissent. Istam vero ad septemtrionem, quam numero multæ, quam mole immanes, quam rebus omnibus necessariis ornatæ, atque instructæ naves auxerunt? De multitudine, de magnitudine, de armis tum nauticis, tum bellicis, & rumore ipso nuncio, & certis auctoribus scire potuistis. Vidi ego, conscendi, lustravi navem ex omnibus unam, auditores, cui ab amplitudine, & quadam quasi majestate, atque operis absolutione, Coronæ nomen, sic erectam malis, ut silva; sic prætentam velis, ut castra; sic fundatam anchoris, sic ab omni reliqua supellectile paratam, ut officina ferraria, & armamentarium esse publicum videatur: ita ingentem porro, excelsamque, ut medio mari urbis instar obtineat; ita celerem, & habilem, ut nihilo majore, quam scapha, negotio torqueatur: cui, ignem modo, terramque vitet, a naufragio, vique alia externa vulgo negant esse periculum. Quare si cetera huic proportione navigia & laxitate, & numero respondent; non dubium, quin, sicut hæc navis omnibus, quæ unquam ædificatæ sunt, facile antecellit; ita classis hæc, mitto earum, quæ nunc sunt, gloriam, veterum antiquitatis memoriam superatura sit. eoque id magis, quod ad veteres copias incredibilem quandam attulit hostis ipse accessionem: cujus cum alterum portum, sane non ignobilem, & plenissimum navium, atque instrumenti nautici diripuerimus, in altero naves bene multas, ac magnas partim incenderimus, partim depresserimus; ter jam, quaterque vincamus licet, quem & igni, & aqua, & nostris, & suis armis vexatum, atque confectum damus. Quis ergo tam imperitus, qui hoc ignoret, aut quis tam invidus, tamque iniquus, qui cum hoc sciat, non fateatur Ludovicum quoddam quasi sidus mari præsidere, ac dominari, & regnum aliquod suum, atque nomen obtinere, quamque à majoribus non accepit, quæsitam marte suo lauream hereditariam filio tradere? Qualem autem fore, & quantum filium putatis, cui imposita duplex necessitas sit, ut, & parta tueatur, si degenerare nolit, & partis tandem adjiciat, si æquare patrem velit? Quid si anteire studuerit; quid si intervallo tanto anteire, quanto suis iste majoribus præstitit: quod tandem ad fastigium vel nascentem, vel adultam navalem hanc laudem perducturus est, aut quid ei reliquum fiet, nisi, ut, cum pater hostes suos classe Europa tota fuderit, ac deleverit religionis ipse hostes tota Asia, atque Africa, quam vasta utraque, & portuosa est, persequatur, atque devincat? Nisi vero nihil unquam suum Delphino nomen præsagit, quem piscem marinis piscibus imperare ferunt. nihil navis, quam celeberrima post hominum memoriam Lutetia pro armis sibi, atque insignibus sumpsit. Nihil nunc præsignificat, aut spondet societas inita opulentorum, ac præpotentum virorum, qui novum in orbem quotannis navium magnam vim, ac numerum sumptu suo, periculoque mittunt. nihil frænum injectum mari; cum perduellionem civium conjuratorum accessu suo, recessuque adjuvaret.

Esto sane, valeat aliquid hoc astrum mari; per se rex, per regem Delphinus. At nihil uterque magis terra, quam reges superiores. Scilicet quod erat in ea durissimum, non perrupimus? quod fluxum, & maxime lubricum, non vestigiis pressimus? parvo contenti, quod alienum, belli jure nostrum nihil fecimus? Cujusmodi illud, & quanti est cum saxis, ac montibus, cum fluviis, & pontibus, cum finibus regnorum, atque terminis rem habuisse? de natura victoriam, de arte triumphum retulisse, etiamque nunc referre? Ac videtur profecto solertissima, & beneficentissima rerum parens natura cum ad dignitatem, & jucunditatem præsidia Galliæ omnia suppeditasse, tum hanc ad securitatem adeo, & custodiam munisse, ut partim montes, partim flumina finitimorum populorum multitudini, odio, invidiæ, furori opponeret: ita tamen, ut, quæ caverit saluti, ne quis facile hostis effervesceret in eam, atque erumperet, non obstiterit honori, quominus ipsa in ceteras gentes redundaret. Neque consilio prudentia, prudentiæ successus defuit. Nam qui Galliam Cisalpinam sæpe dici advertimus, Italiam Transalpinam nusquam legimus, & qui Portugalliam in Hispania nunc audimus, Portuhispaniam in Gallia nullam scimus, & qui novimus Francorum reges posterius ad culmen imperii pervenisse, non meminimus, imperatores qui primo essent, regno deinde Francorum præfuisse. Sed hæc omitto, vel quia remota propter antiquitatem, vel quia levia propter appellationem. Hoc recens, nec litigiosum, & perhonorificum quis digne æstimet, ac satis pleno ore laudet, quod Pyrenæum, Alpes, Rhenum, non tirone, & collectitio exercitu, sed firmissimis, & robustissimis legionibus, non novis, & imperitis ducibus, sed veteranis, sed scientissimis, sed experientissimis Ludovicus uno eodemque tempore aggreditur, transcendit, atque tranat, nihil æstus calorum, nihil impositi fluviis pontes, arces pontibus, obstiterunt, quominus extremum Pyrenæi, extremo jam liberato, adoriatur, medium Alpium irrumpat, summum Rheni obtineat; tot oras tam longinquas, tamque diversas una belli serie, una victoriarum continuatione vinciat, atque comprehendat. Quod si quid nobis, utpote in communi marte, & ancipiti exitu præliorum, semel, atque iterum tituba-

tum, si quid offensum; si oppidum tormentis apertum non ingressi sumus, si oppidanos vi captos, per errorem oon cepimus: magis est, ut consilio eventum, quam cœptis prudentiam; fortunam nostris, quam animum, ac robur querar defuisse. *Nimium vobis* est Franca *propago visa potens, superi*, si aut una in urbe tot urbes caperemus, aut quo tempore Delphinum regem oovum accepimus, vel novum regnum, vel certe ad novum regnum, tam facile iter, tamque apertum haberemus. Quid de reliqua Galliarum vicinia commemorem, quam æque arte, manuque, ut loca, de quibus ante natura, munitam, æque operibus, aggeribus, corporibus hominum, ut montium, aut amnium altitudine obseptam, atque interclusam dejiciendis præsidiis, expugnandis oppidis, occisione occidendis adversariis Ludovicus patefecit? Itaque frustra regiones, quas majores coluerant, frustra fines, quos aut natura præstituerat, aut jura pacis, ac belli descripserant, frustra denique Galliam in Gallia requiras. videas vero licet externos externis, finitimos finitimis, hostes hostibus infestos, atque objectos, hoc est, eorum, qui aliquanto ante Galliæ circumcirca fines carpebant, & nonnihil in dies oovi deradebant, agros, urbes, provincias non tantum facere pro nobis, verum nobis esse pro finibus, & quæ regni modo extrema, pæne jam media, & quæ contra regnum nuper repagula, nunc propugnacula ad regnum, atque claustra. Sic ut, cum de nostro nihil prorsus hostis obtinear, cumque in vicinitatibus, & confiniis paulo celebrior regio nulla sit, e qua non unam, alteramve urbem excerpserimus, nobisque vindicaverimus; in hostico rite pedem posuisse, & in omnium quaquaversus regionum venisse possessionem videamur. Quanquam non id agimus præcipue, ut, quasi anguste regnemus, qui mari utrinque claudimur, regni fines terra propagemus. Quantulum enim istud est præ eo, quod nobis curæ semper, atque cordi fuit, quodque consecuti sumus, atque omni victoria prius duximus, ut bellum & Gallia tota expelleremus, & in ipsum sinum, atque gremium hostium, trans montes, ac flumina usque deportaremus? Quando hic apud nos, atque inter nos negotiatio conquievit, forum conticuit coli agri desierunt? quando literæ, quando reliquæ togæ, & pacis artes, vel arreptæ avidius, vel cultæ laboriosius, vel gloriosius dotatæ, atque locupletatæ? Quamobrem verissime mihi posse videor dicere (fremat licet invidia, atque rumpatur) abhinc annos centum, quietiorem, tranquilliorem, pacatiorem Galliam non fuisse, Qui locus intervallo tot annorum, quæ ultima ora, qui regni angulus vacuus a bello fuit? Quod belli genus, terrestre, maritimum, civile, externum, quo non vel alienigenarum odium, vel populorum seditio, vel ambitio procerum, vel religionis nomen, atque causa opulentissimum, idemque antiquissimum regnum exercuit, debilitavit, tantum non absumpsit? Quid de bello patriæ loquor, cui fuerit per hæc eadem tempora ne pax quidem unquam pacata; cum anoum tam liberum, tamque securum nullum decurrerit, nullam tam lætam diem viderit, in qua si non grave aliquod bellum, & vehemens turbaret, at belli certe metus, & periculum suspensos animos, atque follicitos haberet? Aut enim urbs in maritimis aliqua dicto audiens esse respuebat, aut mediterranea aliquid novabat, aut hostis alicunde accersebatur. ita vel bello omnia ardere, vel belli suspicio fructus pacis præcerpere. Nunc vero, ut res habent, quis non miretur non modo nulla castra, nullam aciem, nihil hostium intra regni viscera versari, nihil in regno extremo residere, sed tot, tantosque exercitus, quot, & quantos Europa vix satis tueri sumptibus posse, vix ferre videatur, in hostile penitus solum ex intervallo transportari, tamque diu affixos quasi domicilium ad habitationem, non tabernaculum ad commorationem collocarint, distineri? Alimus, auditores, alimus: quanquam hic erro: non enim nos magis contra hostem, quam ipse contra se hostis ingentes copias, maxima ex parte, agrorum fructibus, commodis urbium, præda, & direptione domorum, tot jam annos, alit, atque sustentat. Quo numero? Recte admones. justos exercitus minimum triginta. Quippe cum nos in hostem, fœderatique nostri amplius summiserimus quindecim, opponere ille nobis necesse habuerit totidem; ratio, & summa constet oportet, quam supra posui, itaque tot excipiat, & depopulatores agrorum, & obsessores urbium. Ex hoc numero tamen deducas licet quaternos, quinosve exercitus, quos præliis maximis nonnullis, ducibus partim captis, partim fauciis noster prosternit miles identidem, atque cædit. Facile ut appareat, quam multis superiores nominibus simus, qui non hostem solum incautum eliciamus, tergiversantem compellamus ad pugnam, verum usque ad recta, & abditos, ac penetrales focos persequamur, & in suo se firmantem solo, in quo imbecillimus quisque plurimum valet, vincamus. Quare si bellum necessarium fuit; necessitati paremus: si salutaris pax est; saluti operam damus: si alterum sine altero consistere, ac sese tueri minus potest; pacem domi, quod est prudentiæ; foris bellum, quod est fortitudinis, gerimus: utrumque simul amplectimur, quod summæ est, & inauditæ cujusdam felicitatis. Et dubitabimus, quin tantundem terra, quantum mari, unum, idemque astrum polleat? quin suus terræ quoque Delphinus sit? quin Vienna aliquid (Delphinatus dico, non Austriæ urbem, atque caput) neque obscurum, neque incertum portendat? Quid vero habet admirationis, si vim duplicem hanc, maritimam, & terrestrem primo Ludovicus heredi transmittat, quam non in breve nescio quod tempus, sed in centesimum, ac duceotesimum annum, sed in multa sæcula propaget? Nescimus, nescimus, auditores, aut parum certe attendimus, quid, quantumve his miseriis, quas vocamus, his bellis, quæ deprecamur, non solum in præsens, verum in posterum profectum sit. Audite, Galli, quod satis magno nunquam ematis. Audi, Gallia, quod cum damnis omnibus tuis, atque offensionibus belli, quod cum malis sive publicis, sive domesticis, non his proximis, quibus etiam tum majora, cum in otio esses, ac pace vidisti, sed superioribus quibusque acerbissimis compenses. Hujus, hujus, inquam, decennii victoriæ, si quid ego recte interpretor, in millesimum annum patent, & eo usque ad posteros pertinent.

tinent. Au quemquam existimatis, auditores, fore tam sui, tam nostri ignarum, tam rerum, ac temporum immemorem, qui oos unquam tentandos bello, ac lacessendos putet, cum intelligat utramque Indiam, utramque Hesperiam, utramque Germaniam vix esse uni Galliæ parem, vix pauculis fœderatis nostris, terra, matique potuisse? O te, Delphine, tauto regno; ò te, Ludovice, tanti herede regni beatum! si quidem nterque tam domi, quam foris potens fuerit; ut apud alienos auctoritatem, ita in suos imperium tenuerit.

Tenet vero Ludovicus, & ita tenet, ut e regibus numero quinque, & sexaginta, qui Fraucicum jam ab ortu suo regnum, mille, & ducentos annos amplius, potestate summa administrarunt, negem esse ullum cum hoc, ditionis, ac nutus gravitate, jubendi, & vetandi, quæ velis, utque velis, facultate, absoluto, & perfecto in suos dominatu comparandum. Atque ut tempora omittam, quibus & Lupara nulla, & totidem regna, quot nunc provinciæ, &, si vis eadem, certe pertenuis species erat regii principatus; quis majestati superiore sæculo, atque ante hosce annos locus, cum scelus audacia, audacia impunitate, impunitas potentia immodica tum procerum, tum civitatum niteretur? quam infirma, quam ægra, quam nulla auctoritas, quæ tot dissecta in partes, tot per capita sparsa, tot voluntatum libidinibus mancipata, ut, rex habendus quisnam proprie foret, haud sane facile divinares? Utrum regnabatur, cum piæ nimirum, ac religiosæ civitates jactarent regem sibi, præter Christum, esse neminem? an precario regnabatur, cum pacisci princeps de suo, cum suis, quibus illi vellent conditionibus, cogeretur? cum bimaris Corinthus apud nos, eademque contra nos, cum superba Numantia, cum infidelis Carthago, hoc est, Rupella in regno non una imperaret? Quo quidem tempore qui reges a nobis, qui bellorum victores, qui magni, ita ut erant, merito immortali, ac divino suo numerabantur, coactos novimus, ut pace uterentur, quæ improbabant, probare; quæ videbant, nou videre: ne, si palam, ac summo jure agere vellent, neque quidquam impetrarent, & repulsæ labem, atque ignominiam proderent. Ita in tanta civium inter se, regum a civibus disjunctione, neque totis viribus suis uti Gallia, atque experiri, quid valeret, poterat: cumque sit ei, ooo vinci, nisi a se, fatale; misera seipsam aut sola conficiebat, aut, qui id agerent, adjuvabat. Hic brevi momento quanta conversio sit facta rerum, majestatis accessio, quanquam videtis, tamen a me non omnino prætereundum videtur; ne silentio aut improbare videar, quod nefas est, aut non agnoscere. Nam si auctoritas magna quædam est cum reverentia opinio de principe, deque principatu, quam admiratio excipit, quam metus: de quo opinioóem vel parem habemus, vel habere majorem possumus? quid tot gestis ab eo rebus admirabilius? quid tantis ejus viribus formidolosius? Hæc si opinio conciliatur regnandi forma; quid astrictius? regni potentia; quid valentius? regis moribus; quid melius? Si hac admiratione, hoc metu nihil neque arrogantiæ accedere principi, neque decedere amoris populis oportet: quid isto moderatius, istis benevolentius? Verum ne laudem Ludovico, quam sibi ex omnibus minime appetit, maxime tribuam, (a suis enim mavult optimus princeps diligi, quam metui) sinite me tantisper de rege conticescere, de re loqui. Si quis esset rex istiusmodi, cujus non multa imperia nihil, noo subita temere, non mollia remisse, non varia inconstanter docerent parere; qui intelligeret, id quod est, quo magis penes unum summa rerum consistit, eo istum magis rerum potiri; qui factis, non verbis significaret taotum quemque potestatis habere, quantum ipse concessisset; qui cum parva, magna, omnia vindicare posset, in magnis nihil dissimulandum putaret: reperiretur, opinor, qui aut hunc regem negaret, aut hujus illudi majestati posse existimaret? Atqui si esse Ludovicus omnino hujusmodi non vult propter naturæ bonitatem, cum esse jure queat propter temporum necessitatem: quis non tantundem eum vereatur, qui idem possit; nou multo etiam magis amet, qui usquequaque uti potestate nolit? Quin autem hoc astrum vim, & lucem auctoritatis suæ cum eo large, effuseque communicet, quem nascentem afflavit; quin partem hanc longe optimam, ac maxime necessariam hereditatis heres cernat, dubitabit is videlicet, qui nesciet regni tantam amplitudinem, tantas domi, militiæque copias, quantas rex io manus Delphino tradet, non posse sine incredibili quadam, ac pæne cœlesti auctoritate impertiri. Sed quid ego disputo varie, & colligo, quem locum, ac pondus Ludovicus apud suos obtineat: cum ipsum hoc ponere pro argumento possim, quod longinquis viget, quod apud propinquos in magna, & illustri gratia est? Neque enim tam longe ab domo præliari integrum erat, nisi domum prius composuisset? neque inferre extraneis bellum, nisi populares inter se, ac sibi pacasset; neque tot hostes fundere, ac fugare, tot gentes, & nationes superare, oisi conjunxisset Galliam, atque vicisset.

Satis mihi effecisse oratione, & conclusisse videor ex primo astri Ludovici regis aspectu externa Delphini bona; late, longe, mari, terra futurum regem; apud alienos gratiosum; apud suos potentem. Proximum est, ut ex altero astri Ludovici patris aspectu propria, & insita bona, quæ dicuntur, quod corpus, qualis animus, quanta ad omnia summa indoles, quo brevius, hoc planius, commodiusque eruamus. Et quoniam in hoc aureo partu fingendo, atque edendo videtur cum natura Deus instituisse certamen, uter in illum plus de suo conferret; quid natura profecerit, quid Deus perfecerit, consideremus; & utrumque ab patre, alterum ex ætatis, alterum ex connubii tempore petamus. Nolite autem existimare me nihil, aut ougas, agere, qui in prole ætatem parentis spectari oportere defendam; perinde quasi qua quisque ætate quærat, ac tollat liberos, cum id aut fortuitum sit, aut voluntarium, patrum aliquantum fortasse, certe nihil liberorum intersit. Itane vero? qui privatum ad rem domesticam, qui civem ad publicam informant, qui causarum actorem, qui belli ductorem, erudiuot nobis, perfectumque exhibent, non modo quo singuli patre, sed etiam qua pater ætate sit, haberi tationem præcipiunt: nos ad rem nihil

pertinere arbitrabimur, utrum adoleſcens homo, an ſenex decrepitus eum genuerit, qui hiſce, aliiſque virorum ordinibus imperaturus ſit? Atqui ſic habetote tantum & corporis, & animi, intereſſe ad fetum, quot princeps natus annos ſit, quanti refert, utrum qui ad ad ſalutem, & patrocinium populorum, ad gubernacula civitatum, ad generis, regumque propagationem, ad cultum, & venerationem omnium naſcitur; bona valetudine ſit, an ægra; viribus firmis, an imbecillis; juſta, an puſilla ſtatura; diuturna, an brevi vita; prudentia excellenti, an modica, aut etiam nulla mentis intelligentia. Si quid enim civilium, ac medicarum rerum ſcriptoribus credimus, ſi quid experientiæ, atque ſenſibus, hæc, præter cetera, incommoda, atque vitia potius, quam liberos aliena parentum, nec ſatis idonea ætas, & præpoſtera connubii ratio parit. Quare ſuam ſæpe, intemperantiamne dicam, an inconſultam rationem? liberorum inopia conſilii, atque debilitas corporis, procreatoribus exprobrat, à quibus etiam tum, cum vitam hauriunt, injuriam accipiunt. Jamne intelligitis, auditores, jamne ſentitis multo naturam melius Ludovico proſpexiſſe liberis dandis, quam vulgo naturæ, homines, conditionibus legendis, & conjungendis nuptiis, conſulant? jam videtis quod ſerum fuit ad expectationem, ad conſuetudinem; eveniſſe tempori ad ſobolem; neque dilatum beneficium eſſe, verum ſi prius conceſſum eſſet, præmaturum futurum fuiſſe? Nam cum ad id ætatis pater pervenerit, in quo robur dominatur, ratio, & conſilium maxime viget; verendum non eſt, ne paternis his nævis, atque morbis, quos paullo ante appellavi, progrediente tempore puer aliquando tentetur, ac laboret. Ne nunc quidem, quantum audio, infantis corpus bene compactum, bene habitum, grandiuſculum, membris vegetis, magno, quod ſatis ſit, capite, non præmonſtrat, quanta virium firmitas, quanta mentis maturitas, ac præſtantia futura ſit, quamque belle virili, & robuſtæ patris ætati tota conſtitutio filii reſponſura. Qua quidem in ætate quid eſſe hoc dicam, auditores, quod, cum periti phyſicorum omnes tempus præſtitutum conſentiant, extra quod ſi quis in lucem editur, multis, ut ſupra dixi, deficiatur donis naturæ, multis injuriis, maliſque pateat; cum alii ſpatium nominatim nullum, alii aliud proferant; divinus Ariſtoteles ſeptimum, ac trigeſimum annum, illum ipſum, quem Ludovicus agebat, quaſi verum, & legitimum, & ſumme ad ſuſcipiendos liberos idoneum aſſignet? Equidem homini quid venerit in mentem hunc ex omnibus potiſſimum annum præfinire, neſcio: hoc modo ſcio nunquam facturum fuiſſe, niſi cauſa facti juſta plane, & locuples ſubeſſet.

Quid vero, quod idem admonet, id, quod eodem, valdeque ad rem pertinet, neque ætare parum, neque plurimum præcurrere liberis parentes oportere? Nolo, inquit, ab adoleſcentiore filius procreetur; parum pater ætate anteibit. vero a ſeniore; nimium ab ſe relinquet. utrumque incommodum. Quorſum? Si filius à patre propius abeſt, verecundia tollitur, diſcordia oritur: ſi longius, pietas ceſſat, indulgentiæ non eſt locus, nec mutua inter eos officia conſtant, qui ſic a ſe diſtant. Quæ quidem ſingula quia intelligo non levi cum prædicatione Delphini eſſe conjuncta; propterea quod is patrem apto intervallo ſubſequitur, ac ſuo: facio non invitus, ut brevi ediſſeram, ſi plus æquo quis aut a patre recedat, aut accedat ad patrem, quantum ſecum mali nimia hæc ætatum aut vicinitas, aut diſcrepantia invehat, quantum modus, atque mediocritas commodi. Fac igitur patri non multum ætate diſparem filium. qui ſalva id verecundia, & pudore, qui integra pace, & concordia poteſt? Tu quatuordecim, aut quindecim ad ſummum annis grandior natu, quam filius ſis (hoc enim per ætatem, ac naturam licet) tu tantulo hoc ſpatio vincas, non ſtatu ſæpe, non colore, non vultu provectior, interdum junior etiam videare; & jubeas, ille pareat? objurges, reſipiſcat? caſtiges, ferat? ille filium, tu patrem denique geras? Non fiet, mihi crede, non fiet. Quin hoc tibi velim perſuadeas, tecum ſic iſtum, ut cum colluſore, ac pari acturum, quem nihilo fere magis coram te, quam inter gregales, agere quidvis, & loqui pudeat. ut magnum quiddam conſequare, ſi te ille plane non contemnet, atque infra ſe ducet, quem a ſe diſcrimine tam tenui ſejunctum, intervalloque cognoverit. Ut aſſurgat autem puer, ut decedat, ut nutum omnem obſervet, ut aſpectum vereatur, hoc frontis maturitas, hoc cani, hoc rugæ, hoc ipſa demum parentum in geſtu, in ingreſſu, in voce gravitas ſenilis extorquebit. Quamobrem certum adeo jam mihi eſt, & exploratum, quanta Delphinus adverſum Ludovicum obſervantia futurus ſit, quam non tantum regis tribuet majeſtati, verum etiam non denegabit ætati. Ac licet ſatis conſtet optimam indolem optimo parenti ſponte nihil non exhibituram reverentiæ: tamen ipſa, quæ in flore vitæ, præter tempus cœpit, canities, eum ad venerationem ſui, qui vident, quique de ea audiunt, omnes induxit; tum a filio vero aſſiduo ſpectatore domeſtico honorem, cultum, gratificandi, & moris gerendi ſtudium, & ſimiles partes pietatis exprimet. Verum facilis ſit officioſæ hujus verecundiæ jactura, dum filio cum patre conveniat, neque ſimultas ulla incidat. At grave eſt, quod in prope pari gradu, proceſſuque ævi, luciſque uſura neceſſe, tandiu poteſtate patria contineri: grave nihil fere majoris rei gerere: grave nihil arbitratu ſuo ſtatuere. Quouſque vero a tergo inſtabit? calce calcem teret? patri ætate, regno cupiditate imminebit, alieni ubique juris, nulla re ſui, filius ſemper filius, heres nunquam heres? quo tandem ſe animo concoquet, ac feret, quo ſtomacho privatum conſeneſcere, & quantum parens abeſt a ſepulcro, tantum a ſolio abeſſe? Quid ſi ambigatur filiuſne ſucceſſurus patri ſit, an pater filio ſuperſtes futurus; num illum tædeat aliquando moræ paternæ, &, ſi in vitam gravius nihil ſtatuat, mortem, ut hereditatem adeat, non expectandam putet? Quod ſi eximia quædam adoleſcentis natura, & diligens educatio præſtare poteſt omnem culpam; tamenne omne periculum, tamenne metum omnem, in tanta metus cauſa præſtabit? tamenne defore, qui cunctantem impellant, remque indignam clament; ſuas eſſe cuique vices oportere; ſatis patrem diu ſibi, ſatis ſuis, ſatis rebus publicis vixiſſe;

xiſſe;

xiſſe: non tantundem ſilio vitæ, non, licet jam inde incipiat, regiæ adminiſtrationis ſupereſſe. Qui ſi ſermo, tanquam fax ad comprehendentem, atque idoneam ad exardeſcendum materiam adhæſerit; ſi vel credulum, ac facilem, vel ſuſpicioſum, & difficilem, vel flagrantem jam ambitione juvenem nactus ſit: quæ odia, quas querelas, quæ diſſidia, diſcordias, ſeditiones, bella, incendia eruptura exiſtimatis? Quoties vero, quamque diu ſenſerit Gallia ex hac liberorum antegreſſa felicitate, regni infelicitatem naſci, quid attinet dicere; eum Ludovicus ipſe agnovit, nec tacuit conſecuta eſſe tempora ejuſmodi, quibus e re ſua, & publica fuerit, heredem ſibi initio ex corpore, ut vocant, nullum obveniſſe?

Hæc præproperi partus incommoda: quænam tardioris? Neque multum prodeſſe parens filio poteſt, nondum ſatis provecto: neque omnino par referre filius parenti, ante, ipſe quam adoleſcat, morituro. ita cum alter alteri propter commune diſcrimen ætatum deſit, debito quodam ſuo uterque fraudatur. Facile intelligo quantus hic mihi campus aperiatur ad dicendum, quanta ſeges, atque ubertas ſeſe efferat orationis, ſi quid opis Ludovicus Delphino, ac rurſum Ludovico Delphinus allaturus ſit, aggrediar eloqui. Quot hic iſtum, quibuſve præceptis imbuet, informabit exemplis? Præceptis, non quæ multiplex voluminum lectio obtruſerit, non quæ doctorum vox, & copia ſuggeſſerit, ſed quæ multorum annorum, maximarum rerum uſus, atque experientia procuderit. Exemplis, non peregre ex aliena gente repetitis, non domo ex majoribus allatis, ſed a ſe confectis, ex rebus geſtis ſuis collectis. Quem illi rerum ſacrarum amorem inſeret religioſiſſimus; civilium, prudentiſſimus; militarium, generoſiſſimus; regiarum virtutum omnium, abſolutiſſimus? Quis fidelius, diligentius, ſolertius magiſtratus partes, regis perſonam, artes pacis, myſteria belli edocebit? Videre jam videor hoſtium illi aperientem vires, ne contemnat; imbecillitatem, ne metuat; dolos, ut caveat; cunctationem, ut eludat; ſuperbiam, ut, ſi is eorum morbus ſanari poteſt, curare, quoniam ipſe jam cœpit, pergat. Quid? quibus amoris vinculis in officio cives, quibus emolumenti illecebris retinendi fœderati. Quid? ut ſecum ipſe politiæ ſpeciem quandam, atque imaginem exprimat: ut eum vitio nunquam pacem, cum virtute nunquam bellum habeat: iſtud majore, quam hoſtes odio, quod nocere magis poſſit; hanc majore, quam ſeipſum, benevolentia, qui propter eandem ſolum dignus amore ſit, proſequatur. Jam vero quæ viciſſim a Delphino in Ludovicum officia non conſtabunt, qui hoc quoque de patre didicerit, ut gratus ſit? Hujus conſilia audiet, cœpta conficiet, acta tuebitur, curas adimet, fulciet ſenectutem, & oblectabit, vitam denique, a quo accepit, cui reddere nequit, omni obſequio, quoad ejus fieri poteſt, proferet, atque prorogabit. Hunc ſuum, regni ſui, ſuæ gloriæ, ſplendoris, amplitudinis, tam multis, tamque gravibus de cauſis parentem, nullo pietatis genere non colet, ac venerabitur; regum omnium, majorum omnium inſtar jure, meritoque habebit. Sed hæc pluribus exequi longum eſt, & ad id ſupervacaneum, ut doceam ad hanc officiorum viciſſitudinem tenendam fieri nihil potuiſſe opportunius, quam ut in hanc Ludovici ætatem Delphini ortus incideret.

Sic igitur tempeſtiva ſunt omnia, ſic non ocyus, quam decuit, non ſerius cecidere, ut partus hic ſummum, & perfectiſſimum opus naturæ dici poſſit. Ita vero admiranda omnia, ita extra ordinem, ſupra naturam, ut non niſi a vi quadam cœleſti, ac plane divina profectus idem, elaboratuſque videatur. Prius Ludovici tempus ætatis planum fecit. Poſterius conjugii tempus oſtendat. Si anno primo poſt, altero, tertio, aut etiam quarto, quam duxit uxorem, liberos procreaſſet; fuiſſet hoc quidem beneficium non vulgare Dei, in tanta regum proxime ſuperiorum ſterilitate, in tanta heredis regii neceſſitate, tam facile prole, tamque cito augeri. Verum nihil ſane præter morem, modumque, ac ſortem etiam privatorum hominum, nihil, quod non quotidie eveniat, accidiſſet. Quum autem tanto intervallo, non decem, ſedecimve, ſed tribus, ac viginti annis regi, regnoque donatus puer ſit; cum ipſa mora rem, etiamſi facilis principio foret, eo adduxiſſet, ut fieri poſſe nullo pacto videretur; cum mirum de ea ſilentium, nulla ejus ſpes, niſi aut tacita, aut perexigua; vota quoque nimia tarditate ſuſpenſa concidiſſent: nonne ſatis eſt argumenti & hoc Dei præcipuum, ac ſingulare munus eſſe, & ſe Deum muneris auctorem profiteri voluiſſe; protraxiſſe vero tempus, non tam ut cunctatione majus beneficium fieret, non tam ut expectatione carius accideret, quam ut, qui dediſſet, clarius pateret? An ſi cui quid patrifamilias bene proceſſit, ſi quo periculo, aut morbo perfunctus eſt, ſi partus vitalis, ſi puerpera incolumis, ſi rure ſalva res; id acceptum Deo, ac ſuperis continuo fertur, tum vota nuncupantur, tum donaria perſolvuntur, tum gratiæ habentur: ſi rex anno ab initis nuptiis tertio, ac vigeſimo, præter naturam, præterque conſuetudinem, & omnium opinionem, ſi hac difficultate rerum, hac inclinatione temporum, hac, in tam exulceratis animis, otii, & concordiæ deſperatione, regni columen, belli actorem, pacis interpretem, virtutis, ac fortunæ ſucceſſorem, alterum ſe filium gignit, ac præbet; dubitabimus cujus iſtud tandem munere, conceſſuque factum ſit? Deus, Deus, auditores, qui, tot jam annos, Galliam præ ceteris regnis beatam, & florentem tuetur, qui Ludovicum præter alios reges complectitur, & fovet, hac parte noluit utriuſque mancam, atque imperfectam felicitatem videri, ut aut deeſſet, qui tot affecta bella conficeret, tot victoriis, ac triumphis frueretur, aut alius a filio adeſſet, qui res paternas attingeret. Dei parens, eademque virgo, cujus ſub ſigno, cujus paullo ante natalem natus puer eſt, cujus in fidem, & clientelam regnum Ludovicus contulit, regale factum, ac donum ratum habuit, &, qui nomine ſuo caperet, Delphinum ſummiſit. Quomodo vero Deus hoc matri, mater tot ſanctiſſimorum virorum lacrymis, tot populorum ſupplicum poſtulatis denegaſſet? Quid univerſi publice præſtiterint, noſtis. quid ſacri ordines privatim, eorum me pietas dubitare vetat, modeſtia ſciſcitari. vere hoc confirmare poſſum, cum omnes, quotquot ſumus, in hac

una re efflagitanda assidui fuerimus, tum nostrûm non paucos, his viginti annis, nullum intermisisse diem, quin commune hoc orbis, ut ipsi recte interpretabantur, negotium Deo commendarent. Erat is videlicet communis omnium dolor, cum vel ex arbore bona surculos nancisci ad serendum, negligentissimo cuique, ac minime curioso sit in optatis, stirpem ex tanto rege, tamque bono nullam, nullum heredem relinqui. Mœrebant probi immortalitate dignum principem ne in suis quidem victurum, & propter quem omnes mori discuperent, prolem huic unam, quæ vel sic mori vetaret, defuturam. Improbi virtutem, cui irascebantur, pertinere ad filium, & propagari non nolebant. Ipsi hostes etiam, qui hoc tantum boni, dignitatis causa, nollent, hominis gratia oon invidebant. Hæc animorum sensa, & cogitationes cupiditatem, cupiditas metum, metus preces, preces regi successorem, patri filium; Galliæ Delphinum pepererunt. Quod si compertum, atque deprehensum est usu, sicut qui per scelus suscepti sunt, nihil in vita fere bonæ frugis edere, ita hos precationum fetus ad optima, & amplissima quæque grandescere, ac provehi: quid habemus de eo polliceri, quem cum hominum preces, ac vota a Deo expresserint; tum & tot oracula, antiqua, nova, futurum cecinerint, & qualis futurus, quam supra hominem, Deoque tribuendus, ne adjuncta quidem ortus, atque signa non prodiderint? Quam in partem accipimus, quod, perinde quasi ad tanti operis maturitatem satis menses novem non essent, decimus illum mensis ex alvo materna protulit? Quid voluit sibi, quod exortum suum ad diem medium accommodavit, cum sol & ardentissimus, & altissimus est, neque amplius, quam dimidium curriculi, ac laborum obivit? Quid subesse rei putemus, quod unus, idemque mensis trium fuit, utriusque parentis, ac filii natalis? Itaque Delphioum alii natum sane prædicent, ut Hercules Atlanti succedat adjutor laborum: alii, ut Alexander Philippo, propagator victoriarum: alii, ut Salomon Davidi, pacificator orbis terrarum. Ego te vero, magne puer, haud dubitans nobis dixerim donatum, ut divinæ beneficentiæ erga nos, potestatis apud omnes monumentum, & pignus extares. Macte tantis ominibus, tantis auspiciis. vince avos, non invidebunt; vince patrem, gaudebit; vince expectationem nostram, volumus; vioce optata nostra, non facies, non potes; ut vincas, optamus.

Hic jam vos ego, auditores, consulo, remque ad vos integram, vestramqne existimationem refero. quid videtur? parumne certo, parum manifesto Delphini magnitudinem ostendunt, quæ efficiunt, aut ulla res magis effectum, quam caussa declarat? Rex, pater, maritimum, terrestre, in suos imperium. Proles ad patris ætatem tempestiva, ad connubii tempus admirabilis. Utrum hæc aut e stellis divinatio, aut e similitudine veri conjectura, an e rei, naturæque visceribus videtur ducta persuasio, tantum illum fore, quantum non dicam cupere, sed ne mente quidem consequi possimus? Quid si maximo huic astro minora cetera, quibus suus est, nec expers efficientiæ fulgor, adjungerem? quid si patri matrem suavissimam, religiosissimam, viri simillimam? quid si regi reginam, cujus regia omnia, frater, pater, avi, affines innumeri, animus, virtus? Jam si qua Ulyssi Minerva affuit, si quis Æneæ Achates tela subministravit, si quis Ludovico auctor in consiliis, adjutor in laboribus periculorum depulsor, extinctor conjurationum, majestatis custos, nominis amplificator fuit, hodieque est, nihilne omnino aut illa ad Telemachum, aut iste ad Ascanium, aut hic ad Delphinum spectabit? Tametsi magnitudinis secundæ, atque etiam tertiæ sideribus nihil egemus, quibus, ne id quidem, quod principatum obtinet luminum reliquorum, vehementer necessarium fuit; cum ipse in cunis puer infans, quantus quantus est, tanto ante astrum sibi esse possit. nam si bellatore opus est, quot bella, quanta, nisi natus esset, nascitura, ortu suo extinguit? si pacificatore, qui communis amicitiæ nodus parentum inter se, regis cum suis, nonne opinio, & spes disjunctissimorum nunc, atque Europa tota digladiantium procerum aptissimum, atque jucundissimum vinculum tandem aliquando fore? Quid relinquitur, nisi ut quem nascentem plausu tanto excepimus, pari gratulatione crescentem prosequamur? quem votis nacti sumus, votis retineamus? ab iis, illi qui vitam dederunt, custodiam denique vitæ exoremus? Te Deus optime, maxime, imploro, atque obtestor; te magna Dei mater, vosque reliqui cœlites, quibus tanti beneficii gratiam deberi si non agnoscimus, cæci, si non profitemur, ingrati simus. munus vestrum tuemini, alite spes nostras, parentibus heredem, populis regem, vobis supplicem conservate. pubescat, adolescat, vir mature, senex tarde fiat. filius dignus patre, dignus matre, utrique superstes, multorum ipse liberûm parens, avus nepotum, superatis omnibus hostium, terra, marique copiis, si quem tamen pater vincendum hostem relinquet, in cœlum se, quam suis carus, quam alienis formidolosus, quam ab omni laude felix, tam serus ad vos, tamque longo intervallo conferat.

ORATIO SEXTA.

Perseus in Demetrium.

Status quæstionis, an Demetrius Perseo fratri vim, atque insidias fecerit, & Romæ cum hostibus coierit. accusator, Perseus. reus, idemque defensor sui, Demetrius. judex, Philippus, rex Macedonum, pater utriusque. assessores, Lysimachus, & Onomastus. Ex Livii libro 40.

Pellæ Macedonum. anno Philippi regni XXXIX. *urbis conditæ* IↃ LXXI.

ERoo etiam alienæ, credo, sum culpæ reus, qui fores de nocte non aperuerim, qui percussores armatos non introduxerim, qui jugulum

gulum mucroni non præbuerim, aut ferrum corpore totum non receperim: siquidem insontem & reum, petitum fraude & circumvenientem, oppressum vi & oppugnantem paterna reprehensio nihil discernit. Hoc nimirum istud est, quod illi spargere non dubitant in vulgus, natum me ex despicatissima pellice, te unum Demetrium e justa uxore filium habere. nam si filii apud te essem loco, non jam me severe, & parum clementer, qui deprehendi, atque subterfugi, sed eum, qui vim, & insidias fecit, adhibêres. Quod si neque præterito periculo commoveri, neque futuro in posterum providere, si tacitos denique mori nos oportet; taceamus, & optimæ mentis conscientia freti moriamur. Sin autem ita comparati natura sumus, ut quibus modo perfuncti simus periculis, vel recordando percellamur, totique cohorrescamus; ita ratione docti, ut iisdem deinceps qua virtute, qoa consilio occurrendum putemus; ita demum consuetudine, usuque facti, ut præsentis doloris, mortisque imminentis sensum vel gemitu, vel verbo testemur: mihi quoque in meis maximis temporibus, ac vitæ discrimine, pater, liceat esse non plane nihil sentienti; liceat præcavere; &, si impendens capiti jam meo exitium, manus opposita, interjectuque parum possum, inclamando certe liceat, & vocis libertate lenire.

Nihil agis, frater, nihil struis, nihil cogitas, quod si minus effugere, præsentire saltem, atque odorari non queam. ætas provectior mea tuis se consiliis interponit, obstat rationibus, ambitioni adversatur. huic meæ grandiori ætati commune jus gentium, huic nata pariter cum regno Macedoniæ, & in hanc diem retenta consuetudo, huic gravissimum patris; nec obscurum judicium; horum, inquam, omnium concursus non mihi regnum expetitum, sed ætati meæ debitum defert. Hæc te angunt, probe scio, urunt, excruciant, ac ne regem videas, æquis oculis fratrem videre tua te ferox ambitio non sinit. novum quoddam facinus excogitas, atque inauditum, & sic ratiocinaris, scelefte quidem, sagaciter tamen, hæc universa uno quasi ictu rescindi impedimenta posse. luminibus meis frater obstruit; dejiciatur: præcurrit ætate; tollatur: si vivit, regnum ipsi eripi non potest; antequam regnet, vita potest; eripiatur. Quid enim tum aliud dicis, nisi hoc, cum insidiarum nihil prætermittis, quod aut per audaciam suscipi possit, aut per fraudem, malitiamque fingi, quin vitæ opponas meæ?

Meministine heri vesperi, id si tibi modo per hesternam potationem licuit, illo in censu militum, solennique lustro, cum tu, tuique similes, conscìique facinoris passim toto curriculo, atque insolenter volitaretis, cum similitudinem belli, atque speciem, ad justam, cruentamque pugnam traduceretis, nullum neque finem, neque modum feriendi faceretis; cum mihi aut cadendum misere esset, aut indecore fratri natu minori cedendum: cedere me furori tuo maluisse, quam materiam parricidio, atque ansam non subtraxisse? In quo quid primum doleam? quid privatim querar? quid accusem præcipue, cum unum in scelus tot inclusa scelera sint, atque congesta? pollutumne abs te diem, celebrem epulis, solennem censu, religione sanctum, quem unum præter ceteros, ad tuos nefarios conatus, perditosque selegeras? an proditum posteris exemplum cognationis, affinitatis, germanitatis, officii denique omnis, regnandi gratia, violati? Te si minus vim Deorum, ultricem neglecti cerimoniarum juris, atque vindicem extimuisse, si minus consequentis ætatis hominibus auctoritatem allatam peccandi curasse; at præsentiam populi Macedonici, quo inspectante, admisso equo, sublataque dextra furebas, at conspectum patris, regisque numen, atque nutum, qui tuum illud os, & inflammatum, atque ignitum furorem contueretur, nullo modo reveritum esse? Quid si tantum ad nocendum facultatis attulisses, quantum voluntatis; si patriæ solum, si patris oculos meus, percussionibus elicitus tuis, & una cum vita profusus cruor respersisset: quo tandem animo laturum putas fuisse aut Macedonicum populum legitimum sibi regem immaturo occasu præcerpi; aut patrem liberûm amantissimum ante oculos se per summam indignitatem prole orbari? Quem ergo, pater, elugeres, quem non posses moderate ferre interemptum, hunc tu de manibus interfectorum ereptum, ac vix vivum relictum tueri ab insidiis, ac defendere dubitabis? & cujus tu factum, si processisset, ultus esses, hujus, quia non processit, consilium inultum esse, impunitumque patiere? cum præsertim si dolendum minus est re non perfecta, non continuo sit facinore suscepto puniendum minus: imo vero etiam hoc magis, quod quæ ausus est, ejus culpæ; quæ minus effecit, meæ sint felicitati, nonnulli etiam tribuenda prudentiæ.

Quid ergo? hoc uno scelere aut inchoato, aut non absoluto contentus est? Minime vero. temeritatem quidem consilio eluseram, audaciam non resistendo fregeram: sed crudelitatem non satiaram. cesseram invidiæ, malevolentiæ, odio, armis: sed ita cesseram, ut salvus, ot incolumis, ut nondum effuso, quem is tantopere sitit, sanguine superessem. Itaque qui gravius sibi in vita nihil duxit esse, quam quod suis e manibus eriperer spirans, atque evolarem; nullam moram interponendam ratus, alios mihi ex aliis laqueos parat, & ad cœnam me, conviviumque confestim, reconciliationis simulatione, tecto ac domo invitat. Hic ego, pater, quid facerem, aut quid agendum mihi in re tanta, ac tali censes fuisse? an invitatus condicerem? an præsto essem evocatus? an huic iterum me committerem, cujus ante paullo manus violentas non commodiore, neque honestiore, quam fugæ conditione, a meo capite, cervicibusque redemeram? Potuine intra parietes inimicos tuto diversari, qui non sine periculo foris constitissem? potuine tot inter capitalissimos hostes, quot convivas impune solus accumbere, qui re præsente, in ludicrum certamen, quod sudibus decerneretur, quod spatio temporis brevissimo conficeretur, nullo meo malo, aut mali metu, non descendissem? Postremo ut tuta fuerint a ferro, ac vi omnia, quis mihi insidias noctu, suspicionem domi alienæ, inter vina venenum præstitisset? Ego vero iturum esse me negavi. qui si secus fecissem, non jam de fratris perfidia disceptator sederes, sed filii, non hostili, quod ipsum dolendum esset, verum fraterna manu trucidati, funus curares.

Nam

Nam quid de eo aliud fas est suspicari, qui adolescentium hominum justum propemodum exercitum secum in ædes meas, tanquam ad expugnationem arcis eduxerit? Aut factum nega, si audes, quod illi ipsi, qui in armis fuerunt, tametsi confidentissimi, negare non audebunt: aut defende, si potes, & alio potius quovis, quam insidiandi consilio, domum te meam accessisse doce. Comessandi, opinor, & fratris visendi causa veneras? id si ita est, fratrem quod intervisas, gratum quidem est. verumtamen quid necesse fuit tanto comitatu? quid attinuit cum armis? qui convenit id temporis? quid ipso jam ab ostio tumultuaris? quid turbas necdum intromissus facis? Prohiberis aditu, excluderis: quid rum? alienum tempus est, concubia nox, & intempesta, præpostera visendi hora. ad fratrem honoris causa si adis, quod præ te fers; habet gratiam frater, honore isto tuo nihil utitur, tibi remittit: si insidiatum, quod potius existimat; cavet sibi, sui copiam facit nemini, parietum se, salutemque suam custodia tegit; quis tandem reprehendit? Quod si urgere non cessas, ut facis, atque instare amplius: vide, quæso, ne hocce tuo facto non tam te doleas excludi, quam significes, quo animo veneris, qui alienam in domum aditum tibi vi patere velis.

Insidias habes, pater, quas ego prudens, certoque judicio, & declinatione quadam effugi: sed non habes, a quibus mea me imprudentem, & minime suspiciosum fortuna servavit. Non nunc primum, sed primum aperte, primum luce, primum palam appetor; cum antea obscure, cum ex occulto, atque insidiis, a tergo, perque cuniculos invaderer. denique nunc primum ictu cominus, in ipso regni gremio, in urbis oculis; cum eminus ante, atque adeo ab ipsa urbe Roma consiliis oppugnarer clandestinis. Neque vero existimandum est, quod in me heri ferme erupit, conceptum in Macedonia scelus esse. Fateri verum si vis, mi frater, quanquam sis, ut es, dolis abundans, atque fallaciis; hoc tamen tam tetrum, tam horribile, tam præter consuetudinem, cogitatum Roma, & meditatum facinus attulisti. Tibi Romani magnos istos spiritus addiderunt: tibi spem regni ostenderunt: tibi auxilium prolixe, operamque suam, & contra fratrem, &, si in sene, a morte qui propius absit, necessitas minime expectanda est naturæ, contra patrem adpromiserunt. Is, pater, nempe est, cui suas nuper inimicitias, cui quam mulctam irrogaturus erat, condonavit senatus, ac remisit. is est, qui in præsentia, cupiditate, & armis imminentes in hoc imperium Romanorum copias, tuis ab humeris arcet solus, atque defendit. is demum est, qui senectutis tuæ imbecillitatem, labentis, atque inclinati regni statum, rerum Macedonicarum angustias, suo præsidio, firmitate sua, suæ, qua apud Romanos plurimum viget, gratia adolescentiæ sustentat. Illæ autem quid sibi T. Quintii literæ volunt, quibus & in eo vidisse multum perhiberis, quod Romam hunc allegaris; &, si regno Macedoniæ vis esse consultum, idem ut iterum, sæpiusque facias, admoneris? Quid, quod illis ipsis in literis adscriptum est, tibique, prope dicam, præscriptum, ut plures huic legationis, vel potius sceleratæ conspirationis comites, ac regni principes viros adjungas? Quid plures? quorsum regni principes, nisi ut cum ad numerum auctoritas quoque accesserit conjuratorum; contra vitam, fortunasque tuas consilium & audacius, impuniusque, quo a pluribus, ineatur, & facilius, quo a potentioribus, ad exitum perducatur? Quæ cum ego nefarie, crudeliter, perfidiose, in te, in me compatari video pariter, & pro eo ac debeo, indigne fero: tum occultius quiddam, atque tectius sentio subesse, quod populo Macedonico multo fortasse sit cavendum magis majorique provisione fugiendum. Ita mihi vitam superi fortunent, diuque patrem incolumem servent, ut nulla me unquam regnandi major cupiditas tenuit, quam quæ me ab hereditatis paternæ, atque publicæ rei contemptu vendicaret, non quæ teum ambitionis tantulum faceret. Quamobrem, si videtur, frater, non recusans cedo jure; si placet, summo etiam cum studio cedo regno: ita tamen, eaque lege, atque conditione, dummodo tibi; dum tu imperes, dum non extranei, dum non hostes, dum non Romani dominentur. Sed si illi ipsi, in speciem qui te fovent, habent in manibus, amplexantur, qui se & omnia tua causa velle, & facturos, si quando aut tua voluntas, aut occasio tulerit, cumulate profitentur; si illi, inquam, ipsi, quorum tu ope niteris, gratiaque flores, re quidem vera res agunt suas, non tuas, neque tam meo te cupiunt, quam per te se alieno potiri posse intelligunt: quid est, cur usque adeo tibi, sanguini tuo, Macedoniæ regno sis infensus, id ut in manus devenire malis eorum, qui tanquam prædam direpturi sint, quam ejus, qui velut patrimonium & conservaturus sit, & amplius honestis rationibus facturus?

Verum esto sane. regnent Romani, quoniam tu ita vis, vel potius, quod multis equidem partibus malim, libere triumpha tu, atque dominare; per me licet: dum unum modo mihi, quod jus, quod æquum est, vel tacenti non eripiatur, vel supplici, atque flagitanti concedatur, vitam ut ab insidiis vacuam, a timore exploratam liceat, tametsi in luctu, & tenebris, quovis in angulo totius regni propagare. Nihil jam ego sceptrum, nihil diadema, nihil cetera regum insignia laboro. Si tua sunt, non exigo: si mea, concedo etiam, atque condono. Quod miseris nimium fortasse videatur, certe prospera usis fortuna parum est, insidias deprecor, postulo securitatem. Quod si ne hoc quidem per fratris impietatem, ac suspiciosam ambitionem impetrare fas est, quod ipsum infidelissimi interdum prædones non denegant, ut vitam ereptis fortunis retinere liceat: unum Deos immortales oro, atque obsecro, quod si obtinuero, pulcrum me, ac beatum putabo, ut quam tempestatem gravissimi, & tristissimi temporis excepero, eam totam excipiam, solusque, neque sinant in carissimi parentis salutem, commodum, decus redundare. Sin vero, pater, & Dii aliter te, atque hac devotione capitis mei, salvum volunt; neque vita tibi mea vilis est, neque dignitas, ut levissime dicam, non grata: hoc te quæso, obtestorque, ut & innocentiam conserves, metu in posterum, periculoque liberatam; neque audaciam sic impunitate corrobo-

rati

rari sinas, ut potestas, cum velis, adimatur puniendi: quorum alterum uti fiat, operam dare, tuæ justitiæ est; alterum ne fiat, cavere, prudentiæ.

ORATIO SEPTIMA.

Demetrius pro se.

O Dii omnes, Deæque, non minus innocentiæ testes, ac præsides, quam facinorum vindices! quid enim hic aliud appellem, cum quæ desperatissimis reis, & omnium jam opinione damnatis abesse non solent, ea in defensione hac mea non modo me deficiant, sed contra me faciant universa? Frater, qui adversum omnes tueri, ac tegere debuerat, accusat: & in periculo gravissimo suo accusat; ut fides sibi tanto facilius adjungatur, quanto ad tale, tantumque de fratre suspicandum facinus difficilius frater adducitur. apud parentem autem, quem in idem secum discrimen trahit, accusat; ut quem socium timoris habet, eundem partium suarum fautorem, & insidiarum communium depulsorem habeat. Ita & accusatorem nactus sum, qui facile persuadeat propter minime suspectam in re tam atroci fingendi licentiam; & judicem, cui facile persuadeatur propter periculi communionem. Spero tamen fore, ô pater, atque etiam confido, ut, si nihil huc præjudicati attuleris, si me his tot, tantisque incommodis oppressum æquitate tua sublevatis; & superioris diei criminibus fortiter occurram; neque obtrectationibus vitæ anteactæ succumbam. præsertim cum bonitas meæ causæ malitia accusatoris, inconstantia, atque indignitate non parum adjuvetur. Nam quid hoc iniquius dici, aut cogitari potest, quam res tam inter se loco, tempore, agendi ratione disjunctas, vitæ reprehensionem meæ una cum hesterna prolusione ludicra conjungere? quid minus cohærens, quam modo Romanorum copiis fretum, regnum appetiisse; modo, perinde quasi alia nulla ad regnum via pateret, cædis occasionem captasse? quid indignius, quam ob eam rem, propter quam præmium mihi dudum persolutum oportuit, in judicium me, & crimen vocare? Quæ cum ego verissime argumentari, gravissimeque conqueri possim, tum meorum recte factorum fiducia præteribo, neque committam, ut diverticula, quærere, & qui rei sustineo partes, accusatoris suscipere personam voluisse videar. quin veniam potius ad crimen, & ea, quæ tute veritatis obscurandæ causa, frater, confudisti, illustrabo, refellamque separatim.

Ac me primum sceleris prope ante hoc tempus inauditi, fraterni parricidii insimulas. perfectine? minime. nam tu certe vivis, &, id quod facile patior, meo periculo, ad accusandum me, vivis. an inchoati? ne id quidem. nullum vulnus: cicatrix nulla: nulla percussio. suscepti igitur, ac tentati? hoc enim reliquum tertium est. respiravi: non mali tantum est, quantum metueram, quantum iste vociferatur: mens hic unus conatus, non factum ullum coarguitur. Cogitari, inquit, de necando fratre. hunc oculis unum designabam; in hunc unum ferebar; in hunc omni impetu irruebam. quibus armis? sudibus. quo prælio? ludicro. quando? refert enim magnopere id ipsum. sed hac de re videro posterius. Utrum ergo me hujusce tam idoneis armis, tam extra jocum, tametsi joculari pugna, tentatæ cædis ansam quæsiisse, an oblatam arripuisse vis? utrum meditatum huc, & consulto devenisse, an temere, ac subita iracundia proripuisse? Si posterius, quid tam celeriter meus iste ardor deferbuit? quid refrixit? cur id, quod institueram, non perfeci? cur meos studio partium, & vincendi jam spe elatos repressi? quid fuit negotii aut te incursu primo, nihil opinantem opprimere, aut deinde cedentem, quemadmodum ipse ais, neque resistentem persequi, atque conficere? Si vero & hæc sum cogitato aggressus, & ab incepto ideo destiti, quod fecisse quasi aliud agens videri volui: tam amens eram, ut certum consilium incertæ belli, etiam ficti, aleæ, communique Marti committerem? non videbam paribus utrinque copiis, justa militum partitione facta, humanum esse, non novum, fieri denique posse, ut vincerer, & qui spe occidendi adorirer, ipse præsentes pœnas maleficii cogitati darem? non intelligebam me patris odium, me populi Macedonici invidiam subiturum? qui si me antea propter vitæ modestiam, benevolentia forte dignum, atque honore judicarunt, tum certe ob sanguinis violatam conjunctionem, hominum aditu, atque congressu, hoc cœli spiritu, luce denique ipsa indignum ducerent, ac tanquam fratricidam execrarentur. Quid postea? ne tum quidem sciebam, mecum reputabam, veniebat in mentem, cautius id effici, impuniusque posse? Quot, quantas occasiones, quam præclaras video quotidie dari, quas si tenuissem, & negotium transegissem, & crimen vel ipso in fonte, ortuque supprimerem, vel omne in alium derivarem? quid prohibuit de nocte? quid in agrorum recessu? dum periculum non esset ne remotus ab arbitris locus factum enunciaret, neve cæca tenebratum obscuritas patefaceret? Atque ut non expectanda hæc tempora, non loca fuerint, potui ex insidiis domi te tuæ, alienæ potui, potui meæ, quovis temporis puncto, inter convivandum, prima potione, uno haustu veneni tollere. Denique quidvis moliri potius, extrema ante periclitari omnia & potui, & vero, nisi plane insaniebam, debui, quam meridianam lucem ad insidias, fori celebritatem, ac frequentiam ad certam, & deliberatam cædem non declinare; quam & Macedonas detestabilis flagitii testes, & parentem optimum orbitatis suæ spectatorem constituere

At enim id ipsum quoque clam, atque abdite sum postea facere conatus. Ubi? quo tempore? qua ratione? Tum, cum ad cœnam fratrem, per causam reditus in gratiam, elicere studui. O miram inconstantiam dictorum! ô incredibilem pugnam criminum! quam bene comparatum est, a vero nunquam diffidere verum; falsa sæpenumero falsis adversari! opportune scilicet: id abs te si impetrare volui, meo ut invitatu venires, ac non,

quem-

quemadmodum feciſti, renueres; ſtomachum antea tibi moveri oportuit, juſtamque ſuſpicionis materiem dari: &, ſi latebras, atque ſceleris integumenta quærebam; præmittenda hæc, & ante, ludicro certamine, ſuſcipienda ſimultas fuit: ut jam nemo ambigere poſſet, quo auctore ei, per quem conſcium oblata mors eſſet, qui optimo habitu, integris viribus, ætate robuſta, derepente mortuus in domo reperiretur inimici. Ita, pater, ſe res habet: ſic intelligo: compreſſa veritas, & oppugnata vix ſe ſuis viribus tuetetur, inque mendacio proferendo ac labefactando laboraret, niſi ſeipſum mendaciom proderet, ſuaque ſponte, impellente nullo, corrueret.

Quod haud ſcio, an id in hanc quoque partem afferre accuſationis debeam, ægre me facti mei rationem probaturum, quove a me conſilio frater conveniretur oſtenſurum, niſi tota res, ac male contextum crimen labaret. Quo quidem in crimine mitto quærere, cujuſnam fuerit non dico imprudentiæ, ſed inſaniæ, cum ſemel, iterumque meos eluſos eadem die conatus ſentirem, tertio, nullo ſumpto ad interquieſcendum, aut conſilium capiendum ſpatio, rem eandem multo periculoſiore, multoque lubrica magis via urgere. Hoc primum quæro, frater, qui ſcias, unde, quis tibi nos cum armis domum ad te veniſſe dixerit nam aut inermes maximam partem eramus, aut ſi quid forte ferri pauci habuerunt, id ita factum lateuter eſt, ita callide compoſuerant, ita veſte contexerant, ut nihil tale quidquam non modo abs te, qui ædibus ſeptus, atque incluſus, nemini te propter metum, credo, in conſpectum dares, non modo a tuis, vel e domo ſuperiore proſpicientibus, vel ad oſtium ſtantibus, ſed ne a meis quidem animadverti potuerit. quid meis loquor, cum ipſe neque tum arma qui cepiſſent, tenuerim, neque noviſſime, niſi in rem totam ſtudioſe inquiſiviſſem, reſciverim? nonne neceſſe plane eſt refertam domum fuiſſe meam tuorum ſpeculatorum, qui auſcultarint, & verba exceperint, qui omnia obſervarint, qui ſumentes arma, qui occultantes viderint, qui excurrerint, ad teque celeriter detulerint, fratrem adventare, cum ipſo una aliquot, qui arma veſte occulerent, adeſſe? Deinde & iſthuc ſcire pervelim, utrum tantum meos eſſe quoſdam comites in armis renunciarint, aliudne præterea nihil ſubjecerint, non cauſam, non conſilium, non mentem aut apud me expiſcati fuerint, aut tibi indicarint. Si fuerunt, quorſum pertinerent hæc tela, neſcii, non probe ſunt officio functi ſuo, hoc eſt, exploratorum. erant enim ad eam rem miſſi, ut non ſolum introſpicerent, domi meæ in præſentia quid fieret, verumetiam quid pararetur in poſterum. non ignorare potuerunt e ſociis nonnullos, qui deprehenſi in ſpeculis fuiſſent, pulſatos a meis, maleque mulctatos abiiſſe. comperire debuerunt hoſce eoſdem, qui tuos inſidiatores paullo durius acceperant, eum tui adeundi cepiſſem conſilium, cumque ſibi, ne par pari referretur, metuerent, ſui tutandi cauſa, quod cuique veniret in manus, prehendiſſe. ne illud quidem eos ſugere potuit, hæc omnia non dicam meo juſſu, ſed ne hortatu quidem, aut conſilio, non modo non connivente, ſed inſcio me, atque imprudente eſſe geſta. Horum ſi nihil, facile cum poſſent, adverterunt; num credibile quoque eſt haudquaquam eſſe hanc ab ipſis armorum occultationem notatam, ſed a te criminum, quæ mihi inſerres, inopia confictam? Si cum ſcirent, certiorem te non fecerunt; tamenne tam inofficioſos ſervos, atque infideles feres, qui falſum domino, atque inanem armorum metum injecerint, quique ea te celarint, de quibus tua maxime intererat admoneri? Sin autem & curioſe illi perviderunt ſingula, neque nunciare bona fide quidquam omiſerunt; ſi tu, frater, & arma ſumpta, & clam me, defendendæ, ac propulſandæ, non inferendæ injuriæ gratia ſumpta probe noſti: quid te malitioſius fingi poteſt, qui ſcientiæ parte ad meam accuſationem abutare, ſcientiæ partem, quæ ad defenſionem valeret diſſimules?

Neque ſatis habuit, pater, præ ſe ferre neſcire ſe, quod ſciat, & ſuis improbiſſime cogitatis ignorationem prætendere, niſi ad veritatis diſſimulationem nefariam, impudenſque mendacium adjungeret. Clandeſtina mihi cum hoſtibus fuiſſe colloquia criminatur, legationem meam deformat, omne illud tempus, quod Romæ obſes commoratus ſum, exagitat, res denique meas præclare geſtas crebra Romanorum mentione, atque uſurpatione inſectatur, & in invidiam adducit. Etiam atque etiam vide, frater, & conſidera, quid facias, quo progrediare, quem, & quibus de cauſis divexes. inferior e prælio diſceſſiſti: ea re mihi factus es iratior. fremis, diſrumperis, quæ ſcis, quæ neſcis effutis. collige teipſum, comprime iracundiam, da aliquid rationi, & conſilio loci, hæc tecum duo verba loquere: Quid ago. in medio efferveſcentis iræ quaſi æſtu vera promiſcue, & falſa effluunt: multa nobis percitis excidunt, quæ ſedatiore animo, ubi vis illa remiſit, ſe fregit impetus, aut dicta nollemus, aut perturbationis, qua rapiebamur, excuſatione tegimus, aut omnino a nobis inficiamur prolata. Si contumelias jacis, ignoſco dolori tuo, tametſi non juſto, neque ita moderato. Si litem intendis, ſi ſerio loqueris, tibi conſtas, & pergis moleſtus eſſe; ego vero reſiſto, & ſic ago. Facta Romæ coitione conjuraſſe me arguis. magnum crimen, fateor, audax facinus, impium; ſive quod in cauſa publica, graviſſimo munere, jure legationis ſanctiſſimo turpiter prævaricatus ſim; ſive quod cum Romanis contra Macedonas, id eſt, cum ignotis contra notos, cum alienigenis contra populares, cum hoſtibus contra meos, parentem, patriam facere decreverim. Verumtamen quid eſt, quamobrem ex eo die, quo in Macedoniam primum redii, ad hunc me diem proditionis reum non citaras? annus unus, alter abit: ſumus una multum; colloquimur inter nos quotidie; eſt defendendi nominis tempus; non deeſt poteſtas; varia de variis, de hac noſtra conſpiratione verbum nullum facis tanto poſt ſic tanquam e gravi ſomno expertectus ad accuſandum ſurgis; viſa nobis, & criminum portenta narras, & mirificas hic tragœdias agis: unde hoc? Si tantum ſuberat in re periculi, in ſcelere atrocitaris, quantum à

te

te inducitur; cur me ex Italia recentem, delicto flagranti, in judicium continuo non vocasti? si non continuo, quare non aliquanto post? si non aliquanto, cur neque sex ipsis mensibus? cur anno vertente, & eo diutius? cur denique ne nunc quidem tanto intervallo, confectoque biennio ad accusandum descendisses, nunquam verbo appellasses, si prima familiaritas maneret, neque novum hoc inter nos repente dissidium intercessisset? Utrum magis salute tua, quam hoc tumultu proximo agi putas, quam parentis, quam patriæ, propter mea superiora consilia periclitantis, incolumitate commoveris? an potius ut crimen probes, aliud crimen confingis? ut conceptæ in privatum cædis acerbitatem exaggeres, factæ in publicam rem conjurationis immanitatem congeris? Quare nobis da viam, rationemque respondendi. nam taciturnitas tua aut defendet nihil abs me fraudis, quod indicari, ne dicam puniri oportuit, esse admissum, aut magnam ad te, qui in mea perfidia conniveres, accusandum facultatem dabit. Tametsi non me alieno facto defensum, neque aliena culpa purgatum volo. tu mihi, pater, optimus testis esse potes, quid Romæ susceperim, quid profecerim, quid transegerim. nihil de me dicam elatius, nihil tibi novum, nihil cuiquam inauditum. Semel sum ad retinendam pacem Romanis obses datus. qua in persona tuenda ita meam summis, infimisque moderationem probavi, sic me tuo non indignum sanguine præbui, ut ipsis etiam hostibus placuerim, & usque eo placuerim, ut & salva, quam præsentia mea fovebam, pacificatione, præter morem, fœderumque religionem, reditum mihi in patriam liberum darent, & commorationem Romæ meam sibi jucundam fuisse significarent. Insecuta turbulenta illa tempora sunt, quæ non tam obsidem ad alendam pacem, quam legatum ad obtinendam exigerent. Itaque iterum Romam profectus sum, non ex omnibus unus maxime idoneus, sed omnium minime Romanis invisus. in quo sane fructus gratiæ superioribus temporibus collectæ tuli uberrimos, cum mihi privatim senatus non variatis sententiis postulata se concedere clara voce pronunciavit, quæ alteri cuivis, extra me, sine controversia denegasset. Hujusce porro pacis conditiones, quanquam pergraves initio, & prope intolerabiles censeri possent; fuerunt tamen ejusmodi, ut in tantis rerum nostrarum angustiis, optatæ potius a nobis, quam in tam exulceratis Romanorum animis, speratæ viderentur. Alia complura, quæ ad fidem commendandam meam pertinerent, quoniam hic in dubium vocatur, expromere possem. sed ea malo in tacita omnium æstimatione relinquere, quam in defensione mea ambitiosius ponere. hoc breve dico: hanc profectionem duplicem, hanc Romæ mansionem, voluntate tua, pater, tuo jussu, cum mandatis tuis, ex animi tui sententia inivi pariter, atque obivi. nihil in publico isto negotio meum præcipue fuit. nihil huc attuli præter operam, laborem, diligentiam, ad summam, incredibilem tibi moris gerendi cupiditatem. Quæ cum sibi accidisse non ingrata superi felici rerum, ac prospero exitu declararint; vide, quæso, frater, ne sit periniquum abs te improbari, aut deteriorem in partem accipi.

Neque hæc gloriandi causa loquor (quanquam ea mei prædicatio non invidia, sed misericordia videri digna deberet, quam necessitas, ac periculi metus extorqueret) sed tamen non gloriandi causa hæc, multo etiam minus exprobrandi, commemoro; verum depellendi criminis gratia, ac deprecandi, ut si omnia mea dicta, non modo facta, omnes cogitationes, non solum curæ, eo spectarunt, ut fœdus vel firmarem, vel de integro ferirem; si meæ cum Romanis amicitiæ summa huc pertinuit, ut suas illi inimicitias Macedonibus condonarent; ne patiare, pater, quod in gratia, laude, atque honore poni, quod dignum remuneratione duci debet, id fraudi mihi, probro, exitioque verti. Noli quod nullo dolo malo, quod optima susceptum fide est, quod feliciter, & ex sententia perfectum, aut obliterari, obruique calumnia velle, aut etiam in alia omnia per fraudulentam interpretationem trahi. Noli committere, ut posthac dubitemus, utrum satius sit bene negotia cum exteris gentibus transigere, ne in tuam malevolentiam incurramus; an male, ne in nimiæ apud hostes gratiæ suspicionem incidamus. Simul & illud te obsecro, obtestorque per dexteram illam tuam, quam mihi olim puero familiariter porrexisti, per documenta, quæ subinde plurima instillasti, per spem, quam tibi in primo ætatis, adolescentiæque flexu dedi, per quidquid in te indulgentiæ, in me pietatis, amoris mutui in utroque nostrum fuit; hoc te, inquam, per teipsum oro, ut cum mea paratior, alacrior, ardentior voluntas est, usque jam aliquo rerum doctior, tum ejus ne potestatem eripias postero tempore declarandæ. Quod si parentem nulla naturæ memoria, nulla filii misericordia tenet; pro tua prudentia saltem cave, ne des hanc hostibus finitimis lætitiam, hunc tuis mœrorem; ut quem illi contra se missum Romam norunt, hunc ob illam ipsam causam paterna sententia afflictum, perculsumque audiant; ut quem hi pacis obsidem, deprecatorem belli intuentur, eundem ob eam rem, etsi contraria prætexantur omnia, tristius acceptum, deteriusque videant. Nam in fratrem si quid proxime vel leviter deliqui, per me nihil est moræ quin minima noxa exquisitissimo cruciatu plectatur. Si nihil nocui, si nullum criminandi fundamentum, nullum criminis signum, si nihil aliud fuit, præter fratris victum sese, ut fit, dolentis impotentiam; grave est, cum ab omni culpa absis, pœnam culpæ debitam, ac constitutam luere. Si tamen ut ceteris in rebus, sic & hac in parte vis me tibi facere satis, mulctamque dependere; neque me unquam, quod optimo parenti, vitam qui concessit, observantiam vicissim retribuerim, pœnitebit; neque recusabo, quin eadem hæc observantia, mihi in vita castissime culta, morte mea, ac sanguine sanciatur: dum hoc omnes modo intelligant, initam a Romanis gratiam, pacem cum impetratam, tum conservatam, parendi, Romamque veniendi non rejectam provinciam, præstitam ceteris rebus vel susceptis diligentiam, vel receptis fidem, quæ in cooperto vitiis omnibus reo valere ad absolutionem debuerunt, causam mihi damnationis, ac supplicii attulisse.

ORATIO OCTAVA.

De contemnenda opinione doctrinæ.

Avarici Biturigum. XIV. *Cal. Novemb.*
CIƆ IƆ CXL.

ANTEQUAM de contemnenda opinione doctrinæ, atque literarum, viri humanissimi, theologi eruditissimi, dicam ea, quæ dicenda tempus hoc admonet, in quo paucos vere, perfecteque doctos, complures falso habitos reperire licet: primum a vobis peto, ne me magis nunc exaggerare minima quædam, oratorum more, velle, aut litigandi studio, cognitæ, perspectæque veritati adversari; quam quod ita res sit, itaque sentiam, Latine, & simpliciter loqui putetis. Deinde illud vobis persuadeatis velim, non eum esse me, qui cum academicis, opiniosissimis quibusdam philosophis, animos ubique nostros nutare, ac fluctuare, perpetua dubitatione suspensos; nullam cujusquam rei exploratam haberi vel disciplinam, vel doctrinam; nihil denique, nisi forte id ipsum, quod nihil sciatur, certo sciri posse contendam. Simul & hoc oro, ne quis vestrûm in eam partem propositum, consiliumque meum accipiat, ut omni de famæ celebritate cura, omni laudis, & gloriæ cupiditate velim mortalibus interdictum: cum quidem cogitare vel illud secum, nobis mortuis quid de nobis dictura posteritas sit, optimas mentes, neque omnino hebetes, aut dissolutas, & negligentes sui, deterreat a vitio, exacuat ad virtutem, & exiguam hujus, quæ concessa est ad vivendum, lucis usuram, alterius quasi vitæ in pia, grataque memoria omnium seculorum degendæ diuturnitate compenset. Ego idem tamen, qui percipi aliquid a nobis, comprehendique posse fateor, quatenus docti & fiamus, & jure dicamur; qui homines defendo, si modo homines sunt, bonæ existimationis spe, fructuque duci, & immortalitatis oportere; sic perspicio, sic statuo, contemnendam omnibus studiosis opinionem esse doctrinæ, atque literarum. qui secus fecerit, non imprudentem modo, & vanum, & ridiculum videri, sed etiam bonarum, quas profitetur, artium prorsus expertem, atque imperitum. Quorsum istud? Quia ejusmodi de literis, deque literaris opinio, ut nunc quidem res habent, falsa, quia turpis, quia indigna est. Quæ tria postquam breviter, & ordine explicavero; si quid horum mihi non assensi eritis: licebit sane, ut tanti nudum ac simplex nomen eruditionis, quanti eruditionem ipsam, aut pluris etiam, si lubet, faciatis; neque recusabo, quin me, qui contemni illud volo, spernatis, meumque omne de reliquis judicium, vel ob eam rem unam suspectum, repudietis.

Quid a vero longius abest, quam temeraria, & præceps, tamen constans, & pertinax, suscepta de iis opinio, quæ qualia sint, unde petenda, vel cum alii aliud sentiant, ambigitur, vel cum certum nemo prater ceteros sciat, penitus ignoratur? quid porro minus, quam gravis, & solida, ac præstanti ingenio digna, qua in re sita maxime doctrina sit, & constat inter omnes, & vulgo scitur? non enim disputo, eccui homini jure conveniat; de quo postea cum ad locum idoneum venero; sed quam in rem cadat, id primum ago. Quænam igitur major hominum ignoratio, quam, doctum quod proprie, vereque dicitur, quid intelligamus, aut in qua tandem cognitione, scientiaque verbum hoc ponamus? Quasi vero qui e populo infimas artes, & ad usus vitæ necessarias vix tenent, ii vel liberales perspectas habeant, vel ex liberalibus primarias; ut nomen doctrinæ, quo nonnulli appellantur, quid sonet, ac valeat, satis advertant. Cum autem quamplurimis haud sane rerum imperitis non sedes ipsa doctrinæ, non informe vestigium, non extrema lineamenta nota sint: mirum, ni corpus ipsum pervideant, naturamque penetrent, & intima quæque omnis literaturæ mysteria. Quid? qui in obscuritate vim, ac facultatem sciendi collocant, in eoque, ut a paucis percipiantur, ipsi, in quo germana, puraque doctrina consistat, percipiunt? Plerisque videlicet omnibus interiores literæ, quæ advertunt animos, quæ suspendunt, quæ rapiunt, eæ sunt, quæ tenebricosæ, & quasi per caliginem visæ, quæque vix ulli mortalium, omni involucro, & integumento rejecto, pateant: docti, intelligentesque, & quemadmodum loquuntur, profundæ eruditionis viri sunt isti, quos, quid sibi velint, nisi admodum attendas, aut divines, non facile assequare. Equidem mihi memini dici, in urbe totius orbis cum amplissima, tum optimarum artium studiis florentissima, repertum nuper, majoribus doctrinis, hoc est, theologicis eruditum non neminem, qui cum ab ceteris auditoribus oratio cujusdam, scripta prudenter, & verbis valde bonis, laudaretur pro merito, negarit unus sibi videri satisfactum. quid ita? intelligebat enim omnia. quod si dixisset orator sic, minus ut intelligeretur, se doctum citius homini persuasisset parum intelligenti. Quid? quos peregrinum quiddam, & transmarinum, & transalpinum, & transrhenanum malle quotidie videmus, quam patrium, & populare, ac suum; a quibus advenas istiusmodi scriptores, aut lucubrationes eorum amari, suspici, itaque, ut qui longinquas merces important, avide suscipi: sine compertum satis habent, quæ subjecta notio sit doctrinæ, quam in eo statuunt, quod neque domi nascatur, neque hauriatur e propinquo, sed quod foris accersitum sit, peregreque ex oris terrarum, & regionibus disjunctissimis delatum? Non errant auditores stulti, qui provincialem virum, in extremis Galliæ finibus natum, educatum, institutum, qui literas Latinas rure, non in gymnasiis urbanis, publicisque scholis, Gallicas Tolosæ, aut Burdigalis, non Lutetiæ, neque in aula didicerit; tamen & libentius quasi a solitudine, ac recessu scientiorem atque augustiorem audiunt, & literatius, etiam Gallice, loqui ajunt, & subesse aliquid putidæ hospitis pronunciationi, quod aures permulceat, quod in animos insinuet, exquisitum, ac minime vulgare credunt? Non fallebatur apud Parisios vir nec meo judicio ignarus, &

suo

ſuo valde doctus, qui ſi quem leviter imbutum literis, ex ultima Germania, aut ex Britannia, aut alicunde; modo non ex ullo patriæ Galliæ loco, recentem, ad ſeque viſendi cauſa profectum acciperet; dum is in congreſſu primo Latine ſalutaret, dum ſibi duo verba, triave faceret, cui verbo ipſe reſpondere vix commode poſſet; inſuſurraret amicis continuo, ſi qui adeſſent, in aurem: præſtantem virum, & cum primis doctum? Immo vero cum alienigenarum notanda eſt quæſtuoſa calliditas, qui cum apud nos in pretio extranea eſſe norint, jacere domeſtica, ſuas ad nos merces longo intervallo invehunt, tantique cupidis, & emacibus viris, quanti priores indicaverint, divendunt: tum profecto non inconſulti quidam populares noſtri videri debent, qui cum tam inſolens rerum vernacularum faſtidium, tam moroſum morem aliena anteponendi propriis cernant, expertique millies ſint, ſeſe pro exteris hominibus gerunt, veſtitum ſtudio mutant, ſermonem ementiuntur, inceſſum depravant, reliqua ſonare, aut olere peregrina ſtudent, iſtoque pacto civibus ſuis, ſibi qui imponi volunt, imponunt. Quid? nonne delapſi quidam ſunt, ut ſi quem barbare loqui, & inquinare audiant, qui modo aliquam ſpeciem cognitionis, ſcientiæque præ ſe ferat; eo doctiorem exiſtiment, quo mendoſiorem? ſtudium enim, curam, laborem, induſtriam, ſe totum rebus impendit, qui verba negligit. Atque hoc nonnulli adeo arbitrantur verum, ſibique perſuaſum, etiam auctoritate veterum, habent, ut ad erroris defenſionem ſui, medicorum par nobiliſſimum, Hippocratem, & Galenum, quanquam falſo, pertrahant tamen, tantumque hoc exiſtimationi hominum optime de communi omnium ſalute meritorum vulnus imponant. In quo haud ſcio illoſne magis, qui tantum barbariæ, ac ſolœciſmis tribuunt, ignaros putem, an iſtos imprudentes, qui licet ſecus ſentiant, tamen quaſi conſentiant, pariterque errent, inſtitutum omne ſuum ad tam perverſam ſapientiam accommodant, deque facultate dicendi, ſi qua valent, nonnihil remittunt, ut alia in re plus aliquid poſſe videantur. At horum, quos vel obſcura delectant, vel aliena, & longinqua, vel peſſimis elata verbis, rudis, atque obtuſa ignoratio: ſubtilior eorum, qui ſequuntur, & ſpecioſior. Eſtne, qui de omnibus facile pronunciet (quam multi autem generis hujus ſunt?) qui nulla de re dubitet, qui audacter affirmet, qui nihil retractet, qui verbum illud conſideratiſſimum uſitatæ conſuetudinis, arbitror, aut, fortaſſe, aut, videtur, quo nos etiam tunc magis utimur, cum magis ætate provecti, magiſque de humana errandi facilitate edocti experiendo ſumus, ex tota oratione ſua tollat, & quæ loquitur, omnia certo ſe ſcire dicat? non dubium, quin eum in doctis annumeret melior pars hominum citius, quam peritum diffidentem, & verbo plus æquo progredi pertimeſcentem. Quod enim qui ſcit, ita ſcire oporteat, ut dimoveri de doctrinæ quaſi gradu, nullis adverſariorum machinis, teliſve poſſit; ut quiſque confidentiſſimus eſt, & ad aſſerendum, aut inficiandum projectiſſimus, ita eundem ſcientiſſimum, & omni literarum copia inſtructiſſimum natio imperitorum exiſtimabit. Erit igitur in aſſeverandi arrogantia, in temeritate negandi, in defendendi pervicacia, ſi tales magiſtros audimus, poſitum amplum nomen, & illuſtre doctrinæ. Quod ſi ita habet, quid juniori Plinio reſpondebis, viro cum honoribus in republica ſua ampliſſimis uſo, tum ſcriptori prudenti, & accurato, qui recta ingenia debilitari verecundia docet, perverſa confirmari audacia: cum Græcum etiam in eam ſententiam ex Thucydide dictum uſurpet.

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

Quid Ariſtotele omnium philoſophorum longe principe facias, qui audacibus natura viris meticuloſos vult fere ingenio, ſciendi cupiditate, inveniendi ſolertia præſtare: hanc ob rem qui degunt in calidis locis ætatem, cum timidiores, tum curioſiores, &, quod prope conſequitur, doctiores; qui partes frigidas, & ad ſeptemtrionem vergentes incolunt, valentiores illos quidem, ſibique magis præfidentes eſſe, ſed conſilii, & prudentiæ inaniores. Quo ſane loco primorum felicitatem temporum, & inſignem, cum pari eruditione conjunctam, vitæ modeſtiam mirari licet, quibus temporibus cum nondum juris ulla prudentia, neque publice, neque privatim doceretur, nondum ulli juriſperiti ex lege, aut ex munere, atque officio caverent, admonebantur univerſi, ut qui fiduciam ſui haberent, hoc eſt, qui ſibi conſcii eſſent, id ſe facere commode poſſe; conſultoribus de jure reſponderent. quæ oratio, ſi verum quærimus, ad invitandum, nullo modo ad deterrendum, pertinebat: neque metuebant, ne ambitioſi, ac temerarii potius profiterentur ſeſcire, quod neſcirent; quam modeſti, ac pudentes, non gravarentur quidem; quid enim erat illis officioſius? ſed verecundarentur docere, quod ſcirent. uſque eo impudentia vacabant, qui doctrina abundarent: cum pleroſque nunc homillos ore tam duro videamus eſſe, ut quo minus efficere, & conſequi poſſint, eo plus aggrediantur, atque audeant. Huic confidentiæ oſtentatio finitima eſt, quæ non minorem nonnullis apud multos opinionem doctrinæ parit. venditant autem hi noſtri oſtentatores vel multiplicem, & copioſam, vel raram, penituſque abſtruſam doctrinam: multiplicem; cum de ſingulis præcipue nihil norint, de univerſis aliquid, planorum more, ne facile mendacium teneatur, effundant; cum ſeſe auribus imperitorum inculcent, & ſcriptorum multitudinem obtrudant bene magnam, quorum vel nomina ſola, vel ſolos indices, vel ſententiolas aliquot memoria teneant: raram; quod inſolitas opiniones, & ab uſu, ſenſuque communi alienas, quantum poſſunt, inducant, ſibique peculiares, ac proprias; quod inauditos ſcriptores, minimeque notos in vulgus circumferant, valdeque in ore habeant. Itaque ex illis non temere Baſilium magnum, Gregorium theologum, Joannem Chryſoſtomum, non Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, clariſſima ſolis orientis, obeuntiſque lumina, audias, ſed Abaillardum, ſed Edinerum, ſed Abucaram, ſed Cabaſilam, ſed minutos, & puſiones neſcio quos, vel in extremis librorum paginis, tanquam ſpurios ad calcem rejectos, vel in ſemeſis, manuque ſcriptis chartis, ſempiternis, ut digni ſunt, tenebris conſepultos. Ut hæc autem

tem omittam, alios existimare, in eo totum esse, ut collectis undique, & coacervatis scriptis, bibliothecam multorum librorum, multorum nummorum exstruant. ita demum opinionem afferri populo, quæ magna cum cura, atque diligentia, infinitis sumptibus parantur, ea dominis ad usum potius aliquem, quam externis duntaxat ad pompam, & speciem esse quæsita. Ut omittam alios arbitrari, rem se factam habere si scholarum subsellia frequentes occupent, dictata sedulo excipiant, chartas continenter impleant, vim, ac turbam voluminum quotannis, quæ deinceps neque recognoscant, neque inspiciant, coactam, & compactam, velut anni fructum, & operæ, ac laboris pretium, domum referant. Ut hæc, inquam, & alia, & sexcenta sunt, quotidiana, & pervagata omittam; illud quale censetis, quod non solum de plebe nonnulli, sed etiam summa experientia, & auctoritate viri præstantiam doctrinæ docendi diuturnitate metiuntur? Sint agrestes, sint hebetes, sint nulla exculti disciplina ipsi prius. at decem annos, at viginti, at triginta jam docent. Perinde quasi diu literas, non sit idem interdum, quod ignorantiam diu suam profiteri: aut quasi homines adolescentes, qui iidem sint acri ingenio, flagranti studio, educatione liberali, usu rerum mediocri, non inde initium excellendi sæpe ducant, ubi faciunt isti finem & ætate maturi, & in docendo quam voles exercitati præsertim cum, id quod sentio constare inter omnes, ingenia complurium videas usque eo vi, & acie, & omni modo finita, ut simul atque intra regiones certas cognitionis, scientiæque venerint, quemadmodum corpora tum decrescunt, cum non augescunt, sic dediscant magis, quam addiscant; magnum vero faciant, si non corrumpantur aliquando tandem, ac velut morbo gravi, & sua quadam senectute langueant.

Age, non modo ponitur in ea re doctrina, in qua non est; quod quam falsum sit, videtis: sed etiam rei derogatur, sine qua esse non potest; in quo peræque veritas læditur. Nam ut silentio transeam poeticas, oratorias, aliasque id genus artes, ac disciplinas, quibus qui præditi sunt, vix obtinent, aliquod ut nomen in doctis habeant; theologia, quæ si qua alia facultas, videtur profecto appellatione dignanda doctrinæ, carere sacris voluminibus potest? sacra volumina interprete? interpres nativo, proprioque sensu? sensus nativus Hebraïcis literis? Quæ cum omnia universi, alii hoc, alii illud, aspernentur, atque a doctrinæ ambitu, & universitate segregent, quid aliud agunt, nisi pulcherrimam omnium, & utilissimam scientiam non tantum aptis, & congruentibus ornamentis suis spoliant, verum etiam officiis justis, debitisque privant? officiis dico? non se ipsa, opinor, satis tueri absque hac supellectile, ac ne consistere quidem, aut tanti muneris nomen sustinere, hoc subducto fundo, & solo queat. Nulla tu concilia noris, quæ literis sacris nituntur? nullum tu ex sanctis patribus evolveris, qui literas sacras interpretantur? nullas per se literas sacras attigeris? & te ego theologum, hoc est, Dei optimi maximi interpretem, publicarum religionum antistitem, communem omnium gentium, ac nationum doctorem putem? Unde igitur sermoni materies, primordiis argumenti, & quasi præcurrentibus, propositioni, & assumptioni fides, conclusioni vis, ac robur parabitur? nam si quid commemini, & materiem, ac sententiam, in qua versatur, ferme totam theologus ex sacrarum literarum penu, & instrumento depromit, & primum, alterumve cujusvis unius argumentationis membrum, si quid efficere vult, indidem, disertis verbis conceptum, mutuari debet. Sed sacros codices theologus adhibet: interpretem non desiderat. Si propter acumen ingenii; laudo: si propter facilitatem rei; vide, ne tam indigens interpretis sacra pagina sit, quam sacræ paginæ theologia. Etenim res ab sensibus remotæ, ab hominum intelligentia; cœlestes prorsus, ac divinæ: eædem paucis literis comprehensæ: eædem vel ante plurimas ætates præteritæ, vel longo post intervallo ex præsensionibus, & prædictis vatum futuræ. ut partim divinandum sit, si quid extricare placet, partim ad extraordinariam Dei opem, nedum ad humana hæc subsidia, confugiendum. Esto sane: accedat interpres, quando ita quidem vis, sed quem commodo, arbitrioque nostro, quem semel, iterum, sæpius, noctu, interdiu consulamus, qui cogitate, ac de scripto respondeat. Verum quidni ad mutam, & elinguem interpretationem viva vox loquentis, actuosa, ac minime iners accedat, quæ influat in aures, non modo feriat oculos, quæ una sit instar centum, quæque & aliorum cuncta repræsentet, & de suo aliquid adjiciat? Quid noceat interpres, quem locorum difficiliorum, in quibus reliqui parum viderint, quos ipse tacitos forsan imprudens præterierit, expositionem reposcas, expositorum caussam? Adde quod si te tanta opportunitas non exorat, ut nullo negotio, aliena ope fretus, addiscas, ne tu quidem abs te impetrabis, cum tui juris vix propter varias vitæ, ac necessarias occupationes fueris, ut relictis rebus aut privatis, aut publicis, ad hæc unquam studia tempus, operamque conferas. Nam quod nonnulli moralem explanationem, & ascititiam malunt, quam naturalem, atque insitam, primum faciunt superbe, qui docendi viam, ac rationem doceant discipuli doctorem. tum etiam stulte, qui & interpretem sibi asciscant, & ad id, propter quod ejus maxime opera expetatur, non præcipue asciscant. Cui, obsecro, non integrum mille in rem unam interpretamenta comminisci, de nihilo philosophari quam multis, & ad mores quamlibet aptare, aut detorquere sententiam? Mentem porro Dei, aut eorum, qui Dei afflatu, ex opinione, & conjectura nihil, ad veritatem locuti omnia sint, eruere, quam lentum, quam spissum, quam non cujusvis negotium? Cui sane rei quoniam plurimum & septuaginta interpretes, qui vocantur, conducunt; & ex sanctis Hebræorum, augustisque fontibus sæpe aliquid derivari lucis in præsentes usus oportet: quis tritum jam illud, & multorum sermone celebratum, amplius usurpet, Latine loqui, Græce intelligere, Hebraice legere, eoque contentus ad linguæ divinæ lectionem intelligentiam non adjungat: cum lectio, si sola sit, semper inutilis; intelligentia nunquam non necessaria esse videatur? Quid ego reliquas inanitates opinionum persequar, quæ, pæne licet innume-

numerabiles, ac diversæ, in eo conveniunt, ut doctrinam rei, a qua abest, suo suffragio per summum errorem mentis tribuanr; rei, in qua inest; simili inscitia detrahant? Erir igitur quisquam, quem vana dupliciter opinio juvet, quem bis falsus honor, tamque levis species, & umbra gloriæ cum quadam suavitate tangat? quem tanger aurem, nisi, ut cum optimo poeta loquar, mendosum, & mendacem, hoc est, si recte interpretor, qui nec falli, nec fallere, quorum alterum stultitiæ, alterum etiam improbitatis est, recuset?

Satis dictum habeo de falsitate. pauca deinceps, ut proposui, de turpitudine. quam etsi falsitas adjunctam habeat sibi, ipsa tamen per se, hac seniota, & incurri potest; & nihilominus fugienda est. non enim modo magni interest, verene, an secus de literis sentiatur, sed etiam refert, quis de literatis, quam gravis auctor, quam locuples existimet. Etenim si proconsuli Severus, & Antoninus, imperatores, ita præceperunt de accipiendis muneribus, ut dicerent, a nemine accipere, inhumanum; omnia, avarissimum; ab omnibus, vilissimum: quanto magis abjecti erit, sordidique, & illiberalis animi, doctrinæ opinionem, cujus tota ferme bonitas, ac pretium ex prudentia, & maturitate judicantis pendet, ab omnibus consequi promiscue, delectuque nullo, velle? Quinam ergo passim æstimatores literatorum, quam æqui, quam callidi, quam idonei? Primum in scholis adolescentuli, qui si de alienis, quos notos oon habent, ferre sententiam velint, qui possunt? si de suis, quos habent magistros, qui debenr? Deinde cum te aut ament, quisquis es, aut oderint; quandoquidem ut in muliebri genere, ita hac in ætate tertium nihil solet esse: si primum, cuicuimodi sis, doctus es: si alterum, quantumvis licer peritus, indoctus es. Postremo quoniam ab ætate immatura neque temeritas sejungi, neque levitas potest, quid ab iis sincerum, firmumque judicium exigas, aur denique expectes, quod facturi non sint propter imprudentiam, in quo non mausuri propter inconstantiam? Atque ut sibi constent pueri, deponent, mihi crede, sententiam cum prætexta, quodque magnum quiddam censebant esse parvi, non parvum fateri, majores, postquam jam se corroboraverint, & vivendo, ac discendo multum processerint, pudebit. Sed næ egomet imprudens, qui sceleris alieni faciam adolescentes reos; sontes ipsos, & conscios silentio, ac taciturnitate, cum non potius reprehendam, absolvam. Habent illi quidem excusationem si non sapientem, at probabilem, vel ætatis, vel officii. si bene non sentiunt de viris, ætati tribuo: si male non sentiunt de magistris, officio. Scilicet accusandi grandiores natu, damnandi doctores, qui totam, quanta est, culpam, sustinent. quam indecorum, quam erubescendum eruditos, graves, honestos, denique viros, non dico dare se poeris, venditare pueris sua, puerorum captare studia, allicere voluntates, ut bonum rumorem colligant; neque enim ad has abiturum ineptias sana mente quemquam putem; sed certe eos, quos interdum, si penes ipsos sit, nolint discipulos, neque existimant sibi satis, quos erudianr, idoneos, vel judices oon recusare scientiæ, vel arbitros? cujus nou tantum vaniratis, sed inconsiderantiæ, & stuporis quotidiana illa, & assentatoria, præclare, divinitus, ó excelleutem virum, hic est ille, aut similes verborum nugas si non aucupari, at agnoscere; si non elicere conari, at excipere ex eorum ore non nolle, quorum vix centesimum quemque ingenio, vix millesimum judicio, neminem experientia valere sciant?

Quod si turpe existimari debet in scholis adolescentulos, qui literas modo discunt, quorum nondum matura ætas ad prudentiam, nondum ad summum perducta ratio, pronunciare de viris doctis: qui tandem decet in circulis expertes omnino literarum mulierculas, quibus futura semper est debilis intelligentia, & imperfecta mens, interponere judicium in eam rem suum? Atqui eas quotidie cernimus non modo quid animo de unoquoque sentiant, promptum habere lingua, sed etiam id agere, ut in quos relint, nominis splendorem, æternitatemque conferant; quibus velint, tenuissimum bonæ hominum de se opinionis fructum adimant. ut quas imperio virorum oatura fecit obnoxias, virorum consilio regi, ope fulciri voluir; illarum nunc judicio, arbitrioque standum sir, aut cadendum viris. Videtisne, quemadmodum ipsæ oratores sacros, velut manu prehensos, in publicum producant, in suggesta introducant, frequentia cohonestent? domi rero in coronis, in conriviis sermonibus differant, extollant laudibus, & quasi in honoris, & gloriæ possessionem mittant? Cui autem aditus aut hæc ad loca celeberrima, aut ad celsissimos alios quosdam gradus, aut ad aures virorum principum, aut omnino ad commendationem hominum, nisi his conciliantibus, ac præeuntibus, omnique per eas munita via, patet? Jam ne a libris quidem geoere dirersis, mole magnis, argumento nobilibus, antiquitate, & usu probatis, sententiam, ac censuram, & manus abstinere, quis ignorat? quos & recensent, ac suffragio suo vel damnant, vel approbant, & ipsæ, si quando eas impetus cepit, aut levis afflavit aura gloriæ, scriptitanr. Tantam turpitudinem, tantam labem, tantum dedecus, ut quibus vetere more, & interdicto procuratio sacrorum erepta est omnis, eæ ad illa, quæ dixi, sacra auctoritate, gratia, opibus alios admittant, ab iisdem alios arceant? quæ publicis negotiis exclusæ sunt, non jam colum, & fusum, ad quæ illas pensa genus, & natura rejecerat, sed opera sapientiæ tractent, & artes literarum cum difficillimas, tum gloriosissimas administrent? quibus de stillicidiis, de lana caprina, de nihilo juratis non credebatur olim in civitatibus bene constitutis; mulieribus enim perinde, ac servis nulla tum fides habebatur, nulla dictio erat testimonii: iis, sive aiunt, seu negant, de ingenio, de prudentia, de eruditione virorum, de arte dicendi, ceterisque facultatibus credatur? Quod si consuetudo Romæ tulit, si lex jussir, ut mulieres propter infirmitatem consilii in tutorum potestatem essent: quæ, malum, est ista ratio, aut vis potius, non eas modo adhiberi in consilium, rogari sententiam, judices sedere, sed tanquam imperiosas, & vehementes dominas, ac reginas de eruditorum existimatione summo jure statuere, & huic quidem gloriæ quemdam

dam principatum tribuere, isti vero notam ad dedecus ingenii, & industriæ sempiternum inurere? Verum dandum fortasse mulieribus honori, quod se supra se, suumque genus judicando, & persuadendo, non modo imperando, & cogendo, efferant. certe non potest non verti vitio viris, si viri tamen sunt ejusmodi, quod se infra naturæ jura, sortemque deprimant, muliebres nutus omnes observent, & effœminatis, mollibusque sententiis acquiescant.

Sequuntur alii literatorum cognitores, ac studiorum, doctrinarumque arbitri, quos quo nomine appellem, nescio, doctosne, qui vitiis plurimis indoctorum laborent, an indoctos, qui elementis initiati, & imbuti sint doctorum. Semidoctos sane, uti sunt, siquidem utriusque participes, utriusque expertes, interea dum nomen commodius occurret, nuncupemus licet. Hos autem aut ingeniosos esse video, sed qui hoc naturæ donum excolere penitus vel non potuerint, vel neglexerint: aut laboriosos pariter, & studio literarum flagrantes, sed ita, ut, cum ad eas parum nati, aptique sint, quod invita Minerva omnia edant, magnum admodum nihil edant. Accedit mala indole cultura, & institutio deterior. vix linguæ extra vernaculam ullæ perceptæ; vix scriptores, in sua quique arte principes, cogniti: cum & Demosthenem Latinum admirentur; & se libenter, & sæpe cum Cicerone Gallico oblectent; ac si de jure civili agitur, Ulpiano, & Paulo, Accursium, & Bartolum; si de medicinæ scientia, Hippocrati, & Galeno, Fernelium, & Laurentium, non contemptos hos quidem, nec prorsus ignobiles, sed multo, quam illos, inferiores, anteponant. Quid, quod diffusas, & parentes infinite disciplinas ex angustiis nonnullius epitomæ, unde non profluens amnis erumpat, sed ubi conclusa aqua teneatur, hauserunt, nec plus fere quidquam perdidicerunt, quam quantum unus, alterve non ineruditus doctor mandare potuit scriptis, & dictando consequi. Denique si tales, minutos, & hesternos doctores veteri philosopho nescio cui refingendos, ac recoquendos tradideris in disciplinam, nihil moræ, aut religionis sit, quominus duplicem illos mercedem poscat: quippe cum eosdem dedocere male institutos multa prius debeat, quam rudes & integros aliquid docere. Quos tamen vel sic feras, nisi iidem cognitionem sibi aliorum, & reprehensionem vendicent, in eoque partem scientiæ non ultimam versari existiment. In quo cum multa speciatim, tum hoc genere toto peccant, quod si alias tu, atque ipsi profitentur, literas, aliam sectam, rationemque studiorum sequare; nihil probent: si eandem plane viam, eandem semitam, quam tibi tritam reliquerunt, teneas; ut multum sapere videantur, etiam sui potius aliquid carpant, ac vellicent, quam in te nihil improbent. Malignum istud. hoc miserum, quod fides eis, sic tanquam peritissimis artis, & expetientissimis, adjungatur: bonæ autem existimationis amatoribus tam perditi, tamque præposteri judicii subeunda alea sit. Sed hac miseria digni, qui quam vitare potuerint, ultro accersant. nos, si quis in nobis veræ, expressæ, ac solidæ gloriæ sensus, male audire, & cadere causa malle debemus, quam jus his judicibus nostrum, bonumque nomen obtinere.

Tametsi majus, & sanctius tribunal provocare licet, & ab illis indoctorum doctissimis ad intelligentes, & egregie peritos rem integram deferre. qui si honorifice de quoquam & sentiunt, & loquuntur, videri certe legitima, & incorrupta laus judicii, testimoniique debeat. Equidem non possum dicere horum non plurimum tribuendum opinioni, quibus omnis numerus, & ordo eruditorum tantum uno consensu tribuit. hoc dico, dum omni perturbatione vacent, dum ne odio præpediti, dum ne amore. quos si quis affectus tentet ejusmodi, tantum abest, ut consulta ratio ægræ & laboranti parti subveniat, aut major quædam doctrina medeatur; ut idem, qui auctor, & causa fuit, turbidus animi, concitatusque motus, morbum interius alat, & honesti præterea nomine fœditatem velet, atque imprudentiam judicandi. Vidi ego quemdam sic viro docto in odium venisse, ut quem ex ejus ore mirabantur omnes, propterea quod hunc antea supra modum prædicasset, ipse eundem mutata voluntate contemneret. Vidi sic alium amore ferri alterius, ut de eo solus illum, propter quod singuli non injuria irridebant, diligeret. Sed de me taceo. Vos aliquot, auditores, quibus tamen multarum, & magnarum rerum scientia non deesset, ita obcæcatos, ut ab appetitu vis intelligendi nihil discreparet, imo ut rationi voluntas velut dux, & magistra præcurreret, non voluntati ratio lumen præpanderet, nonne vidistis? Ite nunc, & ei ne dubitate plaudere, ac palmam dare, secundum quem tam casti, & integri, tam prudentes, & considerati judices pronunciarint.

Pudeat ergo famæ, & claritatis, quam pueri, quam mulierculæ, quam semidocti, nisi si qui aversis a ratione commotionibus mentis soluti, ac liberi, tribuunt. Quid si, dum isti etiam minime facti ad judicandum, non tamen omnino fatui, negant, ipsi sibi hanc opinionem doctrinæ literati ultro malis rationibus conficiunt; tamenne tam insignis impudentiæ non pudebit, & vehementer non pudebit? Te abs te laudari, turpe. te clam dare operam, ut alius te laudet, tanto turpius, quanto callidius, efficere autem, ut de te recte quis sentiat, idcirco turpissimum, quia qui laudat, id facere ore tenus potest: qui recte sentit, nisi animum præstet, assequi, ut recte sentiat, non potest. in quo iste fallit, hic præterea fallitur prior. Ceterum vias omnes quis novit, quibus isti in existimationem hominum irrepunt, nomenque suffurantur bonum; cum artem colligendæ famæ inter artes præcipuas suas, latendi vim, & potestatem inter præcepta artis reponant? Quid sequuntur, dum se vituperant, nisi ut existant, qui contradicant, ac tam modestos accusatores sui, non absolutos tantum, sed valde commendatos dimittant? Quid spectant, dum se parce prædicant, nisi ut adjutores praesto sint, qui se idcirco magis, & quasi pleniore ore prædicent? Cur præ se fugam laboris ferunt, nisi ut majus ingenium; fastidium rerum suarum, nisi ut judicium majus appareat? Nam qui scripta aliena supponunt pro suis, qui sua pro alienis, quid velint, quid cogitent, aut quomodo lectoribus incautis in-

insidientur, ac nonnunquam circumveniant etiam non incallidos, nemini sane dubium, aut obscurum. Qui si parum per se, ut non omnia succedunt omnibus, proficiunt, quid experiri vetat per alios, & nascenti famæ fautores parare? Est vir aliquis princeps, idemque cum literis aliquantum tinctus, tum gloriæ appetens præter ceteros, atque avidus laudis? adeundus, conciliandus, retinendus. Est quisquam onus sine controversia perfecte, pleneque doctus, cui regnum literarum consentiens eorum, qui eruditi vulgo habentur, multitudo detulit? approbanda illi scripta, exprimendum ab eo elogium, onerandus ipse laudibus, ut partem aliquam derivet in laudatorem; itaque aspergant inter se bonis, & honorificis dictis, sermonem alter de altero crebro inferant, perpetuoque mutuas sibi operas tradant. Cave sis autem amicos ullos tuos, cognitoresque negligas, quibus aut esse te doctum facile, aut videri doctum velle persuadebis: quorum utrum magis intersit, non video, dum rem tuam agas. Ages porro, si prudentes nactus sis, qui loco & tacere, & loqui norint; eoque id magis, si abs te idem, vel quid aliud beneficii expectant, aut si honori ducunt, alteri se posse comparare famam. Ad extremum si tibi nequaquam, ut sperasti, ea, quæ cogitasti, processerint, dubitabis, credo, alienos homines, & ignotos fraude, prece, præmio conducere, & apponere, qui tibi lauream, principatumque deferant: vetere præsertim Græcorum, ac Latinorum exemplo, qui si publice versus legi vellent, dispositos haberent certis locis, qui plausum darent poetæ, & faustis acclamationibus prosequerentur recitantem. Sed non lubet nostrorum quoque temporum ulcus tangere propius, aut labem, ignominiamque prodere. neque meum est excutere malas artes omnes: neque quales, & quantæ sint, scio, qui multas esse non ignoro. hæc a me modo leviter perstricta, quæ cuncti norunt, quæque ut in oculos, ita in offensionem bonorum, etiam eorum, quorum res non agitur, incurrunt.

Dixi de turpitudine. docebo indignam opinionem doctrinæ esse, atque literarum. de tribus enim, quæ proposui, hoc extremum est. Quam multos passim audire doctos, & appellari censetis, magno isto, & nobili nomine indignissimos? quam non ita paucos tectos, & obscuros latere, quibus hæc jure optimo merces, hic laudis, & gloriæ splendor debeatur? Quid autem miserius, quam nullum tanto malo posse, si quæ duo supra dixi, manent, his temporibos, his moribus, remedium afferri? Primum qui in rebus tam vehementer errant, quo pacto non fallentur in personis? aut qui scientiam io ea re ponunt, in qua noo est, quando homini illi tribuent, in quo fit? Deinde quos ætas, genus excusat, si male judicent; quibus ignorantia rerum, animorum perturbatio officit, quominus recte judicent; possuntne sæpe laudem impertire, gloriam, splendoremque conflare non indignis? Quid? qui semel digni sunt, malisne unquam artibus involant in suum, aut ea re non indigni videri incipiunt, quia sibi sponte sumunt? Enimvero si, ut est in legibus, sua repetere, & recuperare non licet per se, neque vi, neque clam, sed experiri oportet jure, & patronos & testes, & syngraphas & judices adhibere: quanto minus convenit, id sibi, quod sit multo maxima ex parte alienum, vendicare? siquidem bona de quopiam opinio, ut honor, qui bonæ opinionis testis, & index, & quidam quasi partus putatur, æstimantis magis, & honorantis, quam æstimati, honoratique est. Quamobrem quooiam fixum, ratumque habemus & falsos æstimatores esse literarum, & laudatores, ac bonæ existimationis conciliatores turpes; eripi hoc nobis non potest, quod est consequens, quin indignis hæc quoque famæ, ac nominis celebritas obtingat. Sed illud agere separatim, quod ipsum per se verissimum reor, etsi falsissima superiora duo forent, & licet, & vero in summa rei ubertate & copia, saltem paucis, debeo. Quis igitur in tanta vicinia recti, & pravi, similitudine veri, & ficti, confusione rerum quæ sunt, quæque apparent, in tanto recessu animorum, latebris hominum, qui aliud esse, aliud videri student, dignos ab indignis satis internoscat, quo suum singulis pro meritis, proque portione tribuat? omnia, mihi credite, artis, fallaciæ, præstigiarum plena. in natura, in moribus, in disciplinis commentitia, adulterata, ad eminentiam, & umbras quasi picturæ compacta omnia. nihil re solidum, nihil veritate expressum, nihil usu sincerum, atque purum. Quando magis tempori, oculis, auribus, rumori, & sermonibus hominum servitum est? quo candor ille Gallicus ut corporum, ita animorum toties celebratus, toties spectatus recidit? ubi majorum mos, qui avidi rerum gerendarum, scribendarum parci, laudum negligentes, præclare factorum conscientia contenti? Atque ut a literis ne recedamus, rabulæne oratorum, sophistæne philosophorum, incultine, & horridi, atque agrestes nescio qui doctorum locum, nomen, insignia obtinent? risum profecto tenere non possum, vel stomachum potius, si quando memoria repeto, qui interdum docti publice declarentur, quique ab gradibus, ab artibus, ab licentia appellentur, eos tam rudes, & inscios esse rerum, quarum illis cognitio solemnibus cerimoniis imputatur, quam barbarum nomen, quam mutum doctrinæ, & inane simulacrum adeptos. Nam illud quidem non adducor, ut credam, reperiri vere, penitusque doctos, qui non fucum faciant ipsi per se, quo nihil sapientibus viris alienius, sed fuco magis, atque umbra doctrinæ, quam doctrina delectentur. ita se illi magnifice circunspicere perhibentur, ita suspicere, & admirari, ita de sumpto rite pileo, de rejecto ad lævam supra humerum tenui amiculo, de vanis sapientiæ, ac magisterii titulis perdite amare, ut doctrinam, qua vincunt plurimos, parvi; minima, levissimaque doctrinæ insignia, quibus exæquantur cum plurimis, magni ducere videantur. Verumtamen facimus nihil neque ad scientiam simulari, neque dissimulari ad ignorationem: quotusquisque cll inter omnes etiam non ineruditos, qui unumquodque vel scriptum, vel dictum, vel animo, & cognitione comprehensum existimare, momentoque suo ponderare aut possit, aut cum possit, suum esse de eo & decretorium, & omnibus perspectum judicium velit? Quam acri ingenio ad investigandam vim recti, aut pulcri, si quod in occulto latet, quam maturo ad expendendam,

quam sano, atque integro ad distinguendam, & eligendam opus est? quo usu librorum? quanta memoria antiquitatis? Quæ causa est, quamobrem prudentissimi quique, & intelligentissimi a munere isto omni censorio, quantum possunt, refugiant, hucque vix unquam, nisi timide, ac diffidenter descendant, ut de doctrina æstiment, de doctis pronuncient. Perinde quasi videantur, si quid se interponant, non tam ipsi facturi de homine aliquo uno, quam omnium sæculorum, & gentium subituri judicium. Quid enim infinitæ multitudini imperitorum sæpe aliter sentientium, sic tanquam torrenti, quod vetere vetamur proverbio, resistant? Quid in tantis rerum tenebris, nihil videndi; in tantis hominum erroribus, errandi periculum, discrimenque prudentes, & scientes incurrant? legine omnia? intellexi? memini? nihil me ratio fugit? nihil fallit locus, tempus, personæ, similia? quid si quod probo, eruditiorum ex ultima vetustate, quos me auctores vehementer sequi oportet, consensu improbatur: quod reprehendo, unius ex eodem ævo, quod satis est, quem in tanta scriptorum & Græcorum, & Latinorum turba ignorare facile est, exemplo, & auctoritate firmatur? Quod si nihilominus fiunt se judices in unamquamque rem dari, adducunturque, ut quod sentiunt, libere de singulis aliquo dignis nomine eruditis proferant: cum ne inter se quidem, licet numero pauci, conveniant; cum ita diffideant, ut quot capita, tot prope diversi sensus animorum existant, quibus nos tandem arbitris utemur, aut quorum standum judicio nobis esse statuemus? Numerabimus vero sententias, & assentiemur pluribus, an alios ad ponderandas judices, disceptatoresque requiremus? Quis M. Tullio acutior, solertior, prudentior vel fuit unquam, vel esse, tanto ingenio, tanta arte, tanto usu, tanta doctrina debuit? Plutarcho quid fieri potuit sincerius, diligentius, laboriosius? Narrant ambo dictum historici sive Timæi, seu Hegesiæ Magnesii, minime mirum videri debere, si qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagraverit: absuisse videlicet domo Dianam, quæ in partu adesse Olympiadi voluisset. Dic, Marce Tulli, de eo dicto quid censes? Concinne. Dic, Plutarche, de eodem quid censes? Frigide. Tullius, concinne, ut multa scriptoris ejusdem. Plutarchus, tam frigide, ut hoc ejus unum fuerit ad incendium restinguendum templi satis. Alter laudat, alter vituperat: fide uterque dignus. utri nos, auditores, credere debemus? vel potius cum neutri derogare facile fidem quisquam debeat, quomodo mentem ab omni assensu sustinebimus, ut non in summa inanitate versari opiniones quoque sapientum judicemus? Rursum perfectum more suo, ac modo Tullius instituit, atque informat oratorem. quam in rem cum significasset a se, quidquid habuerit judicii de dicendo, esse collatum, adjunxit se non recusare, quin quantum de illo libro, tantundem de sui judicii fama detrahatur. Atqui cum isto M. Brutus, cui plus ipse Cicero, quam ulli æqualium, aut superioris ætatis omnibus tribuit, tantopere, tamque palam dissensit, ut neque eum, neque amicos ejus celaverit. Age de Platone, quem qui reprehendunt, etiam divinum appellant, num omnia recte Cn. Pompejus; num multa secus Dionysius Halicarnasseus sentit; ambo eruditi, ambo prudentes, alter supra historicum rhetor, alter supra imperatorem orator? Quid plura? hujus Platonis philosophiam Christianis institutis valde consentaneam, quod de Deo multa pie, de virtutibus, ac vitiis, de summa hominis felicitate multa morate præscripserit, quatuor sæculorum censuit antiquitas: Aristotelis alienam, quod parce de divinis, de natura copiose scripserit. Contra posteri, multis annis ad hanc diem, illum ut impurum, ut temulentum, ut omnia fato tribuentem, ut magnum quemdam opinatorem, ac sibi nequaquam in plerisque constantem, exploserunt: hunc ut verum, ut sanum, ut sobrie, & caute de Deo, deque superis agentem, ut optimum vitæ, & officiorum magistrum, optandum, & retinendum omni ope putaverunt. Quæ cum sint ejusmodi, hoc est, cum in rerum natura tantum sit vel obscuritatis, vel fallaciarum, bene judicantium tanta paucitas, judiciorum tanta discrepantia, ac varietas; quis est, qui non fateatur commendationem in vulgus, & famam doctrinæ, quasi sortito, atque alea jacta, indignis peræque, & dignis obvenire? Et erunt, qui magnifieri oportere contendant, quod passim indoctis, quod immerentibus, quod contemptis, ac vilibus, omni discrimine sublato, donatur? erunt, qui id non contemnent, quod etsi eximium per se, ac præstabile foret, redderetur tamen usu tritum, communicatione vulgare, possessione incertum? Equidem sic censeo, quemadmodum optimates olim qui dicebantur, summi, ac sapientes viri, si qua re jucundi multitudini fuerant, si plausum in publico acceperant, non modo numquidnam apud graves, & honestos, ac sui similes offendissent, requirebant, sed omnino ne peccassent, pertimescebant; quod tam inanem, tamque iniquum dignitatis judicem crederent esse populum, ut applauderet potius erratis, quam gratularetur recte factis: similiter doctis faciendum, quicunque ab omnibus hoc nomine bene audiunt, ut in se inquirant studiosius, observent, respondeantne judicio hominum, deque sua eruditione, quanto isti melius opinantur, tanto magis ipsi diffidant.

Quid ergo? contemnendam doctrinam esse decernimus, quæ in quo genere rerum consistat, aut cognitionum, ignoremus? quam turpis judicum, nec satis idoneus consessus sententia sua vel attribuat, cui libitum est, vel adimat? quæ indignissimis quibusque hominibus non consilio, non ratione, non discrimine, non diligentia adjudicetur? Minime vero. non enim doctrina, si proprie loqui velimus, ejusmodi, sed doctrinæ opinio. Doctrinam ama, cole, magni puta doctrinæ opinionem neglige, fuge, odio etiam, ita de bonis omnibus merita est, prosequere. altera plerumque falsa, turpis, indigna. altera quædam vera, plena honestatis, plena dignitatis. Sacram præsertim doctrinam dico, quæ sine controversia tantum hoc nomen sustinet, nihilque in se, nisi mortale, ac divinum habet, non ab hominibus ratiocinando expressam, sed a Spiritu sancto prope instillando concessam: non novellam, & paucis ab hinc sæculis inventam, sed cum Deo antiquitate

tate conjunctam: non profanæ philosophiæ litigiosam imitatricem, sed sacratæ omnis theologiæ magistram, ac ducem. Illa leges sanctissimas omnes, oracula verissima omnia, res mirabiliter omnes gestas continet. Illa ad sui studium, & contemplationem monitis, & auctoritate invitat: ad aliarum contemptum doctrinarum, ostensis erroribus, ac tenebris, compellit: potissimum edocet, quam frivola hominum de hominibus, & vitiosa opinio sit, quamque ipsos pro nihilo, qui plurimi faciunt, putari oporteat. Cujus mihi cœlestes, ac divinas sententias si jam inde ex hoc aditu, initioque dicendi aperire licet, verbo sic conficio: primum esse operam dandam, ut evadamus quam doctissimi: alterum ne curandum quidem, ullo ut pacto docti esse videamur. quod sequitur, non est tertium, sed veræ, germanæque sapientiæ summum, ut, si qualis es talis esse hominibus videare, nihil tibi accessisse existimes: sin minus; etiam aliquid hominibus, qui te ignorent, decessisse, omnes, qui te norunt, intelligant, sibique penitus persuadeant. Ego in me, viri humanissimi, theologi eruditissimi, si quam cognitionem, & scientiam esse non mediocrem considerem, parcius de contemnenda opinione doctinæ dixissem: ne si nulla de me hominum esset opinio, conqueri; si aliqua, tanto magis doctrina gloriari viderer, quanto magis doctrinæ opinionem spernerem.

ORATIO NONA.

De vitanda curiositate.

Esse majus periculum, ne nimium, quam parum sciamus.

Avarici Biturigum. XIV. *Cal. Novemb..* CIↃ IↃ CXLI.

SI quam certum per se est, humanissimi viri, eruditissimi theologi, mihique persuasum; tam perspicuum omnibus foret, majus esse periculum, ne nimium, quam parum sciamus: nequaquam profecto plures invenirentur, qui pellendam ignorantiam, quam qui vitandam esse curiositatem ducerent. Ac si nobis de muliebri genere, in quo inesse nimia fere omnia, & redundantia solent, sermo susceptus hic apud utrumque hominum genus esset: nemini novum videri deberet, mulieribus nos, ne quid nimis condiscerent, gravi quadam cohortatione voluisse consultum. præsertim cum, ut minimum sciant, plus æquo tamen pro parte, proque conditione sciant; eoque sæpe minus moratæ ac pudentes, quo magis literatæ, doctæque fiant. Jam hoc ambigi non potest, quin cum imperatoribus, & præfectis exercitus, tum quibusque principibus viris, quos alius alio labor vocat, providendum sit, ne extra modum prodeant discendo, neve tempus literarum studiis, & umbratili doctrinæ transmittant, quod regendi civibus, juri dicendo, administrandoque bello debent. Quin a prudentibus, rerumque publicarum petitis istud quoque video animadversum, ipsos regum, ac dynastarum ministros, & comites, atque adeo consiliarios, quibus varia, & excellens necessaria cum primis esse videtur eruditio, nullis tamen interioribus, & reconditis literis oportere studuisse vehementius, nullos in ulla scientia paullo majores progressus habere. credo quod ejusmodi qui sunt, & minus reperiantur ad res gerendas idonei, & magis ad pervidendas, quam mos hominum fert, ususque communis, suspiciosi. Quare excludamus nunc quidem oratione ordines hominum eos, in quibus, ne nimium sciant, periculum quoquo modo est apertum. Sed neque istos sane in hunc sermonem includamus, quibus periculum prorsus est nullum. Quis pertimescat, ne qui literas omnino non didicerunt, aut qui pueri tantum, aut qui viri tantum didicerunt, aut qui literarum fama, & opinione contenti, quales hodie plerique vivunt, vix ipsas literas, extremis, ut aiunt, digitis attigerunt, ii nimis potius singuli, quam nihil aliquando tandem sciant? quis dubitet, quin, si qui indolem nacti sint non aptam, assiduitatem non adhibuerint, quam par est, ad opus sic a natura, sic ab usu imparati accesserint, admodum parum in rectissimis studiis, optimisque artibus procedant; itaque pæne, ut erant a primo ignari, in ignoratione postremum consenescant? Quibus igitur metuo, ne nimium sciant? Iis, qui scire se profitentur aliquid, & ita profitentur, ut in percipiendis atque excolendis literis, mediocrem diligentiam cum ingenio plusquam mediocri conjunxerint. planius dico: similes vestri, eruditissimi theologi, cum ingenii bonitate, tum scholarum exercitatione, prudentia autem, & maturitate animi dissimiles, non laboro, ne parum; male metuo, ne nimium sciant. In quo istud cum mihi permirum, credo & item vobis, accidat, eos, qui hoc negotii suscipiunt, atque in hanc unam curam, & cogitationem incumbunt, ut sciant, posse nimio plus aliquando scire; tum eo admirabilius videri debet, quod tanta brevitate vitæ, innumerabilia doctrinarum multitudine, crassissimis rerum tenebris, quidquid acies ingenii moliatur, assiduitas extundat, quantumcunque est, totum id modicum, totum exile, totum, ut sic dicam, minimo minus appareat. Tamen nihilominus hoc pugno, hoc argumentis & vero vinco, nisi diligenter caverimus, majus esse periculum, ne nimium quam parum sciamus. Et quoniam e malis duobus ne quis in alterutrum incidat, dupliciter periculum subesse majus potest, primum quod citius, ac facilius incurratur unum, quam alterum; deinde quod alterum altero majus malum sit: doceo ego separatim, nos utroque, quotquot operam scientiæ damus, incommodo premi; & crebrius venire usu, ut præter modum docti, quam intra modum simus; & in doctrina immoderata, quam in tenui, atque exigua plus inesse mali.

Ac ne egere quidem videtur pluribus prima pars, quam satis, superque ratio vel una concludat. Quis enim, cum intelligat quemque mortalium per se rapi insita quadam, vel potius innata cupiditate ad sciendum, extrinsecus autem & casu dumtaxat aliquo à sciendo revocari, non con-

tinuo fateatur studiosos, si iis modo stadium discendi lubet ingredi, potius calcem transituros, quam vel in flexu moram, vel intra metam uspiam currendi modum, finemque facturos? Quid si vero ad impetum, vimque naturæ, qua in cognitionem ducimur, & scientiam, cetera, quæ invitent ad discendum, accedunt omnia, nihil deterret à discendo; tamenne diffitebimur nos, tam aperta & proclivi studiorum via, tam non impedita, nimis sciendi, quam parum sciendi periculo esse propiores? Certe invitat ipsa literarum professio & declaratio voluntatis. ut iis, qui hunc animum non induxerunt, non præ se tulerunt, liceat esse, salva fama, multarum, & magnarum rerum insciis: nobis, id qui palam agimus, non sit integrum certa quædam non tenere, rationibus nostris utilia, vitæ, institutoque consentanea, quin ignari & habeamur, & simus. Invitat sæculum eruditissimis hominibus, & liberalissimis studiis affluens. invitat laudandarum omnium artium nutrix æmulatio, quæ inferiores, quam nos, solertia, non sinit fieri, nobis quidem vivis, ac videntibus, superiores scientia. Quid est autem, quod deterreat? difficultas rerum? elevat sedulitas, pervincit constantia. tenuitas ingenii? si nosmetipsus audimus, aut si quid aliis de nobis credimus, non plane hebetes, neque obtusi sumus, aut si sumus, de nobis non agitur, de ingeniosis res est. mementote enim me, id quod initio admonui, de iis ingressum quærere, qui ad literas laborem, quantum satis est, ingenium ultra etiam, quam satis est, afferrent. Non igitur calcaribus bonarum cultores artium, ad incitandam cupiditatem sciendi, opus habent, sed fræno potius ad coercendam libidinem immoderatam, & solutam, ac vagam licentiam egent: quippe cum nihil esse clausum labori, ingenio patere suo cuncta & velint, & putent. Quæ causa illi intelligendi gravissimo auctori, & magistro, Thomæ Aquinati fuit, quamobrem virtutem induxerit peculiarem quandam, in stimulanda diligentia studiosorum hominum occupatam illam quidem, sed multo magis in curiositate frænanda. cavete enim existimetis, rem sic interpretandam de nomine, ut ideo, quia studiositas vocatur, magis impulsionem significet ad necessaria, quam revocationem a supervacaneis. contra sic habetote, quando nos quidem animo propensi ad sciendum sumus, corpore non a scientia, sed a labore parandæ scientiæ refugimus; virtutis hujus partes esse primas, moderari propensioni; secundas, aut etiam tertias, excitare ad laborem. Ex quo & illud existit, quod argumentari cœpi, ut, quoniam onius ejusdemque virtutis sit, remittere cognoscendi quasi habenas, & adducere, neque committere, ut non arctiores habeamus, quam laxiores; majus ab eo periculum nobis instet, in quod naturæ vitio magis trahimur, unde magis virtutis vi, operaque retrahimur.

Tametsi ratione frustra contenditur fieri posse, oportere, esse necesse, quod usus communis, & magistra vitæ experientia fieri quotidie clamat? Nonne videmus si quid offenditur discendo; quam multa autem hic quoque peccantur? in eam partem potius, quæ nimium, quam quæ parum est, offendi? In quo tandem scientiam nimiam ponimus, aut quem scire nimium censemus? utrum eum, qui, ceteris valere jussis, utilibus, necessariis, penitius scrutetur unum, excutiatque diligentius, an eum, qui plurima perstringat, & quasi suspenso gradu leviter obeat, velocissimeque persequatur? opinor, utrumque: dum neuter, nec qui multum scire studet, nec qui multa, modum satis utrobique teneat. non enim tertium prætergrediendi genus est, & ambo hæc in quadam quasi exsuperantia sciendi consistunt. nimis certe scit, qui unum supra modum scit. nimis scit, qui justo plura scit. Licet autem longe numero reperiantur plures, de quibus videro posterius, qui infinitatem doctrinarum quandam ita peregrinentur, ut in nulla præcipue doctrina consistant, istoque posteriore vitio laborent: non desunt tamen, qui pulcros se, ac beatos uno putent, magnumque faciant, si unam, & eandem incudem tundant dies, ac noctes, in uno, eodemque versando opere complures annos habitent; cetera vel intacta, vel imperfecta, atque manca, & desperata quodammodo relinquant. Legimus, audivimus, vidimus, qui non in una tantum scientia vitæ velut domicilium collocarint, sed etiam scientiæ unius membrum, & appendicem, suum sibi pensum proprium, ac perpetuum esse voluerint. quo si modo, lento, & fastidioso; partes reliquas pertractarent, vita illos ante, quam breve argumentum, & cognitione vix ulla dignum, deficeret. Quid? qui sese in unius voculæ Aristotelicæ inquisitione, atque expositione, per menses aliquot, aut annos triverunt? quid? qui Thomæ, Scoti, similium his scriptorum minuto dicto chartas referserunt, volumina confecerunt? quid? qui suum ipsi unum aliquod inventum, vel libertatem vanam in theologicis, vel dimetiendi quadro circuli rationem in mathematicis, vel quintam naturam in physicis, vel quartam, quemadmodum appellant, figuram in dialecticis, sic tanquam partus aureos amplexi tenent, osculantur, fovent? Atqui, si qua istis de se fides, etiam juratis, soli recte sciendi viam norunt: soli nota per se principia promunt: soli meras ἀποδείξεις crepant: soli id, quod firmum, solidumque est, ex sese efferunt, oracula, operta, mysteria. quid multis opus est? ex tripode vates loquuntur, nisi quod apertius, & ambiguitate sublata loquuntur: quibus si auctoritatem deroges, non divinis modo, sed ipsis Diis deroges. Nos, qui laboriosas nugas, & molestas ferre non possumus; vos, qui respuitis; ceteri, qui idem faciunt, nescimus quidquam. Diserte sane, neque assentatorie. hoc enim isti indagatores veri habent, nihil ut dissimulent, nihil gratiæ dent, nihil fallaciis. Sed de nobis nosmet viderimus. vos, o boni, quibus demersa in profundo pura, putaque veritas est tanti, ut palleatis, ut æstuetis, ut ne otium quidem habeatis otiosum, vos, inquam, non compellabo asperius; nihil contumeliæ potius, quam honoris causa dicam; nihil, quod jam a me dictum non sit, quodque audire admodum nolitis: Nimium, mihi credite, scitis. Habet fines certos suos quælibet una res ut naturæ, ita cognitionis, ac disciplinæ; quo simul atque ventum est, teneris. diutius immorari vel inertiæ, vel pertinaciæ est, nullius vero usus. O Tullium omnium

ju-

judicio eloquentem, meo etiam veraciorem, ac prudentiorem! *Maximæ*, inquit, *artes discuntur facile, si & tantum sumas, quantum opus sit, & habeas qui docere fideliter possit, & scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio & quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio.* Videtisne hominum sæpe vitio, non obscuritate rerum, discendi prorogari tempus, augeri curam, ac laborem; neque vero esse suapte natura, fieri culpa vestra cognitionem infinitam? Sed, ut dixi, isti numero pauci, sedentarii & morosi, quos austerior quædam indoles, & obstinatior, nec parvo, nec magno contenta, in una re defixos habet: iidemque cum incauti, tum etiam superbi, quibus si persuaseris nihilo videri doctiores, quod uni studeant, multo futuros esse doctiores, si plus uno quid addiscant; mentem illico exuant, nobiscum sentiant, modum studiis ponant, nimium scire isto sane pacto desinant.

Alia est inter nimis eruditos ratio eorum, quos per omne genus veterum, recentium, nobilium, ignobilium scriptorum, per omnes quantivis, nullius pretii artes ac disciplinas pruritus quidem, atque impetigo, & insanabile cacoethes circumduxit. Quod enim mos sit hominum, comparatus quidem inique, sed tamen comparatus, ut eundem nolint pluribus rebus excellere; in vetitum isti ardenti studio, & ingenii fiducia nituntur, re omni omnibus præstare, omniaque scire contendunt. Atque ut certis membris, aut nævo aliquo, & macula cognoscere possitis corpus universum, num, obsecro, nimis sciunt, qui Romanenses, ut vocant, præter expectationem, verique umbram, & similitudinem, libros hominum abutentium & otio, & literis, mera anicularum somnia, mera monstra, percursos habent, probe cognitos, memoria, cum quidem pæne infiniti numero sint, comprehensos? num sciunt nimis, qui Italos, qui Hispanos, qui patrios poetas, tanquam ungues, digitosque norunt, & ubivis quasi religiosos testes, aut sententiosos morum magistros, adhibent; ceteroquin nullo, extra numeros similiter cadentes, nomine præstabiles? quæ utique clausulæ numerorum pares & corruptam esse, adulterinamque linguam satis doceant, & risum, nisi res videri minus ridicula desiisset usu, moveant. num nimis sciunt, qui codices jam Græcos, jam Latinos insuper habent; mulierum, vulgique sermone conscriptos malunt? hos eosdem, qui semel, iterum, tertio Gallicos a diversis interpretibus factos, refectos, interpolatos, toties perlegunt; qui toties eandem sententiam, aliis verbis inculcatam, & retractatam, omnibus modis oculorum, & aurium devorant, num nimis sciunt? Quid de iis dicam, qui ad veras illas, majoresque de natura, ac de Deo doctrinas, sexcenta quædam, non expressa simulacra, sed adumbrata doctrinæ, adjiciunt, aut in earum locum substituunt, quibus vel tempus fallant, vel nomen sibi apud imperitos aliquod faciant; quid demum est nimis scire, hoc si non est? qui lusus ludunt non Archimedeos aut Euclideos, sed inanes, absurdos, inficeto, ut dicitur, rure inficetiores? qui insignia nobis, & arma, quæ vocant, familiarum, ac regnorum, perinde quasi antiquissimos mores, sanctissima instituta, gravissimas leges venditant? quibus nummuli, statuæ, columellæ, universa historia; prædictiones ex oris, aut manuum inspectione, longa philosophia; hierarchia, parœcia, similia cetera, de quibus nuper litigiosi homines inter se digladiari aliquot voluminibus cœperunt, tota theologia est? Quousque vero singula persequar vel hominum genera, vel literarum, in quibus vagatur male feriata curiositas, qui licet tam multa ejusdemmodi, tamque plena ineptiarum enumerarim, haud millesimam partem dixi, atque, si nunc otium sit, possem expromere? Verum esto. prisci ad usum, ad pompam: novi ad oblectationem, ad censuram libri legantur. discatur sane, sciatur id, quod disci, scirive aliqua ex parte potest, quod nomine tanto doctrinæ non prorsus indignum, etiam vulgi judicio, videri. Quid causæ est, quamobrem novæ res, quæ modo gestæ sunt, quæque nunc geruntur, vel potius quæ & infectæ sunt, neque fiunt, cum falsæ, fictæque, incertis auctoribus, & totæ inani fama ex mendacio compositæ plerumque sint, hos occupatos, & exercitos habeant? quid est, quod res futuræ, sed non ita paullo post futuræ, sed apud nepotes longo intervallo, multisque in annis futuræ, ac nullo unquam fortasse tempore futuræ, quæ ex conjecturis pendent prope nullis, quæ mera divinatione nituntur, quæ levissimis suspicionibus attinguntur, ac ne attinguntur quidem, horum consumant optimam partem otii? postremo cur familiarum jurgia, civitatum rumusculi, regiarum blandæ assentationes, & veteratoriæ artis, ac robustioris improbitatis acta, apud hos obtinent locum, & numerum eximiæ cujusdam, minimeque vulgaris scientiæ? ut percunctando, vicissimque respondendo, Quid novi, omnis illis consumatur dies, vitæque tempus, quo nihil esse optimo æstimatori rerum carius debet, minimo pretio, binis vocibus addicatur, ac væneat, vel verius nullo jure aut lege repetendum, ac recipiendum, cum semel amiserint, dilabatur in perpetuum, funditusque pereat. Num hæc vero, si alia ulla, supervacanea, nimia, infinita scientia, nihil ignorare belli, nihil pacis, fœdera amicorum, strategemata hostium, arcana nostrorum, pontificum, imperatorum, regum, rerumpublicarum, omnium intimos sensus ventilatos, patefactos, illustratos habere, tamque in hæc universa, sola acie ingenii intrare, quam qui adhibentur in consilium, quam qui rebus gerendis intersunt, quam qui gerunt: imo vero multo magis: ut pote eum principia, & causas longe retro respiciant, progressus teneant, exitus in consequentes annos quamplurimos antevertant? Quid his hominibus facias, inquisitoribus mysteriorum, helluonibus novitatis, verine dicam, an falsi scientissimis? qui toti aures, toti oculi, toti vates, atque divini, in quos Plautinum mirifice istuc quadret:

Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Idque, quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt: quod Juno fabulata est cum Jove.
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt.
Falson', an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.

 Intel-

Intelligitis, opinor, præterquamquod ſimplex eſt, & uniuſmodi parum ſciendi ratio, quæ in nuda ignoratione rerum neceſſariarum, & cuique hominum ordini convenientium conſiſtat, eſſe viam quam multiplicem, ac bene tritam nimis ſciendi. In hoc enim ſcientiæ nimiæ quaſi bivium, quod nos paullo ante aperuimus oratione, quis non advertit ſemitas confluere tranſverſas complures, quibus a mediocritate deflectatur in immenſum? Ex quo etiam illud videtis ſequi, proclivius factu eſſe, ut in id, quod nimium, quam quod parum eſt, per imprudentiam incurratur.

Sed quid ego tandiu ad nimia ferri magis, quam ad modica ingenuis deditos ſtudiis, artibuſque diſputo; quanto plus in nimia ſcientia reſideat mali, quam in modica taceo? præſertim cum periculum tam magnitudine mali, quam propinquitate æſtimandum ſit. Utrum igitur malum, auditores, cenſetis majus, nimium ſcire, an parum? nam quin utrumque in malis, utpote in extremis poſitum, numerari debeat, nullus dubito, iſtoque tanquam conceſſo utor, ac meo. Sed tamen quæro, pluſne detrimenti literæ, ſi nimiæ ſint, importent, an quæ parvæ fuerint, numeroque paucæ? Quanquam ne de eo quidem amplius quæri convenit. cui enim obſcurum, quin pulcherrimarum rerum immoderata vis, & nimietas haud paullo pernicioſior ſit, quam exiguitas, atque penuria, pluſque egregio quodam, & ſingulari bono, ſi abutare, noceas, quam ſi non omnino, aut parum utare? quem locum ſi urgere vellem, quantum, ſuperi, mare mihi aperiretur ad dicendum! quam in altum longe provehi, quam ſpatiari, & excurrere libere poſſem, ſi oratorem agere mallem, quam divini ſermonis interpretem! At cum vela hic orationis contraho, lituſque lego, tum præterea mitto, quod ignoratione vitii plerumque rectius, quam virtutis notitia vivitur. mitto, quod confidentiæ, ſuperbiæ, inſolentiæ calamitoſa, & exitiabilis ſeges non aliunde uberius mortalibus, quam ex ſcientiæ ſolo provenit: hoc unum dico, quod inſtar omnium, quæ dici in eam ſententiam poſſunt, cenſeo, quod qui parum ſciunt, non continuo nimium ſciant; qui nimium, profecto parum idcirco ſciant. Age quiſquis ea re plurimum ſcire te putas, quia unum agis, ac ſollicitas, in eodemque hæres, & commotaris ætatem, neſcis, mihi crede, quanta neſcis; quot tibi ad res aditum iſto tuo inconſulto conſilio præcluſeris, quam varias, quam eximias, quam ſalutares, ac neceſſarias; ut tuum illud neſcio quid unum, quod altius impreſſum, obrutumque reris, effoderes. Quod ne dubitetis ipſi, proponite, auditores, ob oculos vobis theologum aliquem unum iſto de genere, ut prædicari de ſe, ac nominari volunt, profundorum, quem ſchola, ſeu junior theologia in gremio, ſinuque ſuo eduxit, longum otium contemplando exercuit, altercatio pertendendo corroboravit. is totum ſe in hanc facultatem, ſine ulla exceptione operæ, ac laboris immerſerit: huic pueritiam, huic juventutem, huic ætatem firmam conſecratam eſſe, addictamque voluerit, diſcendo, docendo, ſcribendo. idem præterea non aliud in vita egerit: nihil Græce ſcire, parum Latine curarit: rerum geſtarum hiſtoriam, velut hominum fide, ac teſtimonio nixam repudiarit: ordinem temporum, ceu fluxa quædam; ſitus locorum, ceu bruta, & rudia; gentium leges, ac morem, ceu mortalia, & caduca aſpernatus ſit: ceteras artes, & doctrinas liberales præ ſua, ſicut Ulyſſes, Ithaca, aut ſicut Paris, Helena, viles duxerit; ſic, ut neque aditu, neque conſpectu dignas judicarit; non earum cauſa manum verterit. amabo, ejuſmodi viro, qualem deſcripſi, cum ſua hac, quam afflictim deperit, amicula, quid infantius? quid ſpoliatius? quid incultius, atque horridius? prætereo, quam ſit puer, qui, quid antea, quam natus ſit, acciderit, neſciat. ſileo quam mutus, idemque ſurdus, qui vix aliena lingua loquatur, vix loquentem exaudiat. ne meminiſſe quidem volo, quam barbariem pronunciatione, ac vocis ſono, quam peregrinitatem inſcitia rerum quotidianarum, & in medio ſitarum, præ ſe ferat. An vero nudus a decretis pontificum, imparatus ab auctoritatibus conciliorum, in ritibus veteris eccleſiæ tiro, ac rudis, vel ſe ſatis unis armis novellæ theologiæ tegat, vel adverſarios viciſſim, ſi quando uſus tulerit, laceſſat? Quid? ut homini Judæo verum perſuadeat? quid? ut transfugam a religione ſacrorum noſtrorum, & perduellem, falſi convincat? quid? ut impio Deorum cultori patrias, & avitas ſuperſtitiones eripiat? Niſi forte decem, duodecimve toto ex utroque fœdere verſiculi, quos in numerato habet; duo, triave Florentini, Tridentini concilii capita, quæ digito notavit; totidem ex antiquis, ac ſanctis patribus ſententiæ, ab uno quopiam excerptæ, ab decem exſcriptæ, quas memoriæ cauſa edidicit; quid enim amplius, extra hanc laciniam, ex omni ſacrarum literarum inſtrumento poſſideat? rem tranſigant, ferrum de manibus hoſtium extorqueant, ac parere invitos veritati cogant. Atqui, ut eſt hoc hominum genus candidum, ſimplex, atque apertum, ne hoc quidem diffitentur ſe non agere, ut fugitivum a ritibus patriis recipiant, & exarment, aut Judæum ad partes ſuas perducant, aut veræ divinitatis ignarum ſacra falſa, profanaſque religiones dedoceant. Sicut enim iſti theologiæ partem eam, quæ pertinet ad mores, à ſe abjudicant, vixque theologiæ nomine dignantur: ita hanc, quæ veteres controverſias dirimit, primoribus tantummodo labris attingunt; huic, quæ recentes diſceptat, nuncium prorſus remittunt. dum vero experiantur cum barbaris gentibus, verique Dei expertibus, ac ductu ſuo, & copiis bellum gerant, adhuc expecto. In quo riſune, an ſtomacho proſequendum nonnullorum morem putem, non facile dixerim, quod inventa cum ſit recentior theologia, quæ ſpiritus illos magnos non contemptorum, fatendum enim eſt, adverſariorum retunderet, ac laboranti eccleſiæ ſuccurreret, vireſque, & animum adderet, nihil nunc minus apud eos, quam id, propter quod comparata ſit, efficiat; locos uberrimos, maximeque in commune frugiferos omittat; ſpinoſos, incultos, atque ſteriles, ſibi, in quibus elaboret, ſeponat. Accedit quod ſicut ratio firmamentum, ac robur philoſophiarum omnium eſt; ita parens quædam, & patrona theologiæ auctoritas habenda ſit, ſine qua conſiſtere, aut omnino nomen obtinere non queat. ſapientiſ-

ſimi

ſimi magiſtri noſtri quid faciunt? rem invertunt: ad ratiocinationem exigunt omnia: nihil fere relinquunt auctoritati loci. Sed iſta, quæ magnam habent querelam, communem habent, non hujus loci præcipuam: neque tanti, tamque late patentis mali ſolus is culpam ſuſtinet, qui quid unum, nihil aliud, diu & multis lucubrationibus commentetur. Hoc tantum intelligi volo, qui uni ſe ſtudio per omne tempus ætatis manciparit, plurimis illum, & neceſſariis doctrinæ præſidiis caritutum. Adjunxerim iſtud amplius, & ſacramento contenderim, ac, ſi opus ſit, argumentis, & rationibus effecerim; quod ſcientia alia ex alia nexa ſit, cunctaſque inter ſe aptas, & colligatas commune quoddam vinculum contineat neceſſitudinis, & cognationis; qui unum modo ex omnibus deciſum, ſolitarium, ac ſimplex ſciat, ne hoc quidem ſcire, quod ſciat. Verum nobis ſatis eſt in præſenti, quod vicimus: exuere caſtris adverſarium, aut delere funditus, & perſequi victoriam etſi novimus; nolumus.

Tecum mihi ad extremum res eſt, qui, quod tibi conſcius ſis, quam multa legeris, audiveris, cogitaris, quæ ſpatia literarum decurreris, ſcire te plurima exiſtimas. vide, quam a te longe diſſentiam: quam parum de tot, quam nihil ex omnibus cognoveris. Primum vos, auditores, conſulo. qui aſſidue, & continenter commercium cum ludicris, & jocularibus, cum leviſſimis ſtudiis habent, poſſunt ii ſerias, & laborioſas, & actuoſas tractare diſciplinas? qui Theageni, & Charicleæ cum thenſis, & paſtoritio pedo, & pontificiis infulis convenit? qui Sylviæ, Chloridi, Calliſtæ, Uraniæ cum principibus cujuſque memoriæ viris, cum ampliſſimis & auguſtiſſimis conciliis? non plus ſane, quam olim Lesbiæ, Corinnæ, famoſis reliquis cum dictatura, aut conſulatu, aut ornatiſſimo ſenatorum conſeſſu. Requirimus, qui priſcos patres, ſanctimonia, atque eruditione præſtanti viros, & Græcos & Latinos, utraque lingua ſua evolvant: contextæ ſermone vernaculo fabellæ magis placent. volumus, qui Hebraïcas literas attingant: præ comicis, tragicis, aliiſque populariter numero concluſis, Judaica nihil ſunt. caremus, qui ſacras paginas manibus terant, & celebrent, inter ſeque recolant, ipſoſque apices literarum momentis expendant ſuis: in profanis lectionibus, auditionibus, ſcriptiunculis jucundius vivitur. Neque nunc ago, iſta miſceri, ſumma infimis, divina humanis, quam dedeceat: quam non poſſint, id demum diſputo. nolite enim putare non perinde nugis iſtis, & avocamentis, atque graviſſimis, operoſiſſimiſque artibus mentes hominum aut retineri, aut diſſipari. certe quidem cum ſit intelligendi definita vis, & circumſcripta regionibus certis, qua re impleatur, exhauriaturve, ad dignitatem plurimum, ad laborem aliquantum, ad occupationem, aberrationem, impedimentum, & motam nihil intereſt. An vero videmus, qui genus aliquod harum minorum literarum exercent, & natura, & facultate, atque uſu, a rebus civitatum gerendis procul remotos: ad tractanda ſacrorum, quovis opere urbano ampliora & auguſtiora, myſteria idoneos cenſebimus? &, ſi tota natio vulgarium, & vernilium poetarum, qui modo eam artem factitent dedita opera, & frigere, ut averſa a recto, ac prope ſui non compos, & neque publicum negotium agere, neque ſuum, ac ne otium quidem poſſe, vulgo exiſtimatur: qui ſe minus etiam, quam poetas, toties gerunt, & molliora ſtudia ſequuntur, puræ religionis omnis, & ſanctitatis perdiſcendæ, contemplandi, cognoſcendique Dei maximis occupationibus apti, & pares erunt? Quid, quod aſſuefactu his luſionibus, his umbraculis, hac inerti & delicata vita, ſolem ut ferre, ac pulverem velint, & in arenam, atque aciem prodire, & animos ad ſeveriora traducere, nunquam neque illuſtrium exemplo auctorum, neque honeſtate rerum adducentur? non enim cujuſquam unius hominis eſt, nec natura fert, nec mos, aut ratio, ut tam diſſimiles perſonas tam exiguo tempore ſuſtineat, & ab extremis ad extrema repenre eveſtigio tranſvolet. quemadmodum enim ſcriptores, quantum animadverti, qui in fictis, facetiſque ſententiis exponendis dominantur, ac regnant; etſi ad arbitrium poſſe fingi videatur oratio, toti interdum a ſe alii ſunt, cum vero in argumento verſantur ac gravi; vel potius iidem, ſuique ſimiles, cum diverſa non varie tractent: ita iſti, in jocoſis nugari ſoliti, vix ac ne vix quidem nugas in gravibus, ſetiiſque rebus abſtinent, eaſque partes deponunt ægrius, quas vel fortuna & caſus obtulit, vel conſuetudo mala ſuſcepit, quam quas officium & cogitata ratio impoſuit. Atenim remoto joco, intima quæque & abſtruſiſſima naturæ, item forenſia, politica, cetera tum uſu opportuna, tum tractatione ampla præmittunt, & viam ſibi ad theologica immortalia, ac divina, materiæ dignitate muniunt. Itane? alia aliis, ipſa ſibi incurrentia, neque multitudine, neque magnitudine officiunt? nihil impedimenti, nihil moræ & tarditatis afferunt? vacuum, & integrum ad majora capeſſenda animum relinquunt? Si curſim ſummatimque tetigiſti, quid factum lucri? ſi penitus, quid reſiduum otii? An quæ ætatem diſciplinæ ſingulæ poſtulant, ut probabilem te, dignumque auditorem præbeas; iis ætatis particula ſufficiet comprehendendis univerſis, ut ſummus doctor & magiſter evadas? Qui vero ludibundi, & oſcitantes ad ſpiſſa, contorta, & ardua parem operam non afferunt; jam defeſſi priore labore, jam fracti, conſecutis multo mole, multo uumero majoribus non ſuccumbent? Anguſtiæ, mihi crede, humani ingenii tantam amplitudinem non capiunt, tantum pondus ac majeſtatem non ſuſtinent. ipſa adeo memoria percipiendis, condendiſque tot doctrinæ quaſi fructibus laborat. Atque ut non otium, non vires deſint, ut ſeſe res præbeant ſub manum; voluntas, & ſtudium flagrans, ſine quo nihil fere alicujus pretii geri poteſt, ſi nihil intermittit, remittit, nimioque pabulo faſtidit ac languet, neque demum, ut conatus ullos & contentiones adhibeat, a ſe impetrat. Audite autem vocem dignam hoc loco, dignam hoc tempore, dignam auribus non illa humana, ſed hac cœleſti & divina literatura eruditis: De nobis nimis elate, de ſtudio noſtro nimis humiliter ſentimus, ſi melius quid eſſe, ſi hoc nobis ſatis non eſſe ducimus. theologi non ſumus, ſi nos ſibi totos, ſuis abſolutam numeris, inſtructam copiis idoneis, theologiam non vendicare arbitramur. Quæ cum ſint ita, cumque iſti

aut

aut quia unum tantum mordicus arripiunt, de aliis parum ſciant; aut quia multa amplectuntur, vel ſingula, vel unum ex omnibus maxime neceſſarium non ſatis teneant: nihil relinquitur, niſi ut totam hujus generis rationem concludamus, ſateamurque nimiam ſcientiam duplo, quam modicam, deteriorem & eſſe, & videri cuivis ſanæ mentis jure optimo debere: ſiquidem præterquamquod ipſa per ſe mala eſt, tantundem mali, quantum modica, aut hoc idem, quo modica conflictatur, malum nacta ſit.

En perſpicuum nimis ſciendi periculum. en malum, quam imminens & propinquum ſit, quamque magnum. denunciatio mea fuit, ut prævideretur: ne, ſicut prædictum eſt, evadat, veſtra cautio eſt; eoque magis, quod optimis ingeniis, ſtudioſiſſimis ac diligentiſſimis literarum impendeat, quibuſvis facile, ſpecie recti bonique, imponat. Quanquam & prudentia, qua polletis, ut initio ſignificavi, & vobis communis mecum dolor, omni me metu liberat. doletis ipſi, ſat ſcio, una cum bonis omnibus, literas literis, ut nunc ſe res habet, officere, curioſitate doctrinam premi, quantoque numerus major ſit docentium ac diſcentium, tanto eſſe copiam majorem non ineruditorum, ſed cupide, præpoſtere, nimis eruditorum. Fuit illud quidem proxime ſuperioribus ſæculis tempus, cum de ignorantia literarum, de literatorum raritate querimoniæ haberentur. fuit & hoc nuper, patrum memoria, cum de vanitate doctrinarum expoſtulari cœptum eſt, quæ multiplices inducerentur, uſum nullum haberent. Nunc egere nos præ abundantia, male nobis eſſe præ remediis, multitudine doctorum excidere & elabi veritatem, immoderata ſciendi libidine ſcientiam interire, quotquot harum rerum ſenſum aliquem habemus & intelligentiam, querimur, ingemiſcimus, lamentamur. Neque vero tam ſtudiorum accuſamus vanitatem, quamvis nihil excuſamus, quam damnamus ſtudioſorum, qui copiam potius, quam delectum ſequantur. morbus, morbus, inquam, iſque difficillimus, & in dies ingraveſcens, a feminis ad viros, a conceptu corporum ad conceptum animorum tranſit, & maximam partem tentat eorum, qui mentem ſemel ad cognoſcendum, percipiendumque aliquid appulerunt. malacia quædam, ſi recte interpretamur, illis eſt, & bonarum rerum ſatietas, atque faſtidium. eſitant, non aluntur: mandunt, non concoquunt: ſuperbo dente, ut poetice loquar, alios atque alios cibos libant, ſalubres reſpuunt, peſtiferos & nocentes adhibent; itaque fere fit, neſcio quo modo, ut his aut cruda novitas cordi ſit, aut ſubrancida vetuſtas; puriſſimique fontes ſordeant, turbidi cœno, & inquinati rivuli arrideant. Quod vos malum, per quidquid literarum aut conſecuti eſtis, aut ſperatis, fugite; ſupervacanea reſecate: jucunda ſeriis ne prævertite, utilia neceſſariis. noſque, voſque tribuamus ſuum cuique doctrinæ locum, tempus, operam, aſſiduitatem, honorem, momenta officiorum omnia. Sacros codices, manu Dei perſcriptos totos, non modo ſubſcriptos, diurna, nocturna manu verſemus. Sanctiſſimos patres, Dei interpretes, atque internuncios, attente ac ſedulo audiamus. Concilia, cœleſtis cujuſdam, ac perpetui ſexdecim ætatum ſenatus conſulta, recognoſcamus. Eam theologiam, ſpeculatricem dico ſacrorum, & vindicem ſanctitatum, quæ poſtremis temporibus, divino conceſſu ac munere, Chriſtianæ rei præſidio venit, quæque noviſſimum agmen, magni ipſa agminis inſtar, ducit, amplectamur. Ne illam quidem nullo eſſe in numero patiamur, quæ, quid fas habendum, quid nefas, conſulitur; quæ religione mentes obſtringit, viciſſimque ſolvit; quæ hominibus cavet ſingulis, ac de jure noſtrûm omnium pluſquam domeſtico, & privato reſpondet. Interim ardeliones iſti noſtri, multiſcii, omniſcii ſuam ſibi habeant vel abditam, ut ipſi loquuntur, profunditatem, vel immenſum doctrinarum orbem: noſtram nobis mediocritatem, aut quod infra eſt, remittant. unum multum, ac diu agant: nonnulla nos leviter perſtringere ſinant. omnia diſcendo percurrant: ignorare nos aliquid ſinant. plus nimio ſane ſciant; dum nos neque ingenio, neque uſu, neque labore, & conſtantia vincant.

ORATIO DECIMA.

Quid ſcripturæ interpretes ſcholaſtice juvet.

Avarici Biturigum. XIV. *Cal. Novemb.* CIƆ IƆ CXLIII.

SCRIPTURIS, viri humaniſſimi, theologi eruditiſſimi, quas ita ſimpliciter appellare propter dignitatem, & excellentiam conſuetudo ſolet, nihil eſſe facilius ad percipiendum, ſi quis modo attendere animum velit, communis hactenus ſermo fuit, hodieque eſt novatorum hominum, & avitæ religionis deſertorum. Quo minus eoſdem miror, pueris, mulierculis, imperitæque multitudini tradere promiſcue ſacra volumina in manus, quæ, licet maturitas abſit ætatis, animique prudentia, & omnes literæ deficiant, ſi legant, intelligant, neque plus fere expoſitionis, ut capiant, quam lucernæ, ut ſolem intueantur, egeant. Hoc vero mirari ſubit, quæ novatores effutierunt de facilitate ſacrarum literarum heri, & nudiustertius, quotidieque jactant, eadem nunc, inter nos, ex grege fortaſſe theologorum, alios novatores quoſdam derepente exiſtere, qui affirment, in eaque verſari quaſi hæreſi, non indignum theologia putent. quos ſi audis, interpretari ſcripto divina oracula, actum ſit agere; docere voce, otioſum; magnopere diſcere conari, inutile prorſus, ac ſupervacaneum. Auget admirationem, quod cum utrumque genus hominum peræque falſo rejiciat obſcuritatem omnem a libris ſacris, poſterius deteriore eſſe cauſa video, parique in errato, excuſationis habere multo minus. Primum enim, quamvis illi temere, nulloque delectu permittant univerſis lectionem, & uſum antiqui, ac novi, quemadmodum appellant, fœderis; tamen ſingulis præſto eſſe Spiritum ſanctum volunt, a quo, ſi quid eorum fugiat, ac remoretur ſcientiam, ſuggeratur: hi, ſi modo noſtri, nec ulla opinionum pravitate imbuti ſunt, negant privatum quemvis tale ſibi quidquam certo

to posse polliceri. Deinde sic illi adyta, & interiora mysteria patere defendunt, ut non continuo duces viæ interpretes, atque doctores excludant, sed asciscant potius, & huic uni theologiæ parti, ceteris prope neglectis, præficiant: hi vel nulla, vel subseciva tempora, ceteroqui peritura, impertiunt isti curæ, seque ipsi mali discipuli, pejoribus utuntur magistris. Postremo ex illis sapientissimi quique non omnia omnino plana, & aperta cuivis, etiam nullo docente, sed quæ ad salutem necessario pertinent, ignota nulli esse statuerunt: ab his nihil excipi, quod non clarum, in promptuque sit, suspicari debemus, qui neque in magnis, neque in parvis operam, & explanationes interpretum adhibere curant. Nobis vero, quoniam experientia, atque usu jam aliquo sensimus, & ab ultima antiquitate accepimus, & ex sacris adeo literis didicimus, quam in magnos ipsæ, difficilesque nodos interdum incurrant, sic ut divini hæreant, nihilque explicatores explicent; non modo consentaneum est, suis hoc studium præsidiis necessariis destitutum non pati; sed alia quoque ex aliis disciplinis, ad minuendam difficultatem, adjumenta conquirere, merito incumbit. Itaque cum minime dedeceat, præstantissimas artes, ac doctrinas huic uni subjungi, comitesque, & ministras addi; cumque inter omnes emineant duæ; altera, junior quidem, sed gravior, & austerior, quæ a schola, quasi ab exercitatione, & literato, ac laborioso otio, nomen duxit: altera ut grandior natu, ita comior, & politior, cui humanitas appellationem fecit: quis consilium nostrum reprehendat, si ex utraque quid expectandum nobis emolumenti sit, indicemus; ac non potius desideret officium, si quæ jam commoda hinc ad nos, & utilitates venerunt, neque auctori, & fonti accepta suo refundamus, neque pia, fidelique memoria prosequamur? Etenim cum animi sit ingrati parem gratiam acceptis beneficiis non referre, quando potes; tum vero per quos profeceris, non profiteri, cum semper possis, longe ingratissimi.

Plurimum ergo sibi opis, ac præsidii in theologica schola interpres sacrarum literarum constitutum putat. eundem pro parte humaniores literæ non parum adjuvant. Quod utrumque dum brevi demonstro, magnam inire me a vobis, theologi, gratiam arbitror, qui mansueta hæc studia cumulastis gravioris professione doctrinæ. Neque enim facere potero, quin harum disciplinarum præconia cum fructus, qui redundat uberrimus in nos, commemoratione conjungam. Simul & illud assequar, ut doceam, quo dirigi, quid spectare ceteras artes minutas, ac plebeias oporteat, si recte, & ratione fieri placet omnia; cum ostendero nobiles, ac velut patricias, ad sanctam, vel explanandam, vel ornandam scripturam, ceu ad summum finem, jure optimo referri. Ac primo verendum non est, ne nimis exaggerare beneficia videar, quæ sacris literis theologia dare ista bellatrix solet. ex quo enim sua, ut dicitur, principia, hæc ab illis mutuata est, quid suscepit, aut in quo occupatur, quod ad earum expositionem, intelligentiam, nitorem, commodum, & decus proprie non pertineat? Simul atque hæc inter se principia aptavit, & connexuit, (quam sæpe autem id, quotque modis facit?) quod lumen ex conjunctione tali, quis rerum cœlestium splendor existit? Jam si principium istiusmodi unum, ut interdum fit, ad alterum per se, ac natura notum adjunxerit, accommodaritque; concedatis oportet, hujus evidentiam cum firmitate conjunctam, illius non modo nihil obesse, sed etiam aliquantum prodesse veritati. Cui præterea venit hoc in mentem, quod palmare & eximium puto, cum quidem sententiæ quatuor, si interpretamur scienter, in unum, idemque dictum cadant, non fere, nisi nativo, germanoque sensu, ac maxime proprio, quodvis hic effatum, ut ex eo quid exprimant, & in usus suos convertant, accipi. Sed istud ad hujus doctrinæ robur, & quosdam lacertos attinet, de quibus agetur postea commodius. Nunc ex iis propositis, ac præcurrentibus, quorum alterum alteri annexum est, quæ non efficiuntur? quæ non coguntur? quæ non ut e conflictu, trituque lapidum scintillæ, ita eliciuntur? Concludere autem, & colligere tot, ac tam varia, quot, quamque varia in iis, quæ primum assumuntur, compressa latent, quid est interpretari, hoc si non est? aut si aliud est, quid nisi susius, latiusque, atque adeo planius, & enucleatius interpretari? Quod si quando majoris commodi causa rationes humanas, sic tanquam auxiliares copias, aut levioris armaturæ milites, in partes, & operæ communionem evocant; negotium illi profecto nostrum agunt, cum procurant suum. Age vero, quo pertinet hæc tanta disputationum series, conclusioonum, atque argumentorum copia, aut quem schola propositum sibi finem habet? opinor, ut religionem doceat: ut religionis hostes refellat. quam religionem? quæ sacris literis continetur. quos religionis hostes? qui sacris literis, quamvis aliud præ se ferant, adversantur. Religionem porro docet cum suos, hoc est, & Christianis parentibus ortos, & ipsos jam aliquot mysteriis initiatos: tum vero alienos, & grandes natu; at rudes, prorsusque sacrorum nostrorum expertes. Ex quo efficitur id, quod plerisquenon animadversum video, non utile solum esse, uti supra posui, sed necessarium quoque, ut humanis rationibus, etiam cum divinæ suppetunt, in rem suam theologus abutatur. Qoo enim pacto cerimonias, religionesque in Christum, & status alios, ac solennes ritus, hominibus alienigenis approbabit auctoritate Dei, quem nullum agnoscunt; sacrarum literarum, de quibus ne fando quidem audierunt: nisi ad rationes, firmas illas utique, & valentes, sed humanas descendatur, quibus, si modo homines sunt, neque vincere, neque vinci recusent? Monus igitur scholæ, & officium intelligo esse, ut divina doceat, refuteque contraria. Qua tandem arte? Recte postulas: arte revera. omnia enim, quæ hoc loco fiunt, arte fiunt, præterea nihil. Atque hic, obsecro, attendite, quorum potissimum scire interest, qui de schola theologi, quidve theologia a vetere nova differat cavete existimetis alia nunc a nostris, atque olim a majoribus agerentur, agi vel disputando, vel scribendo. Differitur de Deo, rebusque divinis, adhibitis sacris libris, & quasi resignatis tabulis: differebant. elicitur, quid cuique consequens, quid repugnans: eliciebant. interponuntur concilia, patres, con-

ſuctudines: interponebant. itur ad peregrinas philoſophias, & ſubſidia extrinſecus ac procul accerſuntur: ibant, accerſebant. denique ut idem Deus, idem Chriſtus, ſic eadem capita religionis, firmamenta cauſæ, teſtium copia. Quid ergo nnvi acceſſit? Ars, diſciplina, modus, ac via: hoc eſt, quæ veteres illi, admndum antiqui, plerumque, partim ingenii bonitate adjuti, partim exercitatinne, & uſu facti, commode, quod ſatis eſſet, executi ſunt; ea recentes hi noſtri, conſtanti, cogitataque ratione tractarunt, & quibuſdam cancellis, ac terminis circumſcripta, in ſcientiæ formam redegerunt. Nam ſicut fuit quoddam tempus, cum jus civile Romanum, ut pote diſperſum, ac diſſipatum per ſeptem, & triginta ſcriptores, duobus pæne millibus librorum, præceptionibus illigaretur nullis, certa nulla doctrina traderetur, quod in primis ut fieret, optavit nrator, quemque ad modum fieri oporteret, indicavit; multis poſt annis Juſtiniani juſſu, primorum in rep. virorum opera, atque induſtria, ſuus illi attributus, & conciliatus decnr eſt, intraque certa præſcripta ipſæ, nimium diu liberæ, ac ſolutæ leges venrrunt: ita primo conſignatæ promiſcue divinæ res monumentis cum veteris, tum novi, fœderis; deinde bene multis literis patrum, magnis voluminibus cnnciliorum explicatæ; quo magis late diffundi, eo minus, ac laborioſius cognoſci viſæ ſunt. Ecce autem conſecutis temporibus, ſingulari munere, conceſſuque Dei, exorta nobis eſt divina quaſi dux, & magiſtra intelligendi, quam ſcholaſticen appellant, quæ ſacra omnia, primum diſſoluta, & confuſa, poſtea artificioſe digeſta componeret, ac theologiam, nondum digne ſatis vel tractatam, vel cngnitam, in hnnorem adduceret. Quo ordine, ſuperi! qua brevitate? qua perſpicuitate? quæ ſanitas npininnum, atque ſententiarum? quæ vis, atque efficientia argumentationum? Sic enim reperin, tntidem, quot dixi, hic ineſſe virtutes, quas aſſiduus nobis, & ſolers eorum, qui huic ſcientiæ præfuerunt, peperit labor.

Quid ordinatius, quam generatim de Deo, ut parente noſtrûm nmnium, eodemque ſummo fine; ſpeciatim quo ſingula pacto aptentur inter ſe, & in idem collineent, diſceptari? quis babitam non videt temporis, qnoad haberi potuit, & ad nrdinem pertinuit, rationem: ut octo partibus quoddam quatuor annorum curriculum reſponderet, annus unus duabus; quarum altera ad percipiendum facilior, alterius difficultatem ex parte ſublevaret? Atque haud ſcio, an iſte mos in theologiæ ſcholas a juriſconſultis imitatione exempli fluxerit; quibus ita viſum momenta nfficinrum nmnia partiri, ut ſuæ juris civilis ſcientiæ partes ſeptem, annos ad hoc ſtudium quinque, certum cujuſque anni diſcipulis nomen aſſignarent. Facin autem libenter, ut, de ſchola cum diſputo, de juris etiam peritis habeam mentionem: partim quod hoc ipſi me Bituriges Cubi admoneant, partim quod hanc ad iſtos valde ſuſpicer habuiſſe reſpectum, transtuliſſe indidem in ſuos uſus nonnulla, feciſſeque meliora. Quæ cnmmercii, ac ſimilitudinis ratio in eam quoque partem valet, ut idem vulgo utraque in cauſa peccetur. Sicut enim alios videas ſordidos gloriæ, ac potius lucri aucupes, ſex menſibus totum ſe jus civile tradituros profiteri; reliquos pleroſque nmnes non ipſis viginti annis, quantum id eſt, dncendo complecti: ita noſſe licet theologos, ſi modn hoc nnmine digni ſunt, qui anno unn, aut altero, velut pragmatici, aut curſores, negotium deproperent; ruſum ejuſmndi tardos, & parum efficaces, qui decennin dimidium vix attingant inſtituti: non intelligentes utroſque, tempore tam longo nimium pauca, tam exiguo male univerſa perdiſci.

Minime vero mirum, ſi ex ratn, ſtabilique nrdine brevitas exiſtit, quæ vel ex eo liquido conſtat, quod efficiat ſcholaſtice duobus, tribuſve argumentis, tanquam punctis, ea, quæ paginam apud auctores antiquiores utramque impleant: quid argumenta dicn, cum ternis voculis, quibus rem negent, concedant, diſtinguant in tempore, aut earum una, maximæ ſæpe ſecentur, & multi ſermnnis quæſtinnes? Quam utinam laudem brevitatis quidam ſcriptores, ac diſputatores e ſchola, ſed nullo modo theologi non corrumperent: quorum millies eadem legas frequentata in libris, millies audias inculcata in circulis. ex qun næniæ illæ, & cantilenæ hnminum, alienis opinionibus recitandis, intemperanter calamo, & chartis abutentium, qui magnum ſe quiddam facere perſuaſum habent, ſi juſta, nt vocant, injuſta, ut cenſeo, & intolerandæ loquacitatis referta vnlumina, ntioſis, & ineruditis auribus ingerant. Sed, ut recordor, veræ theologiæ virtutes narro, falſæ vitia nihil præſto.

Sequitur tertia ſcholæ virtus, perſpicuitas, quæ mihi videtur dupliciter mirabilis, & quod brevitatis, quæ alias obſcuritatem parit, ſocia, comeſque ſit, & qund a brevitate ortum, tanquam a fonte, & capire habeat. Vereor, ut hoc, quod de perſpicuitate protuli, non perinde clare exponi a me poſſit, atque ipſe verum eſſe ſentio. experiar, & faciam dicendo, ſi potero, quam prima fronte videatur, probabilius. Nemini dubium eſſe debet, quin ut modica lux oculos parum juvar, nimia præſtringit; ita qui brevinres eſſe voluerint, ſuo quaſi debito fraudent auditorem; qui longiores, vitioſa abundantia obruant: ſic ut is verum, in tanta rerum multitudine, & copia, internnſcere non magis fere, quam in tenebris queat. Quod cum ubique locum habet, tum in dogmatis tradendis, quale id ſit, facilius deprehenditur: quæ ſi multis involvas, juſtoque plus dilates orationem tuam; lucem eripias, & noctem quandam rebus offundas: illæ, velut acervis verborum cnnſepultæ, atque nppreſſæ, nuſquam extent, nuſquam appareant. Huic ego ſententiæ exempla ſubjicerem, niſi quibuſcum mihi res in præſenti foret, cernerem. unum ſatis intelligentibus, ſuperque fuerit, ut oſtendam, contra quam vulgus hominum exiſtimet, brevitatem matrem interdum perſpicuitatis eſſe. Non Ariſtotelis ſolum philoſnphia plus utimur, quam Platonis, ſed etiam Ariſtoteleum, preſſum, & conciſum differendi, præcipiendique morem, Platonico uberi, perque dialogorum perſonas diffuſo fere anteponimus. certe quidem neminem eſſe noſtrûm putem, quin citius multo capiat quid in politicis aut ethicis velit Ariſtoteles ſibi, quam in ejuſdem generis, argumentique libris Plato. quid ita? quia ille

ille paucis, hic multis philoſophatur: in illo nihil te fugit, quod omnia, utpote neceſſaria, attendas: in hoc pauca re advertunt, quod pleraque, ut ſupervacanea, non eures. apud illum veritas cum nuda ac ſola degat, ſe tibi prodit exhibetque primum ac procul intuenti: apud hunc, cum multiplicem comitatum habeat verborum, & ſententiarum, ex hac turba ut eruas, omni ope allaboras. Quo magis miror oratorem Romanum, & ſcriptores ea memoria ſane bonos, etiam quorum is meminit, Platonis dialogorum formam ſecutos, Ariſtotelis doctrinam, rara quampluri-mis paginis præcepta ſparſiſſe potius quæ errarent, quam in medium protuliſſe, quæ ſub aſpectum venirent. niſi forte jucunditate, & elegantia ſermonis placere, quam præceptionibus, & monitis, quæ non magni faciebant ipſi, quæque ad cognoſcendum duntaxat non illiberalia eſſe diſſerebant, prodeſſe maluerunt. Ad propoſitum veniamus. Sive quid chartæ, quod animo commentatus ſit, theologus noſter illinit, anguſtia concluſæ orationis tota facile, quanta eſt, patet, neque mole ulla mentis luminibus obſtruit: ſive congreditur, ac de vero dimicat in corona hominum eruditorum, contorta haſtarum modo argumenta, quæ reſponſum eliciunt ex tempore, nullo ſane negotio intelliguntur. De quo palæſtræ, & exercitationis genere quid ſentire debeamus, nihil attinet dicere, cum doceat experientia nihil eſſe fructuoſius eo, quod primo aſpectu fieri inutiliter & otioſe, maximo etiam temporis damno, videatur. Enimvero ſi quis ignarus inſtituti, conſuetudiniſque noſtræ preſſe ac tenuiter arguendi, & reſpondendi, in hominum eruditorum cœtum, conciliumque, caſu ac primum veniat, ibique theologos contendentes inter ſe duos, poſitis quæſtionibus, de quibus diſceptetur, offendat; cum ab altero audiat aſtringi argumentum, quanquam breviter, tamen tripartito; quod ex duplici enunciato concludatur; alterum hujus verba ſemper bis, nonnunquam tertio repetere, & bona fide omnia, vel potius ſollicita, & anxia religione reddere; ſic ut eadem ter minimum, qui audiunt, audite cogantur: non teneat profecto riſum, qui cantilenam de medio ſumptam ſundi, &, inſtar Echo recinentis, voces acceptas multiplicari, aut præeunti verba puero reſponſare puerum memoriter ludicram, & jocularem formulam putet. Idem, ſi quem res finem habitura ſit, atque exitum, opperiri velit; poſtquam multum ac diu diſputatum fuerit, cum alter aiat, alter neget, in ſua utrumque ſententia permanere, utrumque ſe pro victore gerere, ſpectatores relinqui, multo, quam antea, incertiores: ſtomachetur vero tandiu cauſam non componi, neque aliquid inter partes convenire; patientiam audientium miretur; prudentiam loquentium deſideret; poſtremo inſanire peræque omnes cum ratione exiſtimet. Sin is a ſe impetrat, ut eodem revertatur, vel experiendi cauſa, ſæpius, conſideretque propius, quo ſingula pertineant, quem ad uſum referantur; acui ingenium ad inexpectata, ardentia, plena ſolertiæ, & nervorum reſponſa, quod domi, contradicente adverſario nullo, elangueſcat, atque flacceſcat; anguſtis, & conciſis concluſiunculis verum, ac probabile facilius erui, limari ſubtilius, certius dijudicari; plura a præſentibus, unius diei congreſſu, quam per abſentes, immenſis voluminibus conſcriptis, ultroque, & citro miſſis, tranſigi; fieri autem totum non modo ad brevitatem multo opportunius id ipſum, quod longiuſculum putatur, quam ſi perpetua oratio adhiberetur, ſed etiam ad perſpicuitatem neceſſario, ut quid quiſque præciſe neget, quid aſſentiatur, intelligi poſſit: hæc ſi, inquam, omnia conſideret diligentius; tum denique judicium ſubitum, ac præceps ſuum temeritatis condemnet; ætati gratuletur noſtræ, quæ ſeveris legibus, ac diſciplinis longe, multumque proficiat; minus deſideret antiquam, cui, licet multarum, & præſtantium rerum inventrici, inventum, quod ſatis digne commendare non poſſumus, defuerit. Tametſi non eſt, opinor, quod hoc tantum boni antiqui nobis, ſi nunc ipſum adſint, invideant, a quibus fortaſſe excogitatum, deinde multis ſæculis intermiſſum, longo tandem intervallo revocavimus. Satis conſtat fuiſſe oratori morem non ignotum, de quo aliquid, quod expedit ſcire, jam tum præcepetit. *Ego*, inquit, *arbitror, quanquam admodum delectatus ſim ejus oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus ſingulis inſiſtas, & intelligas, quid quiſque concedat, quid abnuat, ex rebus conceſſis concludi, quid velis, & ad exitum perveniri. cum enim fertur, quaſi torrens, oratio, quamvis multa cujuſquemodi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nuſquam orationem rapidam coerceas.* Faceſſant igitur, qui vel novitatis inſimulant hoc inſtitutum, quod tanto ante, atque a tanto viro prædicatum videmus, & multo etiam prius ſuſpicari licet uſurpatum: vel inutilitatis, quod ipſe quotidianus uſus jam ſatis, cum ad multas res, tum ad perſpicuitatem valere demonſtrat. Itaque qui hanc diſſerendi formam particulis binis quaſi ſolennibus, ſed, &, ergo, illigatam, qui frequentamenta hæc vocum, concedo, nego, diſtinguo, qui hæc interjungendi tempora, hæc ſpatia ſumpta, ut ad recipiendum ſpiritum, ita ad quodlibet reddendum fideliter argumentum, quæ diſputatori proſunt utrique, auditorem ſublevant, luſus pueriles, & male collocatas horas, aut aberrationes interpretantur a via, ſimiliter facere videntur, ut qui olim Hiſpani, Romanos cum intuerentur inambulare, animi gratia, aut valetudinis, & aliquot eodem loci ſpatia facere, dubitabant primo, numquidnam quærerent; viamne ignorarent, quam etiam homines minime mali monſtrabant velut errantibus: mox cum iſti admoniti pergerent nihilominus, parum ſanos & aliena facere exiſtimabant. ſummæ enim ſtultitiæ eſſe, iterare ſæpius eundem locum, retroque cedere tam ſubito, & circumagi conſulta opera, nulloque pretio laboris.

Singulæ quidem artes, ac diſciplinæ haſce virtutes, ordinem, brevitatem, perſpicuitatem jure quodam ſuo ſibi vendicant vel ſingulas, vel univerſas. nihil quicquam eſſe tam proprium ſentio ſcholæ, quoque magis, ac merito ſane glorietur, quam quod nihil affert, cum omnia accurate, ſubtiliterque tractet, niſi ſanum, ſincerum, firmum, ac ſolidum, quam ſecuritatem doctrinæ appello, cui tuto te, & explorate committas: ſine qua vel qui

agunt cum populo de rebus divinis, non ſatis periculum vitent errandi, vel qui quomodocumque inter ſe loquuntur, aut ſcribunt, ubique ferri titubanter oporteat, neque habere quod ſibi confidant. Ex quo utrumque hoc intelligitur, quod ego magno aſſenſu comprobatum video doctorum, atque prudentium. primum, communi omnium a ſchola theologorum ſententiæ, in re quidem gravi, refragari temeritatis eſſe. alterum, contra concordem eorumdem omnium de fide, aut moribus ſententiam ſtare, ſi hæreſis non eſt, at quam proxime ad hæreſim accedere. Quod ſi cui forte dictu novum acciderit, is mirari deſinet, ſi memoria repetat, quadringentos abhinc annos, ſive quid errorum ſummus pontifex, aut publicum Chriſtiani orbis concilium cognita cauſa damnavit, ſive quæ de fide, & moribus decreta fecit, non tantum horum theologorum ope & opera vehementer adjutos eſſe, ſed omnia ferme de eorum conſilio, nihil quidem ſine eis majoris rei geſſiſſe. Non labi vero, nihil offendere, ſine metu prolapſionis conſiſtere, aut ingredi, quam cautionem ſchola magna ex parte præſtat, quanti ſit, quamque rarum, ſanctiſſimi juxta ac doctiſſimi patres exemplo docent, ex quibus admodum paucos excipias, ad quos nævus aliquis, aut etiam gravis error non adhæſerit. Quod ſi quis in omni memoria unus, alterve immunem ſe nobis ab omni labe, & opinionum pravitate exhibuit; quam raro id accidit, tam ejus in ſumma poni laude conſuevit.

Excipit hanc quaſi ſalubritatem doctrinæ vis quædam atque efficientia, quæ ſuprema ſcholæ virtus. Nolite enim putare invalido apparatu, debilibus machinis ac præſidiis, levibuſque ratiunculis, vel tantam apud omnes bonos, atque doctos auctoritatem, & gratiam comparatam, quanta ſcholæ eſt; vel tantas acciſas, contritaſque vires, quantæ adverſariorum fuerunt. Non hic fallacibus præſtigiis, & captionibus contortis locus, aut dialecticis fæce ſophiſmatum inquinatis, quæ dolo malo rem gerant, itemque paribus declinentur effugiis. Vi opus fuit, aperta, inexpugnabili, quæ vim defenderet, quæ provocaret. argumentis, quæ aſſenſum extorquerent ab invito, atque omnem adhiberent perſuadendi neceſſitatem. philoſophia maxime forti, &, ut ita dicam, virili, vel divina potius, non humana, quæ prius, ut confiteremur, nos cogeret, quam ut aſſentiremur. Videtiſne, jam poſitis, ut ſupra fecimus, ſcholæ principiis, quibus homo ſanæ mentis nemo reclamet, maximam de hoc diſputationis loco detractam orationem eſſe? Etenim ſi quod primum aſſumitur, inficiari non potes, ſi id, quod annexum eſt, par apud te pondus obtinet, ſi ipſa ratio connexi, cum conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere; in concluſionibus, ita compoſitis, tam ratis, quid tergiverſandum, aut expectandum putas, ut des manus veritati? Itaque, ut dicam, quod res eſt, uno mihi vitio minus eſſe vitioſi novatores videntur, quod acute perſpiciant conſiſtere ſe in acie cum talibus adverſariis nequaquam poſſe, aut etiam proxime caſtra habere; atque adeo ab omni experiendi occaſione, & præliorum umbra & imagine refugiant. quod quo faciant ſi non tutius, at in ſpeciem honeſtius, Parthorum ad inſtar, ora obvertunt inter fugam, reſpectantque identidem, & convitia, cachinnos, magnifica verba jactant. cum provocent ad concilium non coactum, liberum, cumque habeant ad populum continentem & perpetuam, in qua deliteſcant impunius, orationem: nihil quicquam tam timentes, quam ne timuiſſe videantur. Nec vero eſt, cur quiſquam ullo ſcholæ aut fato fieri, aut merito exiſtimet, ut nemo his ſæculis quatuor Chriſtianæ reipub. hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore huic diſciplinæ quoque indixerit. hoc citius, ac verius dixerim, formidine, inertia & conſcientia tenuitatis virium evenire, ut nemo tot annis bellum rei Chriſtianæ indixerit, qui non ad certamen cum hac ſcientia deſcendere recuſarit. Quocirca novatores non tantum cenſuram, mulctam, proſcriptiones, ferrum, ignes, reliquas deſertæ religionis pœnas; quod minime tamen decet, ſiquidem ſtent a Deo, atque a vero contra mendacium; perhorreſcunt: ſed pugnam quoque, & contentionem, cum his noſtris bellatoribus præſertim, quam pudori ſibi futuram vident, defugiunt.

Quorſum igitur hæc de tot ſcholæ virtutibus oratio? quorſum? ut intelligeretis quintuplicem una in arte quaſi artem ad ſacras literas a theologis non poſſe conferri, quin magna quædam iis acceſſio, magnus quæſtus, compendiumque fieret. Videte autem quam bene, & naviter id, quamque dedita opera, non curſum, atque ſtrictim, aut velut ex incidenti, quod profitentur, impleant, & ex theologi unius in ea ſcientia prope ſingularis facto diſcite omnes. Nihil dicam inauditum vobis, nihil cuiquam novum, nihil, quod non aut oculis cognoſcere, aut prope manu tentare poſſimus. Num Thomas Aquinas, qui vir! quam ſanctus! quam eruditus! multis ac diverſis, quæ cum eo, quod decérnit ipſe, pugnant, rationibus auream ſententiam unam, ex inſtrumento ſacro fere depromptam, tanquam firmiſſimum contra omnes adverſariorum petitiones ſcutum, opponit? Num ſæpè concluſæ diſputationis ſummam, ſeu corpus ipſum, quod vocant, interpretando magis, quam ratiocinando, corroborat, in eoque operæ plurimum, ſtudiique conſumit? Quos vero, quotve ſibi locos objici facit, quibus occurrat, & eos cum rationum ponderibus, tum aliis ex eodem ſacrario locis planiores, atque illuſtriores efficiat? Jam illa non longam orationem deſiderant, quemadmodum hujus auctoritate, atque exemplo, ceteri tot, ac tanti viri, nihil prius habuerint, quam ut fundamentum ejuſmodi jacerent ſuarum opinionum, & ſententiarum omnium, neve quid vel minimis apicibus harum literarum diſſentaneum proferrent: contraque fecerint, ut hæ inter ſe literæ, ſi quæ diſcrepantia dictorum videretur eſſe, omni ex parte convenirent. Hoc breve dici poteſt, neminem eſſe iſtorum, qui non omnia ſua confirmanda putet, quoad licet, auctoritatibus divinorum librorum: nullum reperiti in divinis libris locum, aut ita abditum, ut non tantorum ſcriptorum ope & induſtria erutus ex tenebris appareat, aut tam inſignem, ad quem non alicunde ex iis multo major lux quædam affulgeat. Addam ego amplius, ſi quos aliud agentes theologi ſcrupulos exemerunt,

runt, ſententiaſque vel controverſas, & plenas diſſenſionis inter antiquos, adduxerunt in concordiam, vel patefecerunt obſcuras, excerperentur, & unum in corpus redigerentur; brevi futurum, ut iis volumina impleantur & maxima, & cognitione digniſſima. Poſſum igitur magis conferre pedem, ut aiunt, & ad cauſam accedere? poſſum magis oſtendere, hanc nobis ſcientiam, hos theologos opitulari, quos totos eſſe noſtros, totos prope alteros nos eſſe docuerim? ut ſi quid in alterutram partem queri oporteat, quod minime oportet, expoſtulandum potius videatur, quod in res noſtras nimium ſe curioſe, quam parum diligenter, atque officioſe interponant. Eſto: neque conſulto, neque per tranſennam ſua nobiſcum bona communicent; noſtra negligant: fac nihil eos habere cum literis noſtris commercii, non attingere volumina ſacra. Ut nihil aliud, parumne proderunt, quod hoc inſtitutum ſecuti, hanc diſſerendi viam, his præculti, ſubactique exercitationibus, pares animos, ſimilem induſtriam afferent; idem acumen in rebus diſtinguendis, eandem diligentiam in recognoſcendis, eandem gravitatem in ponderandis. Novimus ipſimet, & quotidie legimus, qui qualeſcunque ad ſacras literas acceſſerint; acceſſerunt autem non mediocriter inſtructi; a doctoribus, atque ſchola facti ad eas, imbutique acceſſerunt. Ut enim diffiteri theologus non poteſt, quin philoſophis aliquantum debeat; a quibus morem, ac modum accepit diſceptandi; quamvis nihil argumenti philoſophici adhibeat: ſic is non continuo ſtudium ſacrarum literarum non juverit, qui privata cura, & arte, quam exercet, ſacrum nihil complexus ſit. Et mirabimur ſummos pontifices, potentiſſimos reges, florentiſſimas reſpublicas in eo conſpiraſſe omnes, ut doctores gentium ac nationum, ita ut erant, doctores appellarent, immunitatibus donarent, magiſterii titulis, ſapientiæ elogiis, quorum ſumma ingenia, in ſacris illuſtrandis literis, plurimo cum labore, conſumpta intelligimus? Dubitabimus vero, quin, cum ſit omnibus deſponſa, ac deſtinata in cœlo merces, qui docendo juverint plurimos, noſtris his præter ceteros doctoribus ſuum quoddam præmium maneat morte obita, inſignis in perpetuum corona conſtet? ut jam me pigeat aureolam vocabulo appellari diminuenti, quæ merces tantis laboribus, tantæ induſtriæ, tantis in omnem partem meritis reddatur. O te vel hoc nomine memorabilem, Ignati. primum ordinis noſtri parentem appello tu, tu dicere in vita quondam ſolebas; & vero teſtatum ſcripto reliquiſti, & digna vox ſingulari prudentia tua pervenit ad nos; hanc eſſe unam in paucis normam recte de vera religione ſentiendi, ſi quis ſcholaſticen, inventum, & munus Dei, difficili reipubl. Chriſtianæ tempore conceſſum, magni, pro eo ac debet, faciat. intelligebas, vir omnium conſideratiſſimus, haberi ſuſpectæ fidei oportere eum, apud quem fidem, & auctoritatem ea diſciplina non inveniret, quique robur, & columen omnis religionis, omnis erga Deum noſtræ pietatis, vel tacita opinione, & malæ exiſtimationis vitio convelleret. Vos igitur, ſapientiſſimi, dum vixiſtis; nunc vero etiam ſanctiſſimi, ac beatiſſimi doctores, & magiſtri, qui huic ſcientiæ, ſtudioque præfuiſtis, Lombardi, Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, Suarcii, Vaſqueſii, ceterique horum ſacrorum antiſtites, quibus ego tam laudibus, quibus gratiis remunerabor? Vos veſtro labore ſummo, vos eximia fide, vos incredibili reverentia ſacras literas excoluiſtis, locupletaſtis, ex umbra ſæpe, & tenebris in veritatis lucem protuliſtis; cum in ſchola, & ea facultate, quam magnam habebatis, ſtudio, & diſciplina comparatam, ſatisfeciſtis, excelluiſtis. A vobis oſtenſum manifeſto, quantum momentum altera alteri theologia afferat; quam recte altera referatur ad alteram. In utriſque conſociandis, & ornandis ſtudiis conſenuiſtis ipſi; conſeneſcendum: immortui eſtis; immoriendum, facto veſtro declaraſtis. Vivite his quondam animis, hac anteacta vita felices: hac etiam, ſi quid id eſt, lætitiæ voluptate aucti, quod adjutores laboris, imitatores ſedulitatis, conſortes gloriæ reliquiſtis eos, qui veſtri nobis deſiderium lenirent. vos, qua felicitate eſtis, quæ veſtris inventis addiderunt de ſuo, non invidetis. illi, qua modeſtia ſunt, vobis primas eruditionis deferunt; ſtudio & cupiditate inſerviendi ſacris literis nemini concedunt. Atque eo magis, auditores, hoc qualecunque vel præconium, vel teſtimonium virtutis, maximis viris impertio, atque optime de nobis meritis, quod audiam nunc paſſim in eorum nomen invadi, iis obtrectari, a quibus ſine dubio minime omnium oportuit, id eſt, eadem cum illis, ut videri volunt, ſacra profeſſis: qui tum demum ſe mirificos theologos putant, cum extenuarint horum induſtriam, elevarint auctoritatem: homines religioſos fuiſſe; mirum, ni dicant hæreticos fuiſſe: non omnia vidiſſe; credo: eadem ſibi in mentem, ſi priores tempore vixiſſent, venire potuiſſe; dubito: rumore plus illos, & falſa exiſtimatione, quam re, & veritate valuiſſe; id vero pernego. Sed homines omittamus, judicio ſuo valde eruditos, meo ne eruditos quidem, ac præterea ineptos, qui cum veræ ſcholæ, germanæque theologiæ ſolidam, & expreſſam effigiem tenere ſe putent, umbra dumtaxat, & imaginibus utantur; ſatis eos, ſi non dedocemus, ulciſcimur.

Ipſam vero ſcholaſticem cum per ſe prædico libentiſſime, tum hoc libentius, quod ſciam theologiam, ut doctrinæ, ita morum magiſtram, neque ſibi quidquam præter ordinem, & modum aſſumere, neque ulla prædicatione mea, aut cujuſquam, ſuperbiorem, atque inflatiorem poſſe evadere. Quæ ſi efferret ſe in literarum regno, eſſet inſolens inter æquales doctrinas; quando nihil quidem omni ex parte beatum eſſe; neque ſolem, principem ſiderum, maculis, neque pulcherrimum quodque corpus nævis carere ferunt; facile ejus nimia de ſe opinio minui, faſtuſque contundi, atque arrogantia poſſet. Quid enim me vetat hanc officii tantiſper admonere, ac pauca loqui libere, & familiariter in aurem; qui laudes in eam plena manu congeſſerim, quique exquiſitis, quos ne ipſa quidem novit, artis coloribus pictam, & politam dederim? Faciam vero amice, ſi quæ tui de ea inimici ſentiunt, & detrahendi cauſa loquuntur, eiſdem illi verbis aperiam: ut non tantum ex meis laudibus, ſi modo conſe-

cutus ſum, creſcat, ſed ex malevolorum ſermonibus, quoad ejus fieri poteſt, proficiat. cum præſertim valeat hic illud Catonis, multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: quod illi verum, obtrectando, ſæpe dicant; hi, omnia aſſentando, nunquam. Ac non illos tamen acerrimos adverſarios, vel hoſtes potius capitaliſſimos adhibebo, qui ſcholaſticen nullam, quam ſaniorem, eſſe malint, exterminandamque ſua ſententia idcirco putent, quod, Ariſtides ille eo crimine exul, quia ſupra modum juſtus, ubique ſumme floreat, in magnaque gratia ſit apud omnes. iniquiſſimi judices, qui quam prorſus ignorant, doctrinam condemnent. Sed perſonas inducam haud paullo moderatiores, quæ etſi maledico illo dente morſum non efficiant, aut in vulnere ferrum non relinquant, tamen ſeveritatis aculeos, quibus eliciant compreſſum pus, ſi quod in occulto latet, non prorſus excuſſos habeant. Quæ ſi cum theologia iſta noſtra congrediantur, & ſi coram loqui velint, quæ conferre ſolent in abſentem, hæc dicant. Tu quidem, ô regina diſciplinarum, atque artium, formoſa eorum, qui veriſſimum pulcritudinis judicium habent, judicio es. Sed tamen cave, ne dum videri juſto formoſior vis, & parum ſana incipias eſſe, & deformis. Memento rem Chriſtianam, cui ego te valde utilem reor, tu fortaſſe nimium te neceſſariam putas, ipſa duodecim ſæcula, & eo amplius, opera tua, induſtriaque caruiſſe: cum illo interim ſpatio toto & ſua dogmata primo ſtabiliret, & deinceps omne genus errorum, qui alii ex aliis exiſterent, ac renaſcerentur, eliderct. Attende contra non eſſe te aptam ex te, pendere totam extrinſecus, & quaſi mendicam aliena miſericordia vivere: cui principia divina ſacri libri, humana phyſici, inveniendi ſolertiam, concludendi vim dialectici commodent, aliud ferme nihil prætetea ſuppetat. ut ſi quæque artes, ac doctrinæ repetant ſuum, non ſola modo, & inops, & nuda, quemadmodum omni cultu detracto, quæ pars eſt minima ſui puella, ſed etiam nulla relinquare. Jamne vides ex iniquis tuis, qui opponant abs te grandia, nimis minute; dubia, nimis pertinaciter; ſupervacanea, nimis laborioſe; ſoluta, & libera Chriſtiani juris licentia, atque conceſſis, nimis anxie, & moroſe, & quadam cum ſuperſtitione, ac miſeria tractari? Quid ſi ipſi illi, qui tua cauſa cupiunt ac debent, te tantum indulgere novitatibus nolint; pluſculum largiri ſacræ hiſtoriæ, patrum ſenectuti, juris Chriſtiani incunabulis velint, non profanas auctoritates omnino defugere, non aperte contrarias in tuam ſententiam ingratiis detorquere, non difficiles, primumque auditas, ſubito, atque ex tempore interpretari audere? Tuos autem vel profeſſores, vel alumnos aſpice, ut dum rerum curam affectant, re deforment verbis: dum uni tibi vacare velle ſimulant, reliquarum ad te magnarum rerum, atque ignorationem, velut præter dotem, afferant. Sentis, quem numerum, quodve nomen obtineant in vulgus? quam vitæ communis habeantur, ſi aliud adſit nihil, intelligentes & periti? quam nati ad res publicas gerendas? quam facti ad hæc ipſa, quæ didicerunt, quæ docuerunt, prodenda civitatibus, ac populis, e communibus ſuggeſtis, ſanctiora oracula, ſanctiora myſteria? Sed adverſarii nimis urgent. commoveri videtur ingenua virgo, ut antea commemoratione virtutum ſuarum, ita nunc reprehenſione quorumcunque vitiorum; pudore quodam utriuſque, ac verecundia. neque tamen tam de ſua exiſtimatione, etſi minime negligat, quam de ſuorum, a quibus ne negligatur, metuit, gratia ſtudioque ſollicita. De me, viri humaniſſimi, non vereor, ne, dum ſcientiam, nimis fortaſſe confidentem rebus ſuis, ſpernentem alienas, revocare ſtudui ad modeſtiam, modum ipſe non renuerim, qui ex ore, & ſermone alieno omnia, ex meo ſenſu locutus ſim nihil. Atque eo minus periculum eſt, ne prævaricatus videar fuiſſe; quaſi per cauſam profuſis hanc laudibus oneraverim, ut vituperandam rectius, impuniuſque irridendam ſuis invidis, & obtrectatoribus traderem: cum quam iſti aſperius appellare ſolent, inſectarique vehementius, in cujus dictis omnibus commoveri; eam mihi tanto magis, partim non agnoſcendo criminationes oblatas, partim elevando, omnino autem non celando, ſi recte beneficium interpretatur, obſtrinxerim. Nam ut prorſus inficier, aut depellam omnis vitii culpam, neque veritas ſinit, neque hujus ipſius theologiæ rationes poſtulant Hæc enim ſi magnam partem falſo objecta facile concedimus, quæ nihil lædant innocentem: non minus exiſtimare debemus, quæpiam obſervata ac notata vere eſſe, quæ prodeſſe poſſint, ſua vel minima errata emendare, ſeque immunem ab omni non modo labe, ſed etiam ſuſpicione labis præſtare cupienti. Adde quod iſthæc qualiacumque, ſeu dicta imperitorum, ſeu malevolorum convitia, ſive, quod magis intelligo, collata in unam doctrinam, communia omnibus, iis ut nonnulli abutantur, crimina, morum vitia ſunt, non ſcholæ; perſonarum, non doctrinæ: ac ne plurium quidem perſonarum; ſed omnino paucarum. Quod ſi iſtius generis multos ſubſellia haberent; neque minoris apud me ſchola eſſet, & probus ſcholæ doctor, aut auditor bis videretur, ſemel merito ſuo, iterum aliorum vitio laudabilis. Jamvero quis hoc ipſum potius non ponat pro argumento, me laudes huic theologiæ tribuiſſe veras, qui de criminibus, quamvis falſis, tacendum non putaverim? Sed hanc a me orationem quorumdam geſtiens, & inconſulta omnibus anteſtandi libido expreſſit. qui ſi minus ſe amarent, primum rivales, quibus fere carent, haberent. deinde non tam multis, ex numero etiam non indoctorum, uterentur iniquis, nec tantum odii, atque offenſionis ſuſciperent, quantum illius artis arrogantia, qua ſubnixi ambulant, quaſi eam ſoli poſſideant, colligit paſſim, & merito ac jure ſuſtinet. Tametſi & ego amicior eis, quam ipſi ſibi, & multo fortaſſe magis, quam fuerint unquam, aut eſſe poſſint, illius, in quo uno ſua ponunt omnia, ſtudii laudator. Ecquæ vox enim a quoquam honorificentior, ecquæ glorioſior, ecquæ ad omnem laudem inſignior exire potuit, quam, quod egi tota oratione, ſcholaſticen id operis ſuſcepiſſe, ut bene de ſacris literis, hoc eſt, de Spiritu ſancto, cui ſe interpretem, internunciamque præbeat, mereretur? Ni-

bil

hil ex ea detrahi volo, quod nonnunquam cupidos, & studiosos sui sortiatur parum se dignos, & vitiis quamplurimis affines. nihil, quod non tam dare nobis, quam remetiri beneficium videri severis æstimatoribus rerum queat. Divinum, atque immortale meritum agnosco, prædico, & quam maxima possum voce declaro: Cum omnes, beneficia qui acceperint, minuere potius, & extenuare soleant, quam exaggerare verbis; sacræ literæ testantur, nulli se plus, si a conciliis, & patribus discesseris, quam sacræ facultati, amplissimæ scholæ, sapientissimis, ut merito inter se usurpant, mystagogis debere.

In primis igitur, ut aliquando concludam hunc locum, schola interpretem sacrarum literarum tenet beneficiis devinctum, & constrictum suis: sed non sola tenet. ac dici vix potest, quantopere ab humanioribus, quas vocant, literis sublevetur. hoc enim erat alterum, de quo dicere initio proposui. Sinet autem schola me, cum suam illi vicem præstiterim, debitum quoque huic disciplinæ officium non denegare. neque sane invidebit aut ei liberalitatem, aut nobis memoriam, piumque sensum liberalitatis. præsertim cum non id agamus, quod sit forsan odiosum, utri plus referamus acceptum; sed cum plurimum obligati utrique simus, tum nc actis uni tantum gratiis, ingrati erga alteram fuisse videamur. Quanquam longiores jam fuimus; & consequens oratio multorum verborum indiget. Accedit quod ipsa, credo, politior literatura, quæ mera humanitas est, merum sal, malet se aliud in tempus rejici, quam merita erga nos sua cum ullo vestro incommodo prædicari. Quid ergo? num etiam oratorum epilogum theologi a theologo requiritis; an istam nobis libertatem modo præcidimus, qui alteri orationi, quem usum liberales in sacris doctrinæ habeant, reservatum esse voluimus? Magna profecto arte, aut amplificatione non est utendum, neque ita, velut ad ciendos animorum motus, concionandum, ut theologi vel genus hoc concertatorium differendi de Deo, sacrarum literarum causa, amplectantur, vel se sacris literis, scholæ gratia, totos dedant. nam si opportunitatem schola summam affert, uti affert, ad sacras literas perdiscendas, quid minus consentaneum, quam ut literarum sacrarum cultores tale sibi, ac tantum subsidium deesse patiantur? si vero schola tota, quanta est, ex iis principiis quibusdam pendet, quæ literæ tantum sacræ subministrent; si nihil aliud præcipue agit, nisi locos plurimos, & diversos recognoscit, alios aliis consentientes illustrat, alios aliis prope adversarios conciliat: quid magis necessarium, quam ut propter scholam, istius disciplinæ auditor, atque alumnus, sacras literas omni studio persequatur? Sed quid ego oratione sejungo, & ago separatim doctrinas, quarum rationes sic inter se video conjungi, ut qui veræ, atque integræ scholasticæ dat operam, det scripturæ; rursus qui incumbit in plenam, ac perfectam scripturam, in scholasticen pariter incumbat? Quæ cum sint ita, erigite animos, theologi, eoque magis negotium suscipite, quo minus in uno dedita mens & aberrabit, & defatigabitur. Nolite sic rerum vestrarum summam, ac spem omnem ponere implendis chartis scripto multiplici, ac denso, ut omnis tamen eruditionis inanes discedatis. nolite mutis interpretibus, & mortuis tantum tribuere, qui sæpe vos in nodis difficillimis destituent, qui nunquam rogati respondebunt, ut vivos, ac præsentes nihil vos attingere, ad vosque pertinere existimetis. Percipite, evolvite, certe penes vos codices sacros habete, quorum ipse vos aspectus vel admoneat, ut legantur, vel tacite reprehendat, atque exprobret, si negligantur. Nam hos quidem pudendum sit, si ex centum numero theologis vix duodeni apud se domi habeant, aut si in his duodenis vix unus quadriennio totos evolvat. quod longe secus esse non modo arbitror, sed teneo, & scio. Sin ita res fuerit, quod Deus prohibeat, gratum quidem fiet perduellibus, ac transfugis, veterumque sanctitatum proditoribus, qui nihil minus a nobis, quam sacras literas attingi dictitant: culpam autem sustinebit indignissimi facti, maximeque impii, vel seculi error, vel discentium inertia. Commendant, probe novi, doctores, ac magistri id, quod sibi ipsi commendatissimum habent: neque suos magis disputatores vehementes, aut sedulos exscriptores esse cupiunt, quam sacrorum voluminum religiosos interpretes, assertores firmos, custodes, & vindices perpetuos. Quod cum faciunt, tum quod se dignum est faciunt, quod necessitas scholæ exigit, quod difficultas harum literarum, quod majestas. Qui vero tam recte, & salutariter, & loco monentibus theologi non parent, non modo a via, institutoque aberrant, neque ordinem, & gradum tuentur, sed etiam sanctissimum, gravissimumque nomen suum; dum usque eo muneris, & officii obliviscuntur, amittunt.

FINIS.

ORA-

ORATIONUM INDEX.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS E SOCIET. JESU ORATIONES.

VOLUMEN SECUNDUM

quo sacræ continentur.

FRANCISCUS VAVASSOR E SOCIET. JESU ANGELO OPTIMO ET DULCISSIMO CUSTODI SUO.



CIS ipse, optime & dulcissime Custos, inter nos, qui homines, quod ex humo effecti sumus, dicimur, cum vos toti cœlestes sitis; esse hoc in more positum institutoque communi, ut scripta sua & libros, ingenii & industriæ ac laboris monumenta, alii dedicent aliis, & in eorum nomine apparere velint, quorum sit dignitas illustris; præcipua rei, de qua agitur, intelligentia; cum amplior facultas ad gratificandum ac bene de unoquoque merendum, tum voluntas prolixior. Ita fit, ut, & qui excellunt, debitam justamque a nobis venerationem habeant; & loquamur cum intelligentibus, neque omnino canamus surdis; & nos gratos ac memores beneficiorum, quoad valemus, præbeamus; &, cum multis vita humana subsidiis, propter multas, quibus laborat, miserias, indigeat, necessaria nobis adjumenta in futurum paremus.

Sed illud quoque non ignoras, persæpe ab utrisque peccari & graviter. Nam libros qui dedicant, primum usque eo toti sunt in assentando, & ita ad omne laudationis genus effusi, ut omnem copiam verborum, omnem vim eloquentiæ, in celebrandis & ornandis mortalibus consumpserint, nihilque, quod vobis cœlitibus, ac ne Deo quidem ipsi præcipue tribueretur, reliquum fecerint. Deinde eosdem videmus, sicuti laudant & supra mo-

 dum,

dum, & immerentes, ita vicissim captare laudes & consequi non debitas ab imperitis æstimatoribus rerum, quos priores laudarint. ut jam difficilis sit & impedita distinctio recti & pravi; cum laudentur ex æquo utraque: omnis autem æmulatio, tam communi, tamque promiscua & confusa lande, extinguatur. Cui porro animadversum nondum est, mercaturam quandam exerceri literarum, tantumque in iis elaborari a plerisque, quanta spes ostenditur emolumenti? Perinde quasi blanditiæ & assentationes, falsissimæque laudes, primis inscribendæ paginis librorum, auctione facta veneant, eique demum, qui plus licitus sit, addicantur. Postremo cum multi sint indiserti, multi inerudìti, multi parum prudentes & cordati scriptores, vix decimus quisque in suo genere tolerabilis; propterea quod scribendi recte sapere est & principium & fons, sapiunt autem numero sane pauci: tum nemo se non omni dignum mercede & præmio existimat; injuriam sibi interpretatur factam, si non continuo a Mæcenate aliquo suo augeatur bonis, atque habeatur in pretio & honore.

Quibus autem dedicantur libri, etiam peccant multo fortasse magis. Etenim sunt ita fastidiosi nonnulli, ut magnum quiddam facere videantur, idque gratiæ, & beneficii loco concedere, si quod sibi munus literarum offertur, alto vultu sublatoque supercilio non respuant. Alios haurire videas avidissimis aurium & oculorum sensibus laudes suas, ac tanquam proprium & debitum facile agnoscere, quod, si saperent, totum ab adulatione profectum, se descriptos, quales esse debeant, non quales sint, intelligerent. cum non desint tamen, quibus nulli unquam laudatores satisfaciant; quantacunque prædicatio nominis sui, pertenuis & perexigua, parumque se digna esse videatur. In quo ad fastum & arrogantiam memini qui adjungeret malignam dissimulationem; cum se subiratum esse præconi laudum suarum præ se ferret, quo præconium faceret credibilius, ac ne præco plus aliquid dedisse gratiæ putaretur, quam veritati. Quoniam vero contingit, ut potentissimi proceres, quibus fere nuncupari libri solent, non iidem continuo doctissimi & intelligentissimi sint: mirum, quam varie ac dissimiliter res pretio æquales, quam perverse rectas & laudabiles æstiment; ut optima quæque putent pro nihilo, pessima, si eis creditur, quod interdum fit, in honorem adducant. Huc adde, plerosque heroas nostros esse ad studia literarum duriores, minus in studiosum quemque propensos, & quidvis potius, quam in rem literariam profundere pecuniam, aut facere sumptum. quod si qui amant vel literas, vel ex literis nominis celebritatem; parci nihilominus, & restricti ad benigne faciendum, & sordidi cum sint; famam sibi dimidio minoris, quam res ceteras, etiam viles, constare velle, immo gratis, nec ulla impensa, nec ullo merito suo conari possidere. Accedit eodem, quod hi, quibus aliquod fuerit a nobis opus ingenii & doctrinæ consecratum, cum sæpius mores mutent, aliique prorsus ab iis, quos ante laudaverimus, fiant; tametsi nostrum non est alienam culpam & inconstantiam præstare; tamen pigeat nos, ac prope pudeat, magnæque molestiæ sit nobis, istorum vitæ depravatione sic refelli orationem nostram, ac tanquam præsentis & publici mendacii coargui.

Quæ ego, jucundissime Custos, diversa judicia, & voluntates, factaque hominum; sive recte facta, sive secus; secus profecto; non commemo-

morandis, quamobrem, omissis hominibus, has tibi orationes meas vellem dicatas, causam afferrem. Nam si quæritur ad eam rem dignitas & amplitudo personæ; quam volumus licet ipsi nos amemus, longe alia est natura vestra, atque nostra; alia conditio vitæ: qui dimidia parte nostri, hoc est, corpore inferiores sumus, parte dimidia, id est, animo, quamvis proxime ad vos, tamen longo intervallo proxime accedamus. Si cognitio & scientia spectatur; uno eodemque tempore & creati primum estis, & insitis atque ingeneratis certo quodam modo rerum omnium notionibus, penitus informati: quod ipsum intelligentiæ nomen, quo appellamini, videtur admonere. Hoc porro totum quid est aliud, nisi doctos esse vos sine magistro, sine disciplina, sine studio & contentione mentis, sine virium lassitudine, puncto temporis: sic ut nihil fugiat acumen vestrum, nihil excidat atque elabatur ex animo, nullus interveniat error, nullus lapsus, nulla incogitantia. cum quidem nos in crassissimis ignorantiæ tenebris nati, & errorem sugamus deinde cum nutricis lacte, & pravis opinionibus utplurimum imbuamur a magistris, neque per nos demum, firmata jam ætate, discamus meliora. tum, si quid veri cernimus quasi per caliginem, usi animo objectis extrinsecus simulacris & imaginibus rerum, magno id labore nostro, nec minimo spatio temporis assequamur. quod idem tamen facile nobis, satque celeriter effluat, etiam studiosissimis literarum, quorum vita tota nihil fere sit aliud, quam discere & oblivisci: sive ita memoriæ vitio, sive inclinantis & defessæ ætatis infirmitate, seu multitudine & confusione rerum perceptarum, eveniat.

Quænam autem beneficia non habent homines a vobis? quæ non sperant, & confidunt, ac pro certo sibi pollicentur futura? Mitto, quod regnis, imperiis, nationibus universis & gentibus semper præsidetis, atque præsedistis: quod res curatis publicas oppidorum ac civitatum, & excubatis quodammodo communis salutis causa: quod adjuncti magistratibus, & principibus populi, & dominis rerum estis, quorum ductu atque auspiciis regnantur. De singulis ac privatis loquor. Cum omnes, quotquot vivimus in terris, vestræ fidei, curæ, studio, vigilantiæ commissi a Deo & crediti sumus; nemoque sit nostrum, qui non unum aliquem habeat ex ordine & cœtu vestro, auctorem consiliorum, laborum adjutorem, depulsorem discriminum atque periculorum: quid non huic unusquisque hominum debet cœlesti & divino custodi suo? Quod in utero matris concepti, tuto commoramur novem menses; quod exactis temporibus, prospere & feliciter edimus in lucem; quod omnium ætatum vada & scopulos prætervehimur salvi & incolumes; quod sæpe in lubrico, sine prolapsione ulla aut offensione ingredimur, sæpe stamus in præcipiti sine ruina; quod propter tot varios & ancipites, improvisosque casus, quibus hominum jactatur natura & conditio, non perimus in vita millies: cui, posteaquam a Deo Deique matre discessum est, adscribere potius, & attribuere debemus? Quis dubitat, quin primo flexu ætatis, quoties agit quispiam de certa & stabili ineunda ratione vitæ, deque collocando statu fortunarum suarum, quæ magni momenti, magnæque deliberationis res est; bonus ipsi suus custos bonam mentem injiciat, consiliumque det plenum prudentiæ & fidelitatis; cujus etiam, quod homo nemo facere potest, præstet eventum? Nec vereor, ne cui nimium credulus, aut super-

 sti-

ftitiofus effe videar, fi dixero ab affiduo isto doctore & magistro plusquam domestico, literarum potissimum studio adjuvari: qui cum nihil neque naturæ, neque artis ignoret, quod a Deo lumen, & forsan ab alterius ordinis socio accepit, liberaliter, & jucunde, ac fine invidia transfundat in hominem; doceat & commonefaciat intrinsecus; docilem ad percipiendas, quæ extrinsecus traduntur, disciplinas reddat. Hinc indoles, memoria, instinctus, vis incitata & vibrans ingenii, actuosum & semper meditans aliquid studium, robur & patientia animi ad necessarium laborem. Estne, quod tot ac tantis subsidiis, quæ unus nobis subministrat iste dux, & princeps, fautorque noster, accedere possit? Etiam: idque tanto melius, quanto propius generis hominum salutem attingit sempiternam. Per illum nempe deferuntur preces ad Deum nostræ, & optata, & vota. per illum vicissim Dei ad nos responsa & oracula referuntur. Ille se nobis non interpretem modo & internuncium communem præbet, sed deprecatorem salutis nostræ, sed sponsorem fidei, sed obsidem voluntatis. Ille, si quid prosperi nobis eveniat, ut reditus in gratiam cum Deo, gaudium gaudet nostrum. si quid adversi, ut cum in Deum peccavimus, angitur ac vicem nostram dolet, &, homo quamvis non sit, humani nihil a se alienum putat. Quid vero, quod omni ope nos tuendos, omnibusque beneficiis ornandos recepit: non ut tutor impuberes ad quartum & decimum usque annum; non ut curator minores ad quintum & vicesimum: sed ut perpetuus quidam totius vitæ nostræ propugnator & defensor, qui & præpositus nobis a Deo sit, & ultro nos libenterque in fidem acceperit; aut ut patronus potens, & gratiosus, qui nos, sic tanquam clientes & susceptos quosdam suos, sustentet, amplectatur, & foveat, nostramque ad custodiam tum animi, tum corporis, dies ac noctes advigilet? Itaque non ei tantum magnis beneficiis suis, magnisque veteribus meritis sumus obligati & præsentibus: sed futura & plura in dies, & majora expectamus; totique spe ex illius liberalitate & beneficentia pendemus.

Atque hæc sodalium tuorum, mi custos, communia erga singulos homines, quibus præsunt, officia. quæ tu quoque non dubito, quin pro tua singulari bonitate & indulgentia contuleris in me, hodieque conferas, & reliquo tempore vitæ collaturus sis. Quibus tibi nominibus me esse devinctum confiteor, maximasque gratias ago, majores etiam habeo, & habebo, dum vivam. Sunt privata quædam, quæ agnosco, & mecum ipse recolo tacitus, grataque memoria prosequor. ac referrem libens, nisi vererer, ne cum laude tua conjungerem meam; dumque nimium laboro gratus esse, in arrogantiæ crimen inciderem. Et satis alioquin causæ est, ut hujus operis mei tibi patrocinium deferam, teque in isto anteponam mortalibus cunctis; quod me exæquas cum iisdem, curamque tantam geris mei, quamvis indigni ac nihil tale merentis, quantum alii suorum & potiorum.

Sed movit me illud præterea non mediocriter, quod, quæ maxima declarantur a me his orationibus mysteria Christianæ religionis, ea fere cuncta sint opus quodammodo vestrum; decerpatis certe aliquid, & vindicetis vobis, singulorum, etiam multis ac diversis rebus. In quo vestræ sunt aliquando partes desideratæ? quid vestra sine ope atque opera gestum? ubi non interposita fides, consilium, ratio, diligentia? Ut hujus argumenti & sententiæ rem illustrissimo nomini vestro offerri, sit potius reddi suum, quam om-

omnino alienum dari. Quis oratione satis digne unquam exprimat, quot & quibus officiis prosecuti Christum sitis, non ab incunabulis modo, sed ante etiam, quam nascetetur; nec solum ad mortem usque, verum tunc etiam, cum rediisset a mortuis, cumque in cœlum ascenderet? Numquid vestro ex numero fuit, qui Mariæ nunciaret pariturum Deum virginitate salva, & rem exponeret antea inauditam prorsus, & firmaret argumentis, atque, ut sibi fides haberetur, extorqueret? Numquid & vestrum nonnulli ad pastores in agros, qui noctu custodiis vigiliisque defenderent gregem, nuncii venerunt, Christum esse natum: partim etiam lætitiæ voces cum plausu ita clare jactarunt e cœlo, ut homines in terris semisomni & numeros & verba exaudirent? Unde homini Deo impositum nomen Jesu, cum non solum natus, sed ne conceptus quidem esset, nisi ab uno vestrum? Admonendus Josephus ter fuit, diversis locis & temporibus: semel; ut ne ullum cum Maria conjuge divortium, etiam occultum faceret: iterum; ut Christum infantem teterrimi tyranni furori, a quo deposceretur ad necem, subtraheret: tertio; ut eundem, septem post annis, in tuto re collocata, & omni defunctum periculo, reduceret. visus ei toties secundum quietem unus aliquis vestrum, & admonuit. Jam, ubi se Christus quadraginta dies continuos abstinuisset cibo, prætereaque hostem generis humani, a quo tentaretur, triplici quasi prælio vicisset: dignus habitus est, ad quem adiretur honoris atque officii causa, & cui, tum demum, ut opinor, cibum sumenti, ministraretur. adierunt Angeli, & ministrarunt. Cum autem, proposita sibi mòrte crudelissima ob oculos, sic animo angeretur, ut vim supplicii, quoad fieri posset, deprecaretur a se: tunc profecto consolatione, si quando quis eguit, opus habuit. consolandi partes suscepit Angelus. Quid plura? revixit Christus tandem aliquando, & in cœlum se recepit: prædicari utrumque oportuit, utrumque locupletissimo testimonio confirmari. Angeli, & numero sat multi, & in re non sua idonei testes, prædicant, confirmant, nullum neque ignorantiæ, neque dubitationi locum relinquunt. A quibus & illud, sive prædictum appellare licet, sive promissum, clausulæ vice adjicitur, ita rediturum alias e cœlo Christum, ut in præsentia ab hominibus discedit. Audio, Angeli. redibit ita: hoc est, si recte interpretor, eadem celebritate & frequentia, eodemque comitatu, ad judicandum genus hominum redibit. vos socios, ut nunc, sic olim habebit, & præcurrentes sibi, & latus tegentes. Sed hæc amplius. vos excitabitis tuba & voce mortuos ad vitam. vos omnes omnium ætatum nationes citabitis reas. vos Christo assidebitis judicanti. vos probos ab improbis secernetis: hos æternis suppliciis addicturi: præmia illis justa & debita persoluturi.

Hic ergo tuam, o fidissime Custos, opem expecto, tuam gratiam, tuam auctoritatem. Huc me, optimis consiliis tuis usum, tuis donis & muneribus ornatum maximis, non modo nihil tergiversantem, sed sequi etiam gestientem, sistes. Fueris aliis judex, aliis accusator, contra alios testis. Mihi patronus, ut in vita fuisti semper, tunc quoque, ut sperare me & confidere jubes, eris. in bene merendo de alumno & cliente tuo, constabis tibi. tua beneficia tuebere & cumulabis. Interim dum terribilis illa mortalibus, & decretoria dies adveniat; quandiu vivo superstes, &, quæ tua quoque gratia est, valeo; quid tibi, pro tot ac tantis, acceptis a te beneficiis, re-

rependam? quo te munere remunerabor? vel potius, quoniam re præstare nihil possum, quæ vota Deo, communi omnium nostrum domino & parenti, faciam tua causa? quid precabor tibi, optaboque verbis? Valetudinem bonam? Æger esse non potes. Vitæ multos annos? Immortalis es. Affluentiam in bonis? perpetuitatem in affluentia? Beatus ex omni parte; securus omnium rerum es. Mihi ergo, sed quod ad te utcunque pertineat, precabor: te ut colam, quantum in me erit, & observem, & venerer: te quantum me amas, amas autem plurimum, redamem: pristinam tuam & perennem mei custodiam, quod scripto semel facio nunc, ore sæpe deprædicem: tibi nihil unquam tristitiæ male factis meis ullis accersam; lætitiæ multum dem, cum vitiorum emendatione, tum progressu ad virtutem: nihil sine te auctore, cujus in potestate sum, geram, verbum nullum faciam, nullam cogitationem suscipiam. Sic tu fructum capias vigiliarum tuarum, & illius, quam mihi navaris, operæ atque assiduitatis. Sic opus, quod tua sponte, voluntate divina, mei studio & amore, in te recepisti, perfectum habeas. Sic me Deo redones ad extremum, qui tuæ me fidei commendavit ac tradidit. Ave, optime & dulcissime Custos, ave. Cal. Octob. festo die tuo. Christi anno 1660



FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS
E SOCIET. JESU
ORATIONES SACRÆ

De natali Christi.

ORATIO PRIMA.



UOD in liberis mortalium, qui & ipsi mortales atque infirmi nati sunt, usuvenire scimus, auditores optimi, ut ad facultatem & copiam vocis, progressus ætatis, & quædam tempestivitas expectetur; neque ante diem solvi lingua, & expediri soleat ad pronunciandum: id in puero Jesu, æternique Dei filio, nequaquam necessarium videtur factu, vocem ut mittere incipiat, & exaudiri possit a nobis; cujus stabulum, ubi natus; præsepe, in quo repositus; panni, quibus involutus jacet; ipsa minuta & tenera corporis membra satis loquuntur. Nec vero opperiri attinet, dum justæ ac suæ corpori vires accedant, ut agat quid & moliatur; cujus non modo imbecilla, atque iners non sit, verumetiam operosa, & assidue administrans aliquid gravioris negotii, animadvertatur infantia. Ne præstolandum quidem puto, dum tempore ipso par quodammodo pœnis majoribus fiat, dumque sublatus in crucem grandis natu, extremo tandem supplicio mactetur; quem, nascendo jam nunc extrema quæque patientem, intueri licet. Ac sileo, quid puer infans, ex die natali suo fari cœperit; omittoque, quid instituat gerere, ætate ad rem gerendam nondum idonea: cum hæc abunde duo, quod illi nomen octo diebus imponetur, qua est vi cum significandi, tum efficiendi, declarare possit. Nunc quid patienter ac volens ferat, quemadmodum nihil non ferat doloris atque ærumnarum, ad quæ extrema jam inde àb initio descendat ferendo; exponam. Quod ego dum aggredior, cursim ac breviter: pro temporis angustiis, institutoque nostro, facere: tam animis, obsecro, quam præsto estis corporibus, adeste.

DEUS optimus maximus, idemqúe nostrá conditione generatus homo, cujus agimus diem natalem sacris anniversariis, primo adventu suo in hanc lucem, patitur, si advertimus, extrema naturæ, quæ quidem ratione prædita sit; extrema ætatis; extrema temporum; extrema locorum; atque adeo extrema egestatis, extrema contemptus. ut sibi nihil in posterum, quo flagrans ejus erga nos & singulare studium decurreret, fecisse reliqui videatur, ad insignem mali cujusvis & incommodi patientiam. Quid extremum in compote rationis natura? Humana. Quid in humana natura extremum? Servitus. Atqui pro nobis utrumque appetiit Deus sibi: homo fieri, servusque studuit: factus est. Quæ discrepantia duo, ac plus etiam, quam toto cœlo sejuncta, adstringi inter se arctissimo vinculo, & coire in unum cum video: haud sane scio, utrum rei mirer novitatem, quæ confici potuerit; an bonitatem auctoris, qui conficere voluerit. Quid enim est, per vestram fidem, áuditores, Deique, hominem fieri, nisi miseriarum omnium in partem venire, quibus & maximis vita nostra conflictatur, & innumeris? Humanum est, cibi ac potionis, ad retinendum spiritum; somni ac cessationis, ad colligendas & redintegrandas vires, indigere: algu horrescere, humanum: uri calore, humanum: morti patere ac deberi, humanum est. Quid, animum a corpore, corpus a sensibus, sensus ab externis rebus, quotidianæ functionis aptás rationes atque suspensas habere; nonne nostrum, & omnium, quotquot sunt, esse commune hominum videmus? Fieri veró servum, quid est aliud, nisi ad extremam hominum conditionem detrusum abjici: sic ut infra te neminem hábeas; supra te, cum plerosque omnes, tum eum, penes quem vitæ ac necis in te sit potestas, qui te donare, vendere, pacisci, ut libuerit, jure suo possit? Ad id natus est Christus, vel id potius natus est. Speciem humanam induit: conditionem admisit famularem: quo minus natura omnibus æqualis, conditione quamplurimis inferiór, Deus foret, non recusavit. Quæ si demissa, si abjecta, si infima sunt, uti sunt; quanto depressius atque humilius, quod huc usque ex altissimo cœli præcipitavit domicilio, ex paterni regni solio? Istud quanti oporteát æstimari, vereor ut eloqui possim perinde, atque ipse cogitans sentio. vos attentione vestra, exponendi difficultatem sublevabitis. Cum Deus non posset Deus non esse; cum ipsi se ac naturam suam exuere; cum cedere cœlestium bonorum quasi possessione integrum non esset: aut horum usu interdictum sibi voluit; aut pro-

proprietatibus temperavit contrariis. Ita qui solutus corpore, corporeus: qui patiendi necessitate liber, patibilis: qui immortalis, mortalis & esse, & haberi cœpit. Hi carceres, unde exiit: divinitas, cujus se opibus, & facultatibus, & copiis, & gloria atque splendore exspoliavit. hæc meta, ubi hæsit: humanitas, cujus optavit infimam sortem, fortunamque sibi, nec gravissimos casus miseriarum refugit. Verumtamen quod stadium cucurrit? Poterat Deus quidem; id si illi tantopere cordi erat, ut Deo minus quiddam, hominum causa, fieret; primo in ordine Angelorum consistere: poterat in secundo tertiove: poterat esse certe ordine postremo contentus; pari hominum fructu, demissione majestatis divinæ minori. Neque vero aut Deo decorum, aut nobis necessarium videbatur, ad hæc humanæ naturæ extrema tam cupide convolare, ut, nisi mortalium ultimus foret, prope dicam, non conquiesceret. At vero nihil esse, quod amorem non deceat, atque aliud amanti, aliud amato necessarium videri, quis ignorat? Hæc vis amoris & natura est, ut cum in eum cadant omnia, tum ea præsertim, quibus exæquari cum amico amicus possit. Ita fert voluntas amantis, ut opera, sedulitate, industria, omni bene merendi genere satisfaciat amato; sibi ipse nunquam, quin levissima, quæ in mentem venire possunt, & sub intelligentiam cadere, officiorum momenta impendat. Parum tibi, parve puer, magne Deus, fuit, quod alienam personam sustinere nostra causa decrevisti: nisi novem gradus Angelorum præterites; te in nostrum numerum aggregares; tibi, quod est apud nos postremum, sumeres. Tu sol quidam novus: quanquam quid loquor? tu sole tanto antiquior, quanto æternitas tempore, tantoque, quanto lux tenebris, illustrior, plane lumen amittere non potuisti: deficere in terris, & inobscurari voluisti. Tu curriculum convertisti, retro decem gradus cessisti, & ordines Angelorum novem prætergressus, decimum ad gradum devenisti. Tibi tuam divinitatem perditæ mentes, & ab omni non solum fruge bona, sed etiam resipiscendi spe derelictæ, invidebant: tu nostram ad humanitatem depressisti. Tui similitudinem homines primi appetebant: tu hominum similitudinem expressisti. ut unus nostrum aliquis, vides, videris; audis, audiris; contrectas, contrectaris: neque est homo homini, quam tu nobis, Deus pariter & homo, similior. Accedit, quod cum alii superiorem ferre neminem possint, propter insolentiam & arrogantiam; alii ne parem quidem; moderatissimi etiam quique efferre se supra hominem, & altos nescio quos spiritus gerere, putent esse virtutis: tu voluntaria quadam demissione, statum amplexus etiam servilem, te cuivis ordini hominum præbueris obedientem, & subjectum.

Extrema naturæ Deum pari, video constare inter omnes. Neque sane ambigi debet, quin idem ætatis extrema patiatur. Nam si ipsa natura humana, grandior jam licet, ac plene summeque perfecta, est a Deo tamen aliena & abhorrens tantopere: quid ab ejus præpotenti numine remotius, quam infantia, rudis quædam atque inchoata hominis forma, & quasi adumbratio? Quid vero est extremum, hoc si non est; panni, fasciæ, cunæ, vagitus; obvolvi, vinciri, jacere, lacrymari? Quæ certiora nuditatis argumenta, quam pannis egere? captivitatis, quam fasciis constringi? imbecillitatis, quam in cunis jacere? molestiæ & doloris, quam profundere lacrymas? Hoc porro quale censetis, aut quam vim in eo ponimus, quod ætatis gradus singulos decurrit, quod obit statas vices variasque mutationes, & quædam ut militandi, sic vivendi, stipendia conficit? Cujus est, annorum numero comprehendi, præterquam illius, cui vita ad præstitutam diem concessa & commodata sit: cujus augescat corpus, & ex minori majus fiat, vicissimque forsan minuatur senectute, & decrescat? Quid minus autem Dei est, quam regionibus ac terminis circumscribi; ratas & fixas vicissitudines habere; vix uno unquam statu manere; in sermones incidere ejusmodi, ut de Deo idem, atque de unoquoque nostrum usurpetur aut quæratur, quot natus sit annos, & quousque processerit vivendo? Saltem ea firmitate laterum, ea proceritate membrorum, eo corporis totius habitu, prodiisset in orbem hunc terrarum, quo vir inter viros, confirmata postea ætate, extitit: homo fuisset nihilo secius, generisque nostri; nec tamen infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, incommodis obnoxius. Etenim hominum parentem primum novimus, non infantem nutricis hæsisse collo, & tractasse crepundia; non lusitasse puerum nucibus; non adolescentem æstu illius ætatis ac ferocia efferbuisse: sed maturum, & prorsus virum, præditum robore, præditum mole, justaque statura, ut erat Dei, summi architecti, manibus fabricatus, ita derepente processisse in medium, & apparuisse coram ex improviso. Quis hoc idem tam iniquus Christo non concedat; aut in eo, cum absit, non desideret? præsertim cum ille fictus Adamus e terra, terrestris; hic e cœlo egressus, plane cœlestis sit: ille res humanas perdiderit; hic de integro refecerit perditas, atque in meliorem etiam statum restituerit. Huc adde, quod matris in utero commorati menses novem, humi reptare sine viribus, nihil articulate loqui tamdiu, ut hoc in malis sit ponendum; ferendum tamen nobis quidem, neque magnopere dolendum: quod mens animi & ratio, per imbecillitatem corporis nondum sui compos, quid ipsa mali toleret, quid particeps dolorum laborumque corpus, ignoret; ideoque sensus quasi hebetior, & plus etiam dimidio perpessio levior fiat. At in Christo istud qui tandem valet, quem ne ab ultimo quidem vitæ principio, integræ ac firmæ rationis tempestiva quædam maturitas defecit? Numquid ei maternam alvum, pro custodia; incunabula, pro compedibus ac vinculis; linguæ hæsitantiam, infirmitatemque virium, pro gravissima mulcta fuisse existimabimus? De reliquo senectusne pueritiæ præstet, siquidem effœta ea sit ac decrepita, haud sane facile dictu est: cum vitæ hæc gemina extremitas, dispari ætate, paribus pæne incommodis & difficultatibus laboret. ut repuerascere senes, ac bis etiam pueros esse, non omnino sine causa factum sit jamdudum tritum sermone proverbium. Qui ergo ad senectutis metam consulto neque pervenit, neque

ita

ire contendit: quomodo, pueritiæ curriculum salebrasque ut iniret, adductus est, atque a se impetravit: cum alterum altero non minus grave & molestum foret; æque facile utrumque vitare potuisset? Cupidissimo videlicet salutis nostræ, ob eamque rem pati gestienti, & ad supplicium & pœnam nostrorum scelerum, omni festinatione properanti, sera, opinor, visa est senilis ætas, ad oppetendam pro nobis mortem: puerilis, ad quodvis genus persolvendum ac repræsentandum mali, opportuna.

Hæc ætatis extrema, quæ pertulit. Quæ temporum extrema, in quæ incidit? Non dico extremis reipublicæ Romanæ temporibus, cum omnis ad unum potestas & imperii summa venit, editum in lucem fuisse: non quo postremum sæculo, justa continuatio seriesque regum Hebræorum institit, pervenitque ad finem. Secutum extrema temporum, parumne est argumenti, quod e quadripartita tempestatum commutatione, hiemem; e diurna nocturnaque vicissitudine, noctem, ad primum in hanc vitam introitum, sponte studioque selegerit? Nam si eadem hujus quæ reliquorum hominum ratio esset; dicerem fortuito, casuque factum, & infeliciter, ut natalis dies in hoc anni tempus incurreret, in hanc multæ noctis caliginem. Nunc autem, cum nihil ipse de se, nisi prudens ac volens, Deus statuat; cum Christi esset hæc optio, ut vere aut hieme, interdiu aut noctu nasceretur: qua tandem mente habuisse delectum hunc tam præposterum tempestatis perfrigidæ, concubiæ noctis ac solitariæ par est credere, nisi ut quidquid usquam in temporibus molestiarum est atque acerbitatum, id totum exciperet potissimum ac subiret? Itane vero? effector, moderator tempestatum, qui sua diei ac nocti momenta, suam quasi provinciam attribuit; in usus suos, quæ visa erunt, non eliget? aut tam aliena, tam adversa, tamque iniqua tempora, optimus rerum æstimator, eliget? Atqui mitius actum cum mundo, cumque primo mundi incola audio: ex quibus illum vel vere, vel sub autumnum, conditum ferunt ab opifice & ædificatore Deo; hunc vero septima die, atque adeo, si recte interpretor, luce, non tenebris procreatum. Quid autem miserius, quam quod noctem ægris, ut ait ille, mortalibus datam ad quietem, laborum sibi initium esse voluerit? Quid abjectius, quam quod in solitudinem ac tenebras, primordia vitæ, nascendique qualemcumque gloriam conjecerit? Nisi vero aut hiemis tristitiam exhilarare, aut noctis discutere caliginem ortu suo cogitavit. Utut sit, quæ illum cunque causa ad patiendum vel sic impulerit: non dubitamus, quin delicatissimus ac tenerrimus infans, extrema duo singulari & præcipuo doloris sensu passus sit, vim frigoris, horrorem noctis.

Quod si tanto hero atque hospite domus digna non deesset, si supellectile instructa, si foco luculenta, si spatio ampla: mitigaret asperitatem temporum bonitas loci; angustias ætatis laxitas habitandi, & rei domesticæ copia sublevaret. Sed quæ, malum, tecti opportunitas ei, qui non agrum, non villam, non ædiculam habet, ubi pedem in suo ponat? Esto: alieno in loco nascitur, cujus cœlum, ac terra est, & quæ utroque continentur. at in conducto, at in commodato, at in clauso, at aliqua in domo. O Deus immortalis! rerum parentem conservatoremque omnium, non heredem apud suos, non inquilinum pretio & mercede, non amicum gratis, non mendicum aliena misericordia, uspiam, ac non foris, habitasse nascendo! Stabulum, præsepe, fœnum: tantumne? latibulum pecudum, lustrum ferarum, locum derelictum, patentem, ruinosum, sedem ex altissimo, & pulcherrimo cœli domicilio præbuisse venienti! Ponite vobis ob oculos, auditores, quod vereor, ut possitis facile: neque enim, nisi admodum raro, tam squallida tamque tetra loca, quæ hujus vobis imaginem exhibeant, occurrunt. Sed tamen fingite animis tenebricosam quandam cavernam, cujus pro aditu omni & ostio, tenues & malignæ fauces: qualia aliquot gurgustia visuntur eorum, qui propter fluviorum ripas, sub terra habitant, altis & obscuris fossis, non tam receptacula vivorum, quam sepulcra mortuorum. aut sane depingite cogitatione expositum ventis cœlique injuriæ & iniquitati, in suburbanis tugurium, cujus tectum computruit, tigna perpluunt, paries vitium facit; totum denique ad nullam rem utile: nisi ibi forte institores, & rusticani homines jumenta deligant tantisper, & objecto fœno, aut palea distineant, dum ex urbe, rebus peractis, redeant. Hæc sedes imperii, hoc regale palatium, hoc solium, hæc majestatis species. Huccine vero divina omnia reciderunt, ut vel infra res humanas longe amandentur; quique locus vix præbeat cubilia bestiis errantibus & vagis, Christi nascentis perfugium sit extremum? Atque in hominum hactenus numero fuit, qui humanam speciem induit, qui humano more ætatem egit. qui autem desertas atque inhabitabiles attegias, qui caulas, & septa, & saxeos specus, aut merum cæspitem, metam maceriam, sibi ad incolendum delegit; an non is semetipsum ad mutarum animantium conditionem, vitam, societatem, ac velut contubernium demisit?

Quæ cum sint ejusmodi, nolite expectare, dum agam separatim, quæ ad extrema tum indigentiæ, tum contemptus delapsus sit, sciens ac lubens: cum ab iis, quæ proxime dixi, malis extrema rerum penuria, extrema abjectio sejungi non queat. Quid enim eo fieri spoliatius potest, qui sine tecto, sine lare, sine foco, nihilo sane commodius, quam foris, in aperto ac propatulo loco, subque dio, & natus, & educatus sit? cui procul ab cognatis, amicis, notis, nullus comitatus, nullum auxilium, nihil eorum, quæ miserrimis quibusque nunquam desunt, suppeteret? quem si pastores regionis illius ac vicinitatis, si magi peregre inviserunt: & id fecerunt serius, neque ad opem ferendam ut egeno, sed ad habendum honorem ut Deo, fecerunt? Quid eo contemptius, qui præter superiora, & ipsa per se despicatissima, tali loco ortus, patre opifice, matre peræque in vulgus ignota, tenuissimis aut nullis utroque fortunis? Quid dicam, ut spretus insigniter, & repudiatus, repulsusque sit, antequam natus? Scitis quid velim, vel potius quid non possim neque satis mirari pro rei novitate & insolentia, neque satis pro indignitate deplorare aut conqueri. Virgo mater gravida, & jam ad pariendum vicina temporibus exactis, vertere so-

lum tamen, & immigrare alio cogitur, ac Nazaretho Galilææ vico, Bethleemum in Judæam proficisci, tridui aut quatridui iter. Eo ventum erat. obite oppidum: diversorium quærere ostiatim: preces admiscere: noctem efflagitare unam: temporis necessitatem, partus fortasse propinquitatem afferre. Quid multa? Nec talibus quidquam proficitur, nec aliis, quæ res ipsa per se, & causa tam gravis loquebatur. Sive quod nihil tecti esset, cunctis occupatis jam diversore multo locis; seu quia spes nulla lucri ostenderetur ab hospitibus, quantum apparet, contemptis, minimeque pecuniosis: repulsam tulit. non angulum, non tabernæ particulam, non stabuli, impetravit. Quis tandem? materne, quæ filio poscebat: an qui haud paulo magis indigens erat, quam mater filius? Is igitur, angustiis locorum, iniquitate temporum, per summam ignominiam exclusus undique & ejectus, ad miserum illum & agrestem locum, de quo dixi supra, receptum habuit: ibique, ubi omnis eum egestas exciperet, comitaretur contemptus, ingredi in vitam maluit, quam aula, rebus instructa omnibus & apparata, opulentissimi regis instar, accipi.

Exposuimus fere, ut facultas nostra, non ut res ac voluntas tulit, quemadmodum Christus extrema naturæ, extrema ætatis, extrema temporum, extrema locorum, extrema ad sensum doloris, famæque & nominis obscuritatem adierit omnia. Quid tot tantæque Christi molestiæ & difficultates a nobis, auditores, jure suo quodam exigunt? Nostram certe, ut levissime dicam, commiserationem: præsertim cum indignissimus his omnibus sit, neque ullo merito suo, vel malorum minimum incurrerit. Sed quid exigunt, quod eas, voluntate sua, causa nostra, singulas dupliciter devorarit? Hoc enim vos ignorate non oportet, perfunctum tot tamque adversis ærumnis Christum, non eo solum animo & consilio, ut nævum fatalem illum, nativamque labem, quæ singulos jam inde ab ipso satu conceptuque occupat atque inficit, elueret: sed etiam ut gravissima quæque scelera ac flagitia, quæ aut in se admiserant homines, aut admissuri erant aliquando, expiaret. Itaque ille tum pœnas dabat furtorum, quæ hominum avatitia; percussionum atque homicidiorum, quæ crudelitas; impuritatum, quas petulantia & libido susceptura deinceps, ætatibus cunctis, esset, ad finem usque & occasum universi terrarum orbis. Quisquis obsceniffimo ore verba profers, quæ vel audiri pudor vetat; viden tu puerum elinguem ac mutum? tua illum verba infantem fecerunt. Qui manus infers, qui pedes, vage ac licenter, quo neque decet, neque fas est: illum tu fasciis obligasti. Qui oculis abuteris ad designandas fraudes, qui viribus ad perficiendas: tu illius oculos depressisti; tu infirmasti vires; pœnas tibi maleficiisque tuis debitas, corpore toto suo luit. Quo ergo animo te esse oportet, si inhumanus ac plane ferreus non es, in eum, quem noris tuas partes suscipere, culpam tuam sustinere, se pro te reo reum supponere? Potes illi non tribuere misericordiam, cui duri & immites jam Bethleemitæ cives non impertierunt; qui sibi ipse propter te negavit? Potes delictorum ex aliqua parte non allevare onus, quod sibi ultro, ut liber & expeditus esses, imposuit? Potes non dare operam, ut, qui plurimum patitur, quo communem tibi cum ceteris noxam deleat, quam minimum propter privatam tuam patiatur? Si is es, qui esse debes, si me, si rationem audis; non feres, non sines: materiem Christo subtrahes patiendi: liberabis, quantum in te situm erit, gravi illum sarcina & pondere veterum admissorum: peccatis saltem novis tuis non premes jacentem, non obrues onustum. Mentem & corpus abstinebis ipse ab erratis ac sceleribus, crebris, magnis, iis potissimum, quæ magis adversari nascenti Christo, & quasi incommodare videantur, jurejurando inconcesso, & parum pudicis factis. Quid? tu linguam obtestationibus, execrationibus, nefaria omni asseveratione polluas, cujus habere commercium Christus nascendo voluit? Tu ad firmandam fidem, ad sanciendum imperium, ad denunciandas minas, ad iracundiam vindicandam, denique ad bilem evomendam, sacrilego more atque impio membra usurpes, quæ participate Christus tua causa non noluit? Tu nulla verecundia, nulla teligione, animi interdum gratia, per Dei caput, per sanguinem dejeres, qui si capite, si sanguine caruisset, si nostram a se naturam rejecisset & aspernatus fuisset; homo inconsultissime ac scelestissime, perires funditus, nullus jamdudum esses? Tu tuum corpus omni fœdes turpitudine, cui honorem hunc Deus habuit, ut par sibi ac geminum sumeret; cute, carne, ossibus, nervis, itidem ut tu, constaret? O dedecus! o probrum! o indignitas! A quo vobis, auditores, studiose, per Christi natalem, plenum egestatis, plenum contemptus, plenum patientiæ; per salutem, fortunasque vestras, cœlestes, dico, & perpetuas, quæ in eo positæ sunt, cavere. Qni nihil officii, non amplius integra re, nascenti Christo exhibete potestis; vestrum in vos officium totum conferte: & quibus nunc excubare pro jacente Christo in cunabulis non licet, nec, si liceat, opus est; pro vobis excubate, atque in custodia corporum vestrorum, perseverate. Nolite committere, ut, cum nemo vobis propior sit, quam vos; tum nemo vestri negligentior, quam vos, nemo vobis inimicior, quam vos, esse videatur. Pergite, eximium, immortale, ac divinum Christi beneficium tueri, atque sustinere: & quæ membra communione quadam naturæ, sanctiora reddidit, & ornatiora, ea pura ab omni labe atque integra præstate. Simul & illud cogitatote, Christo Deo, homini, infanti nihil a vobis posse accidere, neque ad oblectationem jucundius, neque ad benevolentiæ remunerationem gratius, neque ad imitationem exempli similius Quid est, quod, tanto approbatore, facere non debeatis? tanto auctore, duce, & auspice, facere non possitis? Quod si quid ejus rei gratia pati necesse est: patiente Christo, pati recusabimus? Si pati non parum oportet: extrema Christo patiente, restricti erimus? Si expedit pati quamprimum: patiente statim a suo ortu Christo, pati differemus? Nihil equidem fore ausim polliceri, quod nos a recta morum via, & ab omni Christiani hominis proprio officio atque munere deterreat aut revocet, hæc si impedimenta virtutis tria sustulerimus:

hoc

hoc est, si minime in ferendo molles ac delicati; minime parci; minimeque tardi, nascentis exemplo Christi, fuerimus.

ORATIO SECUNDA.

De nomine Jesu.

NON temere esse, neque de nihilo, auditores optimi, quod nominum ratio peculiaris quædam semper habita sit; is demum facile sibi persuadebit, atque fatebitur, qui hæc in omnem partem valere plurimum animadverterit. Etenim, sive rei cujusvis per se nomen ipsum spectes; sive nomen imponentis auctoritatem attendas: sic reperies, majus quiddam & nobilius, quam prima fronte præ se ferat, ac polliceri de se levis appellatio literarum videatur, inclusum atque abditum latere sub vocabulis, & occultari. Unius quidem sapientis esse, qui rerum probe naturas norit, suum cuique nomen imponere, divinus Plato cum dixisset; subjecit, prima rebus nomina non nisi a Deo potuisse poni: propterea quod, qui rem appellat homo, is eam prius didicerit oportet: quam quia discere, nisi per nomen, non potuit; consequens est ante habuisse nomen, quam dare ipse potuerit. Certe sacris literis proditum est, primum omnium ab uno Deo creatum hominem, sua sponte suoque judicio uxori dedisse nomen, quam statim ut vidit, ex latere decerptam suo senserit, ac tanquam particulam sui agnoverit: eique præterea datum negotium, ut cunctas animantes, quas multo magis haberet cognitas, singulari ac proprio vocabulo notaret. Jam triplicem vim ac potestatem subjectam nominibus ipsis, significandi, prædicendi, efficiendi; significandi, semper; prædicendi, sæpe; efficiendi nonnunquam; cum externarum gentium plurimarum, tum Hebræorum tam vetus & constans est opinio, quam res eorum diu viguit atque floruit. ut persuasissimum plerique omnes habuerint, nominum scientiam esse quandam; non inanem illam quidem ac futilem, aut curiosam duntaxat; sed plenam utilitatis atque prudentiæ. Quæ si in aliis vulgo nominibus parum vera forent: tamen hic, quod ad sese attinet, ita rem esse, sanctissimum & augustissimum Jesum nomen cogeret fateri. Quid enim clarius ad significationem; quid certius ad prædictionem? quid ad efficientiam valentius? Significat liberatorem: prædicit liberationem: efficit libertatem. Nomen illustre: nomen dulce: nomen solidum. nomen appellatione gloriosum: spe ac suavitate jucundum: re fructuque uberrimum. Quæ tria quoniam in uno Christi nomine mire inesse doceo; cavete existimetis, auditores, me aut id quia obscurum est, declarare velle; aut quia incertum, confirmare argumentis & rationibus: sed quod & utilis sit tantæ rei contemplatio, proferre in medium; & grata accepti beneficii memoria, cogitando recordari, & complecti oratione.

Ac nominis quidem amplitudinem inter homines alii antiquitate, & annorum numero ac multitudine metiuntur: alii opibus & potentia definiunt: alii a rebus gestis peti malunt. Nam quibus ex eventis fortuitis nominari placet, de iis ne meminisse quidem volo: propterea quod non consilium, non virtutem, non speciem splendoris sequantur ullam; sed ferantur temere & cæco casu. Vetustatem qui jactant, & fumosas annis imagines majorum, vel tempore nituntur? quo quid est levius? vel sibi alienum sumunt; quo quid est injustius? Quid aliud enim vetustas, nisi lapsum & volubilitatem caduci fluxique temporis notat? quid nominis vetustas, nisi propagatam deinceps, & acceptam a pluribus, & divisam in alios atque alios, & distractam ac dissipatam unius aut alterius celebritatem atque famam? Quanquam nominis antiquitate si gloriari Christus velit, nonne justissimis gravissimisque de causis potest; cui suum, ante etiam quam nasceretur ab cœlesti nuncio nomen assignatum, & divino consilio ex omni sit non dicam hominum, sed Dei memoria designatum? quare verendum nullo modo est, ne aut in tam proprium ac peculiare, alieni usurpatio cadat; aut par æternitati nomen, ulli diuturnitati temporis concedat.

Sunt qui magnitudinem putent nominis ducendam a potestate. Si magna, ambitiosum: si parva, ridiculum. Atque haud sane scio, in istone plus arrogantiæ, an in hoc stultitiæ deprehendas. Cujus esse dicam tandem elationis ac superbiæ, homuncionem, oppidorum, provinciarum, atque regnorum aliud ex alio nomen nectere, & longissimum contexere ordinem, cum hac significatione & appendicula, ut ampliora dictis & plura restent? Cujus vero stultitiæ est, nomen non modo mutare in dies, sed etiam ab agello, ut fit, & villula, aut hortis, & suburbanis, & nescio quibus parietinis mutuari? Verum nulla imprudentiæ nota, nulla fastus atque insolentiæ culpa suscipiatur: illud dubitare nemo potest mediocri vir sapientia, quin minutum sit ac tenue solum per se, pollere plurimum. Neque sane magnam laudem habet, eas opes possidere, quibus si non utaris, avarus; si abutaris, etiam toties, quot abutendi modi sunt, sceleratus videare, & vero sis. Fuit utique Christi, si cujusquam unquam, a potestate sibi vindicare nomen, qui tantum viribus, copiis, gratia, auctoritate valet, ut, sibi omnia si arroget, nihil præter fas arrogare videri debeat. Verum, ne timete, non faciet. An vero qui omni facultatum genere prope se abdicavit, quo magis sua in mortales studia & merita constarent, quoque eos magis teneret naturæ similitudine, & æqualitate conditionis devinctos; bonitatis, quam assumpsit, nomen repudiaret; potestatis, quam repudiavit, assumeret? At ne homines quidem inconsulti in eo, ac parum prudentes, quod Deum, optimum prius, quam maximum vocitent. utpote qui non injuria putent hominibus prodesse præstantius, quam magnas opes habere. Quemadmodum igitur merito Deus, optimus nuncupatur primum, tum deinde maximus; quod ad bonitatem potestas natura sua comparata sit, non ad exitium aut terrorem: sic idem Deus, agere nobiscum ac versari cum vellet, Jesu nomen, quod insigne est bonitatis, quam Christi, quod est potentiæ, prius &

antiquius habuit: itaque istud ab Angelo diserte jussit exprimi: qui de hoc omnino passus est sileri. Jesus ergo neque gentis. neque familiæ, neque cognationis, neque arbitrii parentum, aut ullius optionis hominum ac delectus; sed benignitatis, vitæ, salutis, incolumitatis nomen ipsum est. Quod si ad rem nihil honorificentius, quam de hominum genere bene mereri: quid ad appellationem gloriosius, quam a bene merendo rtaxisse nomen, naturamque beneficam, & virtutem, quæ omnium virtutum latissime patet, ad omnesque homines pertinet, non inani voce sonare?

Atque eo fere spectat tertium genus eorum, qui se de rebus gestis suis nominari volunt: cum positi beneficii ratio vel potissimum in præclare factorum parte numeranda sit. Tametsi longe Christi aliud, atque hotum institutum esse quis non videt? Hi enim sæpe, si verum fateri volumus, non tam a gestis rebus nomen, quam a perditis & profligatis; non tam a beneficiis, quam a maleficiis ducunt. Quid? quos cæsi exercitus, quos deletæ civitates, quos direptæ provinciæ, exstinctæque gentes ac nationes nominant; nonne suæ illos feritatis potius, atque injuriæ, quam fortitudinis & munificentiæ monumenta nominant? Est quidem, qui Græciam quod evertisset, sit ex eo Achaicus appellatus. est, qui Macedonia devicta, magnam cladem genti Macedonum attulisset, Macedonicus. A senatu vero populoque Romano, Scipionum alter cognomen obtinuit Africani, quod hanc orbis terrarum tertiam partem vexasset bello ac perdidisset: alter Asiatici, quod stragem horribilem edidisset illius loci incolarum ac civium. cum afflicta quoque, atque eversa ferro & armis, provincia Numidia, Metello nescio cui nomen, ex malis magnis suis, impositumque sibi servitutis jugo, fecerit. Denique sexcentos alios aliis nominatos vocabulis legimus ea re, quia excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris, & publicis & sacris locis intulissent: non in venia aliqua danda, aut in gratia miserorum & innocentium ineunda, prolixum animum & liberalem probassent: paucorum modo rem, innumerabilium populorum incommodo, jacturaque, & pernicie, auxissent. At Christi nomen quid aliud, nisi meram sine cujusquam damno beneficentiam, præ se fert? quid aliud, nisi communem omnium sine exceptione salutem, loquitur? quid aliud, nisi perpetuam, id est, immortalis animi felicitatem clamat? Externum non mediocre bonum tribuere alreri, liberalitas est: vitam dare, multo plus aliqnid, quam magnificentia: diutissime ptorogare vitam, amplius etiam, quam profusa voluntas atque largitio. vitæ vero immortalitatem conferre, quo id tandem, nisi nomine, optime Jesu, tuo appellabimus? Fruere ergo tanto nomine ullius invidia, quod tu tibi sine ullius injuria ascivisti. retine cum omnium gratulatione, quod ad omnium salutem accepisti. maxima gloria tua posside, quod non, nisi maximis rebus aut gestis, aut certissime gerendis, tibi peperisti.

Divini nominis gloriosissimam significationem habetis. cognoscite nunc de ejusdem gratissima prædictione. Ac primum quod dictum a nobis est, præsignificare aliquid nomina quædam, id habet hanc vim & sententiam, ut in nominibus insit nonnihil, unde augurium omenque trahi in omne posterum tempus, & conjectura capi queat, quæ persona futura sit, aut sors aliqua ejus, & fortuna, atque virtus; sive id solius esse personæ propium; seu ab ea ad ceteros proficisci debeat. Itaque prædictionem ejusmodi duplicem Christi intelligo nomine contineri: alteram communem; illam personæ, hanc rei. Dicam planius, si utrumque pluribus disseruero: ac de eo prius, quod illi commune cum reliquis est. Habent enim nomina non pauca, ut in consequentes annos præmonstrent atque præcinant felicitatem vel infortunium, jacturam vel lucrum, Ex quo videmus olim venisse usu, ut alia fausta ac boni ominis avide veteres arripuerint; alia infausta & ominis sinistri æque a se, atque calamitatem, quam præsagirent, detestati sint: cumque imperator exercitum, censor populum lustraret; bonis nominibus, qui hostias ducerent, elegerint. quod idem in delectu consules observarent, ut primus miles fieret bono nomine. Neque vero hæc religio ab Judæorum more institutoque abhorrebat, qui ut sæpe ab eventis nomina dabant, ita quæ indicium praberent futuri, & bonam ex se spem ostenderent, sumere non semper negligebant. Hoc nimirum illud est, quod e tot Deus id potissimum nomen delegit, quod salutem publicam exprimeret; magnam spem nobis, magnos animos faceret; denique salvos nos esse quodammodo & securos primo quasi aspectu juberet. Et certe faciamus, huic nomini fidem nondum constitisse, aut saltem nos, utrum nomini responderit eventus, nescire: tum aurium judicium consulamus, & notionem nominis involutam evolvamus. Quid nobis, cœleste hoc vocabulum cum audimus, videmus audire, aut quid subesse arbitramur, nisi integra & incolumia, & ex animi sententia omnia? Quæ postquam, ut volebamus, successerunt; postquam nominis prædictionem comprobavit exitus; postquam Christus re præstitit, quod recepit verbo: non vis ante in nomine prædicendi minor; sed nunc veritas testatior, experientia jucundior. Prædixit igitur Christi nomen quam erat ipse salutem generi allaturus humano. Sed numquid Christum quoque prædixit? Novum hoc & inauditum, personam, antequam sit, & nominari, & suo ipsius nomine venturam prædici. Factum tamen, auditores, & ita factum, ut divinum hoc Soteris nomen, & multo antea, & proxime, eundem significarit. Qui enim hoc olim nomine fuerunt, nonne Christi adventum suo nomine declararunt? nonne hoc ipsum quoque Christi nomen, anticipatione quadam appellatum ab Angelo, & pronunciatum est, antequam Christus non modo natus, sed etiam conceptus esset? Ut tes ceteras, quas incertum est fore, subsequi nomen debeat, ne quando præeat frustra: Christo antecedere, quem tam certum erat futurum, quam manifesto Angelus nominatim appellarat. Ire nunc: si lubet, si potestis, divinius, quod futura, faustius & auspicatius, quod prospera, quodque optata notet, nomen excogitate.

Quid ergo? tanta, tamque læta nominis prædicta, re & eventis refutata existimabimus? Minime vero. Ea quippe vis est atque efficientia

hujus

hujus nominis, auditores, ut nulla pars orbis universi, ejus esse pulcherrimis & uberrimis fructibus vacua videatur. Quid enim in altissimo Dei domicilio non molitur? quid non perficit in terris? ne in intimis quidem illis cavernis abditisque sedibus, quas infelicissimæ mentes incolunt, otiosum est atque expers actionis. Ducamus a nobis initium, & ex uno alterove conjecturam capiamus de ceteris. Quid morbis acutis, ad levandum; inveteratis, ad tollendum; insanabilibus, ad sanandum difficilius? Nomen tamen salutis, quo Christus appellatur, morborum vim mitigat, vetustatem tollit, & quibus adhiberi curatio nulla arte hominum potest, omni eos ex parte curat. Neque vero quantum sit opis in hac voce, natura hominum & consuetudo communis ignorat: quæ etiam antequam prospicere ratio possit, si quid est offensionis, aut si quid a nobis titubatum, nomen hoc, quasi manum auxiliariam præsentissimi numinis, & summi rectoris, inclamat. Hæc corporis aut ægri remedia, aut sani adjumenta. Numquidnam animus præsidii sibi hoc quoque in nomine constitutum putat? Hujus nominis auditione freta fides subsistit: spes augescit erecta: amor instigatus ad omne erga Deum atque homines genus officiorum exardescit. Mentis vero caligo plerumque hujus cogitatione nominis nonne discutitur? ægritudines nonne sedantur? gestientes lætitiæ, indomitæque libidines nonne tanquam fræno cohibentur injecto? Quid loquar nunc, ut ore tantum prolatum nomen infestos hominum generi adversarios, & ad nostrum interitum animorumque perniciem ex inferis imminentes, repellat, & cunctas fraudes conatusque eorum refutet? ut audaces terreat, validos debilitet, constringat furiosos, omni jam suppliciorum genere excruciatos, de integro excruciet? Pro Deus immortalis! quid hoc monstri & prodigii est? puerulos, mulierculas, plebem infimam atque imperitam, non corporibus, non machinis, aut armis, quibus per ætatem atque imbecillitatem uti haud sane queant; non precibus longis & diuturnis, quæ tamen nobis valent ad defendendum: sed sola mentione atque usurpatione nominis Jesu, maximis & formidolosissimis æternorum hostium catervis afferre metum, injicere fugam, novum exitium atque perniciem creare? Quod vero specimen majus res Christiana habuit potentiæ ac virtutis, quam quod non a nostris tantum hominibus, & probis, & sanctis: sed & a profanis nostrorumque sacrorum ignaris atque expertibus, injusti ejusmodi corporum possessores, moti loco atque depulsi cesserint, verboque tantulo succubuerint? Verum quid miramur, hac si una voce facile quotquot ubique inferorum copiæ sunt, vincantur: cui præpotens atque invictus Deus ipse concedat? Violatus est? injurias: iratus est? stomachum: inimicus, hostis, vindex est? simultates suas, sua bella, animadvertendi voluntatem & ulciscendi remittit huic nomini atque condonat. Denique nulla res est neque tam magna, neque tam parva, quam, si hoc nomen interposueris, non se confestim sinat exorari. Dico amplius, quo neque majus a me proferri quidquam, neque a quoquam fingi potest. Spes omnis & summa salutis nostræ in hoc nomine uno consistit: neque aliud nos nomen, secutos atque incolumes, neque aliud florentes ac beatos efficit. Quocirca frustra estis, si qui in auro atque argento, in varia supellectile, in magnificis ædibus latisque fundis, spem ac felicitatem ponitis. Frustra, si qui voluptates, & expletionem quandam cupiditatum numeratis in bonis. Frustra, si qui in summis & altissimis gradibus honorum, & ambitionibus variis vestris, momentum ad beate vivendum aliquod statuitis. Quin illud quoque non dubitans dixerim, sine causa optimos quosque atce quadam virtutum & propugnaculis niti atque confidere; aut ad alia gravissima & sanctissima nomina, tanquam in aram, hoc si excludunt, confugere: siquidem ab eo uno opum, jucunditatum, honorum, sanctitatum vis omnis & abundantia ita pendet, ut aliunde non tantum supervacaneum sit accersere, sed etiam sperare, impium. Hoc salutis pignus: hæc tessera: hoc primum in vitæ libro nomen inscriptum, cui nostra ordine nomina aut subscribi debeant posterius aliquando, aut in idem album nunquam referri. Sibi ergo habeant avari omnium locupletum fortunas, omnium provinciarum fructus, & regum ac liberarum civitatum bona: sibi volup arii veneres ac delicias: sibi ambitiosi magistratus & dignitates, & cuncta honoris insignia: alii alia re, ut cuique visum erit, glorientur & magni sint. Nobis quidem pro istis, proque ceteris mille commodis, & præmiis vitæ, atque ornamentis, unum erit domini Deique nostri nomen.

Sed finis sit. quod enim nomen appellare satis digne, quod animo informare non valemus; quo tandem modo pro dignitate vel explicabimus, vel etiam exponemus? Quod si minus mente atque intelligentia possumus capere, si minus eloqui oratione, quantum in eo gloriæ, quantum suavitatis, quantum virium insit: at observare, diligere, vereri possumus, & vero debemus. Quis honorem gloriosissimo, suavissimo amorem, reverentiam potentissimo, nisi iniquissimus, & rationis atque consilii egentissimus, deneget? Deum quidem Hebræi mortalium sapientissimi tanta religione venerabantur, eum ut nefas haberent etiam legendo nominare. Itaque quoties augustissima vox illa, Jehova, quod Dei nomen est, occurrebat inter legendum; toties ejus in locum, Adonai, hoc est, domini sufficiebant vocabulum. Nos æque, opinor, religiosi, qui neque audire, neque pronunciare dubitamus quidem nomen Jesu; sed nunquam, nisi aperto capite, facere sustinemus: religiosiores futuri forsitan, si tantum animis haberemus honorem, quantum gestu solemus & corpore præ nobis ferre. Minus sane, quam errones hodierni, imprudentes ac præposteri sumus, qui vix adducantur unquam, ut tam speciosum nomen tamque necessarium, propter quod vita nobis vitalis est, voce exprimant: Christi autem nomen millies inculcent. Cur istud tandem, aut quid esse dicam, quod austeri, si superis placet, homines, ab hujus nominis lenitate tantopere refugiant? Utrum suorum factorum freti conscientia, probare Dei potentiam, quam experiri bonitatem malunt: an, id quod potius reor, Deo uti facili atque commodo & indulgenti neque possunt sceleratissimi, neque desperatissimi volunt? nos sic utrumque nomen revereamur,

ut in Christo regiam majestatem, in Jesu paternam bonitatem agnoscamus; neque alteram anteponamus alteri, sed hanc ista imbecillitati hominum aptiorem magisque consentaneam putemus.

Honorem sibi nominis excellentia deposcit: suavitas amorem efflagitat. Quid agimus, auditores, aut quid otiamur? quid frigemus? cur tam dulce nomen, tam amabile ex animo non amamus? Amorum suorum usurpant nomina sæpius, ac certo numero, nequissimi amatores, in eoque ludunt miris ac suavibus modis, & varias ac multiplices delicias agunt: qua ratione gratificari se existimant amatis. Nos jucundius aliquid, quam nomen Jesu, audiemus? frequentius aliquid, quam hoc nomen, loquemur? libentius aliquid, quam hoc nomen, scribemus? Habitet, quæso, in oculis: hæreat in medullis atque visceribus: vivat atque spiret insitum cordi; ut nos ante vita ac spiritus, quam nominis tanti gratissima recordatio, deficiat.

Nam quod dixi, timendum nobis esse: non a nomine tam benefico & salutari, ne obsit; sed a nobis, ne, quamvis valde potens, nihil prosit, timendum. Nequicquam tantam vim, tam multiplicem efficiendi habet; si vi adversa retundimus vim nihil nos cogere volentis: &, si proditores, eversores, exstinctores salutis nos ipsos præbemus nostræ; nequicquam Christus nobis servator, liberator, sospitator, verbo dicam, Jesus est. Quamobrem videant, quam sibi spem reliquam in futurum, aut quam Christi nunc nomini injuriam faciant, qui perditis moribus ac vita sunt, quique se eunt perditum in dies magis, neque resipiscendi ullum unquam atque ad sanitatem redeundi consilium capiunt. Tu, qui in errati vitiique unius alicujus cœno ac sordibus jaces; tu, quem inveteratæ consuetudinis laquei irretitum atque implicatum tenent; quid in te statuas, & quam male tibi consulas, attende; quo te fructu tanti nominis, quo Christum prives. En qui dexteram tibi ad emergendum porrigat: respuis? qui ad nodos istos tuos expediendos operam offerat: non uteris? Si nescis, ære te tuo alieno nunquam liberabis, quin suum nomen Christus pro te intercedat, quin pignori opponat, quin ab eo, versura facta, solvas. Usque eo imprudens, iners, parum sanus eris, ut in vinculis atque in ære alieno magno esse malis, quam tuam illi libertatem ac tuorum nominum solutionem debere? Atqui ne istuc quidem præstare ausim, si vitio nostro nobis nihil hoc nomen prosit, nihil obfuturum: cum unius ejusdemque sit, qui probos servet ac præmio afficiat, improbos vindicare. Certe non potest non esse fraudi, præsentissimum adversus mala nostra maxima remedium, aut per animi cæcitatem non advertere, aut per incuriam atque improbitatem abjicere. Pudori quidem erit, tam singulari beneficio uti nolle; tam blande & comiter invitatos, renuere, tam crebro, tamque enixe provocatos, non respondere in amore. Quod ne ullo unquam tempore eveniat, Deus idem pro sua summa bonitate & beneficentia præstabit: nos, quorum maxime interest, pro virili parte cavebimus.

ORATIO TERTIA.

De Christo crucifixo.

ETSI non vereor, auditores, ne, tam ubere & copioso præter modum argumento, modus quoque non habeatur orationis; minimeque conveniat, cum Christus ipse, Dei filius, nullis laboribus, hominum causa, pepercerit, nullos pro libertate nostra & salute dolores refugerit, aut deprecatus sit; nos in commemorando singulari immensoque beneficio, parcos & jejunos videri: tamen nunquam mihi ratio placuit eorum, qui neque cruciatus illius omnes atque pœnas rhetorice ac tragice ornate cessant, neque subtilius & curiosius disputare, quot fuerit mulctatus plagis, quot spinis redimitus, quod flagelli genus, quod coronæ, quæve materies utriusque extiterit. Quasi vero clara, & commoda, neque contractior, neque productior, sed mediocritate quadam temperata, rerum expositio, quæ produntur literis sacris, non sit, vel Judæis ad crudelitatem, vel Christo ad dolorem, vel nobis ad commiserationem, satis. Crux una, mihi credite; trabes duæ, altera recta, altera transversa; ambæ trajectæ manus; ambo perforati pedes; tres clavi, crudelitatis exercendæ, perpetiendi doloris sitim, sitim, si quidquam aliud, explere queunt. Certe immanissimi quique Judæi, quorum mentes atque odia videbantur supplicio nullo satiari posse, tanquam malorum omnium extremum, crucem Christo poposcerunt: & Christus tum demum perfectum se opus habere exclamavit, cum primum in cruce sibi moriendum esse sensit. Quare de ejus acerbissima atque indignissima nece, deque eo, a quo fixi cruci proprie nomen accepit, hoc est, de clavis tribus dum verbo dico: alterum a vobis peto quæsoque, ut me attente; alterum rei atrocitas efficiet, ut non sine mœrore, ac gemitu, & significatione doloris audiatis.

IN tanta corporis vexatione, laceratione, & gravioribus morte ipsa pœnis, quas jam patri summo sanctissimus filius dependerat, vita adhuc, quod miremur, suppeditabat tamen. ac licet ora deformata alapis, cæsa virgis terga, pugnis contusum pectus, quælibet pars & proprie & communione quadam malorum doleret; sic ut dictu difficile esset utra plus laboraret ceteris: nihilominus & manus, quibus injecta vincula, quæque, ad tergum rejectæ, verberum ictus participaverant, præ reliquis membris integræ atque invulneratæ; & pedes, ultro citroque reptando defessi, minime omnium violati, maleque habiti videbantur. Ad vitam ergo eripiendam, qua superfuit, & ad reliquias sanguinis, si quæ erant, eliciendas & exhauriendas, se carnifices comparant. Crucem humi exponunt: Christum imponunt: corporis partes crucis partibus accommodant. Tum vero clavos trabales, ferreos, oblongos, numero tres expromere: horum uno dexteram trajicere: tignum perforare: alterum alteri agglutinare quam-

pro-

proxime, atque inserere. Rupta cutis, elisi nervi, caro diffissa, ingens immanisque & plagæ hiatus, & sanguinis effusio. Exhorrescitis, auditores, cum transfixam partem eam ferro dico, quæ tenerrima ac delicatissima habeatur: in qua, cum nervi, lacertis pertinentes totis ac diversi, quasi in exitu conjungantur & confluant, sentiendi vis ac facultas insit acerrima. Sed hæc una manus: hic unus clavus. Sustinete paulisper, dum ad alteram manum, ad alterumque clavum eatur. Neque enim existimandum, mitius actum cum læva fuisse, quam clavus item, crebro mallei pulsu impactus, & persodit, & alligavit: hoc etiam crudelius, quod, nervis antea, atque artubus contractis, vi distrahi brachia, distendique manus oportuit, ut jam designatæ crucis parti quoquo modo responderetur. Qua quidem in contentione membrorum atque conflictu, quis non intelligit, & prius dexteræ vulnus recruduisse, & posterius lævæ multo esse debuisse acerbius? En clavi gemini, quorum varius ac multiplex usus: cum quidem ut vincula constringant, ut arma vulnerent, ut sævitiæ instrumenta discrucient. Nunc cum tertium clavum, pedi unum utrique, visum sufficere advertitis, ut vulgo putatur, & est credibilius: quid secutos esse carnifices, quid vidisse, quid cogitasse suspicari licet, nisi & supplicium tardius futurum fuisse, si quartus adhiberetur; & gravius fore, si pes alterius pedis pressu vexaretur? ut immanis ac barbara vafrities quemadmodum membris ad membrorum cruciamenta abuteretur, adinvenerit. Pedem itaque pedi implicant, admoventque compressius, atque uno eodemque clavo transverberant. Aspicite vero spectaculum, non ipsis modo hominibus, sed etiam sideribus inanimatis, & mutis saxis, & mortuorum sepulcris luctuosum. Quæ strata & abjecta crux erat, extollitur, succutitur, figitur. Quo quidem ex situ atque positione quid ipsa non habuit jactationis? quid doloris non incussit? Primum non leve corporis pondus, & justa moles, hinc atque hinc binis librata clavis, cum in sinum prioremque partem propenderet, vulnera duo manus utriusque qui potuit non augere ac dilatare vehementer? Deinde hoc idem onus, pertractis secum lacertis atque palmis, in pedes ambos incumbebat totum. ut, si fuit necesse plagas ingravescere manuum, quod magnitudine corporis atque nutu quodam, sic tanquam ponderis vi & impressione, pervellerentur; oportuerit quoque proni ac pæne præcipitantis inclinatione corporis, obrutos oppressosque pedes de integro sauciari, vulnera refricari ac diduci, & recentem quasi cavum iterata fieri fossione ampliorem. O manus, vix manus, pertusæ, excavatæ, cruentatæ, quæ ad exercendam liberalitatem, & munificentiam, ad edenda cujusvis generis miracula hactenus patuistis! O pedes, vix pedes, in unum contracti, dirupti, & suis & alienis vulneribus saucii, qui toties efferatæ gentis ac regionis & angulos omnes, & intimos recessus peragrastis, & bonitatis potius ac potentiæ, quam gressus vestigia impressistis! O clavi, qui in maleficorum atque nocentium corporibus figi consuestis! Siccine beneficiis gratia, merces laboribus, prodigiis admiratio, innocentiæ præmia rependuntur? Languebat, auditores, tres horas dulcissimus ac mansuetissimus Jesus, millies contrucidato corpore, extremo spiritu exanguis & confectus, non tam clavis tribus, quam mortis expectatione suspensus. cum ex una parte, qui aderant, ejus crudelissimi & teterrimi post homines natos facinoris ministri, socii, adjutores, principes, verborum illum contumeliis incesto ore lacerarent: ex altera ille inauditum ac prope inexpiabile scelus apud patrem excusans, imprudentiæ tribueret, & vulnerum, injuriarum, sui denique oblitus, sicariis atque parricidis veniam, interruptis ac morientibus vocibus, deposceret.

Quanquam quid ponimus nobis ob oculos, miseram illam quidem ac flebilem speciem; sed malorum tamen exitum atque finem, quæ ultra mortem progredi non possunt? quid crucem, in quam Christus sublatus? quid clavos, quibus confixus est? Cavete existimetis, auditores, nunc cum primum ex vulnere clavorum, ex patibuli tormentis, mori: qui ante multo actus est in crucem, ante aut plurimis clavis, aut sæpe tribus convulneratus. Etenim si qui in Deum graviter delinquunt, hos ei extremum summumque supplicium constituere ac moliri etiamnunc, & fabricari crucem ferunt; rursus illum longo intervallo ex infelici pendere ligno: quanto nos verius suffixum dicemus cruci, cum amicorum infidelitates, inimicorum odia, cum vincula, cum verbera, cum militum impotentiam, concitati populi furorem, testium perjuria, judicum iniquissimas sententias pertulit? Et, si cruciarus non semel, sed bis interdum manus, bis pedes defigebantur clavis: quid est quod Christum, iterum ac tertio clavis non fateamur, ut ita dicam, terebratum, qui per tot cruciatus, clavorum cruciatibus præivit? Hunc igitur scitote occubuisse, priusquam occumberet: cruci affixum, priusquam affigeretur: trinis clavis constrictum, priusquam constringeretur. Quid enim? quot, quantaque, mortis illi, crucis, clavorum instar fuerunt: cum cuderint, fixerintque, si interpretari velimus, & universi ternos clavos & singuli? Nam quod ab hominum genere tripartito Christus est crudelem in modum acceptus, ab amicis, ab alienigenis, a popularibus: triumne clavorum apud vos vicem non obtinebit? quod sui illum vel familiares vel discipuli deseruerunt, prodiderunt, interposito jurejurando notum sibi esse pernegarunt: quod alienigenæ, Pilatus, Herodes, prætoriani milites ludificati sunt, raptarunt, colaphis, verberibus, pugnis conciderunt, ficta e multiplici stirpe corona cruentarunt, ac demum omni suppliciorum genere excruciatum necarunt: quod populares Judæi, iidem accusatores, iidem testes, iidem judices, id ut fieret, vehementer etiam atque etiam contenderunt, & vi magna extorserunt.

Hæc universi. Quid singuli? Utrum clavum quoque triplicem adhibuerunt, an ullam crudelitatis hujus partem reliquerunt? Occurrit primus, qui primus auctor mali atque antesignanus fuit: quem sua avaritia fide expoliavit, sua fraus in fraudem induxit, sua desperatio salute privavit. An vero qui turpissima & perfidiosissima facta pactione, dominum adversariis pecunia addixit, non eisdem primum manibus clavum impulit, quibus

pa-

pactum pro domini capite pretium accepit? quibus manibus collum ad complexum & osculum invasit, non eisdem clavum adegit? quibus laqueum sibi, consciscendæ necis causa, nexuit, non eisdem clavum defixit, & gravissimum vulnus imposuit, & præsentissimum letum attulit? Nisi forte operarium hominem, qui humeris crucem tulit, aut fabrum, qui ferrum procudit inscius, dolavitque lignum; ac non eum, qui vendidit, qui prodidit, qui cognoscendi demonstrator, qui capiendi dux fuit, cædis auctorem atque architectum extitisse putatis. Quo loco ne illud quidem rationis homo impurus habuit, maxime dissentaneum absurdumque fore, si qui denariis amplius trecentis nescio quid unguenti æstimarat, sic esset ei Christus vilis, ut triginta modo divenderet.

Sequitur is, quem minime remur, Petrus, qui, cum ancillæ percontanti ab ostio num virum nosset, aut ejus in comitibus ac discipulis foret, semel, iterum, tertio nequaquam sibi cognitum esse dejeravit; quid aliud egit, nisi Christum tribus clavis percussit atque confecit? In quo usque adeo parum sibi consentiens fuit, ut qui morte proposita, ac desciscentibus sociis, se in fide atque in potestate domini semper fore, asseverantissime & confidentissime dixisset; is objecto verbo atque interrogatiuncla defecerit, defectionemque ex omnibus unus professus ore sit: & qui districto gladio, servi primo auriculam capite abscidisset; mox ancillæ præsentia & voce obstupefactus ac perterritus, manus dederit. Sed omittamus de fixis a Petro clavis plura queri, quos magna vi lacrymarum, perpetuo, quoad vixit, refixit. Fuit hoc audaciæ, nimium de se polliceri: levitatis, parum præstare: utramque labem abstergere pœnitendo, felicitatis pariter ac summæ perfectæque virtutis.

Jam quæ duo hæc capita post hominum memoriam teterrima & spurcissima, Annas & Caiphas, dignus socero gener, socer genero; quæ reliqua fæx atque sentina populi, in Christum noctem totam intemperanter evomuit: parumne vobis trium clavorum respondere aculeis ac feritati videntur? Hic illum velant, consputant, palmis, pugnis, calcibus, fustibus petunt, ignominiisque omnibus onerant. Sensit hæc una nox, atque excepit, quidquid libido, petulantia, crudelitas, furor intra mortem jamdiu conceptum parturiit.

Ecce tibi cum prima luce alterum in scelere par, insolens, invisum, ferum, ac ferreum, Pilatus & Herodes: quorum uterque eo nocentior quod neuter eum, in quem injuriosus esset, nocentem credidit; alter etiam palam insontem pronunciavit. Hic vocatum in judicium capitis, tumque periclitantem de vita, præposteris & curiosis rogatis lacessit. en primus clavus. Et illudit ipse, & illudendum cohorti suæ permisit. en alter clavus. Per ridiculum a se cum veste candida dimittit. en tertius. Ille vero de hoc primum, quem per malevolentiam traditum sibi nosset, quæstionem instituit. Deinde eundem cædi jubet virgis. Ad extremum cupiditati ac violentiæ scelestissimorum nebulonum addicit, atque in crucem adjudicat. Hunccine hominem? hanccine improbitatem, auditores? hanccine amentiam? eundem falso vocatum in crimen agnoscere; & quæsitis exagitare: innocentem proclamare; & flagellis objicere: absolvere verbo; re condemnare: extra culpam ponere; in crucem mittere. Is mihi etiam, antequam judicium det in sanctimoniam ipsam atque integritatem, manus lavabit, seque rem suo esse periculo nolle dicet. perinde quasi aut levi aspersione aquæ tanta labes possit elui, aut cum testificatione innocentiæ non contrahi. Si nihil te, judex omnium profligatissime ac perditissime, neque accusatorum perspecta malitia, neque rei minime obscura integritas, neque ulla mentis religio tenuit, quominus a recto tantopere deflecteres: ne Herodis quidem exemplo, qui facto copiose suo, quemadmodum ipse non diffiteris, absolvit; non uxoris admonitione, quæ cavit, ne quid cum viro innocentissimo, ac tui dissimillimo rationis haberes, commovebare? Erit, erit aliquando tempus, cum tu, cui pluris fuit nefaria efflagitatio Judæorum, pluris Cæsaris inaniter oppositum nomen, quam jura & humana & divina; qui hominum manus effugisti, in Dei ipsius, cujus tu causam peremisti, severitatem incidas, & paria facinori præmia auferas. Tametsi dispar est ratio conditioque innocentiæ oppressæ, & improbitatis vindicatæ: quippe cum jure plectatur improbitas, quæ injuria violavit innocentiam.

Quid ego nunc enumerem vim & quasi imbrem plagarum, quæ terga, pectus, ac reliquum corpus conscindunt? quid silvam densam atque asperam spinarum, quæ omnino caput inumbrant atque obtegunt, & admotis acribus velut stimulis fodiunt? an hæc a me, tot ac tanta, pro tribus clavis, tormenta ponentur? Atqui quot aculeis dumi hirsuti, quot armata flagella tanquam mucronibus, quot percussiones & ictus tortorum: totidem pulsatum clavis atque confossum putatote. Cæditur virgis, inspectante Judæa tota: omitto, innocens: obliviscor, indicta causa atque incognita: prætereo, non rite, non more, institutoque vel Judæorum, vel Romanorum: at cum de omni ordine hominum, ætate, ac genere optime meritus; tum vero cujus in gentem Judaïcam clarissima, recentissima, & maxima beneficia extabant. cum interea nullus gemitus, nulla vox istius, inter dolorem crepitumque plagarum, auditur aut de malo dolentis, aut de injuria querentis, aut exprobrantis officia, aut verberum vim ac diuturnitatem deprecantis. Proripi insontem, ingenuum, vis est: nudari, pudor: deligari ad palum, scelus: verberari, parricidium. Quid, ad libidinem amentium accusatorum? quid, ad satietatem levis & nequam judicis? quid, a valentissimis, crudelissimis, &, quod non temere creditur, subornatis pretio ac mercede lictoribus verberari? Quæ cum acerba, & indigna, & sexcentorum instar clavorum sunt: tum illo nihil minus ferendum, quod diadema ex acutioribus surculis ingeniosa solersque crudelitas texuit, & risus in tanta atrocitate pœnæ captavit. Quæ tandem est ista ratio, insultare alteri in calamitate, cujus auctor sis? Irrides? ne miserum facias. Miserum facis? ne irrideas. Etenim si nemo usurpavit hoc ulla in barbaria tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret: cujus erit inhumanitatis, infelices & ærumnosos non lacrymis

pro-

prohibere, quæ malum non minuunt; sed proscqui risu, qui dolorem augeat?

Cognoscitis, opinor, ex quadam particula, hoc est, e tribus clavis, carnificinæ, quam Christus ante subiit, genus universum. Quid postea? an non clavi aut altius defixi iidem, aut novi additi, tamque diu, donec rem sibi perfectam esse dixit, cumque hoc dicto animam efflavit? Quid? suavissimi discipuli, Joannis? quid? carissimæ matris, Mariæ præsentia &. conspectus, nonne clavis jam toties petitum atque perfossum contudit atque obtrivit? nonne pater filio, qui tum desertum esse quodammodo sivit: nonne ipse sibi, qui ne sitim quidem, cum posset, restinxit, clavus fuit? Quis igitur, ut brevi complectar, cruci Christum fixit? Judas. quis? Petrus. quis? Annas. quis? Caiphas. quis? Pilatus. quis? Herodes. quis? Joannes quis? Mater. quis? ipse se. Quot clavis? plures pluribus: tribus universi: tribus singuli: nemo quidem certe non uno.

Ex eo tempore ad hanc diem, quando per emissarios ac satellites suos, avaritiam, voluptatem, ambitionem, improbitas tres Christo clavos fabricari & infigere destitit? Quando maxima pars mortalium vires ad id animi corporisque, cogitatione, dictis, factis non contulit? Ne otium quidem hominis atque cessatio vicariam operam recusavit: neque inertia in prætermittendo, neque remissio in agendo, neque impatientia in ferendo, crucem non fixit. O nos infelices! nos stultos! nos amentes! Judæos damnamus; & imitamur: Christum miseramur; & cruciamus: sub mentionem tantæ acerbitatis, lacrymas partim vi atque ratione cohibemus, partim misericordia non tenemus; & eosdem luctus identidem, aut innovamus, aut recenti accessione cumulamus.

Nam quod excusant nonnulli, sese emergere aliquando, non usquequaque improbos, non sui semper, aut Judæorum similes esse; oblivisci interdum quidem partium suarum, ferrum adversus Christum machinari atque exacuere; at sæpe resipiscere, sæpe opus intermittere vitiosum, sæpe abjicere: viderint ipsi, quid loquantur, quantum promoveant, quove pacto causam suam non tam defendant, quam deteriorem purgatione faciant. Ergo nunquam emersit Pilatus, qui toties innocentem Christum declaravit, cum damnarit semel? Ergo usquequaque improbus Herodes, qui quem habebat in potestate, quem sub ditione ac regno, quem curiositati non obsequentem suæ, impunitum indemnatumque dimisit? Ergo sui semper similis Judas, quem facti pœnituit, qui mercedem perfidiæ reddidit, qui de suo scelere, de Christi integritate atque innocentia, singulare testimonium, etiam iis, a quibus corruptus pecunia esset, tribuit? Quamobrem caveant, qui spe sola mutationis vitæque melioris contenti, sese in dies singulos tergiversando pascunt. Caveant, qui virtutis ac vitii perpetua vicissitudine delectantur. Caveant, qui uno aut altero recte facto tot errata & peccata sua posse compensari censent: quorumque procrastinationem, & inconstantiam, & morum inæquabilitatem imitantur, miseros eorum ac turpes exitus perhorrescant.

Nos vero, auditores, non modo mortem Christo non offeramus, qui morte vitam nobis repræsentavit: sed cui dare non possumus vitam, mortuo persolvamus justa, & parentemus. nec tantum vulnera ei nova nulla infligamus: sed obligemus vetera, atque sanemus. nec clavos clavis adjiciamus: sed clavos ejiciamus clavis, tres tribus, memoria, intelligentia, voluntate. Cœleste hoc beneficium animo in omne tempus figamus: quanti est, tanti faciamus: amore nostro singulari, justo ac debito, amemus. Et quoniam nos sontes, Christus innocens; pro eo nunc & cum eo pœnas luamus, quas & absque nobis, & pro nobis dedit. Nosmet cruci ipsos figamus, illius commiseratione dolorum, rerum humanarum despicientia, virtutum cultu: earum maxime, quas invenit ipse primus, & sanguine sanxit suo, & consecravit: ut fortis & generosæ demissionis animorum, cedentis omnibus, multoque infra modestiam consistentis: ut benevolentiæ erga inimicos & hostes: ut constantis & illibatæ corporum castimoniæ. Hanc virtutem colite, o juvenes: integritatem hanc defendite, hoc vitæ decus & ornamentum, quandiu vitam; studiosius etiam, quam vitam, retinete. Nolite Christi nulla sutura vestem, id quod ne insolentia quidem militaris ausa est, discindere. Nolite crura, quibus hoc Judaica pepercit immanitas, suffringere. Nolite quod purum atque incorruptum, inter cruciatus & medias mortes, corpus servavit sibi, præstitit vobis, idem otio, mollitia, deliciisque perdere. Si facitis; tantum abest, crucem ut illi iterum struatis, id quod nimium sæpe fit; ut quam Judæi constituerunt, ex ea vos ipsum detrahatis; utque clavos & ejus de corpore revellatis, & in vobis, non ad vulnus ac perniciem, verum ad medicinam salutemque, figatis.

ORATIO QUARTA.

De resurrectione Christi.

Quonam tandem modo, auditores optimi, aut quibus de causis fieri dicam, ut maxime insignes & commemorandi quique eventus, sive prosperarum secundarumque rerum, sive adversarum, nunquam non prædicti a divinis & conjectoribus, nunquam portentis ac prodigiis aliquot non ante significati, perhibeantur? Quotusquisque vir paulo illustrior, vel evectus ad dominatum quemdam & imperium, vel affectus clade aliqua magna, vel e medio sublatus ante diem & genere inusitato mortis; de quo & hoc, & illud, & aliud, non, antequam evenerit, declaratum, & variis significationibus ac monitis præmonstratum fuisse, loquatur historia Græca, Romana, aliarum gentium ac nationum? Amat vero infimum vulgus & andire, & vicissim narrare, quid cuique rei præcurrerit; quæ quasi denunciatio facta sit impendentium malorum; qui datus in antecessum gustus venturi boni. Præsageram, inquit: vidi in somnis: mihi prædictum est: omen fuit. Quæ tam sæpe usurpantur in communi sermone, atque a tam multis, ut prudentes etiam viri, ac maturæ ætatis & solertiæ, indicant

animum, aliquid subesse rei, nec sine causa tot aggregari velut in itinere, & conspirare prognostica, simulque jungi, quæ eodem tendere videantur. Falsa, auditores, falsa pleraque, ac fortasse omnia, quibus imponi sibi hominum credulitas, futuri cognoscendi avida, patiatur, & in quibus noster nos sic delectet error, ut dedoceri nolimus; circumvenire alios, & eandem in fraudem inducere parati potius. At hic ego non vereor, ne, quod dicturus sum, sit ejusmodi, cui fidem derogare quisquam possit; quamvis maximam admirationem movere debeat omnibus. Dicam enim rem novam: dicam prædictam. Sed certam dicam, & firmam, & stabilem omni modo: sic ut ambigi non possit, quin ea & prædicta sit, & ita, ut prædicta est, evenerit. Quid magis novum & singulare, atque ante illud tempus inauditum, & omnino supra captum intelligentiamque nostram, quam hominem, fato semel functum suo & necessitate naturæ, deintegro excitari & surgere a mortuis; idque sponte ac vi sua; neque rursus moriturum? Gesta res a Christo. ab eodem, antequam eveniret, prædicta disertis verbis. ab eodem, postquam accidit, certis & evidentibus argumentis comprobata. Quæ tria si ostensa a nobis erunt, quantum valemus, quantumque oportet: summum religionis mysterium Christianæ habueritis, auditores, explicatum; nec fuerit ullus dubitationi, nedum errori, aut falsitati, locus.

Ac primum, ut ordine progrediar dicendo, quo res ipsa tota processit; Judæis popularibus suis Christus tantum hoc boni aperuit; paulo quidem obscurius: utpote vel indignis, qui docerentur, propter superbiam & pervicaciam; vel nondum idoneis, propter tarditatem & inscitiam: sed aperuit tamen. Exigunt ab eo Scribæ, Pharisæi, Sadducæi, quasi summo jure & imperio, prodigium cœleste aliquod, non contenti prioribus, quæ plurima diversi generis ediderat; eaque minus ad pompam & specimen potestatis; qualia fere erant illa cœlestia Hebræorum vatum; quam ad curationes morborum, ad corporum alimenta, ad utilitates varias, multamque salutem mortalium omnium. Christus vero, qui intelligeret; quid hunc enim fugere potuit? tendi sibi insidias, seque ab istis miracula posci malo animo & explorandi causa, quod diffiderent aliquid eum tale efficere posse; non a cœlo petendum, sed ex aqua, eque terra, quod quidem illis obtruderet, ostentum putavit. In exemplum ergo virum sanctissimum Jonam proponit, mersum aquis, ab immani pisce absorptum, ejus inclusum præcordiis, ibi tres dies totidemque noctes tuto & impune commorantem. Idem namque fore, ut eveniat sibi: se futurum in gremio & sinu, aut visceribus terræ triduo: mox salvum inde atque incolumem, tanquam ad portum, rediturum ad vitam. Quid sibi vult hic Jonas, nisi Christum Jonam esse, ac plus etiam, quam Jonam? quid triduana illa non sine securitate commoratio in alvo belluæ vastæ & immanis, nisi Christi in sepulcro mansionem tridui, & quasi placidissimam quietem: quod & totum propediem sit expectandum? Rursum, postquam ejecisset eos foras, qui mercaturis exercendis templum sacratissimum pollucrent, profanumque haberent; interrogatus, qua auctoritate, quove jure tam imperiose faceret; respondit, ducta ab templo similitudine & allegoria, sese templum hoc, quod demolituri essent, denuo instauraturum; idque diebus non amplius tribus. Quæ quamvis omnia belle congruerent, ut templum significaret corpus, demolitio mortem, subita instauratio vitam novam: quoniam tamen nec visum ulli, nec auditum negotium, quemquam sibi, cum semel amisisset, reddidisse vitam: non intellexerunt Judæi vocem hanc, quam deinde in judicio capitis verterunt illi crimini, quasi de eversione & excidio templi cogitasset. non adverterunt initio ne ipsi quidem discipuli Christi, quam id in sententiam dixisset; sed tum reminiscentes duntaxat recordari cœperunt, cum surrexisset a mortuis, exitusque rem non comprobasset tantum, sed etiam declarasset. Quod vero sæpius flagitantes prodigia & miracula Judæos, neque revocavit ad ea, quæ ante effecerat, neque ad ea, quæ effecturus esset deinceps, rejecit; sed suum modo in lucem regressum, quasi obsidem & pignus fidei atque auctoritatis suæ, dedit: satis signi est, quanti eam recentem vitam faceret, quam instar miraculorum omnium duceret, offerretque pro iis; & qua vel proponenda, abunde constitutam auctoritatem, abunde divinitatem confirmatam haberet.

Præbuit igitur Christus universe Judæis perspiciendam per involucra quædam & integumenta resurrectionem futuram suam. Clarissime vero & apertissime significavit comitibus duodecim, & adjunctis ac certis quibusdam indiciis notavit. Quando? quo loco? quoties? Mihi quidem non est dubium, quin ubicunque pedem poneret, & quotiescunque res admoneret atque occasio, crebris hoc sermonibus, & quotidianis, aut etiam assiduis usurparit, quod tanti esset cum ad nostram salutem, tum ad decus, & gloriam, & prædicationem suam. Certe, cum in Judæa, in Samaria, in Galilæa tres annos versatus sit identidem ac tanquam vicibus; novimus, quod perscriptum est sacrarum monumentis literarum, illum quotannis semel, ac singulis in locis, id est, minimum ter, ne qua eos oblivio caperet, fecisse de re tam memorabili mentionem. Neque modo rem prædixit generatim: sed designavit speciatim tempus. Neque eventum rei, & fidem, & probationem prædictionis distulit in longum; sed in tertium statim ab obitu suo diem. Quasi ita cum suis ageret Christus, atque ita loqueretur: Si fallo, socii: non longa in medio mora; tribus diebus deprehendetis fraudem. In quo hoc quoque, auditores, animadvertamus licet, nunquam Christum de teterrimo supplicio suo, atque indignissima nece fuisse collocutum, quin illud continuo subjiceret de suo in vitam reditu: non quidem tanquam appendicem sermonis & corollarium; sed tanquam summam & caput rei, aut extremum ad quem omnia referrentur, finem. Nimirum sejungenda oratione non erant, quæ conjuncta re ipsa essent, aut tenui sane intervallo temporis discreta: & mors cum vita compensanda fuit; crudelissimi cruciatus remunerandi summa & æterna felicitate; ignominia crucis abstergenda penitusque delenda splendore & gloria recentis ortus.

Quod

Quod si hunc Christi sermonem de morte, quam oppetiturus esset; etiamsi rei atrocitas mitigaretur ac sublevaretur consequentis orationis de altera paulo post futura vita lenitate; ferre tamen discipuli & concoquere audientes vix potuerunt; sed tam tristem ab eo vitæ exitum, tamque turpem, & injuriosum deprecati ac detestati sunt verbis: quanto minus ferre potuissent, si non sermonem eum excepisset plena spei, & fructus, & gaudiorum, summique boni oratio? Quare nunquam, ut dico, de sua morte Christus egit, quin una mentionem fecerit novi istius natalis sui: aliquando egit de novo natali isto, cum de morte sileret prorsus. Audite, quemadmodum, & quibus verbis cavet, ne unum quiddam ante diem supremum suum, pervulgetur: *Nemini dixeritis, donec filius hominis a mortuis resurgat*, Non edicit, rem ut suppressam teneant, neque exire patiantur in vulgus, donec obierit; verum donec a mortuis resurrexerit. Neque pollicetur & confirmat discipulis fore, ut illos antecedat in Galilæam, postquam destinata & sibi parata morte perfunctus fuerit; sed postquam receperit iterum vitam: *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Parumne creber videtur Christus fuisse in prædicendo, quid se futurum sit post mortem, qui hoc ipsum crebrius, quam se moriturum esse, prædixit?

Neque vero satis habuit, eam rem inculcare, quandiu vixit, auribus & suorum & aliorum, sive palam & aperte, sive per obscuritates quasdam & ænigmata. Etiam voluit, cum esset mortuus, atque in sepulcro jaceret, illo ipso temporis exiguo spatio, inter utramque vitam, & eam, ex qua modo discesserat, & eam, in quam mox ingressurus erat, refricari memoriam prædictionis suæ. voluit confirmari ipsa voce & testimonio suorum iniquorum. voluit ad aures alienorum hominum pervenire. Fatentur & narrant Judæi: audit Pilatus. Qui etsi omnes adduci nullo modo possunt, ut credant ita fore: tamen, quasi futurum sit, nisi magna quædam vis resistat; diligentem dare operam, & obstare ne contingat, quodammodo velle videntur? O callidos homines! o excogitata consilia! Sepulcrum obsignant, ne qua fraus fiat. militaribus præsidiis suis & custodiis vigiliisque muniunt, ne vis inferatur. Pharisæi & sacerdotum principes ad Pilatum, *Domine*, inquiunt, *seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.* Itane vero, seductor, aut in quo tandem cuiquam imposuit? Utrum in eo, quod quæ prædixit, non evenerunt; an potius in hoc, quod eventura non sunt? Prædixit se tradendum exteris gentibus: nonne tradidistis? Prædixit multis se ac diversis modis illudendum: nonne illusistis? Prædixit se virgis cædendum, se tollendum in crucem: nonne virgis cæsus est a Pilato; sublatus in crucem a vobis? Prædixit a mortuis resurrecturum se tertio die. hic secundus dies est; tertium exspectate: procul dubio tempore constituto resurget. Cur non hoc illi creditur? cur mendax in hoc uno & planus, qui alias semper verum dixit, qui ubique fidem servavit, existimatur? Tum sit sane per me seductor, nisi resurrexerit, nisi triduo resurrexerit, nisi hunc etiam diem prædictorum aliquantum repræsentarit; cum, priusquam sol illius diei occidat, resurrexerit. Qui si revixisset nunc ipsum, seductor fortasse videretur quodammodo & foret, qui non jam tertio die, sed secundo revixisset. Nisi forte seductor, quia vestram, Judæi, de se malam opinionem, vestram de resurrectione nulla futura sua exspectationem fallet: vestras in impediendo, quoad potestis, malas artes, perditosque & nefarios conatus frustrabitur: vestras excubias militares, non minus, quam saxorum oppositus, & ostii repagula, tumulo relinquendo eludet. Et vero, auditores, in iis ipsis interclusi Judæi insidiis, quas Christo revicturo conabantur opponere. Collocati milites ad sepulcrum tanquam in specula, nihil aliud egerunt, nisi testes Christi resurrectionis fuerunt, metu, fuga, dispersione; & nuncii veritatis, contra eorum spem ac voluntatem, a quibus erant missi, redierunt.

Sed quoniam, quam convenienter, quamque omni ex parte res ipsa & veritas prædictis respondeat, cum opportunum & utile, tum jucundum in primis est recognoscere: id ipsum, quod est alterum de tribus propositum nobis ad differendum, explicemus. Posteaquam anima Christi corpus reliquit, mortis interventu; nihil utrique longius visum est, quam ut rursum inter se vita jungerentur, novamque societatem, nec ullo amplius dissolvendam die, coirent. Neque sane poterat non graviter & moleste hoc illius absentiam, illa hujus ferre dissidium. tantum mutuo sui desiderio ambo tenebantur. Quæ, obsecro vos, auditores, nolite existimare magis rhetorice & exaggerationis studio a nobis, quam vere sincereque dici. Tot saucium vulneribus corpus, tam multiplici morte exangue & confectum; cum non corrumperetur tamen ullo modo in sepulcro, ut cadavera solent mandata terræ; quid expectabat aliud, aut quo se reservabat salvum & integrum, nisi ut iterum animæ, & quamprimum inserviret, hospitæ carissimæ, & consorti secum omnium rerum? Anima vero, quæ & citius exiit e corpore, quam duorum animæ, pariter hinc atque hinc cruci suffixorum, & tam cito redux ab inferis, id est, intimis terræ visceribus fuit; nonne videbatur, duplici hac sua festinatione, studio quodam & cupiditate gestire corporis revisendi? Certe, quod summo mane Christus, simul ac tertius dies illuxit, statim ingressus est corpus, & ademptam ei vitam restituit; quantum erat situm in se, de præfixo ratoque tempore detraxit: tantum, quod satis esset ad veritatem prædictionis, atque ut ne dubitaretur, quin mortem obiisset reapse, moræ & spatii reliquit. Ita habuit primus dies tres horas duntaxat: tertius dimidiatus fuit, horarumque duodecim, & perductus ad id usque tempus, dum sol eas primum oras lustrare inciperet. O solem beatissimum, qui cum exoriretur, luce sua & primoribus radiis, solem alterum Christum salutarit renascentem! Et solito, credo, citius exortus est, quo vel. t adveniret tempori, & domino gratularetur, mortuo nudiustertius, tunc reduci in vitam, & officium ei justum ac debitum persolveret. Meminerat, auditores, meminerat, ante tres dies obscuratum se jam fuisse tribus horis, tamque diu, donec Christus expiraret: nec sustinere tuendo potuisse tantum nefas,

ſas, nec diſſimulare dolorem ſuum: deſeciſſe præ mœrore & luctu, ſeſeque involviſſe caligine ac tenebris, & atratum ſordidatumque, faciem alio & os avertiſſe. Nunc vero prodire obviam longiſſime, occurrere emergenti e ſepulcri ſpecu, & terræ cavernis, ſimillimo ſui ſe conferre, ac ſe io Christo, tanquam in fulgentiſſimo ſpeculo, intueri & agnoſcere multo illuſtriorem, id demum triumphat & gaudet. Nam ſi in ipſa illa transfiguratione ſui, factus eſt Chriſtus vultu & ſpecie quaſi ſol; cum ſe ſubito, & ad breve tempus, ſpectandum præberet plenum dignitatis & gloriæ: quanto eſt propius acceſſurus ad ſolem, aut quanto eum magis ſuperaturus, cum ſe ſplendidiſſimum & illuminatiſſimum a divinitate, ſicut erat, atque ut in perpetuum futurus erat, terris & mortalibus oſtendet? Quocirca mirum non debet nobis videri, ſi ex cunctis anni diebus, hunc præter ceteros feciſſe dicitur, omnium tamen dierum au.tor & parens; quem diem ab interitu ſuo tertium ſibi ipſe conſtituit ad reviviſcendum atque deſtinavit.

Porro ſi intelligimus, ut intelligimus, opinor, hom nem vivere quid ſit; qua in re vita conſiſtat noſtra, quoque modo ſuſtineatur; quibus ipſa mens in corpore perſungatur officiis ac muneribus: ignorare itidem non poſſumus, quale & quantum ſit, id quod Chr.ſto nunc contigit, reviviſcere ac reverti a mortuis. Quid hoc aliud eſt, quam in integrum poſtliminio reſtitui, ac priorem animi corporiſque ſtatum, quo quis erat optimo ante mortem, recipere totum, denuoque conſequi? menbrorum uſum aptum, & facilem, & expeditum habere: integris frui ſenſibus: ex notis rerum & imaginibus extrinſecus appulſis, animo quidvis & cogitatione depingere: tum apud ſe ratiocinari: tum colloqui una cum aliis, atque ætatem, ceu prius, inter vivos & ſuperſtites degere? Hanc vitam vixit puella, revocata in lucem a Chriſto, redditaque precibus patris, quæ in lectulo calens adhuc, & morte recentiſſima jaceret. Hanc vixit adoleſcens, viduæ matris filius unicus, qui, cum funere efferretur, inter viam, mediaque in pompa exequiarum, Chriſti juſſu & imperio, ſurrexit e loculo derepente, & loqui cœpit. Hanc Lazarus, quartum jam ſepultus diem, graveolenti cadavere, & in conditorio atque arca repoſitus, vixit tamen, ut antea, ſibi & amantiſſimis ſororibus, cœleſti quodam & divino beneficio Chriſti. Quanquam ut dona operaque Dei perfectiora ſunt, quam naturæ; nihil vetat quominus iſtos melius aliquid recepiſſe ſuſpicemur, excitatos a mortuis, quam quod, in priore vita poſſeſſum, moriendo reliquerant: ut majores vires, meliorem valetudinem, ſpeciem & vultum nitidiorem, corpus uberius atque habitius, alia pleraque vegetiora & floridiora quodammodo. Etenim ſi communis & conſtans eſt opinio ſanctorum patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, in rebus admirabiliter ac præter naturalem ordinem vel efficiendis ab integro, vel reparandis, omnia Chriſtum præſtitiſſe meliora, quam fuiſſent ante, aut eſſe ſuapte vi & natura ſolerent; panem & vinum epulantibus, lumina cæcis, debili manum, aliis aliter ægris ſanitatem: quid iis conſentaneum fuit dicere, niſi ut vitam, quam mortuis reſtituit, reſtituerit anteacta potiorem quoque multis partibus, atque præſtantiorem?

Verum quid hic argumentamur a pari, aut cur inferre conamur ex vita hominibus reddita, quam ſibi vitam ſumpſerit Chriſtus traducendam poſthac, & quam diſſimilem prioris: cum longe alia ſit conditio Chriſti, alia & eorum, qui ſunt ante ipſum excitatari a mortuis, & eorum, qui ſunt poſterius excitandi? Priores nimirum reviviſcere cœperunt, iterum morituri: mors ut ipſos maneret ſecunda, fieret duplex dolor & luctus ſuis; ut neceſſitatibus naturæ & legibus iiſdem tenerentur; ut iiſdem præſidiis indigerent, ad hujus vitæ lucem & ad hujus ſpiritum cœli retinendum. At rediit Chriſtus ad propriam & perennem vitam, non amplius condendus, aut inferendus ſepulcro, nec depoſitutus iterum, quod iterum ceperat, omni prorſus moriendi neceſſitate ſublata. Quæ cauſa eſt, quamobrem & *mortuorum* appellatus ſit *primogenitus* in ſacris literis, & *dormientium primitiæ*: propterea quod ante eum ex mortuis nonnulli, ad vitam quidem aliquandiu duraturam, quibus iterum moriendum eſſet; ad immortalem vero nemo pervenerit. Poſteriores, id eſt, olim revicturi, non per ſe ac vi ſua; quid enim corpora poſſunt mille mortibus frigida, cineres, oſſa, propemodum nihil? ſed ope divina, & efficientia quadam, & ampliſſimis in homines promeritis Chriſti revicturi ſunt: cum is virtute propria, nec ullius indigens, hoc agar ſolus, ac ſibimetipſi præſtet. Nam, quod ſuus illum pater ſuſcitaſſe fertur a mortuis, nihil aliud ſonat, niſi Deum hunc eſſe, qui ſe hominem ſuſcitarit. quo fere pacto, filius Dei cum uſurpatur a Judæis atque a diſcipulis, cumque hoc de ſe ipſe agnoſcit & fatetur; idem valet idemque eſt, ac ſi Deus uſurpetur. Itaque a ſe habere vitam, nec aliunde pendere, ſic in Chriſto ſingulare & proprium eſt, ut non modo nulli ante ipſum contigerit, ſed ne poſt quidem unquam eventurum ſit. Quis igitur dubitet, quin Chriſtus ratione iſta duplici redivivus, ut dixi, peculiari & præcipua, verius, quam glorioſius morti inſultet ac ſepulcro, ſe mortis futurum mortem prædicet, ſe ſepulcri, quo capiuntur omnia, prædatorem & ſpoliatorem? Non enim Elias mors mortis, a quo mulieris viduæ, apud quam diverſaretur, filius revocatus ad vitam. Non Eliſæus, qui feminæ Sunamitidis, hoſpitæ quoque ſuæ, filium a mortuis excitavit. Fecerunt iſti quidem, ut uterque mortuus puer viveret iterum: ut ne iterum moreretur, non fecerunt. Immo vero commiſſum ab iis eſt, novo munere vitæ reddendo, ut novum morti jus in ea corpora, nova actio competeret. Ac ne Chriſtus quidem, cum tribus iis reſtituit vitam, quos ſupra memoravi, vere proprieque mors fuit mortis; quam non oppreſſit omni ex parte nec ſubegit. Hæc ſiquidem vita, non conceſſa illis in perpetuum, ſed commodata ad tempus: non ſubducta leto, ſed expoſita iterum, iterumque neceſſitati naturæ reddenda. Rurſum qui virtute aliena excitati ſunt a mortuis, etiamſi immortales facti vivunt, victurique ſuot ſemper; mors eſſe mortis, aut diei, non omnino poterunt. Jugo quidem ſint, & poteſtate, & imperio mortis liberati: ſit ab eis omnis depulſa ſervitus. id totum victori Chriſto & triumphatori acceptum referant

opor-

oportet, qui sibi uni hoc ipsum, quod revixit, debet, præterea nemini. Quare non is violator & eversor monumentorum, quod in nefario poni crimine, & severe legibus vindicari solet: sed, quæ divina laus est, & illius unius propria, justus ac legitimus expilator. Neque furto sublatum corpus, ac e tumulo clanculum dereptum; ut criminati sunt Judæi, utque a Judæis appositi falsi testes in vulgus sparserunt: sed ipse se Christus palam, ex omni amplexu & integumento terræ, ex totius leti ore ac faucibus eripuit: ipse vim sepulcro intulit: militarem prostravit custodiam, & in fugam vertit: denique surrexit, neque esse hic amplius sustinuit. Surrexit: eodem statu est: quo prius. non est hic: etiam meliore est statu, quam prius. Quid tibi tum, o Petre, volebas, cum intuens in Christum, repentino & celeri quodam splendore præter solitum fulgentem, semisomnus ac vix tuæ mentis compos, bonum exclamares vobis hic esse? Quanto melius nobis, una cum Christo surrexisse, una cum Christo non esse hic, neque in sepulcro, neque circum sepulcrum, neque in ea ulla vicinitate, ullo mortis velut confinio, versari?

Partes jam duas, auditores, absolvi divisionis institutæ. tertia restat, ut exponatur, quemadmodum quæ prædicta de Christo resurrecturo sunt, & quæ reapse gesta ex divina prædictione, eadem gravissimis sint certissimisque auctoritatibus testata, palamque facta omnibus; nemo ut deinceps, nisi omnino pertinax fuerit, repugnare posset tam apertæ veritati. Ac si diligenter attendimus, multa passim dispersa in libris extant, multa communi sermone hominum jactantur, sive vera, sive falsa; quæ tunc, cum dicuntur contigisse, nemo ejusdem memoriæ prodiderit literis, nemo notarit leviter, aut ullo modo fieri animadverterit: longo autem post intervallo venerit in mentem quibusdam posteris de iis affirmare; cum est origo incerta obscuraque annis, neque ad caput retro perveniri potest; & omnes sublati de medio sunt, quorum indicio ac testimonio falsitas redargui potuerit, falsitatis auctores convinci. At hic in Christi novo & admirabili facinore quam longe secus est! quod facinus testes habuit suos, præsentes, multos, idoneos, cum primum fieret: cujus non dilata probatio in aliud tempus, non gravior confirmatio, & quanta quanta esse potuit, omissa & neglecta: sed tabulæ statim, re integra & recenti, confectæ, monumenta veri obsignata. Ut neque longa vetustas, quæ auget omnia, affingeret quidquam; neque mala fides, quæ omnia corrumpit, immutaret; neque maximis etiam rebus persæpe obrepens, deleret oblivio. Enimvero, de reditu Christi ad vitam ne qua oriretur dubitatio, hæreretve scrupulus; certo sciri oportuit, discessisse hunc e vita: scitur. ut e sepulcro exisse manifesto constaret; illatum fuisse in sepulcrum oportuit non ignorari: non ignoratur. ut ne quis malevolus, per insidias corpus mortui surreptum a discipulis, probabiliter, & cum causa, aut prætextu aliquo, diceret; oportuit custodes adhiberi sepulcro, muniri locum: adhibentur, munitur. Rem continent & declarant totam duo triave quædam diversi generis hominum postulata, quibus præses Judææ provinciæ Pilatus concessit. Poscunt ab eo Judæi primum, ut sublatis in crucem, siquidem animam nondum egerint, mors maturetur; detrahantur autem cadavera e cruce: religione enim se impediri, quo minus rei sint in patibulo expositi diutius, adventante eo die, quem anniversario ritu omnium maxime festum haberent. Annuit Pilatus. Erat quippe hoc jus atque hæc potestas præsidis: cum alioquin cadavera morte punitorum, relicta palam ad exemplum, etiam additis custodibus, servarentur, donec tota sublime putrescerent, diffluerentque in cineres, ac dissiparentur vento. ut capitale esset ipsis custodibus, si quis ea cognatus, aut affinis, aut amicus movisset loco, & subduxisset ignominiæ, per istorum vel fraudem, vel negligentiam. Jam quoniam id agebant Judæi solummodo, ut corpora tollerentur & Christi, & aliorum; minime vero illis curæ erat ne projicerentur inhumata in Calvariam, sive in quasdam quasi Gemonias abjicerentur: hoc alterum contendit a Pilato, & impetravit Josephus, homo dives & nobilis, ut auferret corpus Jesu, & honore sepulturæ afficeret. Cui venit adjutor Nicodemus, vir item primarius: cum ille sindonem ad involvendum, hic odores ad ungendum corpus comparasset. Atque ambo discipuli quidem Christi, auditores, dum viveret; sed occulti: quod vererentur ne sibi foret ea res fraudi, metuerentque a civibus & popularibus suis periculum. In quo quis non miretur, tectos atque ignotos amicos profiteri nunc palam amicitiam, & supremum funus amico persolvere mortuo: qui aperte fuissent amici, diffugere, stare procul, delitescere? Sed ad rem redeo. Ex mulieribus etiam, quæ plurimæ ex ultima Galilæa secutæ sunt eum Hierosolymam, & quæ nuper aliis ex locis omnia in ipsum officia contulerunt; nonne scimus aliquot curasse res funeris, atque operam sepulturæ dedisse aliquam; voluisse profecto, & esse conatas? Quæ primum curiosius inspexerint, quem in locum ac tumulum mortui corpus inferretur: tum pecunia sibi unguenta coemerint ad funebrem uncturam: postremo, simul ac sabbato exacto fas fuit, bene mane convolarint ad monumentum. In quo cum depositum corpus non offendissent; numquid fuit, cur perquirerent diligentius, & investigarent magis ac magis, ubinam is esset; quid eo factum, quem mortuum, quem sepultum non toto triduo ante vidissent oculis; quem solum deesse, relictis linteis, sindone, sudario, quasi impedimentis, intelligerent?

Verum nihil æque profecit ad incitandam cupiditatem cognoscendi, ad occultam rem patefaciendam, atque primum cautio nimiaque diligentia, quamvis cassa & inanis, Judæorum; ad extremum improbitas eorumdem, & celandæ veritatis studium. Quid facis, o Judæe? quid suscipis? quid cogitas, qui flagites a Pilato servandum corpus jam extinctum atque humatum? Neque mos est, neque jus, neque æquum. Nihil hic tuum amplius, cujus rogatu detractum est cruce, quod postulabas. nihil hic Pilati, cujus permissu, hoc sibi corpus amici & familiares Christi sumpserint. Cur iterum tibi in alienam rem potestatem & imperium arrogas? At sui illud discipuli furabuntur; revixisse fingent. Itane vero? id si collibitum illis, non fecissent jam? non furati corpus,

non commenti fabulam & dolos essent? Quid obstitit, quo minus tum fecerint, cum est eis traditum corpus in manus, cum perunctum myrrha & aloe, cum linteis involutum? Cur mandarunt tumulo, ac non alio averterunt potius, non redegerunt in cineres, non in ventos dissiparunt; tum autem, id quod metuis ne eveniat, revixisse non finxerunt? Sed esto: muniatur sepulcrum, obsignetur. Quid est, cur tu factum postea fingas, quod ne fingeretur, tam acriter & anxie, tantoque opere laborasti? In quo haud sane scio, majorne sit Judæorum insipientia, an perfidia, & scelus, & impudentia? Cur non credunt iis, quibus ipsi jam sepulcri custodiam commiserunt? cur non credunt testibus, qui affuerunt præsentes, & qui rem ex aliqua parte gesserunt? cur militibus non credunt prostratis, inermibus, anhelis fuga, nondum recreatis ex metu, recentibus velut ab acie, & calamitatis suæ nunciis? Credunt vero, auditores: sed mala fide credunt, malo animo, malo consilio. credunt ita, ut ab aliis credi nolint. ut supprimi veritatem, proque veritate falsissimos atque improbissimos rumores dissipari velint. Statim enim atque nunciatum est primariis sacerdotibus per custodes ipsos sepulcri de re tota, quantus ex ingenti terræ motu & quassatione extitisset fragor; quemadmodum saxum removisset ab ostio monumenti, cui mox insedisset, delapsus e cœlo Angelus, candidissimo vestitu, ore quasi fulgurante; ut ipsi vigiles perterriti metu, exanimati, vix vivi relicti, concidissent: non dubitarunt, quin certa omnia ad se referrentur; senserunt id dici, Christum revixisse; dicto fidem, quamquam inviti ac repugnantes, habuerunt; quid enim in tam claris indiciis, tamque firmis testimoniis contradicerent? Sed quid deinde autem? Re communicata cum senioribus, captoque una consilio, de communi sententia reticeri placuit, quod audissent ipsi, quod certis auctoribus, ac testibus prope domesticis comperissent. Neque id tantum: sed quod initio timebant, ne accideret; quasi recte ac non sine causa timuissent, accidisse videri voluerunt; furtim sublatum fuisse corpus a discipulis, qui deinceps magistrum a morte rediisse ad vitam falso prodiderint. Quamobrem ad hunc spargendum sermonem in vulgus, testes instruunt & subornant eos, quos apposuerant jam custodes ad sepulcrum: res ut tota fiat ex eorumdem ore probabilior. quibus & pecuniam haud parvam numerant, tum ut composita per calumniam fabula disseminetur passim, tum ut calumnia ipsa, fide alligata pretio, celetur. Quoniam vero capite sancitum, si quis hic custos officio suo desit; nec, si res ad Pilatum pervenerit, facile crediturus est furtum factum ejusmodi fuisse, nisi conscientia & connivente militari custodia: pollicentur Judæi se & Pilato persuasuros, quod commodum videbitur, & custodum culpam omnem, periculumque, si quod eis impendet, præstaturos. Ii mihi etiam seductorem Christum appellabunt, quod se dixerit revicturum; qui milites seducunt, ut eum non revixisse mentiantur? & metuent ne simplici credulæque plebi objiciatur error, qui & falsum crimen impudentissimi furti imponant Christi discipulis, & eidem populo dare verba, fucumque facere postulent? At cui tandem sano compotique rationis persuadebunt, aut tantam audaciam fuisse discipulorum Christi, hominum imbellium, qui deseruissent magistrum ac diffugissent metu, ut se militibus armatis committerent; aut tantam oscitantiam, tantum veternum militum, ut, cum essent ad sepulcrum vigiles constituti, ne quid fraudis ac doli interveniret; cum mandatum a Pilato illud haberent, commendatum a Judæis; cum lapis ingens moveretur loco; cum corpus exueretur unguentis delibutum, auferretur a pluribus; nihil senserint, nihil adverterint; ipsis insciis, oppressisque somno, & stertentibus, facta omnia atque transacta sint? Equidem sic, auditores, existimo, præcipuo quodam & singulari divini numinis nutu atque consilio, gestum id totum de humatione & sepultura; ut, cum omnium interesset ad æternam generis hominum salutem sciri Christum revixisse; nemo, etiam eorum, qui scire nollent, aut non curarent, ignoraret. Cui nunc obscurum aut sacerdoti, aut ulli nominis & auctoritatis alicujus ex Judæis, ita Christum ad vivos, ut prædixerat, remigrasse certa die: cum sic diligenter caverint, in isto ne fallerentur? Unde certius doceri potuerunt de re tota, quam a suis hominibus, custodibus suis, speculatoribus suis, quibus ipsi negotium commisissent, & quorum fidem addictam sibi & promptam haberent tam ad verum renunciandum, si nosse vellent, quam ad falsum disseminandum, quod maluerunt? Quid nationes externæ, Romani, milites? Notius, & testatius, & manifestius quidquam esse potuit, quam quod in ore atque oculis eorum gestum est, & cujus ipsi pars aliqua fuerunt, non excubando solum, sed vel graviter pertimescendo? Nihil minus certe, quam dormitum est, tanto fulgore Angeli venientis e cœlo, qui incurreret in oculos, aciemque præstringeret; tanto loci strepitu & fragore, qui pulsaret aures. Quare qui ex facto prius terræ motu, cum quibusdam multis metuendisque rebus, milites Christum insontem Deique filium pronunciarunt, iidem nunc horribili terræ quoque motu admoniti, ac multo evidentioribus signis percussi, reque ipsa convicti, non est dubium, quin redivivum esse animadverterint, sibique aliud omnino persuaserint, quam quod ore impuro, corrupti pecunia, in vulgus protulerunt. Quid vero Pilatus? nihil fama & auditione accepit, summus rector & magistratus provinciæ? nihil exquisivit de Christo iterum vivo, qui tam diligenter tamque studiose de mortuo exquisiverat? de eventu rei scire certum non curavit, qui illum ipsum norat affirmasse, futurum, ut triduo revivisceret? interrogare & percunctari oblitus est, qui corpus & tollendum e cruce, & sepulturæ mandandum, & custodiendum idoneo præsidio concesserat? Utrum sui illum milites celare, an Judæi decipere ausi sunt? neque elicere verum potuit aut a Josepho, aut a Nicodemo; qui duo curassent funus, & quorum alter ab eo impetrasset corpus, monumentum corpori novum, & peculiare, ac suum præbuisset: minus ut ignorari potuerit, vacuusne & inanis, & quando, & a quo factus sit locus. Neminem, neminem, inquam, omnium fugit Christi vita hæc nova, & velut post mortem superstes, si quibus inquirere

quirere & sciscitari, certioresque fieri totius rei placuit. Quin citius existimaverim, obtusam imprudentibus & invitis notitiam, &, quæ audire nollent, audisse plerosque, quam celatum quemquam, & exclusum, qui modo cupidus esset cognoscendi, fuisse. Animadvertistis, ut opinor, auditores, cum se ipse Christus exhibuit videndum postea, & agnosci, qui erat, voluit, solis se discipulis ac sectatoribus suis, & sanctis mulieribus aliquot fecisse manifestum: nulli Judæorum, nulli aliorum præterea copiam, aut indicium dedisse sui. Quorsum, nisi quia jam satis superque totum hoc illis mysterium esse notum ac perspicuum potuit: ut, si ægre, & serius, aut nullo modo crederent, non his ignoratio ulla sua prætexenda, sed accusanda obstinatio & pervicacia, aut tarditas animi & stupor fuerit.

Verumtamen & terra ipsa, & quod situm in terra est, parum videntur ad testificandum declarandumque Christi reditum in vitam, nisi cœlum quoque in partem veniat operis, ipsi aliquid cœlites de suo conferant. Ecce tibi non testes solum, & indices, & præcones admirabilis hujus & divinæ resurrectionis, sed etiam adjutores quodammodo Angeli: primo unus, ut Matthæus & Marcus scriptum reliquerunt: deinde duo, ut est a Luca atque a Joanne traditum. Iis hic impositus labor; si quis tamen labor; data hæc provincia, ut saxum ingens, quod esset monumento pro foribus, dimoverent loco atque devolverent: non quo exitus Christo pateret, qui jam discessisset e sepulcro, nihil istius opis indigens; sed ut aditus daretur mulieribus optimis, ad visendum & lustrandum locum, in quo repositus Christus fuisset, atque ubi quiescere etiamtunc mortuum arbitrarentur. Post vero iidem ad aliud operam suam professi sunt, ac se sanctissimis feminis duces obtulerunt & mystagogos, sive demonstratores, quo quidque loco vel esset tum, vel modo fuisset. hic sindon: hic sudarium sindon unguenti recentibus madens, quibus est conditum corpus, more institutoque Judæorum. sudarium, quod impositum capiti, & quo obvolutum os prius: nunc separatim a sindone, atque ipsum involutum per se & complicatum. Ibi sepulcrum est: ibi corpus fuit. Hac parte augustissimum caput: illa sacratissimi pedes. Quid enim aliud ista sibi volunt: *Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.* aut ista: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* aut ista: *Vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu;* nisi hoc potissimum, invitari mulieres ab Angelis, & quasi manu duci ad recognoscendum sepulcrum, atque eis unumquidque ostendi, sive quod illic relictum sit, sive quod inde ablatum, seu quo situ & positione id, quod fuit, fuerit? Nam quod extat etiam apud scriptores sacros breviuscule dictum, instar sententiæ, *Surrexit, non est hic:* nonne dignum est compositoribus suis Angelis elogium? dignum Christo, cui compositum fuit: meritoque aureis grandibus literis, ejus in sepulcro incidendum, cui soli, homini Deo, convenit: nulli, qui homo tantummodo sit? Valeant illa quidem, apud mortales insculpi solita in monumentis sepulcrorum ex ebore multo, aut ære, aut marmore; magnificeque dicantur ad perpetuam mortuorum memoriam: Hic jacet. hic situs est. Quanto istuc splendidius, illustrius, gloriosius, quod est omnino contrarium, si pro eo, quod inscribitur, Hic jacet; inscribatur, Surrexit: pro eo, quod ponitur, Hic situs est; substituatur, Non est hic. Illa humilitatem, quæ potest esse in homine infima hæc celsitatem, quanta esse potest, loquuntur. illa mortalitatem: hæc immortalitatem clamant. illa hominem: hæc Deum denique testantur ac probant. Redite, quæso, auditores, in memoriam, qui talia nostis, quomodo & quam ob rem Cretenses olim habiti sint, communi consensu omnium nationum, & quodam quasi proverbio, mendaces. Causa hæc fuit, quod, ut Jovis incunabula penes se esse jactarent & gloriarentur, ita ejusdem monstrarent sepulcrum quoque, cum immortalis esset. Equidem si tantum hic lintea, odores ad uncturam, sepulcrum cogitaremus: nihil non modo divinum subesse existimaremus, sed ne humanum quidem, nisi mortuum ac sepultum, mandatumque terræ Nunc vero, cum id, quod jacebat in sepulcro, sic tanquam somno excusso & depulsa nocte, surrexerit; id, quod erat sub terra, ibi non sit amplius, sed supra terram se extulerit sponte ac vi sua; cum hoc palam loquantur Angeli, negentque præterea viventem quærendum esse inter mortuos; cum locum vacuum corpore deprehendant mulieres, in quem illatum fuisse corpus ipsæ norant, ipsæ oculis viderant: quæ vos tandem, discipuli, mora & hæsitatio tenet? cur fidem non habetis vel Angelorum testimonio, vel mulierum vestrarum? cur has veritatis nuncias, & missas ad vos, ac divinitus legatas quodammodo, putatis delirare, stulti? cur, quæ prævenerunt, non sequimini saltem, tardiores in credendo? cur alii vos ædibus & tectis inclusi tenetis: alii ex urbe rus in villas & loca sola deceditis: ac non statim potius ad rem oculis comprobandam accurritis, convolatis?

Restabat nimirum ut se ipse Christus offerret videndum, præsentiamque exhiberet ac declararet suam certis & evidentibus notis: quo discipuli tandem, si sanæ mentis essent, si non cæci omnino, si ullum sensum corporis haberent, nihil dubitarent iterum vivere Christum, excitatum a mortuis, neque amplius moriturum. Fecit vero libenter, & indicavit se, & impertivit totum, cumque notis, amicis, sodalibus, ipsos quadraginta dies, versari familiarissime & conjunctissime voluit. Novimus, auditores; & legere, & audire millies potuistis; Christum, olim in priore vita, secutum solitudinem & recessum, in loca se deserta & derelicta abdidisse, ibique delituisse dies quoque quadraginta, nulli visum, nulli cognitum, sibi inter pias preces & jejunia soli vacantem. Nunc, quod huic tantæ tot dierum solitudini respondeat, quodque compenset jacturam temporis illius, quo tempore mortales cunctos, conspectu sui colloquioque & consuetudine privavit: dies totidem prodit in publicum, spectandum se dat & tractandum manibus, & oculis fruendum, diversis hominibus, diversis locis, diversis temporibus, diversis modis: nullus ut color prætextusque supersit ambigendi, quin revixerit. Ac matri quidem quin primo se Christus redivivum sistere voluerit, cui ipsa morienti ad extremum adfuerat, nullus du-

dubito : neque fas cuiquam dubitare arbitor. An non ejus fuit, quæ singularem ac præcipuum dolorem hauserat oculis ex crudelissima & indignissima morte filii, primum ac recentem potioremque fructum voluptatis, ex vita eidem restituta eapere? De quo tametsi nihil histotici quatuor sacri meminerunt; non idcirco minus verum, quia minus otile, necessariumque fuit vulgari. De quibus autem interfuit mandari literis, posteritatique prodi memoriæ? De iis, opinor, solis, quos pro Christo testimonium dicere conveniret, & quibus recte ac metito per leges & consuetudinem omnium gentium crederetur: cum testes idonei neque parentes liberis, neque liberi parentibus ex jure aut more ullo sint. Jamvero certum habemus ex sacris literis, statim atque surrexit Christus a mortuis, nihil ei potius fuisse, quam ut mulieres de reditu ad vitam suo per Angelos admoneret, per mulieres diseipulos. Continuo autem post, ipsum, ab eisdem feminis visum & agnitum, eadem mandata dedisse, certiores facerent diseipulos de re tota: quid vidissent ipsæ, quid audissent, renunciarent. Ita mulieres Angelos solæ, primæ Chrillum intuitæ & contemplatæ sunt. At quæ mulieres? Quæ sæpe illum comites secutæ, officii & honoris causa. quæ de facultatibus & copiis suis suppeditarunt ei ad victum, & ad alios usus vitæ necessarios. quæ ne desetuerunt quidem, ex Galilæa euntem Hierosolymam, ductum ad supplicium, sublatum in crucem, morientem. quæ, ut in vivum omnia officia contulerant, ita mortuo funus & exequias, quantum in ipsis fuit, pararunt. Quid igitur mirum, si tam bene meritis de se gratiam retulit? si anxias & sollicitas sua causa, omni cura liberavit? si ob piam sedulitatem, & officiosos labores earum, putavit dignas, quas viserent cœlites & commonefacerent, quas ipse compellaret, & solaretur, & de omni rerum suarum statu edoceret ante omnes, mitteret quoque interpretes & internuncias ad discipulos nec opinantes? Mirum illud magis, quod, cum istæ bona fide visa & audita retulissent, de Chtisto, de Angelis; hi nihil, tanris auctoritatibus adducti, crediderunt: elaborandumque Christo fuit, ut alia multiplici ratione ac via persuaderet verum tardis & obliv.osis. Non meminerant, quod cum sæpe alias, ut supra posui, tum pridie, quam moreretur, inter cœnam & accubitus, prædixerat fore, ut statim ret io a morte die rediret ad vitam, eisque anteeederet in Galilæam, atque ibi se cernendum præberet. Non capiebant, neque assequebantur, hoc idem quale esset, etiam suggerentibus feminis, &, ut ipsæ admonitæ ab Angelis erant, ita revocantibus in memoriam. Itaque Christo visum est, huic duplici morbo tardi & immemoris animi mederi; se ponere illis ob oculos, alia atque alia specie; præsentia sua fidem facere modo uni suorum, modo duobus; tum decem, tum undecim; alias septem; postremo amplius quingentis.

In quo velim mecum, auditores, consideretis rem fortasse a paucis notatam, non solum hic non creditum mulieribus, sed ne viros quidem viris credidisse, &, quod uni Thomæ objectum est a Christo, fecisse omnes, ut nemini fidem adjungerent, quisque sibi & oculis suis crederet, tantumque crederet, quantum probare reipsa & per se experiri posset. Non creditum Magdalenæ neque comitibus, quæ primo Angelos, tum Christum vidissent, atque etiam ab utrisque mandata haberent. Non creditum Petro, cui diceretur Christus apparuisse. Non creditum discipulis duobus, profectis in villam, qui inter eundum sermonem habuissent sat longum cum Christo, unaque epulati essent. Non ereditum undecim numero, quibus se Christus, quis esset, explorandum quodammodo ac periclitandum, & tractandum manibus dedisset. Non creditum ab initio & primo aspectu, ne Christo quidem: nec is demum fidem obtinuit apud suos, nisi offerendo se illis multum ac sæpe, & inculcando auribus, & otiose contemplandum præbendo, & ostendendis vulneribus, & alio atque alio quasi vultu induendo, sustinenda persona. Qui nunc horti cultor visus est, nunc viatot & hospes; mox obsonatorem & convivam gessit: cum etiam & mysteria eelebraret, quæ peregustet prius, & miracula ederet similia veterum: quo excitaret ac renovaret memoriam sui, convenientia & cognatione quadam rerum, paribusque factis eundem se probaret esse. Quid illud, quod nullum fere locum, nullum tempus prætermisit, quin se obvium, & insignem certis quibusdam notis, conspicuumque fecerit? In Judæa, prope Hierosolymam ad sepulcrum, Hierosolymæ intra ædes privatas, rure & per viam, & sub tecto. In Galilæa, tum propter Tiberiadis, quod appellant, mare, tum supra regionis illius montem, incerto nunc, sed constituto ac sæpe indicto loco. Die, quo revixit, sexies. octavo post, semel: sed undecim adstantibus discipulis, excepto nemine. tum diebus subinde aliis ad id usque tempus, quo notos omnes & amicos magno numero in unum convocatos, suo e terra digressu, postremum valere, & securo esse animo jussit. Quamobrem nullum esse arbitror ex omnibus, qui non Christum coram vivum præsentemque habuerit: & qui, si non idcirco credidit, quia vidit, id quod vitio datum est Thomæ; certe non crediderit prius, quam vidit. ac nonnulli etiam, postcaquam vidisse contigit, fluctuantes, atque animis suspensi, retinuerint aliquandiu assensum.

Quæ tarditas singulorum in credendo tam communis, tamque consentiens, & quasi ex compacto, etsi minime laudabilis illa quidem, quam objurgatione dignam ac prope convitio Christus esse duxit: profecit tamen plurimum; idque dupliciter. Primo, quod Christi discipulos reddidit multo, quam si cito credidissent, fortiores, atque in optima ratione constantiores. Ut enim qui facile assentiuntur, facile quoque mutant sententiam, ac se pariter leves, & temerarios, & præcipites exhibent utrobique: ita qui re diutius considerata, lente & morose accedunt ad credendum, non fere divelli videas ab opinione semel arrepta; ne judicium ipsi suum damnare, neve deliberandi moram ac laborem frustra suscepisse videantur. Hoc deinde profecerunt discipuli cunctando. instructiores facti multipliei agitatione æstuque mentis, & percontatione varia, & auditionibus ac visis innumeris, multa plus crediderunt ad extremum, quam quod initio fecissent, aut poscerentur,

tur, aut res & ratio reviviſcendi exigeret. Qui quidem tunc agnoviſſent Chriſtum, ut admirabilem plane virum, cui vita reſtituta ſit poſt mortem; quod conceſſum paucis: cum eum nunc, tanquam Deum venerentur atque obſervent, qui vitam, ad tempus depoſitam, receperit in perpetuum vi ſua; quod nemini contigit.

Hæc ita cum ſeſe habeant, ſi debemus aliquid vel infidelitati, vel hæſitantiæ diſcipulorum, qui dederint occaſionem Chriſto declarandi ſui & ſæpius, & apertius: quid non tibi, Chriſte, debemus, qui nulla cujuſquam deterritus culpa, aut vitio ſis, quo minus tuos denuo inviſeres tam longo loci intervallo, tam brevi temporis; cum iis verſarere; iis te totum patefaceres: immo vero, qui quo minorem tibi fidem haberent, hoc te magis ipſorum oculis objeceris, ab eiſque non tantum aſſenſum, quod ad tuum illud redivivum corpus & humanitatem pertinet, verum etiam confeſſionem divinitatis tuæ expreſſeris? Ut jam ſummum ac præcipuum religionis noſtræ caput habeamus, tuorum partim dubitatione, partim fide firmiſſimum; multiplici ac diverſa exhibitione tuæ præſentiæ teſtatiſſimum. Hoc vero, Chriſte, nihil cunctantes, neque tergiverſantes, auctoritate ac nutu divino tuo freti, credimus, aperteque confitemur. Eo tibi nomine gratulamur, nobis gaudemus. Etenim ſi amicis recentem ex longinqua peregrinatione adventum gratulari ſolemus, aut eiſdem ex gravi & periculoſo morbo recreatis bonam valetudinem redditamque ſalutem: quanto magis par eſt tibi, non dicam amico, qui te fratrem noſtrum uſurpari velis, ſed maximo liberatori noſtro gratulari reditum tuum a mortuis ad nos, ſalutem & vitam non periculo mortis ereptam, ſed media ex morte receptam? Et, ſi amicorum, ſique noſtrum natalem diem agimus, quo die ad miſerias & omnia vitæ humanæ incommoda nati ſumus, etiam aliquando morituri: cur non ſumma jucunditate celebremus & lætitia diem, quo tu renatus es ad beatam ac ſempiternam vitam? cur non tuum gaudium hodie gaudeamus, quos mœror tuus, & dolor, & multiplex cruciatus heri aut nudiuſtertius incredibiliter, ut debuit, afflixit? Satis jam lacrymarum fudimus in funere pluſquam paterno atque domeſtico. Satis nos ipſi quadraginta dies inedia & maceratione, oris & veſtium ſqualore, miſeros atque exercitos habuerunt. Nunc tempus eſt, aut nunquam profecto erit, hac quidem in vita, fecundiſſimo prælio tuo adverſus omne genus criminum, tua glorioſiſſima de morte victoria & triumpho exultare atque efferri gaudio. Nondum dico quid ad nos homines pertineat tua iſta fauſta, felix fortunataque reditio ad vitam: quemadmodum ea, cum tu caput omnium noſtrum ſis, ſpem oſtendat certiſſimam fore, ut capiti membra reſpondeat, & communi colligata vinculo, unumque corpus efficientia, ſequantur. Reſervo in tempus aliud, aliumque ſermonem, quo pacto auctor nobis eſſe velis & cauſa reviviſcendi, non exempli duntaxat ſimilitudine, ſed efficiendi quoque vi & virtute. Ac differetur alias forſan a nobis, te juvante, ut noſtris corporibus tuum futurum ſit ſummæ felicitatis loco, in quod oculis aſſidue intueantur, & in cujus ore vultuque perpetuo defixi hæreant humani ſenſus, ac ſine laſſitudine, ſine ſatietate, ſine ulla moleſtia, acquieſcant. Tantum, quod proprium eſt ac tuum unius, & a rationibus noſtris quoquo modo ſejunctum, hic ſpectamus, & veneramur, & prædicamus: bene compenſatos labores tuos immortalitate non ſolum nominis, verum etiam corporis: tua ſanata prorſus & obducta vulnera, niſi quæ prudens ac volens, memoriæ cauſa, & ad inſigne laudis & gloriæ monumentum, retinuiſti: agilitatem corporis ea majorem, qua tu in vita uſus olim es, cum ſupra aquas iter faceres pedibus, nec mergerere: ſubtilitatem non minorem prodeuntis e ſepulcro obſignato & munito, aut occluſis foribus introeuntis domum, quam cum ex utero matris exiſti, ſalva atque integra nec ullo imminuta modo virginitate: claritatem vero etiam, quam nuper in transfiguratione, majorem: denique naturam tam parum deinceps patibilem, & obnoxiam cœli ac terræ hominumque injuriis, quam multum antea expertus es & ſubiſti laboris atque incommodorum. Hæc, domine Jeſu Chriſte, uberrima ſeges cum tibi gratulandi, tum gaudendi nobis. Hoc munus atque officium duplex, quod a cunctis mortalibus debetur, perſolvimus, ut & bonis tuis lætemur tanquam noſtris, & idipſum ſignificemus ac præ nobis feramus. Ita tuæ iſtius admirabilis vitæ ſimus tanto ante quodammodo participes. Ita nunc tua tota felicitate fruimur applaudendo. Ita res tuas facimus communes & noſtras, qui noſtras tuas feceris: cum propter nos, ut mortuus es acerbiſſima morte ſemel, ſic ſtatim, quemadmodum receperas, ad ſalutis humanæ dignitatiſque complementum & cumulum, revixiſti.

ORATIO QUINTA.

De aſcenſione Chriſti.

NON ſum equidem neſcius, auditores; neque vero diffiteor, in maximis celeberrimiſque triumphis regum, atque imperatorum, qui victoriam reportarint ex hoſtibus, nihil parvum & humile ac modicum ſpectari; omnia meditata diu, elaborata multum, perfecta expletaque omnibus ſuis numeris & partibus, afferri ſolere. Etenim, cum tota res ad ſplendorem atque pompam, & quaſi ad inſpiciendum, admirationis cauſa, comparata ſit: manifeſto cuivis apparet, neque ullum dari locum mediocritati, neque nimium quidquam cenſeri oportere, aut ſupervacaneum. Quod cum ita ſit, nihil obſtare tamen video, quo minus in ſummo genere apparatus & elegantiarum aliqua ſint non paria; diverſique gradus reperiantur magnificentiæ; & alia aliis quædam excellant, unde ſpectatorum quaſi pendeant oculi, ac de quibus narrare viciſſim & audire libenter, & jucunde, & ſæpius, velimus. Quæ ſunt autem ejuſmodi? Duo fere, quæ triumphi decus & ornamentum augent in primis, maximeque continent: quorum alterum, victoris fortitudinem; alterum, liberalitatem; utrumque,

victoriæ magnitudinem probat, atque oſtendit. Primum inſignis copia inſignium captivorum: deinde largitio, donaque ſingulis, & oniverſis data abunde. Vincti ante currum hoſtium duces ducebantur olim per triumphum, qui, quo majore numero fuiſſent, eo bellum formidoloſius, plenior victoria, triumphus ornatior. Donabantur milites armis, coronis, aliis muneribus. Tum in pompa magna vis auri argentique ferebatur. Exin aliquantum nummorum diviſum plebi viritim. Poſtremo redacta ex præda & manubiis pecunia, in commune urbis ærarium referebatur. Ita captivos ducendos in triumpho, largitionesque faciendas maximas, regius vates longe ante cecinit ac diſertis verbis expreſſit, quam hæc, quæ dixi, a pleriſque vel Græcis, vel Romanis uſurparentur ducibus: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* At quo de victore & triumphatore tale ac tantum divinus David oraculum fudit? De Chriſto certe, auditores; de Chriſto. quod ne dubitemus, noſter, qui in eam ſententiam vaticinationem Davidis interpretatus eſt, Paulus facit. Quanquam quid illius interpretatione egemus, cujus locupletius per ſe teſtimonium habemus, majoremque auctoritatem? Quod enim pulcherrimum ac nobiliſſimum futurum triumphum, & magis ac magis memorabilem, cum ducendis captivis, tum donis dandis David aliquo inſtinctu divino afflatuque prædixerit; non reſpuo. quod Paulus agnoverit prædictum, & in Chriſtum contulerit; probo. Quod factum & eventum ipſe idem fide ſua, non interpres alieni dicti, ſed auctor ſui, narrarit; amplector magis. Fuerit igitur Paulus Davidis: ego Pauli ad vos, auditores, interpres accedo.

Ac mihi videntur genera fuiſſe captivorum duo, ex quibus aſcendens in cœlum Chriſtus triumpharit: totidem donorum, quæ ſit largitus. Primum captivorum genus eſt eorum, qui poſt creatum hominum genus, in fide & amicitia Dei manſiſſent, itaque mortem obiiſſent ad id uſque tempus. Alterum eſt eorum, qui tum viverent, etiamque nunc vivunt: verumtamen mancipati cupiditatibus, obnoxii peccatis, ſervitute & jugo preſſi dæmonis, viverent ac vivunt. Pro munere autem primo cœlum eſt, quo ex terra Chriſtus aſcendit. Pro altero munere Spiritus Sanctus, quem e cœlo mittit idem Chriſtus in terram. Atque hoc hactenus totum triumphale eſt: & imitatur imperatorias lauros, & æquat. Illud vero omnem modum rationemque triumphi vincit, quod, cum ibi captivos poſt triumphum vel certa mors maneat, vel perpetua ſervitus: dona hic captivis dentur: primum captivis primis: alterum alteris. Nimirum cœlo donantur animæ piorum, quas ab inferis Chriſtus eduxit: Spiritus autem ſanctus impertitur mortalibus, quos ſui hoſtes vinctos & obſtrictos haberent; mala mens; mala diſciplina; mala conſuetudo; mala exempla. Sed quoniam preſſe hæc a me & anguſte, ob eamque rem obſcurius dicta videri poſſunt: evolvamus ſane involuta, & ſeparatim atque ordine diſſeramus de ſingulis.

Principio non eſt dubium, quin animæ ſanctorum ac juſtorum hominum, qui e vita, ante adventum Chriſti domini, diſceſſerant, tametſi ſolutæ vinculis corporis & liberiores viderentur: tamen, ſive ſupra terram ſedem ac domicilium haberent, ſive intra in abditis receptaculis; loco eſſent incommodo, neque naturali, neque ſuo, & quaſi cuſtodia tenerentur captivæ. Conditus ignis gremio & viſceribus terræ, aut clauſa in domo penitus, nulla rima, nullo exitu, nonne captivus? Extinguetur continuo, mihi credite: aut diſtringet clauſtra obſtantia, & erumpet foras. Item aër ſicubi ſtipatus & coarctatus ſit, flexuoſis atque anguſtis cavernis, unde fauces nullæ dentur ad expirationem, nulla fiat poteſtas dilatandi ſui; nonne fuerit velut in carcere & vinculis? Hinc nimirum terrarum motus: eluviones aquarum: oppidorum domorumque vitia, labes, ac ruinæ. Quid hæc autem ita, Quia ignis & aer ſponte ſua, & levitate quadam naturæ, ſupera petunt: neque eos quiſquam, niſi vis major ac prope infinita accedat, depreſſerit, aut locum tenere inferiorem diu coegerit. Contra vero an uſpiam legimus terram, a ſe avulſam atque abſtractam ex parte vel minima, in ſublime ſe tuliſſe, ſupraque nubes quieturam collocaſſe? aut quando audivimus fluviales aquas, non dico retro fluxiſſe in caput ſuum; hoc enim loquuntur vel hiſtoriæ vel fabulæ: ſed evolaſſe ſurſum, ac ſummo in aere conſtitiſſe ſuſpenſas? Ut igitur prima hæc initia & elementa rerum, ſecura naturam ducem, tendunt ad conſtitutum ſibique convenientem locum: ſimillime animus, poſteaquam his liber eſt & ſolutus compagibus corporis; ſi permittatur ipſe ſibi præterea, omninoque fiat ſuæ ſpontis ac juris; eo ſe confeſtim recipiet, ubi cœleſtes ac puræ, & vacuæ etiam corpore mentes habitant: cumque incorruptus & immortalis ſit, nunquam committet, ut infeſtas & minime ſalubres oras incolat mortalium.

Quam in ſententiam veteres apud Romanum oratorem philoſophos recordor cenſere, animum conflari ex aere tenuiſſimo, atque ex temperato igni: ſic ut nihil non modo ſupra, ſed ne par quidem ac ſimile toto in orbe reperiretur. Ex quo inferrent, cum is animus exceſſerit e corpore; illum, terra & mari relictis, perrumpere totum aerem, qua craſſus hic & concretus eſt; neque acquieſcere deinde, aut finem altius ſe efferendi facere, donec ad regionem ſimilem ſui levitate & calore pervenerit. Hæc fere e Stoicis nonnulli, falſo illi quidem, ſed conſtanter tamen. Nempe qui ſibi pro certo ſumerent falſiſſima duo, animum neque uniuſmodi eſſe, ac ſimplicem, atque individuum, & conſtare partim ex aere, partim ex igne; fuit iis conſentaneum dicere, eam demum animo ſedem eſſe naturalem, cum aliquid vel aeris vel ignis ſimile ſui ac velut cognatum attigit, & cognovit, cui inſiſtat, ſorte communi duorum elementorum, & altiſſimo infra lunam gradu contentus. Nos vero, quos exculta ratio & potior intelligentia admonet, quos ſacroſancta Eccleſiæ docet auctoritas, hoc a Deo animos habere præter cetera, ut nihil ſit eis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex; jure ac merito, omne hoc, quod eſt ejuſmodi, ipſis ſubſternimus, nec eos jam ſolis regionibus cohibemus, nec intra fines volumus conſiſtere corporearum & aſpectabilium rerum. qui ſi vi reti-

neantur

neantur nobiscum, procul a cœlesti patria; externo solo, aliena domo: non solum peregrinos & exules, sed neque dubitamus esse captivos. Quare, quod animæ sint a Christo eductæ ex inferis, nolite continuo existimare, auditores, redditas sibi totas, & restitutas in integrum, inque libertatem vindicatas prorsus: cum angusto & brevi hospitio ad migrandum; nondum certo ac stabili domicilio ad habitandum utantur. Tantum autem abest, ut hic eis locus conveniat in quo nunc sunt, cum Deum præsentem coram intuentur: ut deceat multo minus, quam prior deceret, in quo modo erant, cum divini numinis aspectu carerent.

Est hæc sancto Thomæ Aquinati, à quo tam multa disputata sunt, non omissa quæstio, quamobrem recepto corpore Christus, & aliquandiu consolatus discipulos aliosque sui studiosos, discedendum sibi in perpetuum ex orbe hoc terrarum putaverit: maxime cum nihil jam amplius ex iis locis, quæ nos incolimus, damni aut incommodi capere posset, suaque illum ubique circumster & comitetur felicitas. Causa affertur, quod, quamvis ei neque decedat quidquam, neque accedat mutatione loci, cumulata jam, & ad plenum perfecta, sine ullo decrescendi metu, beatitudini; decorum tamen, & convenientia rerum, & honos personæ postulet, ut digna sit domino domus, & ejus, quoad fieri potest, ordini conditionique respondeat: cuique is omni genere excellat amplitudinis & gloriæ; non anguste, ut prius, nec vage, aut in alieno & conducto, nulla sede certa ac propria, sed laxe, & magnifice, constanterque & apud se habitet. Hoc idem proportione pertinere quis non videt ad inclusas animas interiore cavo terræ, quæ vel noxas expiarent leviores, anteacta vita susceptas, vel in expectatione duntaxat status melioris & quasi fortunæ essent? Has cum Christus eripuerit ex illis inferioribus locis; cum ejus conspectu, colloquioque, & consuetudine fruantur; cum sensum habeant, & gustum rerum meliorum: sine dubio non potest eis non esse injucunda commoratio humi nobiscum: sordentque præ clarissimo & splendidissimo Dei domicilio mortalia & caduca omnia. Nec vero se satis prioris miseræ & incommodi, cum degerent subter terram, oblitas expertesque putant nec terrena & concreta labe, neque corporeis compedibus omnino levatas & expeditas, quandiu terram quoquo modo attingunt. Ergo illas ipsas vindex & assertor Christus secum in altum abducit ascendens: illæ ejus iter comitantur & cohonestant, latera tegunt ex utraque parte; unaque ad eundem locum, officii causa, tendunt. Ex vero prodeuntibus Angelis obviam Christo ex altissima cœlestis domicilii arce, tanto numero, tanta frequentia, agmine a cœlo ad terram usque fere perpetuo, qui convenit, tam parum comitatus exeat a nobis, ut hominum, propter quos in terram advenit, & propter quos e terra discedit, nemo euntem prosequatur, nemo affectetur? Jam animas easdem vi & manu afferas quis ignorat spolia esse & & exuvias inferorum, quas jure belli traducere triumphali pompa victor possit ac debeat? Porro ipsis quid futurum est, liberatis subterraneo specu, & in lucem protractis? Recedeant eodem, unde eductæ sunt? Frustra eductæ fuerint. Consistant, ibi, ubi sunt, in terra diutius? Locum mutaverint, non conditionem. Manca certe libertas, imperfectum beneficium & gratia liberatoris, si eas secum tollere cum possit, & omni contagione eripere terrena in posterum, luto adhuc terræ hærentes & impeditas, aut in vicinia locatas sub crasso aere, atque affixas relinquat. Ite igitur, ite bonis omnibus, sanctæ & felices animæ. Socias vos & comites adjungite Christo ascendenti: una eademque invectæ nube ceu curru communi, procedite gloriose & magnifice: pars etiam, quod licet, quodque oportet, antecedite. Vestra pulsatio est portarum cœli: vestra compellatio cœlitum: vestra significatio appropinquantis, jam jamque introituri Christi in cœlum: vestra denique ista vox potius, quam Davidis olim: *Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

HABEMUS primum genus captivorum, qui Christum ex inferis in terram, atque inde ad cœlum, sua celebritate, lætitiaque comitatum honestarint. Veniamus ad alterum Agite, cum obediunt homines cupiditatibus effrenatis suis; cum se flagitiis & sceleribus obstringunt; cum subjecti dæmonem ferunt ultro ac sustinent; cum dominis utuntur tam molestis; cum adversariis succumbunt tam crudelibus atque importunis: quid est esse non modo deditium, sed etiam captivum, si hoc non est? Sed videor nimium multa complexus nimium paucis. Dabitis veniam mihi, auditores, ut hanc partem orationis meæ, quæ cum in primis necessaria est, tum plus habet utilitatis ad mores, exequar pluribus. Antequam aditum sibi Christus aperuisset in cœlum, eoque se contulisset tanquam in regiam; persuasissimum habebant incolæ terrarum atque habitatores fere universi, quæ sedes clausa cunctis sine exceptione fuisset ad eam diem, nemini unquam mortali deinceps patefactum iri. Quare ita statuebant apud se, sibi semel cœlesti regno exclusis, subsistendum perpetuo intra fines orbis terræ, & commorandum, sive vivis, sive mortuis. sic namque partes a Deo factas fuisse, ut terram concederet hominibus, cœlum sibi reservaret. Hac imbutis opinione falsa & nefaria mentibus, quæ tum a quoquam susceptæ cogitationes, consilia inita, nisi de rebus terrenis? quæ studia apud quemquam flagrarunt, nisi terrenarum rerum? in quo defixæ curæ omnes, omnis industria, omnis labor, nisi in parandis divitiis, in adipiscendis honoribus, in voluptatibus perfruendis; quæ singula sunt terrestria? Hic enimvero absurda res, indignum spectaculum. Videres cunctos animorum motus & cupiditates regnare late ac dominari, obsistere rationi & consilio, certamen etiam habere inter se, utra utri præstaret acquirendis & cumulandis bonis tribus istis, mobilibus & caducis, quæ idcirco non tam sua, quam fortunæ appellarent. Ita constitutus animo & comparatus per se cum homo esset, dubitabimus adhuc, an hostis capitalissimus, nactus occasionem rei gerendæ tam præclaram, contra eum venerit dæmon magno agmine, atque ducem primarium suum, aut administrum & satellitem furoris sui, magni ipsum agmi-

agminis instar, peccatum intromiserit? Peccatum porro ubi semel voluntates occupavit humanas, velut arcem; humanos sensus invasit, sic tanquam aditus ad penetralia; munivitque locum præsidiis omnibus & copiis suis, sibique, ut redactam sub ditionem & imperium provinciam, operibus firmavit: frustra quæsieris, quisnam ibi dominus regie vel potius tyrannice statuat in servos ac mancipia, & sæviat arbitratu suo. A quo nimirum invecta servitus corporum est, cum initio omnes eadem conditione & fortuna, omnes liberi & ingenui nasceremur; idem peccatum animorum attulit servitutem, & meliori ex parte hominis imminuit libertatem atque infirmavit. Hoc vero nomine illud est, quod loquitur Christus apud Joannem planissime? *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Quasi velit, qui admittit peccatum, cum sponte ac lubens admittat, eum se abdicare jure & imperio, quod in res suas omnes, præsertim quæ sunt animi, tenet; dedere se totum & addicere peccato, atque in servitutem tradere, paratum ad omne ministerii obeundum genus, quo illum cunque duri & vehementis domini nutus impulerit. Cur istuc & quomodo? Primum quia qui peccat, ea re & illo ipso articulo punctoque temporis, voluntatem peccato suam mancipat. Deinde quia peccatum videas nunquam fere solum: sed aliud ex alio nectitur, & suum quemdam comitatum habet, ex quo gignitur & consuetudo, & proclivitas, & arctior vis quædam & tenacior, quæ sibi valido & multiplici nexu obstringit peccantem. Postremo maxime quia peccatum, si nescis, nondum animo susceptum, nondum contractum voluntate, nondum, ut ita dicam, natum; imperat tamen: ejusque ortus & origo est, servile, quod ei, antequam existat, præstatur, obsequium. Fac enim species & imago peccati vel sola improbo & nequam homini proponatur: is de adulterio, de homicidio, de sceleribus & flagitiis aliis cogitet solummodo. Hæc illi cogitatio vim blandam quidem, sed tamen vim infert; hoc simulacro capitur: huic falsæ & inani umbræ simulati boni cedit, ac se præbet obedientem? neque recusare videtur imperium posse cupiditatis, nec ullo modo audet. Sic imperante peccato quid imperiosius? tot modis autem capto homine facinoroso quid captivum magis? Atque hæc est superba, crudelis, flagitiosa dominatio libidinis in rationem: hæc mera servitus atque ignominiosa captivitas. Ex eo, Deus bone! quot in omni omnium sæculorum memoria captivi! quam frequentes ante Christi in cœlum ascensum! quam multi post, tametsi pauciores? quam ætate nostra non rari! Cum, nondum ingresso in cœlum Christo, nulli quoque homini pateret illuc aditus; cumque vix ulla regni cœlestis, exigua numinis divini, nec fere, nisi in uno aliquo totius terræ angulo, haberetur notitia; vigeret autem ubique omne nefas, & quamdam in hominum animos tyrannidem occupasset: refertus profecto universus orbis captivorum fuit: vel potius nihil aliud, nisi carcer fuit & ergastulum, in quo quantum esset hominum in terris, arctissimis & gravissimis vinculis teneretur. Ex illo quamvis, quæ Dei benignitas & misericordia est, cœptum sit servile jugum depelli ab hominum cervicibus; neque tam longe lateque fuerit dominata fœda vis peccati: inventi sunt nihilominus, qui ambitioni, avaritiæ, libidini, ceterisque furiosis dominis & regibus animorum, collum submitterent, oppido nimium multi. Quo loco commemorare possum in captivis insignibus & notis, non Augustinum modo, cujus, ut ipse confitetur de se, adolescentiæ ac pæne pueritiæ vitiis supra ætatem nobilitata sit servitus; sed etiam alios simillimos Augustini, qui singulis ætatibus prope innumerabiles extiterunt. Impegerant ponderosas eis & crassas compedes violenti ac furentes impetus cupiditatum. Quasdam quasi manicas æqualium exempla injecerant. Tenebantur vincti consuetudine, tanquam nervo. quodque indignissimum fuit, erant ipsi catenarum, quibus onusti gravesque incederent, fabri; ipsi sibi adstrinxerant vehementer: quod miserrimum, nec exolvi poterant, neque eximi vinculis, nisi magna ope, nisi alterius, nisi illius, quem malefactis suis violassent. Sed quid ego aliena, & antiqua, totque annorum servitia coner recensere? Heu me miserum! quam multi nunc ipsum, nostræ ætatis & memoriæ homines captivi, & amici forsan, & necessarii, & affines, quibuscum conjunctissime vivimus! quam multi, qui servitutem serviant, & quotidianum opus faciant ad arbitrium & libidinem impotentis heri, & consenescant in vinculis. Atque utinam istiusmodi vinctorum tam parvam copiam haberemus, ut difficilis esset inventio ad exemplum. Credo equidem non invitus, auditores, id quod mihi persuaderi ad veritatem plane velim, in hoc frequentissimo cœtu vestro, in hac celeberrima virorum doctorum corona, suæ quemque vestrum libertatis retinentissimum fuisse, neminem se voluntate sua dedisse præcipitem in compedes, captivum nobiscum inter subsellia nostra versari neminem. Verumtamen eo majus periculum, magisque verendum arbitror; ne quis forte sic arbitrio se spoliarit suo, & peccatis inservire voluerit, quo minus animorum vincula sentiuntur, quam corporum, minus tractantur manu, minus sub oculos aspectumque cadunt. Cernere licet interdum adolescentem hominem, sanum, vegetum, alacrem, prompto & erecto vultu & ore, gradientem huc atque illuc. Summa commoditas morum, summa affabilitas sermonis, summa etiam vitæ cultus omnis elegantia. Eo nihil in speciem expeditius ad rei vel familiaris vel publicæ negotium: nihil solutius ad otium, & ludos, animique remissionem: nihil liberius ad omnem licentiam vivendi ut velit. Scin hunc tamen nihilominus constrictum catenis, quas ipse fabricatus sit, & quas indiderit sibi? Scin hunc minus, quam traditos in carcerem & ligatos sontes, jus suum, & rerum suarum impunitam libertatem tenere? Urget eum cæcus & occultus animi, nec minus furiosus appetitus, in angustumque deducit. Consuetudo mala & vetus implicat atque irretit sic, ut citius naturæ sibique renunciet. Perditi, quos ut vitet, a se nunquam impetrat, trahunt una secum auctoritate & exemplo. Quidquid is liberi præ se ferat & soluti: mihi crede, captus est, & quam arctissimis vinculis alligatus. Quod ni ita sit, dic ei modo in aurem, tentandi causa aut admonendi, exuat pravos affectus,

segre-

ſegreget ſe a malis, ad officium revertatur, Chriſtianum ſe, non verbo, & ſimulatione, ſed revera atque ex animo, omnique ex parte gerat: aut nullum ab eo, aut hoc illius, qui in ſua poteſtate non ſit, reſponſum, Non queo, Fieri non poteſt, abſtuleris.

Perſpicitis, opinor, quam miſero & infelici loco res fuerint humanæ, cum cœlum omni ex aditu clauſum eſſet mortalibus: quem ſtatum, poſteaquam apertum eſt, tenuerint, teneantque etiamnunc, & quam male agatur nobiſcum, ſi quis, quod ſæpe ſit, vim & efficientiam divinam interpellet, nec ſatis monitus ſacros, mentemque injectam divinitus, & afflatum numinis audiat. Nulla fides alterius vitæ, nulla bonorum cœleſtium ſpes, nullus erga Deum amor, qui ſolus dignus ſit omnium amoribus. Tum vero efferatæ copiditates & averſæ a ratione prorſus. princeps orbis terræ dæmon jam plurimos annos. peccatum multitudine peccantium factum audacius, corroboratum impunitate. pauperculus homuncio, qui ternis hiſce hoſtibus utatur, quorum minimus vel patientiſſimos fatiget ac lentiſſimos, ſubigat & domet vel fortiſſimos. Hæccine non fœcunda ſeges ac materia juſtiſſimi triumphi? aut olla major opportunitas prædæ faciendæ, & multitudinis abducendæ captivorum? Arripuit Chriſtus occaſionem tam præclaram, eamque cum lucro appoſuit ſibi, tum in rem noſtram maxime convertit. Primum viſum eſt ei dedocere homines: & ſuum illis craſſiſſimum eripere errorem, qui putarent ſtulti, proprium ac perpetuum animis immortalibus domicilium terram eſſe, neque emergendum cuiquam ex infima fæce, & profundo luti, & immenſis voraginibus aliquando. Mox additi majores ſpiritus, cum ſpem maximam, &, quemadmodum par eſt credere, veriſſimam oſtenderet, infinitis partibus melius in poſterum fore, pollicereturque, ſe duce & capite ad portum appolſo, ſecuturos propediem, & certum una immobilemque ſtatum collocaturos. Tum vero ſummis beneficiis ſuis, ſumma charitate in homines, eorum ſibi conciliavit benevolentiam, ſtudia devinxit, & intimos ſenſus curaſque omnes, a rebus fluxis, caducis, fragilibus, ad ſupera & cœleſtia, quæ item ſempiterna ſunt, traduxit. Ac ne multa, principes hominum facultates duas ſubjecit imperio ac poteſtati ſuæ, intelligentiam & voluntatem, itaque prædam, quanta poteſt eſſe maxima, ex avariſſimis & rapaciſſimis hoſtibus retulit. Quanti enim, obſecro vos, aoditores, hoc prædæ putare debemus, quod glorioſum victori peræque, & ſalutare captis fuit? Redeuntem ex acie atque prælio, præclatum quiddam & laudabile duce una ſecum captivos: propterea quod idem ſit, atque victos ducere. quanto illud commemorandum magis, captivos recipere ex eorum manibus, qui jam cepiſſent: cum nihil ſit aliud, quam victores vincere, ac triumphum agere ex triumphantibus? Pertinet quoque ad decus & commendationem victoris, quod non ſemel, neque tum ſolum, ab iis captivos reduxit, in quorum poteſtatem perveniſſent, ſibique vendicarit. factum id deinceps ſæpiſſime, ſi verum attendimus, quotidieque ſit, & perennis quædam eſt perpetuaque captura animorum. Quoties, & quam multi, cum cogitarent ſibique perſuaderent penitus, & terram, & urbes, & civitates, & villas, & agros, diverſorii eſſe, non commorationis, nedum diutinæ habitationis; iſta contemplatione victi, aurum, argentum, pretioſam ſupellectilem, latifundia dimittere, ſibi nihil eſſe velle cum ampliſſimis honoribus, cum extraordinariis imperiis & poteſtatibus, animum induxerunt? Quam ſæpe nunc & quam crebri ſola mentione & uſurpatione regni cœleſtis capiuntur, dantque manus in vincula, ſeque duci patiuntur ſpe & promiſſis, quo lex eos divina jubet, quo diſciplina ſeverior, & graviores virtutes, & cœleſtia conſilia invitant? Quantum vero profuerit hiſce noſtris captivis capi, vel ex eo percipiamus licet, quod, ut ſervitio non exeant, formam ſaltem & rationem principatus mutent, proque heris ſævientibus ſupra modum, veniant in arbitrium ac poteſtatem domini, qui non minus clementer, quam juſte ac vere imperet. Quanquam, ut dicam quod res eſt, nulla eos amplius ſervitus premit: ſed in libertatem vindicantur, ac redeunt poſtliminio. neque ſolum in veterem reſtituuntur ſtatum, ſed multo meliore in cauſa & conditione, quam unquam fuerint, ponuntur. Itaque jure ac merito apud ſanctos & eruditos patres, Athanaſium, Epiphanium, Joannem cognomento Chryſoſtomum, cum homo exultat lætitia, Deoque gratias agit immortales, & dæmoni inſultat quodammodo, quod ei minime ſit obnoxius, nec ab ipſo leges & jura amplius accipiat jam inde a Chriſto in cœlum recepto: tum dæmon propter eundem Chriſtum amiſſam prædam, vires imminutas ac debilitatas, mulctatum ſe maxima parte imperii atque ditionis, conqueritur ac deplorat.

Est ille quidem clarus & illuſtris Chriſti triumphus multitudine captivorum, qui ejus e terra profectionem, & totum iter, ingreſſumque in cœlum, vel celebrent atque ornent, ſocii comiteſque, vel votis & bonis ominibus proſequantur. Verum huic tantæ ſpectaculi magnificentiæ nihil ſane concedit pulcritudo & opulentia donorum, quæ iiſdem captivis dantur a Chriſto. Neque vero ad ſpecimen liberalitatis ſatis habuit uſitata vi & potentia abuti: ſed prodiit, ut ita dicam, ſumptibus extra modum, & vires quaſdam ſolito majores exprompſit, ut munificum ſe & largum in dando probaret. Nonne & illud Euſebio Emiſſeno cauſæ fuit, quamobrem fuiſſe hodierno die non minora miracula, quam munera, veriſſime diceret? Equidem ipſa munera pro miraculis habenda, & eſſe revera & proprie miracula ſi dixerim, non erraro. Etenim cum cœlum donet hominibus, poſtquam e vita diſceſſerint; Spiritum autem ſanctum vivis adbuc & ſuperſtitibus: nonne utrumque prodigii inſtar putare debemus, & corpus, ex terra totum conflatum, evadere hinc, quaſi addita levitate, celſiſſimas ſuperare nubes, quantum poteſt, in ſublime ferri; & totum igneum, totum ardentem Spiritum ſanctum, ad nos uſque deorſum, ex ultimo tendere mundi faſtigio, intraque homines ſedem ſtabilem, & domicilium certum ſibi ponere? Sed eſt, opinor, convenientius, ut attingamus proxime dona hæc duo, & contemplemur ſeparatim; ac cœlum prius, quod cum materiatum ſit & corporeum, magis quoque aſpectabile debet exiſtimari; etſi

etsi propter loci distantiam a nobis humi positis non cernatur. Cœlum ergo quid est? quam illustre, quam magnificum, quam dignum non regio munere, sed divino donum? Et cœlum quidem cum dicimus, dicimus autem Christiani sæpissime, breviter ac facile dicimus: attamen huic verbo quæ notio subjecta sit & potestas, interpretari, spissum opus, lentum negotium. Cœlum, locus est tutus a frigore & a calore, a fame & a siti: ubi nulla naufragia, ruinæ nullæ, nulla incendia: imbrium, nimborum, procellarum, turbinum, ceterarum tempestatum expers: damnis, & ignominiis, laboribus, & doloribus vacuus. Est locus affluens deliciis, opibus locuples, fulgens gloria & honoribus, omnium copiarum tanta abundantia instructus, quantam desiderare animus potest, aut cogitatione depingere. Quis igitur miretur, Deum, qui ubique locorum pro divina immensitate sua versetur, cum sibi locum delegisse, quem incoleret potissimum, & præsentia sua redderet infinitis partibus ornatiorem? Tametsi quid delegisse dico, quem talem ac tantum fabricatus sit eo consilio, ut digna esset domino domus, & ipsa quoque hospites, quotquot reciperet, bearet? Hoc, divine David, volebas, cum beatos prædicares eos, qui domi apud Deum habitarent: *Beati, qui habitant in domo tua, domine.* In quo, auditores, conferte, amabo; domos duas, & videte quid differant: cum ambæ tamen sint, & dicantur Dei. Inter nos quidem hic domus Dei vulgo quæ appellatur, hospitalis sedes est & stabulum egentium, debilium, ægrorum, omnino miserorum: apud superos domus Dei, regia est & palatium beatorum, id est, eorum, quibus insit cumulata bonorum omnium complexio, secretis malis, nullo adjuncto metu. Ac ne ædes quidem nostræ, qui proceres & optimates sumus, qui magni reges, qui summi pontifices, quidquam habent simile, quamvis laxissimæ & instructissimæ sint, quod cum domo Dei contendatur. Audi in eam sententiam Augustinum. *Domum tuam si habueris, pauper es. domum Dei si habueris, dives es. In domo tua timebis latrones. domus Dei murus ipse Deus est. Beati ergo qui habitant in domo tua. possident Hierusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate & divisione limitum. Omnes habent eam, & singuli habent totam. magnæ illæ divitiæ. non angustat frater fratrem. nulla ibi indigentia est.* Quid aptius ad laudem præclaræ domus excogitari potuit, quam si quæ amplissima est, eadem refertissima sit; utrique autem securitas respondeat: ut neque domo per vim unquam privetur habitator, neque domus opibus atque ornamentis furto spolietur? Facessant itaque Cæsarum assentatores fœdissimi, qui imperatoriam olim sedem ac familiam, quasi proprio ac perpetuo vocabulo divinam domum nuncuparent. Etiamne divina domus, quæ ne hominum quidem receptrix fuit, sed pecudum, sed ferarum potius lustrum ac latibulum, unde ursus, leo, tigris, id est, tetri & immanes tyranni identidem, ad depopulationem generis vniversi hominum, & vastitatem, atque internecionem erumperent?

Cœlum ergo, tam nobile atque excellens, tantique pretii donum, quanti vos videtis, seipso Christus existimavit non indignum, sibi appetiit, sibi sumpsit: & quia sumpsit sibi; o rem prorsus admirabilem! eo ipso hominibus dedit universis, nec minus daturus est singulis aliquando, sic ut neque sese expoliet largiendo, neque nos iterum non accipiamus seorsim, cum semel una acceperimus. Hæc dicuntur sane obscurius. sunt enim plura in uno complexa & implicata mysteria, quorum quodque per se latet in tenebris, multoque magis, si brevitas orationis premat. Verumtamen omnia distinguendo clara erunt, tum etiam dilatando, quod utrumque, auditores, faciemus. Videtisne primum juxta Paulum ad Ephesios, quemadmodum Christus, ita ut erat inter nos, ex animo constans & corpore, densissimas penetrarit ac diviserit nubes omnes; nec in cœlum modo, sed supra cœli orbes cunctos & anhitus pervenerit, quo illum pervenire ex prædictis & responsis sanctissimorum vatum oportuit? *Ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* Advertitis, quod idem Paulus scripsit, ut, quamvis corpore minor atque inferior quodammodo, quam corporis expers cunctus ordo angelorum; locum tamen, quam illi ipsi, quocunque nomine sint, quacunque conditione aut dignitatis gradu, obtineat superiorem? *Constituens illum supra omnem principatum & potestatem, & supra omne nomen, quod nominatur sive in hoc sæculo sive in futuro.* Quidni autem obtineat, cum ad dextram Dei patris collocatus sit, & sedeat: idque non solum ut Dei filius, æqualis patri, sed etiam ut homo est, eodem cultu & honore dignandus, ob commune humanitatis & divinitatis vinculum, quo nihil fuit unquam; neque potest esse arctius, nec copulatius? En quo donatur munere, homo de numero nostro, & hominum princeps & caput, Christus. At quemadmodum communicat nobiscum munus idem, atque impertit hominibus, nec divisum, nec imminutum? Nonne, cum Deo homini cœlum datur, naturæ quoque humanæ, una eademque velut opera, datur? Nonne pro generis cognatione, quæ nobis cum Christo est, illius fimus non omnino expertes honoris? Homo tollitur in altum profecto: homo in cœlo est per personam Christi: & ea re, quia Christus, sanguis quodammodo noster, genus nostrum; sublatus in cœlum admittitur. Ita sanctum quoque Paulum sentire, atque ita locutum fuisse videmus, ea, quæ est ad Ephesios, epistola. *Convivificavit nos, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Etiam tum, cum revixit Christus, revocati sumus ad vitam: collocati sumus in cœlo, cum ascendit. Quomodo? Quia naturam humanam una secum Christus erexit, ad cœlique ingressum & possessionem excitavit: vere ut dici possit & proprie homo atque unus aliquis nostrum frui cœlo; quod boni nobis angeli gratulentur; invideant contra, & fremant, atque indignentur mali. Etsi autem in antecessum tributus sit hic nobis honos, ascenderimusque cum Christo in cœlum communione quadam naturæ: tamen non est dubitandum, auditores, fore, quin, cum sua cuique dies obvenerit, eundem in locum succedamus alii ex aliis, eoque dono rursum afficiamur singuli, quo jam affecti universi sumus. Ascendit nimirum, quo muniret viam mortalibus, & præiret iter, vestigiaque imprimeret, quibus insistendum, ipsum ut assequeremur. Ita futu-

tuni

rum prospexit unus ex sanctissimis vatibus, quos minores vocant, Michæas. *Ascendit*, inquit, *pandens iter ante eos*, hoc est, septum uodique, & obstructum multis difficultatibus vitiorum, aperuit iter, purgavitque & complanavit. Neque vero hoc satis. Antecessit, ut designaret nobis, & servaret locum, eumque instructum & ornatum iis præberet, qui se sequerentur. Ac ne forte hoc a me dictum arrogantius, quam verius, potetis; sic ipse amanter & officiose locutus est prior. *Vado*, inquit, *parare vobis locum.* Quasi illud admoneat discipulos suos, quod prodi posteris deinceps, omnesque semper meminisse Christianos velit. Est, discipuli, ita ut dico, quod vobis velim persuadeatis: consilium mihi & causam profectionis fuisse, ut locum a me haberetis quamparatissimum: mihi cordi esse, ut ubi ego sum, ibi sitis & vos, una vivamus semper, mutua inter nos consuetudine colloquioque fruamur. Ecquis ejus verbis tam perspicuis ac disertis fidem non habeat, tam plenis amoris & benevolentiæ? Magna certe me spes tenet tandem aliquando futurum, ut capiti membra jungantur, unumque corpus, partibus omnibus suis absolutissimum, coalescat. ita omnis e terra in cœlum ascensus initium duxerit a Christo: progressum, & finem habuerit in nobis. Atque in hanc sententiam accipi debet, quod magno omnium theologorum assensu dicitur, Christi in cœlum profectionem, & adventum, causam quoque & exemplum esse receptus in eundem locum nostri. idque ipsum quare ita sit, quæstione posita, doceri videmus a sancto & erudito Aquinate, multis & gravibus argumentis. Attolle igitur, o homo, sursum oculos, atque ex humili, in qua jaces, terra, contemplare, si potes, quem gradum nunc dignitatis obtineas in cœlo per Christum, quo in numero ibidem atque honore olim sis futurus. Proditum memoriæ legimus in sacris codicibus, Enochum subtractum orbi terrarum, quasi, qui talem ac tantum vitum sustineret, indignissimus esset: tum alio translatum procul ab oculis omnium mortalium fuisse; verumtamen incertum, quo. Raptum Eliam sacræ quoque literæ loquuntur, non in cœlum, sed quasi in cœlum. Singulari & eximio munere concessuque Dei pervenit Paulus in tertium aliquem orbem cœli: sed ad breve tempus, atque ita, ut nequaquam satis animum instituere potuerit ad judicandum, animone duntaxat, an corpore evectus, quæ mira ibi & inexplicabilia vidit, videret. Tibi vero quanto major lætitiæ materies, & quanto causa gloriandi justior, sive tempus præsens spectes sive futurum, qui mortalis natus, naturam tuam videas consecutam præmium, sedem, conditionem totam immortalium, immo etiam principatum quemdam inter immortales: qui pro certo habeas pari te felicitate, si vis modo, potiturum; eundem assignatum locum, eandem decretam lauream, eandem fortunam atque conditionem vitæ perennis ac beatæ oblatam? Tu mihi etiam, talis ac tantus, omnes tuas cogitationes ad vilissima & contemptissima quæque terrarum abjeceris? Tu, neglecta mente, corpori servieris, expleris sensus, cupiditatibus obtemperaris? Tu fluxas & caducas opes, tu honorum ac dignitatum apices levissimos, tu breves minimeque puras & liquidas voluptates, promissis divinis, bonisque summis ac sempiternis, toto denique cœlo, desponso jam tibi & destinato, mutaveris? Piget me profecto, pudetque tantæ rerum indignitatis, tantæ virorum amentiæ. nec recordari possum sine acerbissimo doloris sensu, quanta oblivione sui, & cæcitate mentis, & impotentia & furore abripiatur in præceps hominum cujusque generis maxima multitudo.

Veniamus ad alterum Christi in triumpho donum, consideremusque, quemadmodum non solum erga captivos, quos secum duxit in cœlum, sed etiam erga eos, quos humi tantisper reliquit, liberalem se præbuerit, & prolixum. His captivis terrestribus nihil minus, quam seipsum largitus est; nihil minus, quam Deum. Deum, inquam, auditores, Spiritum sanctum muneri misit ad egentes & miseros mortales, quos aspectu suo præsentiaque orbarat. Equidem haud satis scio, cur Christo necesse fuerit primo quoque tempore conferre se in cœlum, ut sanctum inde Spiritum sibi ad nos legaret quodammodo, & in locum suum substitueret: quidve tantum moræ & impedimenti præsentia in terris sua attulerit Christus venturo Spiritui, ut, nisi ille abesset non posset hic adesse. Nisi forte, quo minus Christo subsistendum nobiscum foret diutius, stetit per discipulos, quos absentia & desiderio quodam magis præparari oportuit ad veram perfectamque notitiam divini numinis: cum Christum Dei filium adbuc oculis, ut hominem spectassent; nondum satis agnovissent, ut Deum. Hæc quidem magni Augustini vox est & sententia: *Non potestis*, inquit, *capere Spiritum, quandiu secundum carnem persistitis nosse Christum.* Sed quæcunque demum rei causa sit, res ita se habet, ut ipse verbis declaravit Christus apud Joannem. Cum enim in discessu juberet valere suos, & celerem ad Deum patrem regressum probare illis, ac velut excusare more nostro vellet, hunc fere sermonem habuit. Vere, discipuli, hoc dicam. vestra interest, me a vobis digredi: vestrum tempus postulat. *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam.* Quandiu corpore adero inter vos, ne expectetis, dum Spiritus sanctus præsentem se vobis exhibeat. frustra, mihi credite, expectaveritis non venturum. Ut primum autem cœlum attigero: polliceor vobis, in meque recipio, accessurum missu meo. *Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. si autem abiero, mittam eum ad vos.* Liberavit vero fidem suam sine cunctatione, neque quidquam spatii amplius interposuit, quam quantum animis discipulorum satis esset præparandis ad memorem & gratam acceptionem doni, quod ipsum donari gestiat, & communicari cum multis. Etenim, si verum quærimus, ita ratio vitæ naturæque Spiritus sancti comparata est, atque is a Deo patre, Deique filio, tanquam inexhausto liberalitatis & beneficentiæ fonte processit, ut & proprie appelletur donum, & revera sit: quod quidem huic ex tribus personis soli a principio & origine ipsa competit. Hoc porro quodcunque mysterii, quod certe maximum est, habemus apud Thomam Aquinatem valde bene explicatum ista sententia. Donum quid est? Nihil aliud, si principem philosophorum audimus Aristotelem, nisi nude ac simpliciter, spe nulla remunerationis, nullo ac ne mini-

minimo quidem proposiro emolumento, datum. Sin autem quis munerum, aut officiorum, aut gratiatum vicissitudinem quamdam sequitur & expectat: non jam donum, sed vel mutuum, vel commodatum, vel conductum, vel merces, vel præmium, vel aliud alio nomine contractum, obligatumque, & debitum fuerit. Itaque ad veram legitimamque rationem doni, gratuitum sit oportet, & ex solo bene merendi consilio studioque profectum. Id autem isto pacto ut faciamus, hortatur amor, adducit, impellit. Ecquid enim causæ est, quamobrem gratis conferamus beneficium in quempiam, nisi quia hominem diligimus, hominis causa volumus: ut hoc ei tribuamus primum, hoc is a nobis primum accipiat, amorem erga se nostrum, quo excitati atque inducti sumus ad faciendum benigne ac liberaliter? Ex quo sequitur manifesto, amorem cum donum esse, tum primum in largiendo esse donum, unde reliqua, velut ex capite atque origine benignitatis ac munificentiæ, emanent. Cum igitur procedat Spiritus sanctus ab uno Deo patre & filio, ut par & mutuus amor est; idque fide & auctoritate divina certum esse constet: credere quoque & confiteri debemus, eundem procedere, ut primum donum est, quo pater filium, filius vicissim patrem donet. Dubitate nunc, rectene congruat suum hoc Spiritui sancto nomen doni, atque an bene meritus sit Christus de cunctis hominibus, qui statim atque in cœlum venit, tam magnum eis & amplum ac divinum prorsus munus dederit: siquidem gratius & acceptius, majorisque pretii nihil neque ipse, neque pater habet, quo alter donet alterum, & compleat, & ad extremum omni ex parte cumulet. Quod cum ita sit, quis ejusmodi donum solitarium esse putet & sterile, ut non aliis quoque donis, terrarum solum fœcundet, non opera atque labores irriget humanos, deductis a se & manantibus assidue rivis aquarum cœlestium? Numquid vero dona Spititus sancti quæ dicuntur, animadvertimus ad septem numero, tanquam totidem limpidissimos amnes, belle fluere, & delabi, & insinuare se penitus in mentes hominum, easque mollitas & subactas tepefacere quodammodo ad satus & culturam? Secundum ea, unde nobis tanta vis & copia gratiarum, tanta varietas, ut neque satis verbis exprimi possit, quales sint, neque certo quæque ad distinguendum vocabulo notari? Sunt, quæ tarditatem præveniant & excitent nostram. Sunt, quæ nobis comitentur euntibus, nec a nostris unquam lateribus discedant. Sunt item, quæ subsequantur propemodum æquis passibus, & recte factis singulis nostris, ut merces & præmium, respondeant. Aliæ quædam sufficere gratiæ dicuntur, si modo iis uti velimus; quod non facimus tamen: aliæ nunquam, quocunque se res vertat, effectu carere. Quid ego reliquas innumerabiles proferam, quarum nomina & naturam ignoramus; mirificam vim, & potestatem, efficientiamque sentimus? Certe nemini dubium esse debet, quin sanctus Spiritus, donum ipse cœleste ac divinum, ut ostendimus, omnia complectatur dona alia, ut pote summus istorum auctor ac parens & distributor: vereque mihi affirmare posse videor, filium Dei, cum Spiritum hunc suum sanctum daret, quæcunque largiri potuerit, fuisse largitum, neque sibi quidquam ad liberalitatis novæ munificentiam reliquum fecisse.

Hic ego vereor, auditores, ne si plura dixero in eam sententiam, consequentis temporis hodie argumentum occupem, duoque diversa confundam in unum, &, cum abhinc decem diebus delapsus sit ad nos Spiritus sanctus, antevertam. Quanquam sermo iste meus omnis ab instituto non abhorret: siquidem Christi ascensionis in cœlum maximus unus atque uberrimus fructus est, adventus Spiritus sancti in terras. Sed finis sit tamen: & sejuncta personis ac temporibus, licet non aliena omnino, ne conjungamus oratione. Expressus est a nobis, vel potius adumbratus, si modo hoc ipsum potuimus consequi, apparatissimus magnificentissimusque Christi triumphus, cum peteret cœlum magno hominum & angelorum comitatu, & inferorum ac terrestrium bellorum hostiumque victor incederet. genera duo captivorum, duo donorum. Quid relinquitur amplius, aut quid obstat denique, quo minus animis studiisque conscendamus una cœlum, & pro parte proque portione triumphemus ipsi; quando res quidem justissimi ttiumphi gessimus, quotidieque gerimus? Cum Christi fuerit largitas tanta & effusio maximorum donorum, nonne suppetit etiam nobis, unde aliquid largiamur? & cum ducti ab eodem captivi sint complures ac diversi, parumne habemus hostium, quibuscum pugnemus? parum animi, ut adoriamur? parum roboris ac virium, ut vincamus? Usqueadeone dissoluti, & negligentes veræ laudis solidæque gloriæ erimus, ut nobiscum vinctos ducere, qui testimonio pariter & ornamento sint victoriæ nostræ, cum possimus, valde recusemus? Ecquid autem fieri par est a nobis, vel Christo gratius ad imitationem, quam ut eum ascendentem sequamur: vel nobis aptius ad ascensum, quam, ut virtutes extruamus virtutibus, recteque facta augeamus & cumulemus recte factis? Hoc illud est, quod sanctissimus olim vates virum probum ac pium innuit fecisse, cum diceret: *Ascensiones disposuit in corde suo.* Scalas nimirum & gradus struxit intra se, quibus recta eatur in cœlum. Quas scalas, quos gradus, nisi excellentes & altas, & multitudine & quodam quasi acervo exaggeratas virtutes, sive quamplurima sancte, & religiose, & ex præscripto severioris disciplinæ morum acta? In quo theologorum consentientem auctoritatem habemus, qui doceant, quot quisque recta & honesta, quamvis minima & levissima esse videantur, facinora fecerit, tot illum passus procedere & progredi ad immortale cœli decus glotiamque sempiternam, tantum eniti sursum & in altum se tollere. Hoc vos vero agitis, auditores. huc toti incumbitis. huc cogitationes vestræ omnes, curæ, industria, labor, tendunt, Christum ut consequamini, eique vos adjungatis, pari felicitate futuri felices: hoc etiam, si fas est dictu, feliciores, quod neminem habeat, cujus aspectu corporis fiat beatior; ipsum habeatis, quem intueamini oculis corporis, unde idcirco magna ad magnam felicitatem vestram accessiu, magnus cumulus obtingat. Etenim obita sacramenta ecclesiæ Christiano ritu tam crebro, tamque constanter a vobis; evoluti libri assidue, qui bonos mores informent, & ratione ac via du-

cant

cant ad virtutis culmen; ſtatæ ſolemneſque precationes & privatæ & publicæ; traducti dies tum miſeris & egentibus ſublevandis, tum ſceleratis & flagitioſis, qui ſint ipſis miſeris miſeriores, revocandis ad officium bonamque frugem; cetera nihilo iſtis inferiora, quæ celatis ipſi per modeſtiam, quæque ſuppreſſa vultis a nobis; quid ſibi potiſſimum volunt, aut quid habent argumenti, niſi nullum vos intermittere tempus, quin iter & aditum muniatis in cœlum, alios atque alios excitetis gradus, multa veſtigia faciatis, multa ſpatia, multos progreſſus, denique quamproxime fieri hac in vita poteſt, accedatis? Nec ſola nos virtus evehit in altum, & promovet vi ſua. ipſi etiam perverſi motus animorum adjumento ſunt aſcendentibus: atque ex vitiis & peccatis proficimus aliquid: ſi modo monſtra hæc, illos perduelles, domemus ſubſternamuſque nobis. Subjiciatur pedibus libido: proteratur & conculcetur avaritia: omnis mactata cupiditas honorum ante genua cadat. Per tot quaſi ſtragis acervos, per tot cadavera vitiorum ibimus, aſcenſu quamvis difficili atque arduo, pervademus nubes, veniemus in conſtitutum locum. Et vitiis quidem & cupiditatibus in via, extra oſtium limenque cœli, relictis, poſteaquam his uſi adminiculis fuerimus ad odium & deteſtationem nunquam ſatis bene actæ ſuperioris vitæ; ſtipati choro virtutum, vallati operum & recte factorum præſidiis, ingrediemur in cœlum, jungemurque Chriſto.

Nam ullam rem habituram aditum præterea, aut Chriſto ibidem futuram comitem & ſociam, ſtultiſſimum eſt arbitrari. Neque enim ſacroſancto & auguſto Dei domicilio crimina ſolum graviſſima excluduntur: ſed ne minimis quidem noxis locus eſt, aut ulli labeculæ morum: ſi fidem ſancto, ut par eſt, Paulo habemus. *Nihil inquinatum intrabit in regnum cœlorum.* Quid cenſetis, auditores? num quid otioſe & inutiliter cogitatum, num quid inconſiderate dictum, num quid actum perperam jus in cœlum habet, aut introitum, aut omnino aditum? Minime vero. Quin arcet etiam a primo limine, & veſtibulo ipſo, hominem ingredi parantem, & quaſi injecta manu, moratur. Quare, tametſi cum moritur quis, eum jam pœnituerit admiſſorum in vita, ut decuit; aut is ſane vixerit pure ſemper atque integre; ſi tamen macula reſidet adhuc in eodem vel tenuiſſima, quam non juſto ac debito dolore, voluntariaque pœna deleverit; ſi Deo necdum pro ſua aliqua in eum injuria minima ſatisfecit: ſiſtetur reus in medio curſu, nec dimittetur abſolutus ac liber, donec expiarit ſe totum, & quodcunque hoc reliqui diſſolverit. Neque mirum nobis videri debet, ſi cœlo, quæ ſedes eſt ſanctitatis, non minus, quam deliciarum, nihil admittitur, niſi ſanctum. quemadmodum nihil apud inferos, præter ſcelera & ſcelerum pœnas, reperiri conſtat inter omnes. Miremur potius, quod, cum hæc ita ſint, atque ita nobis perſuadeamus; tantum negligentiæ afferatur exequendis Chriſtianarum virtutum officiis ac muneribus, tantum veterni; cautio adhibeatur tam parva declinandis peccandi multis variiſque periculis; tanta porro cum licentia rerum omnium vivatur, tanta cum indulgentia obſequioque corporis, ut pleriſque ſit religioni duntaxat maximum quodque ſcelus, & ſatis ſuperque habeant, ſi parricidia vitent, aut latrocinia, aut adulteria, aut quod aliud maleficium vindicatur legibus. Mendacium, nugæ, obtrectatio, pretioſiſſimi temporis jactura: res nihili, de quibus minime laborandum, & quarum a nobis exigere rationem accuratius, neque clementiæ ſit divinæ, neque divini amoris erga nos. Gravis error: turpis oratio. Atque ſic habeto, mi homo, quod parum commode cogitaris de uno aliquo, id moram tibi & tarditatem allaturum, properanti alioquin ad mercedem & præmia meritorum erga alios: quod verbum exciderit ex ore tuo, præceps nonnunquam & temerarium, te rejectum iri in menſes aliquot aut etiam annos, nec ſtatim, ut licuit, modo voluiſſes, cœlo, ſuperis, magni numinis aſpectu præſentiaque potiturum: quod minuta & levia quæ videbantur multa, vel feceris, vel omiſeris; te in expectatione & deſiderio ſummæ felicitatis, non ſine magno dolore tuo, futurum diutius. Prætereo, quemadmodum non ſat vitatis parvi momenti ac ponderis rebus, veneris in diſcrimen majorum, adeoque totius ſalutis. Relinquo, quantum de cumulo immortalis gloriæ & præmiorum detrueris, quotque tibi ad altiorem ſedem dignitatis præcideris gradus. Ne illud quidem commemoro, quid paſſurus ſis, & quam longo & quam gravi ſupplicio expiaturus reliquias & quædam quaſi veſtigia ante admiſſorum: quo munere defungi facile dum vita manebat, potuiſſes. Ipſa dilatio non omnino abſimilis repulſæ, ipſe pudor moræ & ſuſtentationis, tam parvi videtur, ut neſcio quid fluxæ voluptatis, aut inanis gloriolæ, aut commodi privati, probro huic & dedecori anteponendum putes? At ſanctiſſimis viris Deique amantiſſimis nihil longius, quam ut exeant e vita, quæ eos a fructu laborum ſuorum, & rerum poſſeſſione cariſſimarum remoretur. Hoc illos angit & cruciat: hoc, prope dicam, enecat & conficit, quod ſuperſint adhuc atque vivant. Quanto deterius & quanto magis dolori eiſdem futurum eſt, cum e vita egreſſi, juſta ac debita mercede fruſtrari ſe ad tempus intellexerint, quam ſe habere jam in manibus arbitrarentur?

Sentio, auditores, quo in loco verſer, & apud quos verba faciam, qui ſi cum minus bene inſtitutis moratiſque, ac veſtri diſſimillimis agerem, eorum cauſa ipſe metuerem magis: metum item illis injicere conarer potius, ne ſalute prorſus exciderent, quam ne differrentur in aliquod tempus. Nunc autem cum mihi res ſit vobiſcum, quos majorum ſtudio virtutum inflammari atque ardere, multoque plura, quam reliquum Chriſtianum vulgus, nec debita ſolum & imperata legibus divinis, ſed etiam ſupra omnem rationem officii præſtare certo ſciam: facile quoque intelligo, id agi a vobis efficique, ut ne ulla vos mora & procraſtinatio, a cœli ingreſſu, & cœlitum æternis deliciis, & beatiſſimo otio tetardet. Bono tantum eſtote animo, & pergite, ut facitis, nec ſinite ut progrediens ætas, quæ robur addere ſolet corpori, de firmitate mentis, de voluntatis inductione, de propoſito ſuſceptoque conſilio quidquam detrahat. Sic vobis perſuadete, pro cœlo neque nimium unquam laborem ſuſcipi, neque ſupervacaneum: vi cœ-

 lum

lum acquiri, & vira, & morte; prætereaque nihil hic aut lucri fieri, aut damni posse: quanti pecuniæ, quanti regna & imperia, quanti totus ipse terrarum orbis est, tanti cœlum esse, si cœlum istarum omnium rerum pretio & commutatione emitur: si non emitur, si tot ac tantæ res nihil conferunt ad emptionem; has a nobis pro nihilo merito putari. Simul illud cogitate, qui litteris operam datis, quam vobis turpe futurum sit, si cum plus ingenii, & industriæ, & disciplinæ, & eruditionis, afferatis in communem vitæ usum; minus habeatis hic virtutis atque innocentiæ, minus summæ illius & sempiternæ gloriæ consequamini. Nam, rudibus & imperitis cœlum obtinentibus, etsi non dubito fore, quio viri literati, & studiis doctrinisque dediti, complures excludantur: tamen omitto queri ac deplorare in præsenti: ne forte triumphalem ac lætum Christi diem, tristissimæ rei mentione, obturbem ac polluam. Detestor omen. eventum abominor. tantum mali avertat Deus a capitibus nostris, faxitque, ut quidvis potius, quam sic futuri, sempiternis seculorum ætatibus, propter literas, aut sane cum literis, in summa miseria simus.

ORATIO SEXTA.

De adventu Spiritus sancti.

SI forte, auditores optimi, ad repentinum illum & vehementem flatum cum sonitu, qui domum, in quam discipuli Christi convenerant, totam implevit, aures adverto; cum interim serena occurrant omnia, cœlum innube, sol nitidissimus, nullo signo futuri tanti fremitus evidenti, nulla certa causa: admiratione obstupefactus facere non possum, quin una cum iis, qui præsentes aderant, discipulis, exclamem, Quidnam hoc tibi vult? Rursum si oculos in linguas conjicio dispertitas instar ignis, qui cujusque capiti innoxius insederit: major etiam me admiratio rapit, & invitum cogit idem vociferari, Quidnam hoc sibi vult? Quod si contemplor deinde, angusti & pusilli animi, infimæque conditionis homines, prodire in publicum, & innumerabili diversarum gentium audiente multitudine, verba facere: si recolo, tardos, & rudes, atque impolitos, sine disciplina, sine literis, omni uti genere linguarum, eosdemque a natalibus egentes & infirmos, robur impertire debilibus, ægris sanitatem, vitam mortuis: equidem, quo me vertam, non habeo, neque verbis exprimere possum satis commode cogitata mentis, neque affoqui intelligentia tantam vim & præstantiam rerum. Contra autem cum animadverto effectorem hunc admirabilium operum & molitorem, ipsum illum esse, cujus unius ope ac beneficio, Deum patrem appellare integrum sit mortalibus; *Misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem Abba pater:* absque quo foret, Deum filium ne appellemus quidem, & ore proferamus; *Nemo potest dicere dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto:* illum eundem esse, qui prodigia se editurum, & cœlestia, & terrestria, denunciavit nobis ac pollicitus est; *Dabo prodigia in cœlo sursum, & in terra deorsum:* tum nihil suspicere, nec admirari libet amplius: mihique persuadeo, quidquid a divinitate profectum accipimus, id novum & insolens, atque inusitatum frustra immeritoque videri. Desino igitur, sancte Spiritus, tuis divinis operibus obstupescere, quæ tua profecto non sint, nisi eadem sint, & maxima & optima suapte sponte. Tantum oro, quando tu quidem spectandum te forma & figura linguæ dederis, quo tuum esse, regere & moderari linguam, doceres; quando item ignea specie videri volueris, facile ut appareret te nihil igni, qui maxime luminosus & actuosus est, claritate & viribus, efficientiaque concedere; nostras illustres atque incendas mentes ad memorem & gratam contemplationem beneficiorum tuorum: expedias linguam, vocemque gubernes, quæ, neglecta omni commendatione & præconio hominum rerumque humanarum, tuis laudibus solummodo inserviat.

DIGNA observatione, meo quidem judicio, ratio viaque, quam dominus Deusque noster inivit, tum ut deduceret nos io novam institutionem disciplinamque suam, tum ut a vanis superstitionibus veterum, & ab execranda & detestabili impietate abduceret. Non ille se præcipitem ac temerarium legislatorem gessit, qui nulla ratione reddita, nulla proposita utilitate, nulla insinuatione aut invitatione prœmii, statim prosiliat ad ferendas leges, quarum observantiam sola auctoritate sua & gravissimarum pœnarum metu sanciat. Non superbum & impotentem tyrannum gessit, qui nihil persuadere curet oratione, quæstionibus & tormentis cogat omnia, & ab invitis, sine exceptione, sine mora, extorqueat obsequium. Nam cum gentes falsam opinionem & cultum deorum vellet abjicere, Judæos renunciare antiquis ritibus & ceremoniis majorum: initio quidem utrisque partem prioris disciplinæ præcidit, partem, ne cuncta sibi semel erepta molestius graviusque ferrent, ad aliquod tempus reliquit. Itaque cum prorsus vetuisset, ne quis vel hominum adoraret opera vel naturæ; propterea quod is cultus divino numini adversaretur quammaxime: nihil attigit tamen de victimis & hostiis, permisitque tacite, ut sacrificia, quasi quædam spolia & monumenta domitæ impietatis, retinerentur. Post autem, justis & gravibus de causis antiquato omni immolandi usu, circumcisionis relicta integra ac libera potestas. Quæ circumcisio postea quam demum visa est non satis convenire simplicitati & clementiæ libertatique novæ legis; atque adimi potuit libentissimis omnibus: adempta est non desuetudine solum, sed interdictione & mandato. Quare, quemadmodum ex gentibus facile ad Judæorum se rationes formamque aliquam & similitudinem melioris vitæ accommodabant: ita ex Judæis faciebant non inviti, ut sese ad Christum applicarent, ab eo leges acciperent paulatim & disciplinam, formarenturque præceptis. Atque hic ordo & progressus tradendæ pedetentim perque partes disciplinæ de moribus: hæc lenta festinatio cœlestis magistri, qui maturitatem ætatis expectaret in discipulis, & primum quodque tempus ari-

ciperet idoneum ad docendum. Nec vero dissimilis ratio explicandæ divinitatis fuit: eadem allata tarditas & cunctatio, hoc est, quemadmodum interpretari debemus, eadem circumspectio, & prudentia, in declarandis personis tribus, quarum non sunt semel, nec uno eodemque tempore, enunciata mysteria. ne forte, quo augustiora & sacratiora essent, eo minus prima fronte credibilia viderentur. In quo non solum consultum hebetudini, & infantiæ hominum, qui perdiscere cœlestia statim non possent, quæ docerentur, nec angustiis pectoris sui tot res capere tamque diversas: sed habita quoque ratio dignitatis atque excellentiæ longe omnium principis argumenti; ut ne facile pervulgatum vilesceret; aut ut ex occulto, quod fere fit in humanis, divinitati justa & debita reverentia accederet. Ac primum, quoniam vel asserendum numen divinum fuit, quod a nonnullis per summam impietatem tolleretur funditus, vel tollenda multitudo confusa deorum, quæ a gentibus induceretur quamplurimis: lex naturalis, & consensus proborum omnium, & docta ratio, adjutaque mens divinitus, admonuit quidem identidem & Deum esse, & plus uno esse non posse: de Trinitate autem multis seculis nihil auditum. Legem naturalem scripta lex secuta est, in qua agi cœptum de filio Dei; sed, ut de absente ac tantum olim venturo, obscurius: quem oracula sanctissimorum vatum præsignificarint, Deus pater promiserit, imagines atque simulacra tum rerum tum personarum adumbrarint. Quare, quamvis longo intervallo, venit ipse, indicandi sui caussa, factusque homo est, ut se Deum esse hominibus comprobaret. Jam de Spiritu sancto ante Christi adventum num qua mentio? Nulla certe expressa. Num quod signum ejus aut vestigium? nullum evidens. Ut plerique omnes dicere tot interim annorum spatio potuerint id, quod, interrogati a Paulo Ephesii quidam, an accepissent Spiritum sanctum, responderunt: *Ne si quidem Spiritus sanctus sit, scimus.* Quando igitur primum, Spiritum esse sanctum, clare auditum est? Cum affirmavit Christus venturum: cum se & patrem missuros eum promisit. Quando probe intellectum, quæ natura sit illius, quota is persona sit? Cum seipse delapsus e cœlo in terras, præsentem exhibuit mortalibus, aptissima ad declarationem sui forma & columbæ, & ignis, & linguarum, perque innumeros effectus, non utiles solum & jucundos, sed admirabiles etiam, manifestissimum fecit. Quemadmodum enim abdita & occulta quædam mysteria, quæ Christus disseruisset tamen, non ante discipuli perceperunt, quam Christus ipse obiisset mortem, & illius dictorum recordarentur, eaque cum re & effectu & veritate conjungerent: ita quæ plurima sacri vates fuderunt de Spiritu sancto, ignorasse videntur antiquissimi quique; consequens ætas tum demum animadvertit, cum prædicta exitus longo intervallo comprobaret. Possum proferre Esaiam, Ezechielem, Joelem, alios, quos aliquid de sancto Spiritu præmonstrasse divinitus, & præcinuisse videmus. Sed unus erit nobis instar omnium David regius vates, qui tribus versiculis dimidiatis complexus est apertius, quæ in tertiam hanc personam maxime caderent. Principio Spiritum appellat rectum, qui nihil obliqui habeat, nihil circuitionis & anfractus: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Tum sanctum quoque, quo proprie nomine signatur: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Postremo principem vocat, seu primarium ac præpotentem: *Et spiritu principali confirma me.* Hoc triplex elogium, hanc multam laudem singularibus verbis tribuit Spiritui sancto rex sapientissimus. Qua laude quid firmius ad fidem divinitatis? quid ornatius ad specimen tertiæ personæ? quid commodius ad acta exprimenda illius certa & peculiaria? Spiritus est rectus, auditores, id est, verax & sincerus, quod ad intelligentiam doctrinamque attinet. Spiritus est sanctus, quod voluntatem & mores attingit. Spiritus est strenuus, fortis, potens ad agendum. Veritas, sanctitas, efficientia, seu vis ac potestas, hæc unum eundemque Spiritum tria in primis commendant.

ET Spiritum quidem sanctum, auctorem esse & patrem veri quodammodo, multiplici quadam experientia didicimus. Quam is infensus sit mendacio, perjurio, infidelitati, adversarius, testatum reliquit sanctus Petrus subito & gravi, quod statuit in fraudatorem, exemplo. Ipse Dei filius firmum & illustre testimonium dedit ei omnis veritatis. Quis vatibus sanctissimis lucem prætulit, ut aciem mentis in omne futurum tempus intenderent? quis eorum vocem corroboravit, ut undique, ex ultimis etiam terrarum angulis & recessibus exaudirentur? quis, quod caput est, effecit, ut quo res modo ab istis prædictæ essent ante immensum prope tempus, eo prorsus modo tandem aliquando evenirent? Spiritus sanctus profecto, Spiritus sanctus, veritatis doctor & magister, erroris inimicus, qui sic intravit sensus hominum divinorum, sic mentes penetravit, sic occupavit & possedit totos, ut omnis ab iis habitus sermo de consecutis temporibus, historia & narratio præteritorum potius, quam futurorum prædictio, esse videatur: iis ita interpretibus usus est, ita illorum locutus ore, quasi quæ facere decrevisset, per universum orbem sparsa vellet, ad refricandam identidem posteritatis memoriam, recognitione superiorum temporum. Quare, si quando rerum eventa conferre voluerimus cum prædictis, sic reperiemus, Spiritum verissimum locutum, qui neque fallere propter bonitatem velit, neque falli possit propter providentiam. Atque hoc illud caussæ est, cur Spiritus sanctus jure quodam suo exigat, ut intra certos fines terminosque, quos simplex ratio veritatis præscripserit, quisque consistat. quod si quis deflectat tantulum, aut aberret a veri linea, fingatque aliquid, & comminiscatur dolo malo: ille mendacium injuriam interpretetur suam, se petitum, oppugnatum, violatum existimet. Quæso, redite, auditores, in memoriam, quam severe olim vehementerque cum Anania, & uxore Saphira actum sit. Ipso ecclesiæ nascentis exordio, Christiani cum nihil haberent proprium ac suum, promiscue & communiter possiderent omnia arbitrio & potestati discipulorum permissa administratione tota & dispensatione; forte evenit, ut hi duo venderent prædium, redactæque pecuniæ partem afferrent ad discipulos, partem averterent clanculum, ac penes se retinerent, imprudentibus istis. Sen-

fit illico fraudem Petrus non sine cœlesti aliquo mentis instinctu. Tum vero incensus justissima iracundia & stomacho, fraudatorem, omissa conjuge tantisper, quamvis conscia criminis, appellat asperis verbis: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Valde erras, Anania, si mihi te dedisse verba, si homini putas. Tu sancto Spiritui veritatis amantissimo, qui idem Deus est, imponere voluisti. Nihil ego hic moror exitum vitæ, quem uterque habuit, sane miserum & horribilem. cum maritus statim ab his Petri verbis mortuus concidit: tribus post horis uxorem eadem objurgatio, & par pœna sceleris consecuta est. Tantum colligo, dicere mendacium, fucum facere, mala fide versari quoquo modo inter homines, vere ac proprie esse, contra Spiritum sanctum venire, ejus adversari veritati, cum ejus aperto ac simplici candore pugnare. Quamobrem, Christiane, quisquis es, qui surripis, qui negas depositum, qui judicio circumvenis; falleris ipse, si alium a te falli duntaxat, hominem similem tui, existimas. Non es mentitus hominibus, sed Deo. decipere Deum, in fraudem Spiritum sanctum inducere cogitasti, cujus clarissimum est insigne, singulare ornamentum, expressa & solida effigies, veritas. Hanc tu imaginem dolis, captionibus, præstigiis dedecorasti. hanc tu, quantum in te fuit, dissimilitudine morum tuorum obscurasti: cui convenire Christiani tam debemus, quam facta verbis, verba cogitatis exæquare oportet, nihil mentientem. Tam multa igitur prisci apud Hebræos vates, nec unquam non vere locuti, idque Spiritus sancti numine & afflatu, satis admonent, hunc in se possidere, tanquam peculiare & proprium quiddam, veritatem. Cui sententiæ subscripsit Petrus, ut ostensum est, cum eum asseruit facere contra Spiritum sanctum, qui falsum dicat, aut quempiam in re aliqua fraudet.

Sed illo nihil valentius ad persuadendum, quod Christus, paucis ante ascensum in cœlum diebus, hoc ipsum maxime, summa discipulorum frequentia, testificatus est. *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Tum aliquanto post. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* id est, Præter ea, quæ sunt a me, discipuli, communicata vobiscum per triennium, supersunt etiamnunc, quæ vos doceam, non pauca: verum necdum tempus est ad disciplinam, nec estis, qui erudiamini, idonei. Erit aliquando, cum sanctus ad vos Spiritus veniat: cum vos, quid in quaque re verum sincerumque sit, quod ad hanc diem latuerit in occulto, edoceat. Quid enim aliud, si Christum fingamus loqui, loquatur, quam istud? Nihil est quidquam tam, quam, errare, labi, non putare, in vita vulgare: cum unumquemque multiplex quædam teneat & miserabilis ignoratio veri. Ast aderit, mihi credite, propediem dux & magister, qui in tantis erroris & inscitiæ tenebris, clarissimum vobis lumen præpandat, quique manu vos prehensos in viam recta, qua itur ad cœlum, deducat. Vos, o mortales, bonum, quod quidem prosit, ponitis in pecuniis cogendis & coacervandis. vos metimini omne bonum quod juvat, voluptatibus corporis duntaxat. vos, nisi magistratus, dignitates, amplissima pacis ac belli munera, nihil putatis honestum. Est inter vos quoque obtusus adeo, & a recta ratione aversus, ut animum extingui una cum corpore censeat. eam ob rem, absque ulla futuri expectatione, fruendum præsentibus: neque committendum, ut incerti & vagi, in res dissitas ac tam procul a nobis remotas, animo & cogitatione ne feramur. Hæc vestra cæcitas, hic stupor mentis, impius hic & consceleratus error: quo errore impulsi quotidie in immensam voraginem ruitis & gurgitem vitiorum turpitudinumque omnium. Verumtamen his tot tantisque malis, primo quoque tempore, mederi certum est, opinionesque evellere tam insitas, tam animis hominum perniciosas. A falso deducet vos spiritus veritatis: commonefaciet erratorum & criminum: præceptis imbuet salutaribus: docebit vos omnem veritatem. Enimvero, auditores, ex illo tempore, omnibus doctrinæ præsidiis, quæ quidem ad salutem & res animorum pertineant, nonne instructi abunde paratique sumus? An ignoramus alteram nos & diversam ab hac manere vitam, in qua & præmia constituta sint æterna virtutibus, & supplicia peccatis? Ecquis nunc nostrum dubitat, quæ habentur vulgo appellanturque bona, ea proprie vereque bona non esse, sed bonis ac malis interjecta & media, quæ perinde futura sunt, ut iis usi fuerimus: si directo & apte ad salutem sempiternam, bona; si secus, mala? Ut valetudo, robur corporis, pulcritudo; item divitiæ, opes, honores, facultates rerum atque copiæ; omnis ars etiam & doctrina liberalis; nobis instar sint ferri & armorum, quibus furiosi induant se & jugulent, sapientes utantur ad propugnationem & defensionem sui. Postremo quem fugit hominem Christianum, non modo summum bonum virtutem esse, quamdiu hic vivitur, sed nihil bonum etiam, nisi virtutem, numerari oportere: cujus tuta & facilis sit custodia, cum non adimatur, nisi volentibus; magnus & præclarus usus atque patens in omnem partem, cum ea nemo abuti possit? Te, Joannes Antiochene, appello: os tuum aureum testor. De homine Christiano, qui acceperit a Spiritu sancto disciplinam, quid censes? aut quomodo ab eo differt, qui nullis Christi sacris initiatus sit, adeoque sanctum Spiritum, a quo ipsi erudimur, non habuerit doctorem & magistrum? Nulla te, inquit, magis, quam opinione & judicio, quod uterque de rebus habeat: cum aliter hic, ille aliter existimet. Alienus a Christo aliquis, & expers sacrorum nostrorum, extollat in cœlum oculos: cœlum venerabitur, & colet ut Deum. oculos in terram dejiciat: terram amore & studio quodam singulari, sic tanquam summam felicitatem suam, amplectetur. At omnino contra fit a nobis, qui si contemplamur cœlum, admiramur fabricatorem tanti operis: si terram, dominum laudamus, qui eam nobis incolendam dedit. Est, qui bona, & fortunas omnes supra se positas ducat, ideoque ardenter concupiscat. ego infra me aspicio, & sub pedibus, perque contemptum: si tamen aspicio.

Est,

Est, qui, de paupertate si cogitet, ingemiscat, nec teneat lacrymas. ego specto vultu læto & hilari, nec patienter solum excipio venientem, sed etiam libenter. Est denique, nec unus de populo, sed populus omnis, qui occasum & dissipationem corporis in cineres, putet esse mortem: orbum vita & lumine, mortuum. ego mortem, somnum esse censeo, & quasi quietem vitæ: mortuum, dormientem ad tempus, experrecturum aliquando. Sed quid hic autem proferre coner in medium omnia, quæ sapientissimus magister nos Spiritus sanctus docuerit, quot & quantos errores sustulerit ex hominum vita, quos esse sensus nostros voluerit de rebus divinis: cum quidem satis sit dici, quæ mysteria nobis sancta parens ecclesia tradidit ad credendum, eadem monumenta esse doctrinæ & quasi dictata Spiritus sancti. ex ipso didicisse nos, sacramenta, ut dicitur, instituta & perfecta numero septem, per quæ, tanquam per ductus aquarum, cœlestis in mentes hominum derivetur ac manet humor. accepisse nos ab eodem, quemadmodum allaborandum nobis sit pro virili parte, navandaque opera: cœlum ut paretur & lucrifiat. per hunc ipsum nos certiores factos, extitisse quondam in omni memoria, hodieque extare statas solemnesque cerimonias, quibus numinis divini metus & cura contineatur. Nec deesse quosdam quasi thesauros recte factorum, & veniæ, & pacis, & indulgentiæ: quos quidem thesauros summus pontifex habeat in manu sua; dispenset arbitratu suo, numeret ac dividat universis Christianis, ad reliquias persolvendas justæ ac debitæ sceleribus pœnæ. Atque hæc vel particula quædam est, vel specimen universum sanæ integræque doctrinæ, quam traditurus Spiritus sanctus fuit, maximus omnium, & locupletissimus, & religiosissimus disceptator, atque arbiter veri.

Sed ut hunc habemus, auditores, spiritum rectum & veracem, quemadmodum ante a nobis ostensum est: ita non debemus diffiteri, quin, quod in primis est dolendum, spiritus obliquus & mendax emergat aliquis alicunde, demisso capite gradiens, interdumque serpens humi, qui quo irrepit occultius in mentes nostras, eo facilius veneno fallat. Præclare sanctus Hieronymus, *Falsitas*, inquit, *ficut anguis, volutatur.* quippe quæ non ausa prodire in publicum celso & erecto statu, serpat, anguis instar, multiplici flexu & tortuoso. Et vero inter homines mendacium quod primum fuit? quis dixit primus? Anguis utique, primos humani generis parentes aggressus dolo, & ludificatus promissis inanibus. Quamobrem quid agatis, videte: quomodo, & cui credatis. Nolite cito & facile credere. *nolite*, quod sanctus monet Joannes, *omni spiritui credere.* Est spiritus verus quidem: sed falsos quoque & mendaces nonnullos reperias licet. Quid enim? errones & sectarii ad unum omnes, afflari se a Spiritu sancto regique, nonne pertendunt? Novatorem unum aliquem percunctare, quid sit, cur Deum hic, sacris in altaribus, animo & corpore adesse præsentem neget. se facere dicet auctore Spiritu sancto. Quære de altero, unde habeat, recte facta ad parandam salutem videri non necessaria. subjiciet habere se a sancto Spiritu. Ego autem moneo, denuncio, hortor: nolite credere cuivis spiritui: nolite fidem cuivis & auctoritatem adjungere: *sed probate si ex Deo sit*, tentate ac periclitamini, utrum sit eis Spiritus divinus suasor, atque impulsor. Placet, auditores, scire, qua nota certo Spiritus is internoscatur? Hac demum, opinor, si uniusmodi & simplex sit, constet ipse sibi, nunquam secum pugnet. Ut enim verum natura hoc habet, ut plus uno in re quaque esse non possit: ita mendacium, quod vero opponitur, non tantum duplex sæpe est, & quasi multiforme, sed repugnat nonnunquam sibi, & se suo, ut dicitur, gladio jugulat. Hæc agendi ratio, hic mos est hujus, & superioris memoriæ errantium, qui nulla re magis, quam ductu & gubernatione Spiritus sancti, glorientur; iidem inter se dissentiant de multis, nec fere conveniant, nisi in uno, quod bellum habent quasi naturale cum veritate susceptum. Quos fugite, oro, fugite: nec assensum eis, nec aures præbete: quibus errare, falli, deficere a communi cum veterum patrum tum recentium doctorum sensu, parum est, nisi fallant ipsi, & socios sibi adjungant erroris & perfidiæ. Sanctam ecclesiam audiamus, sanctum audiamus Spiritum, cujus illa fidelissimis, & firmissimis, & nunquam patientibus errare consiliis regitur. Hanc amplexi veritatis quasi columnam teneamus. hac salutis anchora nixi, portum ab omni ventorum accessu & procellarum & tempestatum immunem, habitemus. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Hoc est, si recte interpretor, ne puerorum velimus similes esse nos levitate & inconstantia, qui nequitia hominum atque astu circumveniri se facile patiantur, & in errorem induci: ut uno eodemque tempore aliquid velint, nolint; omnia, nihil credant; sententiamque, tanquam vestem mutent, in qua nihil eos magis, quam ipsa novitas delectet.

Exposui, ut mihi visus sum, satis copiose, & abundanter, quam proprie verus esset Spiritus sanctus, quam multa, & quam vere omnia loqueretur ac doceret. Nunc nomine ipso admonemur, nec dubitare possumus, quin sanctus sit, resque cum verbo & appellatione congruat. Primum ergo, ne abeam longius a principio unde processit, Spiritus, qui ipse sanctus est & dicitur, sanctitas est patris, sanctitas est filii, duarum augustissimæ Trinitatis personarum sanctitas est. Qua ratione quove argumento dicimus? Quia sanctitas proprium quiddam est voluntatis, junctum cum ea nexumque, aptum & pendens ex ea. Non, si quis de vero ac summo bono acute cogitet; quale id & quantum sit, facile percipiat; de eo disserat prudenter; continuo bonus & sanctus evaserit: sed, si illud amet, in illud tota voluntate & studio feratur; bonitatem & sanctitatem assecutus fuerit. Virtutem sectari, virtutis cedere illecebris, diligere virtutis splendorem, virtutem velle denique, habere est, possidere ex toto, sine ulla controversia frui. similiter ut qui prædium proprium, ac suum, minimeque litigiosum, optimo jure, optima conditione possidet. Atqui sic profecto res se habet. A patre filioque, tanquam ex uno, & simplici principio, Spiritus sanctus

ctus procedit, & quidem voluntate, quasi via quadam. Quo fit, ut, quemadmodum quæ sunt mentis atque intelligentiæ, filio adscribuntur merito; ita quæ voluntatem attingunt, ea sibi jure Spiritus sanctus vindicet: utque ob eam causam amor est patris, amor filii; ita patris sanctitas habeatur. Nec leve telum ad fidem obtinendam existimare oportet rationem, quam Nazianzenus Gregorius affert, cur tertia quædam necessario persona divinitatis adstruatur. Quæ divinitas, inquit, si imperfecta? quomodo perfecta, si quid in ea requiratur ad perfectionem? requiritur autem, si absit sanctitas. Hanc porro quomodo habeat, nisi Spiritum habeat? Nam si qua præter illum sanctitas, cedo quæ sit, & quam tandem intelligi par sit? Quid si hoc illud est, quo Paulus impulsus mentionem fecit de Spiritu sancto inter virtutes, earumque in numero hunc, vel ut virtutem peculiarem quamdam, vel ut virtutum cumulum & fastigium, reposuit? In epistola enim, quæ est ad Corinthios secunda, *In omnibus*, inquit, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in omni patientia, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta.* Est igitur sanctitas, natura quædam, & vis, atque virtus admirabilis, propria Spiritus sancti, quæ non intra patrem & filium stet duntaxat, & velut inclusa teneatur, sed beneficii gratiæque loco prodeat foras, seque impertiat primo angelis, deinde hominibus; idque ita large ac liberaliter, ut, nisi major quædam improbitas nostra obsistat, vere liceat exclamare: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Pleni immortales Spiritu sancto, pleni mortales. Angelis quidem auctor est idem, de quo supra, Gregorius, Spiritum sanctum beneficia dedisse & multa, & magna. Cum enim triplex sit ad sanctitatem via & ratio; prima, quæ purget vitiis animos; altera, quæ illuminet notitia veri bonique; tertia quæ omni ex parte perficiat: vel potius, cum tres sint gradus, quibus ordine ad Deum quamproxime accedatur: habent quoque talia quædam angeli, ut vix ac ne vix quidem moveri ad malum possint; ut divina luce collustrentur in primis; ut perfectissimi sint, Deoque conjunctissimi: quæ tria cui accepta, nisi Spiritui sancto, ferre debent? De hominibus vero, quot quantisque modis sanctus idem Spiritus bene meretur, quos item sanctos ac sui similes efficit, & quibuscum versari amat atque agere familiariter, erga quos etiam se liberalissimum munificentissimumque præbet? Ea mente & consilio quid non susceptum ab eo, quid non tentatum, ac perfectum videmus? Qui juxta sanctum Paulum in priore ad Corinthios epistola, quo majorem ad nos aditum, majorem usum & consuetudinem nobiscum haberet; terras incolere constituit, ac sedem sibi domiciliumque delegit, non in vicinia nostra, sed apud nos, atque etiam intra nos, quos occupavit totos, ac suos esse voluit. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est quem habetis a Deo, & non estis vestri?* Qui ipso statim ingressu, ut primum in possessionem nostri venit, expellit peccatum, atque exterminat a finibus suis, neque grassari patitur amplius, neque usquam consistere: ejus omnes abstergit maculas & sordes, delet vestigia, sarcit ruinas. Docet hoc etiam nos Paulus ibidem. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Magna scelera, magna flagitia, quibus plerique omnes obstricti mortales, & in his quidam, quos compellaret Paulus per epistolam. Verumtamen factum bene: abluti sunt, justi sanctique facti sunt, divino & immortali Christi merito, ope atque opera Spiritus sancti. *Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Qui denique optimas notiones boni, rectissimosque sensus inserit animis nostris, sic tanquam sementem virtutum, effunditque maximam copiam donorum, roris instar, aut imbris lenissimi ac mitis, unde sanctitatis quasi fruges & fructus efferantur. Est porro sollicitus de progressu rerum nostrarum: incumbit in opus una nobiscum: infirmitatem adjuvat nostram, ut & commonefaciat nos quid quove modo rogare atque orare Deum debeamus; & ipse deprecator ad Deum quoque, & supplex pro nobis accedat. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quo fit demum, ut in maxima gratia simus apud Deum, complectatur nos ametque Deus, & singulari quadam ac prope incredibili amore amet. Creditis, auditores? certum putatis? nodum communem esse Spiritum sanctum, quo homo cum Deo, creatore & parente suo, arctissime copuletur? Atqui est ita profecto, si theologos audimus. Idem amoris vinculum, quo sunt inter se conjuncti pater & filius in divinis, pertinet ad unumquemque nostrum, alios aliis aptat homines atque annectit, & variis colligationibus vinctos inter se & cohærentes, ad omnis naturæ fontem & caput, unde orti sunt, reducit. Eam ob rem regius vates Dei erga nos amorem cum sancti Spiritus præsentia conjungendum oratione putavit, gnarus una esse utrumque semper, neque secerni posse, aut separatim consistere. *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Ut igitur verbo colligam rem totam, Spiritus sanctus est Dei sanctitas, est angelorum, est hominum. idem bellum etiam cum minimis noxis nostris & levioribus peccatis gerit. idem pacem animis, tranquillitatem, requiem, otium affert. idem afflatu divino mores effingit, conformat, ad omne officii munus instruit. O fortunatum hominem Christianum! si quidem tanti dona sancti Spiritus, quanti sunt, faciat; si domum, qua tantum recipiat hospitem ac dominum, paratam habeat; si obviam prodeat venienti; si loquentis vocem agnoscat; si mansurum, aliis quibuscumque exclusis, introducat.

Sunt enim, Christiani auditores, ne erretis, alii quidam spiritus, qui in mentes persæpe nostras nullo jure invadant, & principem honoris ac dignitatis locum occupent, debitum Spiritui sancto. Quanquam hos est, quos dimittamus statim, & valere jubeamus, ut primum gravi nos & tetro halitu afflare incipiunt. Sanctus quidem Bernardus, quod cuique sit nomen, ab effectu; quem quisque sermonem usurpare soleat, ostendit. *Spiritus carnis mollia, Spiritus*

mundi

mundi vana, spiritus malitia semper amara loquitur. Est spiritus quodammodo corporeus. est a mundo aliquis. est & concretus ex malitia totus. Primus meras delicias, & sensuum voluptates loquitur. Habet alter, quod populare atque ventosum est, semper in ore. Tertius nihil aliud sonat, nisi amaritiem animi, & virus & acerbitates omnes, ut impatientiæ, ut iracundiæ, ut invidiæ, ut odii, ut morositatis & tristitiæ. Quare, simul ac vobis, auditores, in mentem lenis & blanda inciderit cogitatio voluptatum; repellite confestim hanc, & negate esse Spiritus sancti: Spiritus sanctus mollia non loquitur. Quoties vobis honoris, & famæ, gloriæque vana species obversabitur ante oculos; refutate pari dicto: Spiritus sanctus non loquitur vana. Postremo, si quis aliquando motus concitetur intra vos aut ægritudinis ad querendum, aut stomachi ad ulciscendum, aut timoris ad diffidendum saluti, qui vobis motus obstrepant, & mentis vitæque tranquillitatem obturbent; tacite cum animis vestris reputate verba hæc: Spiritus sanctus non loquitur amara.

PERSPICUUM est ex ante dictis, Trinitatis personam tertiam, Spiritum illum divinum, veritatem afferre ad doctrinam, sanctitatem ad mores. restat, ut complectar paucis, quantum polleat, & quid præstet omnibus, quamque vim habeat ad efficiendum: ut, quemadmodum veritati fidem adjungimus, amore sanctitatem prosequimur; ita revereamur & colamus potentiam. Illud est a sancto quoque Bernardo animadversum, vere proprieque spiritum esse triplicem, quem mirum quantum Spiritus sanctus robore & agendi vi superet, animantium, hominum, angelorum. Concretus, & pinguis, & crassus, & terrestris animantium spiritus, secum ipse principium & causam importans occasus sui. Hominum spiritus immortalis est ille quidem: sed demersus in corpus, & carceri vinculisque certum ad tempus mandatus: aut sane præpotenti domino non absimilis, qui male habitet tamen, & cui parum obtemperent sui. Angelus totus spiritus est, fateor: at administer Dei ad ea quæ velit, & interpres ad homines: qui ad suum munus fungendum indigeat corporibus: nec modo mutare locum, & alio atque alio conferre se necesse habeat, jubente Deo; sed etiam nobis, ubicunque simus, præsto esse; nos, quocunque eamus, comitari. Solum hunc Dei spiritum reperias, segregatum ab omni concretione mortali, solutum & liberum necessitatibus corporis, re nulla egentem extrinsecus. qui ventus, ignis, lingua, columba esse videatur: nihil sit horum. qui ubique versetur, ubique regnet, quidvis moliatur & agat, nihil usus membris. *Docet vel monet sine lingua, præbet vel tenet sine manibus, sine pedibus currit & succurrit pereuntibus.* Ac ne usus quidem ope & opera cujusquam, cum lubet, ipse quasi dux & miles, quasi architectus & faber, solus inventor, & auctor, & actor operis sui. Parumne vires nobis probavit suas, cum Philippum e media via, quæ est Hierosolymis Gazam, correptum, Azoti, quæ civitas illinc tam procul esset, puncto temporis collocavit? Quid, quod efficit ex quolibet quidlibet, arbitratu suo, nulloque negotio: ex pastore Davide regem, ex Amos caprario vatem, ex puero Daniele verissimum & sagacissimum judicem; e piscatoribus, e publicanis, e furiosis, ac velut equo admisso, strictoque gladio insequentibus adversariis, discipulos Christi, eosdemque omnium nationum doctores ac magistros? Totidem enim acta Gregorius theologus Spiritui sancto adscribit. quæ quamvis, summa sapientia, & benignitate Spiritus sancti erga homines, perfecta velit: est tamen, cur peræque in isto, ac multo etiam magis, singularem & eximiam ejusdem sancti Spiritus potentiam agnoscamus.

Eodem accedit, quod non solum fortissimus ipse per se, & potentissimus sit, verum etiam fortes in primis & potentes eos reddat, quibus se semel impertierit. Multa quidem & admirabilia Paulus percenset, quæ naturam & vires superent humanas, & quæ assequi ne intelligentia quidem possimus. Ex quo concludit esse dona Spiritus sancti, quæ is, quibus & quoties libitum est, distribuat. Sunt, quibus concessum est sanare morbos insanabiles, & desperatos. sunt, qui res futuras, tanquam si gerantur se præsentibus, cernant atque enarrent. utuntur alii omni genere linguarum, cum quidem nullas didicerint. alii occultissima quæque mysteria pervident, rudes & indocti. *Alii gratia sanitatum. alii prophetia. alii genera linguarum. alii interpretatio sermonum.* Ecquis autem horum tam validus & potens effector? tam prodigus & largitor, ut talia posse homines dederit? *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Idem auctor, idem dator, idque voluntate sua, non alterius arbitrio, aut imperio. *Prout vult*, inquit Joannes Antiochenus: *non prout jubetur.* ut liberalitatis sit divinæ, non necessitatis, aut fortunæ, aut humani obsequii. Itaque ut primum e cœlo delapsus est in terras ad discipulos, potestatem eis & imperium dedit in morbos graves & mortiferos, in obstinatissimas mentes, in tyrannos importunissimos, in mortes teterrimas. O robur incredibile & omnino inauditum, non dico Spiritus sancti, sed homuncionis per Spiritum sanctum! In mendicum, jam inde ab ortu suo debilem pedibus, Petrus incidit, cui non pecuniam, qua careret, pauper ipse, & quæ nihil profutura claudo ad sanitatem esset, dedit; sed verba duo triave fecit: Surge & ambula. Et sermo factus est opus. Ecce tibi claudus consistit pedibus, pleno & firmo gradu ambulat, exilit & suo se liberatori adjungit, in templum una ingreditur. Age vero, quæ virtus & facultas dicendi, hominem sine literis, sine delectu verborum, sine subtilitate sententiarum, primo statim aditu ad causam, persuadere tribus hominum millibus, quæ visa sunt; mox alia die, millibus quinque? Quæ magnitudo animi & firmitas, circum fora magistratuum duci, & ad judicum raptari tribunalia, nullo pallore: virgas, fustes, lapidationes pati, nullo gemitu: redire domum omnibus contumeliis affectos; & lætari ea re quia contumeliis omnibus affecti sunt; idque ipsum honori summo ducere, singulare beneficium interpretari? Quæ inductio voluntatis aut immittere se medios in ignes, & subire ollas ferventis olei, aut tradere se suffigendos cruci, & necandos suspendio, incredibili cum

ani-

animi lætitia & voluptate, quæ in ipsum quoque corpus redundet? Num exhorruit Andreas totis artubus, proposito patibulo? num expalluit vel leviter, mutavitque vultum? num cor illum, num lingua defecit? Minime vero. Contra cum totius supplicii instrumenta & apparatum aspexisset procul, tacere non potuit, quin voces mitteret plenas gestientis lætitiæ, plenas sitis accensæ & cupiditatis. *O crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te: ita ut & tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Per te me recipiat, qui per te me redemit.* Obsecro, auditores, hæc homo loquitur, an angelus, an homine & angelo major quispiam? Homo sine dubio, par ac similis nostri; mortali, sicuti nos, conditione generatus; qui sensum habeat cruciatus & doloris, item ut nos. Unde ergo tantum fortitudinis & constantiæ in humana mente, certe non invicta malis? unde tantum gaudii ex crucibus & tormentis, quæ tristitiam pariunt? Sanctus nimirum Spiritus ipsius loquebatur ore, rem gerebat pariter cum ipso: cum mortem ei objiceret ob oculos, non horribilem ac pertimescendam, ut natura fert, utque vulgo credimus, sed multis nominibus amabilem, atque expetendam. O si quotquot hic sumus, auditores, mentibus nostris acceperimus Spiritum sanctum! is sibi totos si nos habeat, viresque & animos, quos solet, addiderit! Cum quidem mandata, quæ dedit Deus hominibus, persæpe molesta esse videantur; quæ ecclesia imposuit, accessionem & cumulum afferre laborum: cum oneri plerisque sit virtus, recte facta odio: fuerint tamen, mihi credite, fuerint brevi, adventu & præsentia sancti Spiritus, ex amaris dulcia, ex gravibus levia, ex arduis & operosis facilia & expedita omnia. Sed hoc male omnino comparatum est, nescio qua perversitate & incuria hominum, ut pauci cœlestem hunc & divinum Spiritum accipiant hospitio, pauci foveant acceptum & reverenter atque honorifice tractent: porro vel excludant vel ejiciant plerique per summam indignitatem, nec malam ejus gratiam vereantur.

Qui quidem Spiritus, est, ut dixi, potens, fortis, operosus, semper agens aliquid: sed is tamen, ne quid dissimulem, cui possimus resistere. possumus, inquam, auditores: nobis integrum est ac liberum, resistere Spiritui sancto. In manu nostra est utrum cessemus, an ei demus operam, ducem & socium se laboris offerenti. Neque vero Deus committendum sibi duxit, nos ut beneficiis afficeret invitos, sed ut de volentibus bene mereretur. Illud cavit, illud metuit, ne nobis gratum non fecisse videretur, si repudiaremus liberalitatem suam: aut ne divina dona non satis magni æstimaremus, iisque abuteremur; si obtruderentur nolentibus, & cogeremur accipere. Voluit itaque, recusare possimus, ut merito aliquo nostro, & cum gratiarum actione accipiamus. Isto prorsus pacto exigit a nobis Spiritus sanctus, ut de nostro conferamus aliquid in commune: & quemadmodum studio libenti prolixoque, omnem nobis suam auctoritatem, gratiam, copias, opes defert; ita nos pari affectu, & propensione mutua voluntatis annuamus, utamur datis, agnoscamus dantis animum, atque amplectamur. Spiritui sancto, Judæi, restitistis olim, id quod vester vobis popularis objecit: *Dura cervice, & incircumcisi cordibus & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Christiani nunc ei plerique resistitis. Cunctatores, qui differtis quotidie, & procrastinatis examen censuramque criminum vestrorum, eaque delere pœnitendo & lacrymando dubitatis, sancto resistitis Spiritui. Quadruplatores, qui subornatis accusatores, testes, judices, & innocentem circumvenitis, & omne jus & æquum pervertitis, resistitis Spiritui sancto. Invidi, obtrectatores, maledici, quos angit & cruciat aliena prosperitas, quos juvat falsus rumor, & probrum alterius, & contumelia, Spiritui sancto resistitis. Resistunt divites, quos abundantia superbos, insolentesque, &, quod mirum est, avaros reddit. Egeni resistunt, quos amariores, & nimis querulos, nec sat tolerantes rerum humanarum, facit indigentia. Næ illi infelices singuli, qui sancto Spiritui omnes ad se aditus intercludant, qui fontem ipsum liberalitatis obstruant, arceant flumina, rivos avertant, neque ex tanta numinis munificentia, quæ in quemvis volentem redundet, quidquam aspergi suæ tenuitati sinant. Hoc agamus potius, auditores. Quandoquidem est Spiritui sancto propositum certumque, optime de nobis mereri; & quando illius nos dona spectant, ad nosque pertinent; pro eo quod hunc tot genera improborum & nequam hominum aspernantur a se & longe repellunt; vindicaturi tantam injuriam, prodeamus obviam venienti, ad nos invitemus domum, summa cum benevolentia, & summo cum honore deducamus. Fidem nobis Deus pater dedit, facile, si contendemus, impetraturos. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Deus filius promisit millies, spopondit, confirmavit missurum se. *Mittam eum ad vos.* Nihil est vero, quod sanctus ipse Spiritus malit, neque finem facit ullum offerendi sui. *Ecce sto ad ostium & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Adeamus igitur ad patrem, & Davidis illum verbis compellemus. *Spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Spiritu principali confirma me.* Etiam atque etiam obtestemur filium & obsecremus, meminerit nostri, meminerit sui, ac suorum promissorum. *Mitte quem missurus es.* Simus denique sancto Spiritui supplices, ut concedat postulationi nostræ, eo præsente ac propitio utamur, ejus fruamur donis & muneribus: quo nihil quidem ei potest a nobis accidere gratius atque optatius.

ORA-

ORATIO SEPTIMA.

De eucharistiæ Sacramento.

MAXIMUM, idemque minimum, quidnam in omni rerum natura foret, diu multumque est olim, diversis temporibus, dubitatum, auditores. Alii contendebant rem esse istiusmodi, stirpium, arborum, segetumque semen. Alii humano in corde ponebant, quod perparvum esset, nulli tamen rei potestate atque efficientia concederet. Nec defuerunt, qui hæc dissererent, nihil minus simul & majus existimandum lingua: propterea quod tanta exiguitate membrum, tantum sive commodi, sive damni, hominum generi importaret universo. Ego autem non vereor, ne hoc mihi non assentiamini, quod tacita jam cogitatione prævertitis, quodque nos dies, quem festum agimus, admonet, sanctissimum atque augustissimum Christi corpus, singulari quodam munere relictum, concessumque mortalibus, unum ex omnibus in terris minimum maximumque versari. Inter physicas quidem philosophias satis constat certum quemdam esse præstitutum terminum rebus, extra quem non liceat crescendo decrescendove egredi. Nullum vero modum Christum fecisse sui hic dilatandi pariter, pariterque comprimendi, quis, quæso, nostrum satis pro rei novitate capiat, pro beneficii gratia remuneretur? Quo magis eniti & contendere decet, ut quantum est mysteriorum, animo percipiamus, memori studio ac voluntate prosequamur: ne si omnino ignoremus, hebetes; si non agnoscamus, ingrati esse videamur.

PLACET ergo contemplari, & quantas se in angustias Deus prudens ac volens conjecerit, & quam se rursum longe lateque diffuderit: atque illud prius, quod est mirabilius. Neque enim novum cuiquam, aut alienum divinitate, qui semper sit, præsentem se aliis atque aliis in locis exhibere; & qui ubique sit, etiam corpore quam maxime patere. Quod autem Christus contrahatur quodammodo, & quasi stipetur, & in carcerem atque compedes dari se, non modo patienter sinat, sed etiam vehementer velit; id demum tale est, ut neque in Deum cadere, neque sub intelligentiam hominum, posse videatur. Quale id cunque tamen sit, gradatim, si quomodo possumus, exequamur. Quid arctius, quam orbiculi unius, ac rotundi, ut apparet, crusti brevis comprehensio, quæ palmam non amplius pateat, aut semipalmam, aut aliquanto minor esse soleat? Atqui illud, quidquid est, quod videtis quam sit exiguum, hæc ædicula, auditores, Deum hospitem habet: hoc involucrum, hæ latebræ tegunt. hic Christus habitat interdiu: hic pernoctat: hic totus, quantus est, nulla parte sui imminutus ac mulctatus; etsi neque jacet, neque sedet, neque stat; tamen versatur, ac tanquam in aliquo jucundo diversorio conquiescit. caput, pedes, humeri, crura, reliquæ corporis intermediæ partes, non motæ loco, non solutæ nexu, non præposteræ ordine. At quantum prius corpus, nunc tantulo loco? Ea proceritate, qua Christus erat, cum degeret inter homines ætatem, quo nemo statura aut nunc est, aut olim justior fuit. Mirum quiddam est, quem terrarum, quem cœli vix universitas capit, hunc frustulo, vel potius exili specie panis contineri. Quid si autem dimidiata, quid si tertia, quid si quarta, quid si vel duodecima particula continetur ejus formæ ac figuræ, quam oculis cernimus? Nisi vero Christus, cum panem, eum suum corpus sociis duodecim donavit; ut panem, ita corpus in frusta concidit, unum uni membrum attribuit: ac non totum singulis impertivit. Parum dixi, qui denis ac duodenis in partibus totum inesse Christum dixi: cum pars demonstrari tam exigua nulla possit, quæ ejus vacua præsentia reperiatur. Parum dico, qui spectabilem partem ullam Deo carere nego: cum minimis etiam particulis, quæ propter tenuitatem, aciem fugiunt oculorum, tota Christi membrorum descriptio subsit. ita quidquid pusillum ac minutum in medio, in extremo, atomi, ut vocantur, & individua corpuscula, si quæ sunt, stabilem Christo sedem, certumque domicilium præbent.

Jamvero quid tam modicum, tamque stricte ac maligne præfinitum, quam commorationem hic suam, fragili crusto aut micæ æqualem esse velle durando, neque diutius in terris, quam fluxa res & caduca patitur, consistere, neque recusare, quominus toties intereat, si fas est dictu, certe esse ibi, ubi erat, desinat, quoties casu, aut vetustate, aut hominum injuria, esu denique, fragmentum panis tenuissimum perit? Quid illud, quam in partem accipiemus, aut non idcirco in summis angustiis versari Christum existimabimus, quod ei sacerdos tanquam alteri sibi imperet, quod is sacerdoti dicto audientem se præbeat, simul atque velit, occurrat, e cœlo delabatur in terras, se sistat coram, toties tamque cito præsto sit, quoties quamque festinanter vocem miserit. ut nemo servus heri mandatum celeritate tanta exequatur, quanta Deus hominis imperia facessit. O temporum, o locorum angustiæ! o Dei, o hominis contractio! Incredibiliter se Deus, auditores, cum vir inter viros esset, cum cresceret, cum nasceretur, cum conciperetur, coarctavit, in angustumque devenit. Cum natu jam grandis finem crescendi facit, quinque sexve pedum terminis ac regionibus circumscribitur. Cum adolescit, necdum tantum spatii obtinet. Cum primum nascitur, haud paulo etiam inferior ac minor est. Cum vero intra materna viscera concipitur, amplitudinem cœli cum terræ, cum uteri, cum corporis ergastulo commutat. Quæ si restricta atque infinite coacta esse diffiteat, mentiar: præsertim cum Deus, ex ingenti quodam immensoque campo, in tam exiguum se gyrum concluserit. Verumtamen quid istæ tot tantæque angustiæ ad hanc custodiam, ad has compedes? Deus vit, impubes, infans, nondum natus, modo conceptus, aliquid est nihilominus, quod compareat, quod aut oculis usurpari, aut contrectari manu, aut a matre denique persentiri possit; certe ejusmodi, quod non aliud omnino, atque est, esse videatur. At, obsecro, attendite, quem in angulum contrusit se, quousque compulit. Ab-

jecit id, quod hominum, quod corporum est; & ita abjecit, ut ferme nusquam Deus, nusquam homo sit. Nostis hoc, qui a physicis remoti non penitus estis, dotem esse quamdam atque præstantiam corporum, locum ut occupent, eoque majorem, quo magis aliis excellunt. perinde quasi dignitatis magnitudini respondeat amplitudo sedis. Huic rei maximo est testimonio, quod initiis atque elementis, ex quibus gignuntur omnia, varie ac dissimiliter suum cuique locum philosophi attribuerunt, neque æqualem omnibus partem fecerunt. Ne suum quidem sempiternis illis mentibus, Deique internunciis, quæ nihil rationis habent cum corpore, deesse theologi locum volunt, quem pro dignitate singulæ teneant, aliæ aliis ampliorem. Facile ut appareat, qui omni pæne loco Christus cessit, quique corpus suo isto quasi debito frustratus est, neque inservisse commodo, neque consuluisse dignitati, neque imitatum naturas cœlestes aut terrenas esse; verum se ad rationes nostras usufque totum finxisse: cum quidem nihil sit aut buccella patabilius, aut minus sumptuosum, quam panis cibarius, aut magis in promptu, quam Christus, tam parvo contentus, ut ei, quod minimum esse hic potest, satis loci sit.

Ostendi quatenus se in se homo Deus sua voluntate, nostra causa collegerit. proximum est, ut doceam, quam in omnem partem effusus, quo commeet, ac pertingat, seque non solum præbeat, sed etiam large liberaliterque præbeat. Ac mihi quidem videre videor missum lapillum manu in mare aut profluentem, cujus ex uno jactu circum orbes exiliant quaquaversus infiniti. Sic enim res profecto habet. ita redactus & compulsus Christus est in minimum crustuli quasi punctum, ut vicinas quoque partes perenni quadam & continuata fusione occupet. ita occupat, ut in singulis non minus totus insit, quam in universis. Quare abesse non potest, quin is Deum, quantus est, prehenderit, qui manum, quo volet, aut os admoverit. Ut enim animus toto, cui præsidet, corpore pertinet; sic ut nec secerni possit, nec dividi, aut discerpi, aut distrahi: simillime Christo ita crustum plenum esse novimus, ut nulla hujus pars illo vacet. Hoc animi Christique dissimile, quod animus, qui sedem habet in corpore, plus uno corpus non obtinet; Christus in duobus, tribusve, ac pluribus etiam locis, unus ac totus, versatur. Atque hoc alterum caput est, quo haud scio an majus ullum ac divinius, quod copiam sui plusquam uno loco facit. Prostat ab altaribus religiosissimis, unde se colendum, venerandumque exhibet. arculæ illum & pyxides asservant nostræ. præcordia hominum uno eodemque tempore continent. simul ab infinita multitudine convenitur: simul domum cujusque, etiam tenuissimi atque egentissimi, si necesse est, defertur. In quo priusne mirer Dei vim atque potentiam, qui id valuerit; an laudibus bonitatem extollam, qui effecerit? Certe usque eo visum est difficile & operosum negotium nonnullis, ut fieri posse diffiderent. Qui si, ut philosophi, rationibus humanis solum ducuntur: non video, quo jure se profiteantur Christianos, qui omnia auctoritati divinæ tribuunt. Sin aliquid, ut par est, uni Deo credendum putant, fierique posse concedunt, quod à nobis percipi animo non queat: cur eadem opera hoc mysterii non defendunt, qui ista non negant, Deum esse trinum, aut Deum hominem factum: quæ duo capita religionis nostræ neque minus captum hominum intelligentiamque superant, neque magis literis sacris continentur? Non advertunt videlicet viri socordes, se, cum esse Christi discipuli desinunt, cujus dictis pтекæque omnibus fidem non habent; tum ne hoc quidem obtinere, ut sint Aristotelis, qui, quid sibi consentaneum sit dicere, nesciant. Sed redeo ad propositum. Est illud, quod proxime supra dixi, singulare atque eximium, duo loca aut tria incoli, eaque disjunctissima, maximeque diversa. Nunc quod tam multa una frequententur, tametsi parum fortasse ad prodigii magnitudinem intersit, quod qui semel duobus in locis est, nihil sit causæ, quamobrem non reperiatur in sexcentis: tamen ad benignitatem & magnificentiam liberalitatis plurimum refert, unum ad usus complurium, cum persona non possit, multiplicari loco, millicsque, sine more ac modo, longinquis & variis nationibus commodari atque impendi. Habet hoc Deus, quemadmodum cetera, infinitum, ut ubique locorum hoc in mundo sit, futurusque ubique esset, si innumerabiles mundi forent. Ab isto Christus quam prope abest? cujus extemporalis & arbitrarius procreator quodammodo & quasi effector sacerdos. qui se nulli mortalium, ulla tam frequenti regione, tam deserta solitudine neget, nulli quatuor aut quinque vocularum accitu non obsequatur. Tibi in Europa præsto est, tibi in Asia, tibi in Africa, tibi, quisquis es, in reliquo & ultimo terrarum orbe. vel potius, vobis Afri, vobis Asiani, nobis, qui Europam tenemus, in villis, in oppidis, domi, foris, uno eodemque articulo temporis, se, non per alienos, non per suos, sed per se ipse coram offert ac sistit, suique præsentis amplissimam facultatem facit. Qui si modo sedem ac domicilium in regione una collocare decrevisset, quis non eo visendi gratia convolaret, quoad posset? Sin minus, quomodo Dei vel sic absentis desiderium ferret? Cum autem assidue, ubi volumus, residcat, occurrat ad manum, ad os cujuslibet, pervulget se omnibus: an minorem illi honorem habebimus, quod majorem in nos benevolentiam habuit; aut ad eum rarius adibimus, quia nostro commodo convenire licuit? Potest igitur propius ad nos accedere? potest interius insinuare se? potest magis divinam illam, quam vocant, immensitatem imitari, plura loca celebrare, qui pæne ubique gentium ac terrarum sit? Quid relinquitur, nisi ut qui tam late hoc solum occupat, idem nihilominus sit, versceturque in cœlo? Versatur vero, & ita versatur, ut, quantus olim vixit inter nos, qualis nunc est, tantus ac talis ibi degat. hoc ab illo differt, quod sub imagine cibi delitescat, qui se in conspectum cœlitibus dedit. Itaque ex altissimo cœli domicilio delabitur sponte in terras, seque toties participandum ac fruendum indulget, quoties homini lubet. Quoniam autem nullum diei tempus est, quo non quis uspiam sacerdos rem divinam faciat: consequens est,

est, ut continuatus sit quidam ac perpetuus Christi e cœlo in terram descensus.

Verum hoc ad tempus quoque pertinet, quod ille nobiscum commoratur, de quo restat ut agamus. refert enim magnopere, non tantum quibus locorum intervallis, sed quibus temporum spatiis, se dilatari conjuncta bonitate majestas voluerit. Quando Christus quidem acturus erat inter mortales parum diu; utpote qui tertio & trigesimo ætatis anno mortem obiret: hanc vitæ brevitatem grandi fœnore jam tum compensandam putavit. Perinde enim quasi a nobis divelli grave duceret, ex illo die, quo necesse habuit ad patrem reverti, quemadmodum congressum & consuetudinem hominum retineret, excogitavit. Quamobrem quamdudum est, cum a suis discessit, tamdudum est, quod cum eisdem remansit: quotque interfluxerunt sæcula ad hanc diem, tot ille nobiscum tam familiariter, quam dixi, vixit. Neque vero hoc interim spatio passus est præsentiam desiderari suam. Qui licet identidem se pro nobis de integro piacularem victimam præbeat: eo usque suam apud nos assiduitatem non intermisit, ut ne ad minimum quidem tempus abfuerit. Non illum hactenus teterrimæ pestes hæreseon excluserunt, quæ conatæ sunt: non profanorum hominum vel dissoluti, vel impii mores: non sacerdotum vita interdum profligatior. vicit infidelitatem fides, malitiam bonitas, temeritatem ratio. Quandiu porro perseveraturum in eo putatis? Donec terra ipsa consistet, posteritas permanebit, aliæ aliis ætates succedent. quid vultis amplius, aut sponsorem Dei promissorum expectatis? præsertim cum fidem jam ex parte liberavit, quam obstrinxit. Etenim quod fuit, fore antea recepit, dictique vim comprobavit exitu. Unde intelligi licet, quæ promissa sunt in futurum, tam explorata esse, quam quæ præterita sunt, nihil habent dubitationis. *Ego*, inquit, *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Non se fuisse, non fore una nobiscum significat: esse affirmat. Quorsum? Ut intelligamus unam eandemque, sine ullo absentiæ metu, nec interruptam præsentiam, nec interrumpendam, quæ iisdem, quibus diuturnitas terræ, spatiis ac finibus extensa prorogetur.

Declaratum est, minus utique, quam res postulat, ipseque forsan cogitans sentio: verum satis pro loco, proque tempore, quemadmodum se Christus, Deus juxta & homo, corpore toto contrahat, explicetque: idem anguste, idem laxe habitet, ac ferme nusquam, ferme ubique esse videatur. Utrumque inventum non modo divini & experientissimi quasi architecti, sed etiam ingeniosi amatoris est, qui omnes sese in facies, gratificandi ac bene merendi studio, vertat. Cogit corpus suum, ut singulis accommodetur: porrigit, ut complectatur universos. cogit, ut nonnihil apud nos obtineat loci: porrigit, ut nos apud eum plurimum loci nanciscamur. Hic quid agimus, auditores, aut quid moramur? cur præstanti ejus in nos liberalitate non utimur? cur parce utimur? cur remisse? cur aliquis sacrilege? Idcircone tantis prodigiis effulsit, ut non moveremur? tam faciles ad se aditus dedit, ut refugeremus, aut cum contumelia accederemus? tanta secum dona detulit, ut credere satis haberemus? Indignum facinus ac prope inexpiabile, si eo contenti simus, quod una te meliores unis novatoribus sumus, apud quos fidem hic nullam Deus invenit homines inconsideratos, qui hanc legem dicant Deo, hanc necessitatem imponant, ut nihil efficiat, quod non ipsi intelligendi vi assequantur. malitiosos, qui voluntatem Christi bene de unoquoque nostrum meriti ac merentis alio deflectant & perperam interpretentur. ingratos, qui inficiari, quam agnoscere beneficium malint. perfidiosos, qui dissimulent, quod mutæ res, ignis, aqua, elementa reliqua testantur. Quoties ignis vim actuosam suam sustinuit, uti ne quid figuræ panis ac similitudini, hoc est, Christi integumento & velut vestibus, noceret? quoties inundans aqua cursum, sic tanquam objecta religione aliqua, repressit, quo sanctioribus istis sacris parceret? Quid? ab hostibus Dei pariter & hominum capitalissimis non vis major quædam veritatis sæpenumero, ut faterentur quod res est, expressit? Sed cur ego tam vehementer invehor; cum neque me novatores audituri sint, qui Christum non audiunt, & vos dissimiles aliorum, recte quidem sentientium, sed prave agentium, sitis, qui frequentes Christi corpus intimis visceribus admittitis, qui coram supplices ac venerabundi visitis, qui vos animis neque subtrahitis unquam effuso, neque contracto non offertis? O vos beatos, quibus in vita fruendum se Deus tam miris, tam utilibus, tam occultis modis dedit! beatiores futuros in æternum, quibus se idem, omni remoto velo, dabit.

ORATIO OCTAVA.

De conceptione Mariæ.

Ingressi aliquid, auditores, ut nostra pridem voluntas & officii ratio tulit, de virgine communi hominum parente dicere, nihil videmur rectius magisque ordine facere potuisse, quam si illius prædicandæ argumentum, jam inde ab utero materno, satuque ipso, & conceptu repeteremus, unde scientissimus opifex rerum Deus ejusdem ornandæ, ac donis & muneribus augendæ principium duxit. Nam cum & animi sit ingrati, filii tanti, quantus Christus est, erga charissimam matrem, hominumque genus, merita non agnoscere; & malevoli, tantæ matris, quanta jure optimo Maria habetur, præclarissimas dotes vel inficiando tollere, vel dissimulando celare: tum summæ imprudentiæ, atque incuriæ fuerit, aut, minora beneficia cum memineris, majora oblivisci; aut, cum nemo de mediis extremisque virginis laudibus non commemorandum putet, de primis omnes silere: præsertim cum initia hæc & olim sese tanquam fundamenta dederint ad structuræ reliquæ altitudinem excitandam; & nunc præjudicia esse possint ad magnitudinem ejus, atque vim æstimandam. Accedit eodem, quod encomia Mariæ cetera, atque, ut sic dicam, miracula, aut ita clara sint, ut omnes norint; aut ita testata, ut nemo contradicat; aut ita definita, ut non modo dissentire, sed assensum etiam sustinere, nefas habeatur. At vero hæc de ista ab Adami labe immunitate opinio; utpote

quam neque ſacris literis plane conſignatam accepimus, neque perſcriptis auctoritatibus patrum, aut conciliorum comprobatam habemus, neque pontificum voce, aut diplomate ratam, omninoque fixam; & inveſtiganda judicio noſtro, quanta quanta eſt, relinquitur, & retinenda tuendaque pietati permittitur, beneque affectæ in virginem ſanctiſſimam voluntati. Quo etiam majore nos animo, & paratiore, ad id, quod integrum nobis eſt, aſſenſu accedere par eſt: ne, ſi compertis ac neceſſariis religionibus fidem adjunxerimus; veris quidem autem, ſed tamen liberis, neque ita perſpicuis derogaverimus; non honori virginis ac gloriæ, ſed hominis Chriſtiani officiis, & neceſſitati ſervire; neque voluntate noſtra cetera, quæ pie facimus, facere, ſed recuſantes, coactique, videamur.

Atque hac quidem de conceptione illibata ſi aut in ſcholis ageretur, apud homines pleraque diſputantes in utramque partem, nec fere amplius, quam quantum vis diſſerendi cogit, cedentes veritati; aut in publico conventu, more illo concionali cum populo, qui judicio certo pauca, opinione & cupiditate plurima æſtimat: eſſet oratori multo, opinor, contendendum vehementius, ut & illis vi ac momentis rationum faceret fidem; & hunc, admotis dicendi facibus, omnique motu animorum concitato, ad ſuam vel invitum mentem perduceret. Nunc autem, cum auditoribus utar iis, qui neque pertinacia, neque alia perturbatione animi ulla ducantur in judicando; ſimul & Mariæ plus etiam, quam informare animo queant, tribuendum putent; quid eſt, quod hac animorum facilitate, hac propenſione voluntatum, de hujus velut cauſæ eventu polliceri mihi non debeam; ſeu probare coner, ſive laudare rem velim? Quanquam hic pietas veſtra me ſic agere non patitur, quaſi ſit controverſum, aut dubium cuiquam, quod eſſe vobis ſcio perſuaſiſſimum. Geram ergo vobis morem, religionique veſtræ: & faciam id eſſe, quod res eſt, quodque fere inter omnes video convenire. Non quæram in præſentia, an, vitam & ſpiritum cum duceret primum, innocentiæ, præſtantiſſima omnium feminarum mater Dei, jacturam fecerit: ſed oſtendam, quid ad vitam ipſam ornamenti, ex innocentia ſalva, acceſſerit. neque ſtatuam, utrum jam tum beneficium; ſed quale, ac quantum acceperit; cum publica in peſtilentia valuit, communi non deflagravit incendio. Et quoniam ex eodem fonte & capite tum noſtra calamitas omnis, tum ornatiſſimæ virginis manavit amplitudo; idque cumprimis ejus numeremus in bonis, quod noſtris, peculiari modo quodam, malis conflictata non ſit: ſinetis hoc me loco, auditores, & omnem hanc repetere altius generis humani cladem; neque ea dicendo ſejungere prorſus, quæ conjuncta aliquantum natura ſua ſunt. Nec vero, ſi alienam proſperam rem ponimus ſemel ob oculos, continuo dolebimus vices noſtras gravius; aut invidebimus florentem præſtantemque ſtatum ei, quæ non ſolum nobis longiſſime, verum etiam cœlitibus antecellit.

AUDAX & nefarium commiſſum contra legem divinam primi omnium parentis, quot & quanta in genus noſtrum incommoda invexerit, poſterorum reor ignorare neminem. Hinc illæ nimirum lacrymæ, puerorum ac mulierum imbecillitas, ferocitas juvenum, ſenum languor. hinc virorum diſtricta curis, exercita laboribus, periculis circumſeſſa vita. Si algemus, ex eo id eſt quod deliquit parens: ſi æſtuamus, indidem eſt. Quod vigiliæ nos, quod fames, quod ſitis macerat miſeroſque habet; quod ne otium quidem noſtrum defatigatione vacat: illud ipſum videlicet eſt. Quis vero innumerabilia morborum genera intulit? Adamus. Quis animantes domeſticas omnes ac cicures, ab naturæ inſita facilitate, ad feritatem traduxit? Adamus. Quis homines cum hominibus, externo atque civili bello; hominem ſecum, inteſtino quodam diſſidio, commiſit? Quis animi partem alteram, in qua ſeges exiſtit cupiditatum; alteram, e qua ſtomachi ignes erumpunt; rationi utramque parentem atque conſilio; ad fœdam defectionem impulit, & a naturali obſequio debitoque abſtraxit? idem Adamus. Quæ cum graviſſima hominum mala ſunt, ab ſtirpe ſanguinis noſtri atque una eademque origine profecta; tum nihil gravius illo, quod non mortem modo hanc vulgarem corporis, inuſitatam ſane antea, atque ignotam in orbem omnium induxerit terrarum; ſed mortem etiam animi quandam, tanto pejorem, quanto corpori præſtat animus; & ſibi prudens ac ſciens conſciverit, & in poſteritatem continenti genere propagarit. O diem illum inviſum ſuperis, luctuoſum mortalibus, ſupremum terris: quo die parens primus uxoris indulgentiam, cum Dei optimi maximi odio; pomi ſuavitatem, cum necis acerbitate; ſuas unius & perbreves delicias, cum omnium noſtrum continuato exitio & perenni commutavit! O plagam illam peſtiferam ac pæne inſanabilem, quam manus eadem & accepit, & inflixit: cujus etiam cruor non ad aſperſionem tantum leviter, ſed ad contagionem, in nos uſque redundavit! O funus, non domeſticum illud ac privatum, ſed publicum, quo univerſus elatus orbis eſt, & ante in ſepulcrum ferme illatus, quam in lucem ſuſceptus! Naſcimur, auditores, naſcimur, & uno eodemque articulo temporis perimus: non ideo ſolum, quod, quantum nobis vivitur, tantum de annorum quaſi ſumma deducitur, quoque magis ætate procedimus, eo ad mortem propius accedimus: ſed vel maxime, quod tum, cum vitam corpori animus impertit, vita ipſe, hoc eſt, divina benevolentia, neſcio quo fato, triſti illo quidem ac miſero, ſed certo atque inevitabili, privatur. Ortus ipſe noſter, dies ipſi, quibus ingredimur vitam, ipſa incunabula; incunabula dico? immo prima conceptus hora huic initium calamitati facit, & ad noſtri quandam direptionem ſignum tollit. ut ne punctum quidem temporis, inter primum illum matris in alvo natalem, ac ſuam prædam intereſſe, hoſtis hominum capitaliſſimus ſinat, ex quo nos illi imprudentia & maleficium patris addixit; ſtatimque, nobis, fictis leviter atque informatis, tanquam perculſis, ad ſanguinem hauriendum noſtrum, & ad pulcherrima innocentiæ, ut ita dicam, ſpolia detrahenda convolet. Quid vero, quod ſtrages hæc & præceps ruina, tam univerſa eſt ad comprehenſionem, ut cunctos ſine ullius prætermiſſione mortales oppreſſerit? Quid, quod

tam

tam longa ad diuturnitatem est, ut iis, quæ posui, initiis orsa, non alium, quam orbis hic noster, modum & finem habitura sit?

Verum cur istæc pluribus recordamur? cur ulcus tangimus nostrum, dicendoque plus, quam satis est, refricamus? Prævertitis, sat scio, mente orationem meam, & a sacrosancta Virgine, malum tam diuturnum, tam commune, tam subitum, tacita existimatione, depellitis. Hoc ego vobis assentior, salva illam, & integra, & incolumia habere omnia: nihil in fœtu isto aureo ac divino hereditariæ fæcis & sordium, nihil resedisse nævi nascendo: concessam gratiam, non ut deletricem notæ alicujus, aut expultricem vitiorum; sed ut conciliatricem virtutum: denique, sicuti virginitatem, quæ semel dimissa nunquam revocari potest, semper retinuit; ita primam, quæ generis ejusdem est, tum non perdidisse innocentiam. Quæ pauca cum dico, quid est, per superum hominumque fidem, auditores, quod me dicere; vel potius, quid est, quod non dicere me putetis? Dico primam, dico solam, eximiam Deo hac in parte esse: dico eo jam tum jure, non quo qui optimo, sed quo unquam nemo fuisse: dico nulla re magis, aut hominem ab hominum conditione discessisse, aut Dei matrem ad dignitatem filii accessisse. Quid enim simile vel universe in cunctis Christianis, vel singillatim in Joanne; illum dico, qui Christo ætate præcucurrit, & tanquam nuncius antecessit; quid in generis etiam humani principibus, ante horribilem illum eorum casum, fuit? Nunquam faciam, ut potentissimi munificentissimique numinis erga mortales beneficia imminuam: augerem potius oratione. sed tamen licet exquirere veritatem. Convenit inter omnes, quotquot sumus, cæde Ch isti & cruore, ac perfosso latere, fontem apertum nobis salutarem, e quo inquinatissimus quisque, vacuus ab omni labe purusque discedat. Verum quid tum deinde? medicina facta, sed morbo: sanatum vulnus, sed tamen vulnus: restituta vita, sed demortuis. ut, si revixisse lætandum est, non continuo sit periisse non dolendum. Prænuncius vero ille Christi quid habuit præcipuum ac memorabile præter ceteros, quod tantos in orbe Christiano clamores fecerit, quantos fecit? Magnus profecto vir ac propemodum cœlestis, cui parens salutis nostræ ac vindex uni testimonium gravitatis, temperantiæ, moderationis, in victu cultuque corporis dedit: quem mortalibus omnibus, qui unquam fuerunt, atque adeo sibi pæne ipsi, anteponere non dubitavit; cum palam diceret post homines natos majorem illo extitisse neminem. ut seipse non excepisset, nisi & homo pariter natus, & Deus esset. Is igitur talis ac tantus, qui suæ virtutis Deum præconem invenerit; ita autem parum de se elate sentiens, ut dignum se negarit, qui Christi corrigiam dissolveret; quid habuit, quod conferri cum ea possit, quæ Christum eundem, merito aliquo suo, mater alvo continuit? Hoc nimirum, quod fide bona certisque auctoribus deinceps accepimus. cum maternis adhuc visceribus tegeretur, antequam cœli hujus lucem aspiceret, solo liberatoris adventu, communi culpa liberatus est: sive, ut planius loquar, quod res est, beneficium idem, quod reliqua natio Christianorum; verum & paulo citius, neque eadem ratione ac via tulit. ita in tempore ac modo aliquantum, in re nihil video interesse. At Mariæ, Deus bone, quam dispar conditio! quanto jus melius! quanto conceptus fortunatior! quæ non excitata humo & erecta, cum jaceret; sed firmata, ne rueret: non extracta e cœno ac sordibus, cum demersa penitus oblitaque lateret; sed ab omni macula, notaque turpitudinis defensa. cui non repræsentata ante diem salus amissa, sed sarta & tecta, ut aiunt, conservata semper. quam nostri generis auctores, multis ac maximis donis ornati, priusquam capitali se ac suos crimine obstrinxissent, non modo non superarunt, sed ne hac quidem ortus integritate æquarunt. Ea enim illi innocentia fuerunt, sine qua creari vix potuerunt: hæc ea fuit, quam habere sine peculiari beneficio, non potuit. ea isti fuerunt, cujus illico jacturam fecerunt: hæc ea fuit, quam constanter & perpetuo, quoad vixit, retinuit. ea denique isti fuerunt, qua alter alteri par erat: hæc ea fuit, cujus in terris consortem neminem habebat. Quare, sicut tempus olim fuit cum Christiana religio consisteret omnis in unius virginis prope dicam animula, quæ, cum alii Christum proderent, alii ejurarent, alii desererent, alii diffiderent, ac suum illud, æstimabamus, index animi desperantis rebus suis, verbum usurparent; in fide semel suscepta permanserit, neque unquam postea desciverit: sic eadem una virgo sola inventa est, quæ deformatæ & deletæ ubique innocentiæ monumentum atque exemplar, aut extorris & ab omnibus ejectæ velut asylum restaret.

Nihil ergo ab conditione hominum, fortunisque remotius. Sed, obsecro, auditores, quid Deo propius? Nostis hoc omnes, Deum, homo cum statuisset fieri, miseriam nostram nullam ab se deprecatum esse, præter hanc peccati atque noxiarum, quibus ut affinis unquam esset, facere neque potuit, neque vero debuit. Ita vita illi, sive iniens sive media, seu extrema, absque ulla labecula acta tota est: ut jure provocare suos iniquissimos ausus sit, dicerent palam atque exprobrarent, si quid haberent, aut si cujus illum sceleris ac fraudis conscium nossent. Quis me vestrum, inquit, peccati arguet? quis illius, quod a morte; quis illius, quod a veniæ facilitate nomen invenit; quis illius, quod origine & contagione parentum ad ortum cujusque adhærescit? Et alienum ducemus ejusmodi, quam filius adhibuit, orationem, in causa pari affingere matri; cum nullum delicti præterea genus sit, & tribus his animorum pestibus virgo vacarit? Ita videlicet ferebat usus, sic Christo, sic Mariæ res erat, ut partibus reliquis initia consentirent, & quæ cum vivendo, tum moriendo tam belle virtutes esset expressura Dei, ea nascendo ne longo intervallo ab eodem discreparet.

VERUMENIMVERO audire mihi videor interpellatores molestos, qui nostris hisce gratulationibus obstrepant, & ex eo ipso, in quo nostra triumphat oratio, vel dubitandi, vel secus sentiendi, vel etiam obtrectandi quamdam quasi ansam arripiant. Magnus honos, inquiunt: nimius. opinio nova: sæculis superioribus aut ignota, aut repudiata. ne nunc quidem probata omnibus. Magnus honos? fateor. nimius? falsum. Ac de ho-

 no-

noris quidem magnitudine, quiſquis es, qui hoc opponis, vide quid inter me atque te interſit. tu, quia is magnus eſt, deferre gravaris: ego vel ob id deferendum puto. tu, ſi minor aliquanto eſſet, concederes fortaſſe non invitus: ego, niſi talis eſſet, virgini ut tribuerem, nunquam adducerer, &, major ſi foret, libentius tribuerem. Sed videndum, ne quid nimis. Omnino: at hoc verbum in quo homine ponimus, aut quid eſſe ornatiſſimæ virgini nimium poteſt, in quam vim opum omnem cœli ac terrarum, liberaliſſimus munificentiſſimuſque rerum dominus effudit? Qui loquuntur autem hæc, ſimiliter faciunt, ac ſi quis, cum interminatam in omnes partes regionem viderit, quam longa ſit quidem taceat, plus nimio vero eſſe latam dicat. Ridicule prorſus, qui utrumque non intelligat, neque poſſe nimium dici quidquam, quod ſub ullam menſuram non cadit: &, ut dici illud poſſit, non magis latitudinem nimiam, quam longitudinem, dici oportere. Jam quis hoc quoque non percipit, parentem Dei rem eſſe unam, ſecundum Deum, infinitam, de cujus immenſa gratia, promeritis innumeris, gloria ſupra morem ac modum, ſi nemo ſine ſcelere conqueritur, quis ejus de conceptu, quantuſcunque eſt, verbum facere audebit?

Nam quod objecta novitas eſt opinionis, quis unquam ſic egit? Nova opinio eſt, reſpuatur. aut ſi illud ubicunque valet, ſexcentis optimis graviſſimiſque ſententiis, nove identidem & recenti memoria inductis, quid fiet? Ac jam omitto in ceteris, quot quæve ſint conſtituta ſcitis patrum, de quibus majores ne cogitarent quidem. in illa ipſa virgine, quando, ſeculis primis, aſſumptionis auditum nomen eſt? quando, multis conſecutis, de iſtis tantis acervis meritorum, de quadam exuperantia gratiarum cogitatum? Nimirum cum res Chriſtianorum proſcripta legibus imperatoriis, traducta ludibrio vulgi, vexata undique & quaſſata, vix ſuis ſeſe viribus ſuſtineret, vix latibulis tueretur: ſpiſſa quæque ac ſubtilia ſcrutari myſteria omittebant, rectam tenere vivendi viam ſatis habebant. Senſim autem, ubi illa procellarum & turbinum viciſſitudine, & omni tum malo, tum mali metu perfuncta, erigere oculos paululum ac reſpirare cœpit: non modo quæ neceſſaria ad procurandam ſalutem forent, retinuit; ſed quæ ad augendam pietatem eſſe fructuoſa poſſent, adjunxit. Adde quod multa profert dies; quod plus uno duo vident; quod diſputationum crebritate & quaſi tritu, novi eliciuntur ignes, nova lumina. Sed hoc homines imperiti cum non attendunt, tum ne illud quidem intelligunt, opiniones novas cum minus probant, antiquas ab ſe, quæ novæ alias fuerunt & ipſæ, improbari. quo ſi animo aut quondam religionis noſtræ antiſtites, principes, alumni fuiſſent, aut nunc pleræque, necdum ſacris noſtris initiatæ, gentes eſſent; ſi id omne, quod novum eſt, novitatis explodendum nomine cenſerent: & nos rem Chriſtianam, quæ hodie florentiſſima eſt, nullam haberemus; & hæ, veterrima ac fanatica ſua ſuperſtitione contentæ, melius nihil appeterent. Non ergo, ſi noſtram rem hanc vereres illi, admodum antiqui, parum viderunt; idcirco minus videri a nobis, animum inducere debemus. Sed & iſtam horum inſcientiam compenſare decet cum maximis, quas primi adinvenerunt, artibus ac diſciplinis; & nobis gratulari licet, qui, præter ea, quæ ab ipſis accepimus, multo eorum labore & induſtria & ingenio illuſtrata, ſuaviſſimam hanc doctrinæ & ſacratioris myſterii lucem aſpicere primum potuimus. Quanquam qui recens iſtud inventum clamitant, videant quid Lugdunenſibus, quid Britannis reſponſuri ſint: quorum hi, nonnullius ſuæ devotionis convicti, opinionem hanc abhinc annos prope ſexcentos publicis religionibus conſecrarunt: iſti centum poſt annis, feſtos dies anniverſarios, rei hujus gratia agere cœperunt. Quod ſi viri præclara eruditione atque ſanctimonia duo, Bernardus & Thomas, ſive nimia religione præpediti, ſive quod vererentur, ne, dum matri gratificari ſtuderent; ceteros illi honores omnes, virginitatis, gratiarum, gloriæ, ſaluris humanæ reſtitutæ, adjudicarunt; hunc unum vel recuſaront, vel non dederunt, ac nullum ſuum ea in re judicium interponere voluerunt: hominibus laudem tribuendam puto, quod egerunt; veniam dandam, quod omiſerunt. qui ſi in noſtra hæc clariora tempora incidiſſent, non dubium, quin ejus uterque auctor ſententiæ extitiſſet, cujus neuter ſuſtinuerit ſuffragator eſſe.

Atenim non deſunt hodieque, quibus id, quod defendimus, videatur ſecus. Quibus ſcilicet, & quam gravibus iſtud diſplicet? Hæreticis? Expectandum, credo, fuit, ut qui nobiſcum vulgo diſſentiant, in eo convenirent; & qui cetera detraxerint omnia virgini, hoc intactum relinquerent. Etiam egregie catholicis & bonæ frugis hominibus. Ubinam illi gentium, & qui tandem? prodeant in medium, & ſuam mentem ſaltem exponant. Verum non facient, certum ſcio. neque enim ſunt neſcii, pontificia lege ſancitum, ne quis contra concionetur, doceatve, aut publice quomodocunque dicat. quod ſatis ſigni eſt, rem eſſe auribus audientium indignam, quam compreſſam ita oporteat, ut ſit, in vulgus efferre, flagitium. Si quis eſſet tamen iſtiuſmodi, non tam animo alienus ab hac cauſa, quam errore lapſus, qui inſuſurraret ad aurem mihi familiariter, quid ſentiret: hunc ego dedocendum potius comiter, quam inſectandum graviter putarem. Quare ſi ita ſe res haberet, ut miſeram illam ac turpem hereditatem procreatoris primi Maria creverit, jamque ab ortu in tantum & tam grave æs alienum inciderit: hanc, quod nefas dictu eſt, conſequens tamen & conſectarium, ſontem ac maleficam dicerem; inimicam Dei appellarem; in communis hoſtis omnium fuiſſe poteſtatem vociferarer. Subjicerem, ſi non ante liberam ſuique juris eſſe vult, quam in cuſtodiam traderetur, nihil videri tanti, neque ita magnum a Deo beneficium habere, quod & tali dedecore atque infamia conjunctum eſſet, & cum aliis jam nonnullis, Jeremia, opinor, & Joanne, commonicatum. Urgerem etiam multo fuiſſe cum primis hominum parentibus, quam cum Dei matre, actum benignius, quorum innocentia æqualis ipſorum perhibetur ætati. Ne illud quidem prætermitterem, quod non hoc modo loco, ſed aliis etiam ejuſdemmodi pleriſque, ad fidem faciendam plurimum valet; neque Deo optimo maximo perficiendæ rei voluntatem, neque facultatem defuiſſe: quippe qui fuerit & bene animatus

filius

filius in parentem optimam; & legis ipse quam tulerat, non secus ac rerum omnium, arbiter, auctor & dominus. ut propter summum legislatoris imperium, excipere facile potuerit; & propter benevolentiam, quam erga matrem habebat, non noluerit.

Et quoniam huc incidi præter propositum, præterque mentem, ut id probarem, quod probationis, apud vos præsertim, non egere prædixeram; non committam, ut iste a me locus inchoatus relinqui, & affectus potius, quam confectus esse videatur. Hic ergo de vobis, auditores, quæro. Si ea daretur optio, ut, aut matrem arbitratu suo deligerent singuli, aut suam ornamentis omnibus explerent: quotus quisque inveniretur, qui vel in delectu præceps, vel in ornatu parcus esset? Profecto, si quid hominum ingenia novi, nemo foret omnium tam inconsultus ac parum prudens, tam suorum, tam sui hostis, qui non præstantissimam quamque aut ascisceret, aut efficeret. Quid ita? Quia, cum liberorum in parentes, vicissimque parentum in liberos, splendor ac gloria redundet, rationibus merito se suis inservire putat, qui inservit matris. Sed nihil est necesse perquirere, quid facturi isto loco simus, cum in eo omni cujus nobis potestas permittitur, idem, si nostra tantulum intersit, faciamus. Quod igitur nostrum nemo prætermitteret in re sua, existimabimus Deum aut per inconsiderantiam non advertisse, aut per malevolentiam non egisse? Nam invidisse hoc illi boni qui potuit, quod ad se maxima ex parte pertineret? Neglexisse porro quomodo; cum non de corporis bonis, multo vero minus de extraneis; sed de summo bono, id est, amicitia Dei ageretur? quam si Deus ipse parvi fecit, seipse parvi fecit: si magni, quo pacto quam matrem vellet, eharam sibi esse jam tum, & amicam noluit?

Sed ista sane sint filii, non tam matrem, quam se honoremque suum respicientis: lex amicitiæ quid jubet vetatve? Ecce tibi, quem diligis unice, eo jam loci est, ut in prærupta saxa imprudens; aut in altissimam speluncam præcipitet, atque corruat? Quid ageres, homo necessarius? hæreres? morarere? accerseres eum, qui mederi posset; si brachium, aut crus fregisset? ac non potius accurreres; admoneres periculi; lacinia retineres; manus, latera, corpus ipsum medium prius interponeres, quam in tantum discriminis, præsente te & inspectante, vir amicus veniret? Atqui etiam videmus in incendiis publicis, in eluvionibus, ignotis hominibus ab ignotis, si res fert, & viatoribus succurri. Ac ne notam quidem ferre diutius possumus in ejus, quicum loquimur, vultu, quin manu confestim eluamus admota.

Verum omisso quid filiorum rationes, quid amicorum exigant: faciamus, id quod dictu durum est, præstantissimam omnium feminarum, eadem, atque ceteras, conditione, ac miseria nascendo fuisse. Vestram fidem, auditores? vestrum consilium! quid abest huic virgini, quod si adesset, plane perfectam putaretis: cum desit, minus absolutam putetis? Vita habet nihil commune: mors hoc peculiare, quod non tam animum a corpore abstraxerit, quam brevi temporis dissidio ac desiderio interjecto, utrumque in cœlum immiserit. Vita omnibus ornamentis tum animi, tum corporis, tum humanis, tum cœlestibus abundavit: mors, ad immortalitatis eximium præter reliqua genus quoddam, viam aperuit. Inita subductaque summa, sic reperiemus: si omnes ætatis partes volumus bene & ratione descriptas; si primordia & mediis consentire, & extremis: nihil superesse satietati nostræ, sed aliquid requiri ad cupiditatem: id autem aliquid, ut quæ vitæ progressu, quæ discessione e vita, omnibus post hominum memoriam præstitit; introitu in vitam, hac immunitate culpæ differat. Quid ergo? Optata nostra Deus, nostram cogitationem adeo non vicit, ut perfecti optimique formam habeamus, quam ille, in fingenda virgine atque expolienda, non expresserit? Amentes simus, auditores, si tam demisse de tanto opere, tam humiliter de tanto artifice sentiamus.

Frustra jam sudo & nimium diu laborans, quomodo jus suum magna Dei mater retineat, atque innocentiæ illi sua permaneat stabilis ac perpetua possessio: cum minime litigiosa res sit inter nos, neque interdicto unde vi ullo teneatur: & causam virgo suam perorare, si hoc opus est, multo, quam quivis nostrum, melius queat. Hæc enim si vobiscum loqueretur & ita diceret. Quando mihi quidem divina benignitate omnia suppetunt, quæ consequi aut optare, sive ad naturam homines, seu ad mores possunt: an hunc de laudibus meis cumulum detraetis? an hac me mei absolutione & perfectione, suffragio vestro, privabitis? Neque vero peto, id ut mihi tribuatis quod non potestis; quod si possetis, tribuere vos oporteret; sed ut a Deo concessum, æstimetis saltem, agnoscatis, ne præfracte & pugnaciter negetis. Hæc, inquam, si diceret, nonne impetrare deberet: ne, cum ipsius felicitati Deus largiendo non defuisset; ipsi vel non assentiendo deesse videremur? At vero non modo hæc dicit, sed & ista graviora, quæ longe apud vos valere plus debent. Nullum mihi Deus immortalis donum, nullam dignitatem contulit; nullum mortales elogium, nullum insigne laudis, nullum pietatis suæ testimonium dederant; quin contumaces & protervi novatores violarint, imminuerint, eripuerint. Illi de aris ac templis, de urbibus & provinciis, cultum ac venerationem mei sustulerunt. illi meos honores cum plebecula & mulierculis pervulgarunt. illi me levitatis, imprudentiæ, curiositatis insimularunt. Sed hos ego non miror, haudquaquam mihi, qui injuriosi fuerint in Deum, pepercisse. vos mirari videlicet satis non queo, meos, quemadmodum prædicatis ipsi, servos; sicuti ipsa malo, filios, in ardore tanto malevolorum hominum frigidos, in tanta contentione lentos: cum isti male suis factis præeant, quid vos amici facere debeatis. His vocibus, plenis doloris, plenis veritatis, nonne jure movebimur? nonne ornamenta non modo restituemus erepta, sed etiam certatim congeremus nova? nonne alios atque alios honores, solemnesque ritus ac cerimonias excogitabimus, inducemus, quas obtrectationibus & convitiis desertorum fidei & militiæ, & a nobis perfugarum, opponamus? nonne denique his gravissimis justissimisque matris optimæ querelis

lis respondebimus? Nobis vero, totius mundi atque naturæ domina, ægre est, doletque vehementer, quod, qui lucis illius tuæ ferre fulgorem non possunt miserrimi homines, & tibi cum invidia, & veritati cum pertinacia adversentur: malintque, ut debitores nequam & improbi, debitum inficiari, quam dissolvere. Quod si unicuique nostrum ad hanc diem tantum non est elaboratum in tua illustranda dignitate, quantum illis in deformanda: ne, quæso, ne oblivione, aut negligentia, aut alienæ voluntatis vitio factum puta; sed ignoratione, qua potissimum te decus tuum, quod isti quotidie magis irent imminutum, augere possemus. Tu modo suggere quid te deceat, quidve maxime cordi sit. neque ingrati animi notam, neque tuam malam gratiam defugimus; si aut scelestorum impietatem non vincamus pietate nostra, aut bonorum qualiacunque erga te studia & merita non æquemus officiis. Hic quid animi nobis est, auditores, quid consilii? Utrum hoc dubitamus, isthæc locuta virgo sit; an gratius ei quicquam a nobis, atque honorificentius accidere possit? Numquid desideramus ejus verba, cujus mentem perspicimus? numquid expectamus, dum lapsa de cœlo pro se ipsa vocem mittat: aut forsitan olim tam longo intervallo non misit? Misit vero, & disertam quidem: cum gratias egit amplissimas non nemini, qui tantæ rei memoriam peculiari observantia coluisset. Hujus actionis gratiarum jucunda recordatio est: attentione vestra digna narratio. Sed nostis hoc plerique omnes: & satis diu est, cum vestra patientia abutimur. De reliquo, labis expertem conceptum, & originem puram atque illustrem Mariæ gratulati sumus. gratulemur & nobis; tempus, quo vivimus; animum, quo sumus: tempus quidem, qui rem ac veritatem priscæ vetustati ignotam, per caliginem solummodo visam majoribus, a patribus paulo propius recognitam, oculis ac manibus teneamus: animum vero, qui quidquid honoris augustissimæ Dei parenti, ab extraneis minimeque Christianis gentibus, per ignorantiam non tribuitur, quidquid ab adversariis, & interpolatoribus sacrorum nostrorum, per malitiam adimitur, quicquid a nonnullis etiam de numero nostro & ingratis & obstinatioribus, judicandi inscitia denegatur, id omne, quantum in nobis est, sensuum & voluntatum propensione, observantiæ & venerationis assiduitate, omni genere officiorum, explere saltem studeamus.

ORATIO NONA.

De purificatione Mariæ.

Esset omnino optanda mihi, auditores, Simeonis integerrimi sanctissimique viri, Annæ piæ ac religiosæ feminæ, & alteri propagata divinitus ætas, & utrique concessa rerum occultarum scientia: quo, pari in causa, non dispari exitu, de magnæ Dei matris ingressione in templum, deque filio rite oblato, atque ex lege redempto pecunia, dicerem. Nam & auctoritas, justo jam quasi senior, dicenti conciliaret fidem, apud auditores æquos ac dociles: & divinandi opinio vel ab invitis ac repugnantibus, extorqueret. Sed quoniam mihi, id ætatis cum sim, quod vos videtis, insolita ratio favet annorum; neque vis illa major, afflatusque divinus inest: hoc me consolor saltem solatio, quod hac oratione rem habeam cum iis, quibus par & similis cum sit aviditas audiendi, atque hic olim fuit hominibus Judæis: tum vero, pro studio erga amplissimam virginem eximio singularique suo, facilitas existat credendi multo profecto major. Accedit, quod neque de Christo puero infante mihi quidquam commemorandum ex hoc loco putem: neque de Maria virgine amplius, quam quod & unius hujusce ferme diei res gestæ fuerint; & ipse declarare paucis, & consequi potuero recordando. ut non jam mihi præsagitione, qui futuri nihil attingam; sed memoria duntaxat, qui recolam præterita, opus intelligam esse. Quanquam non omni plane divinatione nostra vacabit oratio. Investigandum enim statui, quibusnam potissimum, & quam gravibus de causis, beata se virgo cum ipsos quadraginta dies tenuisset domi, venire in templum, accedere ad sacerdotem, ac non tam munusculum Deo immortali, quam se suaque in carissimo filiolo omnia consecrare voluerit. Hujus itaque penitus intranda mens est: mentis omnes excutiendi recessus: & ducendum conjectura, sicunde potest, quid illa spectans, obierit hunc sacrorum diem, statasque & solemnes cerimonias executa sit, quæ nihil unquam temere in vita, nihil, nisi summa ratione, fecerit. præsertim cum, auditores, præclare acta sint quædam ejusmodi, aut tam obscura, ut vix satis, nisi auctoris illustrata consilio, compareant; aut sic insignia, ut maxima lux tamen eorum, ac splendor ab actoris sensu & voluntate oboriatur, atque effulgeat.

Ac mihi quidem hoc in factum intuenti causæ occurrerunt admodum duæ, quæ nec ab re ipsa abhorrere, & cum Dei parentis moribus congruere mirifice visæ sunt. altera, ne quid sibi præter mulieres ceteras arrogaret, si quas illæ res divinas faciunt, peragere negligeret. altera, ne quid, quod ad integritatem vitæ, & castimoniam pertineret quoquo modo, prætermitteret. Nec vero mihi dubium est, aut obscurum cuiquam, quin his & magis idoneas, & haud paulo plures, cum animis vestris cogitando deprehendere possitis, atque deprehendatis etiamnunc. Sed, præterquamquod patior facile æstimatione tacita vestra orationem hac in parte vinci meam; neque proposui mihi, ut omnia ejusdem rei capita ac fontes persequerer, neque id agere, neque in eo laborare debui, ut in communem vobiscum sententiam incurrerem: cum nihil prohibeat, quominus & vestras pariter, & meas, & alias præterea causas unius sui facti habuerit.

Fecit igitur patrio more & modo, ut a partu aliquanto, ad templum recta, & ad templi antistites adiret. Quod vero iter consulto iniit, & quodcunque hoc erat negotii, administravit atque confecit, ut sibi sumeret præcipue nihil, neque ab ullo munere vacationem, neque dignitatis ullius, aut gratiæ splendorem: hoc nimirum

illud

illud est, cum per se præclarum & laudabile natura, tum in comparatione singulare atque eximium, quod nullo exemplo prima, quod more ubique suo constantissima virgo usurpavit. Præterit, opinor, neminem vestrum, habere hoc plerosque omnes, ut, sive vere, sive falso, & plurimum sibi tribuant, & sibi ab aliis tribui cupiant plurimum. Quid enim? Quam multos novimus, id si scire curamus, fictis & commentitiis originibus, emptaque fide genealogorum, ementiri genus suum? Quam non paucos, qui rem non habeant, ostentare opes, seque inter suos pro copiosis & locupletibus gerere? Quam infinitos, vel rudes & imperitos rerum, vel parum moratos, scientiæ præ se & virtutis ferre speciem; nomen & famam consectari? Deuique nihil quidquam tam, quam videri velle pluris, quam sumus, & præter id quod sumus, vulgare. Hoc videlicet artificio miseriam suam occultat homo homini, ac se ipse prope celare studet, imbecillitatisque conscientiam potentiæ simulatione solatur; ut, quoniam parum admodum potest ac valet, posse aliquid saltem & valere videatur. Quæ vitii ratio cum generis sit utriusque, tum in muliebre ingenium quammaxime cadit. credo quod, quantum feminam natura infra virum fortuna & conditione abjecit, tantum emergere ac viribus se suis efferre, idque quod reipsa deest, in speciem saltem supplere, & opinione conetur. Quorsum igitur hic satis alte petitus sermo? quorsum? Ut intelligere possitis aliter de hominum vulgo, qui aut naturæ suæ vitium commune, aut generis sui peculiare contraxerint; aliter de virgine beata, quæ non tantum alienum sibi non appetierit, sed ne suum quidem penes se retinuerit, esse cogitandum. Cum hoc, ut de ceteris modo reticeam, aut auctoritati matris amplissimæ, aut filii promeritis immortalibus ac divinis tribuere merito posset, ut ne jussis publicæ legis pareret: decedere de jure suo, quam de ratione agendi communi; suamque dignitatem minui, quam desiderari observantiam, maluit. Noluit quippe aut æquis expostulandi secum quoquo nomine, aut iniquis obtrectandi locum præbere. ne hunc quidem imprudentibus & rerum imperitis dare sermonem: Quid sibi ista vult? cur legi non obtemperat, recta præsertim, & honesta, neque difficilia imperanti? Cæca, si indigere se priscæ & solemnis expiationis non videt: impia, si, cum videat, uti nihilominus recusat.

Atenim fecit hoc semel: nihil ante simile quidquam, nihil postea. O præclaram Mariæ consuetudinem! si bæc modo appellanda consuetudo est, quam ut una introduxit, sic una servavit, tamque constanter servavit, quam sapienter introduxit. Quid enim frequentius, usitatius, magis quotidianum ulli quidquam, quam hoc clarissimæ omnium reginæ, & demisse humiliterque sentire de se, & parum elate & ample loqui, & pro eo sese, quod aut sentiebat, aut loquebatur, gerere: neque verbo sibi quidquam, neque facto, ne cogitatione quidem ipsa, arrogare? Quærite, obsecro, auditores, illius de se quæ sit opinio. Imbecillem se putat, putat afflictam: & ita imbecillem, itaque afflictam, ut Deus ad hanc sustentandam infirmitatem, ad erigendam & recreandam quasi abjectionem, solius sit personæ rationibus permotus. *Respexit* scilicet *humilitatem*, id est, si verbi vim interpretari & mentem loquentis velimus, quam inopem præter ceteras esse, & indotatam virginem vidit, rerum eam dote cœlestium locupletandam susceptr & ornandam. ut aliud nihil insigni mitericordiæ, nisi miseria insignis, obtulerit occasionem. Attendite porro, quæ ipsa de se verba, atque illo præsertim tempore, cum e cœlo ad eam legatio missa esset, habuerit. Spectaculum sane quam jucundum, cœlestem legatum & ætate vix adulta puellam contendere inter se: illum extollendo, hanc sese deprimendo: illum appellando honorifice, hanc respondendo sumtnisle: illum parentem Dei consalutando, hanc ancillam se esse subjiciendo. Et voces, credo, ambobus, ad exprimenda cogitata mentis, defuerunt. ut si quid ille procreatione Dei majus nosset atque altius, nomen inde tracturus, quo Mariam vocaret, fuisset: si quid hæc inferius putasset famulatu, eo usque, æquo animo, immo vero gaudenti ac libenti, devenisset.

Accipite autem, auditores, accipite ejus & opinioni, & sermonibus factum unum de multis non dissentaneum. Erat illa prægnans mensem jam sextum. Conjux sibi conscius, ac de se certus nihil id ad se, quod erat conceptum, pertinere. neque addubitare tamen de castimonia & fide conjugis fas putabat. Tametsi in alia quavis ab virgine nostra, ad suspicionem multa concurrebant: adolescentis feminæ ætas; iter a domo bidui; absentia trimestris; hominum alienæ pudicitiæ imminentium magna copia, obscuræ insidiæ, vis aperta. Quo se convertat, aut quid tandem consilii capiat? Quod factu nec difficile videt, & necessarium arbitratur, de clandestino divortio cogitat. ita & uxoris honori consultum & una eademque opera scrupulo religionique suæ abunde satis esse factum judicabat. Illa vero in tantis famæ periculis quid? quid in sollicitudine mariti gravissima? Quid fecisse, auditores, aut quid facere censetis debuisse? An non confestim probare innocentiam iniquissimo hoc tempore suo? anteactam vitam ad præsentis culpæ afferre depulsionem? mortalium fidem, opem immortalium implorare? terram, cœlum denique testari ipsum? Nihil horum. At saltem id, quod res erat, fateri, e divino fetum hunc satu esse, non humano consortio. Persuasisset id, quod indicanti & confirmanti postea angelo creditum est? Bene habebat. Non persuasisset id, quod videbatur suapte natura satis incredibile? Quod in se fuit, certe præstabat. Ne hoc quidem. Quid igitur? Obmutuit, neque verbum fecit ullum, quo conjugem cura, se infamia liberaret. Immo, quod silentium imitatur confessionem, taciturnitas assensioni finitima est: tacendo movere suspicionem visa est; non inficiando agnoscere crimen. At quam ob causam, Deus immortalis! conticuit? Ob quam quilibet gestiret loqui, nec se teneter, quin rem divulgaret sermonibus, & clarissima voce testaretur. quod nota culpæ nihil erat: quod quidquid erat, id perhonorificum totum erat. Adduci nunquam potuit verecunda virgo, ut quod sola norat, honori sibi & gloriæ fore, quodque timide ac diffidenter, conditionis humanæ conscia, cum offerretur, admiserat, ut sanctissi-

mi Spiritus opera & beneficio inaudito quodam velut gravidata conciperet, ſuo id ore proferret, & aut ſponte primo patefaceret, aut rogata reſponderet: multoque duxit ſatius cauſam ſuam aut reticendo prodere, aut integram numini divino permittere; quam aliquid, quod eſſet nonnulla cum ſua laude conjunctum, vel ſtrictim ac leviter attingere. Quocirca Deo, qui neminem patitur in vita, ne iniquos quidem ſuos a ſe deſertos, virgini ſua gratia & verecundanti, & periclitanti, faciundum fuit, ut ſubveniret, legaretque in terras angelum, qui cum rei certiorem maritum faceret, tum uxoris modeſtiæ pariter atque innocentiæ inſerviret. Et mirabimur hoc virginem loco, non ſumptuoſum, ut feminæ primariæ, pependiſſe munus; ſed, ut tenuiores, parabile atque contemptum; quominuſque haberetur non ſolum infecta corpore a partu recenti, ut mulieres cunctæ, ſed etiam fortuna egens, ut aliquot, non recuſaſſe: quæ cauſæ nihil dixerit, quin nocentiſſima, & ſummi, in uxore quidem, dedecoris & probri affinis putaretur?

Quanquam hoc ejus factum, ut cum reliquis ejuſdem collatum admiratione careat, quod crebritas rerum ſimilium nihil admirationi loci relinquat: habet tamen, ſi cum hominum comparetur factis, unde animos teneat novitate ac præſtantia ſuſpenſos. Homines, abjectos omnes, ac revera terræ filios, degere mortalem hic vitam, contentos parvo & ſuo; ſibi nihil aſſumere; de ſe nihil gloriari: ut in hac quidem perverſitate morum, laudabile: ut natura rerum eſt, minime mirum. At virginem vero, cui longe maxima ſuppeditata ſunt de cunctis, quæ aut opere & induſtria comparari, aut divinitus accipi dono queant, nihil aſciſcere præcipue ſibi, nihil vendicare; nihil: velle ſecum agi ſummo jure, neque alia conditione, atque infimas quaſque, uti: quanti illud tandem, quam admirabile, quam divinum, quamque iſtius unius habendum proprium, cenſetis? Itane vero? Cui ſingulariter omnia Deus, extra ordinem omnia, ſupra omnes omnia conceſſit, tu nihil uni privatim tibi attribuas? tu ſingula, non faſtidio aut contemptu, non ſatietate abjicias abs te, atque deteſtere; ſed moderatione certa relinquas, æquiſſimoque animo careas? tu in rerum varietate omnium, ſimpliciter & uniuſmodi; in abundantia, parce tenuiterque vivas? Atqui hoc veſtrum, auditores, quis ignorat, quin quod in prodigiis numinis ſummi poteſtas, in largitionibus magnificentia ſolet efficere, id Deus in eam totum, ſine exceptione ulla, proprie, tanquam ſua manu, congeſſerit? Numquid hoc peculiare eſt, quod ei fraudi, quod ab Adamo communi omnium parente naſceretur, non fuerit, labemque ab ortu nullam, contagione generis, hauſerit? Numquid hoc præcipuum, quod ubertate gratiarum & copia, non ſingulis modo, verumetiam univerſis anteiverit? Numquid hoc demum proprium, quod non tam mortem obierit, quam vi conſopita amoris, ad vitam alteram cum ſuaviſſimam, tum glorioſiſſimam experrecta quodammodo ſit: corpus autem ejus ab animi commercio, præmiorumque communione non plus abfuerit, quam quod erat ſatis, ut, quemadmodum vita, ſic triduo quoque ſepulcri, conſimilis filii mater eſſet? Equidem ſic exiſtimo, non hæc ſolum, quæ poſui proxime, admirabilia eſſe virgini beatæ beneficia tributa & data; ſed alia plura, & majora forſan, quæ aut certis de cauſis nondum novimus, noſcemus autem pedetentim, aut animo capere propter amplitudinem non poſſumus.

Iſta quidem divinatio eſt, dicet aliquis. Ego vero non abs re hoc, nec levi inductus conjectura, dico: quam confido me non tantum vobis, quorum nihil accidere ad aures poteſt, quod in virginis laude ponatur, non gratum; ſed quibuſvis etiam æſtimatoribus rerum non iniquis probaturum. Primum enim quam dudum eſt, de conceptus immunitate illa mirabili cum audivimus; ex hoc communi hominum cœno puram atque illibatam emerſiſſe; labem uoi ei nullam aut maculam, nævum nullum naſcenti primum inhæſiſſe? Non ita multos ante annos res inſolens, prodigii ſimilis, inaudita: aut, ſi cuiquam venerat in mentem, propter excellentiam incredibilis videbatur. Et vero Bernardus: at qui vir? ſanctiſſimus, intelligentiſſimus, &, id quod ad rem ſpectat maxime, amans Mariæ eumprimis ac ſtudioſus. Is igitur talis ac tantus, cum percrebreſcere iſta primum opinio, & jactari cœpiſſet in vulgus; non ille quidem, ut minus probabilem, exploſit; ſed, ut nondum ſatis exploratam, non admiſit; diſcutiendam ac dijudicandam melioribus & auctoribus, & temporibus reſervavit. Quod ſi quis abhinc annos ducentos, aut eo ferme tempore, quo hujus rei mentio facta nondum erat, extitiſſet ejuſmodi, qui, cum dabatur integrum, negaſſet præfracte, quod nos nunc omnes, qua victi vi rationum, qua pontificiis auctoritatibus impulſi, ore uno defendimus: nonne deceptus is, ut leviſſime dicam, opinione longe fuiſſet? Age porro, ne conſtans quidem ſententia omni tempore fuit, aut amoris redundantia quadam emortuam, aut ita emortuam, ut triduo poſt revixerit corpus, & in cœlum una cum animo, ita ut erat antea, evolarit. Si quis ergo tum dicendo proceſſiſſet longius, atque ita contendiſſet, nihil afferri de matre virgine poſſe novi, quod auditum alias, compertumve non ſit: & mendacii poſteriora illum ſæcula condemnaſſent, & ſua inſimulare potuiſſent temeritatis, qui id non dubitet aſſeverare pro certo, quod certo ſciri, cum falſiſſimum ſit, ac liquido non queat. Quis igitur Mariæ dignitatem, amplitudinem, præſtantiam, humanæ mediocritate intelligentiæ metiri velit; tamque cum ea agere inique, nihil ut illi concedendum putet, quod non ante in ſenſus noſtros incurrerit, in cognitionem venerit? Quis iſto, quod nunc habemus, extatque, terminari modum oportere judicet eorum, quæ Deus optimus in hanc liberaliter contulit: ac non potius ſplendidiora ſupereſſe & magnificentiora permulta præſentiat, non ipſi impertienda quidem, ſed cognoſcenda nobis, quæ fugere quoque ſcientiam majorum? præſertim cum plurima idem nos Deus ſæpe celaverit, idem virgini, hoc eſt, pater natæ, conjux ſponſæ, filius matri, nihil non large effuſeque donaverit. Ego autem ſic intelligo, ſic rem interpretor totam: Deum optimum maximum, qui & videat animos hominum in ſacris & cœleſtibus venerandis, novitate duci ut plurimum atque opinione; & nolit

cariſſi-

cariſſimæ parentis cultum obſoleſcere propter vetuſtatem, aut refrigeſcere prorſus, atque in perpetuum extingui: quæ largitus ſimul eſt, ea partibus & paulatim nota feciſſe; eam notitiam quibuſdam certis illigatam ſæculis conſignaſſe: quo innovaret identidem nos ad pietatem, amorique noſtro faces & ignem religioſiſſimum ſubjiceret. Accedit eodem, quod, ſicut hoſtes exoriuntur in dies novi, qui internecinum virgini bellum indicant; irridendi, maledicendi, obtrectandi faciant finem nullum: ita providendum fuit, ut copiæ novæ ac ſupplementa, quæ contra ſummitterentur; id eſt, cultores novi ne deeſſent, & arma nova, ſive collaudandi argumenta, ut locis, ſic temporibus diſpoſita, quotidie magis ac magis ſuppeterent. Sentio a via me curſuque inſtituto divertiſſe paululum, & ab uno aut facto, aut facti conſilio, ad alia complura, contraquam propoſueram initio, excurriſſe. Verum hæc digreſſio tamen, auditores, niſi me valde fallit opinio, neceſſitatis fuit, non voluntatis; judicii certi, non fortunæ, aut cujuſdam mentis impetus. Neque enim intelligi potuit ſatis, quam hic alte beata virgo deſcenderit; niſi declararetur quo loco eſſet etiam tum in terris, quamque excelſo & illuſtri ſita: nec quam nihil ſibi, ne hanc quidem legem ſervare non nolens, arrogarit; niſi fieret palam, quid arrogare ſibi jure ſuo quodam potuiſſet.

Venio nunc ad alteram, quam a principio dixi cauſam virgini hujuſce pulcherrimi facti fuiſſe, ut ne quid, quantum eniti poſſet, effluere ſineret ſibi, quod ad virginitatis vel complementum, vel ornamentum, aliqua ex parte pertineret. Qui poſterior ideo locus a me tractabitur paucis, quod verboſior in priore fui. ut orationis ſuperioris longitudo, & ex ea faſtidium natum, ſi quod fuit, conſequentis brevitate compenſetur. Eſt hominum moſne dicam inveteratus, an inſita a natura propenſio, ut creſcere magis magiſque in omnem partem velint, & ad majora venire tanquam gradibus. Student hoc unum locupletes, ut fortunis; ambitioſi, ut honoribus; homines etiam frugi atque integri, ut continentia ac probitate augeantur, atque aliquid in dies proficiant. Denique, cui id quod eſt, ſatis eſſet, nihilque mallet, non proceſſum longiorem, non florentiorem ſtatum: effictus fortaſſe cogitando aliquis ad exemplar & ſimilitudinem veri: inventus reapſe adhuc nemo. quod ut in malis, cupiditatis nimiæ condemnandum non injuria eſt: ita in bonis, abundantia quadam fieri virtutis exiſtimandum. Quo majore mihi virgo commendatione digna viſa eſt, quæ, cum nulla fieri ad incorruptam vitæ ac morum diſciplinam poſſet acceſſio: cumulum tamen hic, ſi quo modo conſequi poſſet, adjungere conata ſit. Comparata lex ad partus abſtergendas reliquias, jubebat, ut ob id aliquandiu careret publico; caruit: ſiſteret ſacerdoti ſe; ſtitit: donum ac munus offerret; obtulit. hæc vero ſtudio tanto tria perfecit, ut, ſi præcepti nihil extaret, nihil legis; feciſſet perinde; ipſa ſibi lex, ipſa præceptum fuiſſet. tanta porro cum celeritate, ut, quem uſum remedium hoc haberet, utrumne ipſa, & virgo & mater Dei, egeret, non diem, non horam, non punctum temporis deliberandum duxerit: ſatis autem ſuperque habuerit, id alienum ab animi corporiſque integritate non eſſe. In quo ego quid primum laudem? quid demirer potiſſimum? Prudentiamne, quæ viderit continuo, hoc pudori obeſſe nihil, prodeſſe poſſe? an ſedulitatem, quæ occaſiones undique purgandi ſui arripuerit, & in lucro poſuerit? an utrumque, quæ eandem providendis ſolertiam, eandem rebus exequendis diligentiam, adhibuerit? Certe facere nullo modo poſſum, quin, ut in re pari præſtiti ſupra, ejus hic quoque deprædicem conſtantiam, quæ, quemadmodum in reliquarum virtutum cultura, ſic in hujus etiam, non commiſit, ut ulla ex parte diſſimilis inveniretur ſui. Quid enim egit in vita unquam pudentiſſima virgo, ſive majoris rei, ſive minoris, in quo rationem non habuerit integritatis vel præcipuam? Omitto, quo modo ætatulam primam, non ſua minus, quam parentum tutela & cuſtodia munitam degerit. De pueritia taceo, quemadmodum hanc deſponſam aris ac deſtinatam, non tam in templi, quam in caſtitatis cultu poſuerit. Ne dici quidem opus eſt, ut non cautione tanta & fide matrimonium cum marito, quanta virginitatem pacta ſit. Hoc, per fidem veſtram, auditores, cujuſmodi eſt, quod, cum honos poſt homines natos ampliſſimus deferretur uni, mater ut Dei fieret; ita, ſi jactura foret facienda virginitatis, prorſus rejecit; virginitate ſalva, non recuſavit? Quid, quod Eliſabetham ſobrinam inviſit, feſtinatione tanta, itineribus tam magnis? Quid erat, quod properato opus eſſet? Locorum invitabat amœnitas? At montana erant. Reditus urgebat neceſſitas? At menſes, uſquedum reverteretur domum, terni ſuperabant. Quid igitur fuit, niſi diligentiſſima omnis officii cura, ſagax, animi proviſio, conſultiſſima ratio, quæ aſſidue illam, etiamque atque etiam admonebat, proceſſus in publicum, foriſque commorationes, & cunctationes inter viam, neque infirmitati ſui generis, neque ætatis ſuæ flori ſatis tutas, contraque omnis pudoris inimicas eſſe? Tametſi quid ita demum attinet curioſius ejus in vitam univerſam inquirere: quaſi hac ipſa mone in templum, non conjectus oculorum, non impreſſa veſtigia, non muta corporis membra loquantur, ad hanc vel tuendam virtutem, vel augendam, conſpirationem tacitam mutuumque conſenſum? Nihil in aſpiciendo leviuſculum: nihil in ingrediendo aut tardum inertia, aut temeritate præceps: nihil in habitu actioneque reliqua parum moderatum. omnia dimenſa, & ad normam exacta rationis: plena ingenuitatis, plena ruboris, plena gravitatis & continentiæ omnia. ne hoc quidem genere laudis præſtabilia, quo apud nos commendari honeſta atque elegans conformatio corporis ſolet: ſed nova quadam, & divina ratione quaſi decentiæ. Quæ quidem ſingula non modo ſatis ſigni dabant, quanto apud eam in honore & pretio virtus hæc, quam in amoribus eſſet; ſed etiam, id quod memoriæ proditum eſt, eoſdem in animis intuentium ignes, atque ſtudia, vi incredibili quadam pluſque quam humana, excitabant. Videtiſne cum alias ubique in ſpeculis virgo fuerit, cum animo ſe, corpore denique toto in omnem partem intenderit, unde ſpes vel tenuiſſima pudicitiæ oſtenderetur proficen-

dæ; tum ne hic quidem ab hac sollicitudine mentis conquievisse, nec sui abluendi locum qualemcunque prætermisisse?

Sed næ ego incautus, nulliusque consilii, cui nihil adhuc profectum dicendo, rationibusque reddendis, quamobrem sacris Maria operata sit. Ad meas enim argumentationes, & conjecturas omnes, & ad alia ejusdemmodi, quæ coacervari potuerint complura, posse video uno aut altero verbo responderi: lege tenebatur. ita neque id illam demissionis studio & puritatis, sicuti nos pertendebamus; sed quod legibus teneretur, præstitisse: neque sane exquirendam causam esse, cur fecerit; sed exquirendam fuisse potius, si non fecisset, cur omiserit. Id si ita haberet, consumpsisse me frustra oratione tota operam faterer certe: nec eo confugerem demum, ut dicerem, licet obstricta religione officii teneretur, his tamen impelli caussis ad debitum munus, atque ad id, quod facto jam erat opus, potuisse. Sed longe aliter est. Etenim quis tam parum non dico in juris legumque prudentia, sed in communi usu, popularique intelligentia, & consuetudine versatus, qui non fando acceperit millies, hoc idem esse apud omnes nationes sive juris, sive moris, ut *Princeps legibus solvatur, & eadem Augustæ privilegia tribuat, quæ ipse habet?* Etsi enim is, quo aut tantum exemplo prosit suo ac servandis legibus, quantum imperio & constitutionibus sanciendis; aut ne reip. caput a membris turpiter indecoreque discrepet: quantum aliis imponit oneris, tantundem excipere ipse non gravatur, *seque legibus profitetur alligatum, & omnes, etiamsi ad divinam domum pertineant, vivere secundum leges jubet:* tamen, sive id gratiæ datum fuit, atque excellentiæ; sive quod ita natura fert rerum, ut, quemadmodum imperare proprie sibi, sic ponere legem homo nemo possit; immunem ab lege sua legislatorem communi quasi suffragio gentes cunctæ esse voluerunt. Jam ipsa illa lex, quidnam esse causæ putetis, quamobrem lata sit, nisi aut ad expiandum delictum grave aliquod & multiplex, aut ad sordes & quasi fæces, quæ a partu resederunt, quod ipsum legis nomen valet atque indicat, expurgandas? Quid autem expiationis virgo, quid purgationis indigens fuit, quæ neque ullo se scelere obligarat, cum integritatem atque innocentiam, velut ex edicto datam possessionem, propriam perpetuamque haberet; &, ut illecebris ac voluptate in conceptu, ut dolore in partu, ita sordibus atque fœditate in utroque caruerit? Sed faciamus sane, legi ipsum suæ legislatorem, virginem luendis erratis, eluendis maculis obnoxiam. Nisi hic diligenter ei, ac diserte cautum sit; nisi excipiatur una nominatim; nisi lex ipsum hoc, quod dico, clarius, quam dico, loquatur; nisi denique lex sit, ut ne legi parere cogatur: non recuso, quin egomet nihil hac in re vidisse videar, illa illhæc pietatis officia, non tantum ut debita, & ex præscripto aliquo ac juris norma, sed invita quoque & repugnans persolvisse censeatur. Vos modo, auditores, ad ea, quæ sequuntur, attendite animos, & legis mecum verba recognoscite. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum.* Quænam ista promulgandæ, ferendæ, concipiendæ, legis ratio? quis sic loquitur: aut quisquam uspiam natus puer est, ulla concepit mulier, satu virili nullo: hoc est, suus uxori defuit conjux, suus infanti pater? Vidit scilicet, vidit lator legis optimus, qui non solum præsentia constitueret, verum etiam multum præsentiret in futurum, puellam aliquando fore ejusmodi, quæ, id quod olim diu fidem, cogitationem semper superavit hominum, fecunditatem maternam cum virginali integritate conjungeret. Hanc porro, ut vulgari procreandi via & ratione a Deo præsagiit liberatum iri: sic verbis conceptis eximi tanto ante, & purificationis tanquam publici muneris vacationem habere perscriptam voluit. Ut jam ambigere liceat potius, utrum mulieres ceteræ hac quondam lege tenerentur, an virgo eadem ipsa lege ob insolentiam pariendi solveretur: cum quidem solemnis verborum formula utrumque; posterius vero, quod illustrius sit, clarius item in speciem atque significantius exprimat. Satisne perceptum habetis, quemadmodum & fuerit a sustinendo opere communis officii libera; & id, quod fecit, summa voluntate, summa animi alacritate, non legum ullarum imperio, aut coactu cujusquam, fecerit? Atque hæc quidem nunc abs me non idcirco disputata sunt, quod res dubia sit ac controversa; aut quo minoris negotii, minorisque semper virtutis putem, parere legi, quam id ipsum, quod sancitum lege sit, præstare sponte: sed ut intelligeretis, & causas ei aliquas retinendæ legis, cum communes defuerint, fuisse peculiares; neque nos hic ratione nulla vaticinatos, aut in hisce causis vel eruendis ex abdito, vel explicandis erutis, suscepisse laborem.

Quæ cum sint ejusmodi, carissimi atque amantissimi sodales; dabitis enim hanc veniam mihi, ut hæc extrema mea ad vos se convertat oratio; est certe, si unquam fuit, quod tantum nobismetipsis, quantum facere possumus, gratulemur, qui festum diem nobis eum vindicavimus, ac præcipue nostrum esse, delectu certo, judicioque voluimus, qui omnium sodalitatum communis jam, & vere natalis dies est. Quid enim tum spectamus, cum facimus sanctissimam pulcherrimamque sponsionem, ni operam demus, ne quid magnæ Dei matris dignitas a quoquam, atque existimatio violetur: cum primo quasi militiæ sacramento fidem obstringimus nostram, nos ejus sub ductu atque signis victuros, morituros: tum, inquam, quid spectamus, aut usurpamus aliud, quam quod hic suo nobis exemplo, magistra morum optima, virgo præivit? Illa ad minutæ se legis cerimonias abjecit: nos ad perparva & exilia, quod possumus, officia, ejus causa descendimus. illa mentis una corporisque munditiam, quoad licuit, ac multo etiam magis, quam necesse fuit, excoluit: nos virtutem eandem, si non pari atque ipsa conatu, at majori certe, quam ceteri, studio, curaque profitemus. illa hos ritus statos, omniaque solemnia, cum nullo obligata nexu esset, cum sua foret optio & potestas, servavit: nos legibus adstricti nollis, non vi aut necessitate coacti, ne inducti quidem ab ullo, aut invitati, quidquid præstamus, quantulumcunque est, a nobis minime debitum, præstamus. Quanquam inconsiderate dixisse videri possum ac ferme impie, qui honorem eum debitum negem, quem pro tenuitate nostra am-

amplum, pro amplitudine tua tenuem, tibi, augustissima virgo, exhibemus. Quis enim, obsecro, tanto nomini, tantæ dignitati, tantæ præstantiæ, honos tribui non debitus potest? Beneficia præterea, quæ accepimus, quæ speramus: quæ depulimus ad hanc diem mala; quæ in posterum, ut magna nobis opinio est, depellemus. Alia relinquo, quæ si minus remunerationem a nobis propter inopiam nostram exigunt; at cultum sibi aliquem, & declarationem officii, cujus justa nulla recusatio est, propter rei facilitatem deposcunt. Etenim hoc si tam vere, quam communiter fertur, quicquid excellit, id demum omne venerationem justam habere; quid ei observantiæ denegare sine injuria possumus, quæ naturæ dotibus, virtutum ornamentis, donis cœlestibus ac divinis, infimos, medios, summos, mortales, cœlites, tanto omnes intervallo relinquit, quanto abjectissimus ex omnibus unus ab altissimo, egentissimus a locupletissimo vincitur? Ut non magis hoc dolendum nobis sit, quod nequaquam parem valemus tam excellentibus adhibere personæ bonis reverentiam, quam istud lætandum, quod esse nunquam nimii possumus. Ceterum, quod faciunt vulgo comites & asseclæ principum virorum, ut eo se magis efferant, majusque decus interpretentur suum, quo adscripti in domum & cohortem potentiorum atque clariorum sunt: idem nos jure sane optimo gloriemur licet; quod domina nobis ea obtigerit, quæ cum omnium longe apud Deum gratiosissima sit; secundum Deum omnibus auctoritate atque copiis antecellat. hoc meliori conditione causaque, quam illi; quod, quamvis diviti domino pareant, non ea re commodo, liberali, studioso ac fautore suorum utuntur: nos voluntaria nostra hac atque honorifica servitute, clementiæ, voluntatis, beneficentiæque tantum in domina, quantum facultatis atque potentiæ nacti, ad reliquæ vitæ firmum & fidele subsidium, sumus.

ORATIO DECIMA.

De assumptione Mariæ.

CONDITIONEM esse deterrimam eorum, qui viverent, auditores; mortuorum meliorem; sed eorum longe optimam, qui nunquam nati sint, prodiderunt Græci sapientes. Quæ illis sententia visa est tanti ponderis ac momenti, ut non ab homine mortali, qui se ac res suas non satis norit, profectam; sed cuidam divinitati assignandam censuerint. Ferunt enim Silenum nescio quem, sylvas & solitudines incolentem deum, captum a Mida in venatu: de quo cum is Phrygum rex quæreret, quid optimum putaret homini, maximeque expetendum; tergiversatum primo fuisse, nec ullum dedisse responsum, ne suas homini miserias videretur objicere. dein quasi coactum, & mercede ista pactum suam missionem, regi declarasse id, quod erat, quodque sentiret: Non nasci, homini longe optimum esse: proximum autem, quamprimum mori. Sed profecto est hæc vox antiquior, quam ut Midæ primum temporibus audita videri debeat: & verior est, quam ut falsis commentitiisque diis adscribatur. neque attinet quidquam ad externos & profanos auctores, unde hæc humanæ vitæ præcepta hauriamus, confugere: cum sint in promptu sacræ literæ, quæ nos iis de rebus evidentius & certius, nec minus concinne eleganterque, id quoque si quærimus, edoceant. An vero ignoramus, hoc ipsum quam sit miserum vivere, & quomodo præclarius agatur nobiscum si statim moriamur, a rege sapientissimo Salomone multo ante pronunciatum, quam venerit in mentem, aut Aristoteli, cui tribuit Plutarchus, aut Crantori, unde, ut videtur, Cicero sumpsit, talia conscribere? Quid Christus dominus Deusque noster, cujus sapientiæ Salomon adumbrata effigies fuit, & qui ipse expressa Dei patris sapientia est, nonne hoc idem auctoritate sua confirmat, & exemplo gravissimo? Salomon, *Melior est*, inquit, *dies mortis natali die.* Et: *Laudavi magis mortuos, quam viventes: & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est.* Tum Christus: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Quis ille tandem? Furax & avarus, qui pecunia dominum prodidit adversariis: qui propter conscientiam tanti sceleris sibi ipse desperavit, suspendit se, & diruptus medius, & effusis visceribus periit. Censent igitur diversi, ut apparet, anteponendam mortem vitæ, & homini melius esse ac præstabilius, si neutrum ei contingat, hoc est, si nunquam suscipiatur in lucem. Nec unam nnius dicti causam habent omnes. Ita locuti videntur veterrimi quidam, Pythagorei opinor, aut similes: quod existimarint, animos hominum in corpora demergi, luendorum scelerum causa, quæ in vita superiore admisissent: ac proinde idem esse, nasci, quod prodire ad supplicium; idem esse vivere, quod plecti reipsa; idem mori, quod obire supremum diem pœnæ constitutæ. Falsum id quidem de animorum vita aliqua, priusquam caperentur corporibus. Sed hunc errorem nihilominus longo intervallo Origenes retulit; in eamque sententiam verba accepit Salomonis & Christi: cum aliud omnino ambo voluerint. Salomoni satis justa causa visa est, quamobrem malle debeamus, nos vel esse mortuos nunc, vel nullos unquam fuisse, quod vita sit hominum plurimis maximisque malis exposita quotidie. Habet enim illa iis, quæ jam posui, consequentia: *Nec videt mala, quæ sub sole fiunt.* Christus miserias & calamitates nullas putavit tanti: peccatum dignum putavit, ob quod optemus, ut simus nulli potius, quam admittamus in nobis: cum Judæ meditanti nefarium scelus, satius dixit futurum fuisse, si nunquam natus homo esset. Etsi autem, auctore Christo, fas videtur esse, detestari vitam, optare mortem, vota facere, ne ullo pacto ante fuerimus: tamen videndum quatenus, existimandumque potius dici, solitum id fieri ab hominibus, quam esse ex omni parte verum & æquum, aut permitti. Nam si considerare voluerimus, quid in hominum creando genere spectarit Deus, quomodo in lucem singuli prodeant, & alii propagentur ex aliis continenti serie, tres hos ad fines, ut numen observent divinum, ut juvent inter se, ut suæ privatim saluti sempiternæ consulant; si attenderimus morbos, ærumnas, damna, injurias, ceteraque ma-

la, quæ infestam habent hanc vitam, constantis & invicti animi exercitationes esse posse, instrumenta virtutis; etiamque ex peccatis & vitiis aliquid profici pœnitendo: merito sane ducemus in bonis, quod nascamur, quod progrediamur ætate, quod ad summam senectutem perducamus vitam: neque tamen ulla conditione recusabimus, immo vero apponemus lucro mortem, qua perveniatur ad tempestivos fructus magnorum laborum nostrorum, multarum vigiliarum. Quod cum verissime dictum fateri debeamus de singulis, quot sunt, aut fuerunt, aut cunctis in annis erunt, hominibus, tum de Maria virgine ac Dei matre multo magis: cujus introitus quidem in vitam, lætis omnibus atque initiis felix; discessus vero e vita, cumulum habuit omnium animi & corporis bonorum. ut, si unquam alias in ullo, melior fuerit die natali dies mortis. Quare sic contendo, Mariam, cum mortales cunctos nascendi conditione superarit, ipsam a se superatam moriendi genere & modo, vitæque, quamvis fortunatissimæ, supremum esse diem illius, quo die animam egit, præferendum. Meæ sententiæ rationem reddere possum, quod quæ bona nacta sit nascendo præter ceteros homines, eadem ab ipso statim obitu reddita sibi, ac restituta in melius, & meliori in causa & conditione posita, denuo acceperit. vita nascenti data, vita mortuæ: vita corporis, vita animi. gratia subito atque in antecessum impertita: gratia stabilis ad diuturnitatem, & perennis, & cum tempore toto ætatis adæquata. Par huic & proportione respondens decus ac præmium & debita merces; quæ, & statim mortuæ, & tota reddita est; & in tempus sempiternum. Sed agamus clarius, & minus presse: neque res, luculentas & insignes, involvamus orationis brevitate.

Satis constat Mariam virginem, cum matris in alvo primum conciperetur, tum corpore, tum animo vivere cœpisse reipsa & proprie, dissimiliter tamen: cum quidem suam corpori vitam animus; animo suam gratia daret. Ego vero eandem animadverto, posteaquam mortua est, duplici rursum donatam vita; & cum in corpus animus rediret, eique, ut antea, ac multo etiam arctius jungeretur; & cum animum eximius quidam splendor gloriæ, par & æqualis gratiæ, quam in vita priore habuit, illustraret. Certum deinde Mariam, quodcunque vitæ animo & corpore accepit ab initio, ante tempus & anticipatione quadam accepisse. porro quod semel possedit, divino firmatam & stabilitam beneficio, constanter & perpetuo, sine ullo dimittendi metu, possedisse. Etenim cui dubium nunc, quin celerius gratiam maturiusque a Deo acceperit dupliciter, & quod in utero matris sancta effecta sit, quod paucis evenit; & quod labem ab origine nullam contraxerit, quod contigit nemini? Quis non intelligit, quemadmodum hæc ipsa, quæ tantum prævenit, gratia & sanctitas, ei tanquam certa & stabilis possessio ad extremum permanserit? Quoniam autem, ut gratiam, ita rationem & intelligentiam prævertisse tempus, valde probabile est: non dubito quoque, quin usus aliquis exiguorum membrorum fit ante diem, vel datus ei, vel quoquo modo suppletus: vt quamprimum utroque, id est, gratia & ratione commode uteretur, neque cessaret unquam: cum tanto fructu sine impendio laborare posset.

His tot, ac tantis animi corporisque bonis, atque ornamentis, quæ Mariæ vitam exceperunt ineuntem, & comitata sunt, nonne habemus, quod opponamus e regione in ipso obitu, quodque æqualiter respondeat, atque haud paulo plus etiam in omnem partem valeat? Quid hodie, sanctorum patrum omniumque doctorum assensu, agnoscimus, & confitemur? quid communi studio, solemni pompa, frequentissima celebritate omnis generis hominum Christianorum, colimus ac veneramur, nisi Mariam, relicta terra, cœlo assumptam & justa ac merita in sede dignitatis locatam: hoc est, corpus ei suum redditum, ante tempus cunctis præstitutum mortalibus; animam splendore & gloria donatam, supra cunctos etiam secundum Deum immortales? Huc adjungamus licet, quod jus, in decursu vitæ, & beneficium duplex habuit, ut sponsa esset Spiritus sancti, materque Dei; id etiamnunc totum retinere, & tantis gaudere nominibus ac gloriari. Quibus accesserunt altera duo, & belle convenientia, nec parum gloriosa, ut & creata sit ac declarata regina angelorum, & instituta hominum, quos sibi singulos adoptarit, quasi altera parens. Quæ universa cum admirabiliter concurrant ad supremum decorandum diem sacræ virginis: sequitur profecto, hunc non modo nihil cedere, sed potiorem etiam & illustriorem esse primis ac mediis vitæ diebus; omninoque dignum videri tonus, quod cantu, & lætitia, & maximis plausibus, non plangore, ut mos est, & lamentatione prosequamur. Ac de corpore reddo singula. quibus quæ sunt animi, suo quæque loco & ordine connexa, subjiciam. Quid corpori, sive ut vicinum morti spectetur, sive ut recens privatum vita, conquerendum ac deplorandum? quantum damni vel facit, vel sibi timet? quem sensum mali habet præcipue in communi casu humanarum miseriarum? Videsne, ut ultro & sponte quodammodo sua, decumbat in lectulo, non fessum lassitudine propter laborem, non confectum viribus propter ætatem, non oppressum vi morbi, non sopore aut ullo veterno languidum; sed integris sensibus, optimo habitu, & ad divinos vocatus omnes promptum ac paratum? Sentis, ut pari æquitate, constantia, firmitudine, qua fruuntur alii vita, mortem expectet, quæ proposita omnibus, & definita, necessitate quadam naturæ sit. Quanquam haud scio, quid ei necesse fuerit mori, quæ mortalitatis legibus teneretur ferme nullis: primum non ulli obnoxia peccato: deinde a cupiditatibus invicta: tum partus vacua laboribus. Cui si moriendum fuit tamen, si extrema patienda, ut communis hominum conditio fert: parumne passa, parumne mortua est cum nato, cujus extremum spiritum morientis in cruce, ore mœstissimo, mater excepit, & cujus teterrimos atque indignissimos cruciatus futuros, tandiu animo & cogitatione præcepit? Sed esto sane: mori rursum, aliterque debuerit, &, ut ipsi morimur nos, cum animus exit e corpore, hac quoque fatali necessitate defungi. Nunc quidem sub hunc discessum nihil patitur corpus

per

per ſe, ut dixi. Sed neque patitur quidquam ab animo, qui ſæpe tunc in aliis ſolet exhibere plurimum moleſtiæ corpori, ſive recordatione præteritarum, ſive ignoratione & incerta expectatione futurarum. Equidem facile intelligo, id quod experimur in multis, & oculis videmus quotidie, hominem moribundum, ſi non ita cum fide & juſtitia, virtutique convenienter vixerit, ut agitatur animo, & perterretur, & multis ac miris modis vexatur; ſic etiam dolere corpore aliquid, & male habere: utque animus ſibi diſcors eſt & contrarius, quem multorum ante actorum pœnitet; ſic venire corpus in partem curarum & ſollicitudinum: utrumque porro cunctis prioribus avocamentis & ſolatiis vitæ ſpoliatum atque orbatum, ſummo labore, ſummaque miſeria, luctari cum morte. At vero ſanctiſſima Mariæ anima, quæ revera talis eſt, qualem falſo eſſe vult Ariſtoteles virum bonum & frugi, ἀμεταμέλητος quæ nihil unquam, quod pœnitere poſſit, fecerit; numquid ſibi placet, ſe fruitur, ſe oblectat ſemetipſa? num facere poteſt, ut partem aliquam voluptatis ſuæ & oblectamenti non communicet cum corpore, quo uſa eſt conſorte ſemper & ſocio laborum? Niſi forte ſic affectam & comparatam exiſtimemus, ut ei ægre ſit, quod derelinquat corpus; mœreat iſto diſceſſu aliquantum, & angatur: id quod princeps ille philoſophorum negat eſſe alienum a fortitudine, & magnitudine animi. Cenſet enim, quo quis bonis præſentibus hujus vitæ, & virtutibus atque ornamentis magis excellit; huic eo majori eſſe dolori mortem poſſe, & vero debere: propterea quod idem probe intelligat, quanti ſit ipſe pretii, quamque dignus vita: idem ſentiat morte ſe moveri poſſeſſionibus amiciſſimis ſuis, morte ſibi adimi tempus & facultatem rerum præclare gerendarum, morte ſe privari omni virtutum uſu, quibus magnus atque honeſtus eſt, & propter quas ſibi vivendum putat. quæ omnia non poſſunt non pungere fortem moriturum: nec ita dolorem afferre animo, ut non is redundet in corpus. Verumtamen, quamvis vir hic fortis mortem ducere poſſit in malis, eamque horrere, ſine ulla timiditatis & ignaviæ nota; & quamvis vita ſe dignum arbitrari ſine arrogantia quoque poſſit: non eſt tamen exiſtimandum, his imbutam opinionibus Mariam, vel extimeſcere aliquid, vel dolere leto proximo; quæ nec vitam hanc, nec ulla vitæ præmia tanti putet: cui terra vilis ſit præ cœlo, cœlum ſordeat præ conſpectu, præſentiaque nati cariſſimi. Quænam igitur cauſa illi mortis, aut quæ vis tanta commune animi corporiſque vinculum rupit? Omnino ſi quid valuit ad eximiæ & præſtantis naturæ diſſolutionem; ſi quid tentare corpus, & afficere quoquo modo, & immutare; ſi quid animum cogere, & ad diſcedendum e corpore adducere potuit: amorem divinum potuiſſe arbitror. amor, inquam, divinus, ut venæ atque arteriæ micent, & celerius, nec æqualiter; ut vultus mutentur; ut decolorentur ora; ut cor palpitet; ut moveantur anhelitus; ut extremus ſpiritus reddatur, efficit. *Fulcite me*, inquit, *floribus: ſtipate me malis: quia amore langueo.* Flores, fructus, ſpes, præmia, eſte mihi auxilio, labenti jam & inclinatæ ad vitæ occaſum: reficite me odore: ſapore recreate. O comites Chriſti, cultores, diſcipuli, quotquot alias ſecuti natum, matri nunc adeſtis; mementote, magiſtrum doctoremque veſtrum, magis abundantia quadam amoris mortuum, quam tormentorum vi. idem me manet exitus: idem languor habet & conficit: eo fato natæ ſumus, & viximus, ut amore occumbamus. Ita profecto Maria occumbit. animus excedit quam placidiſſime: corpus conniventibus oculis, & quaſi molli conſopitum ſomno, luce privatur. Quid poſtea? hoc quidem corpus integrum ſervatur atque incolume, & licet iſta animi deſtitutione videatur patere cuivis injuriæ & exitio; ſatis habet virium tamen ad reſiſtendum vermibus & putredini. Quanquam quid opus eſt viribus, aut quid attinet reſiſtere & contra niti? Parcet, mihi credite, Mariæ corruptela omnis, ut vivæ, ita mortuæ: nec violare, aut aggredi, aut attingere audebit, immo vero venerabitur corpus, ex quo maximus auctor naturæ libavit ac finxit ſuum, & in quo primam ſibi ſedem, novemque menſium, ad naſcendum delegit. Ecce ergo tibi corpus, quod ſuo ſemper ſtatu maneat, tabe, & lue, & vitio procul, & ruina. Idem vigor, idem habitus, eadem firmitas, tantundem ſucci & ſanguinis in media morte, ſenſibus amiſſis. Putes aſpectu primo in expectatione eſſe rerum meliorum: cumque priorem requirere ſortem, ſi poſſit, debeat; majora omnia cogitare, ac ſibi polliceri. Nec vero longum in medio tempus, nec jacebit corpus in ſepulcro, nec ſubſiſtet diutius, quam quantum ſatis eſt, ut triduo reſpondeat, quot Chriſti corpus dies in ſepulcro quoque fuit. Atque hic erravimus, auditores, fateor; verbo lapſi ſumus, qui mortem diximus, perbrevem animi a corpore abſentiam; duorum aut ad ſummum trium dierum ſeceſſionem; paululum quiddam moræ, tanquam ad ſomnum & quietem, in quo finem habeat omnis fati neceſſitas, & unde corpus, ſupremo perfunctum munere mortali, expergiſcatur ad vitam perennem atque perpetuam. Nos itaque verius, quam ille ex antiquis, qui ſuum dolorem, quem ex obitu amici caperet, conſolaretur, neſcio qua famæ & nominis, quam ſibi fingunt homines, immortalitate: *Si fas eſt flere, aut omnino mortem vocare; qua mortalitas magis finita, quam vita eſt.* Sed hoc totum quod volumus; ſanctus Paulus, omnium optime, nec ſemel, verbis expreſſit. Docet enim, ultimo illo die, cum Chriſtus ad judicandum orbem terrarum venerit; qui vivi tum deprehenſi fuerint, ut erunt ſane aliqui; quidquid mortale & caducum habent, depoſituros morte non interveniente, nec ulla corruptione ſepulturæ conſecuta; ſed, tanquam veſte ſubito injecta, ſuperveniente immortalitate. Iſto fere pacto cum ſanctiſſimo Mariæ corpore actum nonne videmus? cui cum ſummam vim mors non attulerit, ſed remiſſe id ac leviter attigerit; tamen, quaſi nimium eſſet quod adorta ſit, repreſſit ipſa ſe ſtatim, nec illius integritatem, ut ceterorum, ulla contage terrena tumuli corrupit. Quinetiam, ſive coacta vi, ſive defeſſa viribus, confecta re tanta, retro omnino abiit, locumque ceſſit reditura. Vita quippe, auditores, quantum apparet, liquerat cariſſimum ſibi corpus, non alia lege & conditione, quam ut primo quoque tempore repeteret. Abfuerat aliquan-

diu

diu ab eo, ut tanto illustrius in reditu ornatiusque efficeret. Eccui dubium, quin corpus una cum vita tantum boni acceperit, quantum per se ac natura sua exigit, tantum dignitatis & ornamenti, quantum sustinere ac tueri potest? Quis non videt, nihil causæ fuisse, quamobrem aliquid ei confestim, & multo ante, quam ceteris, daretur; nisi plus aliquid ei, quam ceteris, daretur? præsertim cum par sit, felicitati animæ felicitatem corporis respondere; cumque sit illius perfecta cumulataque felicitas, ut mox dicemus, nihil hujus ei felicitatem cedere, nec mancam sua ex parte, imperfectamque relinqui. Adde quod, si præclaræ dotes corporis jam beati, & fruentis ævo sempiterno, certa quadam ratione tributæ sunt ei tunc etiam, cum viveret hic in terris, hoc est, ibi, ubi hæ fluunt, & labuntur, neque consistere possunt diutius: quam multo majore mensura & cumulo, quantoque cum fœnore, eidem in cœlo, quo loco stabiles & firmæ permanent & perpetuæ, reddi tandem aliquando oportuit? Nam quod prægnans Maria, & jam appropinquante partu, via sat longa, & per anni tempus inepta ac difficili, expedita tamen, & quasi non utero gravis, iter confecerit: nonne agilitatis cujusdam fuit, præter naturam, & gravidarum mulierum tarditatem, atque inertiam? Enixa porro mater, virginitate salva, nonne subtilitatis aliquid habuit, quæ pariendo nihil ipsa perrupit sui, nihil violavit, obsignata omnia & clausa habuit? Quid quod fuit aliquando tempus, si Thomam Aquinatem audimus, cum suus Mariam conjux minus agnosceret: propterea quod illius ex ore insolita quædam effulgens claritas, & major humano splendor oculorum præstringeret aciem? Hæc & sexcenta alia corporis ornamenta, quæ virgo, cum revixit, & auctiora multo accepit, & in omne tempus duratura; parumne præbent argumenti nobis, ut natali anteponamus mortis diem?

Sed jam de corpore satis superque dictum. Placet nunc, idque satius est, animum comparare cum animo, vel potius veteres illas opes, quibus abunde instructus initio est, cum novis facultatibus & copiis, quibus est locupletatus paulo post, quam in corpus, tanquam in veterem domum, remigravit. Equidem purus & integer Mariæ animus quam alte ascenderit post suum e terris discessum, quem ad gloriæ gradum pervenerit, nulla re magis metiri & judicare possumus, quam magnitudine gratiæ primo acceptæ, simul & rerum adjuvante gratia, recte laudabiliterque gestarum. Nam cum gratia, ut semen quoddam gloriæ est, ita ejusdem certa mensura sit, ad quam exigatur: profecto qui alterutram norit, neutram necesse est ignoret. Præterea, quoniam justitiæ & æquitatis est divinæ, mercedem adæquare cum susceptis laboribus, opereque absoluto: dubitare non debemus, quin nullo negotio unius pretium ex alterius æstimatione agnoscatur. Ut igitur verbo rem complectar, de qua disputatum videmus totis voluminibus theologorum; quam multiplicem gratiam, quam ingentem cumulum recte factorum inesse oportet in ea, quæ non prius suscepta in lucem est, quam ditata opibus ac donis cœlestibus, & quæ deinceps incubuit in opus totis viribus, pro multis magnisque adjumentis, quæ sibi a Deo nunquam defuerint? Quousque, obsecro, fuisse progressam crescendo putemus in omnem partem, dum numini divino prævenienti obsequitur & allaborat, operamque navat assiduam & fidelem? Quantum sibi accessionem fecisse, quod imposuisse fastigium, dum hoc idem numen aliud atque aliud opis suggerit identidem, invitatque multiplici supplemento, cui pariter æqualiterque respondetur? Quid postea? Nullum ne levissimum quidem peccatum: nulla vel minima labes: nihil medium & indifferens, quod sit neque bonum neque malum. Hinc vero procul insita in natura proclivitas ad res malas: difficultas in bonis. Id, quod alit, fovet, roborat, auget cupiditates & appetitus rationi contrarios, an non repressum & frenatum scimus jam inde, ex quo concepta Maria est in utero matris; tum oppressum omni ex parte & extinctum, cum ipsa Deum concepit? Quid repressum dico, quid oppressum, temporibus diversis duobus; Fuit ista quondam mens & opinio Thomæ Aquinatis, quæ obtinuit, quandiu de conceptu Mariæ non satis exploratum fuit, an macula, inhærente cunctis nascentibus & insita, vel potius innata, careret. Nunc vero cum certum sit, constetque inter omnes, peccatum hujusmodi princeps virgini matri ab origine ultima nullum fuisse: quid est consequens, nisi ut huic adjunctus peccato socius, fomes ille cujusvis peccati, in eadem matre Dei fuerit non modo oppressus & extinctus ab initio, verum etiam omnino nullus, fax nulla cupiditatum, nulla scintilla? Ita fit, ut in Maria triplicem vim præclaram, virtutem, & facultatem, sive præstantiam, quam strictim attigit non malus morum magister Aristoteles, & in qua summi boni optimam partem posuit, facile liceat agnoscere. Prima consistit in eo, ut potior hominis pars, quæ cogitationis atque intelligentiæ est, deteriorem, quæ motum, & sensum, & appetitum habet, quamminimum sentiat: hoc est, nunquam non experiatur subjectam & obedientem. Altera, ut eximius iste vir ac singularis a nemine legem accipiat; sed ipse cum aliis, tum sibi potissimum lex sit. Tertia demum, quiddam est virtutis heroicæ ac prope divinæ, cui nihil par aut simile in virtutibus, quod supra naturales & humanos habitus omnes eminet, & cui, tanquam contrarium virtuti vitium, feritas quædam opponitur. Quemadmodum enim, si quando ventum est ad summam perversitatem vitæ atque morum, in figura hominis belluam feram & immanem latere dixeris; ita si quis apicem illum probitatis, innocentiæ, integritatis, magna cum excellentia præstantiaque reliquorum hominum, consecutus sit, plus utique, quam vir, plus quam virtute præditus, totus cœlestis ac divinus, quisquis is est alioquin, reperietur. Atque hæc disciplinæ ratio, & doctrina de moribus; ut pote ab eo profecta, quem sola natura, & communis hominum sensus atque intelligentia erudierit; eo mihi probatur magis, quod consentaneam video exquisitæ & admirabili prorsus sancti Pauli doctrinæ, iisdemque propemodum verbis expressam. Numquid docet, partem esse nostri inferiorem unam aliquam, quæ legem nobis, nisi valde recusemus, imponat; cum nostrum sit ei imponere.

ponere. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Numquid ostendit, justum & bonum virum lege nulla teneri, nullis juris & æqui constringi vinculis; quia ipse sibi lex, ipse jus & æquum esse debeat? *Sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis & peccatoribus.* Numquid fatetur denique, nihil jam se esse illius, qui fuerat, nec se manere in vita amplius, sed in se Deum vitam habere? *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.*

Sed, ut redeam ad propositum, totamque ejus generis rationem concludam atque definiam: cum tanta sint adjumenta & præsidia gratiæ ad agendum, quæ a Deo Maria accepit; tot recta & honesta facinora quodammodo, quæ effecit; virtutes tam præclaræ, quas coluit; cumque ista duo triave, normæ sint & regulæ instar, ad quam momenta debitæ mercedis & gloriæ omnia perpendantur: hanc esse gloriam oportet tantum non infinitam & immensam, quæ tot rerum præstantiæ, & cuidam quasi infinitati proportione respondeat. Hoc nimirum illud est, quod disserunt celeberrimi doctores, atque argumentantur, virginem matrem amplitudine dignitatis & gloriæ antecellere, non singulis modo cœlitibus, quacunque tandem sanctitate vitæ fuerint, verum etiam universis: itidem ut universos donis muneribusque divinis, rectéque factis vicit.

Videte nunc, auditores, num injuria & sine causa dixerim diem mortis natali die, quantum ad Mariam attinet, multo meliorem. Et tamen indicare cœpi duntaxat ex bonis ante possessis, quanta bona animi debuerint esse post obitum: nec plus fere quidquam, quam primum causæ firmamentum, & id, quod omitti sine prævaricatione non posset, aut sine summa vel imprudentia vel negligentia, attuli: perstrinxique nihil aliud, nisi vim & naturam, vel fundum potius atque solum tantæ felicitatis. Quid si proprietates, & adjuncta, & consequentia, & alia, quæ sunt ei data quasi præter dotem, protulero in medium: tamenne dubitabimus, huic ipsi multis partibus melius mori fuisse, quam nasci? Hic ego vos, auditores, consulo: vestrum judicium exquiro: vestram sententiam atque opinionem postulo. Cum audivistis, aut legistis ipsi, angeli verba hæc, vel prædicentis futurum, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*; vel præteritum & factum jam narrantis, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*: quid primum vobis venit in mentem, nisi sponsam esse Mariam Spiritus sancti? quid deinde, nisi Mariæ salvam esse virginitatem, quæ nullo viri satu, nullaque opera conceperit? quid tertium, nisi conciliatam Mariæ auctoritatem, gratiam, dignitatem, potentiam summam, divinæ proximam, cui se tanta affinitate, quanta potest esse maxima, sanctus Spiritus conjunxerit? Enimvero si unquam, hoc utique tempore, desponsa virgo est Spiritui sancto; cum assensa tandem ipsa est, & repromisit, & quasi angelo conciliante, in manum convenit; vi porro & virtute vitali efficacis & divini Spiritus concepit. Neque verendum fuit, ne idem Spiritus, & corporis expers, & labis omnis, imminueret virginitatem, aut ex flore hoc purissimo atque integerrimo delibaret tantulum. Hac denique sponsi præstantia, & dignitate tanta, quanta divini numinis est, quem numerum sponsa obtineat in cœlo, quomodo longe excellat non hominibus solum, verum etiam mentibus sempiternis, dubitare leges, etiam humanæ ac civiles, non sinunt, quibus pro dignitate sponsi, & opibus, & auctoritate, sancitur sponsæ, & quodammodo taxatur honos. Maria igitur, eadem virgo, eadem Spiritus sancti sponsa, virginitate par angelis, dignitate superior. Quæ tria, auditores, initium ceperunt hic, in terris, isto, quo notavi, tempore: sed maxime nunc, cum assumitur cœlo, explentur in suo quæque genere, & perficiuntur. Ac tuta quidem fuit virginitas inter nos, cum neque intra corpus quidquam impellere mentem potuerit ad libidinem, & quidquid est extrinsecus, tot jam munitam præsidiis cœlestibus pudicitiam frustra tentarit. Sed tamen quanto perfectior, cum corpus ipsum, castimoniæ sedes, factum est totum, ut fieri solet, & docet Paulus, reviviscendo *spiritale?* Jam sponsus, & sponsa, & connubium, arctissimæ necessitudinis magna nomina, in humanis alteruttius finiuntur morte & occidunt, idcirco, ut opinor, quod pactum natura sua stet inter duos, adeoque dissolvatur nexus & obligatio, uno remoto. At vero, cum Spiritus sanctus sit immortalis; Maria corpore rediviva quidem, sed animo, voluntate, consensu, & approbatione, quibus maxime Spiritui sancto nupsit, superstes: quid relinquitur, nisi ut, quæ sponsa fuit ante, maneat, & copula quidem, ut non interrupta, ita nullo unquam tempore interrumpenda. Hoc denique nomine & hac de causa, creata cœli domina reginaque, cum adhuc esset in terris; quid ego commemorem, quomodo nunc primum imperitet cœlitibus, veneritque in possessionem istius dominatus, usumque & fructum, quo hic careret inter nos, ad summum cœli evecta fastigium, habeat? Simile illud & geminum, quod mater Dei facta sit inter homines, audierit tamen mater illius, qui filius appellaretur fabri: nunc autem a cœlitibus, qui verum ignorare non queunt, incipiat agnosci omnino ea, quæ revera est, mater Dei. Tum & mater, auditores, cœpit esse nostra, quos Christus, cum in terris versaretur, non dubitavit fratres appellare suos. Tum, inquam, pro studio & benevolentia, quam habebat erga natum, maternam curam nostri suscepit; quam nunc pro nova potestate gerit; patrona orbis terræ verius, quam regina; altera salutis nostræ, secundum Deum, parens. Quæ dona illa cœlestia gratiarum, quibus nunc nihil opus habet, cum perfuncta sit, commissa sibi & concredita, prudenter dispensat in homines e summo cœlo, liberaliter effundit, eoque libentius, quod se hominibus quodammodo debere intelligit, quod mater sit Dei. Quid enim Deum, ut matrem sibi, e nostro veluti grege ac numero, legeret, impulit, nisi causa communis hominum, quam suscepit? Itaque Maria, cum, ut filio gratum faciat, qui nos habet pro fratribus, munifica & larga est in homines; tum, ut se gratam erga eosdem, & memorem accepti beneficii præbeat, quorum causa velle debet, nihil patitur a se deside-

rari, nullum munus aut officium optimæ matris.

Sed quo tendimus, auditores, aut quid quærimus amplius, qui plus etiam præstitisse videamur, quam nobis ab initio propositum fuit? Comparandus erat primus dies Mariæ nascentis, aut conceptæ, cum supremo die morientis; ostendendumque, contentione facta duorum, hunc illi præferri oportere: eum non solum ineunti, verum etiam mediæ ætati & provectæ, tot illustrem modis & gloriosum finem mortalis vitæ pratulerimus. Ergo peroremus aliquando, atque hinc e terra, in qua miseri orbique veris parentibus degimus, contemplemur & agnoscamus optimam, quam habemus in cœlo, matrem. Est illud ab oratore observatum, veteres olim Romanos, cum Jovem dicerent optimum maximum, non temere aut casu, sed ratione certoque consilio fecisse, ut ante optimum, id est, beneficentissimum, quam maximum, dicerent; quia majus est certeque gratius, prodesse hominibus, quam opes magnas habere. Atque haud scio, an ob eam rem princeps philosophorum censuerit, amari potius esse & præstabilius, quam honorari. Etenim amari, rem expetendam per se: cum honorem nemo, nisi propter aliud quiddam, fere concupiscat: sive quod paratum sibi præsidium putet ab iis, qui se eundem honore dignentur; sive quod externo cultu, & claro testimonio, apertaque significatione meritorum, majus in animis hominum nomen, majoremque existimationem assequatur. Itaque habeo pro certo, mihique persuasissimum est, gratius acceptiusque Dei matri esse, si hominum quoque mater habeatur, in quo singularis quædam ejus elucet bonitas; quam si ut cœli angelorumque regina colatur, in quo potentia fit speciosior & illustrior. Mariam igitur, auditores, usurpate matrem vestram: matrem salutate: matrem veneramini & observate. ad eam preces & vota, & optata quotidie ac sine intermissione ferte: quæ, cum supplicibus semper occurrat & præsto sit; tum sub ipsum tempus mortis, quo tempore periclitantur homines magis, ac summa salus agitur, subvenire atque opitulari indigentibus soleat. Amant quidem liberos patres, nec facere possunt, quin ament, nisi omnem naturam, nedum humanam, exuerint, omnem a se naturæ sensum prorsus abjecerint. Sed amant matres sine dubio tenerius, ardentius, majore cum sollicitudine: & est ipsum nomen, suavius; indulgentiusque, maternum. Quid parens hæc nostra factura non eft, quæ se isto pacto placere magis intelligat sancto Spiritui, carissimo sponso, per quem facta fuit fecundissima tot liberorum parens: quæ item a Christo filio sentiat se ituram majorem gratiam, si nos, tanquam filios alteros; & Christi fratres, caritate & benevolentia amplectatur, ope foveat atque sustentet? Ridet Calvinus: ridet Beza: rident asseclæ & gregales utriusque, nostram superstitionem. Moverer forsitan, si non iidem cultum omnem & venerationem, implorationemque ac præsidium superum, nefaria & impia hæresi sua, funditus sustulissent. Quanquam ne tum quidem moverer: nec, si reliquorum cœlitum non paterent aures querelis & postulationibus hominum, continuo existimandum surdam futuram ad vota nostra Mariam, feminam mortalium juxta & immortalium maximam, solo Deo minorem. Ut enim hic alia pleraque habuit præter ceteros, & jure quodam peculiari & eximio possedit sola: ita nihil vetat, quominus in damnandis hominum supplicum ac reorum votis, longe alia conditione esse & gratia & potestate, ac ceteri omnes, valuerit. Obtinet hoc quidem promiscue & communiter, auditores; sed potiori jure, & majori cum effectu, ut summo e cœlo usque illinc exaudiat preces hominum. Exaudit, inquam, preces nostras: querelis se nostris & sollicitudinibus interponit: res suscipit nostras, & curat, & agit apud communem Deum: a quo, in summa gratia sua ac potentia, nihil non impetrat, nihil non, si contendat, exequitur, & perficit. Cui rei testimonio sunt vel isti nostræ pietatis irrisores, quorum falsas & mendaces de religione Deoque sententias, ut aliorum omnium, qui ordine singulis ætatibus fuerunt, jugulavit quodammodo, ac peremit. Quod si vis ejus, & facultas, & gratia apud Deum, tantum valet ad perdendum: cui dubium est, quin ad servandum multo plus etiam polleat? Et nunc quidem ipsum servat nos, hoc puncto articuloque temporis: servat toto humanæ vitæ spatio & decursu: cum suprema illa hora, quæ luctuosa & terribilis solet esse mortalibus, advenerit, servabit.

ORATIO UNDECIMA.

De felicitate cœlitum.

Quoties sacris in paginis, auditores, vel auctorum, quos honoris causa patres appellamus, vel scripturæ, quæ propter excellentiam, hoc communi, tanquam proprio, signata nomine est, conscriptum de cœlo, deque beatitudine aliquid lego; toties ferme regni, civitatis, domus fieri video mentionem. quæ mihi tria cum animo reputanti, confestim occurrit, municipes, cives, contubernales, atque unius ejusdemque loci incolas, cœlites esse. Et summam quidem felicitatem, præterquamquod in Dei consistat aspectu, quem mirificus quidam & amor, & voluptatis sensus excipit; hoc exigere amplius, tanquam cumulum & complementum sui, ut beatorum societas inter ipsos & conjunctio sit; nemo mirabitur, qui cogitarit nostram hic vitam mutuo hominum congressu, victusque consuetudine, fieri beatiorem; nemo dubitabit, qui attenderit non modo Deum, si solus sit, satis beatum, sed ne Deum quidem, nisi unitati sit adjuncta Trinitas, esse posse. Cum igitur mortalem hanc vitam, & illam immortalem congregatio hominum cœtusque beatiorem efficit: tum cœtum tria reddunt jucundiorem: in numero multitudo, in multitudine concordia, in concordia colloquium. Quæ quoniam in humanis quanti sint, omnes, quotquot sumus, novimus: quid valeant apud superos, quo illos tempore, cum singulos non possimus, colimus universos, si placet, consideremus. Contendo ego beatos modo divino quodam inter se

ſe colloquentes, incredibili amoris conſpiratione conſentientes, multitudine tantum non innumerabiles, eſſe verſarique in cœlo, eamque ob rem ampliſſimum hoc beatorum concilium ,tantam, quanta aut votis expeti, aut animo fingi poteſt maxima, habere jucunditatem.

Coelestium vis magna prorſus, magna copia, primum hominum, tum angelorum. Ex hominibus eos ad unum omnes ſi dixero in cœlum admiſſos, qui Chriſti cauſa ſanguinem profuderint; nihil divinabo. Certo quippe certius, cum id quaſi interpoſita auctoritate ac fide divina ratum & fixum accepimus; qui pro religione vitam ediderunt, illos neque ullum temporis punctum, neque ullam animi noxam ac labem, a debita mercede atque laurea remorari. Quis autem tam locupletes & idoneos religionis noſtræ teſtes ac propugnatores, a nato Chriſto ad hanc uſque diem, recenſere poſſit numerando? Primis illis temporibus, & naſcentis eccleſiæ quaſi incunabulis, clades, proſcriptiones, vexationes, *perſecutiones*, quas vacant, ac plagæ decem feruntur, quarum vel una, quantum erat hominum toto orbe Chriſtianorum, exhauſtura videbatur. Certe ſi in decima Chriſtianæ rei jactatione, qua pæne fluctus illam tanquam decumanus abſorbuit, menſis unus ſeptem & decem millia capitum abſtulit; ſi una Ægyptus decennio centum quadraginta quatuor millia deſideravit: quantam aliis & locis, & temporibus, ſtragem editam, jacturam factam, intelligi par eſt? Jam ætate noſtra cicatricem, quæ longo temporis intervallo videbatur obducta, diuturnoque pacis uſu, nonne Chriſtiani nominis hoſtes novi quidam refricant? nonne ſupplicia aut antiqua revocant, aut crudeliora excogitant? Quot Britannia, Germania, Gallia, proximo ſuperiore ſæculo, per ſummam novatorum impietatem, & carnificinam, cœlo cives dedit? Ne nunc quidem barbari & immanes tyranni, in ultimis orientis oris, non maturant mortem iis, qui Chriſti nomen atque inſtituta profiteri audent. Certorum enim hominum literis, fama, nunciis, celebrantur aures quotidie noſtræ novis nominibus tormentorum, quæ inaudita feritas adinvenit, inexpugnabilis conſtantia, & immenſa proborum hominum, virorumque fortium multitudo ſubit. Verum quantula hæc horum portio ad eos, qui tempore illo ipſo toto, recte, & ordine, & convenienter rationi vixerunt, ac fato naturali ſuo conceſſerunt? Tot antiſtites, tot doctores, tot principes viri, tot lectiſſimæ feminæ, tot catervæ religioſorum hominum, majores, avi, patres. Quidni enim noſtros illis annumerem, quorum vitam ſunt ac mores imitati, & ipſi viciſſim nobis exemplo fuerunt? Quod ſi rationem inire lubet eorum, quos ab orbe condito, bene acta ætas & vitæ probitas commendat: quam beatorum quaſi ſummam, hac adjuncta acceſſione, fore putatis? Inter Judæos quidem occurrunt præter privatos non paucos, rectores populi, duces, reges, pontifices, vates. Apud exteros, qui naturæ præſcripta & leges ſecuti, a recto & honeſto non aberrarunt, utriuſque generis, omnis ætatis, omnis ordinis quamplurimi. Conjectura omitto quærere, qualis, & quanta ſit futura poſteritas, quamque cœlo frequentes colonos paritura. eſt id quidem providere, Dei: non noſtrum ſcrutari curioſius.

His tot ac talibus nihil adjici videtur poſſe. nihil videtur forſan: poteſt tamen. quid enim? an non puriſſimæ illæ ac liberrimæ mentes, quibus nihil eſt cum corpore commercii, omnes ſocietates cœleſtium multo maxima parte augent; cum præſertim numero plurimæ ſint ac prope infinitæ, quot e reliquis rebus creatis omnibus non ſunt. Planius dicam. enumera diverſa ſtirpium genera: totidem ſunt,. aut etiam plures angeli. recenſe animantium multiplicem varietatem: major angelorum. adde, ſi placet, naturas alias, quæ mundo continentur: non dignitate tantum, ſed etiam numero angeli vincunt. Id ne dubitemus, facit partim maximus & diligens harum rerum indagator, Thomas Aquinas; partim conſentiens, conſpiranſque cum magnitudine, tum multitudine, pro dignitate rerum proportio. Qui enim conveniebat, ut cœlum, corporum præſtantiſſimum, elementa quatuor unum mole ſuperaret; angeli, quorum ſumma omnia ſunt, his caducis ac mortalibus, infra lunam poſitis, multitudine non anteirent? Quibus ſic initis ſubductiſque rationibus, quis non fateatur cœlitum cœtum, ut alia re quavis, ſic frequentia & celebritate florere? Hoc videlicet illud eſt, quod Joannes eſſe viſam ſibi turbam ait, quam enumerare aut conſequi nemo omnium poſſit. Nam quod loco non uno ſcripturæ beatorum paucitas inculcatur, proclive dictu eſt ea ad terrorem comparata verba: niſi triplicem hanc vim atque ſententiam habeant. Aut enim ſic interpretor, ut victum populariter ſit; quod, quam voles multi beati exiſtant, nequaquam tamen ſatis multi pro amplitudine præmii eſſe poſſint. aut id eo pertinet, ut paucitas delectum indicet; qui vix in multitudinem cadit. aut certe, quod reor potiſſimum, cenſendi beati, non ſimpliciter, ſed comparate; hoc eſt, præ infortunatorum turba bene magna, non ita multi. Mira igitur cœleſtis patriæ ſuavitas, quæ tanta incolarum ac tanquam convenarum abundantia in dies magis affluat.

Non eſt minor multitudinis concordia, quam numeri multitudo. Quanta tranquillitate pacis atque otii vivatur in cœlo, ex eo certo ac facile exiſtimare poſſumus, quod ſecus res habere nullo modo poſſit. quis enim diſcordiæ locus ibi, unde ſemina ſunt omnia ſublata diſcordiæ? Quid eſt, quod hic mortales jurgio contendant, lites inferant, inimicitias exerceant, bella ſuſcipiant? Opes, honores, voluptates: quibus ſi naturam hominum adjeceris, deceptam exemplo, cæcatam cupiditatibus, conſuetudine corruptam; diſſidiorum ferme omnium fontem, & caput aperueris. Opes quidem pro multitudine hominum paucæ, homines pro paucitate opum nimium cupidi. Villæ, agri, oppida, lauta ſupellex, vis auri & argenti, non ſane multorum ſunt. Qui potiuntur, pro tuendis dimicant: qui carent, pro parandis ſunt in inſidiis, atque in armis. Orbis terrarum totus, quantus eſt, membratim inciſus, & in fruſta pæne comminutus, nonnulliorum explet cupiditatem, ac ne explet quidem: cum; plus ut alio alius ſibi quid vendicet, & ad arma ventum toties ſit olim, & ob id fere quotidie conferan-

ferantur manus. Honores, excellentiæ testes atque indices, qui ad omnes jure pertineant: cum, excellere, esse non omnium possit? Honorum competitores aut repulsam passos, mœror, invidia, obtrectatio, indignatio, reliquæ concordiæ pestes tenent. Hoc habent autem voluptates, sive ipsæ sua sponte, sive hominum vitio, ut infestæ sint, interpellatorum turba, expositæ æmulationi rivalium. Quibus angustiis ac difficultatibus rerum fit, ut vox, amicitiæ & caritatum omnium deletrix, meum, aut, tuum, ubique passim regnet, & rixarum incendia bellorumque excitet, & malorum omnium seminarium ex se fundat. Cuncta hæc a cœlo tam longe abesse, quam cœlum a terra, quis non videt? Quanta opum, honorum, voluptatum illic abundantia, ubi honorum cumulus, nullo malorum interventu? Quanta fortunarum æqualitas; ubi Deo singuli; quanta communio, ubi Deo universi fruuntur! Quod si qui, pro rata pietatis ac meritorum parte, meliori esse jure & conditione videantur; tantum abest, ut quisquam invidiæ aliquid contrahat ex alieno; ut eandem lætitiæ voluptatem percipiat, quam ex suo.

Age vero, numquidnam aliud causæ est, quamobrem inter homines parum conveniat? Hoc, opinor, quod alii aliud non modo in percipiendis artium liberalium disciplinis, sed in rebus gerendis judicent, totque pæne, quot homines, sententiæ sint; etiam secluso omni emolumento privato, sola contradicendi vel consuetudine, vel licentia. Quo fit, ut, cum mentis intelligentiam voluntates ac studia sequantur, mirum non sit, si crebræ alienationes, & animorum contentiones existant, opinionum dissensione. Quid porro putetis esse, quod hominum judicia & sententiæ in tanta varietate versentur, nisi quia vix hic verum cerni, densissima rerum caligine ac tenebris, queat; sola in terris teneatur similitudo veri, sectarum parens, & quædam quasi magistra disputandi? Utrum horum negatis, auditores, beatis adesse; idem sentire, an, cum diversa non sentiant, idem velle? Primum repugnat immortalibus. alterum etiam mortalibus. Nam, quin superi verum ubivis, quod plus uno esse non potest, videant; nulla dubitatio est. Cui sane consentaneum est dicere, idem eos sentire de rebus, qui idem videant; idem velle, qui idem sentiant. Quocirca, cum ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor nominentur paria, quorum sit præter ceteros nobilitata amicitia: quantum habet admirationis, quot in cœlo cives degunt, tot amicos inter se, etiam, quam hoc maxime rarum amicorum genus, conjunctius & amantius vivere? cumque de uno nescio quo feratur, jactare illum solitum, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem & sexaginta; nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope ætate æqualem habebat; quod nulla per id tempus inter eos querimonia intercesserit: quanto præclarius, ex superis esse neminem, qui idem vere gloriari non possit, se cum nullo tandiu reconciliatum esse in gratiam, quod nunquam immutata sit?

Jam verendum non est, ne qua fides Aristoteleo dicto fiat, tolli concordissimas amicitias, atque evanescere silentio. Neque enim placet, neque probabile est, quod quidam mutos nobis & elingues in infinito tempore cœlites inducunt: quasi animum attendere ad aliud nihil aut possint, Dei contemplatione distenti; aut velint, hac una re contenti, & plene cumulateque beati. Primum enim negotiosissimi sunt: non nego. occupatissimi: fateor. beati: verissime dictum est. sed tamen absque sollicitudine, sed absque defatigatione aut satietate, sed ita, ut partem attentionis impertire aliis levioribus nonnullis queant; & eo magis, quod adjuventur certo quodam lumine auxiliari, cujus ea vis est ac natura, ut mentis aciem, quæ luce ac radiis divinitatis præstringeretur, fulciat atque corroboret. Deinde magna non modo opinio est, sed etiam certa persuasio, vacare eos precibus hominum audiendis, & ad exitum, quoad fieri potest, perducendis. Quod autem ne hoc quidem voluptatis genus respuant, quis nescit lætitiæ bonam esse partem, eandem communicare cum altero? quid quod ad beatitatem nonnihil deest; hoc si deest? Quid? illi se continuerint tandiu; tam honeste, tam pudenter, tam considerate verba fecerint? neminem durius appellarint; de omnibus, si casus tulit honorifice dixerint: & os probum, modestissima lingua, purissimæ fauces mercede sua carebunt? Non decet, non jus, non æquum est præsertim cum, quibus quisque instrumentis ad scelus usus sit, eisdem fere sceleris pœnas luat. Non igitur dubium, quin sermocinentur inter se, quibus perfuncti sint periculis, quantum Deo debeant, quantum alii aliis. Non dubium, quin respectum interdum ad nos habeant, nostras vices doleant, de nostra sublevanda imbecillitate consilia agitent & decernant. An vero parentes, qui tantam hic curam gesserunt liberum, tum memoriam istorum omnem deponent, cum major ipsorum erit potestas, caritas, humanæ miseriæ notitia? An intimi, quorum amicitiam vivorum coluimus, ne verbo quidem inter se, quoniam nobis minus id licet, significabunt, nos sibi penitus non excidisse? An aliquo nobis vinculo obstricti aut gentis, aut sanguinis, aut gesti muneris, aut accepti officii, nostra caussa vocem non mittent? Quod si qui fuerint, ut aliquando fit, opera nostra ac precibus e flammis illis erepti, quæ noxiarum reliquias expiant: hoc de singulari, immortali, ac pæne divino erga se beneficio nostro conticescent? Omnino non facient, si quis in illis æqui & honesti amor residet, & grati animi & humanitatis sensus. Quin existimandum potius, & crebram nostri ab iis memoriam usurpari, & nostram apud Deum causam exponi ac perorari. Tametsi quid attinet a nobis rebusque humanis argumentum sententiamque sermonum ducere: cum Deus unus, quid in omni æternitate loquantur, abunde suggerat? Singularis sapientia, excellens pulcritudo, infinita potestas, tres personæ se ipsæ unamque divinitatem concordi quadam amicitia & caritate compléxæ, Deus humana specie indutus, reliquæ sanctitates & religionis nostræ sacra, quæ nos singula propter magnitudinem suspensos, propter obscuritatem sollicitos habent, quæ per caliginem modo videmus, de quibus nihil aut admodum parum in hac vita extricamus, quem non, perspecta coram

peni-

penitusque comprehensa, menses & annos & ipsa sæcula, summo cum lætitiæ fructu, tenerent? Itaque, sive ad Deum spectamus, sive ad nosmetipsos, seu ad superos, amplam superis, & opportunam, & prope necessariam conserendi sermonis familiaris segetem porrigi videtis.

O si liceat horum in numerum pervenire! si his uti familiaribus & concordissimis! si divinis collocutionibus interesse! Licet vero, auditores, & plane licet. hoc ut fiat nostra potestas est. neque quisquam nobis id, præter nos, eripiet. Sed quo tandem modo? Insolenti ac novo. Quibus gradibus itur in cœlum, hoc est, altissimum domicilium? Demissione animi, atque descensu. Qua via in cœlum, hoc est, plenissimum deliciarum locum? Aspera. Quid est consequens? quibus tibi rationibus aditus patebit ad celeberrimum locum, ad conjunctissimas mentes, ad intimos congressus amicorum? Solitudine, dissensione, taciturnitate. Noli una esse cum multis. cum paucis tibi conveniat. pauca loquere. Noli esse una cum multis. quid ita? Quia multi hic neqoam atque improbi, multi obtrectatores; multi invidi, multi intemperantes, multi omni scelere cooperti, & sibi ac ceteris exitiales. At vero pauci modesti & frugi, pauci officii aut divini aut humani retinentes, pauci ad pietatem, sic tanquam ad rem, attenti.

Cum paucis tibi conveniat. Quid hoc est præcepti? nolo te pugnacem, nolo litigiosum; nolo, ut Pauli verbis utar, δύσκολον. Sed nolo nimis credulum, nolo nimis facilem, nolo assentientem omnibus omnia. Veto, cum sit mala mens improbis, mala voluntas, eadem sit tua. veto aliena peccata, collaudando, approbando, connivendo, tua facias. Quid quæris amplius? jubeo hostem te esse hostibus virtutis ac Dei: cum his pacem nullam, simultates perpetuas, perpetuum bellum geras. Ne te quidem tibi interdum volo consentire. quandonam? cum aliud ratio, aliud cupiditas suadet; alio ista invitat, alio hæc trahit. tum vero abs te discrepare ne dubita.

Pauca loquere. Qui loquitur multa, delinquit non parum. hæc habenda ante oculos, & servanda regula philosophi nescio cujus: silendum, ubi dicere silentio nihil melius queas. Si facis, non existimationem violabis alienam: non maledicta jacies in quemquam: nihil turpe, nihil falsum dices: tempus, quod pluris esse debet, quam opes atque facultates omnes, non temere absumes, nec tanquam opimum patrimonium dilapidabis.

Quibuscum igitur versabor, dicet aliquis? quibuscum pacem, sermonem habebo? Non præcipio, in tenebras ac solitudinem vos abdatis. Non dico, cœlum, Dei conspectum, beatorum jucundissimum convictum esse tanti: hoc idem complures, ejusdem rei gratia, factitasse; beatitudinem non modo hominum familiaritate atque usu, sed etiam rerum omnium spoliatione, neque nimio tamen, redemisse. Istud peto. Adeone res redit, ut aut vobis sit improborum cœtus asciscendus, aut omnis societas repudianda? Quibuscum agetis? Cum sobriis, cum moderatis, cum recti studiosis, Dei cultoribus, denique cum iis, quorum vos esse similes, deceat, expediat, necesse sit, vos si salvos vultis. At non novimus. Facile est, mihi credite, in tanta paucitate bonorum, improborum frequentia. verbo se hi & isti produnt. nolite ignorationem excusare. At emendare sceleratos volumus? Quid si nolitis? quid si non cogitetis? quid si non faciatis? quid si non vos illos corrigatis, sed illi vos depravent? Tantumne vobis confidentiæ, ut quicquid est in vobis virtutis; quod magnum sit licet, perexiguum ducere debetis; in perspicuum discrimen, scientes ac volentes, immittatis? Verum sunt amici. Si per vos parti, hoc male. si per alios, rescindite, aut dissuite, quod illi concinnarunt perperam. Sunt cognati, affines, necessarii. Nescitis hæc Deum neutiquam curaturum nomina speciosa, liberisque ad inferos detrusis, accepturum cœlo parentes? Quid enim sibi aliud sacræ literæ volunt? quos oculos expungendos, quos amputandos pedes monent, si salutis quasi luminibus obstruant, si iter præcludant, præter propinquos, quos ferimus in oculis, præter domesticos, quorum opera utimur, præter eos, quos quovis nomine carissimos habemus? Isti nobis a nobis, ne qua in parte fraudi sint, abjiciendi, atque expellendi: non aditu, non congressu ac salute dignandi, ne suo quidem nomine appellandi: si forte nos a recta salutis via, quam sanctissimæ illæ mentes tritam nobis reliquerunt, aut avertunt, aut retardant.

Quæ cum sint ita, pergite, auditores, ut facitis, & ad cœlum recta, qua animi, qua corporis cunctis viribus, contendite. Hic Angeli pro vobis excubant quodammodo & vigilant: illic reliqui cœlites apud Deum vestras res agunt. omnes vos ita, ut gloriosi præmii socios ac participes futuros, intuentur atque expectant. Nolite negligentia, temeritate, perfidia vestra, illorum labores, horum curas, omnium spem atque expectationem frustrari. A vobis, cœlites, præter cetera petimus unum ac summe contendimus, quod si obtinuerimus, omnia nos per vos consecutos arbitrabimur. Hanc solitudinem, hanc dissensionem, hanc taciturnitatem, precibus humillimis nostris date, precibus potentissimis vestris a Deo immortali impetrate. Si feceritis; magna nos certe spes tenet fore, ut in vestrum numerum aggregemur, adhibeamur ad amicitiam, colloquii suavitate, morte obita, perfruamur.

ORATIO DUODECIMA.

De sancto Ignatio.

SINITE *parvulos venire ad me*, inquit Christus ad discipulos, qui pueros ad eum cominus prohiberent accedere. Si mores & acta, auditores, Ignatii sanctissimi viri, ex quo se, pravitate relicta sæculi, virtuti dedit studiosius, usque ad extremum, quem Deo reddidit, spiritum, nihil aliud contemplantibus videntur fuisse, nisi vera effigies, perfectum exemplar, similitudo expressa, & solida, & eminens vitæ morumque Christi: illud mihi facile, opinor, voluntate vestra concedetis, eundem ut ei sermonem affingam, qui eundem agendi modum ac ratio-

 nem,

nem, quoad homini in terris Deum fas fuit imitari, effinxit. Christus, Dei filius, decus & gloriam patris, quam augeret illustrioremque redderet, sibi præstituit ultimum finem. Majorem Dei gloriam semper habebat Ignatius in ore: sic inscribebat manu sua in extremis codicibus & commentariis suis: eo cogitationes dirigebat & acta omnia. Christus ad res humanas reparandas totum se contulit, &, ut miseris mortalibus saluti esset, tota vita sibi elaborandum putavit. Ignatio visum est, ut hominum quoque rationibus & commodis inserviret: hanc poneret secundam in regulis & legibus, quas sibi ac sodalibus scripsit: his finibus curas circumscriberet & terminaret suas. Christus, quo promoveret utrumque, id est, gloriam Dei atque hominum salutem; labores exantlavit immensos, pertulit innumerabiles injurias, se ipse denique ac suum caput ignominiosæ crudelique morti objecit. Nihil horum deprecatus est Ignatius a sese, multas ejusmodi difficultates exorbuit, devoravit molestias, in tales vitæ & famæ dimicationes persæpe venit, ubi gravitas, & constantia, & robur, & magnitudo animi consiliique eluceret. qui si morte violenta sublatus non est: non animus & voluntas homini; animo & voluntati Judæi, & Pilatus, & Herodes, hoc est, tyranni, carnifices, alii vexatores defuerunt. Sed inconsideratus sim ac temerarius, si quam multa Ignatio cum Christo conveniant ad similitudinem, brevi sermone & temporis spatio voluero complecti: diesque me deficiet, nec habebit exitum oratio, si comparare aggrediar inter se, quæ præclare & admirabiliter ac divinitus Christus gessit, & quæ graphice atque insigniter consectatus est Ignatius, expressitque imitando. Satis superque habeo in præsenti unum caput attingere convenientiæ; itaque subsistere & commorari intra cancellos, quos mihi mediocres constitui: tum ut cupiditati vestræ obsequar, qui audire ex me de laudibus magni & illustris viri studuistis: tum ut ostendam, quod Christus fecit, quoque animo fuit, cum diceret, *Sinite parvulos venire ad me*: hoc idem fecisse Ignatium, atque sic affectum animo & comparatum fuisse, ab eoque potuisse jure dici; *Sinite parvulos venire ad me.* Illud volo, auditores. Cum puerorum defensionem & patrocinium suscepit Christus; cum sedulitatem coarguit nimis officiosam discipulorum, qui venientes ad se pueros longius arcerent; cum facilem ad se aditum pueris esse voluit; cum excepit eos singulari cum lenitate, & clementia, & affabilitate sermonis, adhibuitque perquam familiariter: satis signi dedit, quantopere huic teneræ ætati & imbecillæ faveret, quamque ejus causa omnia cuperet. quod studium aliis alias, multis amoris & benevolentiæ indicibus notis, ab eodem Christo comprobatum videmus. Similiter, etsi omnes omnino ætates hominum complecti conatus est Ignatius, sibique devincire bene merendo, nec ullam vitæ partem reliquit expertem curæ ac sollicitudinis, industriæque suæ, nec tempore ullo desiderari passus est officium vel suum vel suorum: hunc tamen fateri cogimur, tanta auctoritate Christi inductum, tanto permotum exemplo, peculiarem quandam duxisse rationem juventutis, eique omnibus, quibus potuit, modis voluisse consultum. Atque hoc, auditores, argumentum quam luculentum & insigne ad laudem & præconium Ignatii! quam ad declarationem maximorum ejus erga juventutem meritorum utile! quam ad excitandam grati animi virturem necessarium! Audire ergo, adolescentes lectissimi, si grati esse vultis, ut par est, ac memores beneficiorum, quantum debeatis viro de omni ætate vestra optime merito. Audiamus & nos, quotquot cum essemus id ætatis, atque etiam grandiores, ex Ignatii instituto ac disciplina, beneque inventis, vel potius ex ejus imitatione Christi præclara, aliquid profecimus. Verum quid præfamur tandiu, aut cur non, abjecta omni cunctatione, quod edisserendum est primum, edisserimus; quid & quantum gratificatus fuerit Christus minoribus natu; quoque modo, & quoties ab illorum causa, contra quemvis parum æquum & faventem aut non amicissimum, steterit?

Fautorem & studiosum sui juniores habuerunt Christum, statim ut natus est: atque hujus progressus ætatis, series quædam contextusque fuit beneficiorum erga illos. Quemadmodum naturam sumpsit humanam sibi ipse suo arbitratu, & quo visum tempore quoque loco, venit in lucem: sic ei fuit integra potestas & optio eligendi corporis quamperfectissimi: ut, & eo primum habitu, ea statura compareret, quo habitu deinceps est, qua statura visus, cum ad trigesimum aut amplius ætatis annum pervenit; nec infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ varietatibus atque incommodis multæque infirmitati esset obnoxius. Isto pacto, auditores, primus hominum parens extitit vir derepente, & quasi plenis robustus annis, nec moras passus & longa intervalla crescendi, nec ulla perfunctus molestia superioris vitæ. Quorsum aliter Christus, cujus in manu erat, ut vir subito & plane grandis appareret ex tempore? Voluit nimirum esse ornamento ætati ineunti nostræ, & progredienti, & iisdem spatiis gradibusque insistere, quibus insistimus; nasci ut nascimur; pubescere ut pubescimus; adolescere ut adolescimus: quo vel sic homines ætatis nondum perfectæ, æquales haberet & coævos. Vix autem conceptus erat in utero Mariæ matris, cum eam interiore quadam vi & instinctu impulit, ut domum se ad Elisabetham omni festinatione conferret. Quo consilio, nisi ut ipse, una cum matre, honoris & amicitiæ causa, Joannem inviseret, ante sex duntaxat menses conceptum? Et vero sensit puer pueri adventum & præsentiam, exiluitque gaudio intra matris præcordia & quantum in se fuit, honoravit honorantem. Quale illud quoque est, auditores, aut quomodo interpretamur, quod natus Christus annos non amplius duodecim, senilem prudentiam interrogandis doctoribus, virilem animum relinquendis parentibus, docendisque postea, quamobrem reliquisset, exhibuit? Vobis, o pueri, honori certe hoc est, quod ætas vestra, quæ spe duntaxat, & expectatione laudari solet, visa sit in Christo, non laudabilis solum re & veritate, sed etiam admirabilis. Sed nullum certius neque evidentius argumentum atque indicium, quanto in pretio quantaque in gratia fuerit minor ætas apud Christum, quam quæ plurima, diversis duobus in locis,

cis,

eis, hic istius gratia dixit ac fecit. Primum, ad retundendam ambitionem discipulorum, qui contenderent inter se verbis, quis eorum in cœlo habiturus esset principatum; puerum arripuit unum aliquem, & medium statuit inter eos, cujus ad humilitatem, si omnino cœlo frui vellent, conformarent mores suos. Deinde, cum iidem discipuli summoverent pueros, & vetarent ad Christum propius accedere; non modo non prohibuit ipse, sed & succensuit prohibentibus, & ipsos pueros invitavit ad se. Utrobique vero quibus nominibus non commendat teneram ætatem? quas in eam laudes non effundit pleno ore? quæ non confert officia liberali manu? Quod ætas ea, nondum matura consilio, nondum firma viribus, videri possit despicabilis: vetat contemni. quod propter utrumque maxime pateat expositaque sit injuriæ: lædi vetat & omnino violari. quod plerumque forsan impunitas faciat, ut ei noceatur: pœnam proponit secuturam, eaque majorem, qua quis, alligatus grandi saxo & onustus, præceps agatur capite in profundum mare. Afferuntur a Christo alia quoque, quibus deterreat, ne quis inclementius agat cum pueris; quibus incitet atque adducat, eos ut cuncti tractent liberaliter. Sunt in tutela angelorum, qui potestate & gratia in primis floreant apud Deum: quis audeat aggredi? Quicquid in istos confertur beneficii, id in se collatum Christus arbitratur: quis non de iis bene mereri velit? Conditionem porro & fortunam puerorum, quis non magni faciat, optetque sibi, ac suo quovis loco & statu facile mutet: siquidem & horum sit cœleste regnum; nec ullius præterea sit, nisi qui repuerascere, hoc est, pueros, cum ambitionis, tum fraudis ac doli mali expertes, vita & moribus referre voluerit? Longum est cetera liberalitatis & beneficentiæ monumenta erga minores natu, aliunde ex aliis Christi vel verbis vel factis elicere, atque interpretari, & perstringere oratione vel summatim. ut pueros infantes delegerit, qui pro se primi, ac numero plurimi, sanguinem funderent ac morerentur innocentes. ut mortuos ad vitam, non provectos ætate, non senes decrepitos, sed puellam annorum duodecim, sed adolescentem, sed juvenem revocarit. ut ex omnibus discipulis minimum natu maxime dilexerit.

An vero qui est tenuissima quæque Christi virtutum lineamenta adumbrare conatus Ignatius, partem hanc insignem exempli, quod sibi proposuit ad imitandum, neglexit: & qui vere ardenterque amavit Christum, parum se benevolum iis, quos idem in amoribus atque deliciis habuit Christus, ipse præbuit? Si amare nihil aliud est, ut certe nihil est, nisi alicujus causa bene semper velle, eique, cum possis, & cum opus sit, bene facere: unde melius nobis, quam ex beneficiis benevolentia constabit? Quæ rursum beneficia, in teneram collata ætatem, si ex omnibus partibus se ostendunt: dubitabimus, quin eam Ignatius singulari amore, & perpetuo quodam sensu suo dilexerit, caramque habuerit? Quæ non ab ipso, juventutis ergo, suscepta magno animo, magnoque consilio? quæ non perducta ad exitum feliciter? quæ non constantius etiam libentiusque tolerata, hæc ut esset virtutum simul & literarum studiis instructior atque paratior? Contemplemur primo, si videtur, ut privatum hominem: spectaturi mox, ut ordini religioso, cujus auctor ac parens est, præpositum.

Ac mihi statim videre videor, non jam obsessum, & cum parva militum manu resistentem ex oppido ad resistendum imbecillo; non inter medicorum manus, qui ferro & igni admoto crucient, ne ingemiscentem quidem; non Manresæ, solo & sterili loco, ubi se ipse ita maceret inedia, vigiliis, nuditate, plagis, ut, nisi jurati testes obsignatæque tabulæ intervenirent, omnibus incredibile, & falso memoriæ proditum putaretur: sed videre videor, qui in templum, verbi divini audiendi causa, introeat, ad id se comparet, atque occupet locum, & sedeat, non vir inter viros, nec honestus & nobilis inter ejusdem ordinis homines, sed inter greges puerorum, aut humi, aut supra imos altaris gradus. Accipio vero omen, auditores, & magnum aliquid bonumque ex tali consessu auguror. Nam quod abjicit se in infimum locum, præter ætatem & conditionem suam, Ignatius; quod se socium minutis pueris addit, æqualium cœtu relicto; quod attentione, modestia, pietate, contemptu sui prælucet infimæ ætati, & prodesse vel sic exemplo cogitat: magno argumento est, multo illum magis daturum operam ut prosit, neque quidquam recusaturum, quam voles humile ac laboriosum, dum prodesse quoquo modo possit, simul ac primum amplior dabitur occasio. Verum homo sine ulla rerum divinarum scientia, sine interioribus literis ullis, leviorum etiam artium & communis eruditionis expers, legendi duntaxat & scribendi peritus, quæso, quid potest: præsertim ad aperiendam virtutis æternæque salutis viam, quæ & obsita tenebris, & multis infesta hostibus, & plurimis obstructa difficultatibus teneatur? Nam quamvis literarum ignorantiam nonnunquam compenset Deus, infundenda multiplici ac subita notione rerum occultissimarum; ipsique adeo Ignatio maxima quædam mysteria aperuerit penitus, de quibus sibi fas esse negaret dubitare, ne si quidem sacri libri nulli extarent: non tamen vult homines Deus nihil agere per se, nihil discere, nullo niti præsidio suo, nec industria, nec labore ad docendum. Qui quidem homines si divinitus erudiantur, idque tam cito, ac tantis de rebus: periculum est, ne elatiores superbique fiant. Si labore partum habeant & quasi magno emptum, quantulum cunque id est, quod norunt: nihil videtur esse causæ, cur admodum rebus, quæ sibi tam caro constent, glorientur. Certum itaque Ignatio deliberatumque est, toto animo & omni studio in literas incumbere: id quod ab eo rationes juventutis poscunt, quas commodis & utilitatibus suis anteponit. O rem admirabilem, & inauditam, & cujus adhuc exemplum quæramus! hominem ea ætate; tertium jam & trigesimum annum agebat: ea stirpe; natus genere in primis nobili erat: iis rebus gestis; assiduus militia, cui vulnera ex bello, & cicatrices, & claudicatio, fuerat: ejusmodi hominem huc voluntate sua descendere, huc ullis conditionibus, aut cujusquam persuasu & hortatu, perduci! Sed quo tandem? Ad minutias artis grammaticæ, ad innumerabiles observatiunculas,

&

& appendices, & tricas, ad ingenii & memoriæ certiſſimas cruces & tormenta. Sub magiſtri diſciplina, qui, quamvis moderatior, & commodus, ac mitis, magiſtrum gerat, ut debet, & cui morem geri oporteat in omnibus. Inter condiſcipulos, nugaces utplurimum, & dicaculos, & leves, & inquietos, & petulantes; ſemper autem, ut bene motati ſint, pueros. Quæ ſi omnia perferenda ſaltem eſſent non diu; iis ſi perfungi eo citius, quo grandior eſt natu, liceret: brevitas temporis conſolaretur rerum moleſtiam; & durandum contra tantiſper, & obfirmandum pectus videretur, dum oegotium anni duo treſve confecerint. Nunc autem cum quadriennium conſumpſerit totum io humanioribus literis; cum triennium & plus eo, ut fere mos tum erat ſcholarum; philoſophiæ ſtudiis impartierit; cum plures etiam annos abſtulerit theologia: vos ego teſtes appello, auditores, qui iſtuc non ignoratis, vos judices fero; quo animi robore atque inductiooe opus fuit, quanta cupiditate teneri juventutis inſtruendæ & ornandæ, ut tot ac tam gravia, maxime vero tam diuturna incommoda, difficultateſque in lucro ponerentur? At nobis quidem maxima pars laboris & ſtudiorum traducitur atque effluit imprudentibus: jamque confectus ex dimidio curſus eſt, cum reſpicimus a tergo, & ingreſſos in ſtadium nos fuiſſe vix advertimus: propterea quod a pueritia cœpimus ſtatim, minime cogitantes, quid ſubeſſet in progreſſu mali. Quod ſi ex hac ætate noſtra repueraſcere liceat, aut a calce revocari ad carceres; cui tantum animi ac virium, ut eandem hanc ſervitutem ſerviat libens, ſeque literis mancipatum velit? Quis quid mereat, ut de integro ſe primis imbuendum elementis tradat doctoribus ac magiſtris in diſciplinam? Quotuſquiſque rhetorica, dialectica, phyſica, hiſtorica, ſtudium multiplicium variarumque literarum perſequatur, tam cootioenti tamque longa propoſita velut ſerie laborum? Nemo fortaſſe, nemo omnium noſtrum; ne ſi quidem montes aureos lucrari poſſit iſta mercede. Eo igitur diligentem operam confert Ignatius, applicatque ſe & adjungit maxime, quo illum ſuſcepti conſilii ratio vocat, nec ulla re a propoſito deterretur. Sed, ut homini perexiguum videtur ad pectoris amplitudinem ſui, uno occupari negotio literarum: ita ſerum ad propenſam voluntatem bene merendi, ſtudiorum finem præſtolari. Quamobrem curas omnes & labores habet duplicitet diſtributos, ut quo tempore percipit ipſe humanas artes ac diſciplinas, eodem tradat aliis, quoad ejus fieri poteſt, cœleſtes ac divinas, iterque breve & directum monſtret ad virtutem. Videtiſne, quanta huic aſſiduitas & diligentia in aperienda & inculcanda auribus puerorum doctrina Chriſti? quam frequentes & incenſi tum privatim tum publice ſermones apud condiſcipulos, de ſumma deformitate vitiorum, de virtutum pulcritudine ſingulari, de bonitate Dei, ſapientia, juſtitiaque, de hominibus ingratis, ſtupidis, nihil nefas habentibus nec in flagitio, nec in ſcelere? quemadmodum pium ſanctumque aliquid ſemper ei ſit in ore, quo doceat, ſed prudenter; quo admoneat, ſed fideliter & ſincere; quo exhortetur, ſed benevole: ut in optimam partem, qui audiunt, omnia omnes accipiant? quemadmodum rationis, & ſenſus, & motuum humanorum, ad regendos conciliandoſque animos, ſic peritus ſit, ut, ubicunque pedem ponat, eo ſecum virtutum chorum, & veræ germanæque pietatis quemdam quaſi comitatum introducat? Porro quem eventum habuerit, & quem fructum tantus ardor, tantus conatus, tantaque molitio, ſi juvat cognoſcere; attende modo, quam magnæ minimis temporum ſpatiis factæ ſint in probis pariter & improbis mutationes morum. Alii pro ratione ac via vitæ, quam inſtituerunt & ſequuntur, res ſuas referre io melius, & ex præſcripto virtutis ſeveriſſimæ adminiſtrare. Alii removere ſe a negotiis publicis, ad clauſtrumque & ſolitudinem, & Dei ac cœleſtium contemplationem perfugere. Sunt qui progrediendi io virtute, ac ſui perficiendi ſtudio, omnia ſua largiantur mendicis, vivant ipſi mendicato. Sunt qui in carceres ſe, & publica egentium diverſoria conjiciant, ibique miniſtrent ægris, reos conſolentur, quacunque ratione afflictos erigant & recreent. Tum vero plerique, vel ignari totius rei, vel, qui ounquam deſunt, adverſarii virtutis, tantis commoti novitatibus, armantur & inſurgunt in auctorem. huic tenduntur inſidiæ, ſtruuntur criminationes, contumeliæ imponuntur. Quæ, & quanta, Deus bone, & quam ob rem, per hoſce annos duodecim ſtudiorum, fuerunt ei toleranda neceſſario, niſi quia juventutem, ab illecebris & contagione corruptiſſimi ſæculi, atque a ſocietate improborum congreſſuque abſtractam, ad omne officii Chriſtiani munus, & antiqoam pietatem traduxerit? Compluti conjectus eſt in cuſtodiam; etiam in vincula ferrea Salmanticæ: ac, ne longius abeam, hic, Lutetiæ Pariſiorum, in vicinia noſtra, auditores, nihil propius factum eſt, quam ut eas pœnas daret, quæ maximæ ſunt perditiſſimorum & profligatiſſimorum adoleſcentium ſceleri in gymnaſiis conſtitutæ. Captum conſilium: dicta dies: res ad eum delata ſecreto. Siſtit ſe nihilomiou ad tempus. Non illum conſequens dedecus & ignominia futura tangit: verbera ei, & ictus, & plagæ, & cruor, & dolor, & cetera pro nihilo. Unum hoc maxime angit & ſollicitum habet, quid futurum ſit tot adoleſcentibus, quos ad meliorem vitæ formam revocavit; eum ab hominibus non ſtultis nec levibus, cum ipſo emendatore ſuo ita parum clementer actum fuiſſe intellexerint. Juſtus timor, cura honeſta: nec patitur Deus teneras ſtirpes, quas peritus & diligens agricola ſeviſſet recens, ſummaque fide & ſingulari conſtantia excoleret, tam ſubito marceſcere novo hoc turbine tempeſtatis, aut etiam radicitus extirpari. Et vero omnium iſtiuſmodi turbarum, in ſæculo virtutum rudi & inſueto, erat culpa, non io Ignatio. Niſi forte culpa fuit, totos ſtudioſorum greges ex inordinatis adducere io ordinem: frequentem ſacrorum uſum ſuadere: omnem cum malis diſſuadere congreſſum, omnem familiaritatem: ad contemnendas & deſpiciendas res humanas hortari: nihil aliud anhelare ex ioſimo pectore, niſi divina & cœleſtia, nihilque aliud loqui.

Sinire me hoc loco, auditores, luſtrare animo & cogitatione ſingulas univerſæ reip. Chriſtianæ ſcho-

ſcholas, inprimiſque Galliæ. quin & in memoriam redite eorum, quæ ibidem partim vidiſtis ipſi, partim fieri certis auctoribus accepiſtis. Quam multos reperiemus, qui dum ludum frequentarent diſcendi cauſa, pietatem habuerint ſtudiorum finem, colloquiorum argumentum? Quam multos, qui decem, aut duodecim annis, commode verbum injecerint in ſermone quotidiano, unde ſubinvitatus aliquis ad reſipiſcendum fuerit, & ad venerandum numen divinum & colendum impenſius? Quam multos, qui auſi ſint objurgare libidinem, avocare ab incepto facinore, verbum notare aliquod alterius, vel maledicum, vel petulans, vel leve & imprudens? Magnum vero facimus plerique, ſi adjutores alienæ culpæ & ſocii non ſumus, aut ſi contractis noſtris non adducimus in contemptum quidquid elucet majoris religionis ſanctimoniæque in moribus. Quid, quod aliquot videas paciſci inter ſe & convenire de trahendis ad malas partes contubernalibus ac ſociis ſuis: execrandos hominum generi & deteſtabiles, qui infortunio malint perire communi, quam ſuo. ut ſit interdum, qui jactet etiam & glorietur, ſe unum exitio fuiſſe innocentiſſimis atque integerrimis decem aut viginti, a quibus omnem delicti culpam Jeſus Chriſtus, filius Dei, dominuſque noſter, ſanguine & vita redemit. Quod quid eſt aliud, quam importuni illius hoſtis noſtri & tentatoris inferni perſonam ſuſcipere, ac gerere partes in terris: hoc eſt, ſollicitare bonos ad malum, propellere in pejus, qui jam depravati ſint, reos omnes eorumdem criminum, ſecum ad eaſdem pœnas, in profundiſſimum gurgitem inferorum abducere? Quo etiam teriores & majore odio dignos ducere debemus hoſce inteſtinos hoſtes & domeſticos, quod ab iis nobis minime metuimus. Nam contra illum quidem hoſtem externum ſatis recti videmur eſſe, quod timeamus omnia, nihil ei credamus. Ab his vero, qui ſpecioſis & amantiſſimis nominibus fratrum, cognatorum, affinium, amicorum, nobis imponant, quis, niſi valde ſolers, & attentus ad rem ſuam, prætereaque ope divina non mediocriter adjutus, pro eo ac par eſt, caveat? Sed næ ego injurioſus, ſi vos, optimi Mariæ ſodales, qui hic mihi adeſtis, in crimen vocem iſto nomine: cum ſciam, quam utiliter, apteque & quaſi decore pietatem ſtudiis literarum jungatis: pietatis autem hujus veſtræ munus ſit primum erga æquales & ſocios, vivendi exemplis; alterum, ſanctiſſimis prodeſſe ſermonibus. Atque hactenus Ignatii ſtudia literarum, & quæ plurima ſtudiis, cum certa quadam viciſſitudine, intercurrerent, officia caritatis & benevolentiæ in pueros atque adoleſcentes.

VIDEAMUS nunc, poſteaquam votorum ſe ſponſione obſtrinxit, & inſtitutum a ſe ordinem regendum pro poteſtate ac moderandum ſuſcepit, invitus & recuſans; numquidnam de priſtino ardore, deque ſolita cura juventutis remiſerit. Hunc animadverti, auditores, vixdum ad laborioſam procurationem tanti muneris admotum, ſolemne illud ſuum revocaſſe; &, quamvis occupationes undique urgerent, magnæ illæ quidem per ſe ſemper, ſed initio quoque majores; parvulis tamen ſumma capita explanaſſe Chriſtianæ doctrinæ, ſex ipſos & quadraginta dies; atque ita in eo aſſiduum fuiſſe, nullum ut diem intermitteret. Ab hoc nimirum acceſſerat ad iſtam rem obligata ſacramento fides, ſive interpoſita voti religio: cum vereretur, niſi cogeret ipſe ſe, & neceſſitatem ſibi quandam imponeret, ne mutaret aliquando ſententiam. Eſt ſacris in literis, ſi quid ego commemini, ſcripto proditum, ſapientiſſimum legiſlatorem Hebræorum Moſen, cum par eſſe minus poſſet tantis oneribus, quibus premeretur, rerum ſuſceptarum; de conſilii ſui ſententia, quæ levio a eſſe viderentur, minoriſque momenti, ſingula abjeciſſe a ſe, atque alio in fidiſſimos homines & prudentiſſimos aliquot transfudiſſe. Satiſne cauſæ fuit Ignatio, cur idem faceret, ac minima quæque idoneis hominibus, quorum habebat tum copiam ſatis magnam, tranſmitteret? Quanquam hic erro, auditores, qui Ignatii, quod prima rudimenta diſciplinæ & inſtitutionis Chriſtianæ pueros cum tanta ſollicitudine & conſtantia docet, minimum id negotium appellem. Quanti præ iſto facit publicum in templis & ſolemnem cantum? quo licet mirifice cum natura ſua, tum voluntate caperetur; hunc a ſuis tamen ſodalibus adhiberi vetat, & in uſum introduci; ne quid aliis maximis plurimiſque negotiis diſtentiſſimos interpellet. Quanti facit ſacrarum virginum curam & regimen, quod a ſe totum abjudicat, & minus laborioſis, aut magis vacuis relinquit? Quanti ampliſſima ſacerdotia, dignitateſque fructuoſiſſimas, quas ne unquam capeſſat, ipſe ſibi, etiam voto nuncupato, interdicit? Et harum tamen rerum omnium nihil neque damnat, neque contemnit; ſed iis aliud, quod humile ſit in ſpeciem atque contemptum, quod magis ad morum emendationem neceſſarium, quod latius pateat, quod habeat diuturnitatem, prævertendum cenſet. Non igitur exiſtimare debemus ab Ignatio poni in minimis ejuſmodi inſtitutionem puerilem, quam rejiciat ad alios, oneris levandi cauſa, & ſeſe minus dignam arbitretur: cum huic uni tria illa ſuperiora non parvi ponderis & momenti, quæ dixi, poſtponere non dubitet.

Sed hæc quantacunque provincia imbuendi pueros prima & rudi notitia ſacrorum noſtrorum; magis moleſta, quam ardua & difficilis: nec ſane multis & exquiſitis literis indiget. Majus opus, & multorum, credo, operum inſtar, aggreditur, qui præter artes ac diſciplinas, quæ ad humanitatem pertinent, philoſophias omnes ac theologias profiteri & docere juventutem paret: ut homo Chriſtianus veteribus Græcis ac Latinis, aliiſque gentibus profanis, liberalium ſtudia doctrinarum non invideat; idemque, ſi Dei ſe eſſe ſacerdotem velit & adminiſtrum, curatoremque rerum ſacrarum, nihil aliunde eruditionis & intelligentiæ ad ordinem & locum illum ſuum tuendum requirat. Facile intelligo, auditores, quantus mihi campus aperiatur ad dicendum, quiſve curſus orationis futurus ſit, ſi perſequi voluero, quid privatæ publicæque rei interſit, juventutem bonis cum artibus tum moribus, ſub iiſdemque utriuſque magiſtris, & primo quoque tempore informari. Sed abhinc annis fere ſeptuaginta occupavit totum hunc de optima educatione liberorum locum præclarus & nobilis Ignatii vitæ ſcriptor, & magna quadam varietate doctrinæ & copia ſen-

tentiarum atque exemplorum illustravit. Qui profecto quæ plurima in eam rem dixit, multo magis dicat nunc, si redeat in lucem excitatus a mortuis: cum videat oculis, dicta omnia sua, tot annorum, quot ab illo ad nos usque interfluxerunt, spatio, & felici ubique exitu rerum comprobari: nec vero solum respondisse dictis eventum, sed omnia etiam infinitis partibus auctiora contigisse. Tametsi quid non dixisse censeri debet? Cum enim re recenti nondum satis perspici posset, quam late pateret fructus scholarum; & plurima tamen, maximaque commoda atque utilitates commemoraret pro annis duntaxat triginta, ex quo tempore scholæ initium cepissent: tum adjunxit quasi vaticinans, hæc semina edítura fruges uberiores aliquando, & per omnes partes brevi se fusura latius: ac tum demum intellecturos homines, quid in gymnasiis passim institutis, & aperto ad omne genus literarum ludo, boni lateat; cum ex iis communibus probitatis & scientiæ officinis, ad res sacras & civiles administrandas, vigilantissimi magistratus, incorruptissimi judices, antistitesque sanctissimi exierint. Cujus suæ prædictionis ipse fructum sane capiat amplissimum, si, ut dixi, reviviscat, & quos jam fructus in commune fida & solers institutio puerorum, & acrior severiorque disciplina attulerint, intelligat. Sed omitto præterita & instantia, quæ narravit: obliviscor futura, quæ prædixit in reliquum tempus. Illud dico, quod omni vobis ratione confirmare possum: non utilem modo videri, sed plane necessariam; nisi pessumdari & ruere omnia velimus in communi vita, diligentem & accuratam educationem prolis. Quam multa, quæso vos, auditores, concurrunt, ut omni consilio & prudentia deficiatur juventus? Primum a natura, jamque inde ab ortu, summa veri & recti ignoratio: deinde insignis proclivitas ad malum: tum impetus cupiditatum vehementes, quibus ratio obcæcatur: tum nulla adhuc rerum tractatio, nulla experientia: sæpe magna animi levitas, & inconstantia: nonnunquam præfractior mens in sententia, & voluntas obstinatior. Quid hic aliud fieri & opus est, & oporret, nisi ut tot tantisque malis occurrat institutio, & doctrina puerilis, & præclara quædam informatio morum; istoque adeo pacto inopia & imbecillitas consilii sublevetur? Neque regi semper majorum præsentia juvenilis temeritas potest: neque subitis admonitionibus ardor atque æstus effervescens satis reprimitur in tempore. Non expectandum vero, dum longa vita ususque rerum maximarum suppleat, quod deest prudentiæ; dumque afferat dies, quod antegressa ratio attulisse debuit, & quod præripere studio, ac disciplina, exercitationibusque ingenii, debemus. Adde quod his ætatis primæ fundamentis reliquæ ætates carere nullo modo possunt, quin labefactentur paulatim, & convellantur, ac nimias tandem ruinas edant. Miramur, auditores, nonnunquam, si certæ quædam civitates, totæque provinciæ avaritia, libidine, luxu, ambitionibus, invidia, mutuis odiis & simultatibus, studioque partium ardeant: si multi ibidem, viri inertes & languidi; senes, insipientes morum potius vitio, quam annorum, multi. qui mirari certe desinemus, si fontem & originem malorum inspexerimus, non bene actam superiorem ætatem. Hos nempe mores otio diffluens ac deliciis juventus; hos adolescentia jam tum liberior ac licentior; hos parum obsequens imperio majorum pueritia facit: nec vero corpora solummodo enervat ac frangit, & effœta tradit senectuti, sed animos multo magis. Quid, senectuti, dico; cum nonnullis in oppidis ac civitatibus maximis, canitiem aspicias raram, suaque juniores vitia intercipere soleant in medio vitæ cursu, nec virilem assequi maturitatem, nedum pervenire ad senectutem, sinant. Viderunt hoc sapientissimi in omni memoria scriptores, qui de legibus tradiderunt, ut Plato, ut Aristoteles, ut Plutarchus, quibus nihil habitum est antiquius, quam ut de instituendis liberis, & ad rationem ac disciplinam cujusque nationis erudiendis, diligenter severeque sanciretur. Quare, quoniam inter istos Aristoteles censuit rempublicam Lacedæmoniorum nihilo plus, quam semirempublicam, esse, hoc est, dimidia parte mancam atque imperfectam; propterea quod ex ea parte, quatenus mulieres spectat, deficeret, nec satis idoneis constituta & temperata legibus videretur: quanto magis existimare par est semirempublicam; ac ne rempublicam quidem ullo modo eam, in qua aut leges de custodienda, incitanda, refrænanda juventure nullæ, aut, quod idem valet, parum servatæ: unde tamen omnis familiarum & civitatum status, omnis vitæ morumque probitas pendet? Belle autem res tota, si animadvertimus, cadit, quod quæ ætas maxime præsidio literarum eget, docerique præter ceteras postulat, ea maxime ad percipiendas literas idonea sit, facillimeque omnium discat. Trade tu viro prima rudimenta, aut alicujus primam partem scientiæ, de qua nihil audierit, nihil legerit. quanto huic tempore opus est, quanto labore? qui interim, quod miserius est, multa opera & impensa mediocriter, aut parum admodum profecerit. Aggredere senem deinceps, & docere incipe. obliviscendi tempus, non discendi: neque is modo tardus reperietur ad capiendas disciplinas, sed indocilis, & plane ineptus: præsertim si rudis atque integer, neque ullis ante excultus initiis, doctrinæve notionibus imbutus & præparatus, quasi ad opus novum accesserit. Rursum si de moribus agitur, quoniam cereus est, & tener, & in omnem partem flexibilis puer; finges tu quidem arbitratu tuo, sequentem quocunque manu duxeris, si qua sit ad virtutem indoles. at posteaquam, firmato jam robore corporis, vir evaserit, aut ætate provectior quasi callum obduxerit animo: frustra sis: quidquid moliare & contendas: obduruerit ad voces vel hominis, vel Dei, vel suæ ipsius conscientiæ admonentis, nihilque dederit novæ vitæ loci. ita totum consuetudo, exemplorum vis, otium immoderatum, alia ex aliis negotia occuparunt. Age, non tantum celeriter puer arripit, & combibit facile, quæ instituendo & præcipiendo traduntur sibi a magistris: verum etiam fideliter servat, diuque retinet semel ab ineunte ætate suscepta. ut jure optimo sperare possimus, eundem fore & virum, & senem, qui primis in annis adolescentiæ, aut pueritiæ etiam extiterit. Quemadmodum

modum enim vacua & cadnca bona, aut ea, quæ necdum ullius fuerint, hujus illico fiunt, qui primus occuparit; sic ut nequicquam deinceps veniat alter in possessionem: ita nudum animum pueri, & liberum vanis imaginibus rerum externarum, quæ prima invadunt vel præcepra morum, vel literarum studia, obtinent in reliquum vitæ tempus, longeque omnes appulsus errorum ac vitiorum excludunt.

Ad propositum revertor. necessitas rei, ut doceare; opportunitas temporis, ut facile discas; firma & tenax ratio eorum, quæ ciro & mature didiceris, ut diu custodias, Ignatium, auditores, impulerunt, ut consilium caperet novum, singulare, audax, immensum juventutis ubique locorum ac gentium erudiendæ. Quem vero, præter hunc, invicti animi studiique indefessi virum, non deterruisset, cum vilitate atque ignobilitate operis, quæ vulgo putatur, conjunctus gravis & infinitus labor? Magnum quiddam est, si qui interdum numero pauci, ant mercede amplissima invitante, aut difficultatibus pressi domesticis, hoc a se impetrent, ut tam molestam ac difficilem provinciam tueantur ac sustineant aliquot annis. qui si aliam rationem ac viam levandæ indigentiæ, aut honestatis adipiscendæ nacti erunt; dummodo ea tolerabilis ratio, nec aliena prorsus, seque indigna fuerit: næ illi posteriorem hanc priori conditione vitæ facile mutent, seque tot semel ærumnis libentissime liberent; nemo certe in labore plusquam Herculeo sibi consenescendum putet. At vero tot civitatibus ac provinciis quaquaversus, ab oriente ad occidentem, a meridie ad septemtrionem, præbere ludum cuivis apertum ad discendum, tot magistros ludo, tot operæ vicarios magistris, qui succedant integri fessis, ægris valentes, vivi mortuis, vicemque alii aliorum & stationem obeant; sic ut nulla tarditas, nulla intermissio, nulla excusatio sit, quo minus res constanter & assidue cursum teneat; quanti demum negotii, quantæ sollicitudinis atque providentiæ, quantæ facultatis est? Jam, quamvis docere in scholis; præsertim si gratis ac sine ulla spe quæstus compendiique fiat; non tam parum habet dignitatis, quam plerique rerum æstimatores imperiti opinantur; cum & discere perhonestum sit, & docere non turpe sibi duxerint elari & honorati viri complures: tamen diffiteri non debemus, quin tunc quidem honorificentius & gloriosius aliquid Ignatius, & ætati suæ, & nobilitati sui generis, & suscepto primum vitæ militaris instituto convenientius, aggredi ac præstare potuerit. Verum, ut difficultatem rei, quæ sane maxima fuit; ita vilitatem, qualis ea cunque fuit, vicit publica utilitas, vicit certissima spes fructus, qui in omnes ætates hominum, in omnes ordines redundaturus esset. Immo vero tantum abest, ut quæ res plerumque duæ deterrere alios solent a facinore, magnitudo laboris, & gloriæ honorisque exiguitas, eæ revocent Ignatium ab incepto, aut ullo modo currentem retardent; ut alliciant & incitent magis: cum nihil etiam laboriosum, nihil humile & contemptum existimet, ubi agitur tam necessarium, tam proprium juventutis, tamque universo hominum generi salutare opus. Huic operi instat, auditores: hoc urget ac deproperat: idque tanto cum studio, ut fuerit aliquando tempus, cum in maximis occupationibus, rationem sibi reddi curaret, certa cujusque hebdomadæ die, quem haberent in studiis suis pueri progressum; utrum satis industriæ, & assiduitati, & vigilantiæ magistrorum, conceptæque de se opinioni responderent.

Declaravi fere vobis, ut potui, & quantum per tempus licuit, quæ vir maximus fecerit juventutis causa, quæque tulerit, & cur illum eadem, quæ Christus locutus est, loquentem induxerim: *Sinite parvulos venire ad me.* Commemorent nunc alii, per me licet, eximia atque pulcherrima naturæ dona, quibus longe reliquos inter mortales præstitit, magnitudinem animi sine ferocitate, prudentiam sine dolo, firmitatem sine pertinacia, clementiam, moderationem, beneficentiam, factam denique ad præclara & laudabilia omnia indolem. Alii deprædicent summos & incredibiles, quos sustineret, labores: item severitatem, quam in semetipso plurimam adhiberet; trinas in die verberationes corporis; jejunia tridui perfæpe, nonnunquam per dies octo continuos, ut ne aquam quidem gustaret; multorum dierum itinera, & peregrinationes novem, plenissimas incommodi ac molestiarum, bis in Hispaniam, bis in Italiam, semel in Palæstinam, semel in Galliam, in Britanniam semel, semel atque iterum in Belgium. Mirentur sane reliqui, si libet, quemadmodum divino quodam æstu abreptus quasi abfuerit a sensibus, cum Manresæ octo dies, tum alibi alias: quemadmodum morbos sanarit insanabiles ac desperatos, & præsentaneum ægris remedium fecerit, arte medica nulla, nullis herbis: ut ei se animi potius, quam corporis oculis cernendam objecerit Trinitas inexplicabilis: ut Christus ei, filius Dei, obversatus sit: ut Maria, virgo & mater, clare apparuerit. Equidem, quod ad me attinet, non minoris fecerim, quod Ignatius se ad regendam puerilem scholam abjecerit, quam quod Ignatium Deus ad visa quædam mirabilia, & ad edenda, præter naturam humanasque vires, opera extulerit. Multis partibus malim ob id, quam propter quidvis aliud, quantumvis amplum & illustre, susceptos labores, adita pericula, toleratam invidiam & offensionem improborum, convitia, probra, falsas criminationes. Neque vero tanti fuerint apud me, quæ maxima & plurima corporis animique bona a natura accepit, quam quod eadem instrumenta esse virtutis voluit, iisque usus est apte & scienter, non ad suum modo, sed ad universæ juventutis commodum & salutem.

Verum perorare, opinor, tempus jam est, cum afferendi majora locus amplius nullus restat. Optime de ætate sua meritum Ignatium videmus: optime de tota consequenti posteritate, adeoque de nobis, quotquot hic sumus, meritum: cujus erga omnes beneficia neque inficiari, neque ignorare, neque oblivisci sine summo ingrati animi vitio possimus. Quid huic alii & quantum debeant, quoniam inutile est meminisse, prætereamus silentio. Quid debeam ego, ne commemorandum quidem videtur esse; cum majus sit quiddam, quam ut assequi oratione possim; cui acceptum referri a me oportet, quicquid est mihi in vita carissimum, vel potius quod unum est vita ipsa carius, susceptam a puero, quam sequor, vi-

vivendi rationem & formam. Quid huic eidem debeatis ipsi, auditores, tametsi vos vobis testes optimi sitis; tamen, quia pro singulari vestra pietate & gratissimo erga Ignatium animo non nolle audire videmini, verbo complectar, & memores admonebo. Quod huc magno numero quotidie, studiorum causa, ventitatis; quod in templo quotidie, sanctissimis altaribus, dum sacerdos operatur Deo, adstatis; quod magnam Dei matrem stato solemnique conventu, & peculiari quadam observantia veneramini & colitis; quod estis in usu rerum divinarum frequentes, assidui in precibus, in omni genere officii Christiani accurati, & quasi ad amussim exacti; nonne inventum & munus est Ignatii aliquod; laboris & industriæ eorum qui acceperunt virtutis ab isto disciplinam, fructus aliquis? Mercedem horum erga vos meritorum Ignatius, cumulatus in cœlo nunc ipsum bonis omnibus, nullam exigit: non plusquam exegit, cum versaretur in terris, ac ne exigi quidem voluit a suis deinceps, qui idem studium aliis commodandi, eandemque operam juventutis regendæ ac moderandæ profiterentur. Sed si quis tamen ei gratum facere velit; si quo munere remunerari munus; si remetiri quadam ex parte beneficium: non valde quantum ego existimo, recuset. Quin etiam postulare hunc aliquid ejusmodi a vobis, & pro suo jure contendere, persuasissimum habeo. Quid illud tandem? Ut ne consilia & incepta sua turbetis: ut ne institutum a se studiorum pervertatis ordinem: ut ea, quæ copulata esse voluit inter se, nec divellatis ipsi, nec distrahatis. Mens huic fuit, hodieque est, ut unusquisque vestrum summus evadat, & in omni disciplina literatum, quibus operam datis, perfectissimus. Huic propositum, ut excellat unusquisque pietate, & recti amore honestique, & veris ac solidis virtutibus. Nec alterutrum separatim, sed utrumque conjuncte; utrumque studeatis, utrumque agatis, in utroque perseveretis, non animi non corporis laboribus defatigemini. Sub ea lege tamen & conditione, ut virtus & sanctitas morum primas, literarum doctrina secundas obtineat. ambæ dominentur quidem & regnent: sed hæc se minorem gerat illa una; illi uni ancilletur quodammodo ac deserviat. Quam grave Ignatio molestumque futurum putatis, si quo tristi ac misero casu contingat, idque ipse ex alto cœli domicilio contempletur, ut dissoluta, & iners, & vitiosa juventus e scholis prodeat suis, unde virtutem disci, verumque laborem, & optavit maxime, & confidit? Quem animo dolorem percepturum; si quis tamen ibi, ubi est, sit dolori locus; si quando deprehendat, qui studeant literis propter literarum studia, hoc est, sola curiositate adducti; qui cognitionem & scientiam amplexentur, quo fiant ipsi notiores, ambitionique suæ serviant; qui in discendo non tam præsentem doctrinam, quam lucrum spectent & quæstum ex ea futurum; ac ne multa, qui ignorantiam & errorem corrigant, mores nullo modo. Tales olim cupidos literatum accepimus fuisse a sanctissimo viro Bernardo, quorum notat in isto genere, in una cognoscendi percipiendique voluntate, turpitudinem variam ac multiplicem. *Sunt*, inquit, *qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant: & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi: & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant: & turpis quæstus est.* Nam, ut res nunc sunt, leve illud fortasse videatur, quod summus doctor Augustinus etiam in semetipso graviter reprehendit his verbis: *Hujus arenæ palæstra erat illa, ubi magis timebam barbarismum facere, quam cavebam, si facerem, non facientibus hæc invidere.* Quod Augustini factum quis, hac morum licentia, non æmulationem potius laude dignam, quam invidiam vituperabilem & cavendam existimet? Sed aberro jamdiu ab instituto, & totus alius sum, qui vos commonefaciam in præsentia atque exhorter, quos noverim magis optimæ mentis conscientia & cognitione tangi; atque ita Ignatio tantum voluptatis & lætitiæ, quantum alii tristitiæ & mœroris afferant, afferre. Pergite porro: incumbite huc eodem: facite denique, ut, quemadmodum sanctus olim Paulus, quos instituisset Christianos, coronam appellavit suam, quod sibi magistro honori essent ejusmodi discipuli, tam morigeri ac dociles; sic vos Ignatius, quod institutis a se magistris operam diligentem detis, coronam suam, hoc est, magnum decus suum, sicuti revera fueritis, appellet. Nisi forte, qui nihil suum secutus est, nec spectavit in vita; hoc quoque rejiciat & repudiet, ac de se omnino, & nomine suo taceri velit: sicut autem societatem, non suam aut Ignatii, sed Jesu dici voluit; ita nominet vos, non jam suum decus atque ornamentum, non jam ullam suam gloriam, sed, quod dictitare consuevit, majorem Dei gloriam.

F I N I S.

INDEX ORATIONUM.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS SOCIET. JESU DE FORMA CHRISTI LIBER.

PROOEMIUM.



QUONIAM videmur, in exponenda Pauli, quæ est ad Hebræos, epistola, cum eum secundi capitis locum declararemus, *debuit per omnia fratribus similari*, disseruisse paucis verbis, quam similitudinem nobiscum Jesus Christus, Deus & homo, habere voluerit; tacuisse tamen, propter institutam rationem brevitatis, ecquidnam formæ, corpore ac vultu in se receperit: placet separatim hac dissertatione de isto agere, quod esse longius, neque videri prorsus inutile, aut alienum a proposito sacrarum literarum interpretis debet. Atque hic potissimum valet, quod passim reprehenditur a sapientibus, jamque in communem loquendi consuetudinem venit, * quemque sibi fingere arbitratu suo ex moribus ac studiis suis Deum. Cum enim adduci mulieres non possunt, hominem ut credant, qui idem Deus esset, non pulcherrimum mortalium fuisse: tum graves quidam atque austeri vel natura, vel institutione ac disciplina, vel ætate, viri quos ipsa mœstitia delectat, subtriste aliquid, & obscurius, ac parum amœnum de eo cogitant & suspicantur; persuasissimumque habent, Deum sibi potius terram, & horrentem, & aspectu injucundam speciem ac figuram induisse, quam fragilem & caducam corporis pulcritudinem, & plerumque virtuti inimicam, esse voluisse facto suo delectuque commendatam. Qui si utrique minus, aut hi opinionibus inusitatis & a communi sensu remotis, aut illæ oculis, & colori tribuerent: non jam ex eo, quod melius & æquius esse falso præjudicant, Christum fecisse, temere existimarent; sed ex eo, quod Christus fecit, quid sit habendum potius atque antiquius, jure statuerent. Nos igitur nihil neque sensibus indulgentes, neque abnormibus ullis addicti aut mancipari sententiis, quæramus sane, quid sapientissimus æstimator rerum Deus maluerit, optaritque sibi; & auctoritatibus, conjecturis, atque aliis signis, ac vestigiis, quibus veritas indagari solet, quando nostram scientiam evidentes ac perspicuæ notæ fugiunt, primo de deformitate, si qua ejus erat, deinde de formæ pulcritudine, quæcunque erat, eodem approbante Deo & juvante, disputemus.

* Clem. l. 7. Str.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Jesus Christus deformis corpore atque oris specie fuit.

ETSI consecrarunt Ægyptii multiplex genus belluarum, & reposuerunt in Deos, quos singulari observantia & pietate colerent: tameo, quasi consilii eos sui & religionis puderet, qui divinitatem dedissent vilibus atque sordidis rebus, * & hoc sumptuosius animantem quamque extrinsecus, templo, ara, stragulo pulcherrimis, decorari voluerunt, &, ne vel sic ludibrio ac despectui ejusmodi numen cuiquam esset, † prætenso velo intrinsecus, habuerunt in occulto, & a vulgari ac promiscuo oculorum aspectu removerunt. Quo magis mirari par est inter Christianos reperiri, qui cum Deum, hominem factum nostra causa, pro eo ac debent, agnoscant & venerentur; isto non contenti, facile inducant animum, divulgentque sermonibus, hominem turpi fuisse corpore, & facie parum honesta atque liberali. Contra hos ego nunc apud æquum lectorem, non exceptione doli mali ago; neque enim malo consilio quemquam affinxisse deformitatem Christo servatori putem; sed ignorantia juris & facti teneri ostendo, falsique convinco argumento duplici, altero ex negantibus, quemadmodum vocant, altero ex aientibus.

Ac primum si grandioribus perscriptum literis istud foret ab iis, qui vitam & mores & gesta Christi memoriæ prodiderunt, nequaquam eum indecora specie fuisse, tamque conceptus verbis appa-

* Clem. l. 3. pæd. c. 2. † Joseph. l. 1. contra Apion.

appareret expressum, Christus corpore ac vultu deformis non est, quam perspicuis & dilucidis habetur, Deus homo factus est; transactum, opinor, negotium esset, neque contra quisquam dicere, aut omnino hiscere auderet, neque nos hoc ageremus, ut istam ulli opinionem detraheremus. Atqui idipsum, mihi crede, quisquis es, qui aliud censes, cum apud eos scriptores non legitur, intelligitur; cum non negatur, asseritur; cum tacetur, clamatur. Quid enim? fuerit Christus insignis ad deformitatem; & siluerit de eo Matthæus, qui quod erat hominis, præcipue scriptura persecutus est & comprehendit? prætererit Marcus, quem, licet omnium brevissimum, non pauca solum collegisse recensendo ac supplevisse constat? neglexerit Lucas, qui initio statim operis præter alios quamplurimos, idem opus conatos conscribere, scientiam ac diligentiam profitetur suam? oblitus sit Joannes, cujus fidei multa & diversa, nec tantum ad Christi divinitatem pertinentia, quæ illos fugerant superiores, debentur? At quibus mortalis conditionis & quasi fortunæ telis Christus patuit, qua miseria nostra perfunctus est, quo ex malo humano laboravit, quod non aut unus horum alterve, aut universi gravissimis certissimisque monumentis literarum testatum reliquerunt? Vexatur siti: semel proditum est. inedia premitur: bis significatum. de via fessus est, somnum capit: accepimus profundit lacrymas, sudore manat: celati sumus ne hæc quidem. nihil illo, sive ineunte vita, sive media, sive extrema, fieri potest egentius ac spoliatius, nihil ab omni non modo jucunditate voluptatis, verum etiam malorum solatio desertius: passim extat. factus homo prope hominem, fœditate corporis, & turpificati vultus vitio, exuit: mutæ linguæ, muta scripta; nemo divinorum quatuor historicorum, nemo aliorum quorumvis, quandiu Christus vixit, tale quidquam commemoravit; nemo sæculo primo ac fere altero, postquam mortem obiit, hoc est, quandiu oculatus testis, aut ab oculato teste edoctus, qui certius ac fidentius refragari posset, superfuit. Age, ipse quoquo modo reticeri istuc formæ probrum ac dedecus Christus tulisset, passus esset, sivisset, quod & ad mores fingendos atque instituendos nostros valere potuit, & forsan ad augendam beneficii erga nos sui magnitudinem pertinuit, &, qualecunque fuit, si suscepit; certe causa nostra, & caritate quadam hominum, & amore suscepit? Erat ea res scilicet aut tam parva, ut negligi debuerit; aut tam parum nota, ut non in oculos incurrerit; aut tam brevis, ut non ad totum vitæ tempus duraverit: præsertim cum non, ut factum aliquod unum, vel dictum, cujus esset facilis jactura, elaberetur atque excideret, sed hæreret fixa in corpore, & habitus certi & manentis instar obtineret? Aut igitur reddenda ratio est, quamobrem scriptores, cum reliqua incommoda & injurias recensuerint eas, quibus & ab ortu ac natalibus opportunus Christus fuit, & deinde obnoxius esse voluit, hoc unum velut ex compacto cuncti tacuerunt: aut, cum reddi ratio nulla speciosa & probabilis, nedum justa, possit, fatendum est, id ita non esse, quod tacuerunt.

Sed affertur hujus taciturnitatis causa. Quæ tandem? liberi parentis, discipuli doctoris, familiares amici dehonestamentum corporis dissimularunt, quoad fieri potuit, compressumque tenuerunt. Esto. Alieni, iniqui, invidi, obtrectatores, quibus usus est Christus in vita & multis & infestis, post mortem autem etiam pluribus atque infestioribus, quid fecerunt? aut cum falsa commenti sæpe sint, quæ in maledicti & contumeliæ loco objicerent, vera non objecerunt in os præsenti? non disseminarunt in nationum & gentium memoriam sempiternam? Est profecto, si quidquam aliud, parata materies ad cavillandum & exprobrandum, deformitas ac vitium corporis, unde homines natura maledici, convitiorum promunt omne genus: sive quod ea magis sint in promptu, seseque prima offerant intuentibus: sive quod ridiculi sedes ac regio in turpitudine quadam posita sit; turpitudo autem vel maxime ore ac vultu, & humanis corporibus cernatur: sive quod majorem offensionem habeant, quæ propiora cuique & conjunctiora: seu denique quod imperitissimus quisque, horum optimus esse judex possit. Quo fit, ut, si quis isto in genere, convitiatorum voces ac petulantiam effugerit, intactusque à dictis ad aliquot annos pervenerit, non quærendum amplius videatur, nihil ut in eo deforme, aut perversum fuisse appareat. Jam cum ex Judæis Levitæ, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, majores natu de populo, minima Christi dicta, non modo facta, vellicandi & carpendi studio, exciperent; cumque eum a capite ad calcem, ut dicitur, otiose contemplarentur & observarent, statum, incessum, accubationem in epulis, nutus oculorum, si quid forte vituperare possent: quotusquisque horum, satis bellam nactus occasionem maledicendi, hanc indecoræ & inconcinnæ humanæ figuræ totius labem & notam, eo se in illum dicaciorem præbuit, aut ex pravitate formæ quidquam duxit, quod probro verteret, aculeisque verborum configeret, aut omnino deteriorem in partem acciperet? Quod Herodes inde dictum ac Christum irridendum petivit, cum illum a se cum omni contumelia dimisit? quod ejus purpurati? quod comitatus totus? Quæ vox ejusmodi audita militum, totam noctem capto vinctoque illudentium, plebis aspere & ferociter & libere insultantis? Inter exteras vero gentes quando Porphyrius, quando Julianus, Christiani nominis duo capitalissimi hostes, a quibus collecta scimus omnia, quæ Christum in contemptum adducerent, ignobilitatem ei formæ, ullumve corporis vitium objecerunt? Quid reliqui cessarunt omnes in omni memoria adversarii, excepto uno, de quo postea, sic perstringere & insectari merentem? cur abstinuerunt tam paratis & proclivibus maledictis? quomodo non millies commonstrarunt digito, nec designarunt ad ludibrium os inhonestum, neque solum Deo, sed ne homine quidem ingenuo dignum, quod risum & jocum spectatoribus deberet? Utrum exiguum, & frivolum, & inane hoc totum, quod est corporis, esse putaverunt, qui vitio & culpæ sexcenta leviora dederint: an moderatione quadam pepercerunt, qui innumerabilia, eaque atrocissima, per iram, per contemptum, per ludum effundere non dubitarint? Quibus enim illum contumeliis verbo-

borum, probrosisque appellationibus non incesto ore lacerarunt; aut quid evomi solet a maledicentissimis vel ex odio inveterato, vel in subito & gravi jurgio, quod non aliquando audiit ab adversariis partim sua sponte, partim a spiritu nequam atque improbo, & omnis protervitatis inventore atque architecto, incitatis? * procreatus ex adulterio, fabri & † quæstuariæ filius, ignarus literarum, vino & gulæ deditus, publicanorum & maleficorum sceleratorumque amicus, planus, concitator multitudinis, furiosus, arreptitius, § magus, denique quid non, extra hoc unum, petitum a corpore probrum, quod si falso dixissent, oculis ipsi suis facile redarguerentur, & manifesto deprehensum appareret mendacium, singulari impudentia conjunctum? ut credibile sit ne ista quidem postea de deformitate ab adversariis Christi lecta usquam esse in libris auctorum Christianorum, aut de quoquam Christiano audita, quæ eo quoque avidius arripuissent ad maledicendum, si nostrorum hominum confessione tenerentur, & ipsa non dico veritate, sed veri aliqua similitudine niterentur. Quid ergo, ut hanc rationem concludam, possumu aliud, aut debemus hic, nisi tam altum silentium, tam universum, tam diuturnum, negationem inficiationemque deformitatis interpretari? Quemadmodum enim si quis in morbos Christum incidisse more nostro, atque aliquandiu ægrotasse contendat, temeritate non vacet; propterea quod ea de re litera in sacris libris nulla invenitur: ita qui deformem illum esse natum defenderit, cum nullum ibidem vestigiom deformitatis appareat, justa reprehensione non carebit.

Atenim non omnia, quæ Christi erant, scriptores sacri complexi sunt. Equidem fateor non tantum omnia non esse complexos, verum etiam professos maximam se partem omisisse gestarum ab eo rerum. Quid ergo? nos ex eo solo omne a Christi corpore vitium depulimus, quod ei sacri historici nullum tribuerunt; ac non ex eo simul, quod si vitio isto aliquo laboravit, mentionem facere debuerint, facturi fuerint, oblivisci nullo pacto potuerint? Quare qui istiusmodi argumentum, quod ex negantibus conficitur, vel eludunt ut tenue, vel ut nullum, repudiant ex toto; neque videntur satis, quibus ea vis argumenti conditionibus adstringatur, animadvertere, neque quid suscipiant in posterum, aut quomodo sese induant, videre: cum quidem, cur quæpiam sat levia credamus, ut, in vita nunquam Christum risisse, ut, in multis & magnis criminibus, quæ sunt ei ab imputis accusatoribus illata, flagitii nullius atque intemperantiæ insimulatum fuisse, nihil firmius afferre possimus, quam quod, certum scire qui potuerunt, & tradere, si vera essent, posteris debuerunt, transierint silentio tamen, verbumque nullum fecerint.

SEQUITUR alterum ex affirmantibus argumentum, quo uno facile possit, nisi forte res jam tota conveniat, cum æquo lectore decidi. Aut enim deformitatem hanc spectemus licet, ut in homine, natura contractam: aut, ut in Deo, susceptam judicio, & voluntariam. Rursum si naturalis est; vel habetur expressa efficta que a parentibus similitudine & conjunctione quadam sanguinis: vel, quod sæpe fit, ut nascantur dissimiles parentum liberi, ex causis in cujusque habitu & corporis temperatione insitis profecta. Jam quid horum est, per ipsum Christum, de quo loquimur, quod in eo labem aliquam turpitudinis & notam resedisse, non dico ad veritatem, sed vel ad opinionem persuadeat? An ullos a virgine matre, tanquam ab origine insincera nævos, cum primum nasceretur, traxit? At ne illi quidem hoc necessitatis afferunt, quibuscum nobis res est, ut cum unum statuunt esse deformem, duo duorum generum deformes haberi velint; contraque omni formæ vitio liberant matrem, cum filium deformitatis condemnant. Et, si, id quod * Aristoteles censet, ad effigiem & imaginem paternam propius, quam ad maternam virilis partus accedit; quæ illi oris & membrorum depravatio in ortu obtigisse potuit a patre, quem in terris nullum, item ut matrem in cœlo nullam, habuit? Multo vero minus concedendum est, Spiritum sanctum, cujus vi eximia quadam & prorsus cœlesti, conformatum atque elaboratum corpus accepit, ullum illi vitium addidisse. Quid enim tanti operis effector peccaverit, qui huc modo incubuit, ut & corpus ex puro & incorrupto matris sanguine fingeret, & puncto temporis absolutum, paratumque ad subitam ac præsentariam animi susceptionem, exhiberet: quorum utrumque divinæ potentiæ est prodigium, non humanæ facultatis & industriæ munus aut artificium. Nam illud neque pono pro argumento, neque differo, quod jam olim Chrysostomus † judicavit, esse ea, quæ geruntur a Deo, fiuntque miraculo, iis, quæ natura suis ipsa viribus molita unquam est, molirive potuit, potiora. ex quo consequens existat, & oculos cæcis redditos, perspicaciores; & panes multiplicatos, suaviores; & ex aqua vinum factum, nostratibus exquisitius; & similia horum. Satis superque habeo, non fuisse Christo fraudi, quod divinum numen, non mortalem ullum, patris quodammodo loco habuerit; ejusque conceptum, cui Spiritus sanctus operam admirabilem dedit, si non continuo perfectiorem, certe nihilo imperfectiorem, quam si generatus humano satu, editusque in lucem esset, existimari oportere. Quod attinet ad constitutionem corporis, unde nasci tanquam ex causa interiore & proxima varietates dissimilitudinesque formatum queunt; sive eam Christo nostri isti deformitatis patroni tribuunt, quæ sapientum est, sive eam, quæ sanorum ac valentium; etiamsi omnem hic scholam physicam & medicam nobis explicent, nunquam efficient, ut Christus sit vel uno ungue deformior, nisi ostenderint prius, eosdem sapientes, & deformes; bona valetudine, & mala forma esse: quæ ambo falso dici intelligo, ac prope oculis usurpo: utrum dicatur absurdius, haud scio.

Sed Christum desinamus tanquam onum aliquem nostrum contemplari, quibus id, quod formæ est, totum naturæ sit ac fortuitum. Divi-

* Cyrill. l. 5 tom. 2. Esa. Procop. in c. 53. Esa. † Tert. l. de spect. c. 30 Hier. ep. 1. ad Heliod. § Just. dial. cum Tryph. Hier. ep. ead.

* l. 7. de hist. anim. c. 6. & l. 4. de gen. anim. c. 3.
† Homil. 21. in cap. 2 Joan.

vinitate potius illum sua metiamur, quæ in tempore quicquid habuit, judicio, & delectu, & voluntate habuit, cuique fas soli dicere fuit: Mihi & vultum & ingenium fingere potui. Ecquid igitur Christus, integra re, cum potestas & optio daretur utrum vellet, elegit? aut siquidem deformitatem sibi prudens ac volens non dubitavit appetere, quo consilio fecit? quid secutus est? quam ad rem utilem fore putavit? Nam si quæ in bonis corporis pulchritudo numeratur, usque eo sterilis & parum frugifera est, ut non tam bonum videatur ejus, qui pulcher sit, quam cujusvis alterius, etiam illius nonnunquam, qui sit deformis; quo non ipse, qui habet, fruatur; & cujus ad solos intuentium oculos usus pertineat: quæ demum commoda, quas utilitates præbere contraria deformitas potest? Sin idipsum Christum impulit, ut deformitatem asciseeret, quod ea aliquid haberet mali: num eidem satis causæ fuit, quare a se repudiaret; quod malum potius alienum, quam suum istud futurum fuisse intelligeret? Sed hæc forsan dicuntur a me argutius. loquere tu simpliciter, cui deformis Christus placet, quidnam quæstus & lucri ista tua deformitate aut ipse fecit, aut in nos derivavit. neque enim facile divinare possum, quid meruerit, ut ore improbo esse vellet, aut qua tanta mercede displicere spectantibus concupierit. Utrum eo magis se patri satis esse facturum existimavit, quo contemptior atque abjectior in omnem partem fieret? Agnosco certe quidem infinitam patri satisfaciendi cupiditatem filii, atque ardentissimum studium, quo incensus & summum cœli domicilium reliquit, & vitam inter homines vixit plenam laborum, plenam dolorum. non tamen ut omnes persequeretur vilitates & ignominias, neque ullam a se deprecaretur injuriam corporis. isto enim pacto, ut alia innumerabilia omittam, & ægra valetudine, & imbecillis viribus, & captus membris ac debilis fuerit: quorum nihil ad hanc diem, etsi multi multa parum probabiliter in eam sententiam dixerint, cuiquam venit in mentem dicere. An plecti in eo & damnum facere Christus voluit ad hominum salutem, quo sæpe sunt homines abusi ad suam perniciem? Belle sane dicitur, atque in genere etiam vere. Sed vide, quæso, si tot tamque dispares ærumnarum ac miseriarum modos tanquam e regione taxes, quot quamque diversis modis homines singuli deliquerunt, ne duriorem illi provinciam imponas, quam fuit ejus providentiæ sibi deposcere: & si non dignatum forma dicis, quod humana forma multa peccavit, ne corpore quidem dignatum tibi dicendum sit, quod ab humanis corporibus nullum facinus, nullum scelus, nullum flagitium abfuit. Neque vero si perverse & improbe ingenio plerique usi sunt, ea re minus ingeniosum; neque si rationem in fraudem malitiamque converterunt, minus hominem fuisse unquam confitebor. An denique re, & factis potius, quam voce, præire nobis studuit, quid & quatenus esset maximis, quæ sunt apud mortales in pretio, ornamentis corporis credendum? Quasi vero omnia edocti simus, aut edocendi fuerimus exemplo; &, si fuimus, quisquam sic Deo præscripserit, ut carendo magis, quam utendo, parsimoniam ac temperantiam, & omnium rerum nos modum edoceret. Itaque cum justiores atque honestiores afferri nullæ rationes queant, quamobrem deformitatem sibi dedita opera Christus assumeret, tantoque amore amplecteretur; cumque istæ, quibus adversarii se rem obtinere confidunt, nihil admodum probent, quod nimium probent: quid consequens est, nisi ut qui omnia summa ratione fecit, noluisse videatur, quod cur vellet, nullam satis idoneam causam habuerit?

Quod si omnem a Christo deformitatem jure optimo rejecimus, quia nullam ad rem arbitremur conducere: quanto magis rejici par est, si & ejus, & nostris rationibus plurimum obesse, uti revera obest, intelligamus? Etenim cum susceptas esse constet a Christo partes duas ad tuendum veri perfectique servatoris munus, alteram patiendi, quo nos pœna, alteram docendi, quos nos errore liberaret; cumque, in hac ut satisfacceret, prodire debuerit in publicum, cœtibus & conciliis interesse, agere cum proceribus, apud populum dicere, se hominum generi dedere universo: si non effecit, ut omnes ad se audiendum omni arte pelliceret; at ne quem merito a se alienaret, atque ab audiendo quoquo modo deterreret, sine dubio cavit. Porro autem dici non potest, quid facies, & vultus, & ea, quæ in specie posita sunt, afferant, quantoque opere juvent non solum ad delectandos animos, sed etiam ad erudiendos ac permovendos; ut tacita frons & oculi loquantur, & faciant audientiam sibi, priusque, quam voces & verba & oratio, persuadeant. Ad quæ animum si quis attendat, illud jam mirari desinat, si ex auditoribus plerique filii non ante satisfaciant, quam ora atque oculos intueantur illius, cujus verba auribus accipiunt, vixque eum existiment a se, qui non idem visus sit, auditum. Quod cum ita sit, quis non intelligit, habere plurimum offensionis & molestiarum, sive in congressu & colloquio familiari, sive in publica dictione, quicquid turpe ac vitiosum, præsertim si insigne & perpetuum sit, vultu promptum appareat, ipsumque causæ suæ nocere, si quis fœdus, ac vultuosus, & quasi personatus committat se multitudini deridendum potius, quam audiendum, ac primo aspectu fastidium odiumque sui propter singularem pravitatem aliquam ingeneret? Quid Christus autem? non animadvertit unus omnium, minus se gratum in vulgus acceptumque visum iri, segniores ad conveniendum & sequendum populos fore, si sic aliorum, ac prope sui dissimilis prodiret in conspectum, agresti oris habitu, minimeque apta compositione corporis: aut cum animadverteret, ac facile vitare posset, accommodata ad hominum societatem forma uti neglexit? Fecit hoc quidem in omni cultu vitæ, ut tritam quandam & popularem, neque abhorrentem ab usu quotidiano, viam & rationem sequeretur. non Joannis, antecessoris sui, ex pilis camelinis amictum, aut ex pelle tenonem induit, non silvestrem ac ferinum victum adhibuit, non jejunia stata & perpetua imitatus est, non captavit latebras & solitudinem. quorsum isthæc? ut facilem ad se aditum aperiret omnibus, non sibi ad quemquam clauderet. Qui si idem Joannes, quoniam huc incidi, illo duriore & austeriore instituto, non

pethi-

Perhibetur specie fuisse deformi, cum rusticaretur, cum apricaretur, cum in solis & desertis locis sub dio humique pernoctaret, & a prima ætate callum quoddam jam obduxisset corpori: quid nos in Christum, viam vivendi non eandem ingressum, hoc vitii conferre cogit? aut quæ demum est ista ratio, ut in tanta vitæ insolentia, communem omnium quandam oris honestatem Joannes retinuerit; in tam communi agendi more ac modo, peculiarem sibi deformitatem oris Christus de industria conciliaverit? Ut igitur sit oppido ridiculus, qui tarditatem, & hæsitantiam linguæ, & reliqua naturæ impedimenta suscepta velit a Christo, qui mores hominum erat oratione formaturus: ita non multo minus inscitus putandus, si de eo dicat, sibi vultum, qui secundum linguam plurimum valet in cohortando & deterrendo, finxisse ad satietatem & fastidium audientium, ad contemptum sui.

Quid si vero corporis pravitas non tantum contraria & inimica Christo docenti, sed aliena etiam quodammodo a patiente Christo fuit; parumne ostenderim adversari proposito, & fini, & institutæ rationi οἰκονομίας atque ἐνσαρκώσεως; fuisseque, quamobrem eam a se divinum numen aspernaretur? Qui illud dicam, hoc habeo argumenti, quod ut omnes in veteri Judæorum lege victimæ ad unum Christum referebantur, Christum exprimebant, qui seipse hostiam præbiturus erat ad sacrificium, sic & quales oportebat ipsas esse, talem hunc præsignificabant longo intervallo futurum. Istæ porro quales esse debuerunt? ut est in fontibus Hebraicis, תָּמִים, integræ: ut septuaginta ediderunt, ἄμωμοι, non reprehendendæ: ut vulgatus reddidit interpres, immaculatæ, sine labe ac macula. quæ tria unum valent ac sonant, ut nihil in victimis vitii nec deprehenderetur nec inesset; traduntur que postea sacris literis explicatius. In quo quis non miretur idem de sacrificante, quod de hostia, præscribi, easdem leges & conditiones, & pæne totidem verbis ferri? ut satis signi sit jam tum præmonstrari, fore olim eundem sacerdotem & sacrificium, immolatorem & victimam. De hostia sic: *Homo qui obtulerit victimam Domino, tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino.* Ita de sacrificante: *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si vel* חָרֻם, *vel* שָׂרוּעַ, *si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem habens in corpore.* Quæ si omnia tam minute & enucleate perscripta, tam præcise vetita, potius ad novæ legis significationem directa sunt, quam ad veteris usum comparata; nonne a Christo omne removeatur vitium corporis, omnis deformitas facessat oportet, ut probata, & lecta, & grata patri sit hostia, itemque legitimus & idoneus sacerdos fiat, ut *impleantur scripturæ*, fides istis quoque prædictis constet, imaginibus & simulacris res & eventus tandem aliquando respondeat? Atque hoc illud est, quod supremo vitæ die, cum jacturam fecisset bonorum corporis prope omnium, veteris integritatis tenues illas quidem, sed non obscuras tamen, neque incertas reliquias retinuerit. quippe qui neque imminutus ullis membris profuderit spiritum, neque fractus, ut cruciarii duo, quos inter pependit, cruribus sit: ac ne intima quidem tunica, quæ proxime cutem attingeret, & adprimeretur ad corpus, reliquis in quatuor partes vestibus discissis, secta ipsa & divisa cesserit pluribus, sed una uni ex militibus, cuipiam salva tota sortito obvenerit.

En argumentum ex aientibus, natura unum, vi multiplex, quo id, quod volumus, satis superque videor ostendisse, & ab injuria corporis Jesum Christum vindicasse. Ceterum hæc malui de deformitate, quemadmodum in Deum hominem non caderet, speciatim ac proprie transigere, quam, ad thesim quæstione traducta, disceptare infinite, quid nostri per divinitatem, perque humanitatem admittere tanquam suum posset, quid velut alienum respuere deberet. Quanquam his quoque duobus uti licuit ad fidem faciendam, quæ uno loco * Thomas Aquinas effecit ratione & coegit, Christum, & sibi humanæ naturæ vitia atque incommoda sive ἐγκλήματα sumpsisse, communia quidem, propria singulorum non item, & ex communibus etiam illa repudiasse, quæ susceptis a se consiliis, & initis tanto in mysterio rationibus aliqua ex parte obstarent. Perfecto enim & concluso nec privaris, nec contrariis malis in Christo locum usquam fuisse, ambigi non debet quin omnis ab eo deformitas procul abfuerit: siquidem esset malum ejusmodi & minime hominum commune omnium, & maxime servatoris conditioni atque officiis dissentaneum. Sed ista & alia, quæ mecum faciunt, si coner expromere, longior hoc capite sim, quam sequentibus tribus totis esse decrevi. Summa hæc esto, nihil in Jesu Christo, Deo & homine, mancum, nihil redundans, nihil distortum, nihil insuave in vultu, nihil in reliquo corpore insolens atque odiosum fuisse.

CAPUT SECUNDUM.

Diluuntur ea, quibus deformitas Jesu Christo affingitur.

CUM de facto potius hic, quam de jure agi videatur; ad confirmationem autem, aut infirmationem facti, argumentis extrinsecus assumptis maxime opus sit: adversarii, rationibus omissis, pugnant auctoritate nobiscum, & quo rapimur veritate duce ac natura rei impulsi, inde nos revocare contendunt testibus. Quorum ego vim atque impressionem tantum abest, ut refutare coner eludendo, aut subterfugere reticendo; ut augere numerum recensendo velim. Opponam enim ipse mihi & quos diligentia adversariorum instruxit atque armavit in nos, & qui proprie nobis noti undecunque esse potuerunt. Tametsi, in tanta paucitate eorum, quibus deformem fuisse Christum placeat, utrumque non dif-

S s ficile

* 3. p. q. 14. a. 4. c.

ficile factu est: cum & unum modo ex ingenti quodam immensoque campo sacrarum literarum produxerint testem, & ex patribus Latinis duos, ex Græcis unum; cui ego alterum, etsi eruere & consequi cuperem plures, summo labore meo adjunxerim.

Sit sane primus, ut debet, Esaias, qui septingentis circiter annis ante Christi ætatem, qualis is futurus esset, prædixit; eo majori fide, quo vel futurum, tanto intervallo prædixisse, magnum fuit. *Non est*, inquit, *species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus.*

Primum ex adversariis quæro, cui tandem hominum generi hunc sermonem attribuendum, aut a sanctissimo vate attributum putent: Judæosne, an ex aliis gentibus aliquos sic loquentes faciat, an ipse per se hoc, nulla introducta persona, Esaias loquatur. Quæro deinde, quibusnam horum, sola Christi humanitas, etiamsi cetera mente & cogitatione separentur, non videatur idonea, de qua memorabile illud elogium, *non est species ei, neque decor*, vere meritoque affirmetur. Quæ species, quis decor, quæ forma & notio præpotentis omnium rerum Dei, esse factum hominem, animam & corpus, ut unum aliquem mortalium, habere, cerni, tangi, ferendi patiendique necessitatem subire? Parumne illud est aut Esaiæ ad admirationem, aut Judæis ad offensionem, aut alienigenis ad ludibrium & irrisionem, quod nostra divino numini conditio nascendi, vivendi, moriendi, non displicuerit, ad ultimam omnium ratione & intelligentia præditarum se naturam sponte abjecerit, tantum nomen, tantum splendorem, tantam majestatem minuerit, obscurarit, &, si fas est dictu, dedecorarit?

Instant adversarii, & minus aliquid, quam quantum est hominem fieri, declarari volunt ab interpretibus septuaginta, quod vulgatus interpres noster non expresserit ad verbum: τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἢ ἐκλεῖπον παρὰ υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Audio. Sic existimant, Deum non solum factum hominem, sed multo, quam homines, inferiorem. ut non jam cum divinitate humanitas, quæ præ ista deformis est, sed communis humanitatis ratio cum infima & abjectissima conditione humanitatis, ad quam Deus descendit, contendatur. Quid igitur minus hominis, qui modo nomen hoc & personam retineat, quam ad tot ac tantos casus, & offensiones, & molestias nasci, quot & quantas a prima jam ætate contextas & perpetuas Christus suscepit? Cujus vilitatis non dico nihil in instrumento lautum, nihil in comitatu nobile, nihil in vestibus elegans, nihil in victu exquisitum, sed ne magnopere quidem quicquam servo frugi ac mancipio non indiligenti dignum habere? Quidquam deformius, quam stabulum, præsepe, fuga in longinquas regiones, patris officina, matris egestas, triginta annorum latebræ, trium concursatio? Vos, Judæi, appello, numquid aliud cives commovit vestros, & ab expectatissimo Messia, venerando, uti par erat, colendoque deterruit, nisi quod, quem divitem, quem sumptuosum, quem florentem omnibus copiis & cumprimis beatum, quem regem cum purpura, & sceptro, & illis insignibus regiis incessurum non sperarent solum, sed confiderent, is derepente extitit, & quasi unus aliquis privatus ac plebejus visus est inter vos, & processit in medium vel nullo apparatu ornatuque visendo, vel etiam ignobili ac despicato? Nam prodigium illud quis non intelligit longe omnium post homines natos maximum, quod Græcis, Italis, barbaris, partim nullum, partim plures Deos colentibus, venerit in mentem suspicari & existimare aliquid in eo immortale ac sempiternum, & vero confiteri, atque observare sic tanquam divinum, cujus infra humanam sortem depressa pletaque, & vulgaris etiam, & quotidiani moris expertia agnoscerent?

Tamen urgent adversarii, & nihil remittunt. neque hæc illis Christi tam multiplex deformitas, videtur vere ac proprie appellanda deformitas, neque existimanda ea esse, quam edidit oraculo vates, & posteritati exhibuit ante oculos, quamque ex ejus verbis, & Hebraici sermonis consuetudine intelligi licet. *Vidimus*, inquiunt, *eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum*, hoc est, *non desideravimus.* quippe cum intueremur in eum, deprehendimus usqueeo deformem ad aspectum, ut averteremus continuo oculos, neque cernere vellemus amplius, neque ferre possemus. Damus, quod petunt: quod sumunt, concedimus; & libenter quidem. fuerit Christus decoloratus vultu, toto corpore deformatus, tumore & livore præditus, vix ullis lineamentis a suis agnoscendus. sed ita, dum verberibus cæderetur, dum tunderetur colaphis, dum conspurcaretur sputis, dum capitis e vulneribus manans, ora & sinum oppleret cruor. tum, inquam, tum aspectum deformem habuerit atque turpem, tamque dissimilem hominis, cum mortuus sic est, quam Dei, cum natus homo est. quæ fœditas fingi major potest, & Esaiæ verbis ac sententiæ convenientior? Et vero, quamobrem hanc esse divini vatis mentem, & germanum hujus loci sensum atque intelligentiam existimemus, multa concurrunt. Primum quod statim subjicitur, *virum dolorum & scientem infirmitatem:* qui profecto de indignissima Christi morte sermo institutus est. deinde quod hoc idem toto fere capite pertexitur, quid, cujus gratia, quam toleranter cruciatum summorum dolorum tulerit: *Vere languores nostros ipse tulit*, &c. *oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum*, &c. *tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est*, &c. tum quia mentio identidem interponitur deformitatis, quam tetra vis tormentorum acerrimorum plurimam invexit: *quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. livore ejus sanati sumus.*

Quod si expositiones istæ ternæ, meæ unius essent, a me primo inventæ, &, ut dicitur, marte nostro excogitatæ; omni ex antiquitate fundum, & subscriptorem, atque auctorem haberent præterea nullum: non video cur rejicerentur, quæ tam valde cum Esaiæ dictis, & ipsa re congruerent. Nunc quando nulla harum est, quam non e patribus sanctis aliquis attulerit; immo patrum nullus ferme est, qui attingat hoc caput, quin harum in aliquam incurrerit; plerique etiam tri-

bus

bus una utuntur: quid est, quod cujusquam animum facere dubium in hac causa Esaiæ vaticinatio possit, tantis auctoribus illustrata? Et primo quidem modo locum sunt hunc interpretati Athanasius & Apollinarius, altero Ambrosius & Thomas Aquinas, tertio Justinus, Theodoretus, Eusebius, Euthymius, complures alii, quos infinitum sit, idem locutos omnes nominare. Ex his posteriores duas Hieronymus explanationes adhibuit, alteram altero loco. Nam, ut commentario illo in psalmos nihil utamur, quem ei falso attribui ferunt, in quo Esaiam scribit *ex persona Judæorum dicere hoc, Non habebat speciem neque decorem, quia illi humanitatem carnis, quasi purum hominem esse crediderunt*; quæ prima est ratio interpretandi: sic secundo interpretatus est in Esaiæ caput 52. *Hinc erit majus miraculum, quod inglorius erit inter homines aspectus ejus, non quo formæ significet fœditatem, sed quo in humilitate venerit & paupertate.* sic tertio in caput Esaiæ 53. *Ante scandalum crucis, de quo dicturus erat: Inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum. Non habebat speciem neque gloriam, sed forma ipsius erat ignobilis & deficiens præ filiis hominum: despectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur patri: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et epistola 140. ad Principiam virginem: *Quæritur quo modo pulcrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Esaia, vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Nec statim scriptura dissonare videtur: quia ibi ignobilitas corporis propter flagella, & sputa, & alapas, & clavos, & injurias patibuli commemoratur.* Plus hoc Chrysostomus præstitit, quod unum in locum tres expositiones inclusit. in Matt. cap. 8 homilia 28. Εἰ δὲ ὁ Ἡσαΐας λέγει· οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, ἢ πρὸς τὴν θεότητος δόξαν τὴν ἀπόρρητον καὶ ἄφραστον τοῦτό φησιν. ἢ τὰ ἐν τῷ πάθει συμβάντα διηγούμενος, καὶ τὴν ἀτιμίαν ἣν ὑπέμεινεν ἐν τῷ καιρῷ τοῦ σταυροῦ, καὶ τὴν εὐτέλειαν ἣν διὰ πάντα τὸν βίον ἐπεδείξατο διὰ πάντων. *Quod autem Esaias ait, Non habebat speciem neque decorem, aut ita loquitur, ut qui occultam divinitatis inexplicabilemque gloriam spectet, aut ut qui ea, quæ perpessus est Deus aliquando, exponat, tum ignominiam, quam subiit dum ageretur in crucem, tum parsimoniam & tenuitatem, quam tota vita in omnibus adhibuit.* Secutus est Cyrillus in Esaiæ caput 53. εἴδομεν αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, κάλλος δὲ τὸ θεοπρεπές. σμικρὰ γὰρ καὶ εὐτελῆ καὶ ἄτιμα παντελῶς τὰ ἀνθρώπινα. Tum statim: οὐ γὰρ πλουσίας ἐξέφυ μητρὸς τῆς ἁγίας παρθένου, ἀλλὰ διὰ πάντων ἦλθε τῶν μικρῶν ἵνα ὑψώσῃ τὸ ταπεινόν. Paulo deinde post: κατηφὲς γὰρ ἴσως τὸ τοῦ σωτῆρος τεθέανται πρόσωπον, καὶ οἷον ἐν θορύβοις ὄντος, καὶ πλείαις, ἅτε δὴ καὶ μέλλοντος ἤδη παθεῖν τὸν ἐπὶ ξύλου θάνατον. *Vidimus eum, neque habebat speciem, neque pulcritudinem. pulcritudinem dico Deo dignam. Siquidem parvæ, & viles, & despectæ prorsus res sunt hominum. neque enim sancta virgine matre natus est opulenta, sed parva omnia persecutus, id ut extolleret quod humile est. nam faciem servatoris mœstam fortasse contemplati sunt, & ipsum quasi perturbatum atque animo consternatum, quippe cui moriendum jam supplicio crucis esset.* Hæc eadem Procopius expressit prope ad verbum sive ex Cyrillo seu ex aliis. οὐκ ἄρα κάλλος εἶχε τὸ θεοπρεπὲς ἀλλ' ἄτιμον. πρὸς γὰρ τὴν θείαν λαμπρότητα πᾶν ἀνθρώπινον ἄτιμον. εἴρηται γοῦν ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. καὶ ἄλλως δὲ γεγονὼς ἐκ πτωχῆς μητρὸς, διὰ πάντων ὥδευσε τῶν ταπεινῶν, ἵν' ὑψώσῃ τὸ ταπεινόν. κατηφὲς δὲ ἴσως τὸ τοῦ σωτῆρος τεθέανται πρόσωπον καὶ τεταραγμένον πρὸ τοῦ σταυροῦ. *Non igitur species Christo, quæ divinitati responderet, fuit, sed contempta: quando humana omnia præ divino splendore contemni debent. Itaque speciosus dicitur forma præ filiis hominum. nam & matrem alioqui habuit pauperculam, & ad humilia omnia descendit, ut tale quidque attolleret. Servatorem vero vultu demisso forsan ac tristi, & turbato, antequam dederetur cruci, proposuerunt sibi ob oculos.* Quorum vestigiis Bernardus insistit tum serm. 26. in cantica: *Vade ad sanctum Esaiam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Niger plane, cui non erat species neque decor. niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum; & nigrum dicere verear? Intuere sane pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte; & nigrum vel tunc profecto fatebere.* Tum serm. 28. *Expedit ut unus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati. splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in forma servi pro vita servi. speciosus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam ecclesiam sine macula & ruga.* Nec satis illis est, quod ita, ut dixi, hisque modis tribus Esaiæ dictum declararunt; nisi etiam in ea sententia, in qua ab adversariis accipitur, accipiendum esse omnino negarent, ut ulla subsit his verbis corporis significata deformitas. Hieronymus, quod modo posui, *inglorius erit inter homines aspectus ejus, non quo formæ significet fœditatem.* * Chrysostomus, πῶς ἂν ἕτερος προφήτης λέγει· εἴδομεν αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων; οὐ περὶ ἀμορφίας λόγων, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ περὶ τοῦ εὐκαταφρονήτου. *Quomodo ergo alius hoc propheta ait, Vidimus ipsum, neque habebat speciem, neque decorem. sed species ejus inhonorata, & deficiens præ filiis hominum? Non de deformitate loquitur, non ullo modo, sed de vitæ statu despicabili.* Bernardus: *Quem namque alium dicit virum doloris & scientem infirmitatem, & quia non erat ei species neque decor?*

Hactenus & Esaias, & interpretes: quarum auctoritatum si quem pœnitet, eum antiquitatis, & sanctitatis omnis necesse est pœnitere. Itaque non parvum quiddam gessimus hoc initio, sed, si verum loquimur, rem totam confecimus; ut finem hic facere orationi nostræ liceat, neque pluribus opus sit, ut profligata jam hæc, & prorsus ad exitum adducta quæstio videatur. Cum enim & qui proferuntur patres adversum nos, uno hoc loco nitantur, & adversarii fundamentum suæ causæ unum istud jecerint, neque præfulciendum aliud, neque præmuniendum reliquo sermoni sententiæque suæ putaverint: hoc semel suffosso atque everso, nihil restat, opinor, uspiam, ubi consistere amplius utrique, & quo labentem sustentare ac

* in psalm. 44.

tueri opinionem deformitatis possint. Sed quoniam non est gravissimis patribus abroganda omnis auctoritas, etiam ipsis auctoritate sacrarum literarum spoliatis; præsertim si dicti sui rationes reddant non improbabiles: nihil causæ dico, quin privatim audiamus eos, & cum singulis congrediamur, quos in Esaia devicimus universos. Opponuntur nobis ex Latinis patribus Africani duo, Tertullianus & Augustinus: ex Græcis Alexandrini totidem, Clemens & Origenes.

Tertullianus libro de idololatria, *vultu*, inquit, *& aspectu inglorius.* lib. adversus Judæos, *ne aspectu quidem honestus.* lib. de carne Christi, *adeo nec humanæ honestatis corpus fuit.* Equidem in ea sententia & opinione non inficior Tertullianum fuisse, ut existimaret, natura & conditione servili Christum non contentum, formam ac figuram corporis, quæ in plerisque servis mala non est, sumpsisse sibi deterrimam. nec vero committam, ut ad partes meas perducam invitum, &, id quod nimium sæpe fit, quæ locutus est, nequaquam esse locutus videatur. Sed admonendi sumus, quemadmodum de sat multis Christianæ doctrinæ capitibus, in quibus omnium bene sentientium judicio erravit, ei recte non creditur, ita minime cogi nos, ut hoc illi assentiamur. Atque hunc quidem mera sæpenumero paradoxa inducentem, & magnum quemdam ubique amplificatorem rerum nemo catholicus non debet agnoscere, prætereaque cum oratione, tum moribus plus æquo durum & inclementem. Non longe abieris. pulcritudinem formæ dilaudat * *ut felicitatem corporis, ut divinæ plasticæ accessionem, ut animæ aliquam vestem bonam.* quid exaggeratius? Eandem mox vituperat, tanquam ibi, ubi pudicitia est, supervacaneam, tanquam proprie habentem pro usu & fructu luxuriam. mitto quam verum: quid extenuatius? Mirum autem, si Christo formam detrahat, quam sic, etiam postquam in cœlum sustulisset laudibus, infamavit, ut esse hanc frustra in regno ac ditione pudicitiæ diceret, nullum ei finem, nisi luxuriam constitueret, non *aliam messem decori corporis*, quam luxuriam arbitraretur. Vidit scilicet, quid sibi consentaneum esset dicere: neque in eo jam error est, quod esse Christum deformem velut consequens aliquid conclusit, sed quod tam male de forma deque pudicitia existimavit. Quid quod eandem formam non modo negat esse necessariam, ubi pudicitia dominatur ac viget, sed ne pudicitiam quidem posse ullo pacto consistere contendit, *nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur*; cui se tandem hoc universe probaturum tam insolens, tamque præter experientiam dogma confidit: cum neque semper lætos & hilares, maxime impudicos reperias, neque tristes & tetricos, omnium castissimos? Jam quis non doleat tantum virum cum sæpe alias, tum hic maxime illudere ac vim facere certis quibusdam & perspicuis sacrorum librorum locis, convertere in rem suam ingratiis pleraque, & ex quibusvis propositis & antecedentibus quidvis efficere conari? Interpretatur versum Esaiæ illum, *Non erat species ei, neque decor*, de vera propriaque deformitate scriptum esse: Davidis hunc, † *Speciosus forma præ filiis hominum*, de figurata & translata pulcritudine. Quorsum istud? cur utroque loco tropum, cum possit, non admittit, aut in illo potius, quam in hoc quandam sensus proprietatem agnoscit, cum in utroque propter repugnantiam non possit? Affirmat vocem hanc, * *unde huic doctrina & signa ista*, Judæorum fuisse, formam Christi despicientium. Itane vero? non centum citius admirationis suæ causas afferre Judæi, si voluerint, potuerunt? non alias attulerunt, cum dicerent, *unde huic sapientia hæc & virtutes*, cui pater faber est, mater nomine Maria, fratres ac sorores bene nobis cogniti, hoc est, homines infimi, quibus non vacet literas discere? quisquam tam aversus a ratione hanc denique attulit, unde huic doctrina, qui corpore ac vultu deformis sit? Age, quemadmodum humanitati Christi imputat, quod tormenta passus est? ita quod contumelias accepit, deformitati. † *Tacentibus apud nos quoque propheticis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur. passiones quidem, humanam carnem; contumeliæ vero, inhonestam: An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem?* Quæ demum tam longe petita, tam lubrica & præceps, ac tantum non impia divinatio: futurum fuisse, ut a sanctissimo Christi corpore Judæi injurias abstinerent, si modo deformis non extitisset; deformitate malum sibi accersivisse; ob deformitatem dignum, qui vapularet, fuisse? Acta, credo, rea est Christi facies? accusatum corpus a Judæis nomine deformitatis? condemnatum a Pilato? Christus seditioso homini & sicario posthabitus? inter facinorosissimos latrones sublatus in crucem? postremo morte luit non peccata nostra, sed deformitatem suam? Ingenue quidem fateor, sicut dignitate oris & præstantia, se nonnullos ferunt ab immissis percussoribus vindicasse, quibus arma etiam exciderent e manibus; sic fieri posse aliquando, ut tetro ac lurido vultu aliquis, quem tanquam ludibrium naturæ, & mali ominis, omnes detestentur, vulgi petulantis in se manus levibus de causis convertat. Sed & hunc supra modum turpem fœdumque esse oportet, ac monstri similiorem, quam hominis, & ne tum quidem mereri hoc ipso, quod deformis sit, male ut mulctetur, quisquam vere proprieque affirmet. quorum cum prius de Christo neque Tertullianus, neque alius ullus dicat; quamobrem dixerit posterius, ipse viderit. Tantum, postquam admodum attendi, quid passim scripserit, intelligo, duo in eo genera falsarum opinionum, errorumque privatorum inveniri. alios gravissimos, quibus infectus est totus, & ab optima communique Christianorum causa omnino abalienatus. ut quod secundas nuptias tollit funditus, ‡ atque etiam improbare videtur vel unas. quod idololatriæ, homicidio, adulterio, * aliis sceleribus aliquot veniam dari oportere negat. quod in vexationibus tyrannorum, fugam, nefariæ proditionis instar, dissuadet, atque in magnis criminibus numerandam censet. alios non peræque graves, sed errores tamen. † ut militiam vix ac ne vix quidem tolerandam homini Christiano esse. inter virum & mulierem

* l. 2. de cul. fem. † l. 3. adv. Marc. c. 17.

* lib de car. Chr. cap. 9. † ibid. ‡ lib. de monog. cap. 3.
* lib. de pud. c. 19. † l. de idol. c. 19. & l. de coron. c. 11.

licrem * ſublatum iri generis in cœlo diſcrimen. fuiſſe in terris Chriſtum inhoneſta facie, ſingulari corporis turpitudine. Quos ſi errores poſteriores ut de ſuperioribus taceam, facile excuſat vel auſterior & præfractior indoles, vel profana philoſophia, qua imbutus adhuc erat, vel Chriſtiana diſciplina, quam nondum penitus combiberat, vel zelus, ut vocant, primis initiis acrior, atque effervefcentior: non erimus tam inhumani, ut nihil ignoſcendum putemus, & omnem culpam in hominem potius conferamus, quam in tempus. Utatur hic ſane Tertullianus judicio ſuo: nos noſtro. verendum non eſt, ne ea re aut ille apud nos Montaniſta, aut nos apud illum Pſychici audiamus.

Testis alter producitur Auguſtinus contra nos. in pſal. 43. *Ut homo non habebat ſpeciem neque decorem; ſed ſpecioſus forma ex eo quod eſt præ filiis hominum.* Et in pſalm. 118. *Et ipſe ſponſus, non carne, ſed virtute formoſus.* Et in pſalm. 127. *Sponſus eſt ille, quo nihil eſt pulcrius. qui quaſi fœdus apparuit inter manus perſequentium, de quo paulo ante dicebat Eſaias: Et vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decorem. Ergo ſponſus noſter fœdus eſt? Abſit. Quomodo enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæſierunt? Ergo perſequentibus fœdus apparuit. & niſi eum fœdum putarent, non inſilirent, non flagellis cæderent, non ſpinis coronarent, non ſputis inhoneſtarent. ſed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi iſta. Non enim habebant oculos, unde Chriſtus pulcher videretur,* &c.

Primum placet Auguſtinum opponere Auguſtino, tres locos totidem locis. ſerm. 50. de verb. dom. *Qui amant Chriſtum quaſi fœdum & ſolum formoſum. Vidimus enim eum, inquit, & non habebat ſpeciem neque decorem. Talis in cruce apparuit. talis viſus eſt cæcis. ſi enim ſine decore, quid eſt quod amat iſta, quæ dicit, Annuncia mihi, quem dilexit anima mea? Quid eſt, quod amat? quid eſt quod ardet? quid eſt quod tantum, ne ab illo aberret, timet? Quid eſt quod tantum delectatur in ipſo, cui ſola pœna eſt eſſe ſine ipſo? Quid eſſet unde amaretur, niſi formoſus eſſet? Qualem ergo illa amavit? ſpecioſum forma præ filiis hominum.* In pſalm. 44. *Nobis ergo jam credentibus, ubique ſponſus pulcher occurrat. Pulcher Deus, verbum apud Deum: pulcher in utero virginis, ubi non amiſit divinitatem, & ſumpſit humanitatem. Pulcher natus infans verbum,* &c. *Pulcher ergo in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu.* Serm. 13. de temp. eiſdem prope verbis. *Ubique Chriſtus dominus pulcher occurrebat. Pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in patre verbum, pulcher in matre caro & verbum. Pulcher in utero virginis, ubi non amiſit divinitatem, cum ſuſcepit humanitatem.* Et: *Pulcher ergo Chriſtus in miraculis, in flagellis, in ſermonibus, in verberibus pulcher, non curans mortem, & mortuos ſuſcitans. Pulcher in ligno, pulcher in cœlo, pulcher & in ſepulchro.*

Sed quid attinet tot congerere ſententias, tot commonſtrare velut digito locos; cum ne unus quidem nobis ad tres iſtos adverſariorum infirmandos opus ſit? Quid enim, quæſo te, Auguſtinus hujus dixit, quod in eis dixiſſe objicitur? *Specioſus forma ex eo quod eſt præ filiis hominum.* qua re videlicet eſt præ filiis hominum, niſi divinitate? ergo *ſpecioſus* divinitate, ſive ex ea parte, quatenus Deus eſt. *Ut homo, non habebat ſpeciem, neque decorem.* humanitate, ſive qua homo, ſive ob id ipſum, quia homo, minime *ſpecioſus* ac *decorus* fuit. quid hoc habet dubitationis, aut quid ad rem noſtram? Rurſum, *ſponſus non carne, ſed virtute formoſus.* Reſtitue, quod eſt apud Auguſtinum, quodque adverſarii merito, utpote ſibi contrarium, omittunt: *ſponſus, non carne præ filiis hominum, ſed virtute formoſus.* id eſt, ſponſus non corporis pulcritudine ceteris hominibus antecellens, ſed præcipua quadam, & divina agendi vi, ac facultate. ubinam hic deformitas corporis, quam Chriſto impingunt, aut cur nondum apparet? Tertius locus (is enim reliquus eſt) plane oſtendit agere de ſola humanitate Chriſti Auguſtinum, cujus ſi divinitatem Judæi cognitam habuiſſent, nunquam tot tamque fœdis modis violaſſent corpus integerrimum. Et vero ibi traditur reipſa pulcher ſponſus fuiſſe: *ſponſus eſt ille, quo nihil pulcrius.* deformis ſolummodo viſus eſſe: *fœdus apparuit, quaſi fœdus apparuit.* Tum deformis viſus eſt non cunctis, ſed perſequentibus duntaxat: *apparuit inter manus perſequentium: perſequentibus apparuit.* Quid ita? *Non enim habebant oculos, unde pulcher videretur.* Quibus igitur erant oculi ſani, atque integri, licuit iis Chriſtum cernere non deformem. ut uno eodemque tempore ſpectabilis aliter aliis eſſet. is, qui erat, agnoſceretur a probis: is, qui non erat, improbis eſſe videretur. idque non ullo formæ vitio, ſed invidentium culpa, quorum aciem maleficia perſtrinxerant. Atque hinc colligas licet, non eandem, quod prima fronte videri potuit, ſententiam verborum eſſe Tertulliani, de quo ſupra, & Auguſtini; cum ambo ita dicant, Judæos temperaturos Chriſto, nec ullam unquam injuriam facturos fuiſſe, niſi fœdus vel eſſet, vel haberetur. ab illo quippe fœdum præ reliquis hominibus hominem, falſo; ab hoc fœdam præ divina naturam humanam, quam induit, vere intelligi. Ac de mente Auguſtini quid ſentiendum ſit, quemadmodum, tametſi millies de deformitate & de pulcritudine Chriſti commemoret, utramque perſæpe conjungat, neutram tamen uſpiam proprie, ſed ubique τροπικῶς & συμβολικῶς acceperit, dicam alio loco. Nunc ſatis eſt perſpici, quam fruſtra, ad privandum omni forma liberali & ingenua Chriſtum, ab Auguſtino teſtimonium veritatis petatur, qui nihil minus ibi, quam quod locutus eſſe arguitur, locutus ſit, alibi etiam contraria attulerit.

Audiamus bona fide Græcos teſtes. Clemens quidem Alexandrinus l. 3. pædag. c. 1. Τὸν δὲ Κύριον αὐτὸν τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι, διὰ Ἡσαΐου τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ. *ipſum vero dominum aſpectu fuiſſe turpem, teſtatur ſpiritus per Eſaiam.* lib. 3. extremo ſtrom. ἐν σαρκὶ μὲν ἀηδὴς διελήλυθεν καὶ ἄμορφος. *fuit hic quidem corpore injucundus, atque informis.* lib. 6. item extremo, ὁ Κύριος οὐ μάτην ἠθέλησεν εὐτελεῖ χρήσασθαι σώματος μορφῇ. *non fruſtra uti dominus*

* l. 1. de cult. fem. c. 2. & adverſ. Valent. c. 32.

minius voluit forma corporis vili. Ad hæc ſi reſpondere velim, ſic tanquam in jure civili, pro æquo & bono contra ſcriptum, mentem Clementis eſſe duntaxat, quomodocunque loquatur, ut ne pulcherrimus Chriſtus fuerit, neve pulcher videri ſtuduerit, ac nihil iſto, ad vim argumenti, in quo verſatur, requiri amplius; aut ut Eſaiam ſic cenſuiſſe exiſtimaverit, nonne poſſum? Sed malo Clemens ipſe his locis tribus ſtatim reſpondeat, idque ex verbis proxime unumquemque locum conſequentibus. Nam cum primo loco veram minimeque fucatam pulcritudinem in corporis immortalitate ponat, negare non poteſt, quin deformitas e contratio in morte conſiſtat. ex quo conſequens ſit nōn fuiſſe Chriſtum modo deformem, qui leto interiit, ſed omnes ad unum deformes eſſe homines, quorum nemo letum, & hanc fati neceſſitatem effugit. Altero autem & tertio loco dum ſcribit Chriſtum corpus habere voluiſſe deforme, tum ut nos in id intueri, quod eſt expers formæ & corporis, deceret, *εἰς τὸ ἀειδὲς καὶ ἀσώματον τῆς θείας αἰτίας ἀποβλέπειν ἡμᾶς διδάσκων;* tum ne quis abduceretur ab audiendis Chriſti ſermonibus ac præceptis, admiratione & præconio formæ, *ἵνα μή τις τὸ ὡραῖον ἐπαινῶν καὶ τὸ κάλλος θαυμάζων ἀφίστηται τῶν λεγομένων:* ſatis oſtendit nihil ſe admodum laborare, hoc ut nobis perſuadeat, cujus affert rationes tam dilutas ac leves. Bene vero, quod ibidem, eadem tertii libri pagina ac prope verſu, appellatur ab eo *ἡ γένεσις τῶν ἀγγέλων*, perinde ac ſi gignantur alii ab aliis & propagentur Angeli. ut manifeſtum mendum alterius errati non ita evidentis ſuſpectum redderet. Non eſt in animo colligere alias Clementis, quæ non probantur in ſubſelliis & cœtibus theologorum, opiniones, quarum commemoratione, fidem & gravitatem teſtimonii elevare pergam. compenſem potius tot ejus docte prudenterque dicta, voluminibus tam longis, cum una alterave hallucinatione; & virtutum magnitudine levia quædam vitia deprecer. Diſſimulare tamen non debemus, multa illum ab Pantæno magiſtro, ſanctiſſimo quidem viro, ſed alias Stoïco, diſcere potuiſſe; multa e porticu tota libaſſe, ipſum Stoicum; cumque ſacris noſtris profana, & aliena ejuſmodi quæpiam confudiſſe. Quam philoſophorum ſectam ſi quis peræque plurimis in rebus, atque Epicuream, Chriſtianæ doctrinæ candidis, & ſimplicibus, & temperaris moderatiſque decretis adverſari dixerit, non multum, mea ſententia, mentitus ſit. Sed hoc minus ſane ad rem, & longi præterea ſermonis.

ORIGENEM, Clementis diſcipulum, quartum demum excitant teſtem ex libro ſexto contra Celſum. *ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται τὰ περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τὸ Ἰησοῦ σῶμα. ſcriptum eſt haud dubie Chriſti informe corpus fuiſſe.* Hic fidem tuam, lector. adi locum ſive in eo ſexto libro, ſive in philocaliæ, quo tranſlatus eſt, capite 15. & perlege Græce totum, ac vide oculis ipſe, utris tandem, adverſariis, an nobis, ſuffragetur. Objecit Celſus Chriſtianis contra Chriſti divinitatem, quam aperte oppugnabat, ac totis viribus, ſi Chriſtus homo, Deus item foret, præſtiturum aliis mortalibus ſtatura, forma, robore, voce, habitus dignitate, facundia. verum non modo his eum corporis bonis antecelluiſſe nemini, ſed, quod ipſi Chriſtiani fatentur, corpore exiguo, deformi, ignobili fuiſſe: *ὅτι ἐπειδὴ θεῖον πνεῦμα ἦν ἐν σώματι, πάντως τι διαφέρειν αὐτὸ τῶν λοιπῶν ἐχρῆν κατὰ μέγεθος, ἢ κάλλος, ἢ ἀλκὴν, ἢ φωνὴν, ἢ κατάπληξιν, ἢ πειθώ. τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλου διέφερεν, ἀλλ' ὥς φασι, μικρὸν καὶ δυσειδὲς καὶ ἀγεννὲς ἦν.* Occurrit iſtis Origenes accurate & multis verbis. cujus reſponſionis hæc fere ſunt capita. agnoſcere ſe & fateri, illud quidem, *δυσειδὲς*, apud Eſaiam tantum ſcriptum eſſe; quod & ipſum vatis dictum extenuat, cum dicat, ab eo ſignificari modo, Chriſtum ſpectandum ſe præbuiſſe mortalibus, non eximia; neque excellenti ſpecie, *οὐκ ἐν ὡραίῳ εἴδει, οὐδέ τινι ὑπερέχοντι κάλλει.* Sed alia duo, primum, *μικρὸν*, tertium, *ἀγεννὲς*, neque apud Eſaiam, neque uſquam alibi reperiri: ac ne id quidem alterum, medium & interjectum, *δυσειδὲς*, extare aut in evangeliis, aut in ullis apoſtolorum ſcriptis. Porro huic loco opponi & iſtum Davidis, ex vetere inſtrumento, *ſpecie tua & pulcritudine tua*, & Matthæi ac Lucæ ex novo iſtum, ubi Chriſtus in monte ſcribitur coram ſuis egregiam quandam induiſſe formam ac figuram. Unde liqueat Celſum inconſtanter & malitioſe facere, qui ex ſacris libris, quæ ad Chriſti accuſationem videntur pertinere, avidius arripiat; quæ ad defenſionem valent, vel ſcire ſe diſſimulet, vel aperte aſpernetur ac reſpuat. Nam quod ita figuratum eſſe Chriſti corpus oportuiſſe contendit, ut aliis excelleret; non animadvertit hoc iſtiuſmodi totum, certa rationis norma moderandum, & ad hominum captum, utilitateſque accommodandum fuiſſe. potuiſſe autem Chriſtum commutabili materia, & ad formas quaſvis excipiendas facili & idonea ſic uti pro re nata & tempore, ut modo non habere ſpeciem neque decorem videretur, id quod Eſaias oraculo edidit; modo ſibi vultum & os, magna cum excellentia præſtantiaque hominum reliquorum, fingeret, id quod in transfiguratione uſuvenit.

Infirmat hæc Origenis oratio noſtram totam de nulla Chriſti deformitate diſputationem, an potius ſingulas partes multis nominibus confirmat? Primum quæ mens fuerit Origenis, qui ſubornabatur in nos, videmus, Celſo ſane, quantum poteſt (recte an ſecus, nihil intereſt) reſiſtentis. Deinde ſi ab illo Eſaiæ toties jactato loco diſceſſerimus, certo jam ſcimus nihil in codicibus ſacris, neque iis, qui ſuppetunt nunc nobis, neque aliis, ſi qui ex illo ad nos uſque injuria temporum perierunt, omnino deprehendi, quo Chriſti hæc deformitas innuatur, ac tantulum approbetur: cum verſatiſſimo in omni genere ſacrarum literarum Origeni nullum rei monimentum, nullum inſigne occurrerit. Denique ex Celſo apparet impudentiſſimos quoſque Chriſti convitiatores ne hoc quidem auſos eſſe ei objicere aut de ſuo, aut ex conſtanti hominum fama & ſermone, aut quod traditum ſic eſſet a majoribus deinceps; ſed conatos eſſe tantummodo, id unum Eſaiæ qualecunque dictum, in contumeliæ partem detorquere. Poſtremo & illud argumentari atque inferre licet: ſi Origenes ea de re a Clemente, doctore & magiſtro ſuo, diſſentire non dubitavit; jus eſſe nobis, auctoritatem nullam hic quoque, nec fidem huic

Cle-

Clementi adjungere, qui ab ambotum sententia, idem si sensissent, discedere bona eorum venia potuimus.

Cum igitur ex quatuor testibus contra Christi formam, e terra Africa atque Ægypto evocatis, duo adversariis, Origenem & Augustinum, ademerimus ita, ut pro nobis coëgerimus dicere testimonium; duo, Tertullianus & Clemens, & auctoritate falso nitantur aliena, & ipsi sine hic, ut ostensum est, nulla, nec opinionem nobis suam, etsi id agere velle viderentur, probaverint locuplete ratione: quid cunctamur amplius, nec fatemur rem & per se maximis momentis ac ponderibus argumentorum firmatam, & imbecillitate atque inanitate contra dicentium quodammodo firmiorem?

Quanquam, si verum scire volumus, habiti sermones a patribus testimonia sunt potius, utpote tabulis ac scriptis mandata, quæ recitari solent, quam testes, quorum viva vox auditur præsentium: quibus tamen solis * Adrianus in jure se rescripsit crediturum. Quoniam ergo alia testimoniorum auctoritas, alia testium, qui sunt hoc loco testes, quos interrogare coram possumus? Non alii, opinor, nisi perantiquæ Christi imagines, ἀχειροποίητοι, pictæ, fictæ, sculptæ, ceteræque quæ sunt generis ejusdem, de quibus non aurium fallax & incertum, sed oculorum sit longe sincerissimum, incorruptissimumque judicium. Triplicem esse magno in honore intelligo Christi effigiem, non manu factam, Edessenam, Camulianensem, Veronicam: quibus annumeres licet expressum, qua mortuus involutus est sindone, totius corporis simulacrum. Quæ quam fide dignæ sint omnes, non habeo quod affirmem, nec mea refert in præsenti quid liqueat. Tantum dico, vel ex iis nihil certi explorarique elici, obsoletis, ac fugientibus lineamentis, vel nihil in iis turpe visu atque horridum aspici. Neque vero extimesco in picturis, ne quid adversum nos, quod sit nominis alicujus ac virium, expromatur: cum nihil admodum nunc habeatur in manibus ex antiquissima arte, nisi novum, atque ante ætatem unam, aut summum duas elaboratum; perierint autem tot artificum, quos credibile est singulis seculis floruisse, immortalitate opera dignissima. Jam ipsæ ex auro, argento, ære, marmore, saxo statuæ, quarum habet materies casus rariores, ob idque est conservatio & facilior, & diuturnior, neque scio quid nos lædere possint, & expecto quam mox nobis in eam tem grare dent, firmumque testimonium. Nondum enim mihi Christi visum signum ullum, aut lectum de ullo, aut auditum, cujus ego vitia, si quæ sint, non debeam potius artifici, quam archetypo attribuere. Nisi forte plurimum ponimus in iconculis, e cavo vel saxo, vel robore, ad prospectum & venerationem prætereuntium extantibus ruri atque in via, quas aut ipsa materies, aut cœli tempestas, aut situs & longinquitas temporis reddidit fumosas, tamque excoctas, & atras, ut ait ille, quam carbo est, quas tamen ne vulgus quidem imperitum colendas & ornandas, ut solet, susciperet, si quis in iis turpitudinis & majoris cujusdam vitii, extra colorem, quem excusare novit, & in eas, de quibus dixi, locorum & annorum & reliquas injurias conferre, deprehendisset. Parum confidenter causam hic Christi agimus, qui non tantum præstemus, quod sumus polliciti initio nos facturos, ut testes adversariorum, quique nobis aliunde noti forent, rejiceremus, verum etiam ignotos, sicunde erui possint, & in medium produci, lacessamus, omnesque adeo recessus ac latebras deformitatis sollicitemus dicendo?

At enim de signatis, numquidnam sint, & qua es sint, effigie Christi nummis silemus. Recte suggerunt. Etsi enim passim detrahi sciam ab hominibus etiam non indoctis, de tota hac nummaria seu numismatum ratione; quasi aut error atque imperitia, aut adulatio ac licentia fingendi occuparit omnia: tamen adduci non possum, ut his clarissimis priscæ vetustatis monumentis, quæ sub oculorum sensus cadunt, nihil credendum existimem. Quo minus faciam, causas meas disce. An quisquam omnium, qui pravitates corporis perinsignes virorum principum, etiam tum cum viverent, in nummis recognoscat expressas, ut Vespasiani, ut Maximini, ut Diocletiani, ut Juliani, dubitet aliquid loci fuisse veritati? Quod autem multa ejusdem, diversis locis, ab artificibus fabricata diversis, numismata sic similia existunt inter sese, ut qui unam unius effigiem viderit; num hoc satis est probabilitatis, ignoratione & inscitia quam minimum a primo proprioque typo aberratum esse? Ecquodnam demum majus indicium quærimus veræ imitationis, & effictæ similitudinis, quam quod repræsentant nummi eadem omnia, quæ de cujusque habitu ac figura oris scripta historici reliquerunt? Hæc eo spectant, ut intelligatur neutiquam esse testes rejiciendos, & iniquos ejerandos eos, quorum sit sive inter se, seu cum aliis tam cohærens & conspirans, & pæne conflata testimonii ratio. præsertim cum hoc veriores esse debeant, quo minus se dant potentioribus, neque oculis inserviunt, neque vitia artificio obscurant. Itaque non modo Christi, si quæ sunt, numismata non respuo, sed etiam postulo, flagito, mihi quamprimum exhiberi gestio, vicissim daturus manus, si quam præ se deformitatis umbram ferant. At vero neque olim eruta significantur in libris, neque monstrantur nunc in κειμηλίοις, ac thesauris elegantium & curiosorum hominum, neque, ut spero, existent unquam, boni artificis, ac bonæ notæ, quæ fidem faciant, ullum in corpore Christi nævum, ullam turpitudinis maculam hæsisse.

Tantum non nemo innuit aliquid, de quo nihil præter auditum habet. Ait enim istud accepisse se à viro eximiæ pietatis & doctrinæ Jacobo Sirmondo, extare, quod ipse viderit, numisma vetus æreum Christi, cujus *scalptura faciem exhibebat satis deformem & horridam*. Atqui accepit vir eruditus omnino secus, ac Sirmondus dixit. Consultus enim hic a me super ea re, negavit sibi quidquam tale aut in mentem venisse, aut ex ore excidisse unquam. Adjecit modo, oblatum sibi, Romæ cum degeret, numisma ejusmodi, unde conjectura capi posset, severiorem Christum vultu fuisse, quam blandiorem: idque se, quando occasio tulit, narrasse quamplurimis. at de deformitate plane nihil neque a se commemoratum esse, ne-

* D. de test. l. 3 parag. idem Adr.

neque ex eo nummo colligi potuisse. Atque hoc & sæpe mihi, eum intulissem de isto sermonem, declaravit in congressu quotidiano, & confirmare, ita tem se habere, paratus est iis, quibus id curæ petcunctari fuerit. In tantum autem verum est, ut ipse, antequam in hanc eruditi viri notam & observationem incurrissem, idipsum de numismate, quod refuto nunc, quasi contra me prolatum, ex Sirmondi ore conjecerim in chartam, ut eo alicubi pro me, hac dissertatione, uterer. Accedit quod neque penes Cardinalem Altempsium is nummus, sed penes ducem isto nomine, fuit: neque affirmate Constantini ætate, sed interjectis inter Constantinum & Theodosium temporibus, dicebatur cusus: neque recte dubitatur, quin parte una sui Christum expresserit. Nam quod insculptum altera in parte templum, una cum inscriptione ἀνάστασις, idem iste Christi corpus interpretatur, quod is, destructum morte ac dissolutum, tertio die post, recepta vita, restituit: videndum, ne ista sit verior explanatio nostra, ideo templum poni, cujus pro foribus milites semisomnes excubarent, quod ibi, ubi Christus humatus est, ac deintegro revixit, templum Constantinus exædificandum curarit. Incidi porro inscribique, ἀνάστασις, propterea quod istud huic templo nomen a re, & loco impositum fuit. Et basilicam quidem exstructam eo loci, Constantini jussu, Eusebius prodidit 3°. de vita illius. Appellationem vero basilicæ Anastasim bis videor apud Hieronymum agnoscere. semel ad Pammachium, adversus errores Joannis Hierosolymitani: *Nonne cum de Anastasi pergeretis ad crucem, tu tortus invidia adversus gloriosum senem clamitabas.* iterum apologia adversus Ruffinum tertia: *Ergo ideo in Anastasi immolato agno dexteras junximus, ut tuas Romæ schedulas furaremur?* Ex iis autem conjici licet, eisdem fere temporibus numismata sic esse ad posteritatis memoriam insignita. quod tamen tam præclarum & illustre antiquitatis monumentum fatalis quædam fortuna literarum nobis invidit, donec unum id modo, de quo loquimur, primum apparere Romæ nuper cœpit. Vide nunc quid facias Joanni Curopalatæ, a quo Joannes Tzimisces imperator, primus effigiem servatoris nummis impressisse dicitur: quod tanto ante, id est, quingentis & quinquaginta amplius annis factitatum, non temere, nec nulla ratione opinamur.

Jam satis multum, ac diu cum antiquitate confliximus, aut potius errorem coarguimus eorum, qui cum deformitatem Christo sua opinione allinerent, subductis temporibus prima secum sæcucula facere arbitrati sint. Nunc iidem cum se novis tueantur auctoribus, si qui ejusmodi sunt, aut si tanti sunt, ut refutationis indigeant; est hoc illis quoque inane pertinaciæ, in desperata causa, eripiendum patrocinium. Quanquam & paucitate sua laborant, & sua illis novitas abrogavit apud me auctoritatem, apud omnes famæ & existimationis obscuritas. Qui omnino nomen habuerint, opponuntur duo, Michael Medina libro secundo de recta in Deum fide, & Cornelius a Lapide in illud Esaiæ, *Non erat species ei neque decor.* Pertendenti Medinæ, idque multis verbis agenti, Christum justissima illa corporis, quæ tribuebatur a nonnullis ei, caruisse temperie, objectum est fuisse omnium, quotquot umquam fuerunt, speciosissimum, adeoque hoc ἄκρατον, seu mixturam, quæ animo & cogitatione fingi potest perfectissima, natura obtinuisse. Excepit ille, non præstitisse formam viris, quorum est præter ceteros spectata & collaudata pulcritudo, Hyla, Narcisso, Paride; non mulieribus, Atalanta, Ariadna, Helena; non generis priusque aliis. Adjunxit, aliter, atque vulgo fit, accipi versum Davidis a sanctis patribus, quo videtur Christus, ista etiam laude pulcritudinis, cunctis hominibus anteponi. Hæc modo cum pluribus quidem verbis, sed eadem fere sententia disserat, præterea nihil aut affirmet, aut neget; ubi afficta Christo deformitas, ut adversariis placet, aut quo evanuit, quæ non usquam compareat? Cornelii autem a Lapide verba sunt ista: *Non erat aspectabilis, non habebat aliquid dignum aspectu, quod aspicientium oculos ad se traheret aut converteret, sed erat despectus.* Et nonnullis interpositis: *Talis vir fuit Christus ab initio nativitatis usque ad mortem.* Cujus quis interpres melior reperiri potest, quam ipse sui? Dixerat supra: *Christus nascens, vivens, & conversans in hoc mundo, nihil nobile, opulentum, lautum, splendidum coram mundo ostendit, sed vitam egit ignobilem, tenuem, & laboriosam, in opere fabrili.* Infra dixit: *Natus est parvulus, & quasi puer rusticanus positus est in præsepio inter bovem & asinum, quia non erat ei locus in diversorio.* Ubique passim ingerit inopiam rerum externarum, humilitatemque vitæ & conditionis. interim dum magnum de vultu & corpore, de forma & figura, de turpi & inhonesto silentium. Hoccine vero est dicere ullo modo deformem Christum fuisse; ac non potius, ne quid ejusmodi per imprudentiam excidat, aut a quoquam sic accipiatur, summam in verbis cautionem adhibere? Quamobrem cum animadverterem concidisse hic quoque fidem cum pudore, tamque pravo more fieri, ut ad arbitrium suum quisque scriptorum dicta adduceret: subtimere cœpi, ne quis oriretur aliquando, qui me; si quisquam tamen testimonio uti meo tanti duxerit; in contrariam partem laudaret, atque a me Christum deformem vellet introductum: cum jamdudum oratione tota aliud nihil pugnem, nisi ut ne quis ita sentiat, clareque testificer, mihi omnino secus videri.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Jesus Christus formosus præter ceteros fuit.

Quidnam esse, lector, causæ putem, cur, cum sancti in omni memoria partes, & prisci Christianorum scriptores, diligendi Dei causas, quas habemus innumerabiles & justissimas, collegerint, adhibuerintque ad cohortandum; de tot nemo, quod sciam, amorem Christi in animis hominum excitare conatus sit eo nomine, quod is jucundo ore, quamdiu vitam inter homines viveret, & eleganti quadam,

dam, & nitida, illustrique specie fuerit? Utrum quod hoc totum leve ac frivolum ad alendam & acuendam pietatem, propeque profanum ad suadendum amorem divinum judicatum est, an quod etiam nullo modo verum? Ac ne illud quidem de singulari formæ præstantia commemoratum in iis video, quæ plurima nonnulli, præposteri Christianæ legis amatores, nostrarum rerum augendarum causa, falso primis temporibus prodiderunt, sive confictis Sibyllarum oraculis, sive actis Christi & discipulorum vitiatis & corruptis. Quæ me conjecturæ ac suspiciones primo fecerunt, ut addubitarem, satisne prudenter loquantur & sacri in templis oratores, qui omnibus formæ lenociniis Christum instructum, & fuco inerti planeque humano illitum venditent, admurmurante populo, magno applausu muliercularum; & in sermonibus pii plerique ac religiosi viri, quibus videatur fieri injuria Christo, nisi formosissimus mortalium inducatur; & in scholis aliquot graves theologi, qui hoc duplici huic hominum generi gratificentur suo suffragio, idemque, quasi munificentissimis quibusdam decretis Christum honestent, ita sanciant ac firment docendo. De quo quoniam conjuncte neque referri, neque sententia dici commode potest; faciendum puto, ut dividatur. Itaque quinque omnino effatis, quid aiam, negemve, & quatenus formosum haberi Christum oportere censeam; siquidem habet ista res medium quemdam modum; separatim complectar. quorum prima duo, itemque altera duo postrema, quæ per se patent, perstringentur a nobis brevi: in tertio, quia multo plus habet quæstionis, & maxime causam continet, nostra hærebit diutius & commorabitur oratio.

I. PRINCIPIO mora nulla est, quin formam a Christo muliebrem, & quicquid ullo modo effeminatum, aut molle, aut fractum videri potest, abjudicemus. Philosophis placet, qui egerunt de moribus atque officiis, aliud quiddam in viro formæ, aliud in muliere requiri, quod non re tantum diversum, sed etiam vocabulo & nomine diverso affectum esse voluerunt. M. Cicero in libro de officiis primo: *Cum*, inquit, *pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem, muliebrem ducere debemus: dignitatem, virilem.* * Aristoteles vero philosophorum longe divinissimus, cum in viris suam cuique ætati bonitatem formæ statuat esse, aliam primæ, aliam mediæ, aliam extremæ; ita porro definit singulas, ut perspicuum sit, consteque omnibus, nullam ex iis in mulieres convenire: virilem autem mediæ ætatis speciem, quam eandem & jucundam, & terribilem ponit aspectu, ab omni ea, quæ mulierum esse potest, excellenti oris figura multum discrepare. Quid si philosophis reperiuntur poetæ hac in parte magis philosophi, id est, sapientiores, quibus solas pertinere ad mulieres videatur pulcritudo. perinde quasi natura, vel inventor potius, & auctor naturæ Deus partes fecerit, & mulieribus quidem pulcritudinem corporis, viris vero animi prudentiam assignarit:

† Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν.
Τί οὖν δίδωσι; κάλλος.

non quod, opinor, aut vir omni pulcritudine careat, aut mulier deficiatur omni prudentia; hoc quidem nimium tam æquales inter personas discrimen fuerit: neque solum quod isti, alter altero naturæ dono ac munere, vincant, vicissimque vincantur, graduque distent; id vero fuerit inter dispares sexus perexiguum: sed quod diverso quodam ac toto genere pulcritudinis excellant. Quocirca quisquis es tu, si tamen es aliquis, qui Christum matris fuisse simillimum ore vultuque putes adhuc, non quæro, quibus auctoribus in eam opinionem veneris. ostendam enim infra, quanta ipsi auctoritate sint. Sed interim sic habeas volo, eatenus hoc tibi concedi posse, quoad utriusque generis ratio patiatur: non ut illico matre formosissima filius forma nihilo inferior generatus sit; neque ut puer pæne puella nascendo evaserit, natura dubitante, utrum e duobus faceret. qua laude nihil, meo quidem judicio, fingi potest vitiosius, aut a viro alienius. Sint ista sane generi deteriori atque imbecilliori a Deo arma concessa; quibus exarmet ferociam virorum, & sævientes roget sine voce, & cogat dum supplicat, ipsamque adeo fortitudinem, ab omni re alia invictam, devincat. næ iste nomine vir indignus suo, & ab omni solida expressaque gloria infelix, cujus in aliqua famæ & existimationis parte id, quod inchoatum solummodo, & leviter adumbratum, quodque muliebre totum est, ponatur.

II. NON verisimile tantum, sed etiam verum censemus, non alia Christum ignotiore quadam, & inusitata forma præditum, quam qua populares, & ejusdem nationis homines erant, fuisse. Itaque si quod ad meridiem Judæi vergant magis, atque absint sexdecim ipsis, quam nos, gradibus propius a circulo, qui vulgo æquator nominatur, idcirco sunt a sole obscuriores paululumque fusci; si efficit soli natura subpallidos, aut cereos, aut oleis, quibus abundant, utcunque assimiles; si crebræ & magnæ tempestatum commutationes, si victus & aquarum ratio varietates alias formarum gignunt; qualia permulta Hippocrates disputat huic sententiæ convenientia, libro de aere, aquis, & locis: existimare non debemus, Christum, colore aspernatum patriam, unum Judæis ex omnibus minime esse ejusmodi voluisse; peregrinum vero quæsivisse sibi, & procul accersivisse candorem, aut ruborem, ac nostri similem videri maluisse, quam suorum. Dico amplius. si ut certum vocis, & peculiarem sonum, & vernaculum quemdam saporem Galilæi, unde facile agnosci quivis eorum, cujas esset, & a Hierosolymitanis distingui posset, habuerunt; ita in vultu quoque promptum aliquid fuit, dispar ac dissimile, ad indicium & notam discernendi: nullus dubito, quin & sermone, & ore Christus Galilæum, ut erat, referret; ex ejus omni habitu & conformatione corporis ipsa Galilæa redoleret. Quidni enim? ibi conceptus, ibi altus educatusque, ibi totum vitæ tempus, exceptis pauculis annis, commoratus. quem in suam civitatem semel atque iterum, opinor, triennio reversum, sui cives acceperunt, non ut hospitem atque aliquem a se diversum, atque ab eo, qui erat, mutatum, sed ut eum, cujus vim tantum, & novitatem tum doctri-

* l. 1. rhet. c. 5. † Anacr.

næ, tum gestorum suspicerent: cum non occurreret, quomodo tam brevi & tam præclara didicisse, & tam admiranda efficere potuisset. Neque nullius est ad capiendam Christi, qualis esset corpore, conjecturam momenti, quod Galilæos Josephus * prodidit natura bellicosos, & a prima ætate pugnaces, quorum in animis nulla unquam formido insederit. Nam cum nati ad bellum viri, fronte & oculis, acre quiddam, & præsens, & militare præferre consueverint; non est recusandum, quominus ex ea gente Christus oriundus, quæ tota Martis esset dedita studiis, aciemque ac prælia toto ore spiraret, generosa quodammodo, & plane virili facie fuerit, omnem patriæ colorem & speciem, omnes vultus expresserit. Quid igitur sibi recentiores Græci, duo aliqui, aut tres, volunt, a quibus Christus depingitur & ξανθόθριξ, capillo flavo, σιτόχροος, colore triticeo? Si enim Judæos & Galilæos ita formatos figuratosque universe dicunt: quomodo id, quod valde incertum est, ostendunt? sin autem Christum solum ex omnibus talem intelligi placet: quomodo hoc, quod multo est improbabilius, nullis adhibitis argumentis, affirmant? Nobis quidem hic rectum non videtur aut iis assentiri, qui ratione nihil probent, aut ab iis non dissentire, qui nulla antiquitatis auctoritate valeant

III. Fit admodum probabile, Christum inter cives ac municipes suos, ista potissimum corporis laude, & formæ qualicunque gloria non excelluisse, neque eximium & memorabile quidquam præter ceteros habuisse. Id ut ostendam, si mihi constare velim, neque factum meum refellere contrario facto, videor debere eundem urgere locum, quo usus antea sum, ut ab omni purum deformitatis vitio Christum præstarem; cum pari momento argumentorum & rationum, ac majore etiam possim. Au qui nobis scriptores subitum & extemporalem, fluxumque & caducum, & forsan semihoræ splendorem Christi transfigurati ita graphice depictum reliquerint, ut nivis similitudine, & collatione solis efficerent illustriorem; non accusandi negligentiæ fuerunt, si perpetuam & constantem per omnes vitæ gradus pulcritudinem reticuerunt prorsus, ac ne minimo quidem verbo, qualis & quanta esset, attingendum putarunt? An immemores, & ingrati non habendi Apostoli, discipuli, Christiani ætatis illius universi, qui hanc partem Christi laudum, quam voles levem & exiguam, tamen veram, tamen aliquam, interire posteris nobis passi sint, quos tenuissima quæque tanti liberatoris, & falso etiam illi ab adversariis objecta, nosse delectat ac juvat? Simplices vero scribas, minime malos Pharisæos, nimium commodos & faciles cunctos Christi iniquos, quibus nihil suboluit, quod vir formosissimus suæ nationis, cum Samaritana, intemperanti sane, & multarum nuptiarum muliercula, tandiu, & solus, & in agro colloqueretur. quod aliam in adulterio deprehensam, & hoc ipso patriis legibus damnatam capitis, absolutam judicio suo, impunitamque dimitteret: aliam famosam & flagitiis urbe tota nobilem, non tantum ad se propius accedere non prohiberet, sed ne ab ungendis quidem pedibus suis, & suaviandis arceret. quod cum duabus bono loco & genere sororibus una multum esset, familiariterque versaretur, ab iisque invitaretur hospitio, acciperetur epulis, omni officiorum genere observaretur. quod moxima eum multitudo sequeretur procul ab ædibus, mulierum præsertim, quæ his externis formæ illecebris maxime capi solent; ejus ex Galilæa in Judæam, ex oppidis in desertas solitudines iter, & crebram ibidem commorationem assiduamque celebraret. Sed ne longum fiat, hoc, lector, intelligi modo volumus, si pulcritudine Christus tantum tribulibus suis præstitisset, quantum præcones isti pulcritudinis prædicant; nec historicos non significaturos, nec amicos non laudaturos, nec inimicos non in malam partem interpretaturos fuisse, neque non suspectam millies hanc formæ præstantiam vel ipsos habituros, vel aliis reddituros, neque non magnam ex eo invidiam Christo in plerisque conflaturos. Quid ego nunc commemorem medios ac nullarum partium, sive viros, sive mulieres, sive illustriores, sive de populo, a quibus tot ac tam diversis, dissimulari cum non potuerit, si quid Christus in eo genere majoris excellentiæ haberet, nihil exclamatum super isto, ut fit, nihil insusurratum in aures, editum signum nullum videmus? Is, qui inscendit in arborem, Christi videndi causa, Zachæus, quod brevitate staturæ, simul & turbæ Christum circumstantis frequentia impediretur, nonne eo viso statim aliquam vocem misisset admirans, si qua nova species, & insolita hominis figura oculos perculisset? Quæ mulier clamorem sustulit, ac matrem tali filio beatam prædicavit, nonne & filium adjecisset tali formæ pulcritudine beatum? Qui sunt ejus, in interrogando, ac respondendo, prudentiam, celebri doctorum consessu, mirati, tunc annum modo duodecimum agentis; nonne, si quid in ore præcipuum, ac singulare præter ceteros eluxisset, quod primo aspectu quomodocunque intuentes afficeret, cum ista hujus laude conjunxissent? cum præsertim pueros id ætatis, videamus esse pulchellos, etiam eos, quorum postea lepos deflorescit annis, & omnis illa formæ intempestivitas, simul atque viri fieri incipiunt, exstinguitur. Jam si quæ frequentes matronæ, tota Galilæa, tota Samaria, tota Judæa, perhibentur comites illi fuisse, & suis eum facultatibus aluisse; si quæ ex sedibus ac civitatibus effusæ, summam ei assiduitatem præbuerunt, sæpe diei totius, interdum bidui ac tridui, tantam hominis pulcritudinem haudquaquam animadverterunt; vehementer miramur. Si tenuerunt se, quominus animadversam proderent ac dissiparent in vulgus, atque isto sibi nomine plauderent, Christoque gratularentur quodcunque hoc boni, ut nulla ad alios ne tenuissima quidem rumoris aura pervenerit; etiam miramur multo magis.

Atque ita rem se habere, ut proposui, satis sum interpretatus ex communi omnium silentio, quos idipsum loqui, si secus fuisset, oportuit. Nunc quamobrem ita se habeat, etsi multa, eaque gravissima sint, non leve puto id, quod sanctissimi patres docent, miseriis nostris omnibus Christum obnoxium se esse voluisse, quo naturale sibi cor-

pus

* Lib. 3. de bel. Jud. c. 4.

pus & veram humanitatem assereret. Nam si non defuerunt hæretici, * & in his Marcion, & Apelles, & Manichæus, quibus placuerit, sidereum ac cœleste corpus ascitum a Christo, nullo modo humanum; nonne cavendum ei fuit, & longe ante providendum, ne si exquisita quadam pulcritudine nimio plus aliis excelleret, huic falsæ de se opinioni aliquando locum daret? Cui, obsecro, fecisset fidem, corpore ipso non plus se, quam hominem esse, si qua semel indutus forma est in transfiguratione, eam non exuisset in vita deinceps: aut cui non movisset suspicionem, si omnino æquabilitatem sortis communis, dignitate oris & elegantia transisset? In quo sane fuit hoc Tertulliani † rectum & valde efficax, ut Christum inter homines revera hominem vixisse demonstraret, quod *esurit sub diabolo*, *sitit sub Samaritide*, *lacrymatus est super Lazarum*, *trepidavit ad mortem*, *sanguinem fudit postremo*: istud cum ad veritatem fictum, tum ad probationem supervacaneum, quod, ne corpus ei ‡ *cœlestis claritatis* concederet, denegavit *humanæ honestatis*.

Pergamus porro. Tantine forma quævis est, ut isto corporis quotidiano ornatu, & quasi domestica veste, Christus conterraneis suis lautior videri vellet? qui summa infimis exæquatum venit, & omne, quod multorum sæculorum ambitio induxerat, discrimen sublatum; qui nihil præcipui juris unquam appetivit sibi, efferre se de nihilo supra ceteros, & primas obtinere externa specie ac figura curaret? At id quantulum est, quod, licet aliquod bonum concedatur esse, minimum tamen est omnium, quæ in corporis bonis reponuntur? quod & summa cute possidentis hæret, & alienis tantum oculis sentitur, neque ullam habet efficientiam, ullum, nisi desidiosæ oblectationis, fructum? cujus longissimum quodque tempus ac regnum, ut bona valetudo, integræque vires adsint, vix annos viginti tenet. quo interim spatio, persæpe levi puncto acus violetur, persæpe tenui aura, aut calore, aut frigore, aut alia minima de causa corrumpatur. Num contra vero ipsa illa corporis eximia pulcritudo, si probe judicamus, digna est, quam Christus despiceret atque infra se duceret, neque corpore consecraret suo, cum plurimorum ruinis infamem, tum duorum capitalium vitiorum præcipue causam atque fontem, superbiæ & libidinis? Dici vix potest, quod usus quotidianus nimium comprobat, cujuslibet formosæ, nisi eadem dimidio extiterit probior, quam formosior, quam sit insolens atque intolerandum fastidium, quanta, ut ita loquar, tyrannis. ut si dotata virum regit conjux, quemadmodum bonus poeta scripsit, formosa superbissimo dominatu premat. Quod autem dicitur lis esse magna pudicitiæ cum forma, aut raram facere mixturam forma cum sapientia, vere profecto, attestante memoria sæculorum omnium, dicitur. cum quidem quot altera amatores habet, tot prope altera insidiatoribus atque hostibus utatur. Nec vero hæc oratio mea eo pertinet, ut, si Christus singulari jure, & meliore, quam ceteri, corporis quasi conditione esse voluisset, aditurus periculum fuerit vel modestiæ, vel pudicitiæ; quod ne cogitare quidem fas est: aut ut in bonis rebus pulcritudo ne numeretur, quæ, quantulumcunque licet, Dei donum est, eoque forsan majus bonum, quia minus ad aliud refertur, in seque subsistit, tanquam finis sui, atque eo laus amplior proborum, quia plures improbi abutuntur. Sed illud vidi, illud statui; existimavi non satis consonum fore, si Christus eam rem, ut ejus optio fuit, sibi ipse delegisset, cujus in contemptu maxima virtus cernatur complurium; minimeque decuisse, cum omni formæ præstantia, nullo damno nostro, facile carere potuerit, tot malorum originem ac seminarium egregiam pulcritudinem, tali tantoque præjudicio ornari, & majus ei pretium, æstimatione & indicatione divina dici. Etenim si præclare dixit imperator & vanus & impius, * turpe esse sapienti, cum habeat animum, captare laudes ex corpore: quanto nos turpius Christo, qui præter animum divinitatem habeat, laudes affingere ex corpore conabimur?

Nimis hoc quidem certe molle ac tenerum, non amare Christum, aut minus amare, nisi extiterit formosior cunctis, aut eo amare duntaxat, quia egregia fuisse forma prædicetur. An vero cum in epistolis Paulus unice diligi millies præcipiat, omnique Christianos execratione, si non fecerint, devinciat, ulla pagina utitur tanta ejus pulcritudine ad persuadendum? Quid alii Apostoli ac discipuli? Quid patres ac doctores deinceps reliqui, ulline, quare amarent, hanc sibi fuisse causam, dixerunt, aut ita aliis auctores amandi fuerunt, eamque demum conditionem tulerunt? Sed nobis, lepidis scilicet ac festivis mortalibus, ad meditationem & studium rerum cœlestium, opus est Christo bello, & compto, & polito: quem non satis animis nostris conciliet ac demereatur neque admirabilis virtutum innumeratum decor, neque fons & caput omnium elegantiarum divinitas. ut quod ne puellarum quidem parentes, si sani sint, a generis exigunt ad conjungendas nuptias, hoc nisi cœlestis sponsus afferat, omnis ei affinitas ab hominibus renuncietur.

VERUMTAMEN & hæc, quæ multiplici conjectura elicuimus, & ejusmodi quæcunque exprimere possumus disputando, labefactari arbitrantur adversarii enthymemate uno: Fuit Christus optima constitutione corporis, igitur pulcherrima specie. Quibus antequam respondeam, adeoque ut respondeam, illud ab iis requiro, quamnam esse optimam constitutionem velint corporis: eamne, quæ corpori ad exequendum munus suum idonea est, an quæ ad propriam animi functionem expetitur. Si prius; nihil video necessario junctum huic vel propius, vel longius, nisi valetudinem aut sanitatem. Si posterius; nihil occurrit, quod comitetur, aut consequatur, nisi ingenium sive docilitas, memoria, judicandi prudentia, quæ uno fere ingenii nomine appellantur. Pulcritudinem autem non magis conjunctam dixerim cum ista temperatione corporis habituque optimo, quam cum sanitate, & ingenio, aut quam sunt hæc conjuncta inter se. Etenim neque pulcritudo ullum habet cum ingenio com-

* Tert. l. de car. Chr. Athan. de Incarn. † Lib. de car. Chr. c. 9. ‡ Ibid.

* Amm. Marcell. l. 25.

mercium, nisi fortuitum; &, si secerni non potest a valetudine, non hac contra valetudo nequit carere, nec ista duo reciprocantur, ut, quemadmodum si quis pulcher est, valenti & firmo corpore esse debet, ita si valet, forma esse venusta debeat. Quin etiam probe definitur a * Gregorio Nazianzeno venustas, membrorum inter se; sanitas, principum qualitatum convenientia: quorum neutrum alterum est, nec sequitur, aut inferri potest ex altero.

Præterea quis scit, an optima affectio corporis ipsi corpori & animo una eademque congruat? immo vero quis ignorat dissimili ac sæpe contrario modo, has hominis partes duas affici, quæ tantum inter se distent, tam disparibus muneribus fungantur: ut minime mirum sit, si distortissimi quidam, ingeniosi; alii formosissimi, tardi, atque hebetes reperiantur? Certe, si est, quæ debetur, Aristoteli fides, qui bile abundant & melancholia, excellunt ii quidem mentis viribus. qui sunt aliter temperati natura, corporis mole, & lacertis, & reliquis membrorum facultatibus pollent. Quod si adeo per diversas, quas diversa cujusque natura postulat, affectiones, maximæ corporis & animi laudes consociari non queunt: cui dubium est, quin has illis longe Christus anteposuerit, malueritque vi, & virtute intelligendi, & sapientia, quam specie vultus, & colore, præstare?

Jam id si ita est, quod adversarii volunt, ut optime constitutus, sit idem pulcherrimus; diffiteri non debent, quod est consequens, quin quo quisque meliore constitutione fuerit, eo forma futurus sit meliore. Atqui quam sit istud falsum, vel oculis quotidie videmus in mulieribus, quas esse natura voluit pulcritudine quidem sine controversia superiores viris, temperaturæ vero & habitudinis bonitate inferiores. Declarant hoc posterius plura genera morborum, quibus tentantur, crebriores offensiones valetudinis minora corpora, celerior senectus, brevior vita. Itaque illud philosophi † scitum est dicentis esse feminam, ὥσπερ ἄῤῥεν πεπηρωμένον, hoc est, marem quodammodo mancum, neque partibus omnibus suis absolutum. Nec admonent nos tantum mulieres, sed pueri etiam, atque adolescentes homines, quorum forma tum maxime viget, cum adhuc abest maturitas ætatis, optimæ constitutioni corporis excellentem pulcritudinem non continuo respondere ex æquo, neque huic necessario comitari, aut inde existere.

Sed heus tu, qui physicis rationibus formam Christo, quam potes optimam, conficis, velim mihi respondeas, quibus eum lacertis, qua firmitate laterum, quo robore totius corporis putes fuisse. non gladiatorio, non gigantino, non inter omnes valentissimo. quid enim attinuit vires agrestes, & horridas habere, ac tantum exsuperare corpulentia, qui mente & consilio potius, quam manu res divinas ac paternas administraret? At cum ex ejus optima constitutione corporis, pulcherrimum illum non modo suorum fuisse, sed etiam omnium concludas; quoniam quidem ista vis argumenti huc pertinet, tamque late patet: cur non æque, ista ratione, ex eadem aptissima compositione membrorum, robustissimum fuisse mortalium infers? Atque hoc etiam magis in viribus, quam in forma valet, meliusque perspici potest, quod vires naturam sequantur, & in quo sitæ sint, cuncti consentiant; formæ bonum prope totum opinabile sit, habitumque aliud aliis temporibus, diversum diversis locis. Quis non miretur, Romanas quondam mulieres in pulcritudinis parte comæ numerasse nigriciem; nunc rufis capillis mirifice delectari: cum nostrates & aliquid nigro pulcrius existiment, & rufo nihil tetrius esse ducant, pejusque oderint? Sicut ergo male colligas, qui optime constituti sint, eosdem idcirco esse fortissimos; propterea quod, extra æquabilem & temperatum primarum qualitatum modum, opus sit ad robur nervis firmissimis, ossibus prædutis, compactis artubus, aptis commissuris, & similibus: ita nequicquam eadem norma & regula pulcritudinem metiare ac spectes, quæ amplius quiddam, quam bonam corporis constitutionem, sive naturale, & certum omnium, sive arbitrarium, & pro opinione diversarum gentium varium, requirat.

Atque ostendi hactenus, enthymemate isto quod intentabatur tanquam machina nobis, nihil effici ab adversariis. Quid si docuero ex eo ipso prorsus contrarium cogi; etiamne pergent tam misere philosophari, ut rationibus ipsi non sentiant se convinci suis? Flos enim iste ætatis, & nativus venustatis color, quem facile lædi, subito emarcescere, raro reparari videmus, tantum abest, ut optimam corporis constitutionem, velut parentem educatricemque agnoscat; ut ex deterrima omnium temperatione, velut putri e solo exortus, inde alatur quodammodo, atque augescat. Equidem quatuor humorum mixtura, quænam habenda potior sit ex omnibus, nec divinare possum, nec affirmare audeo: cum alii sanguini primas deferant, alii præponant bilem, alii melancholiam dominari malint. Sed in eo nunquam variari inter ullos & dubitari memini, quin ii forent habitu pessimo, in quibus pituita redundaret. sive quod minus actuosa illa quidem, cum sit perfrigida, quam aut sanguis, aut bilis: sive quod multo, quam melancholia, mobilior & inconstantior, existimetur. Formosissimos autem quosque, pituitosos esse, in pituita sedem & domicilium pulcritudinis collocari, præbere se pituitam vel conciliatricem, vel ornatricem omnis venustatis, quis, huc animum si tantisper attendat, non intelligit? Hac utraque, pituitam dico & formam, muliebre genus abundat. hac utraque, secundum mulieres, puerilis ætas valet. hanc utramque, ex cunctis terræ regionibus maxime septemtrio affert: ex quatuor anni temporibus hyems fovet. Ut enim ora vultusque rubent a sanguine, ut altera bile nigriora fiunt, altera flavescunt: ita facit in primis pituita ad candorem: facit item ad lævorem quemdam, & nitorem cutis. ex quibus suavitas ea coloris existit, quæ si nacta sit aptam compositionem & figuram membrorum, pulcritudinem vel ut necessaria pars efficit, vel ut una omnium utilissima perficit. Quid reliquum & consequens est, aut quæ complexio & summa hujus argumentationis, nisi ut deteriores habitu, potiores esse forma concludamus?

Proinde

* Orat. 3. de pace. † Lib. 2. de gener. anim. c. 3.

Proinde desinant aliquando ad physicam 'nos theologi vocare. quibus si negaverimus, in Christo præcipuam præter ceteros constitutionem corporis fuisse; nihil illi contra nos: si concesserimus, ut gratis, ne omnia contendere velle videamur, concedimus; etiam contra se dicunt.

IV. Pro certo habemus, nihil accessisse Christo ad formam cultu ipso corporis: decessisse vero plurimum de forma tum susceptis laboribus, tum cruciatibus toleratis. Refugit sane calamus, turpeque sibi ducit, pluribus scribere, quemadmodum non excoluerit Christus de industria formam, neque, aliud agens, adhibuerit quidquam, unde nitidior existeret vultu, ac tanquam clarior & illustrior. Quid enim minus Dei fuit, quam operam date pulcritudini, de qua neque sapientes cogitationem suscipiendam, neque ipsi nequitiarum magistri curam magnopere gerendam viro esse censent? Hoc quidem onus, hæc provincia istos mundulos urbanos amasios, aut molles regum ephebos, ac purpuratos maneat: vel mulierculis concedatur potius, quibus nihil est a natura datum majus, ut maximum naturale bonum suum, otiosa sedulitate perpoliant, &, quantum in ipsis est, amplificent, bonasque hic horas, quas non didicerint collocare melius, consumant. Sed quia tamen non omnis omnes viros corporis cultus dedecet, immo aliquis a singulis ad vitam tuendam adhibetur necessario; scire attinet, quousque genio Christus indulserit, quid, & quantum appetirionibus naturæ licere existimaverit, quem ad finem id, quod humanus & communis usus postulabat, direxerit.

Tria igitur fere cultus iste continet, victum, vestitum, curaturam leviorem quandam, ut lavari, ut ungi, ut alias munditias. Horum autem quid unquam in vita Christus usurpavit, conciliandæ venustatis causa; aut, siquidem eo non spectavit utendo, quid horum sumpsit imprudens, quod ad formæ speciem per se valde pertineret, atque elegantiam? Nam si ablui pedes sivit in convivio sibi; nonne servitum patriæ consuetudini novimus: quod ne ipse quidem officii genus adversus discipulos, infimæ conditionis & fortunæ homines, exhibere omisit? Si & caput unguento perfundendum dedit, aut sane, quominus perfunderetur, non recusavit; num id moris quoque fuisse, satis ex eo constat, quod, cum prætermissum esset ab hospite, cum illo benevole quidem, sed tamen graviter expostularit? Nec vero maledictis istis deliciatum, & affectatæ formositatis homo impurus pepercisset, qui officiosam mulieris operam, quæ unguentis ungeret, accumbentem notavit, ac, ne nihil reprehenderet, vel hoc objecit, sumptum in egenos melius potuisse poni.

Jam non sum nescius, sicut virtute formæ id pletumque evenit, ut deceat quicquid vestium induatur; ita quicquid à natura habeatur formæ, a vestibus videri, quasi quadam vicinitate, & mutua communicatione utilitatum, majus & amplius. Sed in Christo quid fuit ejusmodi, quod muniret corpus contra injurias locorum ac temporum, quodque publicæ honestati ac pudori consuleret, unde formam quoque commendaret magis? Tunicane, simplex & uniusmodi, quæ ut nulla futura, ita nulla constabat arte? an reliqua vestimenta, non obsoleta illa quidem nec squallida; neque enim credere par est Christum illuviem secutum, & pædotem, aut ullas sordes: at non duplicia certe, quemadmodum discipulos habere vetuit, hoc est, quæ non mutavit, nisi trita & confecta usu, quorumque nihil in instrumento sepositum ac reconditum habuit, vel ad commoditatem vitæ, vel ad ornatum, Non enim existimandum est, invitatos pretio milites quatuor, posteaquam egissent Christum in crucem, ejus in partes æquas totidem vestem scidisse, ne plusculum quid optimi panni alius alio sumeret: sed homines tenuissimos, qui carnifices se ac tortores præbuissent, quod suum erat, licet vile per se, & maculosum, & sanguine infectum, sustulisse, neque minimam sibi particulam lucelli perire voluisse. Nec vero formosiorem te, domine Jesu, amictus reddidit vel candidus, quocum Herodes te per ludibrium a se dimisit, vel purpureus, quem in humeros tibi, pari ignominiæ nota, Romani milites injecerunt. Tametsi hac utraque veste, quam mea causa induisti lubens, magis places, majori te amore amplector sic honoris simulatione fœdatum, majori veneratione prosequor, quam si in Cois, ac Tyriis, ornatuque triumphali multo auro, multisque gemmis, incessisses.

Vestitus vulgaris & quotidianus lana patria, neque artificiosius elaborata, quo Christus, quantum apparet, usus est, nihil decoris accersivit corpori. Num qui gignere, atque alere consuevit succum, sanguinem, colorem victus, ad pulcritudinem, quæ ex istis fere tribus efflorescit ac redundat, aliquantum adjecit? Multo etiam minus. Christum videmus duplicem duobus temporibus vixisse vitam, in qua utraque non modo nullam lautitiam, nullos sumptus epularum agnoscas, sed mediocritatem hominum quoque tenuiorum requiras. Alteram, cum privatis impensis aleretur inter suos, & quasi filiusfamilias potestate ac domo paterna continerentur. quod tempus cum jure civili, & more gentium posset esse brevius, in quinquennium prorogavit. non enim visus est emancipari voluisse, fierique sui juris, nisi postquam ad annum circiter trigesimum pervenisset ætatis. Alteram, cum aliena misericordia sustineretur: sive grati illum & memores beneficiorum populi, quos docebat pariter & sanabat, tectis ac sedibus suis reciperent; sive prosequerentur viatico, diversas Palæstinæ oras peragrantem. Et conditio quidem prior, statusque, in quo sese ipse nascendi initio constituit, posteaque mansit complures annos, cum eum sibi parentis numero esse voluit, qui vitam ignobili artificio tueretur, minimo contentum, tenuissimo cultu vivere cogebat. Statim vero atque alterum genus cursumque vivendi iniit, processitque in publicum, atque operam suam studiumque navare cœpit mortalibus; etsi interdum condixit publicanis, & principibus Judæis; nonnunquam se ultro convivam obtulit non invitatus: tamen cum neque res soli ullas, neque moventes possideret, non in nominibus quidquam, nec fere in nummis haberet, nisi ex pia nonnullorum liberalitate & beneficentia paululum quid; facere non potuit, quin si minus aliquando defi-

ceretur necessariis, plerumque certe non abundaret utilibus præsertim cum ex sua tenuitare egentium & mendicorum sustentare non dubitaret angustias. Itaque ei non solum nihil erat annonæ quæsitum ante, & congestum domi, aut in cella penuaria, cum degeret in oppidis: sed ne sola quidem deserta loca cum obiret, & longum iter ingressus esset, provisæ frugis aliquid portabatur una, quod subsidio viæ esse posset. ut diverti necesse haberent discipuli in propinquas urbes atque villas, ad coëmenda cibaria. Qui si quando prius idonea quædam compararent ad vescendum, id quod sæpe oblivisscebantur facere; vel panem comparabant solum, vel erant pauci, & minuti pisces pro obsonio. Adde quod, cum spatium cibi sumendi, racuaque hora non daretur ab interventoribus; modo prandium differebat ad vesperam, ac ne provocatus quidem a suis, prægustabat quidquam: modo nullo cibo transigebat diem; ut postridie mane, quasi ex inedia hesterna, esuriret. Quid ego nunc proferam admirabile illud, &, præterquam in hoc uno, ferme inauditum, jejunium, cum escis omnibus se, dies quadraginta continuos totidemque noctes, abstinuit? In quo fateor quidem, atque ita necesse est existimare, multo plus, quam pro virili parte, oneris sustulisse, propterea que corroboratum divinitus ad perferendum fuisse. Sed istud contendo, tantum, tamque diu, suapte sponte tolerasse primo, quantum, & quoad humanæ vires patiendo ferre potuerint; tum succumbenti naturæ venisse auxilio vim cœlestem ac divinam, quæ robur auxerit, idque, quod a corporis imbecillitate deerat, expleverit. ita additum ad rei miraculum, nihil detractum de perpessione. Hic igitur victus tam frugalis, tam aridus atque asper, tamque nullus, quid ad præclaram & eximiam speciem attulit momenti, aut quomodo corpulentiorem & habitiorem Christum reddidit: qui si ad tuendam valetudinem satis per se valuit, arcendamque mortem; magnum sane & plusquam humanum fuit? Quod nisi paruisset ipse legibus suis, cavissetque in primis, id quod aliis cavendum præcipit, ne mœstitiam imitaretur eorum, qui dedita opera vultum corrumperent, præque se jejunia longa ferrent & ostentarent, ac laudem siccorum & continentium in victu quærerent; aut nisi summa naturæ bonitas esset, quæ egeret parvo, nec facile incommodis difficultatibusque cederet; aut nisi vis denique humana major subveniret & opitularetur ad tempus: non erat dubium, quin qui pallor infecisset ora, quæque macies occupasset totum corpus, hominem nobis non solum non speciosum, sed exanguem, & enectum, & horrendum aspectu traderet.

Ac formam quidem nihil adjuvit qualiscunque iste curandi corporis modus & ratio. labores vero & multi, & magni mirum quantum imminuerunt. Non est id propositum huic sermoni, vitam ut Christi repetam ab ultimo initio, proponamque totam sub oculos, qua nihil laboriosius, nihil magis operosum, magis exercitum dici aut fingi potest. Sic modo colligo. si peregrinatio menstrua, aut si quindecim dierum iter inepta via, magno vel æstu, vel imbri, alieno tempore anni, susceptum, remittit sæpenumero nos domum, tempestatibus mutatos totos, & perustos a sole, & decoloratos, planeque a nobis diversos; quem tandem exitum & finem circumcursationes habituras putes, hyeme, æstare, navi, pedibus confectas, & crebras pernoctationes sub dio, & quotidianas nullo stabili domicilio migrationes, & sexcenta, quæ huic viatori perpetuo quasi comitabantur incommoda? Contemplare, quæso, illius, quam egit in publico, vitæ, de qua proxime dixi, partes & officia tria, docendi rudes, edendi miracula, precandi Deum patrem. nullum ex his cura, & sollicitudine, & functione gravioris operis vacabit. Quid? assiduitas docendi per triennium, tam indociles, tantam vim mysteriorum, tantam copiam, quanti laboris est? Quid? miracula, quæ nullo negotio ederet singula, num hunc occupatum universa, impeditumque, multitudine operum, & efficiendi diuturnitate habuerunt? Quid? preces & antelucanæ, & quæ protrahebantur in multam noctem, & quæ noctes tenebant ipsas; tametsi secessus ad id quæsitus, & tempus quietis & otii caussa captatum; num vigiliæ peracres, & æstuosæ, hoc est, & sine ullo somno, & cum magna animi attentione complures horæ traductæ, fuerunt? Quamobrem minime mirum videri debet, si perpetuos & contextos, sine ulla intermissione, & vicissitudine relaxationis, labores lassitudo, lassitudinem imminutio virium, & deformatio coloris & corporis consecuta est. ut eo statu Christus, & ea facie, multo grandior natu, quam esset, ac tantum non habere annos quinquaginta, vulgo putaretur.

Ad postremum, de quo proposui, quid addam non succurrit, nisi quod vis tormentorum, quibus affectus est, ac demum necatus, formam non deteriorem solum fecerit, sed prorsus exstinxerit. ut etiam consecuta mors, quod mutatura esset, haud sane quidquam haberet: ac priusquam tolleretur in crucem, confusis lineamentorum indiciis, nihil hominis amplius præ se gerere videretur; valeretque illud improbi judicis, *Ecce homo*, minus ad acerbam irrisionem, quam ad certam & veram ignoti hominis, qui agnosci aliter non potuisset, ostensionem.

V. Credibile est fuisse Christum statura justa: sed proceriore tamen, quam breviore. Hic mihi non tam suppetit aliquid unum, quod affirmare certo & constanter possim, quam multa occurrunt, quæ negare præcise debeam. ex quibus nihilominus intelligatur, verius id esse, quod ego nunc in medium, tanquam omnium probabilissimum, attuli.

Nego primum parvo Christum corpore fuisse. Officiebat videlicet sua Zacchæo brevitas corporis, ne Christum posset, frequentia populi circumfusum, intueri. Numquidnam vero & obstitisset, & peræque obstitisset brevitas Christi, quominus a Zacchæo conspiceretur, ea si statura fuisset? Etiam. Cur igitur videre Zacchæus Christum non potuit, quia ille *statura pusillus*, ac non quia hic *statura pusillus erat?* Cur non alter alterum, quod corporatura ambo pares erant, hoc est, pusus pusum videre non potuit, nisi quia non ita res habuit? At vide tu Lucæ fidem & diligentiam, nihil ejus,

quod

quod erat, omittentis. Fieri potuit, ut Christum minime Zacchæus cerneret, licet commoda illi foret, ac longa etiam statura. multitudo quippe tanta, quanta sæpenumero circunstabat Christum, satis una impedimenti inferat, ne qui ad eum non accesserint quamproxime, facile possint intueri. Qui tamen hoc causæ attulit, quod fuit in Zacchæo, quidni, idem in Christo si fuisset, accuratus scriptor adjecisset?

Nego deinde fuisse corpore præter ceteros maximo, cujusmodi vel poetæ solent heroas confingere & comminisci suos, qui toto vertice supra sint, atque humeris etiam superemineant omnes, vel revera Judæorum rex primus extitit, *altior universo populo ab humero & sursum.* Quid ita autem, aut unde hoc novimus? Nihil laborandum Zacchæo erat, quam voles parvo, ut tam aspectabilem inter alios aspectaret: nec fuisset; quod collocaret se in arbore, unde curiosis oculis intueretur prætereuntem. vidisset enim, si non vicinior, atque in turba, at non ita longinquo ex loco; & quem illi exiguitas sua aspectum alioquin ademisset, altitudo Christi, tanta præsertim, redderet.

Nego præterea Nicephoro, quod in secundo historiarum, Christum septem pedum fuisse, scripsit. Cur negem, præterquamquod enormis longitudo facit, quæ in admodum paucos, fermeque monstrosos cadit; cum Marcus Varro modum esse dicat summum adolescendi humani corporis, septem pedes: eo quoque adducor, quia cum ab Epiphanio quodam monacho & ea, quæ de Mariæ virginis ac matris forma prodidit, ut fatetur ipse, & ea, quæ de Christi, ut apparet ex totidem utriusque scriptoris verbis, transtulerit; numerum, sciens an imprudens, mutavit, proque pedibus sex, quos Epiphanius diserte literarum notis, non numerorum, consignatos habet, septem substituit. Istud itaque & rei, & hominis causa non credimus.

Neque tamen continuo hoc alterum huic Epiphanio assentior, ut ad senos pedes crescendo pervenerit. non quod ejusmodi inusitata penitus, ac nullius videri debeat excelsitas corporis: sed quod is aliis, quæ affert, commentitiis & anilibus, detrahat fidem sibi, & hic tam definire affirmare non potuerit, nisi divinando. divinos autem & conjectores ferre possumus; sed ita demum, si neque stricte vaga definiant, neque dubia dicant asseveranter.

Multiplici igitur semota falsitate, ipsa sibi, quæ plus una esse non potest, veritas relinquitur, ut medioeritatem eam, quæ est inter parum ac nimium tenuerit, & a pede circiter quinto ad sextum fere, quod ei commodum fuit, elegerit. Quæ statura ita justa est, ut procerior, quam brevior sit, eoque hominis Dei personæ convenientior. Nam ut immoderata magnitudo corporis vastum quiddam, & immane, & suapte vi ac sponte comparatum habet ad terrorem, ita moderata aliquid affert dignitatis, quod si natura nobis offerat, optioque detur, nulla ratio fuerit respuere. Etenim ea vulgo proceritas laudem habet in corpore: & hanc numerat * Aristoteles ejus in bonis, etiam a pulcritudine separatim, licet hæc ab illa sejungi non queat, & repertas ait * nationes, quæ iis regnum, qui jam magnis corporibus prævalerent detulerint. Quamvis autem Deus contra rationem haberi vetuerit vel staturæ, vel formæ, in principe, quem præfici vellet Hebræis, eique obtemperatum sit, harum rerum delectu omni & discrimine remoto: tamen mihi nunquam persuaderi potuit, factum esse casu, sed aliquo divino numine, ut & primus illis rex prolixo corpore obtingeret, & alter cum parvulus adhuc esset, necdum forsan per ætatem, staturæ mensuram implesset, præstantiam quandam formæ, id quod ætatis erat, haberet. Ceterum qui ait hominem neminem posse altitudinem staturæ adjicere, deque eo frustra quemquam laborare, potuit ipse, quo libitum est, aspirare sine ulla sollicitudine: & qui omnia ad certam normam & amussim exegit creando, modum hic quoque in se, nisi fugit me ratio, cum dignitate tenuit.

* 1. Rhet. c. 5.

* Lib. 4. polit. cap. 4.

CAPUT QUARTUM.

Quam ea vim habeant, quibus Jesus Christus formosus præter ceteros inducitur.

IN maximis utriusque partis firmissimisque præsidiis, qui pro insueta quadam & incomparabili Christi forma susceptum sibi certamen esse existimant; tametsi defensionem causa hæc habet plausibiliorem, magisque speciosam; tamen meliore conditione non sunt, neque paratiores accedunt ad congrediendum, quam qui hoc aliud de deformitate insolens, & molestum vincere vi, & auctoritatibus obtinere voluerunt. Ut enim hi nitebantur, uno duntaxat e sacris literis loco, tanquam arce munitissima, unde eos nihilo secius dejecimus: sic & isti ibidem locum modo unum occupare potuerunt ad perfugium, ex quo facilis est depulsio.

EXTAT is locus psalmo juxta nos Græcosque 44°. juxta Hebræos 45°. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ubi ex duobus, ipso in fonte & origine sermonis, verbis, alterum יָפְיָפִיתָ signat incrementum & copiam, quod congeminatæ priores literæ duæ, ut observat hic doctor Hebræorum Aben Hezra, vim & potestatem vocis augeant: alterum מִבְּנֵי comparationem continet: quem ad gradum significandum particula מִן, cum nihil aliud suus Hebræis sermo suppeditet, venit. Rursum duas voces septuaginta nobis interpretes exhibent, ὡραῖος κάλλει, quarum posterior faciles habet explicatus, nec a quoquam ignoratur; prior, obscurior paulo, & ab hac diversa, tempestivitatem quandam & maturitatem, quam quis assecutus sit, sonat. Basilius τὸ ὡραῖον, inquit, τοῦ κάλλους διαφέρει. ὅτι τὸ μὲν ὡραῖον λέγεται, τὸ συμπεπληρωμένον εἰς τὸν ἐπιτήδειον καιρὸν πρὸς τὴν ἡλικίαν ἀκμαῖον. κάλλος δέ ἐστι, τὸ ἐν τῇ συνθέσει τῶν μελῶν εὐάρμοστον, ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχον. *Hoc decor a pulcritudine differt, quod is decor dicatur, qui perfectus expletusque est, prout temporis sui ratio postulat;*

lat; pulcritudo vero in apta compositione membrorum, unde lepos efflorescit, consistat. Quod si binæ voces istæ jungantur, ut junctæ versu hoc tertio sunt, posteaque quinto junguntur, ὡραιότητι καὶ κάλλει; significant, meo judicio, & venustatem, quæ vegetæ ac florentis ætatis est, quæ in omnes ætatis gradus convenit, pulcritudinem. Ita fit, ut quibusdam formosulis ὡραιότης insideat, desideretur in iisdem κάλλος: decorique sint duntaxat, qui licet grandes jam, & ætate provecti, puerili semper esse vultu, & venusto magis, quam pulcro videantur. Nec veterem interpretem audio, qui ὡραίους ἄνευ κάλλους, quos ex Platone refert Aristoteles, eos ait intelligi, in quibus insit non naturalis ac sanguine diffusus, sed adulterinus & fuco illitus color. ὡραίους λέγει ἄνευ κάλλους, τοὺς μὴ ὄντας μὲν εὐμόρφους φύσει, τῇ ἐπιχειρήσει δὲ τῆς φυκαρίων δοκοῦντας εὐμόρφους. οὗτοι γὰρ εἰ ἀπανθήσουσιν ἐν τῷ ἀπονίψασθαι, ἢ ἐκβαλεῖν φυκάριον δι' ὕδατος, ἀκαλλεῖς εἰσιν. Male omnino, sive tertius rhetoricorum consulatur Aristotelis, sive ipse in politiæ decimo Plato.

Ex qua vocabulorum notatione cum nondum satis appareat, quid, & quantum Christi forma reliquis humanis formis & corporibus antestet; sequitur ut psalmi universum argumentum sententiamque videamus, qua de re vates agat, quam attingat personam; si quo modo major inde lux afferri, & vera species ac notio pulcri haberi possit. Hoc namque carmen proprie si nuptias Salomonis & Phanuelis, aut alias aliorum continet atque ornat; est autem sumendum quasi mutuum, & transferendum solummodo ad Christum, & sacris aptandum, divinisque mysteriis: actum videtur de pulcra Christi pulcritudine; tamque tropice accipi poterit ea, quæ celebratur hoc loco, forma, quam accipi debent sagittæ, gladius, bellatoris arma, aut quam myrrha, & stacte, & reliquæ sponsi deliciæ; quibus in vita nullis usum fuisse Christum, certo scimus. Sed quia ex iis, quæ psalmus hic habet, alia in Christum quadrant aptius, quam in alium quemvis; alia sic illius propria sunt, ut communicari nullo pacto queant cum altero, cujusmodi quæ prædicitur regni fore perpetuitas versu 7°. neque tamen idcirco omnes ad unam sententias de eo necesse est intelligi: ad rem accedendum propius, & intrandum magis, num istius saltem dimidium versiculi ad eum quam maxime pertineat. Et quidem negant aliqui, referuntque ad antecedentem versum sic, ut lingua vatis sit *calamus scribæ velociter scribentis*, isque *speciosus forma.* de quibus Hieronymus, & Chrysostomus, & alii fecerunt mentionem.

Verum hoc quoque alterum demus, esse Christi versum hunc, non quorumlibet aliorum. Adhuc reliquum est ut quæratur, quæ tandem in eo pulcritudo, cum plures intelligi possint, insit: divinitatisne, an humanitatis, animi, an corporis. Divinum numen interpretatur pulcrum Basilius in hunc psalmum: ὡραῖον κάλλει προσαγορεύει τὸν κύριον, ὁ ἐνατενίσας αὐτοῦ τῇ θεότητι. *Speciosum forma dominum appellat, ubi in ejus divinitatem animum intendit.* Cyrillus in Esaiæ caput 53. πρός γε τὴν θείαν καὶ ὑπερτάτην ὑπεροχὴν, καὶ τὴν ὑπὲρ πάντα φύσιν· τὸ ὑπὲρ λαμπρὸν κάλλος εἴρηται γοῦν, ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. *Quod in divinam quidem, summamque excellentiam, & splendidissimum decorem naturæ, quæ supra omnia sit; dictus est speciosus forma præ filiis hominum.* Idem placere video Ambrosio, Vigilio, Fulgentio, & ei, quem falso Hieronymum in psalmos dici volunt, scriptori non plane contempto. Assignat formam hanc Theodoretus humanitati, statuitque, non jam id quod Dei, sed quod hominis est in Christo, conferri, atque aliis anteponi hominibus: ἰστέον δὲ, ὅτι οὐ τὰ θεῖα, ἀλλὰ τὰ ἀνθρώπινα τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὁ προφητικὸς παραδηλοῖ λόγος. *Scire autem oportet, prophetæ oratione res Christi domini humanas, non divinas, demonstrari.* Itaque vult a propheta positam esse pulcritudinem Christi in virtute, & innocentia morum, qui ab omni labe liber foret, nec vitiorum ullam in se maculam susciperet: ὁ δὲ ψαλμὸς κάλλος αὐτοῦ καλεῖ, τὸ τῆς ἀρετῆς καὶ πάσης δικαιοσύνης, τὸ ἁμαρτίας οὐ δεξάμενον σπίλον, τὸ πάσης κηλῖδος ἐλεύθερον. Cui Isidorus Pelusiota subscribit lib. 3. ep. 130. ὡραῖον δὲ παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων εἶπε διὰ τὴν τῆς ἐνανθρωπήσεως ἔνθεον, καὶ ἄπλαστον ἀρετήν. *Speciosum præ filiis hominum dixit ob divinam humanæ naturæ susceptæ, atque a culpa, & peccato immunem quandam virtutem.* * Irenæo visum est interpretari, non de divina prorsus, qua semper est, neque de prorsus humana, qua, hic inter nos cum versaretur, esse potuit, sed de ea, qua nunc in cœlo viget, pulcritudine, deque toto cœlestium statu florente, ac beato. Quidnam amplius desideramus? pluresne arbitros, quorum judicio standum putemus, qui tot Græcos habeamus & Latinos? an antiquiores, qui ex primis rei Christianæ ætatibus? an quo alio nomine locupletiores, qui sanctissimos pariter & doctissimos; ut in errorem neque inducant nos, neque inducantur ipsi?

Atenim affirmant isti sententiam, & opinionem quisque suam sic, ut non illico negent humanam, & externam Christi corporis pulcritudinem intelligi posse. Nobis quidem abunde est hanc ab iis explanationem omitti, qui tam diversas attulerunt, ut attulisse videantur omnes, quas utcunque probabiles ducerent, quorumque reticentiam interpretari possumus improbationem. Sed ejusmodi expositionem non omittunt solum, verum etiam valere negant, aut hic ullo modo de pulcritudine corporis, quæ emineat foras ac percipiatur sensibus, agi. † Dic, Basili, quid censes? οὐ γὰρ ἐν τῇ συμμετρίᾳ τῶν μελῶν, οὐδὲ ἐν εὐχροίᾳ τινὶ τῇ ἐπανθούσῃ τῷ σώματι, τὸ τερπνὸν ἔχοντι, ἀλλὰ μόνῃ τῇ διανοίᾳ τῇ καθ' ὑπερβολὴν κεκαθαρμένῃ τὸ κυρίως καλὸν ἐν τῇ θείᾳ φύσει γινώσκεται, κατὰ τὸν ψαλμὸν τὸν λέγοντα, τῇ ὡραιότητί σου, καὶ τῷ κάλλει σου. *Non enim in convenientia & apta figura membrorum, neque in bonitate coloris, qui in corpus cum quadam jucunditate efflorescit, sed in divina natura, quæ proprie dicta est pulcritudo, mente sola, eaque cum primis purgata, agnoscitur, ut psalmus habet, specie tua & pulcritudine tua.* Dic, Theodorete. ὁ δὲ ψαλμὸς κάλλος αὐτοῦ καλεῖ, οὐ τὸ τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ τῆς ἀρετῆς. *Ejus verò pulcritudinem Psalmus appellat, non quæ corporis sit, sed quæ virtutis.* Dic, Cyrille. νοητέον δὲ, ὅτι τὸ κάλλος, τὸ ὡς ἐν δόξῃ τε φημὶ καὶ φύσει τῇ ὑπὲρ πάντα θεότητος, οὐκ ἂν ἐνδοιάσειέ τις,

* Lib. 4. adv. hær. c. 66. † in cap. 5. Esaiæ.

τις. οὐ γὰρ δήπε τὰ σωματικὰ αὐχήματα προσθείη τις ἂν τῷ Χριστῷ, καὶ εἰς δόξαν αὐτῷ καταλογιεῖται· πολλῦγε καὶ δεῖ. * *Nemo autem dubitare potest, quin intelligi debeat ea pulcritudo, quæ in gloria naturaque est supremæ divinitatis. neque enim quisquam corporis gloriationes Christo tribuerit, neque in ejus partem gloriæ numeraverit. multum abest.* Ad summam, ne plures rogem, eunt quasi pedibus in eam sententiam Eusebius, Hesychius, Apolinarius, Euthymius. Ad quæ addere licet, quod profecto res est, vix ullos reperiri, qui aliter sentiant, interpretandamque hanc pulcritudinem de corpore existiment. quod si qui fecerint, & obscure atque ambigue locutos esse; ut quod intelligi fere nollent, multo minus credi voluerint: nec de sola corporis pulcritudine locum hunc exposuisse; facile ut ostenderent se non satis huic interpretationi confidere. Sed expositores istiusmodi cum iidem sint, quorum postea nobis objicitur auctoritas, etiam hac eorum seclusa expositione, idipsum, quod loquimur, constabit planius ex sequenti oratione, cum eis, una eademque opera respondebitur, sive interpretantibus hunc locum, sive quid aliud ex suo sensu depromentibus.

ERGO primum Hieronymus inter sanctos patres, stare dicitur contra nos, quem sequi malle debeamus vel errantem, quam alios vera sentientes. Hinc in Matthæi caput 9. *Certe fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Et in caput 21. *Igneum quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Et epistola 140. ad Principiam: *Nisi habuisset & in vultu quiddam oculisque sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent.* Facilis & expedita, & quæ una satis sit, ad hos omnes locos responsio, idque ex ipsius Hieronymi mente ac sententia. Censet is Christum tria quædam præter cetera effecisse inusitata ratione ac via, quorum etiam minimum pro miraculo habet. primo, ut se discipuli confestim, nulla deliberatione habita, nullo capto consilio, sequerentur. secundo, ut profanos venditores, ac forsan iniquos, exigeret e templo. tertio, ut satellites contra se missos cum armis, sibique jam propemodum vim & manus inferentes, affligeret ad terram. Ac de illo altero, quod esse minimum videtur, operæpretium est cognoscere, quam magnifice divineque sentiat, & loquatur: ut ne dubitemus, quod apud eum loco alia majora duo sint. *Mihi*, inquit, *inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.* Hæc autem tria, ut Hieronymus decernit, miracula, quæque idem egregiæ Christi pulcritudini, ut adversarii contendunt, nec diffitemur, adscribit, cui tandem pulcritudini adscribit? Non humanæ sine dubio, & naturali: neque possunt tanti effectus tantulæ causæ respondere. Restat igitur, ut ea divina sit, ac prorsus cœlestis forma, cujus tam admirabilem videmus efficientiam. Atqui, ô amice, nihil hoc ad rem nostram: agiturque, non quemadmodum majestas divinitatis occultæ, ore se insueto, tanquam pellucida veste, prodiderit aliquando, & ad tempus aliquod, ac præsentiam suam declararit in corpore, suis extraordinariis, & mirabilibus, & prodigiosis factis; sed quo pacto natura illi, quod proprium ac perpetuum in vita esset, donarit, ut humana specie atque elegantia homines alios, sic tanquam gregales, longe post se relinqueret. a quo plurimum abest & mens Hieronymi, & oratio. Certe ignem, & sidera, & lucem, & radios, & fulgorem usurpat: quibus verbis est subjecta notio vel transfigurationis alterius, vel majoris cujusdam claritatis & splendoris; nihil minus exprimitur hac sublimitate dicendi atque pompa. Et vero, si animadvertimus, parum hoc proprium fuit pulcritudinis, aut ad opum fugam traducere publicanos, aut expellere antiquis sedibus mercatores ac tabernis, aut humi denique armatam cohortem sternere. Ista quidem vis est, & potestas, & imperium: habuerintque potius hos eventus, si humanis viribus tribuas, ardentes oculi, elata supercilia, severa frons, totius vultus quædam quasi torvitas, cum objurgationibus & terrore verborum, quam ullæ oris illecebræ, & quæcunque potest esse virtus, ac facultas suavissimi coloris, ad persuadendum. Neque in Christo inficiari debemus, quin plurimum valuerit parta multis factis illustribus & gloriosis auctoritas, confirmata opinione, quam ejus de doctrina, & moribus bona plebs haberet. Accedebat motus, & incessus, & corporis moderatio digna Deo, non eadem quidem semper, nec constans perpetuo sibi; quo enim pacto capi potuisset, aut morte affici? sed quæ gravitatem teneret identidem atque ex intervallo, & majestatem, cum vellet, ac numen expromeret. Atque hæc, ni fallor, κατάπληξις est, quam quia Christo Celsus existimaret defuisse, ea re minus Deum homo ineptissimus ducebat. Aderat vero & hæc, & illa, quam idem requirebat in eo, πειθὼ, seu naturalis quædam oris facundia, sic ut in potestate sermonem haberet, obstupescerentque audientes universi partim contortum fulmen acerrimorum fortissimorumque verborum, partim mel eloquentiæ suo proprio genere dulcissimum, & nativos neque ascitos extrinsecus lepores. Quæ præclaræ Christi dotes ac variæ, haud sane intelligo, quomodo & generatim non plus, quam muta quævis suavitas coloris, & iners competentia membrorum, possint, & privatim hic non fuerint, ad percellendos animos, atque in omnem partem versandos, aptiores. Ad Hieronymum redeo, in quo id, quod dico, observavi, nequaquam ab eo nostratem ullam formam intelligi, sed alteram longe natura diversam; quippe cui tantum tribuat in efficiendo.

Observavi & istud deinde, hæc si pulcritudo, quam Christo Hieronymus attribuit, non jam ex effectis istis admirandis spectetur, sed per se, & ex ipsius aliquot, quibus eam extulit, verbis; humanam, atque ejusdem eum nostra generis intelligi posse, & reapse talem reperiri in Christo: sed ne eam quidem esse, de qua res est

* lib. 1. glaph. in exod.

nobis cum adversariis. Quæ isthæc pulcritudo, & quæ verba Hieronymi? *Pulcritudo*, inquit, *virtutum in sacro & venerando corpore.* Quænam porro & pulcræ, & corporis, virtutes istæ, nisi hilaritas oris, serenitas frontis & tranquillitas, rubor genarum ad pudorem & verecundiam subitus ac brevis, modestia vultus, ardor & flagrantia oculorum, quarum postremam videri potest Hieronymus, verbis designasse, cum quiddam in Christi vultu oculisque igneum ac sidereum inesse dixit, & quas omnes multarum ac magnarum rerum efficientes, intra vim tamen & captum naturæ, aliquando legimus fuisse?

Est hoc tertium, quod observavi, usque eo ista sua expositione non contentum Hieronymum, ut cum locos Davidis & Esaiæ repugnantes in speciem & contrarios adducere vellet in concordiam, duos alios tresve modos componendæ controversiæ attulerit. Nam & ad Davidis partem hanc; *specie tua & pulcritudine tua*; pulcritudinem Christi collocavit in divinitate; *Gloria ergo & decore suo, sive specie & pulcritudine divinitatis suæ:* & ad Esaiæ istam; *non est species ei, neque decor;* hunc modo ex puris ac plenis virtutibus animi pulcrum æstimavit; *Candidus plenitudine ac puritate virtutum;* modo ex miris eventis, quæ sunt ejus consecuta mortem; *Inclytus erat & decorus aspectu, quando ad passionem ejus terra contremuit, saxa disrupta sunt, & fugiente sole, æternam noctem elementa timuerunt.*

SECUNDUM Hieronymum Augustinus, alterum publicæ rei Christianæ lumen, nobis objicitur, cujus neque notantur loci; ita multos esse ferunt: neque vis ac potestas locorum expenditur; tanti esse momenti & ponderis existimant. Ego vero in tam immensis, quæ per complures vitæ annos indefessus auctor scripsit, operibus, multiplices esse non dubito sententias, quibus forma Christi vel explicetur, vel perstringatur saltem. sed hoc tibi confirmare possum, decem locos a me, ex scriptis ejus variis, super ea re consultos esse, & diligenter evolutos, ac demum sic repertum, cetera omnia pulcritudinis genera, divinitatis, animi, & ex virtute, & supra hominem gestorum; sive propria nominari ista debeant, sive metaphorica, allegorica, mystica, pertractari; hanc, quæ corporis est, quæ vere proprieque pulcritudo dicitur, aut si falso dicitur, nihil enim pugno, quæ pulcritudo vulgo opinione hominum habetur, prorsus omitti, nedum κατ᾽ ἐξοχὴν Christo, ac singulariter præter ceteros assignari. Quamobrem si qua usquam vis est est inductionis ad captandum assensum, hic certe valet: quam sit infirmare adversariorum, non vociferando Augustinum, sed Augustini promendo dictum vel unum, unde argumentationem hanc mancam, & debilem constet esse. Interea vero, dum tot ac tanta locupletissimi doctoris volumina excusserint in eam rem, nos diligentia nostra frui sinant, & ex decem numero locis semel, qua in sententia fuerit, existimare. Quamquam quid locos decem loquor, cum duo tresve nobis pro millibus, aut etiam instar esse omnium possint? Si enim tunc, cum discordes, de quibus supra exposui, locos conciliare niteretur inter se, hoc est, ibi, ubi potissimum dici de vera germanaque Christi pulcritudine oporteret, siluit tamen de corpore, de convenientia membrorum, de coloris suavitate; quid expectamus, dum verbis aperiat, quid sentiat, cujus taciturnitas ipsa clamat? Exposit. in epist. 1. Joan. tract. 9. *Quomodo*, inquit, *invenimus pulcrum Jesum? Speciosus forma præ filiis hominum, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quia vero carnem suscepit, quasi fœditatem tuam suscepit, id est, mortalitatem tuam: ut aptaret se tibi, & congrueret tibi, & excitaret te ad amandam intus pulcritudinem. Unde ergo invenimus, quia fœdus & deformis Jesus, sicut invenimus quia pulcher & speciosus forma præ filiis hominum? Esaiam interroga. Et vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. Illæ sunt duæ tibiæ quasi diverse sonantes: sed unus spiritus ambas inflat.* Homil. 36. de eo, quod in Esaia scriptum. *Passus est, humiliatus est, consputus est, non habebat speciem: homo apparebat cum Deus esset. Crevit ecclesia, crediderunt gentes, victi sunt terræ principes sub nomine Christi. Persequebantur ante Christianos pro idolis, persequuntur idola propter Christum. Unde hæc tanta pulcritudo?* Serm. 20. de verb. Apost. *Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis: sed deformitas illius pulcritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est, deformem Christum? Absit mihi gloriari, nisi in cruce domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc est deformitas Christi: hujus deformitatis signum in fronte portamus: de ista deformitate Christi non erubescamus.*

TERTIOS Joannes Chrysostomus educitur adversum nos, ex vetere Aniani interpretatione, peregrino habitu & Latino, ad hunc modum: * *Ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse.* Ex quo adversarii effici volunt, ita sensisse Chrysostomum, neque novam opinionem istam, & hujus primum fuisse, sed una cum sæculis inveteravisse, traditam deinceps a majoribus. prope ut exclament illud Pauli: *Tenete traditiones, quas didicistis*, nosque appellent velut ex syngrapha. Equidem Chrysostomo disceptatore ac judice, in jus ire non recuso; verumtamen per se loquente, non per interpretem. Sic autem Græce non variatis editionibus: οὐδὲ γὰρ θαυματουργῶν ἦν θαυμαστὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἔγεμε χάριτος. *Neque enim solum erat in edendis prodigiis admirabilis, sed & omnino multa gratia abundabat ad aspectum.* Dic verum: ubi mentio hic ulla *traditionis*? ubi tua ista Aniani vox, *traditur*? aut si habet excusationem interpretis libertas, qui aliquid addat de suo, præsertim quod sublevari possit ex consequentibus; quam habet confidentia disputatoris, qui voculam aucupetur ad argutandum, itaque securi sit animi de mente ac sensu auctoris, ut Latine reddita nobis obtrudat, Græcis invisis atque inconsultis? Nam quod pertinet ad rem, nefas est ambigi, quin Christum plures etiam tribus Gratiæ ornarint, jucundioremque visu effecerint; multam illi gratiam conciliarit decentia, quam retinuit in omnibus; multam comitas affabilitasque ser-

* Homil. 28. in cap. 8. Matt.

fermonis ; multam dexteritas in agendo ; multam nec quæsita, nec accersita eoocinnitas, quæ sua sponte ex ejus minimis cum dictis, tum factis extitit; multam similes habilitates, honestatesque corporis. Quibus si excellens quævis pulcritudo careat, insulsa sit. quæ si excellenti pulcritudine ipsæ careant, saporem quemdam suum tueantur tamen, & conservent. Sed, ut egerit Chrysostomus hoc loco proprie de pulcritudine Christi aliqua, sicuti revera videtur egisse, qui Davidem & Esaiam non dissentanea locutos fuisse doceat : non modo licet, sed necesse quoque est, eam pulcritudinem interpretemur, quæ nec diuturnitatem habeat, & supra naturam fuerit, quaque velut per transennam, ad subitas, & majores quasdam animorum conversiones, commutationesque, aliquando usus sit. Cum enim æstimari formam Christi velit ex Mosis forma, cum recens a congressu & colloquio Dei rediret, itemque ex Stephani vultu ad Angeli similitudinem accedentis, quo tempore cœlum ei discessisse visum est, atque in eo animadversus divini numinis splendor ac majestas : dispar, opinor, Christi naturalis & quotidiana facies esse debuit, quæ nullius oculos præstrinxit, cujus fulgorem nemo, quod sustinere non posset adversum, accusavit. Atque hæc dicuntur a Chrysostomo in Matthæum loco non suo, quasique ex incidenti, & occasione oblata. Hic, ubi certo consilio & dedita opera, psalmum hunc panegyricum continenter exponit, quid ait? Ante omnia vult esse non Dei solius, sed naturæ humanæ a Deo susceptæ hanc pulcritudinem. negat tamen habere ullam comparationem, & genere toto a nostra, non gradibus quibusdam distingui. Post autem, silentio prætervectus corpus, & omnia, quæcunque sunt corporis, sitam describit in gratia, sapientia, doctrina, miraculis : οὕτω δέ φησιν, ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων· τὴν χάριν δηλῶν, τὴν σοφίαν, τὴν διδασκαλίαν, τὰ θαύματα. Quod ita perseverat defendere, ut ne ab eo quidem postea discedat, dum interpretatur quod sequitur, *specie tua & pulcritudine tua*, malitque in gladio & armis, pulcritudinem Christi, quam in vultu aut alia ulla corporis parte constituere : cum quidem dicat ; εἰπὼν γὰρ περίζωσαι τὴν μάχαιράν σου, ἐπήγαγε, τῇ ὡραιότητί σου, καὶ τῷ κάλλει σου· τοῦτό ἐστιν, ἡ μάχαιρα ἡ ὡραιότης αὐτοῦ, καὶ τὸ κάλλος αὐτοῦ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ ἀξίωμα, καὶ ἡ μεγαλοσύνη, καὶ ἡ μεγαλοπρέπεια.

NEQUE est mihi in hac causa cum Bernardo magna luctatio, quem mecum committunt adversarii ex uno non amplius loco : * *Prædicantem dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora : & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati : cujus nimirum vox suavis, & facies decora.* Ad quæ non dico beneficentia nihil oeque facundius, neque formosius. id satis causæ fuisse, quamobrem ex ejus ore penderent innumerabiles populi, oculos ab eo nusquam dejicerent. Hoc dico, unum illum locum ne Bernardi quidem esse, sed Chrysostomi, ex eo descriptum totum, & in eandem de multitudine Christum avidius secuta sententiam. Chrysostomus enim, præter ea, quæ retulimus supra, ἦσαν, inquit, αὐτῷ προσηλωμένοι φιλοῦντες αὐτὸν καὶ θαυμάζοντες, καὶ ὁρᾷν εἰς αὐτὸν ἀεὶ βουλόμενοι. *Erant in ipso defixi, eumque charum habebant, & mirabantur, atque intueri cupiebant assidue.* Quare quod ibidem huic respondimus, responsum Bernardo proportione puta. Quamquam & hoc apponere præterea pro argumento licet ; quod vir humanitati Christi deditissimus, de hac ejus exuperantia pulcritudinis nusquam alibi mentionem fecerit, hic locum istum perstringere verbo satis habuerit. Tu istuc, pater sanctissime, nisi aliud sentires, sic egisses ? semel tantummodo materiam tam copiosam atque uberem, tam suavitati morum tuorum consentaneam, tam cum humana Christi natura conjunctam tractasses? ita breviter strictimque attigisses, ut tibi iste sermo potius excidisse, quam tu in eum incidisse, multo etiam minus meditatum & cogitatum attulisse viderere ? nihil de eo multis in natalem domini, multis in canticum canticorum sermonibus, nisi tropicum & figuratum inseruisses ? Ubi divini sponsi descriptio ? ubi sacrarum nuptiarum ? ubi solenne carmen, &, carminis tacitum non relinquendum argumentum, pulcritudo, si egregia, & eminentia quadam præstabilis, & quavis major humana ? Tantæ profecto, toties occasiones, tam præclaræ fuerunt loquendi, ut qui tacuerit, inficiatus esse non possit non videri.

Nec solum Christo Bernardus hanc præcellentem & insolitam hominibus formam denegavit tacendo : sed ne sponsam quidem Christi isto, quod mulierem decuerit magis, munere donavit. Te rogo, ne gravere, lector, evolvere sermones, ut inscribit, ejus duos, ubi præclare disputat, quemadmodum sponsa Christi eadem nigra, & eadem formosa sit, quoque modo hoc elogium, secum ipsum pugnans in speciem, Christo conveniat. spondebo tibi, vel potius spondeo, in meque recipio, te literam reperturum nullam de pulcritudine, quæ κατὰ λέξιν pulcritudo sit, propriaque corporis : sed contra omnia per plures & continuas translationes, ad animum, ad mores, ad sermonem, ad actiones vitæ accommodata. quale est vel istud : *Quam formosum & in mea forma te agnosco, domine Jesu, non ob divina tantum, quibus effulges miracula, sed & propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Beatus qui te in his hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Hoc jam beatitudinis munus formosa tua primitias suæ dotis accepit, nec quod formosum est tui, imitari pigra, nec quod nigrum, sustinere confusa.*

SED quid pauca nobis patrum verba, brevesque sententiolas facimus opponi, quas nullo negotio diluamus : Nicephorum inter historicos, rem persecutum oratione, & pulcherrimam servatoris effigiem pluribus complexum, præterimus ? Bonum factum, lector. Cum mille & trecentos annos ignotaremus formam omnem, & modum, & facturam quandam Christi totius ; nec quisquam ausus esset, nisi generatim, & dubitanter loqui, & conjecturas dicere : exortus est tanto post Nicephorus ὁ κάλλιστος, qui speciem nobis venustissimam verbis depingeret, neque crepundiis Christum, aut pannis, & præsepi, neque vestigiis solummodo, & imis unguibus, sed omni

* ferm. 1. in fest. om. sanct.

carpore agnoscendum præberet; non statum, nnn colnrem, nnn capillos, non supercilia omitteret. At qua scriptnr auctoritate? Si hominem spectes, nulla: qui cum libros historiarum prnfiteretur se scribere, itaque inscriberet, neque judicavit, neque existimavit. si hominis npus cnnsideres; tanta, quantam ii habent, de quibus id per partes exscripsit. Quocirca quandiu non constabit, quam puris ex fontibus illud de Christi forma elegans & exquisitum hauserit, tandiu sustinebimus assensum. immo vero cum sciamus ex turbidn eum lacu, id est, ex Epiphanio monacho, auctore non satis idnneo, cujus hoc scriptum penes me aliquandiu fuit, ad verbum sumpsisse; non est cunctandum, fidem ei, quam suus obses, aut sponsor non præstat, derogare. Pater certe annalium sacrorum Baronius, qui si vere istæc de Christi forma putasset dici, omni ratione confirmasset, tam parvi Nicephorum hoc loco fecit, ut ejus in eam rem verba ne recitare quidem sustinuerit; sæpeque alias cum erroris, tum mendacii, & calumniæ damnavit. Quo magis pudeat adversarios, & hunc, & scriptores nullius pretii alios proferre, ac venditare pro suis, qui nos ex incertis, hnc ipso, quod aliquid asseverant, faciant incertiores.

Ecce autem gravis tumultus, atque seditio. Cum, prnfligatis hostibus antiquis, perfuncti jam videbamur esse, & victoria & pace, interpellante nullo, frui, novi ac recentes undecunque a schola Theologi conjurant, qui numero & multitudine nostram sententiam oppressum erant. Nos vero magnam turbam ignotorum voluminum nihil contemnimus, facileque patimur congregari, atque aliquem in bibliothecis locum obtinere. est enim ad multas res ea conservatio librorum utilis: etsi evolvendi usum non fuit. Celeberrimi quique istius disciplinæ doctores, quos legerim, ubi, erutis undique, & congestis in unum argumentis, pulcritudinem Christi fundarunt primum, & stabiliverunt, atque exstruxerunt altius, ad extremum non demoliuntur quidem ædificium, sed modum imponunt fastigio, idque non ad venustatem, quod a primn facturi videbantur, sed ad necessitatem & usum dirigunt: eaque lege & conditione totam stare volunt formosi corporis structuram & fabricam suam, dum forma virilis, dum fortis, dum strenua, & gravior, & augustior quodammndo, quam lætior, & fınridinr sit. ut eos discrepantes verbis, re congruentes habeamus: utamurque potius suffragatoribus npinionis nostræ, quam adversariis. Qua de re adscribi voln Thomæ Aquinatis sensum, & huic loco, & toti disputationi nostræ, ut mox in hujus conclusione opusculi magis patebit, mirifice consentaneum. quo theologi molliores ac delicatiores, quibus pulcrum est, non tam solidis & firmis, quam suavibus & splendidis opinionibus adhærescere ac decretis, desistant hic sibi tam valde placere, & in exornando Christo, & alienis cnloribus pingendo, nperam curamque ponere: intelligant autem id se fecisse non modn nnn assentiente isto duce ac principe suo, qui in summa totius theologiæ, quemadmodum ipse appellat, nihil hujus argumenti præcipue tetigit, sed etiam invito & repugnante, cujus sunt hæc in psalmum Davidis nostrum verba, moderationis & prudentiæ plenissima: *Alia est pulcritudo unius, alia alterius: & sic hanc pulcritudinem Christus secundum quod competebat ad statum & reverentiam suæ conditionis, habuit. Non est ergo intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum.* Tum, ne forte vnlaticum putent modo huc, modo illuc, ut plerosque scriptores, eadem sententia in nostrum quoque Esaiæ caput ita pronunciat: *Non est ei species, quantum ad affluentiam interiorum bonorum; neque decor, quantum ad affluentiam exteriorum. Habebat speciem: sed latebat propter infirmitatem assumptam. Habebat decorem: sed latebat propter paupertatem. Et ideo nos vidimus eum, corporaliter: & non erat aspectus, magnificus, secundum quod dicitur, quod species Priami digna est imperio.*

Hæc fere sunt ex sanctis patribus, ex sacris historicis, ex recentioribus thenlogis, quibus totus a ceteris diversus, seque ipsn formosinr Christus videretur induci: quæ facile ostendimus habere vim opinione nmnium minnrem. Relinquebantur cælandi, pingendique, & similium artium periti, quorum in artificin vita quædam mortuorum posita est, quod eos præsentes corporibus, & quasi dimidia parte sui vivos, posteritati sistant. Veruntamen ex antiquis operibus eorum, qui propius ab ætate Christi abfuerunt, ac scitari potuerunt facilius, quisnam sensus Christianis primis esset ac judicium, quid, quæso, sinceri usque ad nostram memoriam, aut quid omnino salvi remansit, unde aliquid consequi amplius, quam ut divinemus, liceat? * Profluvio sanguinis liberata mulier a Christn, statuam ei, pietatis & grati animi monumentum, simul ne pulcherrimi facti memoria moreretur, faciendam curarit, quam monstrarent tempore adhuc Juliani. Habuerit Severus Alexander † in larario effigiem Christi, inter ceteras heroum, quas cultu privato & domestico veneraretur quntidie. Adorandam plebi proposuerit impia femina, cui Marcellina nnmen fuit, profanamque fecerit, cum pari honore dignaretur imagines & Homeri & Pythagoræ. Alia de aliis simulactis conscripserint Eusebius, Evagrius, Joannes Damascenus, sive quæ viderant ipsi, sive quæ legerant, seu quæ auditione modo acceperant. Quid tum deinde; cum nihil horum in manus nostras tam lnngn intervallo venerit, hique ipsi, qui de istis Christi signis atque imaginibus primi prodiderunt, quales essent, formosæne an deformes, plane tacuerint? Nam quod Romæ visitur Mariæ matris effigies una cum puero Jesu, expressa coloribus & penicilln, ut ferunt, a sancto Luca; mihi suspectum est silentium ea de re Baronii in annalibus. quæ quamvis dubitationem non habeat; est, ut scimus, puerorum omnium quædam ὡραιότης, etiam ἄνθος κάλλους, quemadmodum Aristoteles loquitur, quæ progrediente ætate deflorescere ac dilabi solet. Minime ut appareat, quid pueris, ubi viri evaserint, aliquandn futurum sit, quos plerumque dissimiliores sui, quam aliorum videamus fieri.

Recentes vero tabulæ, in quibus Christus hodie a nostris opificibus, non ad similitudinem personæ depingitur, sed ad specimen artis, cujus illæ cunque pretii habeantur, sunt, ad cognoscendum

* Theoph. in Luc. † Lampr.

dum quidem verum, unius assis: nec novi pictores apud me magis fidem invénerint, eum si exprimant insolenti pulcritudine nobilem, ut faciunt, quam, si communi quadam deformitate turpem expressissent, amiserint. Non enim tantum vivis imponitur, assentandi studio, qui ut difficillime de se sentiunt, ita facillime sibi aliquid patiuntur dari: sed etiam savetur mortuis, pietatis specie; & quo quisque sanctius ac religiosius quempiam cœlestium colit, eo videri studet pulcriorem, ob idque propemodum veneratione digniorem. Novimus, quo ore fuerit Carolus Borromæus, Cardinalis in paucis sanctus, dum vitam mortalem vixit, quoque modo, formæ damnum, virtutibus & animi præstantia rependerit. nunc enitescit per pictores multo ad aspiciendum jucundior: & paucis, opinor, annis ex eo, qui erat, totus emerserit. Vidi qui viderint eadem tempestate, cui nos anniversariis sactis cultum nunc privatum & peculiarem tribuimus inter beatos, adolescentem hominem, ab omni potius generis, ingenii, probitatis, & morum laude, quam ab hac corporis, felicem. Iidem non ita longo intervallo mortuum requirebant in picturis, nec fere quidquam agnoscebant illius, quem prius norant, & quicum familiariter per annos aliquot vixerant.

NON prætermittam, ne id quidem, vires habere nullas, quod a nonnullis objicitur, & in quo aliquid opis ac præsidii constituitur, quoties Christus videndum se præbuerit; præbuit autem quondam, hodieque præbet interdum; toties pulcherrima visum specie fuisse. Nam vel suum revera corpus in conspectum dedit mortalibus; & plurimum de gloria ac splendore, quem possidet beatus atque immortalis, remiserit oportet, quo fieret spectabilis, seseque ad nostram intuentium imbecillitatem, obtusioresque sensus accommodaret: vel alienam & externam speciem sui objecit oculis; nec mirum, si vestigium quoddam partim status retinet illius, quo nunc in cœlo est, partim illius assumit, quo in terris fuit; ut qui sit, quique fuerit, idem esse, non fallacibus neque obscuris notis agnoscatur.

CONCLUSIO.

EX his apparet, quæ collegimus superiore sermone toto, ac distribute per capita quatuor, singulatimque tractavimus, neutrum Christum, neque ullo modo deformem, neque longe formosum præter ceteros suisse, nec habuisse quidquam in alterutram partem insigne, quo spectantium oculos vel deterreret, vel adverteret: sed hic auream quandam, alterius prorsus expertem, alterius non nimis participem, mediocritatem secutum; judicio ac facto suo dedisse documentum mortalibus, formam corporis excellentem, si adsit, non plurimi æstimandam; si desit, non admodum flagitandam. Eo porro minus novum accidere debet, si in viro tertium quiddam, vel mixtum utroque, vel vicinum amborum agnoscimus, quod in mulieribus, quarum altera quædam, ut sic dicam, dos, eaque prope necessaria, habeatur pulcritudo, inter pulcherrimam feminam & deformissimam, mediam quandam formam esse, modicam & modestam, profani homines statuant, * quæ & muliebre corpus ac faciem ab omni deformitatis contemptu vindicet, & pudicitiam a nimiæ pulcritudinis periculo defendat. Atque hæc hactenus quæri de forma Jesu Christi, Dei & hominis, debuerunt. nam ad humiliora atque abjectiora descendere, & minima quæque, & occultissima scrutari, quemadmodum nonnulli otiose curiosi proximis annis fecerunt, exempli causa, utrum Christus caluerit, alserit, exspuerit, necesse habuerit reliquis naturæ legibus, & humanæ conditionis infimis muneribus parere, non solum minutum ac supervacaneum puto, verum etiam illiberale per se atque indecorum, neque Deo dignum, neque lectoribus consentaneum. Ac ne istud quidem, quod cursim & modice feci, de forma attingendum existimassem, nisi deprehendissem alios in inculcanda & exaggeranda Christi pulcritudine, contra quam, opinor, ipse velit, curetve, nimium delicias agere: alios in astruenda deformitate, & ab usque ultima antiquitate, si fieri possit, repetenda, præbere etiam se odiosiores.

* Gell. lib. 5. c. 14.

FINIS.

SUMMA LIBRI.

PROOEMIUM.

COR-

CORNELIUS JANSENIUS IPRENSIS, SUSPECTUS.

PRÆFATIO AD AMICUM.



NNUS est, amice, & aliquanto plus eo, cum nos primo Divione, mox deinde Belnis, parvo, sed non ignobili oppido, convenimus inter nos, & collocuti sumus. quo utroque loco ego te de antiquis & privatis Burgundiæ rebus, tu me de novis & publicis Galliæ, quod Lutetia Parisiorum recens adveneram, percunctatus es: in primisque audire de Antonio Arnaldo, & Cornelio Iprensi voluisti; quæ duo nomina maximos ubique clamores, ac tumultus Parisinis illis aliis graviores, in præsentia facerent.

Ad prius respondi rem facile conventuram, aut aliquid sane convenire posse, si quæ Arnaldus ad utriusque Sacramenti vim & functionem necessario requirere videretur, ea usurpari quidem interdum utiliter, aut usurpata alias aliquando fuisse diceret; non tamen necessaria esse perseveraret. habere autem illum fratres, in suo quemque ordine, non incelebres duos, quorum ab uno, cum sit natu maximus, admoneri possit officii, ab altero etiam multo magis, cum episcopus sit: inviteturque præterea patris exemplo ad mutandum animum, qui, cum initio fuit iniquior melioribus, deinde rogatus, ut contra eorum commodum aliquod veniret, ac molestiam eis, quam posset in arte sua, patronus & actor causarum, exhiberet, respondit id, quod Diomedes Virgilianus,

Ne vero, ne me in tales includite pugnas.

Reddidi ad posterius, de quo quærebas, nihil aliud facturum modum summæ dissensioni ac dissidio, nisi Cornelii Iprensis evidentem atque certam, ab eo, cujus istæ partes præcipuæ forent, hoc est, a summo pontifice, condemnationem: aut, siquidem jam satis summus pontifex non unus ea omni disciplina omnibus interdixisset, unam pacificationis spem ac viam relinqui, aliterque negotium componi non posse, quam si princeps ac magistratus decernerent, sibi placere judicatis stari. Quod interea dum fieret, adjeci, si commeministi, Iprensem cum suis usque eo mihi nominibus multis suspectum videri, ut, quamvis nihil hujus nossem, de quo ageretur, pla-

planeque ignorarem causam illam causam non habere; tamen, cum animadverterem fide & arte tam malis rem geri, temeritatis esse putarem, non dico mentem attentam & docilem, sed vacuas utcunque aures novis istis novatoribus præbere. Has ego suspiciones meas cum tibi tunc, ut scis, aperire non potuerim, quia longum mihi iter, ac Lutetiam reditus maturus instaret; consilium nunc cepi, communicare tecum per epistolam tanto auctiores, quanto plura illo ex tempore, quæ Corneliam hanc gentem suspectam redderent, contigerint. Quibus per occupationes universam de divina gratia, deque humana voluntate quæstionem propius contemplari non vacet; aut quibus displicet illud, ut disputatos in utramque partem auctorum locos, & rationes conclusas argumentis more scholarum, recognoscant ipsi ac disceptent per se, atque intimos sensus vel Augustini, vel Concilii Tridentini expendant atque æstiment judicio suo; aut qui capere, quæ maxima pars est, nullo modo queunt argumentum & multiplex, & ex totius theologiæ difficillimis unum: erit iis affatim, unde nulla mercede dediscant nimium confidere suspectis hominibus; credulitatemque suam corrigant pœnitendo, si nascenti sectæ fidem jam aliquam adjunxerint, & auctoritatem. Sin autem sustinuerint se ab omni assensu, neque manus dederint insidiosis novitatibus opinionum, neque professi fuerint nomen inter vitilitigatores importunos: nacti erunt hic etiam, quo fulciant prudentiam magis, simul & gratulentur constantiæ suæ. Ac gratiam habebunt utrique tibi, certe debebunt, quod tua causa elaboraverim, ne vel adducerentur in fraudem, vel versarentur diutius in errore. Etenim si, quod plena sint omnia fallaciarum, nervos atque artus ferunt esse sapientiæ, non temere credere; eodem pertinere arbitror, cito conjicere de falsis rebus, sagaciter malas odorari: cum quidem suspicio, optima consiliorum administratrix haberi merito possit, & humanæ cautionis ac providentiæ parens. Si vero quo quisque est solertior, eo paucioribus indiget atque contentus est ad judicandum; propterea quod optima quæque ingenia a temeritate judicandi parvæ aut mediocres veri notæ vindicent: quanto minora ad suspicandum, quæ est opinio duntaxat imbecilla mali, nobis opus erunt? Audi ergo, & hinc mecum suspicari, nunquidnam Cornelius Iprensis apportet ex hostico boni, incipe.

LI-

Librum Jansenius Martem Gallicum scripsit.

I.



ON queo assequi ulla conjectura, quid tam male ac tantum de Cornelio Iprensi, homine Batavo, Gallia meruerit, quod is hujus potentissimos reges cum sanctissimo procerum consilio, contumeliis omnibus insequatur & conscindat. Atqui & valetudinem ei, quam recipere non posset in patria, concreto & pingui cœlo, Gallia restituit puro & salubri: & victum, cum egeret, præbuit tum domestico præceptori Lutetiæ, tum ludi publici magistro Baionæ: & notitia virorum illustrium atque doctorum, animum fecit ad majora, aditumque & viam munivit. Quinetiam; id quod Iprensis in summi beneficii loco sine dubio numeraverit, tametsi hoc ego illi non assentior; & adeptus ibi est magnam copiam librorum Calvinianorum, quorum e fontibus jam tum haurire cœpit interpretationem Augustini, & in homines aliquot, ab eadem Calvini disciplina non alienos, incidit, quibuscum liberiores de gratia sermones familiariter atque impune contulit, & commenta & seria sua communicavit. Hæc homo ingratissimus beneficia oblitus, quid non in Galliam, quæ a regibus sejungi non potest suis, debacchatus est atque evomuit, qui Francicum, quam amplum est, imperium, & ipsa tredecim, per quæ floruit, sæcula, apertum sibi esse voluit ad omnem maledicentiam campum? Quam in rem scriptorem non magni nominis, atque impar scriptum materiæ, in qua versatur, cujusmodi multa, ut in Belgio, ita in Gallia, uno eodemque die & nascuntur & occidunt, quæ nemo prudens lectione digna existimet, arripit ad reprehendendum: quo per imbellis adversarii personam, integras nationes exagitet ad libidinem suam, faciliusque ipsos virorum principum apices proterat & conculcet; nec videatur provocare tamen, sed respondere lacessitus, & par solummodo pari referre. Hic autem, nulla veritatis cura, quam prima fronte libri se profitetur & quærere & asserere, nulla regii nominis reverentia, quod justam venerationem, apud immanissimos quosque hostes, etiamsi est bellum, habet, nullo pudore legum, nullo pœnarum metu, in universos Galliæ reges ruit amens ac præceps, atque ea scribit, quæ si in privatum & quemvis unum de populo scripsisset, contra legem de famosis libellis commisisset. Ac primæ Francorum stirpi & dynastiæ illum detrahere video omnia, præter barbariem quandam morum & ferociam, & propinquorum cædem & occisionem. quamvis, ab iis si quid peccatum sit in eam partem, excusare possimus, quod recentes ac novi duntaxat Christiani essent. quod autem primi omnium Christiani fuerint, ea demum laus maximas aliorum regum laudes obscuret. Alteri regiæ stirpi nihil concedit vir bonus ac simplex, nisi astutiam, quam tum potissimum adhibuerint, cum optime de summo pontificatu, deque tota ecclesia meriti sunt: utpote qui sequerentur commoda sua, nihil curarent Christi. Tertiam stirpem ream facit eorum, quæ toto terrarum orbe, annos multos, ab expertibus Christianæ religionis nationibus, ac tyrannis, pariter & catholicæ desertoribus, perfidiose & crudeliter in homines, impie gesta sunt in Deum. Quid ego, ut solum quoddam atque fundamentum constituti regni, salicam legem everterit, prædicem? Quid, ut æterna regum insignia duo extenuarit, & verbis minima fecerit: delapsum e cœlo, quo perungi mos est, oleum; mirificam vim sanandi morbos insanabiles? Jam illustre & gloriosum, quo singuli Galliæ reges unice gaudent, quodque alii ex aliis habent velut hereditarium, cognomen Christianissimi, quam inane? quam nullis cujusquam omnium promeritis attributum? quam nihil significans aliud, nisi qui principes esse nostri debuerint, non autem qui sint ullo modo, aut unquam fuerint. I nunc, Gallia. jacta regum tuorum egregiam pietatem in Deum, plurima maximaque in rem Christianam officia, singularem beneficentiam in summos pontifices, incredibilem humanitatem in omnes, reliqua tum belli, tum pacis, divina & immortalia ornamenta. Alexander Patricius Armacanus, sive qui idem est, Cornelius Jansenius Iprensis, tot ac tantis vir nominibus, tibi fastus istos tuos contudit, magnifica verba excussit, ignobilitatis te veræ, ac tuæ recordari potius, quam fictum, & alienum, & multorum commune venditare decus, & ostentare trophæa jussit. Equidem nihil te celabo, amice, nec diffitebor animi mei sensum. sive ea mollities est non facile quidquam, quod iniquum putet, in quemcunque tandem fiat, perferentis; sive ista est moderatio privatas injurias obliviscentis, publicas non sinentis impunitas atque inultas; seu denique hoc propensus noster in patriam amor, & insita Gallis observantia adversus reges facit: nunquam tam placatus, tamque tranquillus ad Cornelium Iprensem evolvendum, tamque obfirmato in patientia animo accedo, quin ab ejus lectione stomachabundus & indignans discedam. Homini ex vicinia, versato diu inter nos, magnis & frequentibus complurium Gallorum officiis uso, licere, non de uno aliquo aut cive, aut magistratu, aut principe, sed de amplius sexaginta regibus, fide præsertim & clementia inclytis, perinde quasi de truculenta & infideli Ottomannorum gente loqui? in regalem ternam stirpem, cunctis regalibus vetustate priorem, fundatiorem opibus, veræ religionis existimatione, ab hinc annis mille & trecentis, florentiorem, quæ orbem est Christianum complexa gestis rebus &

bene-

beneficiis suis, quicquid effrænata rabies in mordendo, quicquid ars veteratoria in affingendo, in detrahendo, in dissimulando, in detorquendo, adinvenire & moliri potuit, expromere id totum, & congerere? cum furiosus interea scriptor non animadvertat, quos infamare reges studet, eos si generosæ ubicunque gentium & nobiles familiæ, connubiis atque affinitatibus quoquo modo attingant, id vero sibi honori, ut par est, in primis ducere: cumque nec cogitet quidem, quos tuetur Hispaniæ principes, hos de multiplici cognatione nostrorum merito gloriari, neque inficias ire, quin partem longe optimam dignitatis & potentiæ, ex illustri Burgundionum genere, qui Francicæ stirpis surculus fuit, mutuati sint. Itaque sæpenumero, & magno sum opere miratus, quod inter nos, nos, inquam, Gallos, quisquam reperietur vel tam securus rerum Gallicarum, qui istiusmodi, illata nationi ac regibus, crimina & probra nesciret; vel tam remissus ac dissolutus, & suæ & suorum famæ negligens, & stupidus, qui, cum libro Janseniano patriam, antiquissimam & sanctissimam parentem suam, omni turpitudine esse fœdatam meminisset, Jansenianum librum non horreret, aut hoc omnino nomen auribus admitteret. Nam, ut hominis peculiarem doctrinam quivis vel unus, & quidem de omnibus nobis, avide exciperet, atque amplecteretur, in cœlum tolleret laudibus, non modo nunquam fore putavi, sed ne nunc quidem, cum factum est, cur ita factum sit, quove nostro misero funestoque fato, satis interpretari ac divinare queo. Nisi forte, quia *oportet hæreses esse*, idcirco esse oportet in Gallia; neque hæresi contenti una esse possumus; aut quam Hieronymus tribuit laudem majoribus nostris, nobismetipsis invidemus, ut, cum nulla gens olim foret, quæ monstrum non aluisset finibus suis, præter nos, nunc monstrum nullum uspiam sit, quod non aliqui, nisi nobis obsistatur, cum aliis gentibus singulis alere velimus; aut denique levitatem, inconstantiam, curiositatem, vanitatem, licentiam quidvis & loquendi, & agendi quorumdam de nostro numero hominum nimis otiosorum ulciscitur, dum connivet, Deus, nihilque, quominus aliquid etiam contra se tentetur, obstat. Quid enim hoc fascini & incantationis putem, ut, professus aperte adversarium se mihi, eadem manu cum potum præbeat, qua modo pestiferum in me telum contorsit, neque sumere dubitem, neque obbibere totum cuncter, neque mihi veniat in mentem si non de veneno, certe satisne mundum vas, satisne sincerus ac purus, aut ad valetudinem apte sit, congruenterque temperatus liquor? * An vero nonnullis nationibus fuit in consilio de rep. capiendo tanta religio, tanta dignitas, ut, si vir non magni pretii, neque satis gravis & locuples auctor, protulisset aliquid in medium, ac suadere vellet, omnium aures respuerent atque aspernarentur, etsi fidele & prudens, & animo libenti prolixoque profectum consilium, ac præterea ex usu esse publico tota res videretur; nisi quis hoc ipsum alius majori auctoritate, qui pondus haberet, de integro suggereret: nos hominem alienigenam, Gallicæ virtutis hostem, laudis invidum, benigne, & fortiter, & pie factorum obtrectatorem, fortunæ commodisque rebus nostris iratum, de communi uniuscuiusque nostrum salute consulemus, & consuli nobis ab eodem posse existimabimus? Mendacibus & perjuris, in quotidiana conventione hominum, & contractis inter privatos rationibus, si deprehensi aliquando sint, nihil posterius creditur: & recte; quod minime digni sint, quibus fides habeatur ultro, qui fidem obligatam ipsi non præstiterint: nos falsario manifesto, & impostori publico, circumvenire genus humanum tentanti infamibus scriptis, cum summa gentis & regum nostrorum ignominia atque dedecore, ut debemus existimare, si Galli sumus, credulos tamen libenter præbebimus; neque quidquam ab eo insidiarum metuendum patrio candori, & ingenitæ simplicitati ducemus; neque verba nobis dari, ulla ex parte sentiemus, opinabimur, cogitabimus? Sed obliviscor injurias: redeo in gratiam cum Cornelio Iprensi: facio illum, quæ in Gallos falso conjecit, vere de popularibus suis, sive Batavis locutum, sive Belgis aliis. Ex uno tantum dicto ingenium & mores hominis, quidve ei, & quatenus credi deceat, consideremus. ac ne illud quidem contra Christianissimos potius, quam contra catholicos reges, dictum esse, quod dixit, fingamus. Sex ait numero superiores reges, qui nobis fuerunt, hoc est, Valesiam totam stirpem, cum principe atque auctore Borboniæ Henrico IV. pessime, ac teterrime, idque maximo merito suo, propter infanda maleficia periisse. proximum vero Ludovicum XIII. quod eadem, quæ majores sui, peccaret, sæpius in extremum salutis periculum discrimenque adductum. Id si Cornelius Iprensis solum dixisset in vita, sive pactione & pretio emptus ad maledicendum, seu inflammatus odio ad ulciscendum dolorem aliquem suum; ac tot regum existimationem, partim commemorabili pietate & virtute, partim belli & pacis artibus præditorum, ita insigniter, ac prope inexpiabili scelere violasset semel: an non puditum esset ex ore tam maledico quidquam arbitrari exisse, quod in publicam rem vel Gallicam, vel Christianam cederet? nec indignum videretur, interprete religionum, & quasi præcentore in sacris eo uti, qui sic linguam, sacrilegis obtrectationibus prostitutam & addictam, polluisset? Tu vero, Corneli sacerrime, capitibus regum sic illuderes, etiam mortuorum, nisi fureres? Est iste quidem trium eodem nomine gravis & acerbus casus, (his enim fuerunt alii multum dispares) sed cujus exitum facilius miserari, quam intelligere causam possumus, aut scrutari debemus. Infelix porro conditio principum, luctuosæ vices, in quibus cum multa pateant, dum vivunt, quæ fortuna feriat, propterea quod excelso & illustri loco res eorum sitæ sint omnes, tum ne mortes quidem effugere possunt odium & invidiam, neque a linguis & sermonibus vindicari reprehensorum, pro suo cujusque affectu & studio judicantium. His ipsis Galliæ regibus, clamitare audio Calvinianos, male fuisse, quod secum severius egerint. Contra non desunt ex catholicis, qui velint eosdem maximis & periculis, & laboribus, & molestiis perfunctos, quod indulgerent Calvinianis, quibusdam in sceleribus eorum etiam conniverent. Ecce tibi, qui causam con-

fe-

* Gellius 18. 3.

ferant omnium malorum in fœdera, quæ cum populis externis ac regibus, & fecerunt primo, & deinde coluerunt; in opem vel quam petierunt oppressi, vel quam tulerunt oppressis. Quanto hoc sapientius, nihil se divinæ providentiæ, cujus nutu omnia administrantur, interponere, neque aperire conari curiose, quæ clausa vult esse mortalibus, neque consilia ex evenris, vitam, mores, & gesta ex oppetita morte interpretari: adversos casus suos ferre cum patientia, alienos meminisse cum timore, animo reputantem idem sibi evenire aliquando, quod quisque humanitus subiit atque excepit, posse? At suum Jansenio non reddam, neque faciam, quod mihi exemplo præscripsit, aut eodem jure, quod in alios statuit, ipsum eogam uti. Non eum dico, mitram & infulas, fructus nefariæ obtrectationis tulisse, quæ Dei gratia fuit, brevissimos, qui anno uno, aut altero post excesserit vita. non afflatum pestilentia, animam egisse, inter fœdos tumores & anhelitus, qui pestilentem doctrinam chartis, ad posteritatis contagionem, illeverit. Et pari affectos infortunio scio viros sanequam optimos, tamque subitos ac tristes exitus habuisse vitæ, &, ut majores humanis Deus ab eo pœnas utriusque delicti exigat, nisi forte, quod malim, recte illum, & in loco pœnituit, non invitus, ut debeo, permitto. Quid id ad rem totum, inquies. aut quanti communis omnium nationum disciplinæ & religionis interest, in Gallos si Jansenius scripserit? Plurimum. nam si scriptorem jurgiosum, si contumacem, si virulentum, si rabidum, si rectissima quæque deflectentem aliorsum, optima accipientem in deterrimam partem, si id agentem modo, quod sophistæ olim, ut inferior causa, dicendo fiat superior, mediocri libro millies deprehendi: ne si quidem Hispanus sim, ac mihi meum jus asserere Cornelius Iprensis videatur contra mortales cunctos, non semper, & ubique suspectum habeam.

Librum Jansenius Augustinum inscripsit.

I.

QUID ego dicam, Augustini mihi nomen, quod Jansenius libro præscripsit suo de gratia, quodque in ore semper Janseniani habent, quo speciosius per se primo aspectu videri potest, eo esse suspectius? An, præstigiatores & veneficos qui sciam sacris & verbis & rebus abuti ad exercendas artes nocendi solere, movear statim, lecto vel audito nomine venerando Augustini; ac si quis eo suum aliquod opus appellet, rem appellationi subesse, & veram germanamque sanctissimi doctoris mentem sententiamque exprimi, sine ulla dubitatione mihi persuadeam? Scriptum memini, Julianum Imperatorem, cognomento apostatam, quia in fide non mansit, quam Christo dedisset, etiam tunc, cum magicis quibusdam vacaret, ac maxime nomen & proprium hoc vocabulum impleret, signo se crucis, contra horribiles & infestos dæmonis terrores, semel atque iterum munivisse; sive derepente & more Christianorum ac suo, eum non putaret; sive cogitate atque ex animo, eum nullum præsentius numen, quo confugeret, haberet. Idem ego de majoribus natu audivi, Calvinianos, die illo Bartholomæo, qui dies fatalis execratæ sectæ, ac pæne vltimus fuit, præ se tulisse candidam, affixam pileo crucem, quod erat insigne eum, qui id faceret, cum impia Calvini disciplina nihil habuisse rationis; nullaque re magis plerosque a se mortem, quam ista simulatione veræ & probatæ religionis, depulisse. Igitur quemadmodum si quis tantum primoribus digitis frontem consignet, ibique crucis formam leviter & aliud agens effingat, nihilo se magis revera Christianum præbuerit; neque si quis prætendat crucem pileo, idcirco ab hæresi animo fuerit alieniore: ita nemo, librum Augustinum inscribat licet, ulla unquam inscriptione mihi probabit, nisi quid huc aliud afferat, sese Augustini vel intelligentiorem esse, vel amantiorem. Contra vero non ibi latere aliquid persentiscam? non metuam, ne fucus fiat, & imponatur nobis? non dolum malum subodorabor, ubi tam ambitiose, ab novo scriptore, in primo aditu & quasi vestibulo libri, Augustinus præfigitur; tam dedita opera in paginis omnibus inculcatur? Quid necesse fuit interpreti, auctoris nomen, quem declarandum suscepit, attribuere expositioni suæ: aut quis hoc unquam in omni memoria fecit, nisi fallendi causa, ut suam sic cum aliena personam confunderet, cujus in auctoritate delitesceret, & cujus doctrinam stabilem ac veram, suis novis hallucinationibus prætenderet? Equidem inter sacros & profanos explicatores patrum, oratorum, historicorum, philosophorum, poetarum, quæro exemplum, nec adhuc, prætenquam in iis reperio, qui introductis per dialogos personis, suas ipsi deponunt partes, omninoque conticescunt. Nam eum alii alios vel justis ac plenis commentariis illustrarint, vel brevibus observatiunculis, & enodatione glossarum, quod satis esset, exposuerint: quis omnium ore tam duro fuit, suo ut operi quosi secundario, primarii auctoris nomen arrogaret, & eum se faceret, cui præferre lumen conatetur? Atque isti quidem explicatores, quos modo posui, plerique totos sunt auctores interpretati, ut interpretatis velut ex altera parte interpretamenta responderent; ideoque nomen inde mutuandi, si postularet mos & ratio, præcipue jus habuerunt. quota pars est Christianorum dogmatum, omnis ista de gratia, Augustino tractata atque agitata, quæstio, quam dilatavit Jansenius ad arbitrium, & quoquoversus circumegit? aut quam multi nobis Augustini prodibunt in horas, si totidem, quot illius patris sanctissimi tractatus exstant, hujusmodi enarratores accedant, eodemque modo, ut peræque licet, quæ super his fuerint elucubrati, inscribant? Qua porro mente Iprensem dicam sententias Augustini & plurimas, & longas congessisse simul, atque constipasse uno libro, & paginam iis utramque implesse, nisi ut fidem faceret inscriptioni, ostenderetque merum illum Augustinum esse, quem non tam declararet, quam ad verbum ex-

 scriberet?

scriberet? Quid illud, quale existimandum est, & quam sincere, bonaque fide factum, quod ista congerie & acervo auctoritatum non contentus, unas easdemque quam sæpissime obtrudat diversis locis sic tanquam diversas, itaque vim & copiam, quamvis inanem, ostentet, falsoque Augustinum quodammodo multiplicet? Est quippe animadversum a nonnullis satis curiose, quibus tantum ab re sua fuit otii, una Augustini sententia usum aliquando Jansenium fuisse centies, quo fere pacto avarum & furacem ductorem belli imponere videmus lustrantibus exercitum, qui si imparatus sit a militibus, latius dispansis ordinibus explicet aciem & copias ultro citroque conducat easdem, quo opinionem afferat inspectoribus non admodum attentis, justum se numerum habere, quem mos & disciplina, & acceptæ etiam ad eam rem pecuniæ ratio præscribit.

His, atque aliis artibus per solum nomen Augustini ludificari conatus est Jansenius lectores imperitos, & splendore summi viri objecto, simpliciorum oculos perstringere. nondum enim de ipsa re commemoro auctorisque sensu, cui miras tenebras interpres offudit, quemque ita pervertit, ut neque caput, neque pedes peritissimi quique agnoscant. Hoc idem Janseniani, ipsi jam capti, faciunt, ut rudes alios ac similes sui, obtusosque auditores capiant; ac tanta devinctos auctoritate teneant. Itaque cum pauci legant Augustinum, intelligant etiam multo pauciores, nihil nunc quicquam frequentius, quam magnum & sanctum Augustini nomen auditur: neque eo tam scholæ & subsellia doctorum, sicut æquum erat, quam compita, & tabernæ, & laicorum conclavia undique circumsonant. hoc maritæ a viris nomen accipiunt, a matribus puellæ. & pueris, credo, infantibus in ore primum est, dum verba nutrices præeunt, idque se gratificari putant fatuis parentibus. Prostant interdum hoc quoque nomine inscripti a tergo aureis grandioribus literis libri, vel in forulis ac pluteis, vel supra scamna & mensas, quos ancillæ ipsæ facile agnoscant, & ad dominam, si jubeantur, confestim afferant. Quid hoc habeat criminis & suspicionis ad arguendum, quod promiscuum & profanum vulgus, illotis, ut dicitur, manibus sacra communiter tractet, dicam alio loco. Hic prima ista ludicra & jocularis profanatio nominis quo spectet, quid valeat, quam præsentes ad nocendum vires habeat, vel ex eo cognosci atque intelligi potest, quod sola Augustini appellatio, nulla libri lectione, nulla quæstionis intelligentia, verum & antiquum nonnullis id, quod Jansenius marte suo heri hodieque fabricatus est, esse persuasit. Sicut enim vir primarius in regia inventus est nuper, qui, si aliquid excogitasset, quod belle & concinne fictum animi causa videretur ad oblectationem audientium, cum primo narraret, falsum, ut erat, & putaret ipse, & sic aliis traderet; cum iterum referret idem, subdubitare inciperet, itane res esset, ac forsan evenisse duceret; cum demum tertio, existimaret verissimum, & sibi persuaderet, & aliis persuadere conaretur: ita crebra Augustini mentione, & ejusdem iterata repetitione dicti, hoc Iprenses profecerunt, ut cum de centum vix unus, quid in eam sententiam dicat Augustinus, recognorit, nefas omnes putent ambigere, quin somnia, quæ Jansenius vidit ac prodidit memoriæ, quæque ipsi decantata sæpius, & inculcata auribus acceperunt, eadem tanto ante viderit Augustinus, & ex ore suo protulerit. simillime ut qui pro certis habent omnia, quæ vulgantur excusa typis. quasi nemo ista conditione mentiri velit, neque laboribus tantis ac sumptibus edi mendacia sua in lucem, nec vero falsum esse possit, quod tam multæ literæ loquantur. Sed Augustinum Iprenses per me pronuncient, & vociferentur millies: concedo etiam, sibi habeant, si lubet & commodum est, hoc nomen soli; dum nihilo magis rem possideant. Unum modo velim mihi respondeant, cur non, ut sæpe Augustinum ex iis, ita saltem toties summos pontifices, Concilium Tridentinum audiamus: cum in Augustino non plus fere sit auctoritatis, quam quantum ecclesia concesserit; hæc autem vim totam suam a Deo primum acceperit, quam ita communicare non possit cum altero, ut nihil offendat, nusquam incurrat. Et sane, quantum Dei promissis credi fas est, quid autem fas non est? in ecclesiam error non cadit; quem præstare de se nemo privatus, quam voles sanctus ac doctus, potest; pauci omnium, ac vix ulli unquam effugerunt. Nihil, inquiunt, novi neque Jansenius, neque nos facimus, quicunque sumus, qui Augustinum, ubi de gratia divina sermo est, certissimum laudemus auctorem. Omnino: nihil novi facitis, Janseniani. fecerunt hoc ante vos & veteres hæretici, & proximi superiores, Calvini illi ac Bezæ, & fecerunt eadem in causa, iisdemque verbis: cum non loquerentur solum, verum etiam personarent, a se Augustinum stare, suum esse, isto se principe ac duce venisse in eam opinionem, neque quicquam malle, quam ut eodem arbitro & disceptatore tota controversia judicetur. Ac primo statim tempore, sub extremos Henrici II. dies, Clinetus nescio quis ex eorum numero, qui abscissa prius lingua vivi exusti sunt Lutetiæ, propter nocturnos conventus & pervigilationes impias: (neque enim tum statuebantur exempla in novatores mitiora.) Sed is dum raperetur ad supplicium, monereturque, ut ad sanitatem mentis redire vellet, appellavit Augustinum, obtestans nihil sentire se ac profiteri, quod non auctore tanto probaret.

Quanquam Janseniani Calvinianis non jam falso Augustini studio & inani gloriatione æmuli, sed nequitia & improbitate superiores, qui simulatam sancti doctoris unius venerationem cum vera aliorum omnium injuria conjungant. Non enim illi nos ex ingenti quodam immensoque gravissimorum scriptorum campo in tantas unquam angustias compulerunt, aut ita in Augustini verba, sic tanquam per jusjurandum adegerunt ecclesiam totam, ut reliquos pari atque eadem in laude positos patres excluderent vel ejusdem memoriæ, vel antiquiores. Hi sese Augustinum unum audire, unum sequi, carere cunctis extra hunc non invitos, atque ad eorum voces, quamvis eruditas, aures clausas habere, confidentissime pronunciant. In quo facile patior Augustino plurimum tribui, cujus auctoritatem universus catholicorum cœtus amplexus est ad hanc diem,

diem, neque ſanus quiſquam unquam defugit. at ceteros nullius pretii videri, quos Auguſtinus ipſe magni fecit, nemo ferre æquo animo debet. Ego autem minus quidem verum puto, quod ab Hugone Grotio, ante aliquot annos, erudito atque illuſtri viro, & Tridentini Concilii magno laudatore, accepi, etſi verbum de gratia Auguſtinus nullum feciſſet, non ſecius ex aliis patrum & conciliorum ſcriptis ſoluta & expedita futura fuiſſe id generis & argumenti omnia, quæ nunc nimia diligentia quorumdam, & argutia intricavit. Non dico id, quod plerique omnes, & maxime Pariſienſes olim theologi in quadam ad Auguſtini opera præfatione, illum refellendi ſtudio provectum pluſculum contra Pelagianos, quam aut neceſſitas ferret, aut concedere ſimilitudo veri videretur: ut ipſe ſibi, quod accepiſſent nonnulli durius, molliendum eſſe putaverit; utque hoc rurſus ipſum, quod declarandi cauſa dixerat, quaſi grave quoque dictu Proſper & Fulgentius commoda & benigna interpretatione ſublevarint. Illud dico, & ceteris patribus non admodum deeſſe, unde quantum eſt Pelagianorum refutetur ita, ut naturali & quaſi publicæ hominum libertati cautum ſit; & utrumque vel ab uno Chryſoſtomo abunde præſtitum, ut momenta officiorum inter Deum & homines partiretur, velutque in bilance collocaret, ac ſuam gratiæ divinæ provinciam, voluntati humanæ ſuam daret. Quem tametſi una cum omnibus Græcis in eo genere parum vidiſſe, atque etiam turpiſſime lapſum per errorem primo Calvinus, deinde Janſenius criminatus eſt; audiant hujus diſcipuli Latinum Chryſoſtomi interpretem, ac prope æqualem ejus, Anianum, quid iſta de re in proœmio ad Horontium epiſcopum ſentiat. *Quid preſſius Chryſoſtomus commendat, quam ingenitæ nobis à Deo libertatis decus, cujus confeſſio præcipuum inter nos gentileſque diſcrimen eſt? Qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infeliciter fati violentia & peccandi putant neceſſitate devinctum, ut is etiam pecoribus invidere cogatur? Quid ille adverſus eoſdem magiſtros potius inſinuat, quam Dei eſſe poſſibilia mandata, & hominem totius vel quæ jubetur, vel ſuadetur a Deo, capacem eſſe virtutis? Quo quidem ſolo, & iniquitas ab imperante propellitur, & prævaricanti reatus afficitur. Jam vero iſte eruditorum decus, cum de Dei gratia diſſerit, quanta illam ubertate, quanta etiam cautione concelebret. Non enim eſt in alterutro aut incautus, aut nimius, ſed in utroque moderatus. Sic liberas oſtendit hominum voluntates, ut ad Dei tamen mandata facienda divinæ gratiæ neceſſarium ubique fateatur auxilium: ſic continuum divinæ gratiæ auxilium commendat, ut nec ſtudia voluntatis interimat.*

Quocirca ſi quo validius priore ſæculo Calviniani ſecum facere ſacras literas affirmarent, eo minus patres noſtri fidem habebant; &, ſi quo illi ſæpius Auguſtinum, uti nunc, ſibi vindicarent, ac ſuum eſſe dicerent, eo hi dubitabant magis: nullane cautio noſtra erit, nulla ſollicitudo, nulla cura, nec tenuis apud nos ſcrupulus reſidebit, ne Auguſtinus aliquando nobis, non Africanus, ſed Armacanus, non Hipponenſis, ſed Iprenſis, hoc eſt, vana magni nominis umbra illudat ac fraudi ſit? Quoniam ergo ex duobus libris Cornelius Janſenius alterum Alexandro Patricio adſcripſit, uti ſe, qui erat, auctorem tam pravi operis eſſe diſſimularet; alterum Auguſtinum inſcripſit; ut ſuam unius opinionem ac ſententiam, tam probi quoque auctoris eſſe ſimularet: utrumque æqualiter ſuſpectum nobis eſt, & veritas falſo nomine occultata, & falſitas vero.

Hiſtoriam Janſenius Pelagianam compoſuit.

III.

EX Cornelio Janſenio ſcire ſi aves, quamobrem tanto poſt, id eſt, mille & ducentis annis, hiſtoriam Pelagianam ingreſſus ſit ſcribere, & horum nobis hominum jam convictas a ſanctis patribus, damnataſque in conciliis opiniones reddere; idque tanta cura & ſtudio, totis voluminibus, duorum & viginti annorum vigiliis, & quaſi impenſis: non eſt dubium, quin aliquos iſtiuſmodi nunc extare putet, a Pelagianis alteros, atque ejuſdem ſectæ & inſtitutionis æmulos, quos & deſignari certis indiciis velit; & priorum exemplo propoſito, caveri. Quorſum enim faciat mentionem, atque ad tempora noſtra memoriam revocet Pelagianorum potius, quam aut Manichæorum, Donatiſtarum, Arianorum, Priſcillianiſtarum, contra quos Auguſtinus item ſcripſit, aut aliorum quorumvis, ex ea colluvie, quos nimium multos ſingulæ ætates tulerunt; niſi innuere cogitet peculiare aliquid, & cum Pelagio, & aſſeclarum ejus rationibus conjunctum? Si rogas deinde, cur non ſatis habuerit errores proferre Pelagianos, ſed Pelagianos quoque mores exprimere conatus ſit oratione; id quod ad rem minime pertinebat, cum nihil vetet in mala doctrina diſſimilem aliquando eſſe vitam: hoc, opinor, ab eo reſponſum feres, idcirco feciſſe ſe, quo facilius utrumque genus hominum agnoſceres, qui non ſolum in ſentiendo, verum etiam in agendo parum inter ſe diſcreparent. Poſtremo ſi inſtas, cur multa multis libri ſui capitibus vitia Janſenius adjungat, quæ, quam priſcis Pelagianis conveniant, nullo modo probet: de induſtria factum dicet, ut intelligeres & alios quoſdam novos eſſe Pelagianos, in quos ea vitia caderent, quique adeo poſteriores tempore, prioribus vitioſiores eſſent; & quinam tandem ii ſint, quodve eis nomen, quo minus enunciaret verbis aperte, magis inveſtigares.

Faciamus igitur, quod Janſenius jubet; & quæramus, quid hominum ſint Pelagiani iſti Janſeniani, doctrina Pelagio ſimillimi & maxime gemini, pejores moribus. Utrum ſummi pontifices Pelagiani? Certe poſteaquam Baianum aliquid perverſi dogmatis confirmare ſtuduit, dejeravitque, ut ſolet, doctrinam hanc puram putamque eſſe Auguſtini, tum contra occurri fecit ab adverſariis, aliter viſum ſummis pontificibus, ac decretum fuiſſe; fatetur ingenue, qua ingenuitate eſt, illic aquam ſibi hærere, hoc eſt, num adverſus Auguſtinum ſummi pontifices ſtent a Pela-

gio, dubitare. quo uno dupliciter peccat, qui & Auguſtinum committat cum pontificibus, quod eſt iniquum: & pontifices inter ſe, quorum alii ſecundum Auguſtinum, alii contra judicent, quod eſt impium. An ipſi doctores & magiſtri, quibus a ſchola & profeſſione certa quadam docendi nomen eſt, Pelagiani? Auguſtinum quidem, minime, ut arbitror, Pelagianum, dum Janſenius exponit, &, qua in ſententia fuerit, demonſtrat, nos illud, ne forte ſimus neſcii, admonet, aliena ſe a conſuetudine ſcholæ afferre. & qui de Janſenii vita breve quiddam præfatus eſt, ejus initio libri, non omittendum putavit, luctatum illum diu cum opinionibus primis, quibus imbutus in ſcholis theologicis ab adoleſcentia erat, excuſſiſſe jugum aliquando tandem, & noviſſimis hujus ætatis, atque aliquot ſæculorum magiſtris, tanquam ſi eſſent in ſtudioſos tyranni, deſiiſſe ſervire, ut ad omnium juſtum ac veterem dominum rediret Auguſtinum. Janſenius ergo, Auguſtinianus: ſcholaſtici qui dicuntur, Pelagiani. An religioſi ſacerdotes Pelagiani, contra quos ſemel atque iterum Janſenius in Hiſpaniam ex Belgio, Madritum Lovanio venit, multa ibi declamavit, aliquid etiam obtinuit? Hoc ipſum videlicet eſt. ii Pelagiani, quorum hic hiſtoriam compoſuit, quorum & doctrinam ac mores priore libri parte complexus eſt, nomina quoque poſteriore appellavit, Suarius, Vaſquius, Molina, Leſſius, alii ex ſocietate Jeſu theologi. Pelagiani iſti præter ceteros: tametſi prorſus eadem intelligentiſſimi doctores, ſanctiſſimi antiſtites, egregie catholicæ omnes academiæ, ubique gentium ac terrarum, & ſentiant, & loquantur. Pelagiani iſti ſoli: quamvis Romæ pontifices pro ſuo jure & ſummo imperio, eadem olim pœnis quam poſſunt graviſſimis ſanxerint, etiamque nunc. Quos, ſuperi, Pelagianos ut hoſtiliter Cornelius Iprenſis inſequitur! ut cominus premit, & incurſat cornibus, & arietat! ut omni diritate orationis, ſi modo impotentis & furibundi ſcriptoris oratio eſt, lacerat & cruentat! Quemadmodum enim Ajacem ferunt eum, qui e poteſtate mentis exceſſerat, toto corpore ac totis lacertis, in obvios greges pecudum ſæviiſſe verberibus, quos pro hoſtibus, Ulyſſe, credo, & Atridis, haberet: ita Pelagianos Iprenſis hoc atrocius vexat, quod ſe in Pelagianis ulciſci Jeſuitas putet; neque quicquam penſi habet, dum inimicos lædat, amicos, ſacerdotes, doctores, præſules, eccleſiam totam, libro erroribus diverſis referto, tectis & obliquis convitiis abundanti, diſcordiarum & factionum in plurimos conſequentes annos quodam quaſi ſeminario, lædere. Hæc vero hiſtoria eſt, quæ in judicandis factis, rerumque eventis, omnes odii cauſas inſuper habere jubet, puniendi doloris certa profeſſio, libido loquendi ut velis, in quem velis? Hoc hiſtorici eſt, in quo fides cum perſpicuitate ſummam laudis obtinet, ambages perſonarum, argumentorum fallacias, invectivas declamationes crebras in alienos, & ignotos, & quos lector minime retur, adhibere? Etiamne tertio vel in inſcriptionibus Janſenius mentiatur ac fallat, ut, ſe qui falſo Alexandrum Patricium Armacanum dixerit, qui Auguſtinum opus ſuum alieno nomine appellarit, idem nunc, Pelagium & Pelagianos cum uſurpat, aliud loquatur, aliud intelligi velit?

Quo loco operæ pretium eſt non hiſtoricæ narrationis, qua uſus non eſt, ſtatum & ordinem, ſed fabulæ Pelagianæ, quam docuit, omne artificium recognoſcere. Neque enim illis aſſentior, qui Janſenium hebetem ac ſtupidum, ex multis & magnis ejus erroribus, ſibi fingunt, & exhibent nobis. ſit litigioſus, ſit pertinax, ſit arrognans, ſit protervus, ſit amator novitatis per curioſitatem, gloriæ ſuique per ſuperbiam & cæcitatem. at nequaquam hebes atque ſtupidus. Sed conducit, ut dico, ſcribendi conſilium de gratia contra Pelagium, quod cepit, modum, quem tenuit in ſcribendo, quem ſibi finem operæ & induſtriæ propoſuit, conſiderare ac recordari, quantum certis auctoribus comperire, ſimul & ex accurata libri lectione judicare potuimus: ne forte aut nimium cauti videamur, ſi plus, quam quod ſubeſt in re, ſuſpicemur mali; aut parum prudentes, ſi ne id quidem, quod certum & magnum malum eſt, quia non ita vulgo patet, advertamus. Legit homo acer juxta & laborioſus Auguſtini ſingula in eam ſententiam ſcripta. cui inter legendum cum occurriſſet aliquid ad explicationem, quod prima fronte percelleret animum aliqua probabilitate, id avide ſtatim, ut ſua quemque inventa delectant, arripuit: nec tum, quid alii hac in re doctores ſentirent, curavit. immo vero, quod aliud iſtos tueri atque defendere intelligeret, eo ſtudioſius, quicquid ſoli venerat in mentem, ut ſuum, amplexus eſt ac tenuit. Obfirmat eum in ſententia magis res communicata cum Joanne Vergerio, ſancti Cygirani Abbate, contubernali quondam ſuo, & cum aliis quibuſdam, conſciis atque intimis familiaribus, quos jam debes ſuſpicari, qui & orationem non publici guſtus perſæpe haberent de ſacris ac divinis, & pejus etiam de multis Chriſtianæ doctrinæ capitibus ſentirent. ita quod voluntate faciebat antea, viſus eſt facere judicio atque conſilio; itaque ad perſuaſionem ſubitam ac temerariam pertinacia, ad privatum errorem commune patrocinium acceſſit. Quocirca eodem rediri placet. retractatur, evolvitur, conteritur Auguſtinus legendo: nec ea mente amplius, ut appareat interpreti, quid ſibi ipſe auctor velit; ſed idcirco, ut ex auctore id, quod vult interpres, approbetur. ut legiſſe poſtea Auguſtinum millies, quem certus jam propoſiti & opinionis ſuæ, atque animo obſtinato legerit, forſan ad ſuſceptum laborem plurimum interſit, ad percipiendam quidem veritatem perinde ſic, ac ſemel iterumve modo legiſſe. Quid faciat autem, aut quomodo aliis, quod ſibi ac paucis participibus ſuis facile perſuaſit, perſuadeat? Hic enimvero arte & dolo opus eſt, non virtute, aut doctrina. Nam ſi aperta quadam, & ſimplici, & directa via, ſine circuitione & anfractu, ſententiam, Corneli, dicas, tuamque mentem exponas; novitatem, hæreſim e confeſtim clamabunt omnes. Itaque excogitandum aliquid, quod his clamoribus prævertatur, & occupanda contra utrumque malum remedia. Contra novitatem, inſcribe Auguſtinum. dic nihil afferre te de tuo. merum ſenſum Auguſtini hunc fuiſſe, proprium & unum intellectum. illud te ſolummodo affirmare, ſolummo-

modo tuo peticulo esse velle. ac ne id quidem agere, quod est extra controversiam, rectene, an secus Augustinus senserit: utut est, sic tamen sensisse. Contra hæresim, describe Pelagium, invehere in Pelagianos, exagita si qui similitudinem quandam gesserunt unquam, speciemque Pelagianorum. ut quanto magis hæreticam labem refugis oratione, & detestaris in aliis, tanto minus hæreticam in re labem suscipere, & importare populis velle videare: ac ne quis hiscere contra te audeat, qui venenatum & pestiferum errorem refellas; nisi suspectum se esse velit omnibus, erroris nomine, quem refellis. ita non modo a te gravissimi & turpissimi omnium facinoris crimen removeris, sed laudem quoque singularem tibi defensæ ab hæresi ecclesiæ pararis. Et quoniam non deerunt, qui præcipua Michaelis Bau dogmata, a Lovaniensibus, & Duacensibus, & Parisiensibus notata theologis, a summis pontificibus damnata, ab omnibus, qui ubique sunt, catholicis explosa ejectaque, & ab ipso demum recantata auctore, renovari per te ac revocari postliminio objiciant; in primisque Jesuitæ, quorum efflagitatu atque opera ferunt habitam quæstionem ea de re, non videntur laturi silentio: de pontificibus summis loquere obscure atque tecte; doctores academicos tibi, quoad poteris, quotque poteris, quibusvis conditionibus, tanquam si communem omnium academiarum causam agas, adjunge. Quod superest, Jesuitas invade, istos appella, istos fur fures exclama prior. Fuit aliquis alias de Molina, ingenioso & gravi inter eos theologo, sermo. hunc illis ducem & principem intelligendi ac sentiendi, qui neque dux, neque princeps est, præfice. Fuerunt apud eos non ignobiles theologi, certis nullius destinatisque sententiis addicti & consecrati, suo semper usi judicio, vixque alienum unquam, nisi cum libuit, secuti, qui consulto de parte quadam gratiæ paucis egerunt, & loco non suo, & toti a Molina diversi. nihilominus tanquam Molinarios incusa. Sed ne longum fiat, ubi adversarii omnes tui, quicunque erunt, dicent novitatem, tu Augustinum continuo. si quando illi nominabunt hæresim, tu Pelagium. si ingerent Bajum & Jansenianos, tu Molinam & Jesuitas contra. denique par pro pari referto, quod fucum obtegat. Interim credulorum & rudium capietur simplicitas, bona ratio succumbet, perdita causa obtinebit; dum sapientiores, & eruditiores, qui habentur, quiescent rem adduci catholicam in discrimen, esse rati studia partium. Hæc, quemadmodum exposui, gesta esse, nihil a me nunc primum fingi pro tempore, cum mihi testes sunt vivi, & præsentes, & qui annos amplius quatuordecim consueverunt Jansenio, tum ipsa res & eventus, etiam me tacente, declarat. Ac vide tamen, quam parum criminose in Cornelium Iprensem, quamque parum suspiciose egerim. Non enim volui, id quod plerisque placet, odium, quod in Jesuitas jam inveteratum habebat, causam ei fuisse, cur isthæc opinionum commenta inveheret; quasi stomachum illis facere & dolorem vellet: sed aliquid adjuvisse duntaxat ad eam rem, ut a quibus voluntate disjunctus esset, ab iis dissideret sententia & opinione. Neque dixi, quod condemnati Baii dolore doleret, aut quod rem sæpe habuisset Lovanii cum Jesuitis, eo impulsum, ut dedita opera præcipitem se daret in partes, victas licet ac profligatas: sed libenter adductum, occasione quæsita, an oblata, ut adversariis mederetur certis quibusdam, quorum ex scriptis dum errores evellere videretur, suos ipse errores in animis lectorum insereret. Quod ni ita est, respondeat, si potest, quamobrem, cum ea refellat, quæ una cum Jesuitis vel plerique doctores catholici, ut sæpe, vel omnes, ut interdum fit, uno consensu defendant, Jesuitas premat argumentis, eorum verba proferat, sententias infirmare conetur; alios eadem in causa, idem qui senserint, scripserintque, ne appellet quidem? In quo Jesuitas non tantum constituit suffragio suo ac declarat Pelagianos, sed id quoque studet, idque dat operam, ut habeantur soli pro Pelagianis.

Atque hæc prima fere fraus, vel præcipua Jansenianorum ad propagandum errorem fuit, qui Jansenium secuti, videri cupientem solos oppugnare Jesuitas, sermonem hujusmodi dissiparunt, sectario illi suo ac duci gregis optime convenire cum omnibus, adversari unis istis sacerdotibus religiosis. Nam si a principio creditum esset, id quod res erat, Jansenium, ut alium quendam Ismaëlem, venire unum contra omnes, & aut nova atque inaudita, aut improbata quondam a majoribus nostris afferre omnia; tentari communem fidem in privata, peti universos in Jesuitis Christianos: quis non fuisset veritus a publica navi, in qua tuto cum bonis omnibus veheretur, ad rimosam & fragilem scapham, temere rupto fune transilire: aut quis cum in alto, via patenti atque lata, navigans, secundis ventis cursum teneret suum, idem subito mutata velificatione, ad fauces deflectere difficillimas, atque ad oram littoris scopulosam, infamemque naufragiis adhærescere non nollet? Nunc autem si quisquam contra existimat, Jansenium personam gerere publici muneris, & ex omnium ore cum auctoritate summa loqui; cur ei se libens non tradat in disciplinam, nec multis partibus malit ad ejus se ductum, cum Christianis cunctis, quam ad cujusvis unius religiosi ordinis, contra cunctos Christianos, applicare? Etenim, quanquam hi præclata eruditione & sanctimonia ordines cum pro bonis moribus, tum etiam pro rectis, incorruptisque doctrinis acriter propugnent: non est tamen concedendum neque alicui ex eis, neque omnibus, unus ut sint certus ac legitimus persuasionis nostræ canon, ad quem communis credendi ratio necessario dirigatur. Nec vero qui recepit in se Christus, fidem minime defecturam Petrum, vel verius non defecturum Petrum a fide, recepit hoc uni de multis, sed Petro summo pontifici, totique ecclesiæ. nec tam male unquam actum iri arbitror cum universo genere Christianorum, ut penes unum ejusmodi cœtum, quamvis pie ac laudabiliter sociatum, remansura Christiana, vereque catholica religio sit, reliquis in errorem fraudemque inductis. Ex quibus perspicuum est, quantæ improbitatis & malitiæ fuerit, insolentem Jansenii, & ab usu quotidiano scholarum, quemadmodum fatetur ipse, remotam doctrinam, facere plausibiliorem voluisse mendacio, ac tanquam

commu-

communi theologorum existimationi consentaneam atque decretis, commendare. invidiam porro innocentibus & integris eo conflare nomine, quod peculiare quiddam, separatim ac diverse a ceteris, de summa religionis sentiant perinde quasi id isto loco tantum ageretur, utrum solis unius ordinis religiosis, an omnium patrum, omnium doctorum, omnium academiarum quasi universitati credi oporteat. Viderunt quippe hoc versuti homines, cum non desint, qui inimicitias cum Jesuitis partim veteres atque hereditarias, partim novas & a se susceptas haberent, partim aperte denunciassent, partim exercerent obscure; hosce facilius omnes in eam sententiam ituros, quam illis tantummodo intelligerent esse contrariam. medios autem, & in neutram partem propensos, etiam existimaturos tutius, publicam omnium, & frequentem, & tritam viam tenere, quam unius alicujus ordinis hominum, qualiscunque is esset, semitam ingredi.

Hunc in vulgus fraude mala sparsum rumorem cumularunt alio, qui & inter mediocriter literatos increbuit, nihll hlc esse controversiæ cuiquam, nisi Jesuitis cum Dominicanis; a suis partibus stare Dominicanos, & in eadem secum opinione versari. quæ duo qui locuti sunt Janseniani, attendere debuerunt, quid locuti essent prius, quidve alias Jansenius scripsisset, ut si minus vera, tamen apta inter se & cohærentia afferrent. Exciditne tam subito illud eis, quod modo jactarunt, Jesuitas Pelagianos esse, quos ut olim non Augustinus tantum, sed & Hieronymus, & alii oppugnarunt atque exarmarunt, ita nunc non solum Dominicani, verum etiam quotquot revera catholici sunt, inimicos & hostes habere debeant? Quænam autem hæc invidia, Franciscanos, Fulienses, Bernardinos, & similes, præterea theologos alios, & doctores, præterea quosvis sacrorum antistites, quorum summa omnia in ecclesiam merita constent, excludere tacite, nec Pelagianis fateri adversarios? ut non jam afficiantur Dominicani beneficio, qui id facere dicantur, quod fieri convenit ab omnibus, sed priventur injuria, de quibus non eodem, quo de aliis, modo detrahatur. Quid deinde? oblitine sunt discipuli, Jansenium doctorem suum, proposita Dominicanorum & Jesuitarum doctrina, neutram amplexum esse, sed tertiam quandam, omnis humanæ deletricem libertatis, archirectatum sententiam? Quanquam alioquin innuere videtur, his illos propius *abesse a regno Dei*, sed longo tamen intervallo abesse. Jam si verum quærimus, tametsi diu conentur Janseniani committere florentissimos ordines duos inter se, quorum deinde alteros vindicent sibi, atque ad suum numerum aggregent: & perpaululum Dominicanos inter, & Jesuitas disconvenit; neque quidquam inimicius potest reperiri, quam Dominicani Jansenianis? Quantulum id est, quod in disceptationem quæstionemque vocatur ab doctis & religiosis utriusque familiæ alumnis? Quo nimirum modo gratia, quæ efficax & dicitur, & est, efficax tandem fiat. hoc unum, hoc totum, hoc præcipuum certe est, de quo & olim Bannesius tanta contentione cum Molina decertavit, & adhuc sub judice est lis: quod ambigitur quotidie, atque in contrarias partes disputatur, & momentis utrinque & ponderibus suis examinatur; salva tamen religione & fide, salvis benevolentiæ & charitatis officiis; neque ex superiore loco ad populum, non editis in lucem scriptis, non patrio & populari sermone, sed intra domestica ædium septa, e doctorum discipulorumque subselliis, ubi controversæ res tractari possunt non solum ad eliciendam veritatem subtilius, sed etiam ad retinendam animorum conjunctionem atque concordiam tutius. cum quidem non plus Jesuitæ Molinam, quam Dominicani Bannesium habere cogantur ducem; utrique porro Thomam Aquinatem vehementer auctorem sequantur: cumque & ex utroque cœtu alii aliud jure & arbitratu suo sentiant, & ex uno eodemque singulis inter se diffidere, ut de rebus in medio ad disputandum relictis, secumque discordare liberum ac solutum sit. Atque ut prætermittam Bannesium, de quo prorsus adversarii silent, cum; tamen in eadem causa sit, ac nonnihil de Molina, quem tantopere vociferantur, dicam; antequam is literam scripsisset de gratia, explicarunt professores Jesuitæ eo de argumento in Scholis, & quid etiam sentirent, dictarunt, neque, opinor, quod ille posterius vere dicitur adinvenisse, inserere jam tum potuerunt in scripta sua. Postquam autem vulgavit libro sententiam suam, possum proferre aliquot nominatim perinsignes ex eadem societate theologos, qui nunquam in vita legerint: alios, qui cum legissent, neque improbarent, immo ab ipso defenderent & multa commode atque acute reperta, nec inductum quidquam, nisi sanum & cum recto judicio catholicaque doctrina congruens, inierint tamen non eandem viam; utpote qui sui juris essent, nec ulla necessitare adstricti in judicando. Hi vero, quibus libuit dissentire cum Molina, vel idem ac Dominicani censent, vel, quod licet in schola theologis, quodque expedit ad perspiciendum verum, in alia quædam discesserunt. sicuti nec illi ipsi, a quibus discessum est, hanc sibi legem imposuerunt unquam, ut idem ea de re existimarent: nec sane existimant; nec in una sunt omnes sententia. Leve igitur ac nullius propemodum momenti discrimen Jesuitis cum Dominicanis intercedit, de efficiente gratia, de efficiendi ratione ac modo, quorum alii ab aliis non longius, quam iidem ab se invicem, differunt. At quantum, Deus bone, intervallum inter Dominicanos & Jansenianos interjectum putas? In quo illi, ut catholicos homines decet, ac necesse est, nostrum omnium libertatem ponunt? In agendi & non agendi, inque agendi hoc, & contra illud, potestate. Quam gratiam volunt? Quæ satis sit ad vim promerendi: quæ sine effectu non sit. Quibus nos mandatis obnoxios? Quæ exequi possimus. Quam contritionem? Duplicem. Pro quibus Christum mortuum? Pro cunctis ad unum, & sine ulla exceptione hominibus. Quæ omnia, si superis placet, Jansenio vel abolenda funditus, vel dimidia parte mutilanda quodammodo, & quasi decurtanda visa sunt.

Quis itaque non intelligat pariter & miretur, divino quodam nutu consilioque factum, ut cum dictitarent Janseniani solos esse Jesuitas adversarios Jansenio, solos Pelagio fautores;

Parisien-

Parisiensis facultatis theologiæ experrecta virtus ad pristinam se laudem majorum suorum incitarit, & superioris sæculi renovare laudabile & præstans, maximeque his temporibus necessarium exemplum cœperit in alterum Baium, & conjunctis sententiis tanquam viribus, pestem hanc Christianitatis, ac renascentem strumam execare. cumque iidem jactarent, sibi suffragari Dominicanos, qui se præberent non æquos Jesuitis; vir optimis studiis ac multis & magnis artibus præditus Dominicanus, una cum lectissimis Sorbonæ & Navarræ doctoribus, doctor ipse, designare ad censuram & condemnationem vitiosa quædam Jansenii dogmata, & tanto talique præjudicio notare consenserit? Sed integrum mihi, de isto pulcherrimo Parisiensis theologiæ vel facto, vel conatu, reservari volo, placetque separatim exequi, quantum mihi suspicionis Jansenianorum natio moverit, victam ut esse credam, quæ, ne victa declararetur, tam acriter ac tanta contentione pugnavit. Satis est nunc intelligi, quod nomen adhuc in solos Jesuitas palam conjectum est a Jansenianis probri loco, ut Pelagiani nuncuparentur; idem ab iisdem doctissimos atque integerrimos quosque e Sorbona eque Navarra theologos sibi comparasse, & ex eo, quod censuram Jansenio vel cogitare ac meditari viderentur, lucratos fuisse. Lucratos vere & proprie dico. Ecquid enim & hi, & illi, & sanæ mentis alii non in lucro nomen ponant, quod de malis partibus pejores auctores transtulerunt ad causam optimam, Lutherus, Calvinus, Beza, & in quo certatim variando, atque augendo luserunt? Quomodo appellati Sorbonitæ, Navarræi, catholici omnes, a Luthero? Semipelagiani certe. nam hæc eo fere tempore, cum multis ante annis res subesset, vox audiri primum cœpta. Quomodo appellati a Calvino *? Prorsus Pelagiani. nihil placuit homini integro detrahere de contumelia. Quomodo a Beza †? Etiam Sesquipelagiani. parum visus est sibi dignus magistro discipulus, nisi ad ejus maledicentiam aliquantum adderet. Ut aliud nihil restet Jansenianis, si imitari velint, quemadmodum faciunt, conviciatores robustos, nisi ut adversarios suos non jam Sesquipelagianos vocitent, sed & altero tanto, & duplo, & triplo magis Pelagianos.

Hi sunt actus plus quinque Pelagianæ fabulæ, quam Jansenius scripsit, Jansenianus grex egit. in quibus non, uti in aliis fabulis mos est, id agitur, ut mutuæ recognitiones fiant ad extremum; ast omni ratione contra tentatur, tum inficiandis, tum derivandis criminibus, ut ne novitas, ne hæresis, ne Prædestinatiani, ne Lutherani, ne Calviniani, ne Bezani, ne Baiani agnoscantur. Cui idcirco fabulæ nequaquam, plaudite, in extremo quinto actu, subscribendum, cum nihil exitu lætum habeat: sed, quando omnia artificio simulationis involuta, sub nomine oppugnati Pelagii latent, apponendum censeo, cavere.

* Inst. lib. 2. c. 3. num. 13.
† Annot. Coloss. III, 14. edit. 5. an. 1598.

Jansenietatem uterque sexus, & omnis ordo hominum tractat.

IV.

VETUS est hæc, neque inanis observatio complurium, nullam in omni memoria opinionem novam atque hæresim percrebuisse, & in vulgus cœpisse ferri ac dispergi, quæ non alicujus nobilis & primæ auctoritate ac gratia feminæ opera corroborata & propagata longius sit. quasi fatale jam inde ab orbe condito mulieribus obveniat, & a prima generis humani parente, hereditatis loco traditum, primo per facilitatem credendi decipi, quæ illecebris deinde, quibus in omnem partem plurimum valent, decipiant viros. Illud utinam ne vere scriberem, quod mihi pariter animadversum est. si quando turbulentus error & exitialis de religione sententia emersit ex inferis; neque enim aliunde pestes hæ exsiliunt animorum; matres eam atque viros, pueros ac puellas, ex omni ordine hominum, ex officinis, ex foro, ex aula, militares, togatos tractare vulgo disputationibus, ac tueri altercando solere. cum doctrinam salutarem & contrariam, etiam qui tenent plerique, non defendant tamen verbis, eamque disceptationem, id arbitrium & existimationem ad solos vel pontifices, vel doctores, vel sacerdotes & religiosos viros merito pertinere putent; ad hos de re omni divina referant; huc se rejiciant, si rogentur sententiam, aut rationem reddere cogantur mysteriorum, quibus fidem adjunxerint. ut mihi satis hoc esse argumenti videatur ad internoscendum falsum malumque dogma, quod tam diversa & confusa multitudo, nullis initiata sacris, nullis theologiæ studiis præparata, sine auctoritate, sine cognitione, admisceat eo se, & in gravissimas & sanctissimas quæstiones judicium interponat. Id autem ut intelligatur quam verum sit, neque disputandum subtilius est, neque recedendum a memoria patrum, neque a nostra. Quoties ante aliquot annos venisse usu scimus, non modo ut in intima doctrinæ sacræ adyta illiterati atque ἀμύητοι viri se ipsi inferrent atque intruderent, & operta proferre vellent, & docere, quæ nunquam didicissent; id enim vulgare & quotidianum fuit: sed, quod monstrorum omnium monstrosissimum est, ut Calvinianorum uxores ministrorum, sicuti appellant, dum mariti abessent, in concionem ascenderent, dicerent ad populum, versarent sacros codices exponerentque arbitratu suo, atque ita illud, quod summum putant, ac ferme unum Christianæ religionis ministerium, obirent? Quæ mulierculæ interpretes si forte inciderent in locum illum perinsignem Pauli, ubi deterior sexus in publico vetatur loqui, vel tacerent tunc saltem, vel contra se pronunciarent. Quo interim spatio non memini me legere, nec de majoribus natu audivi, honestas & pudentes matronas, quæ in meliore causa essent, surrexisse ad contradicendum, & audientiam sibi, tacitis ac mutis doctoribus catholicis, fecisse, aut omnino

de sacramentorum numero ac velut natura disseruisse palam, aut quo modo justi fiamus hac in vita, quoque modo mortui purgemur flammis, litigiosum & concertatorium habuisse sermonem.

Nunc ipsum renovata & repetita illius temporis exempla imitatione factorum nonne videmus, cum *illustrissimus*, *reverendissimus*, *dominus*, *Cornelius Iprensis*, in circulis, in conviviis, in subselliis vigeat mulieribus curiosis, sit in pretio apud viros, nihilo, quam istas, literatiores; utrumque genus nimio otio diffluens, pari temeritate abundans, de *gratia sanante*, de *gratia medicinali*, de *adjutorio quo*, de *adjutorio sine quo*, de *operibus infidelium*, de *mortuis natis* colloquatur assidue, summoque jure statuat ac decernat: sacra istæc esse curationis suæ, suum hoc onus atque munus, suam, quæ divinitus obtigerit, & nunquam deserendam Spartam, censeat? Feminam primariam novimus, quæ cum nacta nuper videretur in Gallico Augustini scripto aliquo sententiam, unde firmamentum & robur accederet Jansenio longe maximum, illico accurrerit ad parochum, sibi gratulans, & locum digito, quasi thesaurum, ostenderit ei, ut suum quoque gaudium gauderet. is, ne mulieri mœstitiæ esset, nefas habuit non assentiri vel assentando red it hæc domum tum judicio suo, tum alterius approbatione inflata, hoc est, dimidio, quam domo exierat, ineptior Alteri eodem loco & conditione feminæ, dogma earum partium aliquod objiciebatur sane absurdum, illud, opinor, nullo beneficio Christi, nulloque merito obligatos esse complures Christianos, pro quibus is mortem non oppetierit. Tum illa, nos vero inquit, istuc non docemus, sed hoc aliud. Ridicule mulier doctor, quæ pæne nos solœcismum facere coegit. Festivum & illud ab alia, quæ, cum Roma esset allatum de pontificia damnatione & interdictione Jansenii, deplorabat mores ac tempora, & facinus indignum clamabat, cum diceret sese indicta causa damnatas fuisse. At, o mulierum quæcunque es, & genus vestrum vehementer ignoras, quæ docenda sis hoc etiam, mulieribus neque testimonii, neque causæ dictionem per leges Romanas esse. Habes in paucis omnes Jansenianas. nunc cognosce Jansenianos. Audivi ego, virum, cujus sit pecuniarias potius, quam theologicas rationes tractare, cum se odiosius in prædestinatianorum causam ingereret, ac multa effutiret de gratia temere, interrogatum ab optimo theologiæ doctore & professore, qui os hominis diutius ferre non posset, quidnam tandem gratia sit; respondisse, cum in præsentia quid diceret non haberet, se nullo negotio declaraturum rem definitione, si domi suæ foret in museo. credo quod paratius declaraturus esset ex scripto, & melius ex alieno. Modestior quidem, si modo per modestiam fecit, quam missus cum prælectura in certam Galliæ provinciam togatus quidam, quem totos dies de gratia garrientem, inter collusores, inter combibones, inter puellares choros, juxta etiam ferreas crates ad intus inclusas religiosas virgines novimus cum nihil, ita vivam, diceret, ac neque rem, neque gratiæ nomen ipsum intelligeret.

Dum Janseniani & Jansenianæ satis ostendunt vel in nugis, quid animi afferant, quidve suscipiant contentionis, ad pravitates introducendas opinionum; quotusquisque interea ex laicis bonarum partium, tantum sibi assumit, ut in aciem pro veritate puræ atque integræ doctrinæ, contra falsitatem ac mendacium descendat, & destinatas jam, atque impositas theologis, virisque, ut vocant, ecclesiasticis partes defensionis præripiat? Excusant hi videlicet ætatem, genus, conditionem, inscientiam suam, quo minus vanitatem & inconstantiam istorum novatorum refutent verbis, argumenta argumentis, auctoritates auctoritatibus, Augustinum Augustino opponant. Negant se summi doctoris dogmatica & polemica, sicuti vulgo appellantur trito jam nomine, legisse unquam. contra Arium, contra Donatum, contra Pelagium scripta ignorare se peræque. satis habere, si ejus & confessiones, & leviores epistolas, & alias ad popularem intelligentiam, communemque usum accommodata evolvant, quorum e lectione probiores discedant, quam doctiores. cum Cornelio Iprensi, cum comitatu assectatoribusque nihil sibi commercii fuisse, nec esse velle; non plus quam cum Baio, aut Beza, aut Calvino. res quippe administrare domesticas & civiles, suum esse; divinas, sacerdotum ac præsulum. ex quo aliter factum, itaque mutatæ vices, ut illi in sacra manus quoquo modo injecerint, hi ad humana & temporaria curanda descenderint, utrique secuti fuerint aliena & ab instituto cujusque cursu vivendi abhorrentia; sub idem tempus statim magnam perturbationem consecutam, & confusionem non religionum modo, sed rerum publicarum.

Et hæc animi tanta moderatio ex una parte; tanta adversus res divinas reverentia, tanta in controversiis de religione nec decidendis, nec agitandis, nec movendis religio non tacitam saltem significationem dabit, quam vera de Deo sentiant, qui sic mores ex Dei præscripto componunt? Ex altera parte tam arrogans, tamque præpostera alieni muneris susceptio, tam profana & impura usurpatio sacrorum non suspicionem mihi ullam movebit? non, ut dubitem aliquid, aut argumenter, faciet? non, ut de periculo, quod veritas adit Christiana, disceptatrice & judice turba indoctorum, cogitem? Habemus hoc plerique tanquam proprium & præcipuum, quod hominum universo generi Aristoteles tribuit, ut simus μιμητικώτατοι, facileque similitudine ducamur & exemplis, Neque hoc solum insitum est mentibus nostris a natura, quod in laude poni & vitio potest, sed illud præterea, quod numquam vituperatione caret, inhæret nobis, quasi soli vitium, nisi ratione depellamus, ut aliena, & quæ ad nos minus attinent, curemus libentius, ac persæpe quidvis potius, quam quod nobis impositum est muneris, exequamur. An videmus hasce Cornelias Iprenses commodiores esse moribus, & solito maritis subjectiores, quod Paulus hortatur & præcipit, quo ex tempore a colu & lana se convertunt ad tractanda quædam controversiarum quasi arma, virisque audent concurrere feminæ? An omnis officii domestici diligentiores, magis sollicitas in educandis atque instituendis liberis, magis sedulas in servis ancillisque exercendis, in tuenda re familiari, quas farrago recens librorum, & assidua & pertinax in disputando con-

concertatio de gratia Adami & nostra, Judæorum & Christianorum, majori victoriæ, quam veritatis cupiditate, occupatas habet? Quid, nobiles & purpurati, si quos Jansenii disciplina infecit, an ad principis voluntatem nutumque facti magis? paratiores ad consilium pro patria dandum? incitatiores ad res belli? Cupiunt illi quidem fortasse intestinum ac domesticum: externum certe, & longinquum Pelagio pejus oderunt. nec de iis, quod sciam, conqueritur Hispanus, quos æstate tota neque videat, neque audiat inter hostes suos, neque omnino intelligat in castris versari; hyeme propemodum amicos agnoscat, utpote a tumultu & seditione, si se tulerit occasio, non ita remotos. Quod ad alios quosdam attinet, qui lites sequuntur, exercentque judicia, nihil theologi nos forensibus negotiis implicamus; utinam nec illi sacris: sed audivi tamen nonnunquam amplissimos magistratus, summosque judices, cum desiderarent in plerisque sui ordinis, majorem juris civilis intelligentiam, Francicæ consuetudinis usum, variarum Galliæ provinciarum, quæ non eodem jure, nec unis legibus vivunt, etsi uni eidemque supremæ curiæ parent, notitiam peculiarem. Cujus multiplicis ignorantiæ cum dicere non audeam Jansenietatem causam omnem sustinere: tum dubitare non debeo, si reliquis vitæ & occupationibus, & oblectationibus id quoque studium intervenerit, alienam professionem diminuere aliquid de officio consueto ac debito, propriique muneris diligentia & functione. Ut enim si medicus nihil habet aliud in ore, nisi institutiones, digesta, codicem, si theologus in Hippocrate totus est, aut Galeno; mirer equidem utriusque tam perversam & conturbatam rationem studiorum; utrumque in sua facultate rudem & ignarum non mirer: ita si cujus est officium respondere jus, aut de sella ac tribunali dicere, omnis huic cura atque opera in Jansenii tricis persequendis ponitur; nihil habet admirationis, idem si parum foro ac reis, totique arti suæ publice satisfaciat.

Esto. negotium nostrum non agimus. alterius ad nos ultro accersimus & attrahimus. At sacrum viri, mulieres, literati, illiterati, quiqui sumus, sine theologia ne attingamus. Non convenit, mihi credite, non convenit, ut quibus illigatæ certis verbis formulæ tradi solent ad precandum, & patrio sermone compositæ, ne quid alienum postulent a Deo, neve omnino compellent eum, & alloquantur minus circumspecte & considerate; ipsi illi aspirent ad aras, & voce nobis præeant, quod de divina gratia judicemus. Feminas dedecet, quarum sexus imbecillitati sexcentis modis subveniatur, legibus, plebiscitis, senatusconsultis, edictis, quæ loco minorum viginti quinque annis circumscriptorum, fere per omnia habeantur, quibus & virilia & civilia officia adempta sint tum moribus, tum plerumque ipso jure, eas onus atque munus doctoris Christiani tollere, in quo non sola pars virilis, & majus animi robur, firmitasque ad consilium versetur, sed & peculiaris quædam personæ quasi consecratio, & exquisita divinarum rerum scientia. Nec vero æquum, nec fas est, publicis addictos mancipatosque negotiis, sive bellicis, sive urbanis, ne si quidem juris veteres peritos omnes cum novis legendo conjunxerint, responsa prudentum, decreta populorum perdidicerint, æra & tabularia inspexerint, fontes ipsos & capita legum notarint, theologos agere, & disjunctissima maximeque diversa ab humanis divina vel fundere oracula, vel interpretari. O virum Galliæ, & ætatis nostræ lumen, & ornamentum, Cujacium! ajunt hunc, amice, juri civili ita studuisse, ut cum multa e maximis quibusque artibus ac disciplinis delibata & collecta haberet, ad eamque scientiam suam referret, omnia præter jus ignorare velle videretur. ita porro se theologicis & litigiosis de religione disputationibus abstinuisse, quasi a rerum natura, aut a Deo, omni lege, omnique supplicio id sancitum esset. Cujus ea vox memorabilis & digna sane tanto auctore fertur, cum de controversiis consultus, id temporis exortis, ita diceret, *Nihil hoc ad edictum prætoris.* quod identidem, quoties tale aliquid incideret, ingeminare solebat, & consultores suos nonnunquam ad sapientissimos facultatis sacræ doctores, & alios, qui id studium profiterentur, rejicere. Atque idem ego nuper Edmundum Merillium, Cujacii studiosissimum, eundemque Bituricensis Academiæ antecessorem, usurpare vidi; cumque primum de Jansenianis auditum est, a se detestari ejusmodi dicto licentiorem istam, & inverecundam theologiæ tractationem, quod nihil hoc ad edictum prætoris pertineret.

Atenim non res hic solum theologorum, sed æterna uniuscujusque nostrum salus agitur: cum singulorum nosse intersit ac penitus habere comprehensum, quid credere, quidve opis a Deo expectare debeant; neque expediat modo, verum etiam necesse sit, nihil nobis istorum latere. Itane vero? necesse est ab unoquoque mortalium & majora, & minora catholicæ doctrinæ capita percipi animo, certoque sciri? Id si ita habet, id adeo habet, quia ad fidem, ut dicitur, pertinent, sive ex eo sunt genere rerum, quas a Deo traditas esse unus & communis totius ecclesiæ sensus & auctoritas comprobarit. non enim quidquam videmus ad salutem necessario requiri, quod idem ad fidem ejusmodi non pertineat. Cur igitur, nos, de gratia divina, deque humana libertate quid sentiendum sit, constitutum fuisse cum dicimus a summis pontificibus, ab œcumenicis conciliis; huic orationi nostræ tam vehementer Janseniani reclamant? cur liberum cuique hoc esse ad opinandum contendunt & solutum? cur ne nunc quidem, ut de tota re decidatur, aut certum ac liquidum quiddam statuatur per pontifices, per antistites, per academias, per eos, quorum sunt aliquæ partes, non sinunt? Sed in integro res ista non sit, numereturque prorsus in decretis fidei; siquidem placet nunc, commodumque est eis. Continuone cujusvis erit, id totum scrutari ac discere, & assequi intelligentia, quod intra fines catholicorum dogmatum, & variam multijugemque ecclesiæ disciplinam constiterit? Est hoc ratum atque fixum contra Græcos, Spiritum sanctum a patre & filio, duabus illis quidem personis, sed uno tamen principio, ortum ducere. an opifex, miles, monetarius. rusticus, urbanus, quidquid id est de principio uno, impune & officio salvo,

ignorare non poterit? Contra Arium pro certo habemus, filium non minorem, quam patrem esse, tametsi hic illo prior sit, ut dici solet, origine. an si quis in suprema curia præses, aut consiliarius, quid differat inter prius origine, & prius natura, non tam multum intelligat, muneribus deerit Christiani hominis, in aliquoque claudicabit? Simillime si qua mulier varia & diversa gratiæ genera notata digitis ac numerata non habeat; si gratiam nesciat certo efficientem operis, cum eo ut liberi nihilominus omni ex parte simus; si in iis, quæ necessaria proprie dicuntur, quæ coacta, nunquam philosophata sit: an ei non satis consultum & provisum ad salutem esse existimabitur?

Quid si vero non tantum necesse non est, omnes omnibus initiari mysteriis, quibus ad cultum Christi, & ad profitendam religionem veram instruimur; sed etiam est periculosum, ac nocet plerumque de his rebus plenius, atque ex toto doceri? nam si summi recte vivendi duces, & morum magistri, sanctusque in primis Ignatius, quem ego cum sapientissimis quibusque, qui abhinc multis annis fuerunt, comparo, illud oratorem sacrum præclare admonuerunt, ut & raro de prædestinatione ageret apud homines in theologicis disputationibus rudes atque inexercitatos, cujusmodi esse ferme tota concio solet; &, si quando ageret, tum paucis ageret, tum caute, ne vim humanæ libertatis, & recte factorum usum dignitatemque elevare videretur: quanto magis prospiciendum est, ne illi ipsi hac literatura parum eruditi, nullo rei sententiæque moderatore, disceptent inter se vel judicandi causa, vel, id quod pejus est, docendi? Atqui tum viri sapientes celandum de gratia putarunt vulgus imperitum, cum tamen tractata commode quæstio, & omnis mollita asperitas esset, neque, si quisque, quo modo actum de se per prædestinationem foret, intelligeret recte, locus ullus languori aut desidiæ fieret. Nunc quanto minus id committendum multitudini est, si Jansenii sectam & opinionem volumus sequi, in qua plena desperationis & exitii sint, ac proponantur omnia, Christo pro plerisque nostrum non mortuo, plerisque nostrum ob eam rem solum, quia Deo sic visum, ad sempiternam pœnam sustinendam destinatis?

Quid si rursum, quæ dixi doceri non debere propter periculum, ea nec disci quidem possunt propter difficultatem, sine aliquo jam usu & præsidio theologiæ; tamenne frustra conabuntur omnium sacrarum literarum expertes, nec ulla subtili exercitatione, nec ullis sortibus præculti studiis, hanc assequi, & aliis tradere multo majorem, & diviniorem quodammodo scientiam? Næ nos imperiti, hoc si nescimus, quod vel mediocriter in causa versati non ignorant, cum ex omnibus theologiæ partibus vix ulla sit, quæ difficiliorem cognitionem, difficiliores explicatus habeat, quam gratia; tum has gratiæ quasi partes, quæ nunc disputationibus huc & illuc trahuntur, longe omnium esse obscurissimas. Spissa res omnino & ardua, tum ad exponendum per se ac separatim, tum ad utrumque conciliandum & conjungendum, quo Deus modo bonos hic a malis impertienda gratia ita discernat & segreget ad beatam vitam, ut rationem nullam personarum ducat, nullo προσωποληψίας vitio laboret. Item quo pacto adscribere probi debeant Deo, quod salvi sint; improbi, si male pereant, sibi. adeoque illi justissimas gratias agant, & quod opem divinam præsentem habuerint, & quod ipsi aliquid cum ope divina pro virili parte effecerint. hi dolere quidem possint, quia caruerint tanto bono: conqueri non possint, quia, qualicunque vel suo, vel suorum merito, nulla tamen Dei injuria, caruerint. Nec magis proclive dictu est, qui fiat, ut effectum gratia quædam revera certoque certius, ut sic dicam, habeat, neque vim ullam nobis, nec necessitatem inferat; aut ut ea teneat principatum obsecundante voluntate, non tantum quia præcurrat recte factis, verum etiam quia partes in recte faciendo obeat potiores. cum nos auctores, & actores, & perfectores totius operis simus, mercedemque & fructum soli nanciscamur, soli capiamus. Quæ omnia quam sit interpretari operosum ac molestum, vel testimonio esse potest, ut cetera omittantur, multitudo & discrepantia interpretantium, qui aliud atque aliud de eodem, cum plus uno in quaque sententia verum non sit, dicunt.

Quapropter mirari licet incogitantiam & stuporem Jansenianorum, qui non animadvertant secum se pugnare, nec cohærere factum duplex suum, quibus modo rem hanc in difficili cognitione versari, ut versatur, modo patere, in promptuque esse omnibus, placeat. Nonne videri difficilem volunt, in qua tot summi præsules, tot doctores acutissimi, tot religiosi ordines, tota theologia, quingentis ante Jansenium annis, nihil viderit, etiamque nunc, absque eo foret, nihil aut parum admodum videret? in qua Jansenius perpurganda & ex Augustini sensu eruenda, viginti ipsos, totidem quot Augustinus ipse cum Pelagianis conflixit, annos laborarit? quæ si cujusquam præclare inventis & idonea interpretatione planior facta sit atque illustrior, ob id vehementius Janseniani expostulent, quasi, omni difficultate sublata, non fuerit quod Paulus, *ô altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, & quæ sequuntur, exclamaret. Iidem rem videri facilem nonne volunt, quam Jansenius jactet statim se a bonis & simplicibus elicuisse percontando atque interrogando, tanquam cognatam mentibus ineruditis, & feminarum consentaneam ruditati, neque a populari captu, sensibusque remotam? quam vernaculo sermone Janseniani conscriptam palam exponant, impertiantque, & pervulgent omnibus, atque in quotidianas preces ad usus pios includant? quæ puellis obtrudatur intra septa religiosa degentibus, & ipsis quoque ad communicandum minime mutis atque elinguibus? quam feminæ potentiores arripiant, ac deinde in familiam diffundant, in cognatas, in affines, in clientas, in vicinas? de qua scribant, qui nihil aliud, nisi causas egerunt in foro, aut qui rei nummariæ curatores præsunt? quam qui maxime Lutetiæ, cavillis & tergiversationibus, & naturali quadam pertinacia, & facta conspiratione tuentur, ii ex communi patriæ solo, atque ex eadem stirpe oriundi, propinquitatis potius, quam doctrinæ & facultatis gradibus conjuncti sint; quibus hoc adeo non pa-

pater cœlestis, sed *caro & sanguis revelavit?* Ut jam nulli minus, quam quorum proprium est, suscipere negotium, & gerere videantur, sive difficile sit, sive facile, sive, quod Jansenia-ni volunt, quamtumvis licet repugnet, utrumque.

In quo sicuti istorum castiganda temeritas sacrilegorum hominum, qui aliena sibi & divina, præter jus & fas institutamque vitæ rationem, vindicent: ita complurium ex sacro ordine, alioquin omni doctrina & virtute clarorum, excitandum nobis esset studium, qui securi nimium veritatis, & bonitate causæ confisi, tam negligenter & dissolute interverti initio siverint possessiones suas; ac ne nunc quidem ab ereptoribus, quod commissum a Deo & creditum soli habent, repetant, neque se ad suum munus pensumque revocent, nec meminerint contra se scriptum, nec attingere se arbitrentur, quod est in sacris literis, *Filios hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis.* Sed huic loco, disputationique nostræ tantum propositum fuit, id quod effecimus, opinor, quivis ut perspiceret, quantopere suspectum nobis esse debeat, quod Jansenietatem uterque sexus, & omnis ordo hominum tractet.

Janseniani omne theologiæ Parisiensis doctorum judicium defugiunt.

V.

Miror ego vehementer, quid sit, quamobrem qui scriptores a privatis Parisiensis theologiæ doctoribus legi scripta sua, approbarique expetierint; idem fieri recusent a convocatis ad habendum consilium, atque in unum locum congregatis: & qui tam multorum exprimere assensum, aucupari laudationes & elogia, quæ longo ordine præscribant libris, soliti sint; nunc examen & judicium aut aspernentur, aut reformident omnium. Miranda hæc multo etiam magis, cur qui, ubique rumoribus improbissimis dissipatis, persuasum esse volunt omnibus rem hic solum Jesuitarum agi, tantopere anxii sint ac solliciti, ne plus nimio faveat Sorbona Jesuitis; & qui iisdem Dominicanos adversari clamant, non causam suam permittant Dominicanis ex eadem cum Sorbona theologiæ facultate doctoribus; & qui religiosos ordines alios secum facere præ se ferunt, numerum illorum ac multitudinem in ferendis suffragiis, graviter & iniquis animis patiantur. Utrum metuunt veteratores magni, ne sibi constet sacra facultas, suisque majoribus consentiat, quodque olim uno & animo, & ore gravissima hæresis nota inussit, a Michaële Baio allatum primo, hoc idem a Cornelio Jansenio longo intervallo renovatum, totidem punctis condemnet? An laborant, ne vetetur in posterum aut auditor theologiæ pravum dogma ponere ad disputandum, quod aliquando factum est, aut professor, quod nunquam evenit ante hos dies, tale aliquid vitiosum & corruptum publice docere? Quid enim hoc est insidiarum, & tergiversationis, aut quid sibi alii ex aliis prætextus, novique colores volunt? Ausus est palam pauperculus nescio quis, sic namque appellant, certa quædam pronunciata theologica vulgare typis, & tueri disputando, contra atque syndicus, cujus eæ partes erant, nominatim edixerat. Is factum queritur stato & solenni, ut assolet, conventu, ac postulat ne impune sit homini præsidenti & temerario. quid justius? Defert præterea ad omnes, quotquot aderant, doctores, rerum judicium; quas, cum sua hæc esset potestas, deleri jusserat, ab iisque contendit, videant, sitne fas ea tradi posthac in scholis, aut sic ulli theologo censeri. quid modestius? Itaque delecti communi consensu viri sex, virtute cognita & spectata eruditione amplissimi, qui ex propositis & disputatis, perniciosissima & gravissimi quæque momenti doctrinæ capita excerpant; tum referant ad dictam diem, omnium deinde disceptanda & dijudicanda sententiis. Excerpserunt bona fide: retulerunt. magnus undique concursus, magna frequentia, consessusque theologorum, magna omnium expectatio. Cur non pergitur? cur verum non expenditur? cur non dantur suffragia? cur non aliquid de consilii sententia atque auctoritate pronunciatur? cur alia omnia fiunt? Non est, mihi credite, hic ulli curæ, quo unus aliquis academiæ cancellarius ordine ac loco sedeat: aut si est, in aliud tempus, vetus & levis controversia, nullo cujusquam vel incommodo, vel detrimento, differri potest. Non id agitur, pluresne justo de religiosis familiis theologi deliberationibus intersint Sorbonicis, jusque suffragii obtineant. qui si doctores, & viri boni, & ceteris rebus, quam alii, non inferiores, cur tantulum hoc illis invideatur? Non ullum denique tanti est, nec tanta festinatione deproperandum negotium, ut huic inchoato jam, atque instituto operi prævertendum videri debeat. Sed istæc geruntur verbo atque in speciem; &, si geruntur re ipsa, alia mente, alio geruntur consilio, ad aliudque referuntur. Conspiratio, motus, turbæ, confusæ sonus ædis, atque illætabile murmur, & vis, & minæ, & concertationes plus prope, quam verborum. quorsum? ne falsæ de gratia opiniones, errorésque perniciosi, ut futurum erat, conjunctis nec variatis recte judicantium sententiis damnentur. ne palam tot Parisiensis academiæ luminibus coarguantur. ne in disceptationem, quæstionemque vocentur omnino. ne per causam tyronis & baccalaurei, veteranus, & doctor, & sapientissimus magister noster, Cornelius Jansenius Batavus vel minimum attingatur. Quid ergo est? non licebit, quod semper licuit, ut nostra communicemus inter nos, conferamus in commune quod videbitur, capiamus de tuenda religione consilium, sacras agitemus controversias vicissimque sedemus? ac turbulentissimus quisque & seditiosissimus, si quid grave, justum, necessarium, deliberandi causa sumus aggressi, quoties libuerit, clamoribus, conviciis, denunciatione majoris mali, & varia multiplicique calumnia tempus eximet, disturbabit cœpta, cœtum dimittet, nec unquam quidquam perfici, quandiu

diu ei commodum fuerit, finet? Non erit potestas, quæ fuit hoc tempus, ut exquiramus quid docendum in theologiæ schola de superiore loco, quid e plano atque ex subselliis argumentandum, quibus standum opinionibus, tanquam sanis & sinceris, a quibus velut pestiferis & nocentibus refugiendum, quid fas habendum sit, & nefas? Non erit, inquiunt. nam aut parochus interpellabit aliquis, aut novus doctor intercedet, aut suprema curia provocabitur, aut si illa parum processerint, ad aliud decurretur atque aliud, quoque minus veniat Jansenius sub examen, sexcentæ non causæ opponentur pro causis. Atque hæc, quæ una vox omnium condemnat, quæ boni deplorant & execrantur, quæ tacita conscientia etiam reorum, nisi prorsus obbrutescunt, reprehendit, non malis artibus fieri suspicer? non lucem academiæ, non oculos theologorum, non aures totius consessus & coronæ, metu censuræ atque condemnationis, vitari putem? non magnum erroris incrementum, & religionum ruinas metuam, ubi amplius quietis & tranquillis deliberationibus locus non sit, ubi consilia salubriora excludantur, ubi sua existimationibus ac judiciis prudentum, & eruditorum, & piorum præcidatur libertas? Etenim si est boni magistratus & judicis, lites & diminuere quantum potest, & finire quam primum potest; si pœna multiplex constituta est in eos, qui temere procedant ad litigandum, aut qui vadimonium promissum, & contestatam litem deserant, aut qui quovis fusllamine moras objiciant causis, & fori jurisque velut cursum retardent: quos esse tandem Jansenianos frustratores, quove supplicio dignos arbitramur, qui tot machinis & molitionibus interrumpere tantam rem, tam his temporibus ad placandas hominum mentes necessariam, tam uno proborum omnium consensu susceptam, aut evertere penitus & impedire conati sint? Sed quia non semel, neque nunc primum, theologorum Parisiensium judicium & censuram Janseniani, calliditate, & procrastinandi astutia subterfugerunt; id totum ab initio repetam paucis, quemadmodum gestum sit, atque ordine persequar: facile ut appareat omnibus, hos tum contra se ipsos sententiam tulisse, tum judicium pronunciasse, cum tanta animi provisione & solertia, ne judicaretur, caverint; porro nocte semper & tenebris grassatos furum instar fuisse, qui quolibet pretio & conditione redemerint de custodiis & vigilibus, quoad fieri potuit, silentium.

Anni sunt circiter decem, cum liber postumus Jansenii volutari in Gallia cœpit, & nacta est infelix proles miseriores patronos, qui se tollerent. tum postea crevit aliquantum, atque adolevit, &, ut imperfectiorum celerior esse fertur maturitas, ad qualecunque culmen ætatis pervenit. Istius decennii animadverto tria distingui tempora, describique posse. Primum ab Urbani VIII. summi pontificis extremis vitæ annis fere quatuor. quo interim spatio, quandocunque Parisiensis theologiæ facultas de communi re convenit, de Jansenio nulla mentio. Alterum tempus est, cum Innocentius X. misso ad academiam, quod breve appellant, diplomate, de tota hac doctrina dedit non modo justam, sed etiam prope necessariam causam dicendi. Tertium tempus, proximum & annuum, quod ad nos usque fluxit, cum ipsi se doctores non extrinsecus & procul excitati, sed domestico periculo admoniti commoverunt, serius quidem, quam decuit, sed ita mature, ut non potuerit hora differri: si modo intra conclavia jam ingredientem, jam ingressam, jam animos improvidæ juventutis tentantem pestilentiam ejici foras, aut sisti ac reprimi placeret. Initio Janseniani, cum adversariis uterentur, quos appellare non cessant etiamnunc Pelagianos, a quibus omni ratione oppugnarentur, & assiduis prælectionibus, & disputationibus crebris, & editis utraque lingua libris, nonne, si ii essent, qui esse debent, aut si satis causæ confiderent, rem ad congregatos Sorbonæ, Navarræque, & alios doctores detulissent; ut communicatis sententiis, publico consilio, non privato judicio dimicare viderentur, ac tanta auctoritate subnixi, paratiores, instructioresque prodirent in aciem? Erat utique jus & æquum, quando Jansenius, quem doctores approbassent nonnulli, undique invaderetur, ab aliis quoque doctoribus postulari, quid ea de re sentirent, subscriberene approbationi duorum ac trium vellent, an damnandum scriptorem esse, posthabita approbatione, universi judicarent. Sed hoc nimirum non placebat audire, illud, ne non fieret, metuebant: immo pro certo habebant non futurum. Occurrebat Gamachium, Duvallium, Isambertum, omnem academiæ Parisiensis florem, aliquid aliter de gratia & sensisse, & fuisse locutos, & consignasse literis, quam ut Jansenius duobus & viginti annis somniarat. Non ignorabatur insigne anni millesimi quingentesimi sexagesimi decretum contra Baium, quod ita adversus Jansenium valeret, ut, mutato solum nomine, tanto ante factum in eum videretur. Necdum etiam ulli, quanquam facilis ad exardescendum juventus, sapientissimi magistri novi exstabant, qui ignem hunc animis concepissent, tetraque se decolorari fuligine sivissent. Necdum sollicitari potuerat, tam recenti re, cujusquam doctoris fides, nec persolvi pensio, nec spes ulla majoris emolumenti & lucri ostendi, nec ab ullo impetrari, ut, licet a Jansenio revera dissentiret, tamen contra Molinam declamaret in scholis; quo in Jansenii sententiam haberetur propensior, itaque se Jansenianis daret, operamque suam, quantum in eo esset, venditaret. Ut erat antiquitas & canities adhuc in honore, sic avita, & matura, & quodammodo probata annis doctrina apud homines adolescentes peræque & senes gravissimos vigebat. Quamobrem rati, id quod erat, Janseniani, se Parisiensem habituros theologiam judicem & condemnatricem potius, quam approbatricem disciplinæ novæ, non tantum nullam ei rem suam primis illis temporibus crediderunt, nec se in ejus potestate fore, aut usuros judicio, dixerunt, sed nihil quidquam tam, quam, ne ipsa sibi cognitionem & arbitrium rei ultro deposceret, veriti sunt, ac, si de Jansenio sileretur, reticentiam in loco beneficii numerarunt. Sinant ergo nos suspicari saltem, quod oculis & manibus tenemus, eos jam inde ab initio & errorum conscientia fecisse, ut delitescere vellent, & desperatione causæ, ut omne theologiæ Parisiensis doctorum declinarent judicium.

Sequitur

Sequitur alterum tempus, quo agi de Jansenio necesse fuit, posteaquam breve, ut dixi, scriptum misisset Innocentius X. ad academiam Parisiensem. Hic enimvero Jansenianæ factionis toto trepidatum corpore est, sudatum, æstuatum. Et sane fuit extimescendi causa. Quid enim prius erat, quam ut Sorbona haberet quæstionem de Jansenio, aperiret sententiam suam, damnatum agnosceret, quod a summo pontifice nosset esse damnatum? Ae fecisset forsan, cupiebantque omnes boni, nisi diploma sic perscriptum esset, ut, cum placeret tota res, modus rei & verba quædam parum viderentur vel consuetudini pontificum, vel academiæ institutis consentanea. Sive fuit ita, sive hoc improbi, qui ad exitum perveniri nollent, commenti sunt totum, aut exaggerarunt: visum est ideireo sic relinquendum negotium, & premendum silentio, nec in alterutram partem differendum. Quapropter effugerunt tum quoque Janseniani animadversionem theologicæ facultatis, & notam. si casu, feliciter: si consilio, callide. Tametsi non dubito, quin huc omnem vim & copiam artis, qua plurimum valent, exprompserint, isto ut metu defungerentur, quam minimo malo suo, utque in periculum censuræ Jansenius ne adduceretur, qui, id quam nollent, satis in re levi declararunt posterius. Scripserat mole quidem perbrevem librum, sed valde utilem vir natus ad ejusmodi vexandas novitates opinionum Veronus: quo in libro pari ratione & via Jansenium, atque Calvinum antea sæpe, refellebat, convincebatque falsi & erroris. doluit id Jansenianis dupliciter, & quod ab Augustino abstrahatur Jansenius, ac nihil huic fuisse cum illo commune planum fiat, & quod cum Calvino copuletur, eoque comparatione ostendatur deterior. Quare, quoniam in familiam quandam Veronus, totam nunc Jansenio, ut olim Calvino, addictam, nonnihil vere, nec sine causa asperserat; Janseniani tacendum de re, vocandum ad censuram librum putarunt eo nomine, quod probrum afferret immerentibus. Jamque ferventer urgebatur opus, & huc incumbebant studia complurium, ac nonnullis erat Iprensibus meditata dudum formula censuræ: cum venit in mentem Verono, ut sacram facultatem, universumque doctorum cœtum posceret aliquid, quod esset e re communi, & pariter cum sua conjunctum; nihil se recusare, quominus liber severis quæsitoribus suus traderetur, etiamque, si visum foret, communibus suffragiis subjiceretur; sed ea lege & conditione, ut eodem Jansenii librum argumento, eadem trutina expenderent. Optione data, sic tanquam injecta gelida perfusi Janseniani obtorpescere, animis contrahi, ac statim manus, quas ad faciendam plagam intenderant, ne acciperent ipsi graviorem, retrahere. quid multa? nihil auditum deinceps de Veroni libro. Atqui jus iste postulabat, ut, quia liber in librum scriptus esset, adeoque materia & tractatione jungerentur, vix ut posterior sine priore posset intelligi, una eademque opera examinarentur ambo. Sed maluit turba misericors insontem, qui reus factus esset, liberum dimitti, quam sontem, si reus fieret, condemnari.

Tertium tempus id fuit, in quod tota vis causæ postremum incubuit, & in quo finem aliquem & modum, aut, ut febres redeuntes longiore circuitu quædam, diuturnius intervallum cepe-rit. Datum negotium, quemadmodum initio dicere cœperam, sex numero præstantibus theologis, ut pauca, sed perversiora doctrinæ perversæ capita, præjudicio privato suo notarent, & ideam quandam ac speciem censuræ informarent; tum factum referrent ad communem cœtum doctorum, certa die. Erat ea dies mensis Augusti prima, in quam theologi convocati frequentes affuerunt. & aperienda res ad deliberandum, & rogandus quisque sententiam videbatur, cum surrexit nescio quis, & agere instituit de sedendi ordine, ac locum sibi alium, atque adhuc tenuerat, vindicare: in eoque perseverabat magna vocis contentione & sua, & suorum. Obstupescis, amice, tam præposterum hominis postulatum. agitur de maximis & gravissimis ecclesiæ catholicæ doctrinis, de gratiæ generibus, de natura libertatis humanæ. hic exortus est, qui *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis* appetat sibi, atque etiam deposcat. Sed multo mirabere illud magis, de ista προεδρίᾳ convenire nihil potuisse; ne sic quidem, ut differretur levior quæstio in posterum, salvo interea cujusque jure, ac rebus integris omnibus. Nolebant videlicet controversiam sedari, qui commorant, sed, id quod assecuti sunt, cunctando extrahi diem. Venit altera prima, ut vocant, mensis. tempus admonuit, ut transactis jam syndici partibus, & emerito biennii spatio, alius de more renunciaretur. Creatus est magno consensu, multisque suffragiis, vir hoc munere omnium judicio dignissimus. Verum quid agas? sinceram incorruptamque doctrinam & tradidit, quandiu publice docuit, & odium novitatum præ se tulit semper, &, quod caput est, parum videtur Jansenianis fauturus. nihil jure factum. vitio creatus est. non servatus mos. versata factio. Sic enim tumultuabantur & clamabant. Itaque, nulla mora interposita, externos disceptatores appellant, & provocant ad supremum tribunal, ac tanto cum studio forum urgent, ut, quamvis summus præses auctoritate aliquid composuisset inter omnes ad tempus, donec iste se quasi calor animorum frangeret, defervesceretque omnis æstus, & quamvis res prolatæ essent per dies vacationum; tamen non licuerit feriatis judicibus feriaris esse: sed jus oportuerit, causa utcunque a paucioribus cognita, dici ejusmodi, ut syndicus moveretur loco, revocaretur qui id proxime munus gesserat, gereretque, quoad universi tota de lite, repetito judicio, cognoscerent. supersederetur interea vel in scholis tractatione omni ejus argumenti. Cui decreto etsi neutra ex parte illius, justis de causis, cum bona gratia judicum, obtemperatum sit: nihilominus in eo perspicitur sensus & voluntas Jansenianorum, quibus, si non aliqua nocuissent, oculi dolerent. Atque hic, si quid sagacioribus creditur, adhibita fraus detestabilis, quod quæ formula censuræ composita erat ad specimen modo, quæque celari debuit, uti revera celabatur ab auctoribus, ea divulgata sit ab iis, qui expostulaverint deinde esse divulgatam; ideoque divulgata sit, hunc ut locum expostulandi, ansamque jure experiendi, haberent.

Sed

Sed quousque autem, Parisienses theologi, molesti occupatis judicibus eritis, petetisque ab iis, ut vos vobis placent, qui, si de iisdem rebus dissideant inter se, vos consulant, neque quidquam, nisi de vestra sententia statuant? Quandiu cum iis litigabitis, qui omnes litigandi vias, vel diverticula potius & mæandros norint, ac reddere lites immortales & possint, neque, ut satis constat, nolint? Decedite, obsecro, otii & concordiæ causa, de vestro jure paululum, atque istuc date, ut de Jansenio sileatur duntaxat. Ego verbis Jansenianis polliceri vobis possum, nihil fore, hoc si adversarii impetraverint, quin vicissim per vos exorentur. sedebit, quo sedebat loco, academiæ cancellarius, nullo interpellante. totidem, quot prius, nec plus æquo tamen, convenient religiosi doctores ad ferendum suffragium. denique & qui creatus erat syndicus vitio, rite erit & salvis legibus creatus, & quicquid vel infectum, vel irritum est, factum ratumque fuerit. Evenit ita, uti sum ratiocinatus. Postquam enim clare apparuit multa turbari, unum ut extorqueretur, ne quis ulcus ullo modo Jansenianum attingeret; pertæsumque est tot consultationum & judiciorum; satiusque visum Parisiensibus theologis, prudentes & providos esse, quam fortes: constitutæ demum res communi consensu, exitum, ut in malis, bonum habuerunt. Ac primo convenit, ut syndicus is, qui declaratus erat, declaratus porro esset: sed, ne nihil egisse, qui ob id clamores tantos sustulerant, viderentur, aliquis dicis causa potestati ejus poneretur modus. Definitum deinde & conclusum, ut nihil novi quidem nunc moveretur in eam de divina gratia sententiam: pristinis vero facultatis sacræ decretis, sat & apertis, & amplis, & idoneis, in quemcunque tandem valerent, sive in Baium, seu in Jansenium, quam constantissime staretur. Quid reliquum est, nisi ut augeamus suspiciones nostras, certiusque conjiciamus, metuisse Jansenianos auctori ac principi disciplinæ suæ damnationem, qui ab eo tot artibus examen deprecati sint, & quavis conditione redemerint silentium? Quanquam, si recte interpretamur, gravius vulnus Jansenictas omnis, ista taciturnitate, quam ullis accipere verbis potuerit, accepit. nam si nova quædam censura, tanquam plaga, inflicta Jansenio esset, numero & causa vincentibus; nihil legitime actum, nihil more institutoque, Janseniani, ut solent, dicerent. factam vim sibi clamarent. se circumventos, aut aliud simile causarentur. Nunc cum universi censuerunt in eo, quod alias judicatum esset, sine ulla controversia standum esse, satis declararunt aliquid olim contra aliquem factum, quod modo ad Jansenium, de quo tantopere timetur, pertineret: & ipsi quoque, qui se quam minimo decidisse gaudent, & triumphant, quod pacti sint silentium, auctores ejusdem decreti, hoc est, condemnationis suæ, fuerunt, ac dum verbo tenus laterent, aut capite tecto, & velut in vepreta immisso essent, satis habuerunt.

Nam quod nonnulli, decreto facto sacræ facultatis, & cognito sensu & opinione doctorum, nondum etiam dederunt manus, sentiuntque nunc, ut prius, & loquuntur vulgo, esse studia partium, atque ideo sibi ab utrisque temperare pergunt, nec se Jansenianis præbere adversarios, ut debent, nec justos approbatæ religionis propugnatores sequi, & omni ope juvare; quinam isti inflexibiles, & undique invicti, spectatores otiosi certaminum, & judicio suo sapientiores ceteris, aut quas esse partes, quos auctores & effectores partium volunt? Partes, quantum ego perspicio, sunt eorum tantummodo, qui cum primo inter se peculiari quodam vinculo conjungerentur, post a se sejuncti, pari & æquo jure apud communem judicem disceptare possint. Itaque neque summi reges duo, licet inter se bellum gerant, vere mihi ac proprie constituere videntur partes; siquidem non conjuncti fuerint antea peculiarius, nec modo ex communi judice pendeant, cujus audire sententiam legibus & officio cogantur. Neque rursum facit princeps cum civibus, aut magistratus cum privatis, partes ullas; tametsi cives desciscant a principe, & privati magistratui adversentur: propterea quod uno & eodem jure apud unum & suum omnium judicem non utantur, sed ipsimet princeps ac magistratus judices sint. Atque ut principem nullo modo transire in partes dixeris, a quo sui deficiunt per rebellionem, aut magistratum, cujus imperium ii, quibus præest, recusant: ita nec judicem, qui reum condemnet, aliarum a reo partium esse; quamvis tam contrarium se reo exhibeat, utpote qui condemnet, si res ita tulerit, quam adversarius & accusator, qui operam dant, ut condemnetur. Etenim pars & factionem sonat, & seditionem, & subitam defectionem, & discessionem novam ab officio. quæ quandiu paria, unde parti quoque nomen, & mutua non erunt, neque existent utrobique; partes aut nunquam, aut minus proprie dicentur. Fuerit forsan pars ea. quæ sponte a corpore se ac toto abruperit, aut avulsa vi, aut recisa sit. corpus ipsum, etiam imminutum aliquot membris; totum ipsum mulctatum partibus, pars non erit. Alioquin & cum synodo Nicæna Arius, & cum Constantinopolitana Macedonius, & cum Ephesina Nestorius, & cum Calchedonensi Eutyches, proxime autem cum Tridentina Lutherus & Calvinus, tanquam pars cum parte, sive par cum pari conflixerint: quod nefas & impium dictu est. nec omnino concilia generalia partibus, nec summi quidem pontifices caruerint, a quibus nullo unquam tempore non se aliqui per errorem & scelus abstraxerunt. Ut mihi ne tum quidem partes videantur fuisse, cum desciverunt Judaicæ tribus decem a duabus; quod penes has, quæ in officio & fide manserunt, justa & legitima regni potestas, ditioque resederit. Nos igitur, hoc est, academiæ catholicæ, facultates sacræ, professores theologiæ & doctores, Sorbona, Navarra, religiosi ordines cuncti, corpus sumus, totum sumus, & apti inter nos, & cum summo pontifice velut cum capite juncti, & episcopis ac præsulibus velut eximiis membris commissi atque obstricti, qui eandem de gratia disciplinam, ut patritum quendam, & avitum fundum, communemque hereditatem possidemus, qui Augustinum in eandem sententiam communiter accipimus, qui jus obtinemus de iis, qui senserint secus, cognoscendi ac statuendi. Ecce tibi Janseniani a nobis abeunt, alioque se convertunt, partem fortasse ali-

aliquam, tanquam surculi Iprenses umbram sterilem, alieno solo facturi. est eorum, fateor, alienatio, secessio, transfugium, perduellio, schisma, hæresis. nos quidem nequaquam imus in partes, nequaquam partes aut efficimur, aut efficimus, qui & adversarii illorum, quoniam volunt, & magistri, & censores, ac judices, etiamsi nolunt, sumus. Quare qui partes & appellant, & opinantur, ob eamque rem sustinent perversa quadam & insanienti sapientia judicium, seque medios & esse, & numerari volunt; seipsi profecto ignorant, qui fuerint ad hanc diem, & qui esse debeant, nec jura certa & definita Christianitatis tenent, cujus in regno & ditione tertium nihil sit, ac si qui, extra catholicos, censendi quoquo modo Christiani, non alii, quam hæretici & hæreticis propiores schismatici sint, reperiantur præterea nulli. Quos quasi suspensos, & ancipites, & nullius prope diœcesis homines, Janseniani inferiores jure, facile ferant, quod eos vel sic inclinare ad se arbitrentur, & vero prædicent: qui in bona causa sunt catholici, ferre nullo pacto queunt; memores, & quæ tradita sint a Paulo gentibus, *Unus dominus, una fides, unum baptisma*, quæque ipse Christus, cœlestis ac divinus legislator, edixerit universis, *Qui non est mecum, contra me est*.

Janseniani decretum summi Pontificis vel obstant ne fiat, vel eludunt factum.

VI.

SI, ut præ se ferre visus est Cornelius Jansenius, ac testamento profiteri, se scripta sua arbitrio & æstimationi Pontificum maximorum subjecta velle; Ita Janseniani inde usque ab urbe petunt oraculum, sciscitantes quid Pontifex Romanus suffragio suo comprobet, quid auctoritate sanciat, reque ipsa parati sunt exequi, quod ille nutu atque verbo mandaverit: quamvis aliis in rebus multa peccarint, dederuntque causam justam male de se existimandi, quod judicia refugerint præsentium piorum & doctorum hominum; depono tamen hic omnem suspicionem meam, eosque non solum culpa, sed etiam opinione culpæ libero. Sin autem & obstiterunt semper, ne quid summus Pontifex arbitratu suo, ac de sententia amplissimi concilii, decerneret, & effecerunt etiamnum omnibus modis, ne promulgaretur id, quod decretum est, ac valeret: quid aliud, minusque faciam, quam ut, ubi malum manifesto tenetur, ibi aliquid suspicer mali subesse, nec insontes & absolutos putem, qui tam valde perhorrescant & devitent communis & sancti parentis judicium? Præsagierat Jansenius, quod non erat conjicere difficile, cum nova interpretamenta subjecisset Augustino, pervertisset autem de gratia tota verum & vetus dogma, fore, ut in reprehensionem omnium vel mediocriter intelligentium incurreret, ac parum summo Pontifici probaretur. Itaque significavit quidem mentem suam in tabulis, hoc est vanitatem & confidentiam, obfirmationemque animi & pertinaciam, qui scripserit supremo vitæ die, vix addi quidquam aut demi toto in opere suo oportere. Verum adjecit, si quid Catholica & Romana Ecclesia mutandum aliquando censeat, se non recusare, quominus fieret. Convenienter hoc sane posterius, sive is morituri sensus, & suprema voluntas fuit, seu, quod verius videtur plerisque, ea facta adjunctio ad testamentum, hominis sublevandi causa, qui ferendæ ob novitatem invidiæ non esset. Quid fuit consentaneum, nisi ut heredes ac testamentarii curatores, integra re, agerent cum Pontifice maximo; si forte conformari quædam, & leviter emendari, atque ad certam Ecclesiæ normam dirigi juberet? Cur igitur neque consuluerunt, quid ei videretur, neque fecerunt certiorem, quid acturi essent, nisi quia ignorare, quid placeret, maluerunt, quam obtemperare mandatis? Quanquam ignorare non potuerunt, auctorem & magistrum publicæ religionis, minime habiturum ea rata, quæ privatus doctor, æstuans plerumque, & sibi ipse diffidens, novasset in sacra doctrina, quæque a communi scholarum usu, & omnium theologorum opinionibus abhorrentia fateretur. Sed retinendus nimirum liber cum erroribus maximis suis fuit, quem ipsi approbaverant, vel ignaris & imprudentibus quibusvis, vel invitis. Atque hæc injuria primo facta duplex, & Cornelio Jansenio, cujus frustrati sint voluntatem mortui, & Pontifici summo, cui cognitionem & judicium de religione placitisque Christianis subtraxerint. Verumtamen hoc leve, vel potius nihil ad ea est, quæ sequuntur, in quibus non jam Pontificia potestas & jurisdictio prævertitur declinando, sed occurritur ei, ac libere & contumaciter illuditur.

Statim atque Jansenii excusus de gratia liber in lucem exisset, opera & sumptibus summorum istiusmodi approbatorum: re Urbano VIII. ut necesse fuit, nunciata; etsi alia majorem haberent querelam; tamen optimus Pontifex satis hoc futurum remedii ad malum putavit, si Jansenium eo nomine condemnaret, quod is adversum & Pauli V. & sua in eandem sententiam decreta, idque cum gravi offensione populi Christiani, commisisset. Quid ad hæc Janseniani? Breviter & clare. utrumque falsum: nec libro fieri contra ea decreta, quæ promulgata more patrio, ideoque accepta non fuissent; nec offensionem ullam consecutam esse in vulgus, aut, si est, malevolorum invidorum culpa, non ullo libri vitio esse consecutam. Quapropter delatum negotium ad primos principis ministros, & loci rectores impeditur, aut sane differtur tempus. Interim mandant, anquiratur Belgio toto, sitne ita, ut tantum offensionis Jansenii liber pepererit in populis, quantum Pontifex scripto innuit. prudenter quidem in speciem, vel quo firmaretur magis Pontificium diploma, veritate comperta; vel quo justior esset excusatio, si non obtemperaretur diplomati causam non habenti. reipsa vero ridicule, cum mora tandiu afferretur legi, quandiu, an ratio aliqua subesset legis, ambigeretur. perinde quasi & e Belgio falso nunciata Romam omnia forent, & a summo Pontifice, totoque cœtu

& concilio theologorum temere credita; adeoque desideraretur in Belgis candor & sinceritas, in Romanis prudentia. Fuerunt prima hæc contra Jansenianam luem sanctissimi patris & lenia, & communia medicamenta. lenia quidem, quod omni lectione Jansenii interdiceretur, non quia mala, sed quia male, id est, contra vetitum summorum Pontificum scripsisset. communia vero, quod hæc adhiberentur etiam parti sanæ, iique ipsi uno obligati teneri viderentur & eodem decreto, qui contra improbum scriptorem scripsissent; cum in utramque partem isto de argumento agere peræque vetarentur omnes. Ut minus mirum sit, si gravi quodam & peculiari morbo Jansenius laborans, persanari curationibus non potuerit parum contrariis; fueritque descendendum ad acriora, & maxime propria remedia, quæ nulla mali vis, nec ægrotantis quasi καχεξία corrumperet.

Ergo iterum, ac novo more & modo, damnatus ab eodem summo Pontifice liber est Jansenii, quod & multa doctrinæ capita contineret, renovaret, defenderet, damnata jam a Pio V. & Gregorio XIII. Pontificibus summis, &, præterquam quod bonis omnibus & eruditis offensioni esset, contemptum afferret Romanæ sedi, ecclesiæ toti catholicæ perniciem. Huic sententiæ atque decreto quid, quæso, addi potuit ad severitatem? Damnantur ea, quæ damnata bis sint a Pontificibus summis duobus; ut triplex ista haberi condemnatio possit: & damnantur non modo tanquam *scandalosa*, aut tanquam *suspecta*, sed, quod caput est, tanquam ecclesiæ catholicæ *perniciosa*. Atque ut decreto isto nihil gravius fingi potest, ita nihil quoque significantius, neque apertius, neque minus ambiguum, aut interpretationis indigens. Quare simul ac allati sunt nuncii de tota re in Belgium, nemo omnium, in quorum manus diploma venit, de ejus sensu intelligentiaque dubitavit: de compositore & auctore venit in mentem dubitare nonnullis; vel potius induxerunt animum quidam libenter, ut, quod audire nollent, id itane Pontifex sensisset, aut censuisset, ambigerent. Ecce igitur confestim adornati a Jansenianis duo, missique Romam oratores convolant, qui præ se ferant id se nescire, quod in Belgio ignorat nemo, eoque contra diploma dicant impunius, quo magis cognitionem suam, unde & a quo sit, dissimulant. Quid multa confecter? Agunt illi per biennium cum Romana curia, qua nullus judicum cœtus, nulla respublica, nullus princeps consilia capit, negotiaque administrat cunctantius ac tardius, id est, ut periti interpretantur, prudentius. atria obsident eminentissimorum cardinalium. se inquisitorum patientissimis auribus inculcant. docent, dedocent, per se, per alios, Pontificem maximum. a quo tandem hoc abstulerunt, ut, quoniam quæsissent duo, verene ab ipso profectum ejusmodi in Jansenium, quod circumferretur, decretum, an ficta tota res & commentitia esset; si etiam, utrum tam multis deinde auditis, in eodem tamen perseveraret: primo jusserit accurate collatum cum autographo exemplum diplomatis eis tradi, ne amplius dubitaretur a se profectum: tum, ne mentem quoque suam, & constantiam in proposito, ignorarent, præcise significarit nihil se mutare. Hæc postquam isti Romam allegati percunctatores, secum retulerunt in patriam, longo loci intervallo & temporis, præter optatum & voluntatem suorum; incredibile dictu est, quam multa cujusquemodi probra Janseniani in Franciscum cardinalem Barberinum, in apostolicum apud Belgas nuncium, in assessorem sacri officii Albisium, in academiam Duacensem, in doctores etiam aliquot Lovanienses, *viros bonos & justos, qui non consenserant consilio, & actibus eorum*, effuderint: ut alios inscitiæ, alios lentitudinis, alios pervicaciæ, alios malæ fidei insimularint; nemo illis visus sit non deterior doctrina & moribus Jansenio, quem omnes damnassent. Quid loquar, ut magistratum civilem, & judices alienos, ac minus competentes interpellarint rursum? quibus modis exagitarint diploma ipsum? quam nullum omni mora, ludificatione, interpretandi calumnia, facere contenderint? surreptum fraude, prece & gratia eblanditum, auctoritate & potentia nimia adversariorum, & opibus violentis extortum. in quatuor causis, quibus est Pontifex adductus, ut Jansenium tam insigni nota atque ignominia condemnaret, nihil verum sincerumque esse, ne id quidem, in quo cardo rei vertebatur, quod ait, revocate illum & tueri multa, ante a proximis damnata Pontificibus. hic namque jus nullum agi, de quo sententiam quasi decretoriam pronunciet, numinis cujusdam instar: quæri de facto, in quo falli possit ut homo, ac reapse longe falsus sit. Modestius, quæso, Janseniane, de summo sacrarum controversiarum judice, de publico omnis religionis interprete, & legitimo divini juris vicario. Quid dicturi amplius tui in vicinia Batavi? quomodo justa & legitima apostolicæ sedis imperia magis elusuri? quam fidem posthac habituri minorem pontifici Romano? Ait: negas. inficiatur: affirmas. Te consulo. utri nos Galli debemus, & populares tui Belgæ credere? ne tu quidem tibi ac tuis oculis plus, si sapis, quam uni inter omnes mortales maximo antistiti sacrorum tribues: nec judicium tuum potius audies, quam plenam æquitatis, plenam prudentiæ sententiam. Si cum primo nefarius exiit & divulgatus est Calvini liber, quem Institutionem inscripsit, summus eum Pontifex damnasset, quod ea *contineret*, *renovaret*, *defenderet*, quæ damnata paulo ante a decessoribus suis forent in Luthero, itaque, ut dico, in diplomate causam posuisset: quis hanc judicii formam & rationem reprehenderet? aut recte & ordine Calvinum damnatum negaret? aut aliquem sibi cogitatione, ejusdem facinoris reum, fingeret damnatiorem? immo non eo factum prudentius existimaret, quia neque novi quidquam inchoasset Pontifex, neque multiplicasset sine causa decreta, neque modo nihil immutasset de constitutis priorum Pontificum, sed firmasset etiam illa magis, ac rebus judicatis, quarum est magna apud omnes auctoritas, quæque legibus pro veritate accipiuntur, stare omnino voluisset? Tum autem quis, nisi Calvinianus Gallus, aut Jansenianus Belga, dicere ausit, quæstionem esse facti, in qua possit errare ac labi Pontifex ut homo; &, quæ Calvinus libro complexus est, an insint in Luthero, adhuc dubitet? aut si id genus argumentandi valet, quod judicium, quæ censura,

quæ

quæ condemnatio non evitabitur isto effugio, cum sic omne jus ad facti quæstionem, in qua non plus existimator doctus & intelligens, quam quivis unus e populo videat, facile deducetur? Perabsurde vero, quod iidem dixerint quæstionem esse facti, in qua deceptus sit Pontifex, ut homo, qui iidem voluerint quæstionem facti esse ejusmodi, in qua, qui oculos habeat, homo nemo decipi queat. *Facti*, inquit, *quæstionem habet*, & *quidem istiusmodi, ut veritas sensu percipi queat. inspicienda tantum loca, in quibus jam dictæ propositiones tractantur.* Tam manifesta res, ut in sensus incurrat, & digito commonstretur, unum aliquem Mechliniensem, aut Lovaniensem, paucosque præterea, ejusdem instituti & rationis homines, non fugit: Pontificem, cardinales, Romanos doctores, & theologos alios, quorum ea notio, & jurisdictio fuit, fugit? Utrorum tandem ista, Janseniani, culpa est? vestrane, qui causam parum copiose & acriter exposuistis; an curiæ Romanæ, quæ se tardiorem in percipiendo jure præbuit, io disceptando negligentiorem? Estis ibi annum, unum, alterum commorati. auditi privatim & publice sæpissime estis. de scripto etiam protulistis in medium, & respondistis, quod visum est. multa a vobis depcompta vere, quæ ad rem pertinerent. plura ficta, quæ aliena essent. Cognoverunt omnia judices veri & sapientes, & convenerunt frequenter & assidue, & communicarunt inter se iis de rebus, & varias ac diversas deliberationes habuerunt. collatus cum Baio Jansenius, doctrina cum doctrina. Pii V. decreta cum Gregorii XIII. decretis. facta aliorum cum aliis contentio. Quod unum erat præcipuum causæ robur, ac firmamentum, vel potius in quo totum erat, nihil tale in Jansenio reperiri, quale esse dicerent, urgere omisistis? aut hoc idem tanto spatio consideratissima natio non vidit, non expendit, non æstimavit? Quod si & ipsi partes defensionis omnes & numeros implestis, nec illi munus ullum sinum atque officium desiderari passi sunt, ad inquisitionem & investigationem veri; nihiloque minus lata est sententia in Jansenium definitiva: quid est, cur summum cum tota curia Romana Pontificem potius circumventum, quam vos contumaces, & obstinatos, ac *rebelles lumini*, cognitæque veritatis hostes putemus? præsertim cum sententiæ, quamvis injustæ, parendum nonnunquam esse propter judicatarum rerum auctoritatem, jus etiam civile præscribat.

Atque hinc, amice, agnoscamus licet naturam & indolem hereticæ pravitatis. Quantulum id fuit, scriptorem novum, quo facile Christianus orbis in tanta veterum turba carere potuit, contineri ac supprimi, siquidem placebat sapientioribus, & unius libri jactura pacem & concordiam omnium redimi? qui si tantum politiæ causa, ac non quia malis doctrinis abundet, luce & publico prohibitus esset; tamen conveniebat, & ob interpositam summi judicis personam, & ob communem utilitatem, quam is spectavit, decreto honorem haberi. dedecuit profecto viros ecclesiasticos appellare bis a sententia summi Pontificis, & dispares binas potestates, sacram & civilem, vel adversarias experiri ambas, ut evenit, vel committere inter se: oec judicare, si perderent litem, male sibi; si obtinerent, male conditioni suæ & ordini sacro, qui antiquior esse cuique privatis rationibus debet, futurum. At Augustini auctoritas agebatur. Est scilicet commendatior Augustinus homini Batavo, & paucis ejus consciis, in extremo atque ultimo terræ angulo delitescentibus, quam Pontificibus summis, Pio, Gregorio, Clementi, Urbano, Innocentio. Agebatur existimatio Jansenii. Pluris vero esse nobis debet Jansenius, quam tot sacrarum literarum interpretes, tot veteris ecclesiæ morum, & consuetudinum periti, tot in sanctis & conciliis & patribus pernoscendis multum diuque versati, omnes de schola theologi, sive professores hujus disciplinæ, sive scriptores, contra quos unus iste, sic tanquam novus quidam Thrax aut Mirmillo, venit. Agebatur denique honor aliquis Jansenii approbatorum. Hoc illud est, quod homines pupugit, quodque male etiam nunc habet. Approbarunt Jansenii librum, & exornarunt laudibus Henricus Calenus & Libertus Fromondus. nonnihil quoque de suo inseruerunt in eum, quem soli furtim edendum curarint, & in quem sumptus primi fecerint. neque enim credibile est, tantas excitaturos tragœdias fuisse, unius demortui causa, a cujus pronunciaris & doctrina etiam tunc, cum eum defendunt, facile disceduot, nisi suum aliquid, & cum Jansenianis rationibus implicatum, tuerentur. Nos, quieti homines, solliciti erimus, &, ut sua minutis theologis duobus approbatio sarta tecta conservetur, ut inani præconio fides constet, utque alieni operis fraudulentis interpolatoribus impune sit, Italia, Gallia, Hispania, pugnabimus? Nam alios præterea esse, & numero multos, & conditione vitæ graves, quorum oomen & fama periclitetur, damnumque factura videatur in Jansenio, etsi jactarunt Janseniani antea; ne ipsi quidem nunc dicunt, qui planctum ediderint causæ animam agentis in Belgio. Ac si paucis, qui robustiores sunt in clamando, plusque ceteris cervicosi, theologastris rector gentis & princeps vere catholicus, non dico aciem gladii ostenderit, sed nutu receptui signum dederit; neminem arbitror reliquum inter Belgas fore, qui, quod Romanus jam Pontifex vetuit, exprimere literis Cornelii Jansenii Iprensis nomen, atque ore appellare audeat. Et vero diu est, quod regia majestas ibi sanxit apud suos, ne quisquam, qui ita Jansenii se manibus quasi devoverit, in ullum amplius sacerdotium veniret, neve ulli honores ejusmodi sacros capere aut inire liceret, nisi qui se nihil, cum novis istis perversæ sapieutiæ magistris, rationis habiturum, sanctissimæ matri ecclesiæ jusjurandum dedisset.

Has turbas in Belgio liber faciebat Cornelii Iprensis. nos, primo statim tumultus illius tempore, adversus alium Vergerii Sancygirani Cornelio amicissimi librum repugnabamus in Gallia, & novæ institutioni atque disciplinæ obsistebamus. Quæ causa, ut opinor, cum fuerit initio, quamobrem tardius manarit ad nos prius illud ex vicinia malum, tum hæc eadem causa semel in fines nostros ingressum provexit multo magis. Nam quæ natio Sancygiranorum infrequentem suam communionem ægre tuebatur, vixque ac ne vix quidem Paulum cum Petro ad unam & eandem totius ecclesiæ participandam administra-

tionem consociatum, pervincente contra summo Pontifice, retinebat; fecit demum non invita, ut tota a se belli moles & impetus pugnæ converteretur in Cornelium Ipreusem, & incumberet. Itaque sermo de pœnitentia publica, deque rara communione multum refrixit. nunc de gratia ferventer agi est cœptum, & res calet. Sed expositis alienigenarum conatibus, qui valeant ad laqueos infringendos supremæ legis ac fori Romani; deinde dicendum est, quos erga pontificem maximum se nostrates gesserint. Nihil hoc habet dubitationis, quin, pro more novatorum omnium, pari in Apostolicam sedem animo Galli Iprenses, atque Belgæ Iprenses, sint. Sed major certe ad facinus esse verecundia, aut dissimulatio videtur Gallorum. nam & eos sæpe audio dicere, nondum aperte, quantum fieri potest, damnatam eam causam a summo Pontifice fuisse; quasi hoc loquantur, si ita foret, se quicturos: & decretum pontificium sic video interpretari, ut non discindant vi penitus, sed molliter dissuant. Tametsi, quam nihil nimis oporteat confidere, maximo documento est, quod, cum nuper fuerit tempus, quo tempore universi ab Jansenio abhorrerent; nunc quidam incipiant non odisse: tum nemo de isto verbum facere sustineret, aut ab aliis fineret fieri; nunc & privatim multi defendant, & nonnulli palam. Neque affirmare ausim non plures futuros, qui hoc Jansenii in Gallos dictum, eos semper esse fautores novatorum, in ipso Jansenio comprobent, & hominis novitati obsequantur in dies magis, atque indulgeant. Ac primo certis auctoribus comperi, non magnum illum quidem, sed aureolum regii principis libellum, in quo is Jansenium meritissimo pro ejus insolenti & perversa doctrina notabat, interceptum Romæ, cum eo missus esset, perque duos annos ita compressum, ut in manus summi Pontificis, nisi tanto post, non venerit. Jam cum erroris id dogma condemnatum est, quo summus pontificatus tribuebatur unus duobus, quæ pars erat minima mendorum non parvi libri; iidem illi, Romæ qui elaborarunt, ne totus condemnaretur liber digne ac merebatur, an non aliquid operæ & studii Jansenio quoque navarunt, in judicium ob errores suos vocato? Certe ut neminem accusare debes temere, ita neque est, quod eos purgare, qui non curant ipsi, curem. Factum porro decretum in monstrosam illam de bicipiti Pontifice fabulam quam animi æquitate Janseniani exceperunt, qua reverentia? Statim ut perlatum est in Galliam, Lutetiamque Parisiorum venit, ecce ex altera parte famosi libelli duo, quibus non jam bini creabantur Pontifices, sed is, qui erat, de medio tollebatur. ita contra Innocentium X. contraque pontificatum totum Romanum declamatum est ab iis iracunde & furenter, ut apostolicam sedem ea re demoliri velle viderentur, quia simul duos non caperet. Quare facile intelligi potuit, quorum tum opera potissimum, diploma pontificium supremæ Parisiorum curiæ commissum sit quasi recognoscendum, quique se adversarios in id intenderint, ac tanquam rem suam tradiderint judicibus & commendarint, nihilque maluerint, quam ut labefactaretur & concideret pulcherrimum ex Pontificis actis unum. In quo eos moderatio & sapientia summorum judicum frustrata est, qui posteaquam pauca quædam diplomatis adjuncta, quæ non satis essent cum moribus ecclesiæ Gallicanæ, quæque rem non continerent, censuerint posse omitti; nullam suam in ipsum decretum sententiam interposuerunt, neque id ullo modo attigerunt; immo, si jus & constituta, quod aiunt, firmantur exceptione, comprobarunt, & quantum licebat, quantumque poterant, valere voluerunt. Quid igitur tentatum a Jansenianis Gallis Jansenii Batavi causa, perfectumque non censemus, qui tanta contentione suscepta & defensa contra summi Pontificis auctoritatem ea videamus, quæ propiora & junctiora Jansenio essent, aut eum quoquo modo attingerent? Etenim, ubi semel atque iterum ex tribunali, in hunc amplificatorem præpostetum gratiæ Urbanus VIII. pronunciavit; etsi diploma præcipue mitti ad Belgas debuit, quod ibi fons esset & origo mali: tamen, quia pars jam aliqua contagione manabat latius, & derivabatur in Galliam; nostra interfuit nos de sensu ac voluntate summi Pontificis non celari, neque ejusdem remedii, cum eodem genere morbi affligeremur; expertes fieri. Dubitabimus igitur, quin rem totam malitiosi homines interturbarint, perque Jansenianos steterit, quominus tam æqua sententia toto passim regno promulgaretur, ac vim Lutetiæ suam, quantam potest maximam, apud optimum & cupidum satisfaciendi Romano Pontifici populum, obtineret, qui contra, ut infaustus Jansenii liber ab universo Galliæ episcoporum cœtu congregato approbaretur, omnibus modis exprimere conati sint? Quamobrem non solum adscribere Jansenianis jure possumus permulta, invito & repugnante facta Pontifice; sed etiam vertere illis vitio multo plura, non facta quidem, tamen, ut fierent, & optata vehementer, & tentata dolo.

Sed quid conjectura interpretamur eorum studia, intimosque sensus, & occultos conatus, quorum verba quotidie, & confessionem manifestam audiamus, non minus Urbani VIII. interdictum, quam nos theologos, aut quosvis Jansenii adversarios, vellicantium? Videmusne, ut cum ipsis interdicti syllabis luctentur, violenter voces distorqueant, ridicule accipiant sententias, ad seque, licet contrarias & repugnantes, trahere nitantur? Quid hoc est, quod aliquis scripsit inter eos, omnium minime ineptus, improbatas Romæ Jansenianas opiniones, quod iis quidam offendantur, non quia malæ sint; malos autem etiam bonis rebus offendi? Quid ejusdem hoc aliud, damnatas summum, ut nomine erroris suspectas; suspecta vero quondam fuisse quæpiam verissima, & nunc esse posse? ut hominis vicem misereat me, posuisse eum, quemadmodum prædicat, annos septem in illius studio doctrinæ, operam dedisse Jansenio tandiu, ac nihil hisce argutiis & cavillationibus melius, tanto magistro, didicisse. Atque is quidem judicem reveretur quadamtenus, cujus emollire sententiam conetur, & mitiorem in partem interpretari, neque videri velit prorsus adversariam reo. At sunt, qui minime curent jussa, vetita, pronunciata contra se peregre, ac tam procul a suis finibus, nec habeant religioni curiam Romanam reprehendere ex toto. quippe qui sum-

ſummo Pontifici indiligentiam & ſecuritatem talium rerum affingant; collegium cardinalium condemnent ignorantiæ; vulgo loquantur inquiſitione ſacra nihil eſſe dominantius, ſine ratione, ſine cognitione, ſine majoribus doctrinis ullis; poſtremo Romam, unde omnis in omnes ſolis occidentis partes eruditio profluxit, illiteratam appellent. Quod quid eſt aliud, quam nullum in rem ſuam arbitrum, nullum ubique gentium ac terrarum agnoſcere judicem majorem, ſeque omnibus, qui uſpiam vivunt, mortalibus præponere, ac ſibi, quod omnes leges planiſſime vetant, jus velle dicere? En qui gratiæ tribuant omnia ſui deprimendi ſtudio, voluntati derogent quam maxime, & perimant libertatem, ne quid ſibi arrogent, neve toti ex divino nutu & imperio non pendeant. qui nunc nemini concedunt, qui in pervidendis cœleſtibus myſteriis perſpicacior poſſit eſſe, aut cui potius, quæ vera ac falſa in ſacris, dijudicare competat.

Capis tandem, amice, ni fallor, quam res infinite feratur, quoque præceps modo ruat ad exitium. Fuit initio controverſia Janſenianis cum religioſis aliquot viris: academicos doctores ſentire dicebant ſecum, poſt doctorum judicium repudiarunt: profitebantur obſervare ſe Pontificem ſummum, & nutus ejus minimos opperiri. jam ſummus Pontifex tantam apud eos habet auctoritatem, tantam fidem, quantam quivis noſtrum, nec majorem, nec minorem: homo eſt, labi poteſt, lapſus eſt. Quid vis amplius, ut paria feciſſe Calviniani & Janſeniani videantur, Galli & Belgæ? Sicut enim nos Belgis Calvinum præbuimus, cujus infecti veneno, inter eos pridem inſaniunt ſanequam multi, ac præſertim in eo, quod arma contra communem omnium Chriſtianorum parentem verterint: ita illi viciſſim Janſenium reddiderunt Gallis, cujus hauſta tanquam ex aliquo Circeo poculo doctrina, certos quoſdam noſtrorum ſic hebetavit, ſic in alias formas convertit ex hominibus, ut neque ejuſdem parentis agnoſcant vocem, neque verba intelligant, nec ſi quidem ſummo jure & imperio aliquid, in præſentia atque ante oculos propoſita pœna, ſanxerit, moveantur, ſed *hic*, uti Janſenius confitetur de ſe, *hæreant*. Niſi forte & hoc quoque requiritur ad veram perfectamque ſimilitudinem, ut, quemadmodum Calviniani ſæpe antea, ſpreto & repudiato pontificatu Romano, non appellabant modo, ſed vociferabantur generale concilium; ita nunc eandem averſati auctoritatem Janſeniani, par concilium provocent. Provocant vero, provocant, inquam, Janſeniani concilium. Et Gallus Iprenſis id muſſat, quotidianiſque uſurpat ſermonibus, inter domeſticos, atque intimos familiares; & Belga Iprenſis, quod longe indigniſſimum eſt, edito in vulgus ſcripto, ne quis eſſet neſcius mortalium, ac ceu denunciaret Pontifici maximo terrorem, id ſibi cordi eſſe aperte ſignificavit. *Si ea*, inquit, *Bullæ eſſet ſententia, quam aſſerunt adverſarii Janſenii, omnium maxime verendum exiſtimarem, ne tandem revocetur & pari atque olim animorum motu agitetur antiqua illa controverſia, An in cauſis Fidei à Pontifice ad futurum Concilium provocare non liceat.* O ſcelus! o furia! quem enim te potius appellem, qui facem diſcordiarum in Chriſtianum orbem immittas & ardentiſſimam nunc, & nullo forſan tempore, quod Deus omen avertat, deinceps exſtinguendam? Hic tu mihi bellicum ad omnem fidei catholicæ divinique officii proditionem canas? tu vim & minas intentes ſedi Romanæ? tu ſchiſma patri ſanctiſſimo denunties? tu cœleſte in terris oraculum, niſi, quod ipſe vis, reſponderit, ita, ut interpretaris, ſenſerit, tuum denique furorem furere jam cœperit, obmuteſcere jubeas? omnia fora & tribunalia judicum tibi iniqua ejures? aliud atque aliud numen, donec mera viſa bacchantium comprobentur, ſollicites? Parvi ſcilicet eſt Janſeniano tot in Germania, in Gallia, in Hiſpania, in Italia doctorum vox & conſenſus. parvi epiſcoporum & metropolitanorum judicia. parvi ſummus ipſe decernens & conſtituens Pontifex. Synodum indici œcumenicam, & oportet, & opus eſt, unius Janſenii cauſa, atque ex cunctis terrarum oris, lectiſſimos & illuſtriſſimos quoſque, nec exiguos numero viros ſtatim convolare, qui duobus tribuſve, caſtigandis potius inſtar Gotheſcalci, quam dedocendis, balatronibus gerant morem, & plene, ſi modo conſequi poſſunt, cumulateque ſatisfaciant. Quaſi vero nunquam non indicta ſint concilia majora ad opprimendas novitates falſarum opinionum, ac non ſæpe contentæ fuerint Chriſtianæ gentes minoribus. aut non abunde jam huic malo Tridentinum concilium occurrerit. aut ſi ejuſmodi ſynodus haberetur, quam tam multi doctrinam damnarunt ſinguli, non damnarent univerſi: ſi habita eſſet, non perinde tum vis ejus eludi, atque nunc pontificia & Tridentina auctoritas eluditur, poſſet. At ne ſic quidem agere ſolere cum Romano pontifice videmus illos, qui omnem conciliis œcumenicis principatum ſua ſententia deferunt, aut ea ſola vindicant ab erroribus invictamque vim Spiritus ſancti eis tantum addi atque impertiri volunt. Quamvis enim ſummo Pontifici non ſumma omnia tribuant, neque cauſam dicant, quin induci in errorem aliquando queat: tamen & jus hunc habere decernendi placet, ſive quid credendum ſit, ſive quid agendum, & judicata facere omnes Chriſtianos debere; nec vero eſſe cujuſvis, appellare concilium arbitratu ſuo, &, ut cogatur, impetrare. Aliter, ſi ut cuique audaci & jurgioſo homini libuerit a communi omnium catholicorum ſenſu diſcedere, iſque ſit propterea condemnatus erroris; ita huic generale concilium detur, a quo tanquam a judice majori vel confirmetur ſententia, vel reſcindatur irritaque fiat: magnam feneſtram patefactum iri ad hæreſim & quodvis malarum opinionum genus, judiciorum mora, & ſpe fruſtrandi. Et certe quis ferat, ac non amoveri procul jubeat litigatorem in Gallia, ſi deſperatione cauſæ obtinendæ inſanus, & judices ex curiis novem ſupremis, rejectione interpoſita, nullos agnoſcat, & adverſus regium concilium, atque adeo ab ipſo rege appellet; contendat autem, ut publici totius regni conventus habeantur, tres convocentur ordines virorum unde jus petatur, negetque ſe ulli, niſi quam tot ora pronunciarint, acquieturum ſententiæ? Sed concilium Janſenianis concedamus petentibus. Dicant ipſi modo diem, conſtituant locum, perſonas nominent.

credo enim, nisi hæc quoque illis, & alia prætera, quæcunque postularint, dentur; liberum concilium non erit, non legitimum, nullum erit. Jamne vides nunquam defuturum in ullis reorum causis, quod fraudatores, & inficiatores, & quivis id genus malefici, si res eorum & libido ferat, arguant & criminentur; neque hic exitum quæri discordiarum, sed processum, non majorem lucem ad veritatem, sed nomen speciosius ad calumniam; neque tam ut judicia constituantur nova, quam ut vetus sententia ne teneat, neve æquissimæ damnationi pareatur? Qua de re plura non dicam in quemquam, tantum admonebo, ex eo, quod Calviniani pari loco & statu fecerint, quid metuendum sit a Jansenianis. Vere hæc mihi videor animadvertisse duo, quæ promptum est, repetentem sæculi superioris memoriam, comprobare lectione sola annalium. Primum, nihil quidquam tanta ambitione, tantis clamoribus, & conviciis, & querelis, quantis commune omnium nationum Christianarum, non a Germanis tantum, sed & a Gallis noratoribus efflagitatum concilium: ut qui contra sacra & religiones aritas arma cepissent, tumque maxime bellum inexpiabile gererent, pacem se velle simularent. Alterum est, uno eodemque tempore, nihil utrosque tam veritos, nec tam impedire conatos, quam ne id concilium, quod poscerent, haberetur, fuisse cum, quicquid universi palam loquerentur, privatim & tacite sibi quisque summus Pontifex, sibi quisque concilium, sibi quisque Spiritus sanctus esse vellet. I, perge modo, ac, si potes, nihil tale de Jansenianis, pacificis hominibus, atque agentibus omnia bona fide, suspicare.

Janseniani Calvinianis quinque potissimum rebus similes.

VII

PRÆTER ea, quæ supra disperse multis locis commemorata sunt a nobis, in quibus Genevenses & Iprenses mirifice congruere videmus inter se; tam multæ similitudinis notæ obversantur propius intuentibus, concurruntque una, ut gemini fratres Calvinus ac Jansenius, & plusquam patrueles discipuli utriusque haberi possint, ipsaque hæresis hic etiam quodammodo erret, quæ suos partus duos, alterum ab altero, parum internoscat.

Omnium scelerum, quæ & multa & magna Calviniani admiserunt per annos sexaginta continuos, haud scio, an illud fuerit indignissimum, quod tempora impedita jam bellis, turbulenta seditionibus, variis humanarum miseriarum casibus, & adversis eventis tristia, numquam non aucuparentur ad grassandum. Nondum erat hoc eis nomen, atque appellabantur a Luthero tantum, cum commovere se in Gallia, & miscere aliquid, & tumultuari cœperunt. Quando? Extremo Francisci I. regno, maxime dum hunc bellum cum Carolo V. imperatore, eodem & Hispaniæ rege susceptum distineret, isque ad id Germanorum copiis, & auxiliaria vi egeret. Fuit illa quasi Cannensis, aut Alliensis, Gallorum clades & singularis quædam, & prope incredibilis calamitas, quam Henricus II. ex uno ad sancti Quintini prælio accepit. deletus flos nobilitatis. exstinctum robur copiarum erat in luctu regia. toto passim regno cives jacebant. ubique horror & consternatio. Hoc ipsum publici mœroris tempus Calviniani captarunt ad nocturnos conventus agendos, ad celebranda clandestina orgia, ad introducendas Lutetiam in ipsum regni gremium pestilentes & infectas opiniones vicinorum, & gravissima patriæ in extremum discrimen adductæ mala, suam occasionem putarunt. Qui vero se triginta annos tegerent latibulis occultorum locorum, & noctibus nefariam religionem tuerentur, propterea quod palam exilia illis, & laquei, & ignes intentati essent; eruperunt tandem in apertum omne latrocinii & impietatis genus, reges nacti pueros, nondumque adultos, primo Franciscum II. mox Carolum IX. atque utriusque regni primordiis insultarunt, proposita sibi impunitate, quod imbecillam ætatem principum, quicunque sint, & quantumcunque possint, minus valituram existimarent contra scelerata consilia. Denique nullum fuit tempus tam periculosum, tamque durum postea, quod non periculosius ac durius homines inquieti & audaces fecerint: cum imminerent in omnem opportunitatem perturbandi communis otii, nullam prætermitterent. Nunc ipsi quo pervenerimus, forma regni qualis sit, quæ facies, atque omnia nostra quemadmodum sint, apparet. Quod ad externos quidem, tametsi Gallicæ res non improsperæ videri possint, certe quandiu bellum erit, firmo & stabili loco non erunt. Inter nos vero, cum multa multis dolent, quibus nulla publicæ rei quies & tranquillitas grata esse queat; tum qui clavum tenent, & ventis utuntur secundis, ut ars non desit, solliciti nihilominus sunt, atque incerti pendent ignoratione futuri, neque infidum mare, quamvis arrideat, sine aliquo timore non timent. Ac licet omnia domi forisque ex sententia succedant, minor ætas regum pupillorum infirmum ac debile per se tempus est, & inclinationibus rerum semper infestum. Hoc igitur Galliæ statu Janseniani, nisi hic quoque imitari facta Calvinianorum vellent, nobis intervenirent occupatis, & multiplici hoste laborantibus? novi de religione aliquid in tam alienum tempus conjicerent? nec recordarentur, Christum doctrinam non detulisse suam mortalibus, nisi cum summa pax toto orbe terrarum, & otium esset; apostolos & discipulos nullius principis turbidis rebus insidiatos, ad notitiam & venerationem veri numinis furtim provehendam; reliquos doctores nullis se populis contra alios venditasse, neque ex alterutrius partis incommodo commodum ullum, quod in cœlestem ac divinam religionem cederet, percepisse: contra falsas aliorum plurimas religiones natas in ruinis, crevisse factionibus, bellum ac tumultus aut quæsiisse, aut fecisse? Si quam pietatem in patriam, & populares, & cives suos, si quam erga regem, regnumque benevolentiam haberent; non continerent aliquandiu apud se disciplinam, etiam optimam & sanctissimam, potius, quam signum tollerent

poten-

potentioribus & & seditiosis ad spes novas, & si minus materiam darent civilium armorum, certe occasiones ad audendum aliquid, & movendum vel levissimas offerrent? in causa præsertim religionis ancipiti & lubrica, qua nulla majores animorum motus ciet, nulla couversiones rerum publicarum celeriores efficit. Quocirca sæpe dicere soleo, Jansenium nocere Gallis voluisse, qui contra reges ac gentem totam librum maledictis infamem scripserit; sed voluisse duntaxat: tum vero, tum illis nocuisse, cum alterum ad eos de gratia librum per heredes transmisit, unde ad novæ cujusdam disciplinæ instituta erudirentur. Quid enim capitalissimis Galliæ hostibus accidere potest optatius, quam si opinionum varietate abalienentur animi nostrorum hominum, coitiones fiant, erumpant sectæ, perfugia & auxilia parata ostendantur primariis viris, si qui amariores, atque ad ulciscendum propensi, se facile, ut fit, læsos injuria, violatosque puteot, aut si qui cupiditatibus effrenatis suis vel honorum, vel opum indignentur offici? Itaque nullus io Germania, in Italia, ne in Hispania quidem, cui magnis atque impudentibus mendaciis inservivit, Jansenio locus. is quoniam nusquam alibi cuipiam iotegræ nationi obtrudi potuit, ad nos itum est Gallos, faciles, & credulos, nihilque mali suspicantes. Media in Gallia, si patimur, resque sic abeunt, Jansenius triumphat mortuus de inconstantia & levitate nostra, cui vivus insultavit. viget Lutetiæ nostro periculo, & magnus atque honestus est, quaque in civitate se vix misere sustentavit, privatus olim unius, aut alterius pueruli magister, nunc factus est communis mulierum & virorum doctor, & cum sancto Augustino confunditur, & sanctis patribus aliis anteponitur. Quod si clarissimus Turcarum imperator Solimannus significavit, habere se gratiam Luthero, primo ea ætate veterum sacrorum perturbatori, quod Germanos, infensissimos hostes suos, a religionis controversiis districtiores teneret, & simultatibus exerceret ac bellis tantisper, dum sibi crescere liceret ex eorum damno, & Christianarum gentium oras ad imperium Mahometis, ditionemque adjungere: quantum a Jansenio beneficium adversarii omnes nostri acceperunt, qui tantam in agro Gallico sementem discordiarum fecerit, atque arma in medium, quibus digladiaremur inter nos, & debilitaremur viribus, & mutuo conficeremur, projecerit?

Solebant etiam Calviniani numero & potentia, quanquam falso, gloriari, tum ut animos adderent suis, tum ut conciliarent auctoritatem sibi, ac metuerentur saltem, quandoquidem summo odio essent apud omnes. Perlege horum historiam, recole acta illius temporis, quid vulgo loquerentur, quid scriptis mandarint; sic reperies, nullum ingenio, aut industria, aut ullis literis excelluisse paulo magis, quem non in suorum numero reponant. Quod si nonnulli aliqua celebritate famæ viri sic eis aperte inimici fuerunt, ut res dissimulari nullo modo possit; dicere videmus, præbuisse illos quidem aures veritati, neque initio sensu & voluntate a Calvini disciplina fuisse remotos, verum sponte sua, & consuetudine vitiorum depravatos postea, atque in *reprobum sensum traditos*, male periisse ad extremum. ut reges etiam Galliæ primos duos, a quibus damno, vinculis, exilio, morte coërcerentur, jactarint idem secum aliquando sensisse; non ausos tamen, cum tempori servirent, id, quod animo sentiebant, vultu, & oratione, & professione ipsa vivendi, promptum habere. Postquam autem ejusmodi hæresis tollere caput altius, & os suum improbum ostendere populis luce palam, ingredique audacter oppida & domos cœpit; nihil crebrius quidquam Calviniani, neque elatiore voce, quam sibi esse quinquaginta millia hominum, qui eandem sectam sequerentur, personabant. Publico Galliæ procerum conventu, libellum supplicem regi offerunt, quo suæ cuique religionis colendæ potestas permittatur? Quinquaginta millia hominum huic libello, si lubet, aut si opus videtur, subscribent. Clam reginæ matri, quicquid studio, labore, fide, constantia possunt, id omne ad retinendam summam auctoritatem, administrationemque rerum deferunt? Quinquaginta millia hominum præsto ei, quotiescunque volet, erunt. Denique petunt, recusant, promittunt, minantur, denunciant, affirmant? Quinquaginta millia hominum stant in procinctu, dumque signum detur, expectant. Adde quod, tanta vi & copia hominum cum se jactarent, intelligi placeret eos modo, qui aperte, ex unaque majorum provinciarum duodecim, profiteri, & edere nomen, & venire sub censum vellent, quique per ætatem & vires ferre militiam possent. alios namqoe aut tacitos, aut ex aliis regni oris ac regionibus, & mulieres, & viros, & pueros, & puellas, ejusdem instituti tenaces, numero prope innumero reperiri, pro quibus etiam universis duo millia centum quioquaginta concedi templa sibi postularent. Itaque egregius eorum fautor, cum totis lateribus id edictum suaderet, quod a mense Januario deinde nomen accepit; quo edicto reges cum primum hæresim in Gallia libertate donarunt, tunc se cogi, nec esse liberos, ipsi significarunt; dicere non dubitavit initio orationis, plures quadringentis millibus amplexos eam sectam fuisse, & mordicus tenere. ad quæ demum adjecit, credo ut oratio cresceret, eos jam ad quartam civilium & regni incolarum partem, si numerus ineatur, & comparatio fiat, pervenisse. Falsa hæc omnia, sat scimus, cum hæresis temporibus illis nata recens, non adulta videretur; & abhinc annis tantum duobus, aut summum tribus, nancisci nomen & aliquid virium cœpisset, atque emergere ex tenebris, & lucem hominum aspicere, & consistere in publico auderet; necdum ullum religionis causa prælium, quæ postea multa commissa sunt, initum esset; & vero ibi, ubi novatores isti degerent, de magistratu pariter, & populo quererentur, per quos esse nusquam tuti, quierique possent. Quod si tamen facta jam ab iis sceleratissima conjuratio contra regem, & excitati tumultus Ambacienses declarant, non paucos tum fuisse pro tempore, qui talia instituissent cogitare & moliri; opponi potuit insanis tanta multitudo sanorum, ut illi præ his non modo partem quartam Galliæ, sed ne quartam quidem & vigesimam, aut etiam millesimam effecerint. Idem Jansenoiani de numero & præstantia suorum magnifice, sed haud paulo, quam

quam Calviniani, mendacius loquuntur. Jucundum sane auditu, quo modo res suas ostentatores gloriosi amplificent, & majores faciant verbis, utque clarissimos quosque & nobilissimos ex quovis literaturæ genere viros, & tanquam causæ suæ patronos, & velut sententiæ atque opinionis suæ participes, sibi vendicent. Sunt ordine religiosi, & doctrina insignes duo, quorum unus alias in scholis docuit de statu puræ naturæ aliquid a Jansenii sensibus prima fronte non abhorrens; alter ex mente Augustini conscripsit de eo, quod quosdam Deus peccati primi quasi cœno oblitos, sua voluntate, nulla eorum culpa peculiari, sic reliquerit. In istos Janseniani manus injiciunt, suosque esse jamdiu clamant: nec moventur, quod ambo deinde ediderint contra Jansenium libros, quibus doctrinam illius totam funditus evertant, &, si quid casu secundum eum dixissent, quod non fecerunt tamen, indictum se velle satis declarent. Respondent enim novatores nostri, hoc eos ordini suo dare, in quo liberæ non sint suæ cuique cogitationes & sententiæ; dare sodalibus, quibus displiceat, si aliter, atque ejusdem ordinis alii sentiunt, loquantur: ac demum si jam secum non sint in eadem sententia, satis esse quod fuerint; & nunc transfugas, & ex eorum genere, *qui ad tempus credunt*, merito videri. Novi ego, & vero cuncti norunt, concionatores quoque duos, eorum, qui e superiore loco ad coronam populumque dicunt, facile principes, quos ab initio Janseniani numerabant inter suos. Sed quoniam illos nolle, & passim reluctari, atque in omni hominum cœtu pernegare intellectum est; sparsus nihilominus ab improbis istis famigeratoribus rumor, ipsos, quicquid loquerentur, idem existimare, ac Jansenium. quod autem removere conarentur a se opinionem doctrinæ novæ, id eos temporis causa facere. Ut sapientissimi homines, quibus talia de se falso jactati & percrebrescere grave esset, necesse habuerint, plura etiam, quam primo statuissent, in Jansenianos dicere: quo ab iis vindicarent se sibi, atque assererent, & satisfacerent bonis, & imprudentes ignarosque dedocerent. Quare egomet, qui jamdudum Jansenium, ut debeo, & meretur, tracto, si tanti sim, ut aliquid prodesse posse causæ videar, non despero fore, quin me ad suum quoque numerum Janseniani aggregent, quod illos in suspicionem tantum vocem, quos jam convincere iisdem argumentis, & condemnare potuerim. Usque eo quippe grati sunt, ut non modo si quis eos non pulset, cum possit, verum etiam si quis levius pulset, quam possit, beneficium interpretentur. Lepidos vero homines: volupe factum. si Jansenianos Gallos audis de Jansenianis Belgis; totum Belgium Jansenii est. sin audis de Jansenianis Gallis Jansenianos Belgas; uni Gallia studet Jansenio. At si verum scire volumus, etsi tunc nimium quoque mali graminis sit, cum existat vel minimum, tamen hic atque illic magna horum sapientum infrunitorum, pro venditatione tanta atque ostentatione vitium, paucitas. In Belgio quidem, ubi academiæ percelebres duæ, totidem metropolitanæ sedes, crebra oppida, frequentes incolæ, præter quatuor aut quinque notiores, vix nomine dignum quemquam reperias, qui sic insanire cum Jansenio nimia eruditione velit. In Gallia vero cum Lutetiæ tantum sit Jansenianorum, quantum reliquo toto regno; tum ibi, quæso, istorum quam gravis anctoritas? quam frequens numerus? An Catharinam habent reginam, quæ conniveat? Minime. An Hospitalium cancellarium, qui faveat? Nequaquam. An Odetum cardinalem, qui sectam sequatur? Nullo modo. Regios principes, qui se duces præbeant? episcopos decem, quos summus Pontifex, tanquam errori assensores, anathemate feriat? Burgæum supremæ Parisiorum curiæ consiliarium, qui pro causa profundere vitam, inter crepitum, ardoremque ignium, non dubitet? Nihil horum. Hæc enim sunt, quibus concedant oportet Janseniani Calvinianis, &, cum tantum gloria se & prædicatione efferant, quantum illi, multo minus causæ efferendi sui habere se fateantur. Quinam ergo in Gallia Janseniani? qua gratia? quo numero? Primum homines, ipso in portu nescio quo, propemodum fide naufragi. deinde personati, qui nomen celant & ementiuntur suum. ex quibus videlicet nemo ad hanc diem, cum se, qui erat, adscripsit in libris, præter unum aliquem, rei nummariæ, ut opinor, scientem, sed omnis sane theologiæ ignarum, quem, velut contemptiorem quendam, & pretii minoris hominem, in medium, ad tentandum periculum, projecerunt. tum ii, quorum causa nihil adhuc publice, & cum auctoritate gestum nihil indultum a principe: nihil approbatum a præsulibus: nihil ab ullo magistratu adjudicatum. postremo, si eorum per se numerum spectes, pauci; si cum aliorum recte sentientium multitudine conferas, pauciores; si vim & gravitatem mali, & contagionem expendas, nimium multi.

Tertium quoddam genus convenientiæ Jansenianorum cum Calvinianis, in pari ratione versatur & scribendi libros, & excudendi typis, & in omnes regni provincias dividendi. Septemdecim sane menses, qui totum Francisci II regnum tenuerunt, paucique præterea, quibus regnare Carolus IX. cœpit, tantam segetem, tantumque proventum infelicissimorum scriptorum attulerunt, ut hoc ipsum satis Calvinianis fuerit ad separatum volumen, & justum quasi corpus conficiendum. Jamvero quanta uno exemplo multitudo & copia distribueretur per civitates, & vicos, & domos nobilium, & cum omni hominum genere communicaretur, vel ex eo perspici potest, quod est eorum historia referta martyribus iis, ut appellant, qui, cum fasces librorum cuncta Gallia deferrent, maximeque Lutetiam comportarent, quos partim venderent occulte, partim donarent, partim huc & illuc spargerent, deprehensi sint in maleficio, & iisdem vivi flammis, quibus interdictæ merces incenderentur, judicum sententia deflagrarint. Atque hæc eadem nos historia docet nullis istos bonis opibusque suis pepercisse, quarum etiam nonnulli ampla patrimonia distraxerint, unde sumptus ad libros edendos non solum necessarii suppeditarentur, sed etiam liberales. Quod autem intelligebant, odiosas plerisque novitates impias & sacrilegas opinionum futuras, nisi malum penitus abditum lateret, plurimum illecebrarum extaret foris; dederunt operam, ut & a scriptoribus dicendi genus afferretur quam fieri posset elegantissimum, & a librariis codices sin-

gu-

gulari opera, artificioque expressi, typis novis, charta candidissima, inaurati extrinsecus, belle cooperti, in manus curiosas adolescentulorum, & mulierculatum venirent. Itaque Joannem Perpinianum, disertissimum e societate Jesu oratorem, cum de retinenda veteri religione apud Parisienses ageret, legendo cognovimus (extat enim oratio) jam tum, anno superioris sæculi sexto & sexagesimo, illud ab auditoribus suis contendisse, viderent, ne delicatis sermonibus, ac blando verborum lenocinio caperentur, &, ut venustissima & pictissima quæque essent, quæ promplissent a se novatores, ita captiosissima esse, ideoque longa animi provisione fugienda ne dubitarent. *Si quis*, inquit, *vobis capitalis hostis, vestri sanguinis exsorbendi cupidus, multisque rebus jam ante cognitus, munus ornatissimum sua sponte mitteret, quidquid illud esset, quod offerret, non quo majoris pretii, pulcriusque videretur, eo suspectum magis haberetis? ita cum aliquem ex isto numero suavissime & eruditissime loquentem audietis; cum liber vobis admirabili artificio compositus offeretur, sive Pontifex maximus, & ecclesiasticus ordo universus facetissime videbitur, sive obscuriores librorum sacrorum loci acutissime explicabuntur; sive difficiliora religionis Christianæ capita subtiliter disceptabuntur; munera esse cogitate ab illo inimico adornata, qui nihil magis optat, quam æterni supplicii socios nos omnes habere.* Sed quid plura nos hujus generis frustra percensemus, quibus ea, quæ de Calvinianis legimus, omnia in Jansenianis facile liceat intueri? Ergo, ne bis eadem repetere cogamur, dicamus potius, quid hi, ab illa disciplina profecti, nunc agant exemplo majorum suorum, quoque modo eorum laudibus respondeant. Habent Janseniani nostri certos homines, sive pretio & mercede conductos, sive novæ cuidam devotos, consecratosque solitudini suburbanæ, qui nihil aliud agant, nisi scribant, hanc artem profiteantur, hanc operam navent, dictumque sapientissimi vatis pro sua parte vehementer comprobent, nullum modum ac finem fieri librorum scribendorum. Ab his quippe prodire quotidie videmus apologiarum non modica volumina, quibus ad libellos nonnunquam perbreves respondeatur. perinde ac si vicerint, causam, eque judicio discedant superiores, qui majorem scripti molem ac spissius opus opposuerint: aut non sæpe inepti auctores crassos & vegrandes libros componant, quod exiguos componere, id est, conferre rem in pauca, propter inopiam consilii atque intelligentiæ, non queant. Neque tamen non monstrantur Jansenianorum parvi aliquot & informes fœtus, ut modus quidam precationum, in quo varii illigantur errores, ut de gratia catechismus, qui quia ab iis improbaretur, quorum ea potestas erat, redactus est in precandi formam, & mutavit nomen. quasi vero hæresis, hæresis non sit, sive catechismi nomine appelletur, sive precationis. Quicquid hi certe scriptitant, magnum, parvum; facilis compositio librorum, in quibus vel id, quod agitur, non agunt, vel eadem millies ingerunt lectoribus. Amabo te, quid tam firmum, tamque valens priores attulerunt, cur a vetere sententia desistamus? quomodo repulsi deinde auctoritate & rationum vi, respondent? Ad multa, persæpe nihil: ad unum aut duo, sexcenta. Qui quasi aliud agentes prætereunt silentio, & dissimulant tum sua, quæ refutata sunt, tum aliorum, quæ de integro objecta, atque iis, quæ ad rem maxime pertinent, omissis, in levibus, & alienis, & supervacaneis habitant, seque perfectum opus putant habere, dummodo respondisse, seu potius postremum locuti fuisse videantur. Quemadmodum autem scriptores, empti pecunia, locatunt operam suam ad conscribendos libros; ita qui prælo eosdem committant, & protrudant foras auspiciis suis, typographi quoque emuntur. Is, qui emisit in lucem primus Augustinum Jansenii, negat ipse editionem a se susceptam privato sumptu, cum par tantæ impensæ non esset; sed numerasse diversos pecuniam de suo, &, quæ essent opus, contulisse. Ad tantam vero turbam novorum voluminum, quanta ex Jansenianis officinis exit assidue, quibus tam sanæ mentis reperiantur emptores, duo tresve largitores & prodigos aiunt erogare solere opima annua sacerdotiorum, & alios fructus, & ipsos avitos fundos. cum parentes, fratres, cognati fremant interea, non tam ista sibi, & indigentibus, in quos recte potuissent poni, eripi, quam in usus adeo perversos, specie quadam assimulatæ religionis, converti. Ceterum isti innumerabiles & pretiosi libri, quamvis sint, ut a me dictum est, bis empti, semel a scriptore, iterum a librario, qui suam utrique artem commodarunt ad opus faciendum; tamen dono dantur, primo sociis, amicis, proximis; deinde potentioribus, & gratiosis; tum externis, & longinquis, & ignotis; sæpe etiam invitis & recusantibus. in quo tanta liberalitas est, tantaque ambitio, & magnificentia, ut, etiamsi peregre mittantur in ultimas civitates, iis, ad quos ita missi fuerint, de vecturæ mercede cautum sit, nec ullus quidem teruncius sumptus fiat in quemquam. Et donatus quidem liber, si animadvertimus, multo est potior, quam coemptus, & legitur libentius, & influit suavius, & citius persuadet; & hoc ipso quasi remuneramur munus, quod gratum acceptumque habeamus. Ac ne forte ignores, omnia agi compacto atque ex insidiis; nullum nomen typographi, nullum auctoris, non approbatio doctorum, non a rege facta publicæ lucis potestas. ut relinquatur incertum, Coloniæne Allobrogum, an Lutetiæ Parisiorum; a Calvinianis, an a Jansenianis, tot concepti editique ingeniorum quasi partus abortivi appareant: nisi quod Janseniani, si quando Latine scribunt, pessime scribant; Calviniani, quæ Gallice scripserunt, ea puro & probo, ut illis temporibus, sed qui nunc obsolevit, sermone scripserint.

Nec scriptis vulgandis tantum nostri novatores, veterum novatorum more, pellicere singulos quosvis improvidos ad sese, & delinire omnibus rebus, quibus lector capi, & retineri potest, studuerunt: sed & universos cœtus conciliare sibi, ac demereri conati sunt; in his unumquemque paulo clariorem, & aliis præpositum, & qui cum potestate aliqua imperioque esset; idque eo magis, quod, si res procederet, in uno plures ad suas rationes adjungerent. Hic appello fidem & constantiam vestram, Abbates, Priores, Superiores, & si qui alio nomine præestis, quos Cornelius Iprensis

fis cum illo pari suo Joanne Vergerio attentarit, ac pæne alias, nisi Deus prohibuisset nefas, decepit. Tenetis memoria, qui ex vestro convictu & sodalitio destinati Lovanium studiorum causa, quique etiam missi, ut uni Jansenio, tanto magistro, aliis posthabitis omnibus, operam darent, & in Galliam, peregrinis & fucatis instructiores opinionibus & doctrinis, ad suos redirent. Vivit etiamnum summa pietate & prudentia quidam præfectus cœnobii, a quo impetrare duodecim, & plures ex eo ordine adolescentulos Vergerius identidem se velle diceret, quibus præpanderet lumen ad sacras literas, expositione certa conciliorum & sanctorum patrum, hoc est, quos novellam ac suam theologiam doceret, & a recta communique intelligendi & sentiendi via, in privatos errores deduceret. Neque nos fugit, nonnullis, religiosis hominibus, & in primis eruditis, quibus aliquid ægre esset, aut cum æqualibus dissensio, aut de superioribus querela, magnas spes ostensas opis ac præmiorum, simulatque hi Jansenianis annuissent. Quid ego nunc deplorem, publicos in academiis sacræ theologiæ professores sollicitatos multiplici pensione, & latis conditionibus valde bonis; qui tamen alto, ut sic dicam, vultu, quicquid offerretur, rejecerunt? Quod utinam fecerint, excepto nullo, ad unum omnes; nemo venalem habuerit, & addictam licitatoribus sententiam, & doctrinam suam: ignoremusque & divisas pecunias, & divisores pecuniarum. Quid expostulem, quod studiosi complures, sive qui argutari subtilius, sive qui commode scribere, aut, ascendere suggestum aliquando possent, pro suo quisque fortunarum modo, & necessitatibus vitæ, invitati sint quæstu & lucro ad percipiendam novam disciplinam, & ad eas opiniones, quas emptori aut datori visum esset, defendendas: quorum quidam hamum vorarunt; alii quidvis potius, quam sic alieno arbitrio sapere, ac mercenariam religionem colere, maluerunt? Patienter vero quis ferat, nullum neque collegiorum corpus, neque aliquanto nobilius & frequentius contubernium reperiri, quo non viam Janseniani affectarint, eque suis certum aliquem introducere tentarint: cum per diœceses ac parœcias, inter etiam ipsos canonicorum venerandos cœtus, habere emissarios factionis suæ conentur? Omitto, quemadmodum, in intimum principis sacrarium cum obreperent, atque aditum omni ratione molirentur, non ejecti regia, neque enim pedem illuc unquam potuerunt, sed exclusi sint, ac de spe conatuque in reliquum tempus depulsi. Prætereo, ut servos, & ancillas, & comites, & eleemosynarios, qui appellantur, & alios literatos homines, si quos habent in manu, conscios arcanorum & occultorum omnium, viris ac feminis primariis tradant, unaque & eadem opera in familias ac domos amplissimas, venenatos & pestiferos ritus suos, quantum possunt, & corruptelas opinionum immittant. Illud oblivisci non debeo, quod Jansenianis intelligimus placere præter cætera, ut in aures & animos influant puellarum, quas interposita voti sponsio domi, intra religiosos parietes, tenet, quasi septas liberali custodia: tum quia istæ sponte sua promores videntur esse ad novitates pias, & ad ea, quæ speciem habent virtutis cujusdam non vulgaris nec usitatæ: tum quia quod earum uni doctrinæ instillaveris, nullo negotio manat ad alias, quæ communi domicilio utantur, neque dedoceri tam cito possint aliunde: tum quia matres, sorores, consobrinæ, affines, quæ sæpe & libenter visunt, facile adducuntur, ut ea sibi vera esse persuadeant, quæ ab iis didicerint; existimantque, nihil omnino posse, nisi purum & salubre, ex ita clauso & integro fonte hauriri. Adde quod religiosarum virginum illustrior est gratia, latiusque patet, quæ maximam partem sint bonis parentibus atque honesto loco natæ, cumque raro sedem & patriæ solum mutent, ibi quæque apud suos plurimum polleant. Janseniani itaque & puellas nonnumquam, quas sibi devinctas communione doctrinæ, & quasi sacramento eodem obligatas tenent, eo deducunt & collocant, etiam dote iis vel in totum dicta, vel ex parte; & si qui ejusmodi velut conventus ac sodalitates, ut sunt molestissima tempora, difficultatibus domesticis laborant, in eas parva quædam officia conferunt, & majora se pollicentur præstaturos. Quare, ut dicam quod res est, per mihi mirum, prodigiique simile videri solet in tot laqueis, quot illi insidiatores nostri tam multis hominum generibus tetenderunt, ita parum eos lucri & prædarum fecisse, ut, qui se Jansenianos usurpent, aut palam dici velint, audeantque præferre sensus aperte, nondum facile compareant.

Quanquam, si attendere velimus, nihil erit negotii secernere eos ab aliis, & internoscere ex quotidiano ac familiari sermone, &, quod minus probabile videatur, ex oris habitu, intimoque sensu animorum, qui se foras, velint nolint, plurimis & manifestis indiciis prodit. Atque hoc ultimum est, in quo magnopere inter se Calviniani & Janseniani consentiunt, quod utrosque signa quædam & peculiares notæ, quibus ipsi similes sint, discriminent a cæteris. Observatum olim est a majoribus nostris, qui se cumque Calvino tradidissent in disciplinam, atque impia superstitione semel imbuti essent, hosce torvum aliquid ac truculentum gerere ore atque oculis: ut intentare ecclesiæ catholicæ minas, aspernari summum pontificem, liberum & legitimum provocare concilium, Galliæ denique regibus, nisi confestim darentur sibi templa, & potestas fieret de religione sentiendi quod vellent, ipso supercilio bellum indicere viderentur. Iidem habebant hoc etiam, ut verba & locutiones certas usurparent, quibus distingui agnoscique possent ab audientibus: Christum sæpe appellarent, Jesum non item; dominum dicerent, non adjicerent nostrum; æternum proprio & perpetuo, nec fere alio epitheto Deum nominarent; similia horum frequentarent putidiuscule inter loquendum. quæ quamvis levia per se videri possint; nequaquam tamen levia sunt in re, quæ gravis ipsa sit. Et nostro quidem tempore, si quando de Calvini caterva aliquis ingrediatur iter nobiscum dissimulata persona, latere non potest diu, nec efficere, quin pereat tanquam sorex indicio suo, si perstrepere, ut illi solent & voces istas familiares suas, *le Christ*, *le Seigneur*, *l'Eternel*, fundere incipiat. Quid, Jansenianis suæ quoque insignes & propriæ ad agnitionem nonne

ne notæ sunt ? Risi equidem, cum audivi, qui nominatim proferrent hujus antesignanos disciplinæ, dicerentque, eos exigui capitis omnes, de genere esse microcephalorum : quos ego capitones potius censuerim, propter contumaciam & studium pertinax vincendi. Illud dico, ex subito occursu, ex congressu primo facile dignosci homines, qui dicam nobis impingere velle semper ob Augustinum a patribus majoribusque nostris non intellectum, aut injuriarum postulare nos ob cæsum verberibus immerito, præsertim grandem jam natu, Gothescalcum, videantur. qui eisdem sermonibus obtundant omnium aures, nec de libertate hominis saucia peccato, nec de gratia victrice ac triumphali intermittant unquam loqui. antiqua concilia : sanctos patres, nascentem ecclesiam, qualis ea neque fuit, neque erit, assidue sonent. tum autem vias vitæ, & rationes agendi inusitatas, & in suo quidque genere singulare, atque a consuetudine communis sensus disjunctum, cupidissime persequantur. vetere & quotidiana omnium institutione Christiana contenti non sint : sibi catechismos habeant privatos. publicas & solemnes ad precandum numen formulas nauseantes rejiciant : comparent editas ad usus suos. Est hoc nimirum superbiæ non partes tantum sibi primas arrogare, & antestare velle omnibus, sed affectare etiam proprium quiddam & peculiare, quo reliqui mortales careant : quod ea re possessorem delectet, quia solus potiatur, solus suum esse jure possit dicere. ut, si aliorum fieri commune incipiat, nolit jam, & fastidiat, prorsusque quasi vulgare & tralatitium abjiciat. Sic ergo Janseniani solent, sic existimant, sic loquuntur, sic ubique se gerunt. Quamobrem ? Quia nunc alii non sic. Ex quo admodum mihi credibile fit, istiusmodi homines, si, quod agunt, assecuti essent, persuasissentque cunctis tandem errorem suum, rursus ipsos mutaturos consilium, & ad eam mentem, a qua discessissent prius, quo soli saperent, neve aliud, ac ceteri, non sentirent, redituros.

Ac de cognatione consensuque Jansenii cum Calvino, utriusque discipulorum inter se, satis dictum arbitror. Concludendus is modo locus est, & ea ratio, quam jamdiu urgemus, definienda. Si Jansenianorum & Calvinianorum paria sunt consilia, germanæ artes, similia facta ; quomodo non eosdem in exitu rerum casus pertimescemus ? &, si calamitates, quas prior ætas vidit, appropinquant, aut instant jam plane temporibusque nostris, hac religionis & sacrorum depravatione, impendent ; cur non tardi potius in judicando, qui domesticis exemplis edocti, nihil commoveamur, quam ταχύπειστοι, & tuta omnia metuentes, reperiemur ? Galli certe, quibus quondam, adeoque multis ante seculis, vitio data est Galla credulitas, aliquid tandem aliquando sapere, vel recenti patrum nostrorum detrimento, debuimus, qui tantas, tam brevi tempore, tamque multas pœnas credulitatis nostræ dedimus.

Peroratio per epistolam ad amicum.

HÆ sunt, amice, numero septem gravissimarum suspicionum causæ quibus ego adductus, homo, ut scis, antiquorum hominum, ac minime natura suspiciosus, judicium meum sustineo, a veteribus sententiis nihil deflecto, diffido novitati ; utcunque ista se res habeat, modum rei neque probare, neque agnoscere audeo. Nam si nunquam committerem, ut evangelium Christi, quam voles sanctum, haberem pro firmo & rato, & sine ulla dubitatione amplecterer, id si mihi malis rationibus duntaxat proponi scirem ad credendum, vel armis atque vi obtrudi, vel fabulis anilibus & confictis miraculis asseri : dabit hanc veniam mihi Jansenius, ut sibi nec facile, nec cito credam, tam callide & fraudulenter in disciplina tradenda versato. præsertim cum non mei me mores, non ætas suspiciosiorem, sed recordatio præteriti temporis, cumque præsenti collatio cautiorem fecerit, qui pressa ubique ab Jansenianis vestigia Calvinianorum deprehendam. Quod si jam veteribus istis novi se nostri dogmatistæ, quoniam tam similes paresque non doctrina modo, sed vita sunt, conjungerent, idque *quod faciunt, citius facerent* : nec plus, credo, in præsens mali, & minus insidiarum ac periculi foret ; cum quisque bene catholicus, quos habere pro adversariis veræ religionis, a quibus sibi metuere, & ad quos esse tectior debeat, nihil hæsitaret. Sed hoc est forsan quasi in fatis, ut, quemadmodum oportet hæreses esse, ita aliæ ex aliis plerumque de generando nascantur, & parte omissa, partem sibi retineant errorum. Arianis Semiariani successerunt. Pelagianos exceperunt Semipelagiani. sunt post Eutychianos * Semieutychiani appellati quidam. sunt, quod idem ferme valet, acephali. habuerunt complures præterea hæretici suos velut semisses ac dimidiatos sectatores. Quid si, proxime Calviniani cum viguerint, obsoletique nunc, & redacti sint ad paucos ; existere Semicalviniani incipiant, qui de gratia Dei, & de libertate hominis cum Calvino falsa eadem sentiant, non eadem in ceteris, quæ Calvinus peccavit, peccent ? Quamcunque sane, Janseniani, sortem deligatis vobis, & quicunque malitis esse, sive transeatis in Calvini castra aliquando toti, sive ab iis profecti semel, vestris deinceps signis, & vestro ductu imperioque rem geratis : facere non possum, quin vos habeam semper suspectos, sic, ut ostensum est, diffidentes a nobis, sic & nobiscum dolo ubique malo agentes. Nam si cuivis in tutorem, qui res pupilli administrat non bona fide, composita suspecti nomine datur actio ; isque removetur tutela & famosus e judicio discedit : quis mihi non concedat, ut sacræ, quæ nostra est a Christo hereditas, doctrinæ tractatores fallacissimos in suspicionem vocem ? Nec vos ego tamen, quod

Aaa 2 licet,

* Facundus Herm. l. 1. c. 5. n. 36.

licet, quod expedit, quod forſitan jam factum oportuit, ſuſpecti actione convenio apud ſanctius & ſacratius regis conſilium, cujus deceſſores proximi ſeptem reges tot olim edictis Calvinianos confixerunt. non apud congregatos Galliæ epiſcopos, qui contra eoſdem, quantum poterant ex ſua dignitate, ſtatuerunt. non apud regni ſupremas judiciales curias, præcipueque Pariſienſem, quæ prima omnium, primum Calvini librum, nefandam Inſtitutionem, facto decreto proſcripſit. Hos hominum tres ampliſſimos ordines ſcio perfidioſis conatibus & cœptis veſtris adverſari, atque occurrere poſſe. ſcio jus habere animadvertendi, ſi qui novare aliquid velint in receptis ritibus, ac malis doctrinis publicam rem miſcere adoriantur. ſcio jure ſuo & ſæpe alias, & diverſis temporibus, ut occaſio tulit, uſos fuiſſe. Quid facere nunc, pro ſuo quiſque gradu ac munere, debeant, continuone principiis, ne malum ingraveſcat, obſtare, an id, ſi forte evaneſcat ſponte ſua, negligere; vel neſcio, vel non dico. Ut meum non eſt, ſapientiſſimis proceribus onus ullum imponere laboris atque officii: ita nec eſt mortalis cujuſquam liberare eos iſta cura, ſi res admonet, ſi venit maturum tempus, ſi præſens periculum cogit. Sua cuique mens & conſcientia ſatis idoneus teſtis, & arbiter, & æſtimator eſt officiorum. Deus vero, Deus, principum, præſulum, magiſtratuum omnium judex & ultor, cujus nec Janſenius ullus graviſſimum tribunal effugiet unquam, nec ſi qui Janſenii alicujus pernicioſos errores ferunt obſcurius, aut eoſdem mollioribus ſententiis alunt. Reos, Janſeniani, vos apud vos ago: vos vobis judices fero. acta & Janſenii, & veſtra recognoſcite; qua ille fide verſatus ſit in interpretandis bellorum cauſis & fœderibus Galliæ: quibus ambagibus ac præſtigiis, per Auguſtini, perque Pelagii nomen, vobis illuſerit: qua vos arte viciſſim alios ex utroque ſexu, & ex omni ordine hominum deceperitis, nihil neque ſummorum doctorum examen ac cenſuram, neque ſummorum pontificum decretum morati: quid ſimile denique cum Calvino, homine ad perniciem exitiumque patriæ nato, habeatis. tum ſi non ſitis ipſi ſuſpecti vobis, non recuſo, quin egomet non modo temere ſuſpicax & vanus futiliſque conjector, ſed nequam etiam, atque improbus calumniator exiſtimer. Sin autem hic veniat vobis ex æquo in dubium veſtra, & ſigniferi ac ducis veſtri fides, ut veniet profecto, ſi ratione rem totam, non amore, aut odio æſtimetis: nec vos Cornelio Iprenſi dociles, ſicuti antea, ad errorem & ſcelus, nec vos vobis credulos in poſterum, ad inconſtantiam & ſententiæ religioniſque mutationem, præbete. Audite amicos amicos & fideles, qui vos, ut a ſe diſcedere & avelli moleſte tulerunt, ita reddi quamprimum ſibi, vehementer cupiunt. audite doctores primarios, qui plebeiis, & obſcuris, infimique ſubſellii theologis veſtris, ſacrarum literarum intelligentia longe multumque præſtant: plus quidem certe in eo ſtudio valent, quam hic iſte Janſenius, auctor, ut leviſſime dicam, imperfectus, qui ſcripta non recognovit, qui ipſe non edidit, qui forſan mutaturus maximam partem, forſan ſuppreſſurus omnia, ſi adhibere ſe in conſilium potuiſſet, fuit. Nolite hanc noſtratibus hæreticis lætitiam dare, ut nova ſibi ſupplementa contra ſummum Pontificem, & contra Romanam Eccleſiam ſuccreſcere, compararique putent. hunc mœrorem bonis & catholicis, ut a vobis cavere, quamvis popularibus, & neceſſariis, & conſanguineis, & domeſticis, congreſſuſque veſtros fugere cogantur. hunc alienigenis ſermonem, ut irridere inconſtantiam & mutabilitatem nationis noſtræ pergant. Nec vero addite hos animos hoſtibus, nos ut, diſtractis ſententiis ac ſtudiis, infirmiores & extenuatiores eſſe, ſibi perſuadeant. Neque ſpem hanc facite ſeditioſis, ut quid turbare ac machinari ſtatuant, perfugium rebus ſuis ac ſolatium, tanquam in novis tabulis, ſic in novis doctrinis, conjurati collocent. Simul & illud cogitate, quid reſponſuri aliquando regi ſitis, ſi forte vos, ad perfectam ætatem cum pervenerit, & ſummam rerum per ſe adminiſtrare cœperit, ita compellarit. Quid, Galli, agitis, quicunque vos dici Janſenianos aut vultis, aut ſinitis, aut non omnibus modis recuſatis? quæ vobis inita vitæ ratio? quæ doctrina defenditur? Majores noſtros, cunctoſque cives accepimus religionem coluiſſe æqualem regno, in qua plurimas ætates ad hunc uſque diem, ſingulari fide, conſtantiaque perſtiterint. tantum abhinc annis centum extitiſſe videmus degeneres aliquot & averſos a vero errones, qui moribus patriis & regia clementia tolerentur: ſed tolerentur duntaxat, idque ad tempus, nec publicæ religiones permittantur plures duabus. Ecquod tertium genus hominum eſtis, de quibus neque regum quiſquam ante nos audivit, neque lex ulla rogata eſt, neque magiſtratus auctoritas interceſſit? Cur non vel cum parente communicata meo, vivo adhuc & regnante, veſtra hæc operta, quibus fidem, quam vellet, haberet; vel mihi, dum per ætatem poſſem cognoſcere, qualia ea eſſent, reſervata? Cur pueritiæ meæ, ac tutelæ tempus interceptum, ad ignotæ propagationem doctrinæ: cum neque, ſi mala eſt, ſatis arcere, impeditiſſimis regni temporibus, liceret; neque, ſi bona, tamen propter periculum novari quidquam, in tanto rei ſacræ negotio, & ita cum civilibus negotiis conjuncto, me impubere, necdum valido annis, conveniret? Nunc ubi nobis hereditas ab optimo patre, ac rege præpotenti relicta, non fructuoſiſſimæ provinciæ, non ampliſſimæ urbes, non munitiſſima ſitu & opere caſtella, ſed cives & concordes inter ſe, & expediti ad imperium principis, & cum eo communibus religionis ac ſacrorum vinculis, quoad ejus fieri poſſit, colligati? Niſi forte regem tantum cives obſervant, tantum amant, cujus ſententiam de Deo, religionemque condemnant, a cujus pietate abhorrent, quocum in re, quæ poteſt eſſe, maxima, diſſentiunt. At quis iſte tantæ dignationis & pretii vir, propter quem graves ubique exiſtunt controverſiæ, periculoſæ novitates introducuntur, doctorum pariter & indoctorum omnis commovetur chorus? iſne, qui publico ſcripto locuples auctor Janſenius Galliam, ſive pacem, ſeu bellum gerat, injuſtitiæ damnavit? Homini dare veniam, a quo ipſi injuriam accepiſtis, Chriſtianorum fuit. eidem habere honorem, a quo dedecus regibus eſt illatum veſtris, Gallorum certe non fuit. Quid? illum non ſicuti aliquem ex ignobili Batariæ oppidulo profectum, ſed

de

de cœlo miſſum, qui oracula fundat mortalibus, intueri? Quid? illo uno velut rege ſacrorum & arbitro, ſemotis & redactis in ordinem legitimis poteſtatibus, uti? Quid? illius gratia negligere patrias leges, quibus adſtricti eſtis, & a communi civium officio diſcedere? nonne turpe, & vobis indignum? nonne ſceleratum etiam, & nefarium eſt? Vetat jus, ne qui cœtus habeantur, neve pecuniæ conferantur in commune, neve collegia ſodalitia, vel quodcunque tale corpus conſtituatur, niſi ex magiſtratus auctoritate ac principis. Quid horum a vobis, cum nihil permiſſum eſſet, omiſſum fuit? Quis permiſit, ut viginti numero viri, alias triginta, nonnunquam etiam ad quadraginta de rebus occultis & ignotis, quodque minus fieri fas ſit, de religione coiretis? Quis, ut pecuniam daretis, contribueretis, ſolveretis, unde eſſent ſtipendia in verba Janſenii & veſtra juraturis? Quis, ut in ædibus virorum quorumdam nobilium, turpiſſimo mercatu venales malæ notæ libros haberetis? Quis, ut ad duodecimum milliare ab urbe, familiam, & contubernium inſtitueretis, ubi neque religioſo more, neque civili, neque urbano, neque ſolitario viveretur? Quæ cum ſint in re quavis publica aperte mala, nec ullo modo ferenda principi, contraque vindicanda legibus, tam admiſſa præter leges; tum præſtare nemo poteſt, non pejora multo latere, magiſque intoleranda, quæ metum faciant haud incautis, ac paulum modo in poſterum proſpicientibus viris. Quamobrem, ſi quem adhuc ſenſum recti & æqui habetis, deponite illicitas artes. capite conſilia vobis & tutiora, & honeſtiora. hanc mihi opinionem fraudis atque inſidiarum ſalrem eripite: ſi vera, ne aliquando decipiar; ſin falſa, ut eſſe jam nunc ſine ſollicitudine incipiam.

Verum cur vos, Janſeniani, differimus in aliud tempus, quærimuſque, quid reſponſuri regi ſitis, mortali mortales, ſi quando vos iſte rogarit, & veſtrorum a vobis admiſſorum rationem exegerit? Quin ſciſcitamur potius, quid in præſenti, hoc ipſo puncto temporis, regi immortali Deo reſpondeatis, & quo ei modo cauſam veſtram probetis, per quos univerſæ pax & concordia eccleſiæ rumpitur, & ipſa eſt pietas offenſioni in vulgus, & virtus odio pleriſque, & religio curam & ægritudinem creat. quotum ex doctrina, divinorum beneficiorum ignorantia malitioſa, ingrata oblivio, diminutio atque extinctio impia naſcitur. tum vero ex una parte angores animorum ac deſperationes; ex altera licentia cupiditatum, & peccatorum omnium: quibus duobus, ſi hoſtis hominum teterrimus veniat ab inferis ad nos, nihil neque ad Chriſti contemptum, neque ad perniciem Chriſtianæ gentis afferat accommodatius. Repetit hodie nimirum Deus a vobis ſanguinem ſuum, quem tam reſtricte, ac maligne fuſum eſſe vultis. Repetit multiplicem gratiam ſuam, quam uniuſmodi, & paucorum vobis eſſe placet. Repetit libertatem, qua homines hac in vita, duriſſimo neceſſitatis impoſito jugo, privatis. Repetit ipſos homines, quos ignaviter ac diſſolute, in ſumma incuria cœleſtium rerum vivere, emori denique nulla numinis fiducia, nulla ſpe bona, nulla ſalutis expectatione, præclara iſta veſtra diſciplina cogitis. Quare, quando cariſſima patria, periclitans jam nimis diu per vos, ſanctiſſimaque eccleſia, graviter laborans ex vobis, una voce revocat unumquemque veſtrum ad officium; audite, obſecro, audite utramque parentem, alteram, a qua Galli, alteram a qua catholici nati eſtis. filios exhibete vos tractabiles, & in negotio tanto, veſtro præſertim, morigeros. dediſcite noxios errores, quos nondum bene didiciſtis. obliviſcimini novitatis & argutiarum. redite ad vos, ad nos, ad cauſam & frugem bonam. hoc agite, huc incumbite, quandiu res in integro ferte tota eſt, & deſiſtere vel tacendo licet, ac videri poteſtis hactenus diſputaſſe potius, quam crediſſe; quandiu certe conclamatum non eſt de doctrina, & ſalute veſtra prorſus, nequedum aperta declaratione nominum, perſonarum, voluntatum, perire obſtinaſtis. Et vero cum multa ſint, quæ vos ad mutationem iſtam mentis, & ad pœnitendum, quemadmodum prædicatis ipſi, invitent: tum nihil, quod quidem ſentiam, deterret, quo minus iidem, qui ante aliquot annos eratis, hodierno die, deincepſque ſitis. Quid enim eſt, quod volentibus obſtet, aut ullam faciat omnino moram? Utrum opinionem timetis levitatis, qui modo hoc ſequamini, modo illud? Tum timenda fuit, cum perennem majorum, conteſtatamque doctrinam cum novella & peregrina commutaſtis. nunc pertinaciæ, ſi perſeveretis in errore; non, ſi referatis animum ad veritatem, inconſtantiæ nota metuenda. An vos illud urit ac macerat, quod ex ordinibus vel religioſis, vel aliis aliqui obſtruant quodammodo luminibus veſtris, ac nonnihil gratiæ & auctoritatis conſecuti ſint a populo, & principibus viris, probitate cum vitæ tum doctrinæ, quod æquis oculis aſpicere, & pati non queatis? Non ſunt, mihi credite, ii, qui eſſe debent, niſi jus ſuum, quoad licet, abdicent, placandæ & leniendæ offenſionis veſtræ cauſa, ex eoque, quod ipſi quacunque re poſſunt, plurimum remittant, ut aliquid eſſe videamini. neque digni habendi invidia, ſed contemptu, ſi, cum virtutes Chriſtianas majores profiteantur, ſalutem veſtram repræſentari incommodo quovis ſuo, & jactura famæ, atque exiſtimationis ſuæ nolint. Quod ſi dulce eſt laudari, appeti, eſſe aliquo numero apud potentes & beatos, quamvis imperitos, dominatum & principatum inter ſuos quendam tenere, idque ipſum vos, ut ad hanc primo amplectendam ſectam impulit, ita firmos & conſtantes in eadem facit: accipiatis velim bonam in partem, quod mihi, mecum multum diuque reputanti, vere videtur dici poſſe. neque enim inſultandi, ſed admonendi gratia dicam. Quam vultis licet ipſi vos ametis, & quam multis rebus ſimiles aliis novatoribus noſtris ſitis: tamen, ſi quotquot Janſeniani & Lutetiæ, & circum Lutetiam quaquaverſus, & reliqua Gallia ſunt, conferantur in unum; nec ingenio, nec eruditione, nec ſacrarum literarum ſcientia, nec patrum uſu, nec ſolertia diſputandi, nec ſcribendi & agendi vi ac dexteritate, eritis uni Joanni Calvino, aut uni Theodoro Bezæ unquam pares. Sed contra faciamus, ſingulos Janſenianos univerſis ſuperiores eſſe Calvinianis. addamus, vos juſtis quatuor pro parte ac diſciplina veſtra initis præliis, non victos ſemper, ut Calvinianos, ſed victores diſceſſiſſe. vos eoſdem fingamus oppida, & arces munitas qua-

tuor, tum deinde octo, tum plures, ad præsidium stabilitatis vestræ, pactos esse vobis ab invitis regibus, quemadmodum Calvinianos, &, quod Calviniani non fecerunt, retinere vi etiamnum, & in vestra potestate habere. isto modo, quantum cogitatione licet, augeamus cetera. Tantine misera, & jejuna, & infamis, ut sic loquar, fama, & vesanus habendi nominis amor, cupiditasque est, ut cum parricidis, atque impiis nebulonibus, patriæ simul & religionis pestes nominari, quam æternum jacere in occulto, si necesse sit, & conscientia optimæ mentis tacite vobiscum frui malitis? aut tam vilis gratia bonorum, prudentum existimatio, civium caritas, sermo externarum gentium, judicium posteritatis videtur, hæc ut omnia contemnatis, ac pro nihilo ducatis præ vana & inani gloriola, cujus & ratio reddenda brevi cum extremo spiritu, apud incorruptum, atque inexorabilem judicem Deum, & merita ac debita pœna sempiternis ignominiis luenda? Sed hominibus tristia desinamus ominari, pro quorum salute devovit se Christus, ac mortuus est, quibus & gratiam, quæ sufficiat ad resipiscendum, si conferre de suo, quod possunt, velint, a Deo affuturam spondeo, & ex animo efficacem opto.

Interea nobis, amice magne, nihil aliud reliquum est, nisi ut id non propositum modo ad legendum, sed etiam ad imitandum præscriptum putemus, quod in Julio Cæsare omnis ad hanc diem laudavit ætas, ut, quemadmodum ille Pompeiam uxorem, quæ venisset solum in opinionem domestici probri, confestim repudiavit, cum nihil per se cogniti haberet, neque comperti; quoniam, sicut ipse dixit, suos tam suspicione, quam crimine judicaret carere oportere: ita nos Jansenietatem, multis & justis de causis suspectam, facessere procul a nostris finibus, & sibi res suas habere jubeamus. Habes ergo Cornelium Iprensem cum tota Iprensium, quantacunque est, stirpe ac familia suspectum. eundem convictum expectabis primo quoque tempore, meque amabis. Bene vive, & vale.

SUMMA RERUM.

AN-

ANTONIUS GODELLUS,
EPISCOPUS GRASSENSIS,
AN ELOGII AURELIANI SCRIPTOR IDONEUS,
IDEMQUE UTRUM POETA.
Libelli FRANC. VAVASSORI *tributi.*

PETRO AURELIO
THEOLOGO

Veritatis amatori acerrimo, Hierarchiæ vindici justissimo, Episcoporum defensori invictissimo

ELOGIUM

Generalis cœtus Cleri Gallicani Patres congregati anno Christi M. DC. XLVI. scripsere.



NGEMUERE omnes boni, cum ex Anglia in Galliam libri enatarunt, quibus hierarchiæ bellum indicebatur, Episcoporum, falsa erga sedem Apostolicam obsequii specie, proterebatur auctoritas, & quod fidem superat, venerandi Confirmationis sacramenti, quia Episcopalis ministerii proprium est, vis omnis destruebatur. Horruere universi, cum a sacra Parisiensi facultate, ab illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi, nec non a celeberrimo Gallicanorum Antistitum cœtu, justissimis censuris notatos tam horribiles libros, quidam ex ipsa damnatione ferociores effecti, non modo propugnare, sed in censores quoque famosos libellos, novis erroribus squalentes, ausi sunt conscribere. Verum Dei Opt. Max. providentia qui Ecclesiam suam nunquam sinit impune violari, extitit repente Hierarchiæ vindex acerrimus, Petri Aurelii nomine, omnibus notus, omnibus ignotus. Hæc errorum monstra, hæc contumaciæ portenta, vir ordinis Ecclesiastici omni procul ambitione, amantissimus, & in ipso veræ avitæque Theologiæ sinu educatus, aggressus est, & libris præstantissimi editis gloriosissime jugulavit. Gallicana Ecclesia tam eximio defensionis genere patrum dignitatem restitutam, adversariorum errores confutatos, calumnias dilutas, mendacia retecta, stultis denique secundum stultitiam illorum, (ut scriptura jubet) responsum fuisse, gaudet, gratulatur, exultat. Nescit quid potissimum in fortissimo propugnatore mirari debeat, an rerum ecclesiasticarum eruditionem, Patrum, Conciliorum noti-

notitiam, an styli majestatem, & pugnæ accommodatam eloquentiam; an in eruendis adversariorum technis solertiam; an in erroribus refutandis rationum pondus; an in asserenda veritate candorem; an in explicandis mysteriis abstrusioribus ac divinioribus felicitatem; an spirantem erga sponsam Christi amorem; an veram minimeque fucatam mentis humilitatem & gravitatem. Unum est quod doleat, incompertum sibi adhuc esse, qua manu tot fortissima tela in hostes vibrentur, quaque ipsa tam gloriose triumphet. Quod potuit Clerus Gallicanus ut grati animi sensum significaret, & hominem de hierarchia tam bene meritum e tenebris, quibus se continebat, in lucem evocaret, cumulate præstitit. Sed neque legatione honorificentissima ad illum ubicumque tandem reperiri posset Comitiorum anni M. DC XXXV. auctoritate decreta, nec propositis præmiorum illecebris adduci potuit, ut susceptæ moderationis velum detrahi sibi pateretur. Satis habuit pro Ecclesia quam deperibat, strenue laborasse. Qui in occulto uni Deo militaverat, in occulto a summo Imperatore coronari studuit. Non famam, non honorem, non gloriam aucupatus est, non orbi terrarum præclaris lucubrationum titulis innotescere voluit. Magnum est tot præstantes libros edidisse, tot secunda prælia decertasse, tam procacibus veritatis hostibus altum silentium imposuisse. At longe maximum parta fama frui nolle. Quisquis es, igitur, Aureli, qui tantis nominibus Ecclesiasticum ordinem obstrictum tenes, qnia per modestiam tuam laborum tibi præmia reddere non licet, sub alieno nomine, hoc a nobis amicitiæ, gratitudinis, honoris testimonium accipe. Si ut vovemus, adhuc in vivis es, prodi tandem, & omnium oculis optatissimum vultum exhibe. Sat modestiæ dedisti. Noli iis, qui tuis laboribus fruuntur, teipsum invidere: nec diutini triumphi gaudium, victoris absentia corrumpi sine. Quod si post bonum certamen pro Ecclesia certatum, coronam justitiæ a justo judice accepisti, fac ut aliquis surgat ex ossibus ultor, qui nomen Aurelii, quod omnibus sanctum est, a calumniis in posterum vindicet, & te in prosternendis hierarchiæ hostibus, passibus æquis sequatur. Zeli tui imitatores, gloriæ hæredes, præstantissimi exempli laudabilis æmulatio parturiat, ut ecclesiæ cujus amore pectus tuum ardebat, dignitas imminuta, per novos subinde defensores, pristino splendori restituatur. Ceterum norint posteri, Clerum Gallicanum Aurelio plurimum a se deberi profitentem, quod potuit, persolvere voluisse: vel vivi meritum, oblatis præmiis, vel mortui memoriam, delatis honoribus impense coluisse: & quotquot pios eruditosque habet Gallia, statutis Aurelio justis monumentis, ad præstandam simili studio, constantia, zelo, Ecclesiæ omni ex parte impetitæ, operam & præsidium excitare contendisse.

AN-

ANTONIUS GODELLUS,

EPISCOPUS GRASSENSIS,

An elogii Aureliani ſcriptor idoneus.

Paulus Romanus Candido Heſychio S.



DIOSAM rem moves, Candide Heſychi, minimeque hoc tempore ad diſceptandum neceſſariam, rećtene, & ordine, Antonius Godellus, epiſcopus Graſſenſis, fecerit, qui quod ſcriptis Petri Aurelii præponeretur elogium, conſcripſerit. Negem enim? facio injuriam Cleri Gallicani patribus congregatis, qui precibus id ab eo contenderunt. Affirmem? difficile mihi quidem eſt, qui ſapientiſſimorum præſulum perſcriptas auctoritates agnoſcam, rationes ignorem. Scis autem me loqui tunc, cum numerantur ſententiæ, non plus ſolere, quam, cum ponderantur, tacere. Accedit eodem, quod, ſi dignus elogio Aurelius videretur, ut plerîſque videtur, nihil mali ſit, iſtuc ei, quo dignus eſt, vel a quovis impertiri. Si non videtur, hoc jam aperiendum ſit, quare ſic cenſeam; itaque plus mihi contra Aurelium, cui ſcriptum elogium eſt, quam contra Godellum, a quo ſcriptum eſt, dicendum relinquatur. Ex quo apparet, cum de uno ſciſcitere, de tribus hominum generibus oportere reſponderi. ut periculum ſit, ne aut eatur contra torrentem, quod vetere proverbio vetamur, ſi quid de Aurelio, famoſiſſimo ſcriptore, detraxero; aut, quod magis nolle debemus, pietas lædatur, ſi unus adverſum tot religioſiſſimos ac ſanctiſſimos patres venero. Nam ne Graſſenſi epiſcopo diſpliceam, ei ſi repugnem, minus laboro; cum jam pridem quærat adverſarium: contraque vereor, ne hominis cupiditati atque ambitioni inſerviam, qui ſcriptitandi argumentum, & facultatulæ hujus ſuæ oſtentandæ occaſionem undiquaque captet. Sed quoniam cum me ſententiam rogas, declaras tuam; ſignificas certe, in utramque partem rem poſſe accipi, qui, in quam accipiam, petis; quoniamque aliud eſt, negotium cuipiam, quod gratum fore ſcias, honoris & benevolentiæ cauſa deferre; aliud, onus, quod humeris ſuſtinere non poſſis, temere recipere: nihil te celabo, eorum præſertim, quæ a cauſa ſejungere potuero vel Aurelii, quem minus moror in præſenti, vel antiſtitum, quos ſumme, ut par eſt, veneror. Sic enim ſtatuo, inveniri hoc loco quiddam, quod ſibi vindicare Godellus poſſit, tanquam proprium, ac ſuum: ideoque fraudandum præmio ipſum non eſſe, qui perſolvit alteri tam prolixe, tamque liberaliter elogium. Non enim, ſi cauſæ fuerunt plurimæ graviſſimis epiſcopis, cur uni e ſuis, epiſcopo Graſſenſi, aliquid mandarent, continuo nullæ fuerunt Antonio Godello, quamobrem onus recuſaret, deprecaretur honorem, tenuitatem excuſaret, atque imbecillitatem ſuam: neque, ſi laus aliqua verborum Aurelio tribuenda fuit, idcirco convenit, Godellum, quis ipſe eſſet, qui præſules, quos loquentes faceret, oblivíſci, nec ullam tenere partem decori. Itaque duo oſtendam, neque hanc eum provinciam ſuſcipere præter ceteros debuiſſe, & ſuſceptam aliter, ac fecit, tueri atque adminiſtrare potuiſſe.

CAPUT PRIMUM.

Quam prudenter elogium Aurelianum Antonius Godellus ſcribendum ſuſceperit.

AC ptimo quid attinuit Godellum honorifica de Petro Aurelio patrum congregatorum ſenſa efferre verbis ſuis, quæ privatus cujuſlibet præſulis librarius, nullo negotio, ſi juſſus eſſet, extuliſſet? cur munus hoc, & penſum præreptum vel experientiſſimis *promotoribus*, quos vocant, vel exercitatiſſimis *agentibus*, ut dicitur, vel omnino actuariis & ſcribis, auctoritate publica conſtitutis, fide & uſu probatis? Majus quiddam ſcilicet elogium fuit ſcribi, quam eo ut aſpirarent, qui literis ac monumentis maxima quæque ſacri conventus acta conſignant? minus quiddam, quam ut ad id deſcenderent, qui minima quæque pari ſtudio & ſedulitate perſequuntur? Nullam rem tamen eſſe video, neque tam magnam, neque tam parvam, quam non horum quaſi notariorum excipiat, & complectatur labor: nullam, quæ aliis ſcriptoribus præcipue, latis ſuffragiis, dictíſve ſententiis, reſervetur. Atque, ut ab eo libro, cui præfixum eſt elogium, ne recedamus, extat ibi epiſtola ab epiſcopis Lutetiæ degentibus, ad alios, in ſua quemque diœceſi, ſcripta, quam nemo, quod ſciam, Godellus, omnium conſenſu creatus ac declaratus ſcriba, quatuor menſes elaboravit, nemo palam in conventu recitavit. Quinetiam bene longa præfatio, quæ argumentum ac ſententiam operum Aurelii continet, quæque ei magis pro elogio, quam elogium Godellianum, ſit, nec ullum prodit auctorem ſui, nec is aliunde cognoſcitur; nedum vox eum publica, & conſentiens conſpiranſque præſulum cœtus laudibus præpoſuit concinnandis, & faciendo præconio. Quod ſi de rebus ſuis con-

gregati antistites verba habuissent Latine, non tam mirandum foret, hoc Godellum suscepisse, vernaculum scriptorem, maximeque interpretem, ut Gallice redderet, quam inutile & supervacaneum videri deberet, cum hi patrio sermone sint usi, Godellum eadem eadem lingua inculcasse, quæ alius e Gallico in Latinum converteret. Jam in rantulo scripto nomen edere ac profiteri suum, aut omnino non premere, neque dare operam, ne exiret, quid necesse fuit? aut si fuit, cur qui Latine scripsit, egit occultius, ac de se taceri voluit; qui Gallice scripsit Godellus, præ se hoc tulit, & tanquam magnum & memorabile facinus divulgavit? Quid causæ est autem, quamobrem utrumque non adjectum, tum Gallice, tum Latine scriptum, ad majorem veritatis fidem, testificationem actorum? præsertim cum & hoc usurpatum videamus in ceteris, neque in illo ipso mandato, quo elogii conscribendi episcopo Grassensi munus imponitur, omissum. Utrum is indicare voluit, se Gallice non scripsisse? Falsum. An se Latine quoque scripsisse? Tum verum videbitur, cum persuaserit, se plus aliquanto Latine scire, qui Stephanæ domum, in Paulinis epistolis, tanquam mulieris, perinde quasi viri esse nomen non posset, interpretatus sit.

Hoc igitur primum afferre Godellus potuit, quominus elogium scriberet, minime necessariam ad eam rem operam suam videri. Quid deinde? Parum se totum negotium decere. Hic tuum, Godelle, acumen consulo, qui conscientiam tuam, quid valeres, qua arte potissimum consideres, re integra non consuluisti, satisne consonum fuerit, te theologo, & ei theologo, quem videri Aurelium vis, *veritatis amatori acerrimo, hierarchiæ vindici justissimo, episcoporum defensori invictissimo*, elogium scribere? Si quis de forma, aut proceritate corporis, reliquaque præstantia, dicendi tibi partes imponeret, rideri te existimares, & hic saperes. nunc cum ab illustrissimo cœtu, prudente illo quidem, & volente, sed multiplicis inscientiæ tuæ nescio, tibi theologi præconium deferatur; usque eo rem seriam agi putabis, ut nefas habeas non exorari? nec laudare theologum, nec de theologia facere mentionem dubitabis; neque verebere tacitam opinionem lectorum, ne quis unus omnium, verbis tuis admonitus, exquirat, ubi tu philosophicis, ubi theologicis studueris, neve hæc a te omnia, quæ in alium plena manu confers, ornamenta abesse sentiat? Perlege, quæso, Hesychi, si tantum est otii, quod in rebus non optimis insumas, epistolas Pauli, & canonicas, quas iste Gallicas fecit: sic reperies; ut multa periculose, multa vitiose, multa præter rem ac modum dicta mittam; nihil eum ibi posuisse, unde plus aliquid deprehendatur scire, quam quivis inexercitatus, & omnis interioris doctrinæ, & majorum literarum expers, quique scholam theologorum nullam audierit, aut etiam philosophorum. Ausim hoc dicere amplius, ab ipso in easdem epistolas profectum nihil, quod mulierculæ tribui jure non possit velut auctori, aut quoquo modo captum ejus generis, & vim efficiendi superet. Itaque qui Godelli paraphrases conferre non gravabitur cum Carolæ ab Ursinis, primariæ feminæ, homiliis in idem argumentum, nihilo plus eruditionis inesse intelliget in illis, quam in his: neque modo mulierem viro non concedere, sed etiam vel eo præstare, quod in tanta libertate, ac potius licentia transferendi, quam sibi utrique sumpserunt, verius ac prudentius illa homilias, quam hic paraphrases, inscripserit. Atqui sic fere fieri solere accepimus, ut, si quid scribat, dicatve quis, mediocriter literatus, & aliquo jam doctrinæ imbutus usu, etiamsi sibi temperet quammaxime, ne quid admisceat, quod palæstram & oleum redolere videatur; tamen excidat ei sententia, aut vocula, ex qua judex non prorsus hebes, tanquam e vestigio & pulvere, comperiat, in hac eum arena & studiorum genere esse aliquando versatum. Quin admonet sæpe nos ipsa prætermissio rerum nonnullarum, plena cautionis & prudentiæ, quempiam intelligere & sapere plusquam ceteros: imperitum hominem plura hoc loco dictarum fuisse; illum, quæ omisit, studio & scientia omisisse, in eoque, quod non apparet, plurimum vidisse.

Sed agedum, Hesychi, qui Aurelio laudi daturus erat, quod latebras modestiæ causa captaret; eum, credo, oportuit, ullis precibus & auctoritate cujusquam ad scribendum elogium adduci? recitare scriptum suum, audientibus cunctis utriusque ordinis præsulibus; aucupari approbationem & plausum celeberrimi consessus? committere, ut in fronte immanis libri, pusilla lucubratio legatur? denique aliquid facere simile, ac veteres nescio quos philosophos, qui in his ipsis libris, quos de contemnenda gloria scriberent, sua nomina inscriberent? Nisi forte hoc secutus est, eo laudabiliorem Aurelium visum iri, qui adhuc, ut in ficta & simulata persona delitesceret, ac prorsus ignoraretur, perseveravit; cum ipse teneri non potuerit, quin se minuti opusculi auctorem usurpari sineret, atque in vulgus jactari.

Atenim opus scriptore noto fuit, qui ignotum scriptorem, majori testimonii fide; præsule nonnullius nominis, qui celebrem theologum, majori auctoritate commendaret, plusque elogio momenti & ponderis adderet. Adeone res rediit, ut, si gravitas, amplitudo, splendor hominis agebatur, confugiendum congregatis patribus ad Godellum fuerit? nullus in ordine primo potior, nullus in secundo par, qui tanta elogium, quanta expedit & oportet, auctoritate, scriberet Aurelio, visus sit? Ego tam parvi illustrissimum præsulum cœtum pendam, ut esse quemquam putem inter omnes, cui non genere, ingenio, judicandi vi, agendi dexteritate, statura, si quid id est, & oris vultu, ac specie, ceteris denique honestatibus Godellus; excepto, quod versus, eosque Gallicos facit; cedat? Sed omitto contendere Godellum cum præsulibus; in quo eum necesse est obscurum ac tenuem homulum, præ amplissimis & clarissimis Galliæ luminibus, videri. ipsum per se, ut quantus est, tantus videatur, remota comparatione, specto. Quæ auctoritas in eo, quem supra oratione informavi, qui theologiæ non plus scit, quam quantum Drocis, non Lutetiæ; domi, non in academiis; ver-

vertendis Gallice! aliquot epistolis, non dictatis theologorum excipiendis, ac defendendis, vicissimque oppugnandis, didicit? Quod nomen apud bonos & prudentes, quemve is numerum obtinet, qui ad episcopatum nihil, præter laudem poeticæ vernaculæ, eandemque mediocrem, attulit, non majorum commendationem, non facultatem & usum tenendæ multitudinis, atque ad pietatem & ad bonam frugem incitandæ, non opinionem majoris alicujus aut artis, aut probitatis? Quo loco audi festivam rem. Nobilis poeta Gallus, qui se negat tamen quidquam Latine pariter & Græce scire, sacrum poema lecit, ineditum antea, cum dignum superioribus scriptis suis, tum quod Galliæ magno honori & gloriæ futurum existimat. is pro talibus meritis nisi primo quoque tempore episcopus fiat, horribilia patriæ, & civibus, totique posteritati minitatur. Ferrum putas, aut ignem, aut cruces? Nihil clementius, quam se poema suppressurum, quod paratum habet. Quod ipsum etsi ridicule fit, exemplo fit, nec injuria. Antonium enim Godellum qui videt, hac arte sola subnixum, ad hujus dignitatis gradus pervenisse celsissimos; quamobrem sui ratio non habeatur, poeta & suo, & omnium judicio, haud paulo, quam Godellus, melior, non intelligit.

Ad prima revertor. Horum si oihil, quæ commemoravi, & his plurium, quæ prætereo silentio, episcopus Grassensis secum ipse reputavit; næ ille imprudens. Sin omnia venerunt in mentem cogitanti, neque deterruerunt ab isto qualicunque munere recipiendo; etiam impudens. Quod si non modo non rejecit hoc onus a se, cum imponeretur, sed etiam ultro sibi appetivit, votisque omnibus ambivit; qua illum in culpa esse arbitrabimur, aut qua reum actione postulabimus? Hoc videlicet illud est: homini, a quo excusationem vel levissimam, si quam modo afferre curasset, optimi patres accepissent, se moleste & putide ingerenti, atque operam suam veoditanti, non denegarunt: poetæ, fabulam & argumentum joculare ac ludicrum; prælocutori, procemium concesserunt: scriptori denique vano & ad ineptias ambinioso, nec ullam ea re invidiam, aut offensionem hominum recusauti, quod potuerunt, gratificati sunt; faceret sane periculo suo id, cujus suasor, impulsor, auctor tam valde fuisset; præfaretur, elogium scriberet; si quidem tantopere elogia, præfari amaret. Quamobrem, Hesychi, cum hoc, quod mandatum videtur esse, ejus tantum gratia intervenerit, cui daretur; cave putes mandatum revera fuisse, sed consilium, quo, si libuit, peræque licuit uti, & non uti consultori: ac ne consilium quidem, quod neque fidele neque prudens intelligerent esse, qui darent; sed aliquam ab invitis & repugnantibus potestatem ac licentiam, vel concessam, vel permissam ei, qui se læsum ac violatum interpretaretur, nisi impetraret.

Etenim hoc Godellum agere video jampridem, ut inimicum vel inveniat, vel faciat, seque, ut adolescentes olim Romani accusatione aliqua nobili reorum, quos odissent, ita homo Christianus, sacerdos, episcopus, simultatibus suscipiendis ac gerendis, commendet. Feruntur præfationes ejus plurimæ, quæ etsi nullum fortasse aperte designant hostem ad vulnus, in aliquem tamen invehuntur semper: ac ne desit adversarius, disputat ibidem multa sæpe in contrarias partes, sæpe loquitur pugnantia, quæque a primo constituit, vertit ad extremum & retexit. Idem cum initio suspectis & insalubribus nescio cujus Arnaldi libris non subscripsisset, cumque ex iis, qui subscripserant, alii rem infectam vellent, alii nomen suum iterum interponere eodem, quamvis rogati, nollent; ipse inventus est unus, qui perditæ causæ & omnium sapientum jam opinione damnatæ suffragari studuerit, atque in numerum approbatorum aggregari. Insecuta sunt tempora, quibus temporibus coactus cœtus est illustrissimorum antistitum, & majore quasi theatro proposita odia cupidi ac vani rixatoris. Ex illo existimavit non satis probari se factioso cuivis & turbulento, nisi in religiosos homines, suique dissimiles, identidem declamaret: neque laudare potuit episcopum Vasatensem, mortuum, quin vituperaret Jesuitas, & in eum ordinem totum cæco impetu incurreret, cujus habet si non merita, at officia nonnulla, & complurium significationes voluntatis. Nec vero detrahere de eodem cessavit ad hanc diem in circulis, in conviviis, in concionibus. Sic ut qui eas res animadvertere solent, faceti alioquio homines, & medii, nullíusque partis, hoc restare unum Godello dixerint ad declarationem insani & furentis odii, ut inter pias precandi formulas, quas populo plurimas edit, in Jesuitas aliquam, veluti in pestilentiam, in siccitatem, in grandinem, io reliquas temporis injurias, meditetur ac scribat. Ex quibus, ut dico, manifesto apparet, nihil eum jamdudum habere antiquius, quam ut aliquot sibi, quibuscum manus conferat, & digladietur, paret: sive istud odio naturali quodam & insito omnis exuperantiæ virtutum, sive alieni, quo careat ipse, invidia, sive ambitione atque arrogantia facit. Quod ni ita esset, nisi odiosus ejus efflagitationibus victus potius, quam sponte sua, illustrissimus hoc illi ordo tribuisset, ut iisdem adversariis uteretur, quos Petrus Aurelius habet; quæreret scilicet is ordo ignotum, quem remuneraretur; cum noti sint quamplurimi, quos remuneratus nondum sit? Aurelium, affectum jam semel atque iterum honoribus, exquisito & insolenti monumentorum genere ornaret; cum non desint, a quibus maximum beneficium acceperit, quos, ne verbo quidem dignatus sit? Omitto ceteros. quis melius de toto præsulum cœtu & sacrosancta functione meritus est doctissimo Petavio? quem ordinem novissime sic suscepit, ut quatuor libris non contra invidos & obtrectatores commentitios, sed contra valentissimos atque infestissimos hostes, qui caput & jugulum peterent, ipsamque adeo vim ac naturam episcopatus convellerent, defenderit. Quis ad illum autem ob eam, rem, aut legationem decrevit, aut respuendi præmii, cum mercede non scribat, occasionem dedit, aut ullam omnino verborum laudem tribuit, ullas pro primo regni ordine tam strenue & fortiter propugnato gratias habuit? Neque hæc eo dico, quod munificentissimus ordo nolit, si possit (quid enim eo gra-

tius ?) proborum atque eruditorum erga se studia & officia, etiam cumulatiore mensura remetiri : sed quod, cum vix ei quatuordecim menses ad res majores constituendas, & regiis satisfaciendum postulatis, vix decies centena millia librarum ad tolerandos commorationis & diversorii sumptus satis sint ; ad minora hæc, certe minus in præsenti necessaria, adjicere non possit animum, per angustias facultatum, ac temporis ; nec vero, si possit, debeat potius singulos, bene de communi religione sacrorum meritos, liberalitate sua complecti, quam reliqui regni ordines, quotum ipse jam commodis & rationibus totus inservit.

Satisne igitur, Hesychi, declaravi, quam justas & graves causas episcopus Grassensis habuerit, cur a se repelleret omnem elogii scribendi laborem ? ut his cum uti excusationibus, quas cuivis facile probaret, oportuerit ? ut non modo usus non sit, verum etiam infimis ac miseris precibus, per se, per suos, tantulum sibi munus expugnaverit, in beneficii gratiæque loco posuerit ? Quo majore obstrictum culpa teneri video, minusque dignum misericordia & venia duco, qui quam personam, quas partes male concupisset, ac depoposcisset, pejus egerit ; cum sublevare saltem debuerit temeritatem suscepti muneris, gerendi scientia. hoc enim est alterum,, de quo me proposui dicturum, etsi breve angustumque elogium sit, adeoque minime multis videri possit erroribus opportunum, longe secus, quam oportuit, scriptum esse. Et vero cum plurima Godellus peccavit in singulis partibus, tum universe perpetuo fere quodam vitio laborat ; quod, quemadmodum cum mandatum hoc recepit, quid se deceret, minus attendit ; ita cum exequitur, quid præsules deceat, quos loquentes facit, ignoret. Quamquam hoc vitium cum aliis quamplurimis vitiis confusum, totoque elogii quasi corpore pertinens, distinguere placet in membra, & aggredi singillatim : sic ut nonnulla præterea animadversione & nota dignissima perstringam ; in pluribus, vel quæ patent per se, vel longioris sermonis indigent, conniveam.

CAPUT ALTERUM.

Quam perite elogium Aurelianum Antonius Godellus scripserit.

PRINCIPIO, Hesychi, ne forte sis nescius, non est ita, ut legitur : *Cleri Gallicani congregati patres scripsere.* se poeta scripsisse, qualiscunque est, jam inde a primis vocibus clamat atque testatur : *scripsere, ingemuere, horruere.* ac ne poeta quidem bonus continenter, sic, tamque paucis interpositis verbis, nisi numerorum ratio flagitet, loquitur :

„ quæ te, tam læta tulerunt
„ Sæcula ? qui tanti talem genuere parentes ?

Verum neque gratum hominem oblivisci oportebat tam cito tantæ artis, cui episcopatum debet ; & multa ficte, ac præter modum, animique sententiam, dicturo oratio accommodata poetica. *Episcoporum*, inquit, *proterebatur auctoritas, sacramenti Confirmationis vis omnis destruebatur.* A quibus? utrum a Britannis, qui voluerint hoc duntaxat, ita demum posse ad tempus carere populares suos venerando Confirmationis sacramento, si omnis religio Britannia tota periclitaretur ? an a Sirmondo, qui in eo, quod asseruit, multo magis episcopis, id si agitur, quam adversarii, qui prævaricantur hic, faveat ? Et quidem quam non falso timuerint Britanni avitis sacris, docuit post exitus ingens ac miserabilis, cum episcopi vel falsi, in quibus inerant pristinæ pietatis & ceremoniarum non contemnendæ reliquiæ, ideo regno ejecti toto sunt, quod unius, quam voles justi, & legitimi, episcopi causa, plus nimio turbatum prius fuit. Jam si quis disserat, quod Sirmondus fecit, fecerunt ante eum alii, & postea, voce ac scriptis publice, consistere in eo Confirmationis sacramentum ex parte, quod solis reservatum semper fuit episcopis, non in eo tantum, quod passim communicatum est cum sacerdotibus ; erunt, opinor, sanæ mentis, qui dubitent, quin amplius aliquid gratificetur episcopis, quos sententia sua vult esse jure quodam singulari atque eximio.

Vir in ipso veræ avitæque theologiæ sinu educatus. Qui novit theologum Godellus, qui prorsus, ut confitetur, non novit ? aut veram theologiam, cum nullam ipse didicerit ? aut avitam, cum multiplex sit, sanctæ scripturæ, sacræ historiæ, conciliorum, patrum ? Tametsi intelligo non tam quid velit, quam quid nolit. excludit scholasticen & repudiat funditus : cui nisi renuntiaret, & animum ab ea præberet alieniorem ; neque caveret sibi, neque se satis nonnullis istius doctrinæ præsulibus imperitis, qui videri docti volunt nihilo secius commendaret. Scin vero, Hesychi, quid agant nostri isti adolescentioris theologiæ contemptores ? hoc nimirum, ut eum domi suæ, in umbra & deliciis, duo, tresve conciliorum canones perdidicerint, totidem evolverint patrum sanctorum capita ; summi perfectique nobis triduo theologi prodeant ; scholasticæ, facultati, artibus, gradibus oppedant. *Omnibus notus, omnibus ignotus, errorum monstra, contumaciæ portenta gloriosissime jugulavit.* Heus tu, frustum hominis (Godelium, Hesychi, ut vides, appello) quid tibi exigui corporis, cum sermone gigantino ? quid suavissimis & modestissimis patribus, qui ore loquuntur tuo, cum ampullis & sesquipedalibus verbis, cum omni militis gloriosi choragio ? Quanquam non peccas omnia. istud consentaneum genus orationis Aureliano, in quo iste regnat ac dominatur tumor. *Calumnias dilutas, mendacia retecta.* Muta ordinem, Godelle & dic, *mendacia retecta, calumnias dilutas :* creverit oratio, quæ decrescebat ; neque te indiligentem, aut artis ignarum prodideris in elogio, quo nihil elaboratius, nihil pictius esse debet. *Gaudet, gratulatur, exultat.* gratulatur : cuinam ? sibi ? Aurelio ? utrique ? Nihil divinamus : sed neque, quin mendum sit, præstamus.

Rerum ecclesiasticarum eruditionem. Negat se scire quid præcipue Aurelianum miretur, sacramne eruditionem. Ego vero scio, quid rideam, quid-

ve

ve riſerim alias, cum ex nonnullis andivi, cum dicerent nihil Aurelium patrum, nihil conciliorum, nihil ſacræ antiquitatis ignorare. Unde, inquam, hoc, patet? aut quo modo oltenditur? Perſona ignota: ſcripta ſunt in medio, quibus ſcriptis unum modo religionis noſtræ caput de Confirmatione attingitur; neſcio quid de hierarchia interponitur. hæc autem & propter facilitatem vix tractantur a theologis in ſcholis: & in toto theologiæ quaſi orbe, ferme puncti inſtat obtinent: & ipſe theologorum Thomas coryphæus, paucis, quemadmodum loquitur, articulis, negotium confecit. Quare ſi rem geſſit Aurelius, ut debuit: non late tota, quanta eſt, ut materies, ita eruditio patet. ſi extra rem multa dixit; alienum eſt hominem colligere opinionem & famam doctrinæ, ubi jodicii ac prudentiæ amiſit.

Styli majeſtatem & pugnæ accommodatam eloquentiam. Quod majeſtatem ſtili deprædicat, & accommodatam eloquentiam pugnæ, equidem ſi Aurelio abundantem, exaggeratam, ardentem, rapidam dictionem negem, mentiar. Sed ſi quis ita contendit, ut hoc nomine magnopere collaudandus potius, quam non omni ex parte vituperandus ſit: tantum me ab ejus judicio abeſſe confiteor, quanto mei auctorem habeo graviorem, & locupletiorem. Nicolaum certe Borbonium, quo viro neque ſcientiorem harum literarum cito alium dixerim, neque prudentiorem ac ſinceriorem in judicando, neque porro minus ad reprehendendum proclivem, memini, cum diceret, negari non poſſe, quin Aurelius emendatius & elegantius ſcriberet, quam qui a ſchola theologi nuncupantur: verum hoc potiſſimum & maximum, quod illi debeat concedi, in ejuſque laude poni, eſſe; neque inſigne in ſe, & exquiſitum præterea aliquid habere. Quocirca ſe plus, in alterutro Sirmondi libello antirrhetico, veræ ac puræ Latinitatis agnoſcere, quam in voluminibus Aurelii totis. Quod ne dictum temere & inconſtanter videatur, idem mihi quinto poſt anno, cum illum longo intervallo viſerem, eaque de re nobis incidiſſet ſermo; aliquot antè obitum menſibus confirmavit. Nec vero, Heſychi, aut tu, aut quiſquam alius, me temporis cauſa fingere poteſtis exiſtimare; cum ſuperſint etiamnum, quos de ſuo ſenſu ac judicio vir candidus & apertus non celarit, qui falſi redarguant me, ſi mentior; & ipſe, ſi recordari volueris, memoria teneas, me tibi hoc re recenti narrare ex ejus ſermonibus; cum quidem de tuo adjungeres, quantum efferri & turgere dictione Aurelius videretur, quanta luxuria & laſcivia diffluere, quam nullum delectum verborum ac locutionum habere; ex quo ſumma ſæpe barbaries exiſteret. Quæ cum ego tibi, & acriter intelligenti, & æſtimanti prudenter, aſſentirer omnia; tum venit in mentem ſuſpicari, quod mihi non modo eripi non potuit poſtea, ſed multo etiam magis perſuaſum fuit, conjeciſſe Petrum Aurelium in chartam primo, ſubita & tumultuaria opera, locos declamatorios quoſdam, digreſſiones invectivas, verborum ac ſententiarum quaſi ſilvam; quorum mox, ut ei commodum eſſet, maximam partem, ſtilo & acri commentatione depaſceret. Sed cum ſenſiſſet hoc ipſum, quidquid erat, inconditum, & profuſum, & redundans, iis probari, a quibus redemptus mercede eſſet; gravatum eſſe manum extremam admovere operi: riſiſſe autem ſecum, ut homo eſt non omnino ineptus, partim ſtultos lectores, qui tam facile hoc Catone contenti diſcederent, neque amplius, quod admirarentur, quærerent; partim auditores ſtolidos, qui cum plaudi ignoto ſcriptori viderent, ignari cur plauderetur, tamen plauderent.

In eruendis adverſariorum technis ſolertiam, & in aſſerenda veritate candorem. Condiſcas, Godelle, cenſeo verborum, præſertim Latinorum, vim ac proprietates; neque ſolertiæ malitiam, candori apertam & effrænem conviciandi licentiam imputes. Scriptorem tuo non videor in vita legiſſe maligniorem, aut κακοηθείᾳ laborantem magis, quique interpretetur leviſſima & minutiſſima quæque pejorem in partem, cupidiuſque anſas reprehenſionis omnes arripiat. Quæ complures ratio, certum ſcio, ab ejus lectione totos rejecit. non enim, ut concedam adverſarios ſæpe ac vehementer erraſſe, perſuaſerit cuiquam, aut probabile faciet, erraſſe eos in ſingulis, & in qualibet re una, millies. Eſt aliquid vel in mendoſiſſimis ſcriptoribus, quod præteriri ſilentio poſſit; aliquid, quod venia donari, quod fortaſſe laude debeat: cum iſte perinde exagitet atque inſectetur facta omnia, dicta, etiam cogitata. Quo fit, ut nihil jucunditatis habeat tam ſuſpicioſa, tamque aculeata oratio; nihil a contentionibus, quibus ſummis uti initio cœpit, relaxet; nec jam iraſci, aut carpere, aut indignari, ſed præceps & amens in obvia quæque ferri, ac perpetuo furere & bacchari videatur. Itaque cum ſciſcitatus ſim de multis, offendi neminem, qui horribilem & ſacrum librum, licet multas illecebras habeat ad retinendum lectorem profeſſio ipſa maledicendi, totum perlegerit. Neque ideo ſolum id contigit, quod βαττολόγος eſt, idemque μικρολόγος; quæ vitia facile duo faſtidiis adhæreſcunt: ſed etiam, ac multo magis, quod tam acerbam moroſitatem, tam pertinacem iracundiam, ac prope aſſiduam rabiem ferre nemo toleranter poſſit.

Unum eſt quod doleat; incompertum ſibi adhuc eſſe, &c. Quæ, malum, ἀταξία eſt, elogium, in quo non ultimam laudem brevitas habet, ita ſcribi, ut ponatur media pars amplius in inveſtigando, in inclamando Aurelio, in eo denique, quod adhuc, quid hominis ſit, ignoretur? At non contra Godellus ignoratur; immo tenetur indicio ſuo prorſus: quippe qui prooemia longiora libris ſcribere conſuevit. Legiſſes, Godelle, inſcriptiones antiquas, & ſepulcra; Pauli Jovii elogia, Scævolæ Sanmarthani, Papyrii Maſſonis: intelligeres ſupervacaneis locum non eſſe; neceſſaria, quamvis multa, comprehendenda paucis. Sed oro te, Heſychi, attende, quam ſincere Graſſenſis loquatur Epiſcopus, qui tam multis verbis affirmet, ignotum ad hanc diem & vivere Aurelium, &, ſi fuit, vixiſſe: cum nemo fere ſit non modo e clero, qui Aurelium ignoret, ſed etiam ex omni eorum numero, qui res iſtas attingunt, aut quoquo modo curant. Verum non miror poëtam locutum more ſuo. hoc miror, quam in partem integerrimi præſules accipiant, ſe loquentes univerſe, contraquam ſinguli ſentiant, induci. Eſto: Petrum

trum Aurelium antiſtites, & alii norint, qua facie ſit, quo nomine. quoniam ſe tamen, tanquam ignotum gerit; & debitis præmiis fructuque laborum caret, & modeſtiam exhibet ſingularem, dum ſe famæ & exiſtimationi hominum, quantum in ipſo eſt, ſubtrahit. Quid ſi nihil ſinceri, ne in eo quidem, & aliud ſignificatur, aliud animo ſentitur? Dic verum ſemel, Godelle. faciamus voluiſſe Aurelium agnoſci, ſeque pro eo, qui erat, involucris rejectis diſſimulationis ſuæ, gerere; qui potuit? Si quis Sancyranus, aut Fileſacius materiem ad ſcribendum dedit, alter ratiunculas & ſophiſmata, alter fabulas & improbiſſimos rumores; ſi quis Albertus ludi magiſter, aut alius literator mercenarius, verborum phaleras, inanem loquacitatem, venenatum mucronem ſtili, meros furores præbuit: quem tandem prodire vis ad præmium & coronam? Unum? Cur is ceterorum ſibi laudem ſumet? Omnes? Quam ſibi quiſque particulam laureolæ, cum ſint numero multi, arrogabit? aut quomodo tibi non peribit tua ſcriptiuncula, qui auctorem in cœlum ſuſtuleris laudibus ob id opus, quod ſi plures fecerint, collatis viribus, tanquam ſymbolis, non magnum ſinguli fecerint? Etenim tam vere iſtud, quam concinne dixit non nemo, reſpondere Aurelium poſſe percunctanti, quod ei nomen, id, quod Dæmon ipſe, rogatus idem, Chriſto reſpondit, *legio; multi enim ſumus.* Mihi quidem videtur fetus hic Aurelianus, liberum vulgo quæſitorum perſimilis, quem maledicentia pepererit; ſed quibus ex adulteris, quotve ſuſceperit, ne ipſa quidem mater novit, uſque eo ſe proſtituit ac præbuit. Scis iſta, Godelle, ſi quid ſapis. ſed mavis Aurelianam virtutem, gloriæ fugam, ac deſpicientiam, quæ nulla eſt, quam eſſe nullam tenes, prædicare, quam elogium non ſcribere.

Quod ſi nihilominus hoc darem, & unum eſſe, & ignotum ſcriptorem Aurelium, videſne, Heſychi, quo rem tum Godellus, tum Godelliani omnes deducant, qui tam ambitioſe auctorem incertum ad certa præmia & honores, velut defenſorem ac patronum dignitatis ſuæ, voluntarii clientes invitent? Si quis, apertus ceteroquin hæreticus, aut hæreſiarcha etiam, qui diſſentiat nobiſcum in multis, unum alterumve de Ordine, deque Confirmatione aſſentiatur, vel gratificandi cauſa, ut fieri poteſt, vel Calvini refellendi, qui vim utrique ſacramento ſuam ademit, pura homo Germanus, aut Britannus, clam librum hunc conſcripſiſſet, ſub Aureliique perſona edidiſſet; tum conditionibus auditis, quas Gallicani præſules ei, ſi nomen indicaret ſuum, tuliſſent, derepente exiſteret, ſe profiteretur & probaret univerſis auctorem, propoſitum munus ac donum repeteret; quæro, quid haberent animi, quid conſilii caperent magnifici agonothetæ noſtri, quid denique facerent? dictum mutarent, an præmium perſolverent? ſi prius; leves & infidi, qui promiſſis non ſtent: ſi poſterius; ridiculi, ac prope impii, qui hæreticos ſibi, quia non uſquequaque adverſarios habeant, remunerandos putent. Iſto ferme pacto, quamvis minus turpiter; utpote unus ac privatus, atque in cauſa leviore, clariſſimus ſe ſcriptor deceptum ſenſit, & doluit. Cum enim mirificis laudibus extuliſſet eum, qui primus perelegantes Sulpitii Severi libros edidiſſet in lucem, neque theſaurum hunc, quem teneret ſolus, invidiſſet diutius literatis ac doctis; eumque cum propter tantum beneficium, tum maxime modeſtiæ nomine ſuſpiceret, quod celaſſet nomen, literas modo, M, & F, adſcripſiſſet: intellectum eſt poſterius, Matthiam Flaccium eſſe ejuſmodi, hominem non ſolum non modeſtum, qui hoc modeſtiæ cauſa non feciſſet, ſed etiam impurum & nequam hæreticum, qui in centurias Magdeburgenſes multa de ſuo, non tacito nomine, contuliſſet. ut dictum nollet præpoſterus laudator, & eum bonæ, ſed falſæ de altero opinionis, & ridiculæ credulitatis ſuæ pœniteret.

Longe maximum, parta fama frui nolle. Ais, bone ratiocinator officiorum? quis hoc tibi tam facile concedet; quam confidenter aſſeveras, multo majus eſſe, latere velle, ubi rem Chriſtianam juveris, quam illam modis omnibus juviſſe? Eſt iſta quidem privata virius digna laude, quam fugit, neſciri velle: ſed non ejuſmodi, ut publicis virtutibus, divinæ religioni, caritati patriæ, ſingularibus in univerſum genus hominum meritis anteponenda ſit. *Quiſquis es igitur, Aureli, qui tantis nominibus Eccleſiaſticum ordinem obſtrictum tenes.* Putes eum de Hercule aliquo liberatore, aut Jove ſoſpitatore loqui, cui ſacratus ordo tantum debeat, ei ut conturbandum ſit, niſi heroem illum ſuum conſecret quamprimum, & in concilio cœleſtium collocet. Itane vero? tam facile tantum nomen Godellus obnoxius agnoſcit? agnoſcat Godellus æs alienum ſuum, & mancipet Aurelio ſe, ſicuti odis nuper & canticis, optimatibus & elegantis ingenii feminis ſua ſtudia obſtrinxit; per nos licet. a nobis mandatum hoc certe non habuit, ut Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, reliquos utriuſque ordinis proceres, ad pedes Aurelii abjiceret, a quibus is *gratitudinis & honoris teſtimonium acciperet.* Sit hoc demiſſionis, & humilitatis Godellianæ: attende, Heſychi, gravitatem. *Prodi tandem & omnium oculis optatiſſimum vultum exhibe. Sat modeſtiæ dediſti, &c.* Fac ita eminentiſſimum Cardinalem Lugdunenſem loqui, fac illuſtriſſimos Epiſcopos, Sagienſem, & Santonenſem: *Prodi tandem & omnium oculis optatiſſimum vultum exhibe, &c.* num turpe duobus, tribuſve tanta amplitudine viris, num indignum has delicias agere, tam joculares familiaritates exercere, compellare ignotum unum aliquem Aurelium blandius, quam permultos contubernales, & domeſticos, & intimos ſuos, qui pluris ſint Aurelio doctrina, eloquentia, libris ſcriptis? Quid ſi jam ceteri ſic Epiſcopi loquantur? quid ſi omnes? nonne rem, ut leviſſime dicam, alienam committant dignitate ſua? Niſi forte dedecet ſingulos, juveniliter exultare, & ad tam leves ſermones delabi; non dedecet univerſos. *Noli iis, qui tuis laboribus fruuntur, te ipſum invidere.* Futile. parumne eſt iis, quod ejus laboribus fruuntur; niſi ipſum inſuper totum teneant ac poſſideant? Sic dixiſſes: Noli iis, qui tuis jam laboribus fruuntur, quod permagnum eſt, nomen tuum, aliquam notitiam tui, quod minus eſt, invidere. *Nec diutini triumphi gaudium, victoris abſentia corrumpi ſine.* Hoc deſiderari vis ad triumphum,

ut

ut adsit; & in eo jamdudum triumphas, quod absit. Leve autem, abesse victorem; neque istud questus es hactenus: sed grave, ignorari prorsus; quod deploras. Quin tu igitur, *victoris* ignoratione, dicebas, non, *absentia* en quomodo orationem, quam pedetentim augere & corroborare convenit, corrumpat ad extremum.

Quod si post bonum certamen pro Ecclesia certatum, coronam justitiæ a justo judice accepisti. Agnosco Godellum qui Pauli vertit epistolas. *Fac ut aliquis surgat ex ossibus ultor.* Agnosco poëtam, qui amores scripsit Num te vero, profanissime mortalium, pudet, quod innuptis, ut sic dicam, nuptiis & voluptatibus impermissis ebria, quod percita odio & amore, quod amens femina per summam impotentiam deblaterat atque evomit,

„ Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor;

hoc cum sacris & religiosis Pauli, doctoris gentium, dictis conjungere? hoc amplissimis, integerrimis, gravissimis, patribus affingere? Eclogas tuas amatorias non sine stomacho percurrimus; cum teneris & delicatis amoribus nomen sponsi, aut sponsæ, epitheta, castum, sacrum, aut aliquid id genus, tanquam velum obscenitatis atque impudicitiæ, prætenderes. verum pastores ibi, personæ viles & obscuræ, loquuntur. Scripta inspeximus alia tua, in quibus sæpe ac libenter facis, ut similia, metaphoras, allegorias ab hoc toto genere trahas amandi. quanquam istud parum caute, parum honeste: tu loqueris tamen; Godellus loquitur, ille, sitæ non immemor artis, versuum ac præfationum scriptor. At vero interpretes religionum, sacrorum antistites, qui intimos animorum sensus exprimere debeant verbis lectis, & decoris, & pietatem ac sanctimoniam redolentibus, induci loquentes ea, quæ famosa, extremo vitæ spiritu, ulciscendi amatoris causa, profudit; quid est insanire, hoc si non est? Tuam porro fidem, Hesychi, tuum consilium, ac judicium, satisne Christianum sit (non enim omnia pe æque indignari possumus) expetere ultorem sibi, qui suas vices atque injurias persequatur. ut cum profanæ gentes negent hominem, qui mortalis sit, immortales inimicitias gerere debere; Christiani præsules odium, tanquam hereditatem ad nepotes pervenire velint, iisque verbis optent, quibus olim amasia furibunda optavit, & Annibalis erga Romanos odium, quod ejus imperatoris ætati prope æqoale fuit, prædici poëta fecit.

Nomen Aurelii, quod omnibus sanctum est. Usque eo omnibus, ut ne Aurelium quidem exceptum velim, quin ipse sibi sanctus sit. Quantum enim conjectura judicare licet, & hic, & in consequenti argumento, & in collectis ad calcem, refutatisque contumeliis, quibus locis tribus scriptor aut nullum, aut diversum ab Aurelio, præ se nomen fert, loquitur Aurelius Latine, idem tibicen, idem actor. Ex quo intelligas, cum facile sit oratori Athenienses apud Athenienses laudare, multo facilius Aurelio, laudare Aurelium apud Aurelium, fuisse. *Parturiat.* Istuc inutile, si solum sit, & præterea cum aliquo dolore conjunctum, ideoque minime per se optabile. nunquamne paries, quod parturis? nunquam dices, quod vis? vis, *pariat.* *Ecclesiæ dignitas imminuta. Ecclesia omni ex parte impetita.* Si tantum debet Ecclesia Aurelio, quantum tu, homo gratissimus, vociferaris, non solum in tuto nunc est propter Aurelium Ecclesia, sed etiam in posterum, illam qui audeat aggredi, non erit. Aurelius omnes hostium copias fuderit, fugarit, occisione occiderit. nihil a Blondello Ministro, nihil a Salmasio Professore Leidensi, nihil a reliquis religionis pestibus periculi. Bene vero cum præsulibus agitur. habent Aurelium, cujus opera, velut panchrestum medicamentum, adversus omnia venena adhibeant; cujus nomen & memoriam opponant præsentibus adversariis ac futuris; neque se modo provocati defendant, sed priores quoque, cum videbitur, lacessant. *Vel vivi meritum, oblatis præmiis, vel mortui memoriam, delatis honoribus impense coluisse.* Si quæro ex te, quis sic loquatur, extra Gallicum scriptorem, *meritum cujuspiam colere*, aut ubi tota in Latinitate vox sit, *gratitudo*, quam supra usurpas; tibi interpretique tuo facesso negotium; mihi fortasse multo magis, qui si talia reprehendam, graviora debeam sexcenta reprehendere. Ad rem igitur. quid partitis, argutule? *vivi meritum, mortui memoriam, oblatis præmiis, delatis honoribus.* quos enim vis honores delatos mortuo? non justa persoluta, non constituta statua, non promissa ei præmia reddita parentibus aut cognatis quid igitur? nihil video præter miserum & febriculosum, & ἀπρεπίστατον, & plenissimum ἀλογιστίας, vel potius ἀλογίας, elogium, quod me jamdiu recensere, & recognoscere tædet, pudetque. Ac vide ne aliquanto, quam tu, argutet verius, si dixero, Aurelio, sive vivit adhuc, seu vixit, parentatum esse: vivo, quod, quamdiu vivat, doleat; mortuo, quo infametur in perpetuum. Mihi non credis? crede oculis. indicta dies ad vi. id Jul. locus, aula media Sorbonæ. duxit funus serenissimus princeps, Armandus Borbonius: dedit operam illustrissimus Archiepiscopus Corinthiorum: interfuerunt serenissimus princeps Henricus Borbonius, illustrissimus Galliæ Cancellarius, lectissimi Episcopi admodum quadraginta: cum tu inter eos, Godelle, serius, credo ne dolorem totum haurires, venisses, eamque ob causam aliquandiu pedibus stetisses, tametsi quibusdam sedere ob brevitatem staturæ videreris. Quid enim aliud interpreter, quam exequias, & mortem comploratam, & arbitria persoluta funeris, quod novatorum par illud simile, Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, & Joannes Vergerius, Abbas San-Cygiranus, quorum alter Aurelio intimus, & errorum communione conjunctissimus, alter, Aurelius ipse, aut major Aurelii pars, theologicis serenissimi principis decretis & responsis expugnati, obruti, ac sepulti jacent, plaudentibus Sorbonitis, secunda Jesuitarum voluntate? Quo mihi indignius videtur factum, ut quidam malevolis sermonibus, artibusque improbis dissociare conati sint hos ab illis: cum ad commune bellum defendendum, & ad profligandos catholicæ religionis hostes, inter se tam præclare consentiant. *Quotquot pios eruditosque habet Gallia.* Non tibi dederunt prudentissimi Galliæ antistites negotium, ut tam parce, tamque restricte de se reci-

reciperes; rem, & opes suas, & munera civibus duntaxat, & Gallis patere velles, alienigenas excluderes. An vero cum Gallicani præsules pro sua vigilantia & infiniro erga Christianum gregem studio, ecclesiæ Britannicæ sibi consulendum esse censuerint, ad idque operam, laborem, curam interposuerint: si ipsi vicissim Britanni, aut Germani, tantis auctoritatibus & exemplis incitati, Ecclesiæ Gallicanæ utilitates & commoda augeant; non iisdem afficientur præmiis, propositis ad virtutem acuendam, qui idem in commune contulerunt?

Sed quid ago jamdudum, Hesychi? quo imprudens feror, qui elogium condemno, quod laudem ab universis & plausum, cum recitaretur, abstulit? Facilis responsio. quis sapientissimos patres, qui præter auditum nihil hic habent, reprehendendos in eo putet, in quo ipsi faciendæ orationis artifices, qui legerint, & rem propius consideraverint, sæpe falluntur? an non fieri quotidie videmus, ut quæ quis audita, aut lecta semel, probavit, ea si iterum, ac tertio recognoscat, notatis & animadversis, quæ prius intelligentiam fugerant, quamplurimis, merito improbet, seque nimiæ facilitatis & indulgentiæ condemnet? vitia, mihi crede, properantia & celeritate pronunciantis latent: neque solum vox præclare dicta commendat magis, sed pravitates magnas & insignes minuit, omninoque celat. præsertim si scriptio brevis, si scriptor habitus non insulsus, si nova res. quando actum, universis cleri comitiis, de epitaphio scribendo, de epigrammate præponendo libris, de elogio recensendo? ut minime mirum videri debeat, si patribus, nihil mali suspicantibus, in minutis fucus factus sit a nonnullis, quos constar in magni ponderis ac momenti rebus jam eorum candori insidiatos esse. Profitetur illustrissimus Vabrensis Episcopus, sumptibus quidem, sed non de sententia cleri, editum rursus in lucem Aurelium; quidquid id est, totum fraude a paucis de clero male merentibus expressum fuisse. Ipse clerus, cum nuper eadem Aurelii opera redderentur typis, virulentam epistolam, & probris omnibus maledictisque refertam, & in libri positam quasi aditu & vestibulo, ex qua judicium fieri de toto libro poterat, nonne expunxit? nonne collectos locos, bis contumeliosos, quod jactæ jam contumeliæ iterum ac vehementius torquerentur, qui loci romi quarti, ut volunt, instar erant, quique extremum librum tenebant, tanquam fæcem & sentinam ejecit? Quid quod censuerunt, & sentiunt intelligentissimi quique, ac prope universi, dicta contra Sirmondum omnia, hoc est, tertiam operis partem, esse removenda? quæ tamen, ut & ea, quæ supra posui, quia ante quinque annos parum adverterant, qualia essent, tolerarant. Quod autem parvi fecerint totum opus, huic rei argumento est, quod quem quartum tomum statuebant, revellerunt, neque tamen minus in proœmio, quam antea, promiserunt, & ejus mentionem fecerunt. Ex quo illud quoque efficitur, id negotium per summam incuriam fuisse uni non tam commissum, quam relictum, cui item, ut in re nihili, licuit esse negligenti. Quare quoniam mutationem consilii & sententiæ, pro tempore, justisque de causis, nunquam sapientes levitatem & inconstantiam esse duxerunt, magna mihi opinio est fore, ut, cum illustrissimus ordo factus certior fuerit, planeque intellexerit, cetera, quæ relicta sunt, persimilia esse sublatis, immo Aurelium seipso deteriorem evasisse in plerisque, vixque sani arque integri quidquam usquam habere; non tantum partes singulis comitiis singulas detrahat, sed etiam totum semel, communi consensu, & significatione voluntatis, quasi una litura deleat.

Habes, Candide Hesychi, meum super elogio Aureliano judicium, in quo fidem liberavi meam, ostendique Antonium Godellum, Episcopum Grassensem, cum in recipiendo mandato præcipitem ac temerarium, tum in obeundo longe se imperitissimum præbuisse. Quod si videbor longior; tibi adscribito, qui tam amplum epistolæ, aut si mavis, voluminis argumentum dedisti: si liberior; efficiam propediem, si modo Godellus esse pergit Aurelianus ac similis sui, ut intelligas moderatissimum me nunc extitisse; eumque a me, quod in breve potius elogium suum, quam in versus ac paraphrases inquisierim, magnum beneficium habere. Vale. 13. Cal. Septemb. 1646.

ANTONIUS GODELLUS,

EPISCOPUS GRASSENSIS,

Utrum poëta.

Candidus Heſychius Paulo Romano S.



EGI literas tuas, Paule Romane, quas dederas ad me XIII. Kal. Septemb. cum locum non adſcripſiſſes, ubi eſſes, & unde mitteres; neque aliud divinare poſſem, niſi te in veteri Latio verſari, qua in provincia Latine loqui, hoc eſt, ingenue, ſimpliciter, & ſine ulla circuitione dicere verum didiciſſes. Earum literarum exemplum ſtatim, quod ita te velle intellexi, cum pleriſque trium Galliæ ordinum, præſtanti auctoritate & doctrina viris, communicavi; neque illuſtriorem fere ullum, qui modo Latine pluſculum ſciret, carere ſivi fructu novæ & inuſitatæ lectionis. Cum autem ſpargere ac diſſeminare latius, atque edere populo rudi & inſcio, quodcumque hoc erat, cogitarem, neque ad aures quoque mulierum permanare nollem; via tamen & ratio divulgandæ epiſtolæ, inquirenti mihi, omnique acie mentis contemplanti, certa & brevis vix oſtenderet ſe, & occurreret: commodum curam hanc meam & ſollicitudinem, ipſius, de quo agebatur, Antonii Godelli, Epiſcopi Graſſenſis, levavit labor. Is pro ſuo ſummo, erga utrumque hoc illiteratum genus hominum, virile & muliebre, ſtudio, tantum interponendis amicis, conveniendis magiſtratibus, diis deabuſque implorandis perfecit, ut quæ res intra ſolos proceres, eoſque doctos conſtitiſſet, ſi licuiſſet per ipſum, ea uno eodemque die celebraretur ac diſſiparetur in vulgus; de elogio Aureliano ſervorum & ancillarum greges audirent in templis: Pauli Romani nomen infima plebs propoſitum in valvis & triviis legeret; domi atque in cœtu familiarium matres ac puellæ nubiles parvum ſibi opuſculum exponi curarent; paſſim cuncti unum deſiderari ad extremum actum aut exitum fabulæ dicerent, ut Antonius Godellus, metaphraſtes ſeu paraphraſtes optimus, ſuæ ipſe cenſuræ & condemnationis interpres eſſet, & e Latina in Gallicam convertere ne recuſaret, eamque gratiam ab indoctis, quibus ſcribit potiſſimum, iniret. Quid quæris? nullus ferme Lutetiæ per aliquot dies continuos, niſi de Epiſcopo Graſſenſi, ſermo; quiſnam is eſſet, parvus an magnus, albus an ater, utrum doctor, & baccalaureus, magiſter artium, ad quem & cujus doctrinæ gradum, qua in urbe & ſtudiorum univerſitate perveniſſet. Equidem, mi Romane, ut de me confiteat tibi, reſpondeamque primum ad id, quod poſtremo perſcripſiſti; nihil erat quod metueres, ne tua mihi epiſtola vel longior videretur eſſe, vel liberior. Cum enim omnia me ex ea incredibiliter delectaverunt, ordo, varietas, ſermo, & maxime tuæ de Godellino elogio, ac de Aurelianis ſcriptis æſtimationis æquitas; tum nihil tam ſum admiratus, quam in nuda & aperta, ut res exigebat, profeſſione veritatis prudentiam & moderationem tuam, qui ita de Epiſcopo Graſſenſi dixeris, ut dignitatem inviolatam illibatamque eſſe velles; ita refertiſſimum omni vitio Antonii Godelli ſcriptum recenſueris, ut perſonæ parceres, neque mores ullo prorſus pacto, extra unam ambitionem, & quamdam φιλονεικίαν, quam plerique laudi ducunt ſibi, attingeres: ſimiliterque facere viſus es, ut qui olim ſagittarius apud Cretenſes, filio ſalvo & intacto, draconem miſeri membris affixum, atque arcto & multiplici amplexu circumplicatum, jaculatus eſt & confixit. Non enim reprehendiſti, quod Epiſcopatus in unum duos, Graſſenſem & Vincienſem conjungere, juſque adeo & pontificium & regium imminuere jamdudum ſatagit, & brevi, ſi fuerit mens tam læva nobis, faciet. Non queſtus es, ab uno ſuo grege, qui duplicis cuſtodiam ſibi depoſcat, tamdiu tamque longe abeſſe paſtorem. Diſſimulaſti, hoc interim ſpatio partim eum Lutetiæ, partim ruri in proximo ſuburbano diverſari; antiſtitemque religioſum, * qui in ſynodi ſuæ decretis atque inſtitutionibus, ſacerdoti, phyſicis, mathematicis, ceteriſque diſciplinis vacare, quemadmodum loquitur, curioſis, neſas eſſe ſanciat, verſus commentari ac pangere. Non amicas & formoſas protuliſti, quæ cauſam eclogis & argumentum dederunt, quas nunc Chriſtianas auctor inſcribit, proque ſacris & piis ſimplici & credulo lectori obtrudit. Sermones, hiſtoriæ, ſabulæ, tametſi de nihilo vix naſcantur unquam, indictæ tibi, & quantum in te erat, ſuppreſſæ fuerunt. Quæ quia ſingula, & alia id genus, cum jure optimo colligere potuiſſes ad vituperandum, ſic abire, & inulta illi & impunita eſſe facile paſſus es; beneficium ſingulare & præcipuum agnoſcat oportet, vel in eo, quod reticuiſti. Quæ autem dixiſti, levia, & pauca de multis; ea fuerunt ejuſmodi, ut apud juſtos rerum æſtimatores nihilo plus habeant querelæ. Quid enim epiſcopus Graſſenſis reſpondeat, ſi cum illo ſic agas, & ſic loquare?

Quid tota Lutetia circumcurſas, Antoni? quid, ubicumque pedem ponis, tumultuaris? Cur actores cleri Gallicani jam in reliquiis negotiorum procurandis, in regiis edictis & *declarationibus*, ut vocant, obtinendis; occupatos occupas? Cur urbano

* pag. 41.

no magistratui molestus es, qui temperanda politia, & constituendis amplissimæ civitatis rebus, & jure populo plebique dicendo, si rem aggredi, ut par est, velit, habeat in singulos menses, atque annos, negotii satis? Cur illustrissimum adjutorem, patrui munus, qua affecti, qua absentis, ex parte humeris sustinentem, sæpeque præterea superiore e loco concionantem, vacuum & quietum esse non sinis? Quanquam perge sane, ut facis, & adversariorum vicem ulciscere ipse per te. Quid enim illis gratius & optatius potest accidere, quam si coactus mœrens easdem domos adeas, eadem vestibula potentiorum frequentes ac teras in tua causa, quæ Aurelii gratia, animo gaudenti ac libenti, celebrasti? quam si illustrissimo Cancellario supplices nunc, uti Paulus Romanus ne in lucem exeat, qui ab eodem ne Petrus Aurelius supprimeretur, utque exempla istius scriptoris, quæ haberet penes se, quamprimum redderet, tam confidenter, & inverecunde, & prope convitio, efflagitasti? quam si prece & obsecratione humili eminentissimum Cardinalem a rebus publicis ad privatam ac tuam evoces, qui eum nuper erecto ferocique vultu ursisti, ut in Aurelianam defensionem, interponere suam vellet auctoritatem & gratiam? Sed amabo, ad istos vel summos judices, vel arbitros honorarios, vel potentissimos injuriarum vindices, quam litem deferes? quas querelas tuas? quod meum crimen? Parvum te appellatum? minime theologum? ambitiosum, & cupidum contentionis? his enim aculeis quatuor, sic tanquam tenellus Cupido, ab apicula compunctus, ad Venerem matrem plorabundus confugis. Ad quæ non oppono varium & multiplex horum sapientissimorum hominum, quibus causam commendasti & tradidisti tuam, responsum, isthæc te, qualiacumque sunt, debuisse ut prudentem dissimulare, ut fortem contemnere, ut scriptorem pari scripto, si videbatur opus, refellere, ut Christianum Episcopum ferre ac pati, & pia quadam inductione animi & voluntate concoquere: non ut carnificem tortoremque, aut ut amentem & furiosum, dilaceratione persequi, atque unguibus in chartam sævire innocentem. Hoc dico, si ut homo aliquid ratione fecisses, si communem sensum atque intelligentiam adbibuisses in consilium, si cogitationem non insulsi neque hebetis æstimatoris ad punctum temporis suscepisses, te in mitiorem partem rem totam accepturum, nec maledictionem, seriam & fortem disputationem interpretaturum fuisse. Erras, Antoni, & vehementer erras. aliud est contumeliam jacere: aliud, id, quod contumeliosum putatur vulgo, quia verum est, & notum omnibus, & causæ aptum atque utile, ad probationem dicti sui, aut ad confirmationem adhibere. Si te pusum pusillumque, animi causa, aut per iracundiam appello; quanquam id vere objicitur, ipsaque res loquitur; tamen licentius facio, qui te secus, quam personæ tuæ dignitas postulat, nomino. Jam si te dixero, cum perparvus sis, inflata & tragica verba, grandes & exaggeratas sententias, nequaquam decere; tumorem omnem & quasi fastum vitandum orationis fuisse: nihil probri tibi intuli; sed te officii admonui. Rursum te si expertem omnis theologiæ esse contendi, neque id ad rem pertinuit; maledictum fuit jurgii acerbioris, præsertim in episcopum, cujus est hanc rerum divinarum scientiam potius, quam poeticam tenere. At si affirmavi, quoniam remotus sis a theologicis, rectius & consultius futurum, si præconio theologi abstinuisses; posui argumentum, non convitium feci. Licet alia duo confutare isto pacto: quæ, nisi tempus & necessitas flagitasset, omisissem. Nec vero nimiam ambitionem tibi, nec altercandi quandam libidinem objecissem, nisi te non odisse quemquam gratis, neque simultates tam facile suscipere, tam pertinaciter exercere sine causa, ostendere voluissem. ut modo, cum negavi a te intellectum, quid maledictio, quid argumentatio esset, quid discreparent hæc inter se duo; si ex eo continuo inferas, te mihi in communi vita plumbeum & stupidum videri, qui unus, quod omnes sentiunt, non percipias; rem forsan divines, frustra me verbi invidia oneres, maledictumque falso, firmam & acrem ratiocinationem meam appelles. In reliquis Epistolæ meæ partibus, si tu, gregalesque tui, alia parum intellexistis, ideoque durius aliquid, ut fit, atque atrocius subesse suspicati estis, alia malitiose, quasi illustrissimos antistites parum reverenter habuerim, in contrarias partes detorsistis: culpa mea non est, qui Romane locutus sum, vere ac modice de te, de toto præsulum cœtu honorificentissime. Ad summam, ne agam de singulis, quid novi est, si, cum nulla neque publica neque privata lacessitus injuria, prior stili aciem contra adversarium nec imbellem nec tumidum direxeris, occurritur tibi iisdem armis; cumque pleno ore laudaveris Aurelium, a quo eminentissimus Cardinalis Rupifucaldius violatus, illustrissimus Episcopus Sylvanectensis insimulatus nefarii probri, religiosissimi ordines omnibus contumeliis exagitati sunt, aliquid ipse vicissim, quod audire nolis, de quo tamen jure conqueri non audeas, audis? Cui ad hanc diem fraudi fuit ex antiquis aut Dionysio Halicarnassensi, aut Plutarcho, aut Patriarchæ Photio, de oratoribus, de historicis, de scriptoribus sacris fecisse judicium? Cui nostra & patrum memoria non integrum, facta juris publici scripta quæcumque, neque amplius in auctorum potestate sita, recensere, probare, improbare, suo arbitratu & sua voluntate in unumquodque statuere. Restat scilicet, ut, cum Godellum mulieres audierint verba facientem ad populum e suggestu, infantissimum esse in dicendo cognoverint, auribus atque animis respuerint, tum igni & aqua interdicatur ei, quæ negaverit belle istum dicere, aut in hoc genere toto satisfacere. Dicite vero aliquis, ac docete me, obsecro, quo jure, quasve per leges liceat hic contra Deum, contra summum pontificem, contra principes, contra Episcopos, immanes libros, omnia & Britanniæ, & Germaniæ, & Poloniæ, & reliqui Septemtrionis venena vendere, emere, legere: non liceat paucas Pauli Romani paginas, quæ nihil sacris, nihil politiæ adversentur; erudiant autem imperitos, & honorem, qui virtuti debetur, maledicentissimo post genus hominum creatum scriptori detrahant, percurrere legendo, aut manu tenere?

Me-

Meministi, Godelle, hyeme proxima superiore, librarium e Batavia, quatuor ipsis mensibus, quibus Lutetiæ Parisiorum, mercaturæ & quæstus causa, cum jus ei duntaxat esset paucorum dierum, commoratus est, habuisse venales libros duos præter ceteras nefarias merces; alterum adversus summum pontificem, alterum adversus regium principem, utrumque plenum probrorum omnium & contumeliarum. Nihil de posteriore prætor urbanus appellatus. nulla prioris prohibitio ab antistitibus sacrorum extat. Sub idem ferme tempus scis ut in manus hominum venerint non jam volumina, sed monstra & prodigia gemina, quibus nomen & existimatio totidem episcoporum, Vaurensis & Vabrensis, sanctissimorum & doctissimorum virorum, invaderetur: cum paullo, opinor, ante illustrissimus Lingonensis episcopus, quod verum dixisset pro testimonio, maledictis verborumque aculeis conscissus esset, vehementesque minæ proponerentur, ni scriptum induceret, aut quoquo modo testimonium, secundum fidem & religionem graviter & severe dictum, leniret. Num igitur ulla vox parochorum audita est, hosce portentosos fetus in templis atque e suggestu detestantium? certe nulla. Sed quid ego hesterna commemoro? Nunc ipsum via Jacobæa prostat in propatulo sacrilegus Burgundo Batavi auctoris de transubstantiatione, hoc est, contra augustissimum Christi corpus, liber, neque ulli, qui pretium modo enumerare velit, denegatur. redundant ipsæ librariorum officinæ vitiosis istiusmodi & corruptis pestiferisque & nocentibus mercimoniis. ipsi collecti indices, qui per urbem ac domos, monstrandi causa, circumferuntur; ipsæ bibliothecæ multorum librorum, multorum nummorum, patentes atque adeo expositæ ad speciem ac pompam, neque ulli sive magno sive parvo clausæ ad usum, redundant. Num quis commovit se adhuc pro domo domini zelotes? num quis ob id manum vertit salutis animorum custos, & civium suorum ac proximi cujusque charitate ardens amator? Atqui recte, an perperam quodcunque hoc veniæ & potestatis permittatur, seu potius quasi per simulationem non cernendi toleretur, nihil ad rem; aut si ad rem, nihil ad hoc tempus, quo neque arguo quemquam extra te, neque purgo nisi me. certe, id quod proprie atque abunde causam nostram continet, impune fieri & quasi tacitum ferri, quotidie videmus, non haberi quæstionem, non urbani judicis sententiam, non sacri præsulis censuram, non ullam interdicti atque ignominiæ notam inuri. Hæc qui e literatorum numero intelligat, & simul videat in tanta licentia judiciorum ac scriptorum non dari locum pusillæ & innocuæ scriptioni meæ per interdictum crudelitatis tuæ; putas ei tam facile ulla objecta pietatis aut justitiæ specie imponi posse, ut non statim versus isti poetæ optimi succurrant:

„ De nobis post hæc tristis sententia fertur.
„ Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

De indocta autem plebe quid censes? nonne satis illi intelligentiæ & sagacitatis esse, ut persentiscat non jus & fas hic ullum agi, sed versari invidiam, malevolentiam, odium, importunitatem morum tuam? Unus mihi crede, sacerdos prudens ac probus superstitiosores omni religione solverit: liberiores pœnæ sanctio, & denuntiatio periculi, & ipsum hoc, quod verita res est, ad cognoscendum & perlegendum accenderit. Me quidem; etsi malim nimium timidus, quam parum pius videri; tantum abest, ut istis tuis atrocibus ac tyrannicis factis deterreas a scribendo, ut invites & exacuas magis ad defendendam ac propulsandam non ferro aut igni, sed calamo atque atramento injuriam, novæ injuriæ accessione cumulatam. præsertim cum intelligam, qua parte tibi doleat, quid tui sibi fautores metuant; tantique existimem scripturæ genus meum, quod insolitis opibus, & extraordinaria civilis ac sacri magistratus potentia oppugnandum susceperis. An vero me non amem de mea ad Candidum Hesychium epistola, quam unam vere duorum elogium appellare possum, Aurelii, & tuum, qui te pro vili scriptoris etiam vilioris elogio, tanquam pro aris ac focis, dimicare videam? An in lucro non ponam censuras, damnationes, diras, execrationes, fulmina, quæ me non attingant, te prodant omnibus tam ad resistendum imbecillem, quam ad ulciscendum proclivem & inflammatum; aut quam levis ac præceps in lacessendo fuisti? Facere certe non potes, ista tua petitione opis, & majoris patrocinii imploratione, quin videare sapientibus vel sanis imprudens, qui adversæ valetudinis subsidia consumas, vel æger desperatus, qui ad extrema remedia, non ante periclitatis lenioribus, decurras. Magnum vero cepi ex eo fructum laboris mei, quod te, mecum cum jure non posses, gratia & favore apud principem, apud senatum, experiri & tentare omnia coegi, ac tandem, cum te aliquid impetraturum esse diffideres, immo clam & privatim ab integerrimis optimatibus repulsus esses, ad tribunum confugere, qui recusare non potuerit, nullo præsertim repugnante & reclamante, quin sic prope, ut fecit, rogaret: Velitis jubeatis, Quirites, ut Antonius Godellus episcopus Grassensis, vir magnus, subtilis theologus, disertus elogii scriptor habeatur. Nam quod nonnulli, boni illi quidem viri, sed qui ad pauca attenti facile de rebus pronuntient, facinus indignum clamant, ausum esse quemquam contra episcopum venire; primo temerarii sine dubio sunt, qui, me cum prorsus ignorent, ignorent alios ex tuo ordine, quos infensos habes, illico existiment tibi rem cum impari atque inferiore adversario esse: deinde injustissimi, qui, cum per summam acerbitatem aggressus sis, tibi nihil responderi; ubi Cardinales, Episcopos, viros religiosos, optimum quemque violaveris, parci potissimum velint. Nec vero inter illustrissimos præsules quemquam esse arbitror, qui hoc ordini suo concedi petat, ut, quia amplissima dignitate est, quam summi infimique, omnis Gallia, veneramur; si quid semel dixerit, non liceat unquam dissentire, si quid egerit, non liceat reclamare interdum, & cum præfatione honoris ab irato aut conniventi episcopo ad eundem placatum aut vigilantem provocare: aut, si quando facultatibus & copiis, quas his gradus subministrat uberrimas, adversus aliquem potius, quam ad bene merendum, utatur, nefas sit oppresso mutire, & sublevare justissimum dolorem querendo.

rendo. Quamobrem, Antoni Godelle, si me audis, nec parens communis te dabis partibus, nec judex litem tuam facies, nec Episcopus dignitatem, ad rogandum pro te magistratum, abjicies, nec scriptor calamum & chartam cujusquam cupiditari, aut falsis laudibus addices; verbo dicam, elogium Aurelio non scribes. Quo de homine jubeo te securo esse animo imposterum, non enim mihi dubium est, quin centimanus hic gigas, qui centum hæresibus cum Deo pugnavit in scriptis, tandem aliquando producatur ad ludibrium, quod orbi Christiano jamdudum debet, & omnibus infamiæ notis posteritati inustus atque inurendus tradatur.

Verumtamen, mi Romane, frustra es, qui probare rationem facti tui coneris Episcopo Grassensi, & hominem cum in capiendo per se consilio tardiorem, tum ad exquirendum alterius judicium non satis docilem, horteris ac suadeas. Neque est credibile aut eum tam inopem & nudum fuisse ab amicis, aut amicos ita prudentia & fide destitutos, ut omnes hæc illum, quæ tu mones, celarint, nemo sponte sua suggesserit a primo, ne se in eam causam penitus demitteret; aut, si quidem tam multos uno Aurelii elogio læsisset, quam in multos injuriosus Aurelius fuit, remissius & placatius ferret ab uno se alterove leviter repungi. Quocirca te admonendum esse, vel, si pateris, flagitandum putavi, ut quando in extremo Epistolæ tuæ sic erat, te, si Godellus esse pergeret Aurelianus ac similis sui, scripta ejus alia, etiam, quam elogium, accuratius ad examen & trutinam vocaturum; munus exolvas nobis, quod ostendisti, atque in poetæ versus, interpretisque paraphrases, bona fide & diligenter inquiras. Sed quoniam vereor, ne omnes hæ nugæ Godellinæ tibi tanti non sint, ut ad suscipiendum vel legendi laborem adduci velis, aut etiam per summas & incredibiles occupationes tuas possis; malisque scriptorem ineptum falsa gloriola & inani male partæ existimationis umbra frui, quam hanc imperitis opinionem atque errorem incommodo tuo eripere: cepi consilium, ut, seposita ejus in aliud tempus prosa oratione, itemque vincta, in qua se modo alieni operis interpretem præbuit, tum autem perlectis sedulo versibus iis, quos conscripsit marte suo, pauca tibi quædam ex plurimis animadversis annotatisque meis, tanquam rudem & impolitam materiem suppeditarem ad elogium, quod, ubi libitum esset, adornares huic elogii architecto nostro. Injucunda res, fateor, & indigna facultate & copia tua, vel quod de Godello, quem libenter valere jubeas, & sibi canere ac musis; vel quod in commemorandis ac dinumerandis continenti quadam & perpetua serie erroribus occupata. Sed, anime mi, hanc te molestiam devorare oportet, aut episcopi Grassensis causa, qui te plurimum amat, aut artis poeticæ, quam tu plurimum amas. Atque hoc magis anniti decet, ut coloribus rhetoricis illumines & distinguas orationem, & satietati ac fastidio lectoris, quantum poteris, occurras; ne tot ineptiis poetæ Gallici audiendis nauseet. Nec vero parum proficies, si ostendes, quos processus vir id ætatis effecerit, qui a parvulo perreptare summo nisu non destitit ad Parnassum montem; quibus ibi ex fontibus puros & altos poeticæ quasi spiritus hauserit; ut in hoc ingenuo & liberali, minimeque, mea quidem sententia, contempto studio perfectus evaserit. Nam & valde poeta videtur sibi, qui tantam multitudinem versuum fuderit, majoremque in dies minetur lectoribus; & se intima artis mysteria, quæ ad elegans omni numero poema, plenumque & absolutum poetam pertinent, nosse gloriatur. Hoc ipsum, se poetam esse, persuasit mulierculis, quæ fidem ausæ non sunt derogare & jurato, & Episcopo. poetam esse quovis sacramento contendit, qui vendit librarius. nec docti viri negant, qui Gallica vix legunt, nec indocti, qui poetica non intelligunt: maluntque hoc ei juris & appellationis universi concedere, quam litigare. Tantum ex poetis, præsertim Gallicis, quorum magna est hac ætate & felix copia, alios dubitare video, alios omnino, quidquid loquantur, non credere. De quo etsi non sum nescius, quid sentias, nec ambigis ipse, quin in eadem tecum opinione sim: tamen satius & convenientius puto, omni præjudicio sublato, & omissis auctoritatibus, æstimare de re ex ipsa re, & exquirere veritatem argumentis. Mea prorsus sic est ratio, ut, si quærimus, utrum quis in poetarum numero habendus, disputandum videatur, quam natus sit ad poeticam; utrum eam artem revera teneat; quæ præsidia eruditionis atque doctrinæ ad hoc sustinendum & tuendum munus afferat; quantum ad mores informandos, omnique recti & honesti genere imbuendos, præsertim si poeta dici Christianus gestiat, conferat. Quæ poetæ dotes, sive virtutes quatuor, quales in Antonio Godello Episcopo Grassensi, & quantæ insint, totidem capitibus breviter, & pingui, quod aiunt, Minerva exequor. Tu, si videbitur, nec is ordo displicebit, latius dices & ornatius. 5. non. Mart. 1647. Vale.

CAPUT PRIMUM.

Quid à natura ad poeticam Antonius Godellus habeat adjumentum.

QUEMADMODUM terræ & soli bonitas duabus rebus maxime cernitur, si & arbores alat quam procerissimas, & herbarum magnam ex sese vim atque copiam efferat, etiam nulla cultura: ita egregia quævis & præclara, qualem esse consentiunt omnes in poetis oportere, indoles progignere ac suppeditare sua sponte duo quædam solet, sublimitatem dicendi & fœcunditatem, quorum alterum, ὄγκον, ἐνθουσιασμόν, sive divinum furorem, alterum benignam ac divitem, nec publicam ingenii venam vocant. Atque haud scio, an hoc sibi poetæ ipsi, sapientissimi fingendi artifices, voluerunt, qui sedem ac domicilium attribuerint musis, in præcelsis atque editis montibus, & prope amœnitates fontium. perinde quasi montes incolas atque habitatores suos admonerent, ut reliquum vulgus longe infra se positum ducerent, & aliter, atque alii mortales, loquerentur: ex fontibus appareret, quanto in his opere, quamque necessario profluentia quædam

dam & ubertas orationis requiratur. Cum autem hæc naturæ dona duo & per se, & in scriptis veterum ac recentium poetarum non ignobilium patent: tum non aliunde magis, qualia sint, quam ex vitiis contrariis, quæ in Antonio Godello insunt, humilitate dico & sterilitate, animadverti potest. Nam sic sac existimes, Romane, nihil isto reperiri quidquam neque humilius, nec sterilius. jamque hoc diu utrumque dici audieram; & mihi facile de eo persuadebam, cujus esse ingenium scirem non majus, quam corpus. Sed hic, contra quam alias ubique fit, famam vicit & opinionem meam ipsa res. Primum omnium, quid amplum, magnificum, altum, atque exaggeratum in sententiis? quid mediocre, & temperatum, & communi non solum admiratione, sed approbatione intelligentium dignum? cedo, quo imagines rerum illustrium extent atque emineant expressius? unde spiritus excitentur generosius? mentes fortius ac validius recreentur? Neque expectandum est, dum id, quod dico, firmem exemplis: quod ipsum ex perpetuis & continentibus scriptis facile comperias; in quibus abjecta, & contempta, & tralatitia omnia, & quæ cuivis uni mediocriter ingenioso, si aliquandiu paratus ac meditatus accedat, veniant in mentem ac peræque sub vincula numerorum subeant & succedant. Jam quænam granditas verborum & dictionis esse potest ejus, quæ sumpta ferme tota est de medio, neque a quotidiano & familiari muliercularum sermone differt? Habet illa quidem proprietatem quamdam, &, quod consequens est, perspicuitatem: justo certe & legitimo amplitudinis modo, atque habitu naturali caret; nedum usque ad magniloquentiam poeticam processit. Quam serpit istud de dæmone?

a *Le maître bien instruit aussi tôt fera voir*
Qu'à la perte du monde il est né seulement.

Et istud de Simone mago?

b *Doit, en pensant voler, à ses pieds tomber mort.*

Et istud de Virgine Matre?

c *La Vierge entretenoit l'Apôtre bien-aimé,*
Qui n'entend qu'à demi ses paroles obscures.

Quam hoc jacet, initio præsertim libri?

d *Dans les derniers devoirs qu'à la Vierge divine*
Le zele des Chrétiens rendit si saintement.

Quam hoc non dissimile communis usus?

e *Les Prêtres étonnez de voir dès son enfance*
Luire en ses actions tant de maturité.

Et hoc:

f *D'une telle faveur Elisabeth s'étonne,*
Et pleine de transport dit à tous clairement,
Que la Vierge en son sein porte le Dieu qui tonne.

Et hoc:

g *Et bien laissez partir sans leur daigner rien dire*
Ces fideles pasteurs.

Et hoc:

h *Que ne te dois-je point pour cette grace insigne,*
Qui fait voir, ô Seigneur, combien tu m'as aimé.

a pag. 13. b pag. 13. c pag. 14. d pag. 57. e p. 34. f pag. 43. g pag. 44. h pag. 50.

Atque hoc vile, a tabernariis & aquariis, quod scriba tamen, aliqua vir auctoritate, loquitur:

a *Le tira par la main, & lui dit hautement;*
Je ne sai si l'épouse a recouvré la vie,
Mais sans doute l'époux n'a plus de jugement.

Et alia multa, vel potius innumerabilia, quæ dicuntur humiliter. Ex quo, Romane, vides, siquidem tres gradus habeat oratio, & primum sibi poëta vindicet, alterum orator, tertius vitæ quotidianæ & congressionibus familiarium relictus sit; quantum absit poeta noster a gradu summo, ac suo, qui in infimo consistat: cumque in soluta oratione qui demisse sic dicat, plerumque vitiose dicat, in vincta qui sic dixerit, ac, dum sermone debet uti Deorum, vix hominum usus sit, quantum flagitium & quantum nefas fecerit.

Magna Godelli poetæ humilitas. sterilitas etiam major. Cujus tandem, nisi summe jejuni, sicci, & effeti, res cum per se communes vulgaresque, ut segetes terræ, tempestates cœli ac maris, tum ab aliis jam occupatas, & quo alii modo tractarunt, adhibere de integro, ac novi nihil admodum, aut majoris momenti & ponderis promere? Quanta inopia atque egestas in eo, qui non aliena tantum retractavit, verum & sua ingessit lectoribus satietate jam defessis, atque eadem millies inculcavit? Nisi forte is non videtur in maximis angustiis & difficultatibus domesticis versari, qui unis vestibus utatur tamdiu, aut pascat uno ferculo, vel hesterno cibo convivas frequentes. Atqui sic poëtam Antonius Godellus gessit: ita multus & creber in iisdem versandis ac frequentandis fuit; ut, plurane diversa, an eadem sæpius protulerit, dubitare possit aliquis; quin hoc postremum penuria fecerit, nemo. Est hæc ejus reticentia in ecloga 9ª. non insignis pretio; quantulum enim id est? sed rara usu:

b *M'en devroit-il coûter.* Ler. *Cruel, que vas tu dire?*

Non tenuit se, quin eamdem iisdem verbis in 14ª. redderet:

c *M'en devroit-il coûter.* Lyc. *La perte de Sylvie.*

Commune dictum & plebeculæ sermone celebratum, rectius quempiam laudari silentio, putide tertio, & forsan crebrius, versibus, quasi vermiculatum emblema, intexuit:

d *Se taire par respect c'est vous savoir louer.*
e *Et qui n'en parle point, en parle dignement.*
f *Qu'adorer & se taire, est l'art de le louer.*

Difficile porro dictu est, qui nullas aut raras sententias habet, quam frequens hoc nescio quid sententiolæ decantet, in quo formæ pulcritudini constantiam fidei opponit.

g *& m'estime assez belle,*
Pourveu qu'à mon époux je paroisse fidele.

Et h *avec ma beauté*
Je le sai retenir par ma fidelité.

Et i *une freste beauté*
Qui me plaît beaucoup moins que ta fidelité.

Et k *ma fidelité*
Peut-elle pas en moi tenir lieu de beauté?

 Et

a pag. 23. b p. 207. c p. 257. d p. 165. e p. 178. f p. 223. g p. 50. h p. 153. i p. 158. k p. 160.

Et a *Et ma fidelité lui tient lieu de merite.*
Et b *l'on est toûjours belle.*
Pourveu que dans sa flame on demeure fidelle.
Et c *Que sans la loiauté le cœur n'est jamais beau.*

Sed hæc parce & verecunde repetita, præut quæ sequuntur. Solem, Romane, e mundo tollere videtur, qui ex Antonii Godelli illuminata sane atque illustri poesi tollit. Quid enim infelix absque sole, radiis, & luce esset, faceret, nisi, tanquam alter Memnon, Auroræ filius, sed elinguis, & stupidus, ac totus e saxo, obmutesceret? Locos omitto, io quibus utitur necessario sole, ut lucere ostendat, aut contra advesperascere: & eos, in quibus amicam amator solem ἀλληγορικῶς appellat: & eos, in quibus facta solis mentio uno aut altero versu. quod in eo mirum videri non debet, qui nihil dicat semel, sed, ut balbus, syllabas, aut ut echo, extrema verba, ita ipse sententias totas conduplicet. Hymno de natali Christi, agit de sole septem versibus: d *Sait-il si le Roi des saisons*, &c. Continuo post, hymno consequenti, solem compellat ipsis versibus quadraginta, ne moretur fortasse plus solito, neve omnibus radiis non luceat, aut non omnia sua luce lustret & compleat: e *Toi qui d'un immuable cours*, &c. Tum sequentis quoque ad Virginem Matrem hymni initium ducit, ut superioris duxerat, a compellatione solis, in eaque triginta versus consumit: f *Toi qui jamais ne te reposes*, &c. Quo quid facere potuit ineptius, certe quidem ad egestatem declarandam suam aptius, qui io rebus inveniendis & excogitandis, atque in variando argumento tam parum felix sit? Idem pag. 64. *Le soleil pour la voir*, &c. Idem paucis interpositis, pag. 65. versibus decem: *Cét astre qui se leve*, &c. item ter eodem poëmate extremo. sed prætereo, vel quia tanquam simili utitur, vel quia ad significandum diem, aut anni tempora, vel quia paucis. Idem pag. 209. versibus quatuor: *Mais je redonte aussi*, &c. Idem pag. 213. versibus decem: *Soleil qui le matin*, Idem pag. 223, *Et même le Soleil*, &c. Idem pag. 237. versibus quatuor: *De ses premiers raions.* Idem pag. 238. *L'astre qui fait le jour.* Et ead. ecloga pag. 241. *L'astre qui fait le jour.* Et paulo post, eadem pagina: *Tandis que le Soleil* Denique ecloga decima-quarta temere multa identidem fundit de sole, sive initio, seu ad extremum. Postremo sol illi cupressus, sol pluvius arcus, sol poëtica tempestas: ut tam longa ac tam crebra usurpatione solis, aut solem obscuret, aut aciem lectoris oculorum perstringat. Itaque homo acutus videri vult addidisse radios soli, eumque non tam laudasse, quam inaurasse; non, ut ego interpretor, odiosa & insulsa repetitione, quæ auctori suo exprobret indigentiam, fœdasse: adeoque non recusat, quin clarissimus poëta, splendido & proprio jam nomine appelletur, *le poete au Soleil.* Nisi forte nominare malimus, *le poète à la rose.* quam sibi appellationem eodem jure potest arrogare. Quoties enim, Romane, de rosis fecisse existimas mentionem, idque in uno poëmate, tribus hymnis, eclogis aliquot? Semel, aut iterum, aut tertio?

a p. 170. b ibid. c p. 191. d p. 102. e p. 104. f p. 120.

a *il est en toutes choses;*
La beauté de son teint dans la beauté des roses.
b *passe celle des roses.*
Qu'on voit au point du jour sur les buissons écloses.
c *Je trouve en toutes choses,*
Les lis pour leur blancheur, pour leur pourpre les roses.

Quart. quint. sext. sept.
d *On vit changer l'ordre des choses,*
On vit pour la garde des roses.
e *Qui rend la vie à toutes choses,*
Et quelle main redonne aux roses.
f *Sans pinceau peignent toutes choses,*
Un vif incarnat pour les roses.
g *Semez tous ses chemins de roses,*
Pour dire en un mot toutes choses.

VIII. h *qui seul m'est toutes choses,*
Aime mieux ma noirceur, que vos lis & vos roses.
IX. i *qui change toutes choses,*
Ne sauroit effacer, ni mes lis ni mes roses.
X. k *j'ai quitté toutes choses,*
Ses plus rudes sentiers m'ont paru pleins de roses.
XI. l *l'auteur des belles choses,*
Celui qui peut changer les épines en roses.
XII. m *dessus son teint écloses,*
Vos lis sont sans blancheur, & sans pourpre vos roses.
XIII. n *qui marche sur les roses,*
Qui ne peut rien donner, & promet toutes choses.
XIV. o *à mes pas tu proposes,*
Un illustre chemin, où je ne voi que roses.
XV. p *renaître toutes choses.*
A dessus les buissons dix fois semé les roses.
XVI. q *qui marche sur les roses,*
L'aveugle ambition qui tente toutes choses.
XVII. r *si la pourpre des roses,*
Que nôtre œil s'y figure, ou qu'il y voit écloses.
XVIII. s *en ses metamorphoses,*
Il change quand il veut les épines en roses.

Quid præterea? quid? etiam:

XIX. t *redore les collines,*
Une rose étincelle au milieu des épines.
XX. v *les volontez divines,*
Ne cueillir point de rose & sentir des épines.
XXI. x *les Muses divines,*
M'ont toûjours fait cueillir des roses sans épines.
XXII. y *les roses delicates*
Etalent à nos yeux leurs feuilles incarnates.

Numquamne vero faciemus finem rosarum? atqui licet defessus sim numerando, ac prope rosæ sordeant, nec ferre queam diutius nimiam vim & immoderatam suavitatem odoris, ne si quidem totus fiam, Romane, nasus: sic tamen velim tibi, persuadeas, nondum perventum esse ad summam, & aliquid etiam diligentiæ investigatoris magis otiosi & curiosi relictum. Quare quoties in Godelli versus istiusmodi incido, toties ingredi mihi officinam unguentarii aut pharmacopolæ videor, ibique in pittaciis, & inscriptis pyxidibus, & lagunculis legere vel *eau rose*; vel *pams de roses*; vel *sirop de roses*; vel *conserve de roses*; vel

a p. 3. b p. 7. c p. 29. d p. 95. e p. 102. f p. 126. g p. 136. h p. 150. i p. 154. k p. 162. l p. 163. m p. 183. n p. 188. o p. 215. p p. 236. q p. 242. r p. 250. s p. 253. t p. 150. v p. 192. x p. 205. y p. 214.

vel, ut concinam cum poëta, & ὁμοιοτελεύτως respondeam, *semblables choses.* Quod si scite nonnullis per ridiculum conjecisse visus est Virgilius, Octavium Cæsarem patre pistore natum; quia sibi tanquam stabulario panem, mercedis loco, nihilque præterea, præberi iterum ac tertio jussisset: quid nos par est aliud subodorari, nisi Antonium Godellum, Episcopum Grassensem, hereditarium aliquid & patrium ab officina & ξενοδόχου habere, qui paginam utramque rosis impleat, tam crebro ac dense rosas lectori admoveat, tam multiplices ac varias ex rosis compositiones offerat? præsertim cum φαρμακευτικῆς munus, & vocabula pulcre norit, qui sic loquatur; * *Celui qui a à traiter des malades dégoûtez, qui veulent que l'on clarifie leurs medecines.*

Quod cum ita sit, & cum prudentissimi scriptores, atque optimi poëtæ, Horatius, ac Juvenalis, alter in numero poëtarum reponendum non putet eum, qui *sermoni propiora* dicat; alter præstantem poëtam ex ea parte duntaxat commendet, quatenus *nihil expositum soleat deducere*, neque *communi feriat carmen triviale moneta*: apparet manifesto nunc primum, quo jure Antonius Godellus, cujus est humillima, atque, ut sic loquar, infima inferior oratio, quique exposita jam & ab aliis, & a se, toties deducit, aspiret ad poëticam laudem, & hoc sibi qualecunque nomen decusque assumat.

Sensit aliquando hæc vitia naturæ duo, humilitatem ac sterilitatem suam Godellus, sive per se nemine admonente, seu quod objici sibi ac verti probro acceperat: & emendare & corrigere conatus est. Verum cum hoc quoque naturæ donum sit, quo careat, rectum cum videas, sequi posse; modum non servavit, & in vitia per imprudentiam contraria incurrit. qui summissus & humilis in epico carmine erat, præpostere grandis atque elatus, ac prope dicam tragicus in pastoritio fuit: & qui genus sermonis afferebat, aridum rebus atque inops sententiis; dum plenum, copiosum, & abundans imitari vellet, ad inanem est levitatem verborum, & stultam loquacitatem delapsus. Nec tam utrumque novum ac mirandum, quam primo aspectu accidit. siquidem pueros infantes & parvulos, majoribus buccis & pinguioribus toris brachiorum, & reliquo corpusculo habitiores proportione videas, quam cum sensim fiunt grandiores, atque extenuantur crescendo. Itemque senes iidem steriles & in novis adinveniendis rebus tardi, iidem loquaces & in veteribus renarrandis molesti. Sed hac de re loco alio opportunius. Quod igitur vulgo dictitant, poëtas nasci, hoc est, naturam ad scribendum carmen vim afferre præcipuam, neque modo adjuvare plurimum, sed etiam ita præesse operi, ut regnet ubique sola ac dominetur; id profecto in Antonio Godello locum non habet. Proximum est, ut differatur, an institutione, & disciplina, & præceptis poëta factus sit, atsque, ei quod a natura deerat, suppleverit.

* 2. parte pag. 36. in præf. editio 1641.

CAPUT SECUNDUM.

Quam paratus ab arte ad scribendum carmen Antonius Godellus accedat.

CONSTAT inter doctos, naturæ vim, & artis efficientiam in poëtis distingui mente & cogitatione facile, atque interdum re separari; itaque Ennium, cum omne illum artificium deficeret, viribus animi excitatum, & cœlesti aliquo instinctu afflatuque correptum, se ad studium & tractationem poëticæ contulisse; Callimachum contra, ingenii pari velut aura & vento destitutum, artis usum adhibuisse, sic tamquam remorum, & portum, si non jucundo & facili, at certo directoque cursu, tenuisse. Quare etsi fuisse in Antonio Godello Homeri ac Virgilii materiam atque indolem nequaquam agnoscimus, ex qua divini poetæ summa laus, & plena perfectaque virtus, & maturitas sperari possit: tamen non desperamus fore, ut si via & ratio major quædam disciplinæ accesserit, adhibita quoque opera & diligentia, ad tolerabiles, minimeque ineptos, ac plus etiam quam mediocres poëtas perveniat. Verum quid hoc est infelicitatis, quod per nostrum hunc poëtam horum alterum ab altero, id est, natura ab arte, non modo non perficitur, neque adjuvatur, neque expletur; sed etiam utriusque par & communis inopia, inutili conatu, & imbecilla, quam ad scribendum solum affert, voluntate fit apertior? Est ejus de admissa in cœlum Virgine Matre poëma unicum, propter quod censeri debeat, si modo debet, poëta; cum reliqua, quæ scripsit, poëmatia sint, neque justum ac legitimum corpus operis efficientia. Hic Joannem introducit loquentem: & recte. fecit hoc antea, a quo is mutuatus est, Hieronymus Vidas, libro quarto toto. Sed cur idipsum, quod alienum est, imitatione corrupit, & in pejus vertit ac mutavit, qui ex tribus duntaxat libris, secundum integrum, eumque multo aliis longiorem duobus, perpetuæ Joannis orationi attribuit? Novimus certe, pauca epicum poëtam per se loqui oportere: id quod Homerus vidit, & quo nomine præter cetera ab Aristotele vere laudatur. non tamen, ut tertiam poësis unius partem, eoque plus, unus idemque continenti nec interrupta oratione occupet. Nam & Homerus ipse, si quam personam diutius loquentem induxit, in libris quatuor & viginti fecit: &, si a Marone attributa duo Æneæ ad Troicum narrandum excidium volumina sunt, sunt ex duodecim numero voluminibus attributa: & Vidas libros conscripsit saltem sex, inter quos unum in eo, quem dixi, sermone Joannis, de vita & rebus gestis Christi posuit. Quod autem secundo isto libro suo Godellus hortationes interponit, non raras & breves poëtarum, ut hanc, *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis*, sed frequentes & longas, concionatorum more, & satis tritas ac vulgares; quid aliud assecutus est, nisi ut inconditam illam quidem, sed laudationem fune-

nebrem ad exequias Virginis cohonestandas ab ecclesiaste habitam, inclusisse in poëma videatur? Cum vero miscere vellet affectus primo libro extremo; intelligeret autem jam apud Maronem parentes filiorum, Euryali & Pallantis, mortem mœrere, Nisum amici dolere casu, Didonem Æneæ velut conjugis desiderio teneri: quod reliquum erat, & forsan minimum, arripuit, ut sponsum de sponsa vel ægra, vel adempta, sollicitum atque anxium faceret. Primum quo pacto?

a *Si tôt que je te vis entre mes bras pâmée,*
En hâte je courus pour chercher Uriel
Ce fameux Medecin.

Collapsam videlicet inter manus, & animo defectam rejecit a se, excussitque quasi onus, & sic reliquit; ac non potius fovit ulnis, respersit aqua, ut ea se colligeret & reciperet spiritum, omni ope contendit; per alium interim Medicum acciverit. Deinde qua spe & fiducia homo Judæus tantum sibi pollicetur, flores ex Mariæ, cum efferretur, loculo delapsos, sanaturos ægram: post, cum exstinctam offendisset, etiam vitam reddituros, qui nihil de Christo vivo, nedum mortuo, tale meminerat; cum præsens præsentes mortuos tactu, aut certe voce, quos revocavit ad vitam, revocaverit? Num probabilius aliquid poëta facturus erat: si quos conjux flores, reverentiæ & honoris causa, nihil aliud suspicans, collegerat, eos imprudens supra jacentis lectum abjecisset, aut amore & benevolentia deposuisset, ex quo vita mortuæ derepente existeret, & sponsa sponso redderetur insperanti? Quod ad librum ultimum spectat, consideres licet; habet enim res deliberationem; rectene Thomæ rex se David sistat, qui aperiat & confirmet inscio nec facile credenti, revixisse Dei Matrem, sublatam jam in cœlum, exceptam a cœlitibus, & reliqua, quæ verbosius prosequitur: an præstiterit, unum aliquem allegari ex prophetis, qui aut aliquid peculiare & insignius de Virgine Matre prædixisset olim, aut ad Thomam Apostolum, officii similitudine, quod missus esset, ut Isaias, aut Ezechiel, aut Daniel, pertineret. Jam si commemorare velim, quæ quotve singulas poëmatis partes, contra decorum commissa, dedecorent, longior, quam Godellus ipse, sim. præterire non debeo, quemadmodum apud filii discipulos moritura virgo habeat fastus & arrogantiæ orationem plenam, in qua de aliis per contemptum detrahat:

b *Que ceux dont les plaisirs,* &c. *ont été les idoles*
Que ceux dont le mensonge, &c. *s'étonnent à la mort,*
Craignent également l'enfer & le tombeau.
Elle est lente pour moi, cette mort qui les gesne.

Digna plane Pharisæo sententia: Non sum sicut ceteri hominum, voluptuarii, ambitiosi, avari, quibus mors, sepulcrum, inferi, terrori sunt. Quid hoc? nonne leve ac dilutum?

c *Regarde un peu mes yeux, ils sont prêts à pleurer.*

quis commotior fleturum se quamprimum significet, aut nihil propius esse, quam ut fleat? An illud de Simeone, viro probo, & omni virtutum genere prædito Gallicum, a *Illustre en sa justice.* Quod neque Græcum, neque Latinum; sed merum Hebraismum esse aiunt, qui has principes linguas callent aliquantum? Ἄκυρον certe istud de Christi in Ægyptum fuga: b *Permettre qu'un tyran l'envoiât en exil.* quam commode & ὑποκοριστικῶς importunissimi tyranni factum accipitur? qui deposcatur ad necem, & modis omnibus investigetur; cum vitæ consulere cogatur fuga, eum missum perhiberi in exilium. Ignosce, Godelle, Herodi, ne accusa. non misit in exilium Christum, non cogitavit, noluit; immo ne iret, quantum in ipso fuit, corporibus puerorum tot innocentium trucidatis, & flumine sanguinis, iter intercludendum curavit. Cur hoc insolentis verbi: c *Les Amoureux Gemeaux*, pro, *Jumeaux?* Cur hoc jocularis nec satis aperti: d *La terre couverte de sa robbe verte*, pro herba; ut si dicat, *Converte de sa robbe blanche*, pro nive; Sed Godellianæ locutionis menda non decrevi excutere: licet artis hoc quoque fuerit, genus quam purissimum & quam castissimum dictionis sequi. Hæc aspersi, ut intelligeret poëta noster, se in eo, quod a prima ætate ad hanc diem summa cura & assiduitate excoluit, in quo aliquid videri vult, & quo studiosis & fautoribus suis magnus est; si res ad certam novæ ac florentis academiæ normam & præcepta dirigatur, ac perpendatur diligentius, propemodum nihil esse, neque patrii sermonis intelligentiam exquisitiorem præter ceteros ullam habere.

Venio nunc ad hymnos duos, & horum duos tantum locos, in quibus præbuit se Godellus ejusmodi, ut si quis reperire quid velit ἄτοπον & ἀπρεπὲς διδόμενον, frustra usquam alibi quærat. Primus est eo hymno, quem Christo scripsit recens nato, in quo pastores Angelus, imperitissimum & infimum genus agrestium, non tam admonet, ut jacentem in cunis Deum visant confestim, quam sermonibus moratur longissimis. At quibus? de triplici hominum statu, incolumi, perdito. de peccato originis. de naturæ divinæ & humanæ nexu sine admixtione. de inutilitate Mosaicæ legis ad peccati remedium. Quos si sermones idem Angelus non jam ad custodes ovium, sed ad magos, sapientissimos in populis orientis, habuisset, idque inter viam, longo aliquot dierum itinere; non omnino extra culpam Godellus foret, qui statim tanta, neque tum scitu necessaria mysteria, rudes prorsus harum rerum, necdum κατηχημένους doceri faceret: majorem certe loci, temporis, personarum duxisset rationem; ideoque non ineptissimus, cum nunc tanto sit ineptior, putaretur. Ac vide, ut alio atque alio incredibili delirio hoc delirium cumulet, qui de studiis literarum, & doctrina agat cum pastoribus:

e *Si vôtre savoir est profond;*
Il vous coûte l'inquietude,
Et le long travail d'une étude.

qui apud eosdem pastores disserat, hominem neminem scire, utrum sol motu suo feratur supra terra circa solem immotum agatur. Quibus ridicule

a p. 82. b p. 16. c p. 12.

a p. 45. b p. 45. c p. 65. d p. 31. e p. 93.

cule & inficete dictis adjicit & istud, quod insulsiras ipsa, si loqui posset, loqueretur:

> a *San-il où se cachent les fleurs,*
> *Lors que l'hyver plein de furie,*
> *Efface les vives couleurs.*

Quærere enim, quid fiat floribus hyeme, aut quem in locum se abdant, cum vere soleant existere; quid hoc est aliud, nisi, quid fiat veteribus lunis, & ubi receptum habeant, dum succedunt novæ, quærere?

Alterum locum alter præbet hymnus ad Virginem Matrem, in quo non turpius neque magis ridendum stultitiæ peccatum; qui enim potest; sed odiosius & minus ferendum neglecti decori vitium licet animadvertere. Non satis habuit Antonius Godellus Armando Cardinali Richelio vivo adulari fœdissime; cui tamen, simul atque mortem obiisset, nihil obligatum se esse, multis audientibus, dixit; sed cum Ludovicum XIII. offerentem se ac regnum Mariæ Virgini, induceret, huic de isto sermonem affinxit, qui totus abhorreat a regis sensu & consuetudine, Cardinalis prudentia, ac voluntate, rei natura. Quid attinuit a rege, sanctis ac religiosis suis ad Dei matrem precibus, cujusquam mortalis laudes admisceri? quid necesse fuit, minute atque enucleare exaggerari? quid convenit tam multis in tam exiguo carmine? Virgilium cernimus, divinum opus Æneida aggressum ad eum finem, quem consecraret Augusto, libros perscripsisse duodecim: quotam partem in ejus persequendis laudibus consumpsit? Tenemus Horatium gratiosum apud eumdem Cæsarem, Mæcenatis clientem & familiarem: quam parce res utriusque gestas memorabiles, & orbis terræ judicio comprobatas degustat; illius, ternis versibus; *Cum tot sustineas & tanta negotia*, &c. hujus, vix binis; *Atavis edite regibus*, &c. Verum remitto pessimi poetæ errata, atque condono. Quis hoc, Antoni, tibi ignoscat, vel civis bonus, vel vir non excors, quod regi socium & consortem regni invidiosissime addidisti?

> b *Tandis qu'un si sage Ministre*
> *Avec moi tiendra le timon.*

Quid ais, perduellis? *Tenir le timon avec le Roi*, tenere clavum & principatum cum rege pariter? neque est enim istuc proregem agere, sed una cum rege regem esse. quod si de filio regis unico, herede proximo & vero, patre vivo, dicas, crimen imminutæ majestatis incurras: cum de alieno, de cive, de administro, de eo, qui hoc sine scelere cogitare non ausit, dixeris; omni culpa, reprehensione, pœna liber sis? Nescis quam retinens Ludovicus auctoritatis? quam nihil hujus perferens, unde peti vel tantulum majestas videretur? quam gnarus istorum Cardinalis, neque quidquam tam verens, quam ne quis istiusmodi parum consideratus sermo & improbus ac seditiosus ad aures regis accederet, aut in vulgus serperet? ut mirum sit, ni apud utrumque, si modo legere scriptiunculam istam tuam curavit, graviter offenderis. præsertim cum nihil excusare posses, neque hoc tibi imprudenti excidisse, neque

a p. 102. b p 136.

ullis versus angustiis, ac necessitate coactum fecisse; cui tam facile fuerit tam apertum nefas advertere & invidiam verbi atque asperitatem vel tollere omnino, vel sic mitigare: *Tandis qu'un si sage Ministre dessous moi tiendra le timon.* At hoc scilicet noluisti, nove Antoni, qui diadema Cæsari vel invito imponere paratus esses: & sic, opinor, ex amicis & necessariis tuis, de Ludovico & Armando, ut hi de Petro & Paulo loquuntur, loqui didicisti: *Deux chefs, qui n'en font qu'un; deux rois qui n'en font qu'un.* apage ab homine Gallo & catholico utrumque execrandum ac detestabile. Quod sequitur, satis ridiculum, eumdem Cardinalem unum opponi inferis ac dæmonibus cunctis: a *Les enfers n'ont point de demon, dont je craigne rien de sinistre.* Et hoc arrogans ac prope impium: b *C'est par lui que tout m'est possible.* Nempe si Cardinalis affuisset, non esset rex mortuus. Vitandum sane fuit, ut ne id usurpares, in quo aperta assentario minimum est, quod reprehendatur, illum ipsum regem futurum fuisse, nisi regi adjutor & comes adjunctus esset: c *Et vous en eussiez fait un Roi*, &c. Non possum vero tibi, Godelle, non succensere, quod in tam effusis administri regii laudibus, regem deprimis, & nobis exhibes somniculosum, ac nihil agentem, qui hoc etiam confiteatur de se:

> d *Je goûte en repos le sommeil*, &c.

Quem porro regem? vigilantissimum, laboriosissimum, patientia injuriarum cœli ac terræ insignem, qui multiplici & diversa in ultimas regni oras expeditione, valetudinem & corpus amisit, neque vitam longius, quam in quartum & quadragesimum annum produxit. qui si viveret, quo is odio in omne genus novatorum fuit, profecto, ut aliud nihil dicam, taceres, neque elogium scriberes. Sed nunc istud non agimus.

In eclogis, quantum judicare possum, ἀτέχνως scripta omnia. nam sive res tenues atque abjectas, graviter, ample, elate explicuit: artis erat non ignorare ab argumento ac sententia discrepare formam & rationem tractandi: sive res magnas & excelsas pari oratione & scriptura persecutus est; erat & artis nosse, neutrum eclogis, exili summissoque versuum generi, convenire. Atqui hoc illi interdum usurpatum video, ut reges, principes, aulam, pacis ac belli negotia commemoret: istud sæpe, ut turgida & producta quædam longius vi magna inferat, & quasi tumulis, qui levis esse & planus debuit orationis decursus, exasperet. Legesis pag. 229. quæ de proceribus ac diis regiæ, quos præsentes & propitios habuit, numerando recenseat, quadraginta amplius versibus, una nec variata sententia: *A la suitte des rois mes premieres années*, &c. Quæ de educatione sua, deque præceptis puero sibi traditis pag. 228. *Tu me donnas Lysis & pour pere, & pour maître.* Quæ de Henrico IV. in ipsa meditatione belli & apparatu interfecto. pag. 332. *Dans la Cour d'Eurylas je viens me faire voir. Ce Monarque*, &c. Quæ de amissa ac recepta Lerino insula, in ecloga 13. Audis vero, ut classicum canat?

> e *Corrupteurs de la paix, instrumens de la guerre,*
> *Metaux, que loin des yeux dans son ventre elle serre.*

a p. 136. b p. 137. c ibid. d ibid. e p. 161.

a *Ni les larges fossez, ni les fermes remparts,*
Ni l'horrible canon, qui bat de toutes parts,
Ni cercle, ni mortier, ni grenade, ni bombe.

Agnoscis, ut circuitum & quasi orbem verborum, quam periodum appellant, sex versibus efficiat? b *Ce n'est pas au souci d'éclairer tes pensées*, &c. sæpe in septem ac plures protrahat? ut versibus decem per quidvis undecies obtestetur? c *par ces eaux, par ces champs, par ces prairies, par ces antres*, &c. Quæ si universa cadunt in eclogas, si tam gravis materies, tam insolens & elata species ac figura dicendi, opiliones aut caprarios non dedecet; næ tu errasti, Virgili, vehementer, qui rustica simplicitate contentus, nihil urbanum, nihil militare, nihil regium, Tityrum & Corydonem sonare docuisti, &, si quando carmen dixisti non deductum, aut paulo majora canere Musas assuefecisti, utendum putasti excusatione, quam ne Grammatici quidem severi supercilii acceperint, cum tres tibi eclogas, vel potius nomen illis suum, propter excelsitatem quamdam dictionis, adimant. Amens es, Theocrite, qui legem tibi statuisti etiam graviorem, ut eodem filo decem eclogas contexeres, & numeris ratis ac certis, sed levibus minimeque heroïcis uterere. Terentiane, Donate, Servi, qui præcepistis, aut observastis aliud, nescitis artem, quam tanto post Antonius Godellus, Apollinis & Musarum antistes, adinvenit, & cujus ex præscripto regulaque, divinas nobis atque cœlestes eclogas excudit.

Has, Romane, Grassensis poëticæ virtutes, perpetua & intolerabilis quædam garrulitas comitatur, non iisdem modo alia occasione repetendis, de quo supra dixi, sed diversis, vel afferendis extra rem, vel proferendis præter modum. in qua rursum multa insunt vitia, ex qua multa existunt: supina negligentia, cæca obscuritas, inanitas multiplex, tanta porro dictorum inter se repugnantia, tantus conflictus, ut non jam poëta arte, sed homo ratione prorsus carere videatur. neglecti versus, ut continui duo, *peines*, *peine*.

d *Mais finissez bien tôt les peines que j'endure,*
Venez me retirer d'une peine si dure.

obscuri, ut,

e *La jalouse fureur qui ronge le merite.*
f *Daphnis, qui n'eut jamais que la face de sombre.*

inanes, quos tibicines vocant:

g *Que ce discours nous plaît, & que dedans nos ames*, &c.
h *Que ce recit nous touche, & qu'il nous fait bien voir*, &c.
i *C'est assez me loüer, il est tems*, &c.

Omnium autem inanitatum, quæ sunt in poëta nostro innumerabiles, haud scio, an ulla sit major, quam cum saucia amore & languida, quam vox deficit; k *Ha! je ne puis parler, une douce langueur A mes sens étonnez dérobe la vigueur*; tamen quæ se loqui neget posse, puella dulcicula, post triginta versus continuos uno prope spiritu pronunciat. aut cum, postquam amator amicam soli decore & pulcritudine antetulit, ipsum hoc loquentes alias amicas secum inducit: a *Il efface la Lune, & fait honte au Soleil.* aut cum de agro Grassensi exclamat: b *ô rochers cultivez, ô fertiles collines*: qui modo, cum idem solum propter sterilitatem & inopiam frugum vituperaretur, nihil reclamavit. dixerat enim nescio quis: c *Où la grêle & le vent d'une horrible fureur, Trompent presque toûjours l'espoir du laboureur.* Atque hæc non tantum supervacanea sunt, & plena futilitatis, verum etiam re ipsa sibi non constant. Quæ sequuntur, pugnant etiam disertis verbis, non tanquam ab obliviosو profecta, qui quod dixerat antea, non meminerit; sed velut ab hebete & obtuso, qui contraria, e regione posita coram, atque ante oculos, non cernat tamen, neque intelligat. ita *iste meus stupor nihil videt, nihil audit.* Quæ magis contraria, quam ea, quorum alterum ait, alterum negat: libertatem media in aula retinere salvam posse, libertatem retinere ibidem salvam non posse: bene multos milites ad insulam Lerinum recuperandam affuisse, ac rem gessisse; perpaucos milites affuisse remque gessisse? agnosce utrumque tuum, Godelle, aut utrumque nega, si potes:

d *Tout ce qu'elle a d'appas mon esprit l'a goûté,*
Et j'ai pû dans ces fers garder ma liberté; &c.
e *Mais je vois aussi tôt tant d'affreux precipices,*
Un si severe joug, de si cruels ennuis
A tant de lâchetez la Raison obligée.

Tum,

f *Ainsi de tous côtez, pour vanger nôtre outrage,*
Fourmillent les guerriers sur le prochain rivage, &c.
g *Et bien peu de soldats conduits par un lion*
Font ce que n'eût sans lui pû faire un million.

Quid est? numquid impono? aut concitator discordiæ videor, qui tibi non convenire tecum ostendam? aut jure a te non dissentio, qui contra te ipsum bellum geras? Me audi, redi tecum in gratiam, & bonam tibi mentem, a qua tantopere abalienatus es, reconcilia.

Quid ego commemorem ad extremum, quoties, quamque turpiter, in unis nominibus peccaverit, decori, consuetudinum, præceptorum, omnis artificii ignoratione? Si utraque Bucolica Theocriti & Virgilii inspexisset tantum; præterquam quod facile erat deprehendere, personas, quo loquuntur ordine, inscribi, ne bis initio, quæ prima loquitur, inscribatur; non fugisset eum, sua quodque carmen notatum inscriptione esse, unde tota argumenti ratio constet. quod quia secutus hic Godellus non est, sæpenumero excurrit extra lineam, & aliena, more delirantium, loquitur. Nec vero nunc singulis ejus eclogis, ut sunt, integrum est, certum nomen unum imponere in tanta confusione & discrepantia rerum, ut neque caput, neque pedes, quod dicitur, agnoscas. Tertium quoddam vitii genus est, longe patens ac diffusum, de quo etsi pluscula dici queant, tamen fretus intelligentia lectoris, simul & quod te hæc eadem acturum pluribus confidam, moderabor orationi meæ. Norunt hoc, Paule Romane, omnes, ipsique adeo ἄμουσοι, non temere a poëtis, comicis, tragicis, epi-

a p. 243. b p. 164 c p. 208. d p. 184 e p. 188. f p. 219. g p. 384. h p. 275. i p. 254. k p. 156.

a p. 183. b p. 209. c p. 204. d p. 219. e p. 220. f p. 243. g p. 244.

epicis, quibusvis, sed certo judicio ac delectu personas fictas nominibus nuncupari, quæ aliquid e re nata significent, eaque potissimum a Græcis, quorum summa est in faciendis verbis industria atque felicitas, assumi. Magno autem opere dant operam præterea, ut *ἀναλόγως* & ex norma regulaque artis forment, ne quod aut compositione vitiosum, aut terminatione barbarum, aut omnino inutile & supervacaneum exeat, cujus causa & ratio similitudinis non reddatur. Itaque, *utopiam*, vocabulum ab ornato viro Thoma Moro confictum, quod jam multis valde solet in ore esse, merito Scaliger longe doctissimus explodit, quod is verbi opifex, inventum hoc suum, nulla consuetudine sermonis Græci tueri potest. Ex qua re, quamvis in speciem levi ac frivola, periculum nonnunquam facere licet, quantum quisque Latine, ac multo etiam certius, quantum quisque Græce sciat. Jam nomina Godelliana accipe, ex intimæ artis instrumento ac penu deprompta; & risum tene, si potes. *Artenice*, amicula urbana. *Florice*, amicula rusticana. prius Græcum videtur; neque minus quidquam, quam Græcum est: posterius Latinum; nec tale quid Latini suum agnoscunt. Qui si *Parthenice*, si *Floride*, dixisset; salva res erat, neque veniret hoc loco in dubium, an literas Græcas pariter & Latinas didicisset, necne. Esto, non dixit, *Floride*: dixit, *Daphnide*. nempe in hoc uno reprehendendus dupliciter, & quod Daphne, usitatum esse nomen nescit; usurpasset enim ipse, neque novum fecisset; & quod ut Daphnis pastor dicitur, ita *Daphnide*, quæ pasceret, jure dici posse existimavit. *Cerilas*, *Lysidor*, *Palinis*, *Leris*. papæ! quæ deliciæ nominum? peregrina, transmarina, in omni memoria omnino inaudita, prorsus nova. Agedum pergamus. Amicam Antonius Godellus nobis suam describit, cui; credo, ut honorem habeat majorem, blandiaturque suavius; quemadmodum Maro Deæ Veneri, Dei nomen, ita is puellæ viri nomen imponit: appellat enim *Alexim*, quod in virum solummodo, nisi omnes me grammatici, & usus magister optimus fallit, cadere potest:

Alexis que je crus digne d'être adorée,
A peine me paroît digne d'être pleurée.

Nisi forte homo minime malus muliebre nomen credidit. Neque istud illi novum. immo fatale, semper hic errare, viros interpretari feminas, atque has ibi, ubi isti sunt, suspicari. Stephanas est ei, *la devote Stephanie*, quod etiam postquam sui illum amici docuerunt, virum esse, & ipse eorum admonitu, emendavit in epistolis Pauli, adhuc in expositione argumenti retinuit. ut gratissimus hic illi generis error videatur esse, in quem tam frequenter inducatur, & a quo tam divellatur ægre, ut sibi omni ex parte non sinat eripi. At, quæso, attende metamorphosin Ovidianis non inferiorem. habes Alexim feminam. mane: mox vir fiet. Ecloga enim undecima, quæ continuo post, nulla interjecta, consequitur, istuc Alexis loquitur de se:

a *O mes cheres brebis, vous me faites parêtre,*
Que vous reconnoissez la voix de vôtre Maître.

Alexis igitur, Godelle, tuane dicam, an tuus? hermaphroditus sive androgynus est, qui, ut natura horum fert, primo femina, deinde vir quoque inventus sit. Quod licet ita habeat, tamen oportuit constare tibi in sermone, & sic feminam, ut cœperas, retinere deinceps, vel parere sane scitis ac jussis grammaticorum, & posita femina virum gerere. Certe facere non potes ne per leges quidem civiles, quin alterum eligas a duobus. a Quæ lex enim præcipit te *ejus sexus æstimandum, qui in te prævalet*, eadem opera sancit, ut alterutram personam deponas, neve unus tibi duplicis sexus jura diversa, immunitates, & præmia arroges. Percepisti tandem, Paule Romane, quam peritus & callidus nomenclator, vel creator nominum potius, & artifex, Episcopus Grassensis habendus; quantum primariæ illi quædam feminæ debeant, quas obstrictas sibi nominibus tenet & inauditis ante hoc tempus, & masculis; quid ipse mereatur de se, qui nomen suum, tanquam conjux cum conjuge, ut fieri mos est, communicaverit. Tu modo cave, ne, quoties mentio occurret Godelli, excidat tibi unquam non solum, b *Artenice l'honneur des rivages Latins*; aut, c *Fleurice aux cheveux d'or, qui sans doute est plus belle*; verum etiam, *le pasteur Alexis, & la bergere Alexis.* Atque hæc idonea ad commovendos cachinnos irridentium: quæ cum in eclogis Godellianis lego, ab scriptoris fatui & non gravis lectione, amplius anno senior, discedo. Istud vero quis non indignetur, temerario & inconsiderata nominatione Deum ipsum pollui, quem Anaximenem, nullo more, nullo exemplo, nulla ratione nominat?

d *Quel remede, Leris, a soulagé ta peine?*
Un Dieu qui prend ici le nom d'Anaximene.
O rencontre admirable!

Nam vel ita utitur hac voce, ut si nihil sonet; non plus quam Aristophaneum, φλαττόθρατ, aut recentioris philosophiæ, *blictri*; & insulsus est, qui neque accommodatum ad rem, neque Deo conveniens vocabulum usurpet: vel philosophum ex antiquis & oratorem significat; fuerunt enim olim isto nomine duo; & est profanus, qui obsoletam in humanis, & vilem jam usu gentium veræ religionis & pietatis expertium, appellationem ad Deum transferat. Nec refert, quod dignum numine divino etymon ea vox habeat, quæ robore imperitantem valet. isto enim pacto & Deum Christianis nobis vocare Jovem liceat a juvandis hominibus, Apollinem a sceleribus vindicandis; & tam significanter, nec magis ridicule Godellus dicat;

Quel remede, Leris, a soulagé ta peine?
Un Dieu qui prend ici le nom de Demosthene.

cui peræque subjiciat, *O rencontre admirable?* Vapula, nugator, cum isto tuo Anaximene Deo: nos Deum optimum, maximum, immortalem, omnipotentem, Patrem, Filium, Spiritum sanctum agnoscimus.

a p.238.

a L. 10. D. de sta. hom. b p. 220. c p. 221. d p. 257.

CAPUT TERTIUM.

Quod specimen doctrinæ Antonius Godellus in versibus exhibeat.

Quamquam non est, Paule Romane, exigendum a poeta, ut oneret, compleatque pectus maximarum rerum & diversarum scientia, idemque theologiæ, prudentiæ juris, medicinæ, reliquis gravioribus disciplinis det operam, quarum studia nec ii quidem, qui & sunt, & habentur doctissimi, conjungere inter se, atque amplecti simul solent: tamen recusare non debemus, quin is scriptor, cujus, in imitandis naturæ & artis, & divini numinis operibus universis, labor atque industria versatur, multa legerit, acceperit, didicerit, in multis stilum, transferendo atque interpretando, seque undique locupletando, exercuerit; ne, si leviter tinctus est literis, & inani numerorum strepitu, nulla reconditiore subjecta sententia, neque admixta doctrina, oblectare otium multitudinis, & tenere voluntates incruditorum studet; vel nihil utilitatis in communem vitam afferat; vel solidæ dignitati atque pompæ, maxime poëticæ facultatis propriæ, non satis serviat, vel in ipsis vulgaribus ac paucis, quæ tractat, argumentis, sæpe ac vehementer errare cogatur. Est Homero non tam tributum præconium, quam fidele testimonium impertitum a claro interprete magnoque Eustathio, in Iliade, contraquam proverbio fertur, Ilias malorum, Iliadem bonorum, hoc est litteratarum copiarum, sive doctrinarum summam inesse varietatem & abundantiam. Quin huc incumbere Macrobium video aliquot libris, ut Virgilium acutissimum philosophum, eloquentissimum oratorem, scientissimum juris pontificii & auguralis consultum, denique in Græcis monumentis, atque in omni antiquitatis memoria auctorem exercitatissimum ostendat. Facio autem non invitus, neque immerito, ut Godellum poëtam, velut Chœrilum cum Homero, aut sicut Mævium cum Virgilio comparem. In quo quæ eruditio? quæ humanitas? quæ litteræ? quis, apud eum cum legit Mariam, trium annorum puellam, in templo jam tum cœptam educari, annos ibidem commoratam duodecim; post animam agenti allatam e cœlo palmam; post apostolos ad eam omnes convolasse ex longinquis, & diversis, & contrariis orbis terræ locis, idque puncto temporis, & alios aliorum inscios, uno Thoma desiderato; non videatur sibi librum, qui de vita Christi inscribitur, aut trita vulgi manibus acta sanctorum, & reliquos populariter scriptos codices, quas *legendas* vocant, legere? Quis, si attendit, quemadmodum immunem ab omni conceptus labe Virginem tueatur ac præsterrationibus, non cogitet, se domi aniculam audire, e templo, reversam, quæ & modo audita; & sæpe alias in eamdem sententiam, memoriter reddat? Narro tibi: nihil ejus in versibus sacrum, quod non Christianus bene institutus adolescens, nulla meditatione, nulla lectione, si subitò interrogetur, respondere ex tempore debeat: nihil alterius generis & argumenti, quod non quivis unus ex infimis scriptoribus Gallicis, ut intelligat, ita numeris illiget ac vinciat. Ubi descriptiones abditarum & exquisitarum rerum? comparationes & ipsæ acres ac splendidæ, & ex illustri loco erutæ, & plurimum lucis afferentes? allusiones ad veterum dicta factaque, ad leges & instituta gentium? Cedo moralis, & domesticæ, & civilis doctrinæ; cedo geometriæ, architecturæ, picturæ, &, qui maximus poëtarum campus est, astronomiæ rude simulacrum, & vestigium tenue, levem umbram? Num saltem ex eclogis octo, quibus præstantissimum canticorum canticum materiem dedit, agnosci Judæa debuit nonnullis notis & adjunctis suis, ut montibus Sanir, & Hermon, vineis Engaddi, piscinis Esebon, hortis, pomariis, regia & cœnatione Salomonis? Num reliquis sex aut septem declarandum aliquid fuit Provinciæ, cultissimæ & fructuosissimæ regionis, agri Antipolitani, Grassensis, Venciensis? At illic nulla, præterquam de Jordane amni, mentio: & hic mirum de locis silentium, nisi quod Grassense nobis solum proponitur, velut natura sterile, asperum saxis; calamitosum cœlo, vicinia maris, & incursionibus hostium infestum, ac tandem indignum Godello, quem aula, ut ipse gloriatur, eduxit, deliciæ regum paverunt, Lutetia sinu gremioque fovit.

Nullum igitur variæ & multiplicis eruditionis specimen edidit. Edidit vero turpis ac miserandæ ignorationis. Vereor ut hoc, quod dicturus sum, non perinde, ut re ipsa est, credibile nonnullis accidat. Sed vere profecto dicam, quæ doctrinæ capita poëta noster vel levissime, & quasi præteriens, attigit, videri studio, deditaque opera attigisse, ut in iis errorem aliquem suum & inscientiam patefaceret; certe hæc qualiacumque sunt, occasionem sibi errandi oblatam putasse, neque tam idoneum ad prodendam ignorantiam communium literatum tempus dimisisse. Prima statim pagina in præfatione ad poësim totam, sic ait: *Il y a sujet d'esperer que la scene se pourra prendre bien-tôt sur les bords du Jourdain, de mesme que sur les bords du Tybre & du Tage.* Hoc [a] vult, tametsi impedite & moleste loquitur, esse, quod speremus Galli, fore, ut brevi historia sacra materiem & argumentum tragœdis nostratibus suppeditet ad scribendum, sicuti hactenus Romana & Græca præbuit. Sed heus tu, quis te Strabo aut Ptolemæus docuit, Tagum in fluviis reponere Græciæ, ut eo ad Græciam significandam uterere, qui in Tarraconensi provincia oritur, Lusitaniam secat, & propter Olyssiponem fluit, indidemque se in mare recipit, denique toto, ut sic loquar, flumine avertitur a Græcia, totam a tergo relinquit? Causa hæc illi, nisi me fallo, erroris fuit, quod a poëtis Latinis cum fiat crebro mentio Tagi, itidem ut Pactoli, utriusque manantis auro, & aureas secum arenas evolventis; cum in Italia flumen hoc nomine non esset, reliquum & consequens, ut in Græcia aut ultra Græciam reperiretur, putavit. Non est differendum, quoniam huc incidi, quod de amni Jordane vitiose dixit: *a Jourdain qui vers la mer s'en-*

[a] p. 188.

t'ensuis si promptement. Apella mare, quo Jordanis præcipitat: Oceanum, an Mediterraneum? da ostium fluminis: unum, an multiplex? atqui scito, mi homo, non in mare Jordanem, sed in lacum influere, ibique, bituminoso & pestilenti alveo, nomen pariter atque suavitatem ita ut in mari amittere. Plinium audi in libro quinto, capite decimo quinto. *Jordanis*, inquit, *amnis Asphaltiten lacum petit, a quo postremo ebibitur.* Qui si lacus Hebræorum ritu mare usurpatur, sic appellari non debuit a te, quem proprie oportuit loqui, neque hic a quoquam, cum de fluvio agatur, qui cum mare quoque sit, & tres ordine lacus subeat, primo Samochoniten, deinde Genesaram, ad extremum Asphaltiten; non solum mare in mare, sed & mare in maria dicatur influere.

Eadem præfatione agere, si superis placet, criticum voluit, quod illum minime decebat, ut indicavit eventus. res enim ista virum modo quærit, non ullam Alexim. Conquestum Quintilianum ait, quod plerique suæ tempestatis homines anteponere non dubitarent Virgilio Statium. os hominis! unde hoc habet, aut cujus ex dictatis tam confidenter sapit, id ut affirmet, quod si verbo neget adversarius, progredi amplius non possit, non firmare dictum testimonio, non certa una conjectura, aut argumento probabili tueri? Nego, Antoni, factum a quoquam scriptore verbum de hac tua Quintiliani querela. nego ullam apud Quintilianum literam extare de Statio, ullam vel tacitam significationem. Etenim cum huic propositum fuerit, de iis, qui viverent, silere; aliquos nihilominus, qui ea memoria vigerent, quosque non appellaret nominatim, satis innuerit, ut Juvenalem his verbis, *Sunt clari hodieque, & qui olim nominabuntur*; ut Tacitum istis, *Vir sæculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur*: tum ne hoc quidem in Statio contigisse suspicari possumus, ut eum subobscurius quasi aliquo nutu commonstratum vellet. Atque hic fontem erroris aperire licet, ne forte putemus Godellum sine causa impudenter indoctum esse, aut nulla prorsus occasione, quæ scit, & quæ nescit, asseverare ex æquo. Quod inaudiit non defuisse Vespasianis temporibus, quos horrida & scabra magis, quam nitida & mollia delectarent, qui pro Virgilio Lucretium legerent; itemque ætate Quintiliani repertos, qui Lucilium omnibus poëtis præstare judicarent; homo incogitans, qui *nec sapit pueri instar bimuli, tremula patris dormientis in ulna*, historias vertit in fabulam, proque Lucilio aut Lucretio, qui superiores tempore fuerunt, quam Virgilius, tanto inferiorem Statium substituit. Erat vero cur interponeret judicium suum, & principatum in satyra Horatio deferret, *a* Juvenale prætcrito. quod licet forsan æquum statuerit; tamen quia aliis disceptatoribus res eget, neque causas, cur ita sentiret, graves & idoneas habuit, frivolas quidem certe, & inanes in medium protulit, haud æquus fuit. Nec Episcopum ferre possum, qui sanctum Hieronymum Græcis scriptoribus annumeret, quasi ea lingua locutus sit, jus sibi aliquod & arbitrium sumere *b* in scriptores Latinos, utris antestent dijudicare velle, & palmam dare potioribus. Verum non refrico antiquum primæ editionis vulnus, quod, ut audio, aliquot annis post, doctior factus, sanavit.

Quod est unum dialecticæ maxime proprium, quæ quibus propositis consequentia, quæque repugnantia sint, cernere, id sane Godellus ignorat ex toto, in eoque peccavit millies. Memini me locum hunc jam tangere supra. Sed quoniam res affecta est, non confecta, & simul ad hoc caput videri potest nonnullis magis pertinere; illustrabo paucis. nec tamen puta, Romane, hic agi a nobis de paralogismis, quibus tota Godelli abundat oratio. ἀντιλογία, quo ex vitio perpetuo laborat, & quo illum nomine nunc arguo, pejus est quiddam, ut scis, omni paralogismo: si quidem illo qui utitur, tantum, cum aliquid videatur efficere ex antecedentibus, nihil efficit; hanc qui adhibet, etiam antecedentia evertit. Godellino igitur ἀντιλογία videamus. *a* Gloriatur apud Armandum Cardinalem Richelium se primum omnium res sacras ingressum fuisse scribere versibus. splendidum mendacium: sed demus ei tanquam verum. *b* idem se testatur exemplo alterius inductum, qui egregium poema de Christo fecerat, ut par opus de Virgine Matre componeret. hoccine consentaneum erat ei dicere, qui illud universe & sine exceptione dixerat? *c* Musas Gallicas affirmat nihil neque Græcis neque Latinis concedere. *d* idem fatendum ait nos omnia veteribus poëtis debere, quæcumque ipsi ex arte, & quadam cum magnificentia ac splendore conscripsimus. ista cohærent, neque se compungunt verba verbis, omnia debere, nihil debere? *e* Si quis carmen scribere instituit, caput esse contendit & summam rei, ut hoc, quod suscipit munus, & in quo profitetur operam suam, recte ac laudabiliter obeat. sub hæc idem significat, ut præstantiam artis aliquam consequatur, aut ullum in poëtis nomen obtineat, se non laborare. quid istud? fieri par est, & oportet; facere non curo. *f* Apud eum sol cursum producit longius, extrahitque diem, videndæ Mariæ causa, cœlum petentis. sol idem tum descendit a curru; faciemque obvolvit velo. quod quid est aliud nisi lucere, & non lucere? Longum est reliquas mirificas, quas secum Godellus pugnat, pugnas narrare: cum pleraque omnia non disputet in utramque partem; hoc enim interdum ferre consuetudo solet; sed ἀμέσως & præcise aiat & neget, ac tanquam furiosus suo se gladio innumeris vulneribus petat, furiosoque infelicior, sæpius occumbat. Nam qui tonitrua & fulminum jactus, cum Aquilone, quem clarum a Virgilio, album ab Horatio nuncupatum legimus, conjungit:

g *Avec le tonnerre une effroyable bize:*

hunc censes primis, ut dicitur, labris physica attigisse, immo experientiam consuluisse, ad sensum oculorum retulisse: cum Aquilonis magna ac prope tota vis hyeme, a qua fulmina & tonitrua absint, grassetur atque imperet; nec temere reperias ab poëta ullo, Græco Latinove, commissum, ut si fulmen ac tonitru tempestatibus suis admis-

Ddd 3

a pag. 18. *b* In arg. Epist. ad Galat. edit. 1632.

a pag. 6. epist. ad Card. R. *b* p. 39. præf. *c* p. 5. epist. ad Card. R. *d* p. 17. præf. *e* ibid. pag 16. *f* p. 64. *g* pag. 16.

admiscet, vel Aquilonem solum auctorem procellarum ac turbinum inducat, vel præcipuum adjutorem?

Hæc fere ex immenso & recondito disciplinarum thesauro poeta noster libavit. quibus satis superque ostendit, quam abhorrens a physicis, quam tardus in dialecticis, quam rudis & ignarus historiæ, quam hospes ac peregrinus in locorum situ & positione esset. Quare, ut verum fatear, quantum requiro doctrinam, quod in cunctis, quæ attigit, non pervagatis & paulo abstrusioribus erravit; tantum laudo prudentiam, quod pauca sibi attingenda esse existimavit. nam si sic, quæcumque tractaret, contaminaturus erat; quis non videt consultius fuisse abstinere manum, quam quot verba & sententias, tot vitia colligere, totque inscitiæ testimonia proferre? Plus aliquid sacrorum ac theologicorum attulit. atque utinam meliore exitu. quid est enim, quod malle debemus, quam ut Episcopus res agat suas &, si quando ad lusus poeticos & honestam quamdam animi remissionem descendit, dignam loco & ordine gravitatem teneat, & levioribus literis minorumque artium studio, nonnihil veræ ac solidæ doctrinæ quod in commune prosit, aspergat. Verum jam inde ab initio prospicio, quam parum a magistro ac doctore, si quem habuit, felix fuit, a quo sententiam atque opinionem hauserit deteriorem e duabus. Placet ei Deum habuisse constitutum primo, ut humanam naturam indueret: tum deinde animum intendisse in Adamum, & funestum toti generi illud ejus maleficium:

a *La gloire de ce Pere, est la fin que le verbe*
D'abord vent regarder épousant nôtre chair.
Après il songe au mal de cet homme superbe.

Ex quo apparet tametsi primus hominum parens nihil tale deliquisset, nihilominus futurum fuisse, Deus ut homo fieret. Quod licet summus ille doctor subtilioris disciplinæ Scotus defenderit, disputatumque sit in contrarias partes a recentioribus theologis; ejus certe non fuit, qui sacras literas jactet, patres sanctos crepet, veterem ac diversam a nova theologiam somniet, ab omni antiquitate & auctoritatibus gravissimis discedere, seque cum novis theologis, numeroque paucis conjungere. Alio loco, quemadmodum antea posui, nullam efficientiam antiquæ Hebræorum legis fuisse edocet pastores: absurde; quis negat? Sed ista ibidem quo digna nomine? qua æstimatione ac pretio? datam legem divinitus, infamari atque aperte traduci, tanquam nefariam, quæ vi impellat ad pejora;

b *Et sa rigueur les sollicite*
A de plus rebelles projets:

tanquam fallacem ac pestiferam, quæ vitam polliceatur, mortem afferat;

c *La loi que sa rigueur fait suivre,*
Vous promet de vous faire vivre,
Et toutefois vous fait mourir.

Quid? qui latet, conjunctus tamen est cum istis,

a p 87. b p. 97. c ibid.

injuriosus in Deum, exitialis hominibus, error; quem nunc quicunque ita loquuntur, intelligi volunt, non defuisse solum Judæis gratiam, qua justi fierent, aut abundantiam gratiæ, quo facilius durissimæ legi obtemperarent, quod ultro vere & catholice sentientes concedunt; sed etiam quod Calvinus & Jansenius, germani hæretici, delirant, gratiæ eos non habuisse quod ad vitationem & fugam peccati satis esset? Quod vero apud nonnullos patres aliquando hæc oratio usurpata est, ut peccandi diceretur falsa libertas, id ab illis vere dictum; tu falso, Godelle, dicis:

a *Et perde de pecher la fausse liberté.*

Vere illi dixerunt dupliciter: primum velut φυσικῶς. non enim in eo posita libertas, ut male quis agat: ac neque in eo, ut quisquam recte. at in illo, ut quis quid agat, aut omittat, aut contra agat, si velit nolitve. utrum probe an secus; ad bonitatem aut malitiam plurimum; ad libertatem nihil interest. deinde quodammodo ἠθικῶς, quia qui peccat, non tam videtur uti libertate, quo tamen plerique gloriantur, quam abuti, qui contra se ac rem suam & commodum veniat: cum libertas homini a Deo concessa quidem sit, ut omne jus in se ac potestatem obtineat, suoque arbitratu vivat; verum ut ea potius ad salutem parandam, quam ad quærendam perniciem utatur. Tu autem, Godelle, neque perinde dici vis falsam recte agendi libertatem, atque peccandi; alioquin eo versu tuo nihil dicas, hoc si dicas: & ad libertatem satis esse censes, si quis non amens, sponte ac non coactus, agat, tametsi necessario agat, neque supersedere possit actione, neque, si libitum sit, contra facere. quod nemo tibi dogma, mihi crede, catholicus dat, nemo dabit; Calvinus induxit in Galliam, Jansenius confirmare scriptis conatus est; tu oblatum fortuito, arreptumque avide, etiam vernaculis versibus, quæ tua intemperantia est, complecteris, nec tam poëtam hic, quam dogmatistam, non tam Episcopum Gallicanum, quam Calvinianum aut Jansenianum ministrum agis. Atque hic, Romane, non vereor, ne Godellus, quo me falsi manifesto convincat, sibique imposuisse criminetur, sententiam mutet; gratiam, quæ satis sit ad agendum, & vi tamen effectuque careat per nos, admittat; fictam & commentitiam libertatem cum inexpugnabili necessitate conjunctam ejuret; nihil habere se rationis cum Jansenio, neque habuisse vociferetur. Plus nimio jam mentem atque hæresim prodidit suam. fidem, quam huic capitalissimo catholicæ religionis pariter, & Galliæ hosti dedit, obstrictam tenemus & editis in lucem scriptis, & sermonibus tum publicis in concione, tum privatis in congressu. Audivi ego de homine certo non semel, venisse Godellum superiore anno ad patres Franciscanos Lutetiæ ad Paludes: hortum, conclavia, bibliothecam, ut fere fit, ingressum, cum librorum ordinem contemplaretur & copiam, inter cetera locum inclusum quemdam advertisse, quo in loco tanquam in custodia libri prohibiti nonnulli tenerentur; ibique Cornelii Jansenii opera ex ipsa nominis inscriptione agnovisse. qui perculsus illico, & ad unum con-

ver-

a pag. 32.

versus ex patribus, qui aderant, Uter, inquit, Jansenius? Iprensis, an Gandavensis; Tum pater, Non est, inquit, dubitandum. Gandavensis enim & vir, & scriptor bonus, ac sine controversia catholicus, & magni Baronii judicio ornatus: Iprensis non item; quippe hæreticus & alias cum Baio damnatus & per se nuper. Ad quæ cum multa inaniter, nihil commode Episcopus Grassensis responderet: nihilominus pugnabat ad extremum, ut daretur hoc sibi; Jansenium Iprensem ex isto infamium auctorum numero eximerent; inter alios haberent promiscue; sublatum saltem a medio, atqoe ab omnium conspectu remotum, in arcam potius includerent. Quod cum ne hoc quidem impetrare potuisset; discessit ægre ferens, nec satis aquus bonis patribus. En quod Antonius Godellus exhibuit in versibus specimen omnium doctrinarum, imprimisque theologiæ, in qua se fatetur, atque etiam probat excellere: cum perfectam ejus rei cognitionem & scientiam illi prorsus esse, qui reddere sacros libros Gallice conetur, necessariam asserat. a *Il est necessaire qu'il est ait exacte connoissance de la Theologie, afin de ne faire pas des heresies, pensant faire des traductions & des paraphrases.*

CAPUT QUARTUM.

Quid poësis Antonii Godelli ad bonos mores conferat.

IGNOSCE, Antoni Godelle, Grassensis Episcope, quod singularem ἀφυΐαν tuam in poëticis, summam ἀτεχνίαν, incredibilem ἀμάθειαν hactenus ostendere conatus sim. erravi: lapsus sum; non putavi. neque nihil a natura ad hanc rationem studiorum instrumenti accepisti: & aliquid habes ex institutione atque disciplina, atque ex certis quibusdam & definitis legibus: eruditioque tibi non solum non defuit idonea, sed etiam superfuit. Quid ergo? ingenii, & artificii, & doctrinæ vim, quanta ea, & quam multiplex in te erat, ad exponendam nobis artem amandi, vel, si non ita, ut in arte tradi solet, præceperis, ad perfectum amatorem informandum, ad perfectam amicam effingendam, ad utrosque omni copia amatoria, tum communi, tum propria, instruendos contulisti, in eoque curas, cogitationes, studia, cum maxima ætatis parte defixisti. Omitto arrogantiam & prædicationem sui, non melius ex cujusquam vita & factis, quam ex scriptis tuis percipi. Prætereo invidiæ in obtrectando, contumaciæ in contradicendo, levitatis in affirmando adulationis, fallaciæ, malignitatis passim notas apparere & plurimas & insignes. Hoc unum contendo, hoc urgeo, paucas, quas scripsisti, eclogas, & in lucem edidisti, duces ac magistras ad omnem amandi nequitiam & libidinem esse posse. ut neque in Catullo, Tibullo, Propertio, maximeque Ovidio, molle, tenerum, effeminatum quidquam reperire sit, cujus non extent apud te magna & signata penitus exemplo & imitatione vestigia; neque ulli mores ejus generis sint, quos non expresseris; ulli affectus, quos non moveris; ulli loci rhetorici, unde tibi comptior, & pictior, & politior amans prodiret, quos non excusseris; ullæ poetarum Gallicorum fractæ voces, blandæ locutiones, enervatæ muliebresque sententiæ, *liens, servages, feux, flammes, ardeurs, atteinte, blessure, langueurs, martyre, empire d'amour, aimables dangers, agreables tourmens, fers glorieux, jaloux, rivaux, second, front d'yvoire, mains d'albâtre, beau sein*, quas non deliciarum & voluptatis causa usurpaveris. Pudet me quidem tam tetrum ulcus tangere, aut nudare omnino, atque intueri. Verum quid agas? neque revocem amplius, quamvis velim, quas tu impuritates sermonum, mandatas scriptis, emisisti in vulgus; neque vulnera, si celentur, sanari queunt; & istis, mihi crede, quæ paro, remediis, hac moderata & forti impudentiæ tuæ castigatione mea non ingravescent. Nec te tamen morabor multis, aut omnia proferam in apertum, quæ satius sit latere, tenebris obruta & consepulta sempiternis: faciamque id, quod qui manu medentur prudentiores & verecundiores istiusmodi solent, ut, si quando curationis partes eæ corporis indigent, quas habere in promtu, atque aspici pudor vetat, nihil plus fere, qoam quantum opus est ad explorandum & cognoscendum malum, aperiant, & diligentiam in curando, ac festinationem, celeritatemque adhibeant.

Primum omnium scire licet & opus est, quam amator Godellinus, seu, quod idem valet, Godellus ipse, qui satis in pastoris persona significatur, indolem, & naturam, habitumque animi afferat ad amandum. Est enim, quantum intelligo, morosior, cui nec Juno quævis arrideat, nec Venus interdum videatur Venus. Ac nihil humile, abjectumque de se cogitat, nihil diffidit sibi, nihil verecundatur, quod rusticanus, aut oppidanus, & genere natus sit non bono & nobili. amor non talia curat.

a *Ni celles que releve une illustre naissance,*
Ne regarderons point si tu fors du village.

Nec tantus vir pusillas amat ac breves, quibus nulla status & incessus dignitas, nulla majestas; non item tetricas, & rigidas, & vere Sabinas, sed liberiores & familiariores:

b *Tu verras des beautez de qui l'auguste port,*
Et le libre entretien te raviront d'abord.

Deinde cum amatores alii quærere conditiones sibi, ac legere consueverint, amicæque optentur a procis; contra vult ipse expeti, ambiri, observari & coli; ita pro certo pollicetur fore:

c *Mais chacune à l'envi te montrant de l'amour*
Cherchera ton estime & te fera la cour.

Nimirum tanti est excellens, & prope singulare & auro contra non carum Godelli poëtæ ingenium:

d *Pour payer un esprit aussi grand que le tien,*
Quel Roi ne manqueroit & de gloire & de bien?

His positis, vide nunc, Romane, quod ei initium fuerit amandi, quis progressus, quæ versata sint in amore,

a 1. parte, pag. 21. præf. edit. 1639.

a pag. 231. b p. 231. c ibid. d ibid.

amore, quem ad exitum perducta res: tum quid sua de illo puella & domina, Alexis, *Daphnida*, Doris, aut amatrix quocumque nomine alia, bene merita sit: tum ut his aliæ, quæ amori ludum darent, intervenerint; quot, quanta tulerint, fecerint, abstinuerint. Amare jam inde ab ipsa pubertate, aut etiam ante pubertatem cœpit. Scilicet

„ Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus:
„ Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

a *Je n'avois pas encor vû quatorze moissons,*
Que Doris me tendit ses cruels hameçons,
Je la vis, & soudain ma liberté fut prise.

Cum rudis & integer Cupidinis discipulus, needum, quid amare esset, sciret:

b *Et l'aimai sans savoir ce que c'étoit qu'aimer.*

Cumque antequam amaret, fato quodam suo, & instinctu, & futuri præsagitione, nihil, nisi amores caneret:

c *Je n'aimois rien encor dans cet heureux sejour,*
Mes chansons toutefois ne parloient que d'amour.

Ab his initiis profectus amor, mira deinde diligentia, & assiduitate excultus est, habuitque omne lenocinium, omnes illecebras, quibus capere & capi solet: nec variis & incertis casibus, animique ægritudine multiplici exerceri & jactari non contigit. Inscriptum amicæ nomen in arboribus:

„ crescent ipsæ, crescetis amores.

d *Je le gravois encor au bord de nos ruisseaux,*
Sur tous nos alisiers, & sur tous nos ormeaux.

Inscripta arma & lemmata:

e *Ces saules sont semez des chifres de Doris.*

Placet fastidiosa & crudelis, atque ipse sibimet imperavit omnia perferre ac pati, immo in optimam partem interpretari:

f *Depuis quand je sentois les plus rudes mespris:*
Sa rigueur me plaisoit; j'estimois ses supplices,
J'approuvois ses desdains, j'excusois ses caprices.

Rursum eadem displicet; & cum jacturam rei familiaris ferat æquo animo, nihil amissi greges ovium feritate luporum & incursu, commoveant, nihil accepta in agris calamitas ex cœli ac temporum injuriis; missam vocem ab amica stomachosius, aut vultum elatiorem & aspectum contemnentis, mortis instar putat:

g *Mais un mot de colere, un regard de mépris,*
D'une mortelle peine attaquoit mes esprits.

Jam constantia in amore:

h *Quelque peine qu'amour me fasse ressentir,*
Mon cœur au changement ne sauroit consentir.

Jam levitas:

i *Qu'un malheureux Amant qui souffre comme moi,*
Dont une fille ingrate a mesprisé la foi.

Nec injuria, siquidem perjuria amantium nulla:

k *Les sermens amoureux sont écrits sur le sable.*

a p. 249. b Ibid. c p. 212. d Ibid. e p. 242. f p. 249. g p. 212. h p. 155. i p. 248. k p. 255.

Quid? amatorum doli: a *avec leurs larmes feintes,*
Leurs sanglots, leurs soupirs, & leurs tragiques plaintes,
Abusent bien souvent une jeune beauté.

Quid? fallaciæ amicarum:

b *Les ruses, les appas de ces fieres maîtresses,*
Qui mettent leur plaisir à causer leurs tristesses.

Quod utrumque nos puella simplex non celat, & confitetur de se:

c *En de nouveaux desseins à toute heure occupée,*
Je trompois mes amans, ou j'en étois trompée.

Succedunt iræ:

d *Sylvie à Palemon fait sentir sa colere.*

Voluntates parentum neglectæ:

e *Et Cleone resiste au dessein de son pere.*

Zelotypia; quam etiam personam qui sustineat, inducitur:

f *Ami, je le connois, c'est Leris le jaloux.*

Rivalitas, & artes ad eam augendam sane quam meretriciæ; cum e rivalibus unum, inspectante altero, habent in manibus, fovent, amplexantur, quod istum mordeat:

g *Et de mille faveurs pour accroître ton mal,*
A tes yeux cependant comblera ton rival.

Desperatio potiundi:

h *Helas! j'aime une ingrate, un glaçon, un rocher,*
Que l'amour de ses feux n'a pû jamais toucher.

Desperatio, quæ ad mortem sibi consciscendam adegit:

i *Dis nous quel est ce sort? le plus triste du monde,*
Du sommet d'un rocher il s'est jetté dans l'onde.

Nec vero solum Godellus suos amores pascit, seque his delectat, sed inservit etiam alienis:

k *Tes beaux vers aujourd'hui de nos jeunes amans*
Disent ou les ennuis, ou les contentemens.

Hoc nempe illud est:

„ formæ præconia feci.
„ Vendibilis culpa facta puella mea est.
„ Me lenone placet: duce me perductus amator.

Neque eum modo non pudet fateri se amore victum, & significare palam, quantis intus ignibus torreatur: verum id quoque, quod ipse vult, neque puella non vult, eam hortatur, ut præ se ferat, & parem profiteatur impotentiam atque ardorem mentis ad totam istam levitatem amatoriam:

l *Ne rougis point de honte*
D'avouer en tout lieu que l'amour te surmonte.

Et sane tanto suasore ac magistro docilis ad hanc disciplinam puella multum profecit, quæ cum generi suo minorem licentiam natura concesserit, majorem flagitii ac turpitudinis verecundiam attribuerit, mollitie, petulantia, libertate verborum, viros vincat. Fecit illa primum, quod docta est, neque dubitavit altissimum amoris vulnus, ex quo langueret, aperire cunctis:

Que

a p. 200. b p. 222. c p. 180. d p. 204. e Ibid. f p. 255. g p. 250. h p. 256. i p. 255. k p. 204. l p. 154.

a *Que je ne craindrai point d'apprendre à tout le monde,*
Qu'Amour me fait languir d'une atteinte profonde.

Tum eum, qui inflixit plagam, verbis appellat ita blandis, ut facile quivis intelligat, non hanc tam dolere petitione, quam sibi gratulari: *Objet de ses desirs, source de ses plaisirs, son souhait, sa flamme, son soleil.* in quo mirum ni rosam suam vocet, qui suum solem nominat. Accepit autem vulnus ab oculis amatoris:

b *Je voudrois que vos yeux mes aimables vainqueurs,*
De leurs traits amoureux blessassent.

Sed accepit sinu:

c *A peine, ô mon espoir, ai-je fait le dessein*
De recevoir vos traits & vos feux dans mon sein.
d *Que desormais mon sein soit le but de vos coups.*

Nihil ex ambiguo dictum scilicet, aut ea per se vox, nihil lubricum ac præceps sonat; cum quidem virginem matrem factam, quæ alvo fœtum contineret, gestare dicat sinu. Gestit vero, & exultat lætitia, & triumphat gaudio amica, cum videtur sibi audire, cum videre amatorem:

e *N'entens-je pas la voix de celui que j'implore?*
Ne l'apperçois-je pas?

Usque eo ut corpore toto & intimis visceribus commoveatur:

f *je le vois, je le voi*
Cet adorable amant, qui s'approche de moi.
Ha! tout mon sang s'émeut.
g *En le voyant si beau qui ne mourroit d'amour?*

Certe si minus ex amore moritur, ipse usus loquendi, medio in æstu, violentiaque amoris, exanimatam destituit:

h *Que j'aime les ardeurs de cette belle flâme,*
Que j'aime les transports qu'elle cause en mon ame.
Ha! je ne puis parler.

Nisi forte præsentia & aspectus reliquarum amatoris amicarum, quæ uni sunt plures, hanc deterret a loquendo. Itaque solum poscit, solum in nemus secretum seducit; non custodem, non arbitrum, non conscium admittit modesta virgo; nullius vult oculis, neque clara luce pudicitiam suam custodiri:

i *Faites que dans ces bois je ne trouve que vous.*
Allons nous retirer dans quelque autre écarté,
Où jamais le soleil ne porte la clarté.

„ Speluncam Dido dux & Trojanus eandem
„ Deveniunt.

Là je vous conterai quel étoit mon martyre.

Tum sic unanimem alloquitur, atque ita languida infit:

k *Doux tourment de mon cœur, gloire de ma pensée,*
Medecin des ennuis dont mon ame est pressée.
Et si par vos faveurs vous n'allegez ma peine,
Je n'ai plus de constance, & ma mort est certaine.
l *Cher & divin Epoux en l'état où je suis,*
Vos baisers seulement gueriront mes ennuis.
m *Et rien n'empêche plus, ô mon divin Epoux,*
Qu'après mes longs travaux je ne m'unisse à vous.

Quid tum? inquies. An ego cætera reddere non erubescam, quæ exhausto pudore semivir graphice & insigniter sic expressit, ut ipsum crimen tantum non in conspectu posuerit, oculisque subjecerit?

a *Pourquoi veux-tu cacher tant de chastes plaisirs,*
Dont elle a si long-temps contenté tes desirs?
b *Il est vrai qu'à la fin mes plaintes la toucherent,*
Que depuis j'eus tout seul & ses soins & ses vœux.
c *Il est vrai qu'en l'aimant je goûtai des delices,*
Mais je les achetai par d'étranges supplices,
Il m'en coûta du sang, il m'en coûta des pleurs.
En ne possedant pas le desir m'étoit rude, &c.

Ut Dii te omnes, versificator lutulente, cum hac tua labe atque cœno perdant, in quo tandiu totius carminis vestigiis volutaris. vel potius bonam tibi mentem Deus donet, qui ea commentatus sis, scripseris, cuivis lectori ob os proposueris, quæ jamdudum pudet, quanquam festinanter & necessario facio, referre, quæque si ab alio secreto audias, accipere æquis auribus tam flagitiosa & libidinosa, salva verecundia, non queas.

Atque hæc, Paule Romane, quæ nos majora non fecimus, quod unum in locum coëgimus; sed quæ Godellus perniciosiora reddidit, quod pluribus locis tanquam venena sparsit; cujusmodi tandem sint, quam digna scriptore Episcopo, lectoribus Christianis, neminem ignorare aut diffiteri arbitror ingenuum & paulo pudentiorem. Verum quia genus est hominum duplex minime verecundum; unum valde simplicium, qui propter μετεωρίαν & quandam animi ἀβλεψίαν, nihil usquam suspicentur mali; alterum bene & naviter impudentium, qui maxima dedecora, si quid absit a summo, & aliqua fieri possit accessio, pro nihilo putent; sive sit ex illorum numero Godellus, seu, quod magis intelligo, ex horum; tuum est onus atque munus, ut rem quidem non exaggeres verbis; neque hic in tot tantisque flagitiis amplificatione opus: sed ut libere & vehementer exponas malum, gravitatem notes adjunctis, denuncies ex eventis periculum, sensu & judicio veterum, etiam profanorum æstimes, comparatione, quantum sit, efficias & concludas; maxime autem hosce præfractos stupidosque inverecundos fodias stimulis, eque gravi veterno excites, & aliquem saltem ab Episcopo Grassensi ruborem, si qua illi frons est, necdum os totum perfricuit, elicias. Ostendes imprimis non esse, quovis more & modo delectare, poetæ; sed honeste, decore, & nonnulla cum dignitate delectare: qui secus faciat, haberi scurram potius, quam poëtam, neque versus proprie, sed mimos commentari ac scribere. Post docebis in obscenis numerandos poëtas non eos tantum esse, qui res apertius atque εὐθυῤῥημονέστερον efferunt, & suis quamque nominis appellant; a quo genere toto Cynicorum sermonis aures ipsæ refugiunt: sed & eos qui verbis tectiores, atque in speciem honesti, turpe tractant argumentum, molles ac teneras affectiones miscent, locutionum femineam & debilitatam vim, & quasi lasciviam aucupantur: quantumvis licet casta, pudica, honesta, sponsum, sponsam, congeminent atque inferciant, & suum quoddam inquinatis jam & conspurcatis fabulis ἐπιμύθιον subjiciant. Hoc errore

Eec ductum

a p. 160. b p. 148. c p. 149. d p. 148. e p. 157. f. p. 163. g p. 157. h p. 156. i. 195. k Ibid. l p. 147. m p. 150.

a p. 249. b p. 250. c p. 225.

ductum Godellum videri, ut existimet, obsceni-tati locum, nisi in singulis vocibus, non dari; quarum qui sordes has & impuram luem vitaverit, reliqua libera & soluta habere. Præstitisse se satis ingenuitatem suam, & pudorem, sicubi, postreaquam indulsit sibi, plurimaque dixit inconti-nenter & proterve, tristius aliquid & severius injiciat ad extremum, quo damnum motum, quod fecit, utcumque resarciat, & cum sexcentis spurcissimis versibus nudam simplicemque Dei ac cœlestium appellationem compenset. Quasi vero non eadem aut potiora prætexere pater nequitiarum possit Ovidius, libris de arte amandi tribus, subjunxisse se continuo de amoris remedio duos, præsentissimum adversus mala priora auxilium. Adde eclogam apud Godellum reperiri nullam, in qua non pastor aliquis aut se amasse profiteatur, aut amare; ingestos quoque amores amoribus tum, cum aliud agere videtur; esseque posteriores eclogas hoc in genere pejores prioribus. Adde, ex tribus cantici canticorum sententiis atque expositionibus, Dei cum natura humana, Christi cum Ecclesia, ejusdem cum anima se conjungentis, priores ab eo rejectas duas, in quibus plus esset mysteriorum; tertiam delectam, quæ propius ad similitudinem quotidianæ vitæ, & corporis sensus, & nuptiarum res accederet, & in quam delicatus sermo, & verba amatoria omnia caderent magis.

Illud vero, Romane, quemadmodum interpretabere, aut quas tibi pœnas eo nomine Godellus dabit, quod ait: a *La passion d'aimer est la plus importante occupation de beaucoup d'honnêtes gens.* In quo, quam parum abest, quin eos laudet, ægros, amore saucios, venereis deditos, quorum hoc sit negotium totum, aut præcipuum, ut suis vacent amoribus? immo nonne laudat, quos honorifice honestos appellat, servo comico nequior Episcopus, a quo sincere sapienterque dicitur; *Qui amat, nequit quin nihili fit.* Quam vere & graviter accusabis, quod ausus est ex ore suo, ut ait ille, hanc proferre sententiam super effuso ac perdito pastoris in Doridem amore:

b *Quand on cesse d'aimer, il faut cesser de vivre.*

Quid autem, quale & quantum flagitium admitteret, non ignoravit, prudensque & sciens in cœnum se, & tetrum gurgitem, & voraginem penitus immersit, nonne magnam dat ansam ad reprehendendum? c Etenim eo cantico, quod exposuit versibus, & suo nomine divulgavit, Hebræorum legibus interdictum fatetur ipse fuisse juventuti: & præsagiit, d carmen suum multis, varias ob causas, tametsi veras tacuit, visum iri tenerius, nimisque amatorium: & Nasoni amores cum teneritate conjunctos, a quo eam solum partem imitatione expresserit, tanquam doctori suo discipulus non ingratus, acceptos refert:

a *C'est toi qui m'as conduit aux rives de Permesse,*
Et pour toi mon amour est jointe à la tendresse.

Itaque hominem quemadmodum tanto suo merito sis exagitaturus, quam propter malos mores tanquam censor notaturus, & castorum poëtarum choro, velut quodam, in quem irrepsit, senatu moturus, videre jam videor: quoties tu illi crimini daturus sis, quæ adolescentes incauti, simplices puellæ, nuptæ novæ, viduæ liberiores, hac impuræ & impudicæ lectionis dulcedine corruptelaque depravati delinquunt: quoties potestatem optionemque facturus, ut eligat utrum velit, paganum se esse, an Christianum; sacerdotem duntaxat, an Episcopum: utrum dixerit, petulantius ejus carmen, quam mos, & ratio, & disciplina quævis ferat, futurum. Et is ejusmodi poëmata sua, b *Eclogues sacrées*, c *Eclogues spirituelles*, inscribat? d Et is neget inesse quidquam in istis, quod superstitiosissimis virginibus religionem ullam possit objicere? Et is, antequam crearetur Episcopus, hoc est, quemadmodum interpretatur, cum adhuc vulgari hominum vita, & sæculi moribus implicatus teneretur, e *engagé dans la vie seculiere*; horum versuum partem fecerit; postquam factus Episcopus est, partem absolverit; omnes autem ratos quodammodo habuerit, & unum in volumen collectos vulgaverit? Ubi Tomos, ubi Pontus, ubi ultimæ terrarum oræ, quæ Nasonem novum, de verecundia, & castitate, & morum sanctimonia sic meritum, pro dignitate excipiant? Ubi Genebrardus doctor Parisiensis, Archiepiscopus Aquensis, qui alterum Bezam, in cantico item canticorum prurientem, coerceat, ad Christianam modestiam revocet, & *quæcumque sunt pudica, quæcumque sancta, quæcumque bonæ famæ* cogitare ac loqui deceat? Sed sustineo me, Paule Romane jucundissime, reprimoque orationem meam; ne videar dare consilium tibi, quo abundas; neve, dum volui te habere paratam materiam, & quasi rerum silvam, unde sumeres, si quid scribere velles, præripiam partes tuas, desponsamque jam ac destinatam tuis cœptis palmam fracti audacis & importuni adversarii intervertam, ad meque transferam. Pæne illud præterii, quod Episcopo Grassensi in memoriam redigas oportet, rectene eum Pauli in Epistolis locum interpretatus sit, & quem ad ordinem hominum potissimum pertinere existimarit: f *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.*

a pag. 44. præf. b. p. 252. c pag. 42. præf. d p. 44. ibid.

a p. 226. b. p. 147. c. p. 203. d p. 45. præf. e. p. 15. ibid. f 3. ad Coloss.

FINIS.

INDEX RERUM.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS SOCIETAT. JESU DISSERTATIO

de libello ſuppoſititio.

AD ANTONIUM ARNALDUM doctorem & ſocium Sorbonicum.



CUR meam, vir clariſſime, diſſertationem de libello ſuppoſititio ad te mittam, & cur Latine adverſus Gallicum ſcriptorem ſcribam, etſi prius reddenda videtur ratio, quam aliquid tale mittere, aut ſcribere incipiam: tamen, quoniam utrumque facilius perſpici poterit ex inſequenti ſermone, ſatius eſſe puto rem tibi ſtatim, quam conſilii mei cauſas, exponere. Divulgari cœpit ſuperioribus diebus, jamdiu conceptus, & multo ante meditatus liber, nullo neque typographi nomine, neque ſcriptoris, approbatione nulla doctorum, nulla principis auctoritate, ne adſcripto quidem, ubi editus typis eſſet, loco. cujus eſt hæc, magnifica ſane, & propter quam, ut ille ait, vadimonium deſeri poſſit, inſcriptio: *Innocentia, & Veritas defenſæ.* Auctor, Iprenſis, ut apparet, ſeu, quod idem ferme valet, Regioportuenſis, cum multa in multos noſtri ordinis homines, quos ſuis etiam nominibus appellat, falſo confert: tum mihi & librum attribuit, qui * *Triumphus catholicæ veritatis, ſive Janſenius damnatus*, inſcribitur; & libellum, cui iſte factus eſt index: † *Calaghanus natione Hibernicus, an Satyrus ille, qui nuper in lucem prodiit.* Ac de libro quidem non habeo neceſſe verbum facere. Nam & aienti tantum Janſeniano ſcriptori, neque dictum ratione ulla firmanti, ad reſponſionem ſatis eſſe videtur, ſine argumentatione, nuda, ſimplexque negatio: & eſt *Triumphi* illius notiſſimus auctor, qui ſuſcipiat opus, agnoſcat, confiteatur, nec diſſimulandam, aut celandam putet, ceu turpe aliquid, induſtriam ſuam. Accedit, quod ipſe, cui diplomate regio cautum eſt, primus urbis typographus, ſi quis ex eo percunctari velit, cauſam non habet, quare reticentia vel ſe tegat, vel auctorem: nec vero fidem ſilentii rogatus eſt, aut promiſit. Quod cum ita ſit, cogita, quæſo, Arnalde, quem ſenſum animi Janſenianus ſcriptor, jam inde ex iſto loco habere debeat, quo pudore ſuffundi, ſi qua illi recti & honeſti cura supereſt; cum erroris ſui pœnas ab immerenti exegerit, ideoque de me ſcripſerit acerbiſſime, & ſpurciſſime, ac forſan alia mihi opera affinxerit, quia hujus auctorem operis temere credidit. De libello vero contrarias ob cauſas dicendum videtur pluribus: propterea quod neque apparet uſquam editor, ſive typographus, a quo audire verum, & compoſitorem diſcere liceat; neque parens quiſquam inventus eſt, qui fœtum hunc tollere tam informem paratus ſit; nec qui lucubrationem Janſenianus eſſe meam contendit, hoc ait duntaxat, ut illud prius, ſed argumentis, & rationibus confirmare conatur.

Scribit igitur egregius innocentiæ, & veritatis defenſor, non perquirendum longius auctorem Latini adverſus Calaghanum, parochum ruralem, libelli. repertum ſine dubio, repertum. ipſiſſimum Vavaſſorem eſſe, ſocietatis Jeſu preſbyterum. In quo ſi, ut ſcribit, ita ſentit; turpis ignoratio eſt: ſin aliud exiſtimat, ac loquitur; ſumma malitia. Eſt, Arnalde, id quod ſcis, literaturæ pars una de tribus, vel duarum potius partium adjutrix, atque adminiſtra, Græco appellata nomine, Critice. cujus munus, & officium verſatur non in eo ſolum, ut, quam recte quiſque ſcripſerit, aut fuerit locutus, ſeverius expendat, atque æſtimet, ſed in hoc etiam, ut, quid auctoris cujuſque ſit, internoſcat, & ſuum ſingulis, omni ſubdititio vel verſu, vel libro remoto, tribuat. Quis autem hac arte, & doctrina judicandi, qua literatus carere nemo poteſt, tam parum præditus, quin, ſi mea quæpiam opuſcula inſpexerit, animadvertat continuo, quale id cunque eſt ſcriptum, quod mihi impingitur, a meo qualicunque genere orationis abhorrere? Equidem iis, quibus cognitus ſum quoquo modo, ſive me audierint interpretantem publice literas ſacras, ſeu nonnihil ex iis, quæ pauca edidi, legerint, jam ſatis feci; facileque perſuaſi puerilem declamatiunculam, ſine ſale, & nervis, prætereaque maledictis trivialibus vilem, ac ſordidam, haud

* pag. 199. † pag. 45.

qua-

quaquam satis congruere cum meis moribus, cumque mea mediocri, aut etiam modica facultate dicendi. Nunc vero non sic agi placet, quasi velim alterius labor mihi turpis, ac pudendus, meque indignus habeatur. nec ab iis contendo, qui me, ac mea penitus ignorant, ut opusculum, neque prudenter, neque emendate conscriptum, vel hoc a me nomine rejiciant, quia neque prudenter, neque emendate conscriptum sit. Isto quidem opusculo vitiosiora, & deteriora legisse contigit, quæ ipsi Latine quoque Janseniani excuderint, ut aliquid abbatis cujusdam, ut plurima præsidis, ut alia ejusdem sectæ aliorum. Illud dico, quod sine ulla prædicatione mei, sine vituperatione cujusquam, dicere possum, nostra omnia, & hoc illius, quisquis est, auctoris, de quo ambigitur, seu recte, seu perperam scripta sint, esse utraque certe scripta dissimiliter. Qua in re ista dissimilitudo consistat, ostenderem, nisi & id totum minutum negotium esset, & sentiri citius legendo, conferendoque, quam exprimi oratione posset. Quæ est igitur mea defensio? Facilis & expedita, quam verbis duobus complecti licet: Lege, confer. Nec tamen ego in his exequendis utriusque, majorem ullam, & ampliorem vel diligentiam, vel artem requiro. Non Aristarchum deposco mihi lectorem, qui Homeri poesim totam laboriose, & fastidiose recognovit, quo, τῷ παντὶ quænam essent, quæ παρεμβεβλημένα, judicaret. Non Favorinum, qui vel ex uno versu Nervulariæ haud quicquam dubitavit, quin Plauti foret ea tota comœdia. Non Servium Papyrii Pæti fratrem, illum, quem perhibet Cicero literatissimum suo judicio fuisse, qui, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est. Non criticos alios antiquos: ac ne recentes quidem, si quibus par antiquorum gustus, & saliva est ad discernendum multiplicem, & varium quasi saporem locutionis omnis, & scripturæ. Quavis mediocritate a quovis lectore contentus ero. qui si ad tantulam legendi sedulitatem, & ad scientiam conferendi, bonam fidem adjunxerit in judicando, nec fallere voluerit sciens; non dubito, quin ex prima statim illius cum meis scripti contentione facta, me absolvat suffragio suo; Jansenianum male liberalem, qui alteri sua sententia detulerit alienum, nec, quantum flagitii committeret, senserit, tarditatis, & ignorantiæ condemnet. Quanquam, ut verum fatear, Gallico scriptori minus habeo, quod succenseam, si, tanquam peregrinus, & hospes, in alio genere literarum parum vidit; nec mediocritatem quidem, quam idoneo æstimatori, atque arbitro dictionis inesse volumus, attulit. Neque fuit ab eo postulandum, hic ut amplius aliquid, quam vulgus imperitorum, saperet, qui in poliendo sermone vulgari, quam in Romano perdiscendo, multo plus studii, diligentiæ, assiduitatis, industriæ, collocarit. Verumtamen unum volo mihi respondeat. ex duplici ratione, normaque dijudicandi, ac distinguendi veri auctoris a falso, altera rerum, quæ tractantur, altera dictionis, qua res exprimuntur, si neutram norit, vel si utramque tam parum norit, quam se parum nosse perverso illo judicio suo declaravit: quomodo in Augustini scriptis versabitur noscendis, & explorandis, quæ sint sanctissimi doctoris maxime genuina, dignaque moribus ingenii, & linguæ ejus, quæ spuria & adulterina, licet eodem inscripra nomine ferantur; quæ litigiosa ad nos, & incerta pervenerint? Qua fiducia de summorum pontificum epistolis, ac decretis, de synodis, & vi, & numero canonum, sententiam dicet? Quo ore contra Gennadium, contra Faustum Reiensem, contra Hincmarum Remensem pronunciabit? Neque vero semper ei, neque ubique præsto erit, aut Jacobus Usserius, quem in causa Gottescalci, totidem sententiis, ac prope ad verbum exscribat; aut Gerardus Vossius, cujus commode dicta de tribus Prosperis suffuretur, venditetque pro suis, tanquam si notata sibi primum, animadversaque sint. Quod si merito sperat, non defuturos e Calvinianorum schola prudentiores, & intelligentiores Jansenianis scriptoribus cunctis, quos ipse duces, atque auctores sequatur in scribendo: tamen turpe est profecto, qui sibi semitam non sapiat, alteri monstrare viam; minimeque decet hunc a nobis exigere, suo ut judicio stemus, cui, si errore labi & ruere nolit, nitendum sit alieno. Novimus quidem, id quod omni modo confirmare possumus, Cornelium Jansenium, & Petrum Aurelium, quotiescumque de sacris auctoribus, eorumque scriptis, arbitrium esse suum, æstimationemque voluerint: voluerunt autem non raro: nihil in eam sententiam recti, ac sani protulisse unquam, quod non aliunde, si fatentur, sumpserint; si negant, surripuerint. Quo minus mirari par est, si discipuli amborum, nequaquam doctiores magistris, quæ de suo edunt, vitiosa edant; quæ proba afferunt, mutuentur ab aliis. Sed, ut illos accusare non debeo vehementius, qui, cum ferre sententiam de scriptis, & scriptoribus non valeant ipsi per se, opinionem exquirant, & sequantur alterius; tametsi culpa & labe non carent, qui ea nesciant, quæ sit opus scire: ita hos excusare nullo modo possum, qui, ignari cum sint judicandi, tamen ad judicandum per summam temeritatem, & confidentiam descendant.

Atenim non temere, neque confidentius scriptor Jansenianus affirmat, parvum hunc libellum esse Vavassoris. probavit enim argumentis, sive e media dictione petitis, sive ex ipsis rebus. Quomodo? Is hunc libellum scripsit, qui libellos duos contra illustrissimum Grassensem Episcopum, aliquot ab hinc annis scripsit; propterea quod & similis inscriptio, *Cal ighanus an Satyrus*, *Godellus utrum poeta*; & qui scripsit hunc, illos ibidem indicat, ostendit, gloriatur a se scriptos: Scripsit autem Vavassor priores duos; certum enim scitur: Consequens igitur est, ut tertium scripserit. Satisne videor, Arnaldi, tibi complexus seriem, & nexum, & consecutionem argumentationis Jansenianæ; an majorem etiam vim, lucemque addidisse ordinando? Quare nihil sequitur aliud, nisi ut crimen, hæc si duo quasi membra argumenti vere ponuntur, agnoscam: sin falso, diluam. Diluo vero, & facile quidem, non tantum quia & per se falsissimum est, & falsissimum esse aliunde ostendi potest, sed etiam quia probationibus falsissimis adstruitur. Verum de re dicatur

prius:

prius : removeatur de medio nomen Vavassoris, quod ad institutum non pertinet ; aut si pertinet, nunc parum est, ut mox patebit, necessarium. Itane vero, existimator prudens, & acutæ ? tibi tria ab scriptore uno videntur profecta ? unus sonus, idem stilus istorum : *Antonius Godellus, an elogii Aureliani scriptor idoneus ; Antonius Godellus, utrum poeta ; Calaghanus natione Hibernicus, an Satyrus ille, qui nuper in lucem prodiit ?* Primum omnium unde nosti, quod sumis tibi pro certo, atque concesso, duos illos, quibus illustrissimus antistes male vexatur, libellos unius & ejusdem scriptoris esse ? quis te mystagogus introduxit in id sacrarium ? quis intima quæque ostendit ? ex tuo sensu, an ex alterius reconditiore disciplina, & enunciatis loqueris ? Neque tamen hæc eo pertinet interrogatio mea, ut negem rem ita habere; etsi dubitatio esse aliqua potest. sed nego te scire, nego te intelligere, nego a te proferri sine ulla dicti probatione debuisse. Sit hoc imprudentiæ tuæ, ignota ingerere pro cognitis, ambigua pro evidentibus & perspicuis. ignorationem videamus. Præterea censes geminis illis ingenii fœtibus accedere hunc alium persimilem; nec dubitas, quin, tanquam fratribus germanis duobus, tertius annumerandus sit. Hic rursum appello totam criticen : appello quantum est hominum elegantiorum : appello aures eruditas omnes : classicos, & assiduos, qui dicuntur, auctores appello. nec rejicio plebeios & proletarios, quotquot plus aliquid Latine, quam prima elementa literarum, didicerint. Quæro de universis, de singulis, non jam utrum opuscula tria tantum habeant convenientiæ inter se, quantum satis sit, ut ex eadem officina ab eodemque artifice exisse appareat : sed an quidquam tam dissimile reperiatur, quam opusculum tertium primo, & secundo. Tum vero si quis unus ex isto omni numero literatorum existat, cui auctor idem prima duo, idem postremum scripsisse videatur; nihil affero, quominus idem etiam cum tribus libellis, & quicquid auctor primi societatis Jesu sæculi de Arnaldis, & quicquid Veronus de eisdem, deque Magistris scriptum reliquit, scripserit. Vide porro, quam longe a te dissentiam. tu, ut probes libellum nescio quem esse meum, alios duos meos ais esse : ego, si probare velim superiores illos meos non esse, nihil firmius afferre me posse putem, quam si agnoscam, fatearque, quod abominor, hunc esse meum. Dicam equidem, Arnalde, id quod res est. ignoscebam antea misero huic veritatis, & innocentiæ patrono. Non legit mea ulla scripta, non comparavit cum aliorum; negligentia est. ideo mihi non meum adscripsit; temeritas est. Nunc autem legit primum, alterum, tertium libellum ; tres comparavit inter se; nec jam nobis præcipue ultimum hunc attribuit, sed ei, qui composuit priores duos; atque hosce omnes unius auctoris arbitratur esse : quis errorem tam crassum, tam fœdum, tam pudendum, ex quo is, qui errat, intelligatur non semel tantum male judicasse, sed nec bene unquam judicare posse, ignoscendum putet homini, profitenti studium literarum, venditanti sanctos patres, auctores evolventi, atque usurpanti profanos ? Auget turpitudinem rei, & ignominiam scriptoris, quod qui sic hallucinatur Jansenianus, una cum partiariis suis, tam multa cujusquemodi ex Latinis Gallica fecerint, ut totum in Galliam Latium, quo genus omne imperitorum introduceren transferre voluisse videantur. Atqui hoc qui suscipiunt, ut Latina in alium convertant sermonem, non ea semel, sed iterum, ac sæpius legerint oportet ; non decursa leviter, sed aliquandiu meditata habeant. Qua e lectione diligenti, & crebra si non profecerunt illud saltem. ut similitudinem, discrepantiam, varietates nonnullas dictionis notarent ; tardo sane ingenio sint, exigua prudentia. Quid, si fidi interpretis est, si non translative munere hoc fungi velit, utramque linguam æque propemodum nosse, tum ex qua, tum in quam aliquid convertatur ; nonne verisimile videtur, hos ipsos, qui Latine tam parum sciant interpretes, quoties Gallice reddunt, interpretibus uti solere, unde, quid Latina sonent, quamque vim habeant, edoceantur ? Sed de istorum genere toto Gallice interpretandi, quod esse postremum, atque infimum literariæ exercitationis munus, & cujusvis ingenii ; & modicæ facultatis arbitror, erit alias forsan cum dicam pluribus : præsertim si pergat Jansenianus grex placere sibi nimium eo nomine, plaudique velle, tanquam optime omnium de patria, de republica Christiana merito ac merenti. Nunc alia mihi tela texitur : aliud opus instituo.

Esto : nihil habent intra se duo libelli simile huic. at similis inscriptio : *Godellus utrum poeta ; Calaghanus an Satyrus.* Præclare vero, & cumprimis dialectice : Idem auctor quia similis inscriptio. An, si duobus veniat in mentem fortuito, ut contingere potest, sic inscribere, uni, *Cornelius Jansenius an catholicus* ; alteri, *Joannes Vergerius an calumniator*, illico idem auctor futurus sit & horum, & illorum, id est, librorum quatuor ? aut si quis prudens, ac pius, *De frequenti communione*, ita inscribat, ut ipse tu, Arnalde, inscripsisti ; alteruter vestrum scriptor habeatur utriusque operis, non tu tui, ille sui ? Quæso, etiamne vos has ineptias, homines, mea sententia, non incallidi, nec parum in criminando exercitati ? Sed quid exempla fingimus, demonstrandæ rei causa ; cum factum par, & simile habeamus in manibus ? Memini nuper Jansenianum scriptorem, infantissimum omnium, quos legerem, frigidam, & jejunam quandam Augustini cum Molina comparationem persecutum Latino scripto, in quo sibi ipse Pauli Romani nomen inscripsisset. Hoccine agebat, ut idem videretur esse, atque is ejusdem nominis, qui aliquanto ante de elogio Aureliano miserat ad amicum epistolam ? Cavit ille quidem nebulosus declamator obscura barbarie, & molesta, atque incondita ratione loquendi sua, ne haberetur pro altero, aut omnino confunderetur cum scriptore quovis, etiam vilissimo. Sed qualiscumque fuit ejus oratio; idem ut videretur esse, eadem nominis appellatione non est assecutus certe.

Tantum autem abest hæc ut inscriptio, *Calaghanus, natione Hibernicus, an Satyrus*, habeat aliquid argumenti ad indicium, & demonstrationem communis scriptoris ; ut sola, si per se spectetur, manifesto probet, opus esse peculiaris cujus-

cujusdam, & diversi ab omnibus, non architecti elegantis & politi, sed hebetioris atque agrestioris fabri. Nisi forte in totis duobus adversus illustrissimum præsulem libellis, unum quiddam simile est huic vitio inscriptionis, *Calaghanus natione Hibernicus.* Auctor sane horum viderit ipse quid fecerit, vel quid sit admissurus in se, quidve in alio probaturus. Mihi quidem, etsi nihil assumo, non derogo tantum, ut hoc in me vitii cadere posse existimem, quemquam ut Hibernum dicam natione Hibernicum; non magis, quam Gallum hominem, natione Gallicum. Contra haud ullum facile dixerim Satyrum pro Satyrico; quamvis hoc illo levim erratum, tolerabiliusque sit.

Nam quod ait Jansenianus scriptor ad extremum, vituperatorem Calaghani fecisse indicium sui, satis prodidisse factum suum, palam se gessisse pro scriptore utriusque contra Grassensem episcopum libelli; vestigium horum adhuc quæro, nec usquam invenio. Quod enim eo adversus Calagharum scripto continentur pauca quædam in hanc sententiam: Si rursum de Episcopo Grassensi agatur, neminem fore, qui non sibi honorificum putet, habere rem cum tali adversario; nec, si par fuit admoneri virum tanto nomine, ut modum teneret, neu sibi nimium ob conscripti elogii laudem tribueret; expectandum esse uni de multis parocho, ut ex æquo tractaretur: sunt ista, fateor, multis de causis imprudenter dicta. non ita tamen, ut qui dixit, significet a se duplicem elaboratum libellum in illustrissimum antistitem, ut aperte factum declaret suum, ut in eo glorietur. Qui si hoc non solum innuere voluisset, sed etiam disertis verbis testificatus esset: apud Jansenianos forsan, qui id, quod volunt, facile credunt, obtineret fidem; apud acres, & peritos rerum æstimatores non item. quibus quomodo istud, simpliciter enunciando, persuaderet, cum seipse oratione tota sua refelleret?

Vides ergo, Arnalde, jam nullum esse, id, quod erat in argumentatione Janseniana primum, ut qui libros scripserit antiquiores illos, idem quoque hunc recentem libellum scripserit? Quo uno duntaxat infirmato, funditusque everso, satis constat alterum, quod assumebatur, jungebaturque una, ad vim ac rationem probandi non valere amplius; adeoque ex duplici antecedente, alterius ruina, alterius solitudine, atque imbecillitate, nihil effici prorsus, aut concludi. Cum enim argumentum, tanquam ædificium, peræque nitatur, ac superstructum sit ambobus; prætereaque ex eorum communi vinculo, & nexu aptum pendeat: quodcunque semel subduxeris, tota moles, & fabrica operis, coagmentatioque oportet dissolvatur, & corruat. Quare, quemadmodum supra monui, supervacaneum est, & a proposito alienum huc delabi, ut investigetur, ecquis aliquando aliquid contra illustrissimum Episcopum Grassensem scripserit, ac tantum facinus fecerit. Sit Titius, sit Mævius istius culpæ reus. dum idem non hunc, & illos libellos ediderit; nihil ad Jansenianos, nihil ad rem.

Verumtamen, licet extra causam, neque in loco, neque in tempore, urget scriptor Jansenianus, obstrepit, vociferatur, esse Vavassoris unus libellos geminos, qui sententia sint judicis proscripti; id haberi nunc pro certo. Sic tu igitur, patrone veritatis, & innocentiæ, derepente mutas, ex defensore factus accusator; nec jam mihi librum malum, sed crimen imponis? Bene habet. ede nomen tuum; profitere inter accusatores. non defugio locum hunc, ne metue. vadaris: promitto. in jus vocas: sequor. ades: ecce me. dummodo res ne Jansenianis judicibus agatur, quos audio sectæ, & amicitiis tantum dare, quantum Calviniani, ubicunque jus dicerent, olim primis temporibus suis dabant. Ne recuso quidem, id si curat scilicet, aut si necesse est, illustrissimum Episcopum in sua causa judicem. Interim dum lis hæc tota instruatur, judiciumque fiat; præjudicium illud faciamus licet, quam dignus habendus fide scriptor Jansenianus in re obscura, qui in aperta re bis mentitus sit. Semel, cum damnatos dixit publico judicio duos contra Episcopum Grassensem libellos. Est enim, credo, posterior, ubi quæritur *Antonius Godellus utrum poëta*, amplius duplo major, quam prior: cujus tamen non solum damnatio proferri nulla potest, sed ne minima quidem in foro, ac judicio facta mentio. Iterum, cum significavit damnationem prioris in acta publica cœtus Gallicani, quinquennio ante, quam referri potuerit, relatam. * Sic namque disputat: etsi pronunciata contra eum libellum a judice sententia, inserta esset publicis actis, ignominiæ causa; non deterritum tamen scriptorem *reliquiarum*, quominus *reliquias* illas suas adversus Joannem Vergerium, abbatem S. Cygirani, publicaret. Is videlicet ordo temporis est, & rerum gestarum. Acta primum Gallicani cœtus, ubi elogium habetur Aurelianum, sunt expressa typis anno 1646. Continuo libellus exiit, *De elogio Aureliano*, sive, *Antonius Godellus an elogii Aureliani scriptor idoneus.* Sub idem tempus sparsæ in vulgus *reliquiæ*. Postremo, sed interjectis deinde amplius quinque annis, acta altera cœtus Gallicani apparuerunt, in quæ tantummodo relata est ejusmodi sententia, & condemnatio, si relata est. Quomodo igitur relatio, quæ secuta est longo intervallo, quæque ultimum ordine locum obtinet, deterrere quemquam potuit, ne quid faceret, quinto ante anno, quam ipsa esset? aut quomodo inseri potuit actis publicis quinto ante anno, quam acta publica essent? Video enim, & vident omnes, esse necesse alterutrum: quorum cum utrumque falsum sit, tum difficile est dictu, utrum absurdius.

Quod si fidem sibi criminator meus duobus mendaciis minuit; qua auctoritate esse debet, qui ad mendacia duo geminam insulsitatem una prope voce adjecit? † Scripsit quippe ab eo, qui præfixit hunc operi titulum, *Godellus utrum poëta*, infamatum esse Episcopum Grassensem contumelioso nomine poetæ. Contumeliosum poëta nomen appellas? nec advertis teipsum, cum hoc dicis, in omnes, quotquot sunt ubicunque terrarum & gentium, poëticæ studiosos & fautores, esse contumeliosum? At unde tu, amabo, quo magistro didicisti, artium liberalium artem, ut sic dicam, liberalissimam; totam ab ingenio profectam, totam vicissim ad exacuendum, & poliendum,

* pag. 131. † pag. 46.

dum, perficiendumque ingenium conversam; quam sapientissimi quique, atque in summis dignitatibus constituti, nequaquam contemnendam esse duxerint; in maledicti, contumeliæque loco ponere? Esse autem, ac dici poetam, probro verti debere, cui tandem persuadebis? Utrum illustrissimo Grassensi episcopo, qui ex quo infamatus est, sicuti vis, contumelioso nomine poëtæ, præclara poëmata facere duo, triave non dubitavit? an Jansenianis tuis, qui & Episcopum hunc, unum ex poëtis Gallicis omnibus, tanquam absolutissimum exemplar Gallici carminis, proposuerint juventuti ad imitandum; & ipsimet quoque instinctu poëtico, afflatuque concitati, versus eadem lingua scriptitent quotidie, quamplurimos, ut patet; ut sibi videntur, elegantes? Tibi uni certe non licet nec versus, nec poetas tam parvi facere, qui & a epigramma, quod ex Arnaldis aliquis in Joannem Vergerium fecit, & carmen b Prosperi de ingratis, quod alius e Magistris, ut ferunt, Gallice reddidit, honoris potius, opinor, quam ignominiæ causa proferas.

En insulsitas una ejus, qui non attenderit, quid sibi consentaneum dicere foret. reddo alteram ejusdem, qui ne viderit quidem, quid alius loqueretur. Infamavit, inquis, maledicus scriptor episcopum Grassensem. Sit ita per me. infamaverit: maledicto confixerit. Dum hoc tamen ei nomen, quo tu fœdatum esse contendis, dederit; dum poëtam esse voluerit. Nam si neque tribuit, ipsa libri inscriptione, vocabulum; & rem libro toto ademit: non tantum infamiam in eum nullam, aut probrum, aut labem conjecit, sed ab eo etiam depulit; neque omnino malum, sed beneficium, si ex tuo sensu loquimur, dedit. At verò, cum ipsis quatuor capitibus enitatur, & pugnet, ut illustrissimus episcopus poëta ne sit, non natura, non arte, non aliter: quid est, quod de imposita ignominia tam præpostere, atque insulse expostules; quam si iste ullam ullo modo imposuit, sine dubio imposuit, non quia appellavit poetam, sed quia negavit esse.

Vide contra ne tu multo majorem episcopo illustrissimo injuriam facias, quam non dico factam inepte querare, sed ipse, de quo quereris, scriptor revera fecerit. Huic ille præsuli scriptor offensus; jure an immerito, dici nihil attinet, cum res ipsa loquatur: sed tamen offensus, nescio quid literatæ litis movit, ejus elogium aliquod libello uno appetivit, altero notavit poesim sacram. Quid deinde? rem totam suppressit dies: libelli aut delitescunt exiguitate sua, aut tempore gratiam jam novitatis amittunt: omnem memoriam jurgii & rixarum vir magni animi voluntaria quadam oblivione delevit, quemque à scribendo censuris, & mulctis, atque aliis pœnis non retardatat, ei chartam, & calamum moderatione, & patientia eripuit, ac cessare tandem, ne diutius loqueretur non responsuro, coegit. Homo alienæ injuriæ vindex atque ultor, quid facis? Refers, ac renovas præteritum illud tempus, non obligando vulnus, sed exulcerando; non curando vetus malum, quod factum oportuit, si quid cuipiam gratificari velles, sed invitando novum: neque manus in pugna pro læso antistite conserenda, sed in lacessendis ejus adversariis, consumis. Elogium, unde orta, tanquam e stirpe, ac semine, discordia, jam toties editum in lucem, rursum edis, necessitate nulla, sola lædendi voluntate. Gallicum e Latino facis, quo summi & infimi, docti & indocti, viri & mulieres intelligant, homo nemo obliviscatur. Exornas etiam verbis, atque elogium addis elogio: quod ei doleat magis, qui animadversionis censoriæ nota illud inurendum esse scriptum judicavit. Jam si hic idem censorius animadversor sapere æque tecum, similisque tui esse velit obstinatione, acrimonia, litigandi studio, cupiditate vincendi; nonne sentis ex hac primum die quid deinceps futurum sit? quod habitura res incrementum? quem exitum? Qui semel contra elogium istiusmodi. scripsit, iterum scribet. Qui iterum contra elogii auctorem scripsit, scribet tertio. Qui Latina dedit, eadem in patrium sermonem convertet. Qui egit parvis opusculis, tota volumina impendet. Interim cupiditas augebitur curiosis cognoscendi, quid rei, de quo homine, quomodo agatur: parabuntur editiones novæ, antiquæ renovabuntur, secundis tertiæ succedent; Janseniano scriptore maledica lingua, tanquam flabello seditionis, & librarios, & lectores excitante. Hoc tu fueris de ornatissimo viro meritus: hoc tuæ inconsultæ, & importunæ loquacitati illustrissimus episcopus debebit. Nonne isto pacto amicus, magis læseris, quam inimicus, etsi maxime cuperet, lædere potuisset? Nam si nemo fere vir privatus, honestus modo, nec obscurus, aut postremus inter suos, facile patitur de se nasci historiam, seque materiem, & argumentum fieri scriptoribus: quanto molestius nobilis & spectatus præsul ferre debet, legi se promiscue in vulgaribus scriptis; prodi res suas profanæ plebi, & mulierculis; suas controversias, quas habet de literis cum uno aliquo, agitari apud turbam indoctorum hominum; suum denique nomen projici in medium, de quo, tanquam posita quæstione inter adversarios duos, ultro citroque certetur? Itaque mihi dubium non est, quin, illustrissimo episcopo Grassensi imprudente, & invito id totum de duobus libellis Jansenianus scriptor inculcarit lectoribus, tamque longo intervallo memoriam rei non bellissimæ retulerit. Qui quidem episcopus, si cujusquam facto, aut oratione, præter fas, & meritum violatus, cumulatius satisfactum sibi vellet; næ ille aliam pro sua æquitate, prudentiaque rationem iniret satisfactionis vel accipiendæ, vel petendæ; neque vero existimaret induci veteres libros, ex hominumque animis deleri, si novi attribuerentur auctoribus non suis. Sed feci forsan curiosius, qui alienum negotium, neque necessario conjunctum cum meo, tractavi tandiu. Verum hanc à me digressionem magna quædam conscientiæ vis, & integritatis, atque innocentiæ quasi abundantia expressit: ne, si de isto reticuissem prudens, quia non pertineret ad causam; fateri viderer, quia, cum objiceretur, non repugnarem.

Atque hactenus ita egi, & causam defendi meam & longe me a culpa, & suspicione libelli suppostitii removi, quasi Jansenianus accusator noster senserit idem, quod scripserit, meque in eo læserit, in quo ipse per errorem turpiter lapsus, ignorantiam suam manifestam fecerit. Quid si aliud sensit, aliud scripsit, ac mihi quod affinxit, meum non esse, haud arte quidem ulla, aut exquisita scientia literarum, sed aliunde probe novit; cujus tandem non sceleris

a pag. 145. b p. 248.

leris modo, sed malitiæ fuit, imponere sic mihi velle, sic omnibus? Audisti, Arnalde, Vavassorem, sine ulla dubitatione pronunciatum auctorem Latini cujusdam in Calaghanum scripti. Tenes hoc, quod in prima parte Jansεniani libri habetur? Attende & illud, quod in extrema parte, vel potius in appendice est ad librum. Testimonio jurati [a] Vindocinensis typographi, professor Blesensis scholæ, ejusdem in Calaghanum scripti declaratur auctor. Ex quo consequitur manifesto, ut Vavassor prius illius auctor scripti, quemadmodum argumentis initio adversarius probabat, jam non sit amplius, ut adversarius idem testibus confirmat, illius auctor scripti, qui ne commoratus quidem unquam Blesis fuerit. Quid ergo? ista palinodia est hominis recantantis opprobrium & satisfacientis pro injuria, quam intulit? inconstantia est modo hoc, modo illud per summam animi levitatem dicentis? oblivio est, quid à principio posuerat, non recordantis ad extremum? inconsiderantia est non attendentis, quid consentaneum sit loqui? Nihil horum, quæ in hominem facile cadant, cui subito, atque ex tempore aliquid excidat, aut qui calamum sumat festinanter, &, ut quicque succurreret, atque in solum venerit, ut dicitur, perscribat: in opere inchoato abhinc annis multis, elaborato per otium, calumniis pleno excogitatis & meditatis, locum vix habeant. Illud vidit scilicet fraudulentus scriptor, lectorem, quamvis attentum ac sedulum, aut neglecturum ea, quæ erant in accessionibus rejecta ad calcem, & extra libri quasi summam excurrebant: aut qui jam in eam opinionem adductus esset, hunc ut libellum Vavassoris esse existimaret; cum eo deinde loci veniret, ubi tribueretur libellus professori Blesensi; non curaturum, quisnam is professor, vel quo nomine appellaretur; sed conclusurum potius hunc ipsum Vavassorem esse, quam quæsiturum, hiccine Blesas aspexisset unquam, aut dubitaturum de eo, quod primum credidisset. Itaque in ipsa inscriptione illius, quo usus est, testimonii, cum ordinem religiosum nominaret, quo ex ordine ejus auctor opusculi diceretur esse, non adjunxit, id quod virum bonæ fidei decebat, minime id opusculum ab eo illius ordinis viro exisse, quem initio putarat. Non dedocuit lectorem ullo modo, aut errorem, quem attulerat ipse, depulit. Non chartam in libro suo ullam, ad tollendam calumniam gravem, cum sæpe ad erratum leve tollendum mutetur, mutandam curavit.

Dicet aliquis: quid refert, utrum supposititius iste libellus tuus sit, an ex eodem ordine alterius; dummodo sit vestrum cujuspiam. Quasi vero qui jure optimo negem esse meum, cum idipsum noster quoque neget adversarius; assentiar esse saltem de numero nostro alicujus, quia idem adversarius affirmet: aut ejus testi typographo hac in parte credere debeam, quia habeat ipse fidem in omnibus. Sed de isto incognito, &, ut vere proprieque dicam, imperfecti operis auctore, quisquis est, quo vitæ statu, quave conditione, aliis curæ erit. De me, Arnalde, deque facto meo te optare judicem libet, te consulere, ad te referre. Atque hoc non quæro, utrum, si sordes & quisquiliæ eorum omnium, quotquot pro Jansenio, proque Vergerio scripsere in Gallia, in Belgio, conjiciantur in te, sis libenter sinu admissurus, aut aliter, ac factam tibi injuriam, accepturus. Certum est enim, si quid sapis, talia te æquo animo non laturum. Illud quæro, an ea quoque, vulgo quæ non improbantur, quæque judicio tuo mala non sunt, temere adscribi tibi velis, ac pro tuis haberi. Nolis profecto, si te fama, & auditione bene novi, citiusque tibi, quæ scripsisti, adimi sinas, quam ea, quæ non scripsisti, ad te transferri. Nec id, credo, ob eas solum causas, quia obtinere aliena, injustum est; falsis laudibus ornari velle, inane, ac vanum: sed etiam quia est in alieno fere semper quiddam, præsertim si fuerit aliquis ingenii fœtus, quod nobis non convenire, parumque indolem nostram, aut mores, aut ætatem, aut conditionem decere, tacitis denique sensibus nostris adversari arbitremur. Quod faceres in tua causa, omnium judicio, concessuque, prudenter; noli, quæso, existimare, me in mea omissurum fuisse, aut, quia non omisi, idcirco reprehendendum esse. Sunt in omnibus contra Jansenianos scriptis, quæ admodum probem vel eo nomine, quod contra Jansenianos scripta sint, hoc est, contra homines, non commode, neque tuto de doctrina Christiana sentientes. Sunt quæ maximis laudibus efferam plurima, quæque item suspiciam, atque admirer. Quæ si mihi offerantur tamen, sic ut ea impune vendicare possim pro meis; non recipiam. Quid ita? Est suus cuique nimirum ut corporis, sic animi gustus, qui non qua arte quidque conditum sit, attendat; sed palato quid sapiat, & quid optimum sibi sit, observet. Atque ut in tegendo corpore, non hoc primum quæritur, quam pretiosa vestis; neque illud ullo modo, sitne maxima; sed illud præcipue, an habilis, & apta sit ad corpus, justaque magnitudine membris competat, sic in oratione spectare quisque debemus, ad suum unius usum quam idonea sit, ad suum unius ornatum quam decora. Quamobrem meo scripto, quod unum modo Latine contra Jansenium, totamque Jansenietatem edidi, spoliari me à Jansenianis, idque in alium conferri, facile passus sum. Nunc, mihi cum alienum tribuitur, ferre non possum; nec vero, sapientum judicio debui: præsertim cum indignius affectato silentio, & malitiosa dissimulatione adversarii, quam ejusdem falsa libelli impositione, oppugnet.

Nec tamen malitia hominis in eo solum existit, quod reticuit, cum admonere debuisset, diversum esse scriptorem ab illo, quem primo dixerat. Eminet multo in hoc magis, quod improba calliditate, in falsum auctorem, quem falsum esse testimonio jurati hominis rescierit, tanquam si is verus esset, pluribus invectus est, ac declamavit. Negat is, cujus tuendi gratia id genus scripti publicatum est, se impulsorem, negat se approbatorem, negat se conscium fuisse. Totam rem se putare ejusmodi, ut ab inimico potius, quam ab amico profecta videatur. Quid est hoc, nisi quod dictum est, indictum; quod factum est, infectum velle? Quid quæris amplius, aut qua tibi re posse satisfieri censes honestius? Cujus ergo malitiæ est, eo scripto uti, quasi confesso & approbato, ad reprehendendum? cujus, Gallicas facere? cujus, iisdem sententiis sæpius repetitis librum, orasque libri implere? cujus, deterrima quæque grandibus literis insigniora facere?

cujus

[a] pag. 314.

cujus, exaggerare tragicis verbis ludicra & jocularia? cujus, insultare ignoto scriptori tanquam nosto; alieno, tanquam proprio & legitimo; uni tanquam multis, & cuncto ordini cuipiam religioso? cujus, ex eo, quod nullius est, cum nemo agnoscat, judicium fieri velle, penes quos vera Christi doctrina resideat, a quorum ster partibus morum sanctitas omnis, & sacrorum religio? Equidem si quis præceps, & impotens aliquid tale per iracundiam, & stomachum effudisset, cujus eum postea, cum se collegisset, pœniteret, ita ut revocaret dicta omnia sua, & errores fateretur alienæ mentis, reprehenderet seipse, & castigaret: nonne dimittendus potius tacite reus, ac sibi, & dolori privato suo dedendus, quam vulganda amplius hominis culpa, & exagitandus pudor videretur? Cum vero & auctor libellum suum satis ex ea parte condemnet, quatenus non agnoscat; & is, propter quem scriptus est, & cujus istuc refert maxime, a se auctorem repudiet, libello uti nolit, nihil neque defensionem ejusmodi moratus; idque publicis literis testatum esse omnibus voluerit: quid aliud facis renovando, nisi ostendis, te illo ipso lætari, quod vituperes; nec te quidquam malle, quam ut dicta in te dicantur, contra quæ deinde vicissim dicas; cumque viri prudentes, & moderati de vitiis agere soleant ea cautione, ut personis parcant; te vitia colligere, ut de personis agas? Sed quid ego magnitudinem malitiæ hisce adjunctis suis metior, aut procul aliunde certiora argumenta quæro, vel indicia clariora; cum ipse mihi modum ac mensuram Jansenianus declamator præscribat? Quis enim non intelligit, eo malitiam esse majorem objicientis crimen innocenti, quo majus esse crimen existimat, qui objicit? At, si Jansenianum audimus, quisquis adversus parochum ruralem scribere est ausus, parricidium fecit, patriam prodidit hostibus, majestatem principis minuit, jura divina, & humana violavit. Ego igitur ille parricida, proditor, perduellis, juris omnis violator cum minime sim; quis demum, qualisve habendus vituperator meus, qui universa hæc in caput immerentis elogia contulit? &, si lex hic duodecim tabularum valet, ut luat calumniator prorsus idem, quod reus, si convictus, ac damnatus esset, lueret; quantum is pœnarum commisit, qui non personam tantum, cui falsum crimen intendit, verum etiam ipsum crimen quodammodo calumniatus est, cui tot falsa crimina affinxit?

Habes, Arnalde, singularem malitiam, cum fœda ignoratione conjunctam, id est, si recte sum interpretatus, imperitissimum criticum, atque improbissimum calumniatorem. Malitia digna pœna est. Subveniendum ignorantiæ. Et malitia quidem justam, ac debitam pœnam, sed alia quoque malitia effugit, suppresso nomine, dissimulatis, ficta quadam specie defensionis, calumniis. Quanquam, ut velim, non ei majus optare supplicium possim, quam, quo se afficit, misera, vel potius conficit, latendi curam, fallendi studium, nocendi libidinem. Ignorantiæ subveni jam ex parte, cum docui, quo modo scriptor Jansenianus in æstimandis aliorum scriptis, quamque turpiter errasset. Ac subveniam aliquando, si opus erit, plene, & perfecte, cum demonstrabo, quibus sint illustres notis, quoque signo internosci queant Gallici e Regioportu sctiptores; ne seipsi diutius judicandi inscitia ignorent; neve, ut peccant, & labuntur in aliis, ita sint amplius, sicut esse video complures, qui in illis errent. Occurrunt mihi nunc ex ipsa eorum forma, figuraque scriptionis, sic tanquam lineamenta e vultu, maxime propriæ, & naturales, tres numero; notæ: ad quas intendo procul digitum monstrandi causa: singulas propius, cum videbitur, & cum plus otii nactus ero, indicaturus, & suis quamque declaraturus exemplis.

Liber se Regioportuensis prodit statim legentibus per circuitus, & comprehensiones verborum, quas periodos trito jam nomine omnes appellant. Quibus in unis deprehendere triplex vitium liceat, quod adhibeantur alieno loco, quod crebrius frequententur, quod producantur haud paullo justo longius. Locum alienum cum dico, intelligi placet quæstiones universas de capitibus doctrinæ Christianæ controversis, deque ambiguis, & obscuris sanctorum patrum opinionibus & dictis. Quod argumentum, ut polemicum, quemadmodum vulgo nuncupant, & pugnax, & contentiosum, & lacertorum egens est: ita huic accommodatissima scribendi ratio, concisa & brevis; illa, quæ spatietur, & excurrat quasi in orbem, aut redigat in quadrum, numerumque sententias, inimicissima, maximeque contraria. Aliud est, mihi crede, Arnalde, panegyricos principibus viris; summisque magistratibus dicere, aut unam, alteramve in anno causam publicam apud judices agere, ad speciem atque pompam, id quod alias sororis tuæ filius faciebat, Antonius Magister: aliud spissa, & ardua intimæ theologiæ mysteria tractare pressius, & subtilius, atque ad tenue elimare veritatem. Illic inservitur aurium voluptati, & plausus, atque admiratio quæritur auditorum, totumque sibi palæstra, & quædam quasi velitatio vindicat: aut si quid interdum pugnæ misceatur, fit eminus hasta, non ut in acie, nec justo congressu. Hic gladio res geritur cominus, atque *hæret pede pes, densusque viro vir.* ut, si latius copiæ explicentur, turpis fuga tegi, non victoria quæri honesta videatur. Ac ne frequenter quidem in foro, unde ille ambitus, & plena comprehensio Regioportum manavit ad vos, sic circumscripte, numeroseque dici solet, si veræ causæ & judiciales, hoc est, de capite, aut fortunis agantur: neque veteres, & exercitati, & omnium, ut ita loquar, horarum patroni committunt, ut miseris clientibus isto modo, & judicum auctoritati illudant.

Quod si subtilis, ac spinosa materies majorem curam omnem, & cogitationem rotundæ orationis excludit; quanto magis vetat multas ejusmodi comprehensiones, quæ multis item ex partibus, & membris constent, poni continenter in cunctis paginis, quasique perpetuari? &, si crebritas offendit in universis, quarum aliæ sine aliis majores; quo odio esse debet par & constans longitudo tanta singularum? Laborat profecto lector in legendis, quæ si uno spiritu pronunciare velit, vix queat; & quæ sæpenumero, ut intelligat, non satis habeat legisse semel: vereorque valde, ut istius partis, & sectæ fautrices fidelissimæ hic implicatæ hæreant, neu se, quamvis sæpe, ac diu legendo, ex tam multiplici circuitione, & tam longis amfractibus expedi-

pediant; idque fit causæ, quamobrem, quæ non assequuntur intelligentia, mirentur & obstupescant. Itaque jure ac merito dubitare possumus, an sciant Regioportuenses omnino, quid cæsim sit, quid membratim dicere; audierintne in vita unquam, id quod summus dicendi artifex, & doctor Tullius observavit, orbem illum orationis, quem usque eo producunt, confici posse ex binis membris: cum Aristoteles etiam, princeps philosophorum, satis esse membrum vel unum ad ἀφελῆ περίοδον, quam idcirco μονόκωλον appellet, multo ante docuerit. In quo non tantum mali est, eos neque incisis, neque membris distinguere, ac variare orationem, nisi fortuito; nec circumscriptionibus quidem suis uti moderatis, ac justis: quantum illud, quod, ut hasce circumscriptiones proferant longius, plenioresque reddant, cassa quædam, & levia, nec alium usum ullum habentia, tanquam si rimas explerent, infarciant. Quo fit, ut licet obscuritatem vitent proprietate dictionis, & apta collocatione vocum; abire non possint, quin suum ipsi vitium contrahant, quod aliis objiciunt, quodque ridiculo nomine, etsi videri velint serio loqui, *galimathias* appellant, id est ματαιολογίαν & inanem tractum verborum, nullis aut levibus sententiis. Hæc porro discernendi agnoscendique nota ita incurrit in oculos, ut qui modo cæcus non sit, confestim aperto libro, nullo duce, nec alio indice, advertat. De me illud profiteri possum, quod mirabitur fortasse aliquis, aut etiam ridebit, sed vere profecto dicam: si quis mihi tradet in manus librum hominum ejusmodi μακροκώλων quem ignorem esse horum, de cujus argumento nihildum mihi constet, non paginas evolverim, non legerim, ne verbum quidem, aut syllabam, divinaturum me tamen primo aspectu, sit, necne Regioportuensium. Qui tandem istuc? Aperio librum. inspicio procul. en interpuncta maxima duo: hic primum, alterum ibi. inter hæc plurimum verborum, & tantum, quantum non usquam in aliorum libris, decurrit, & clauditur. Nihil opus pluribus. Regioportuensium est. hoc solent: hoc amant: scribit extra istos hoc modo nemo. Quidni profitear autem me oculis divinaturum vel sic qui artis minime laboriosæ periculum fecerim non frustra? Divinavi jam sæpius: nec adhuc divinatio mea me fefellit.

ALTERUM insigne, unde certo possit scriptor Regioportuensis deprehendi, non est æque in promptu omnibus, sed intelligentibus tantum, atque circumspectione aliqua, & accurata consideratione usis patet. Non enim quisquam, nisi mediocriter artis oratoriæ peritus, insuperque in id mente & cogitatione intentus, & defixus, facile perspexerit, nihil hunc Janseniani generis gregem, in tot suis, parvis, magnis voluminibus, eloquentiæ veræ habere; nihil eorum, quæ ad istam disciplinam pertinent, omnibus literatis utilem, politis scriptoribus necessariam, admodum nosse. At res tamen, si verum scire volumus, ita se habet. Quanta locorum & ἐντέχνων, & ἀτέχνων, unde argumenta, seu insita, seu remota atque assumpta, quæ dicuntur, promi debent, apud eos notitia, qui unis fere argumentis tandiu, tamque sæpe utantur? Quæ tractandi argumenta scientia corum, qui ex multiplici ratione & via, quam ars præscribat cum ad jucunditatem distinctæ orationis, tum ad dignitatem, & copiam, unum idemque sine ulla commutatione genus, & quasi filum ubique teneant; nihil varie proponant, aut assumant ad probandum; nihil concludant dissimiliter? Quid? qui parva quædam, minimique ponderis exaggerent, & tollant; summa quæque, & gravissima extenuent, atque abjiciant; intelligunt videlicet, id quod est intimæ artis, quid amplificatione dignum, quid non sit? Qui probationum sedem, ac velut domicilium ignorent; modos norunt amplificationum, quæ ex tot, iisdemque locis eruantur? Cum igitur propter ignorantiam artis, & præceptorum Regioportuenses neque sint in inveniendis rebus uberes & fœcundi; neque satis in augendis, aut minuendis aut omittendis prudentes; neque in tractandis, & disponendis varii: quo tota eorum, quanta est, nisi ad elocutionem solam, redigitur, & pertinet eloquentia? In elocutione autem, ex capitibus notissimis quatuor, video spectari præcipue duo, ut Gallice, utque ornate scribatur: quorum illud prius sui Regioportuensibus cultores, & amici passim tribuunt, me non dissentiente; at hoc posterius in eis sane vehementer requiro. Ubi acute, ubi sententiose dicta? ubi insignes tropi? ubi schemata rerum, & verborum? ubi cetera ornamenta, quæ florum, gemmarum, luminum, in oratione elaborata, & facta quodammodo, instar obtinent? Hæc ab iis cur, & quando expectes, quæ si pauca adhibere conentur, immoderato usu corrumpant ac depravent; nec satietatem modo, & contemptum, sed risum etiam, densa & continenti frequentatione, & quadam nimietate uniusmodi rerum, afferant? Quid magis ridiculum, quam istud, in quo tamen uno simile aliquid habent oratoris, repetitio vocum, quæ totas paginas impleat, nullo more, aut exemplo veterum scriptorum, identidem primo, medio, extremo libro iterata? Percurre tu celeriter, (res est non magni laboris) simulatam illam *veritatis & innocentiæ defensionem.* Sic reperies, ἀναφοράν hanc, seu crebram verbi a primo repetitionem circiter vicies adhibitam, eademque longissime productam fuisse. quam si quis isto modo scriptor quinquies usurparit, putidus & ridiculus sit, atque, ut insigniter nimius, meritissimo explodatur.

Fecerunt ergo solum hoc reliquum sibi Regioportuenses ex oratorio instrumento, & universa supellectili eloquentiæ, ut Gallice scribant, id est, pure, & emendate, sine barbarie, sine solœcismo, addo etiam, si vis, præclare & eleganter, dum non ornate. Quod equidem non invideo, cum multo id illis convertendi Latina in Gallicum labore, majori etiam criminandi, & invehendi exercitatione constiterit. Mirarer magis, si tanta temporis vel impensa, vel jactura, tanta bonarum artium ceterarum negligentia, nondum loqui Gallice didicissent. Unum doleo, magnos istorum asseclas & præcones, qui hanc eis laudem, tanquam amplissimum ingenii, & industriæ præmium tribuunt, quid tribuant, neque attendere, neque intelligere. Quale, obsecro, & quantulum est, quod tribuunt? id quod ars nulla rhetorica docet atque infra

se

se positum esse judicat, quod mutuatur orator ab inchoatis, & rudibus institutionis elementis doctrinaque puerili. quod Grammatici munus & officium est. quod unius partis Grammaticæ de tribus opus, & illius quidem necessitate principis, sed dignitate postremæ. Ut permirum videatur, tam alias res agere lectores non fatuos, vi ut sola emendatæ locutionis, nullo alio bono, quispiam præstantis, & eximii scriptoris teneat locum. Quæ ratio puri, & ad Grammaticas leges exacti sermonis, si maxima laus est Regioportuensium; ii parum profecto laudandi, qui nihil isto minimo majus habeant; si unica laus est; etiam vituperandi, qui tot bonarum rerum, quibus abundare oportet scriptorem non pessimum, nihil omnino, extra istud exiguum & leve, habeant. Atque hæc ego de nulla Regioportuensium eloquentia eum reputarem animo mecum, vellemque experiri, solusne tantum vitii animadvertissem in famosis scriptoribus, tantum inopiæ; notissimum & ipsum, experientissimumque Galliæ scriptorem, qui se plus satis alias magno Cardinali Richelio probasset, interrogavi, ecquam opinionem haberet de istorum toto genere scribendi. Gavisus vero sum tanti viri judicio confirmari meum, tacitisque cogitationibus meis, ejus orationem omni ex parte respondere. cum illud quoque adjiecrem, eodem valde approbante, longe mihi videri Calvinum, & Bezam anteponendos Regioportuensibus; non solum quia uterque bene Latine scriberet, nemo in tanto horum numero reperiretur, qui id facere posset mediocriter; verum etiam quia utriusque Gallice scribentis plena numerosæ cujusdam varietatis, plena artificii, & nervorum dictio esset; omnium horum nulla eloquendi virtus, & facultas appareret, nisi quam partim natura incensa odio, & simultatibus, partim casus, & fortuna suppeditaret.

Tertium indicium, quo Regioportuenses, velut crepundiis, aut aliquo nævo fœtus expositos, cognoscamus, est morum illud quidem, sed verbis fit, expromitur oratione, in eoque consistit, quod iidem facile de personis, & rebus pronuncient, iidem omnia, quæ semel pronunciarint, valde asseveranter affirment. Non dico Regioportuenses cito credere: facile pronunciare dico. etenim quid credant, obscurum: apparet, quid loquantur: ambiguum, an ea, quæ sentiant, dicant. Quam facile autem pronuncient, vel ex eo fit planum, quod liber illis prope nullus anonymus sit inter eos, qui adversus Jansenianam novitatem plurimi exierunt in lucem; suum cuique scriptori, quanquam ignotissimo, nomen confestim, ac sine ulla hæsitatione accommodent, atque imponant. Prodit liber, qui *Jansenius suspectus* inscribitur: Dionysii Petavii est, inquiunt. Alter prodit, qui inscribitur *Jansenius damnatus*: Francisci Vavassoris est. Utrumque falsum. scit librarius: stilus loquitur: doctus, & intelligens lector agnoscit. His neque ponderatis, neque animadversis, nec minima quidem habita quæstione rei, ecce tibi Regioportuenses; qui repente sententiam, contra communem existimationem prudentum, verique omnem similitudinem pronuncient. Ex quo nunc demum intelligo, quid sibi vetus poëta velit, cum sic statuat, esse *homine imperito nunquam quicquam injustius*. Nimirum imperitus semper male, quia nunquam ex certa scientia: improbus interdum bene, quotiescunque libitum est scilicet, judicat. Ita Regioportuenses, sive libros adimant legitimis auctoribus, seu tribuant alienis; imperiti, adeoque summe injusti. Quorum ego subitum, ac præceps judicium in assignandis suis cuique auctori operibus quoties recordor; toties venit in mentem, id quod literis traditum est, Deli quondam, dum clara & nobilis insula staret, fuisse complures, qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent. hos in maxima ovorum multitudine, quodcunque primum occurreret, simul ac inspexerant; quæ id gallina peperisset, dicere solitos. Non tam ovum ovo simile, ut dicitur, quam sunt gallinariis Deliacis illis scriptores a Regioportu similes. qui, ubi ingenii partus aliquis editus est, aspexitque lucem, illico designent auctorem, tanquam certa quadam, & propria nota, nomine suo clare appellent, nec eum latere magis sinant, quam ipse auctor latere librum voluit, quem publicavit. Factum solers, & festivum, nisi discrimen hoc inter utrosque intercesset, quod illos, siquidem historiæ recte creditur, nunquam falleret conjectura sua; hi, cum belle sibi divinasse videantur, vix unquam attingant suspicione verum.

Nec solum Regioportuenses animadverti leviter pronunciare, sed constautes in levitate sua esse, atque ea, de quibus subito pronunciarint, affirmare etiam vehementius. Sint magnæ, sint modicæ res, quæ aguntur: certæ, incertæ sint. omni asseveratione omnia, & pari velut jurejurando sancire, quodque ab adversariis quocunque modo dictum est, interpretari dictum esse audacter, temere, imperite, stupide, insolenter, perfidiose, sic ut nihil possit supra. Si quid scilicet Jansenianorum adversarii asserunt; asserunt *par la plus étrange temerité, ou par la plus grossiere ignorance, qui fut jamais.* Si quid negant; negant *par la plus grande, & la plus punissable de toutes les hardiesses.* Si quid objiciunt, aut refellunt; faciunt *par la plus sanglante de toutes les invectives.* Ac ne capita quidem rerum, inscriptionesque, & narrationes, quibus nihil esse simplicius debet, carent emblemate ejusmodi vermiculato, & similibus tessellis lepide compositis, *par la plus insigne de toutes les fourberies: par la plus lâche prevarication, qui fut jamais: par une audace qui n'eut jamais de pareille: par une ignorance grossiere & stupide: par une hardiesse insupportable: par une insolence punissable.* Eccui vero lectæ sunt aliquando in Regioportuensium scriptis voces eæ, ΙCΩC, ΤΑΧΑ, FORTASSE, FIERI POTEST, quas esse proprias senum philosophus observat, non illorum quidem simplicium, & credulorum, aut obliviosorum, sed sapientum, quos usus, magister optimus, edocuit, assidueque humanæ imbecillitatis, & multæ, quæ in vita versatur, inscientiæ admonet? Ecquis apud eos usquam usurpari meminit illud Romanæ modestiæ, & antiquæ, ingenuæque sinceritatis, aut cujusdam timiditatis religiosæ verbum, VIDETUR, quo judices in ferenda sententia; ARBITROR, quo testes in testimoniis suis, utrique jurati uterentur?

tur? cum quidem & quæ cognovissent judices, non ea facta esse, sed VIDERI sibi pronunciarent: & quæ testes vidissent oculis, non ea se scire, sed ARBITRARI dicerent. O gravem, & dignam Christianis moribus expostulationem, Marce Tulli, tuam de Indutiomaro, qui solemnem illam judiciariæ formulæ vocem omisisset in testimonio! At neque civis Romanus erat, neque Romanis legibus tenebatur, & patrio more, quantum judicare possumus, testimonium dixerat. Reprehenditur tamen, reprehenditur Indutiomarus a Tullio, quod cum Romæ testis productus esset contra reum, in judicio, ibi, ubi affirmate loqui oportet, affirmate loqueretur, ac plus aliquid de re, quam se ita putare, pro testimonio diceret. *Illud*, inquit Tullius, *verbum consideratissimum nostræ consuetudinis*, ARBITROR, *quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit.* Sed hæc nimis antiqua, & obsoleta sunt. habent enim videlicet novum Regioportuenses auctorem, quem imitentur, cujus exemplo fortiter, magnificeque loqui consuerint, & homine Arpinati potiorem, & clarum item in foro, quoad vixit, ac celebrem patronum; tibi, Arnalde, bene cognitum. Is, ut nuper ab illis accepi, qui dicentem audierunt, quascunque causas ageret, sive parvas, sive magnas, dicere solebat, Galliam totam contemplatione illius judicii pendere suspensam, & eventum causæ expectare. Erat id amplum, & grave ad persuadendum, atque ad animos judicum commovendos, nisi nimio, ac præpostero usu, simul & animadversione hominum viluisset. Porro ut iste noscebatur ex hoc peculiari, & inusitato aliis actoribus causarum proœmio, vel epilogo, hodieque notus est, recenti recordatione, & memoria vitiosæ consuetudinis: ita non est dubium, quin Regioportuenses scriptores ex eo, quod pariter solemne, & proprium habent, ac suum, judicari quamprimum, distinguique possint. Abdant igitur se quam volent penitus in intimam solitudinem: supprimant nomina in scriptis suis: nova sibi induant: prætereant, qua in urbe, per quos opifices libros edant: sileant etiam, quorum, quarumve sumptibus præcipuo quodam artificio simulationis ementiantur omnia. nunquam, ut delitescant, ignotique sint nobis, assequentur; quandiu tam facile pronunciare pergent, affirmare tam valde: quorum alterum manifestæ levitatis est, alterum insignis confidentiæ, utrumque summæ perfectæque temeritatis.

CONSTARE jam debet, Arnalde, id quod initio, perspicuum fore ex consequentibus, significavi, quamobrem faciendum putarim, ut dissertationem conscriberem Latino sermone, quam ad te potissimum mitterem. Ideo conscripsi Latine, ut quem reum ob Latinam scriptionem improbus accusator fecit, eundem me Latina quoque scriptio defenderet; vimque *præterea, & pondus testimonii haberet: cum hoc palam quodammodo loqueretur, eum, a quo ipsa scripta sit, illud aliud tam dispat ac dissimile, ne si quidem simulare studuerit, ulla ratione scribere potuisse. Misi porro ad te eo consilio, ut, si Jansenianum volumen, quo insontes accusamur, te utcunque attingeret, si opera tua vel consilio exisset in lucem, (nam primarium te auctorem nihil est necesse suspicari) quod tuum est in hac mea defensione, sicut ad animo sincero, minimeque malevolo profectum, ita tibi non invitus sumeres; quod reliquum est, principibus operis architectis, & politoribus suis, sive conductis pretio, sive amicis, & propinquis, & necessariis, impertires. sin id ad te, quod malim, nihil pertineret; tamen Jansenianos, cupidos tui & studiosos, doctrinæque tuæ defensores perpetuos, quos ignorare non potes, cum in libris suis nusquam nobis neque pet nomen suum, neque per typographi compareant; verbis meis, si grave non est, convenires, admoneres, essent in judicando consideratiores deinceps, in proferendo judicio, præsertim scriptis publicis, & editionibus, tardiores; &, si minus adversariis, saltem sibi, & pudori suo, atque existimationi consultum vellent; dumque se inscriptione ipsa operis profitentur causam, ac patrocinium suscepisse veritatis, & innocentiæ; ne veritatem falsa, innocentiam malitiosa imputatione librorum proderent. Hanc tu autem dissertationem maxime velim cum Magistris duobus, Antonio & Isaacio, consanguineis, & convictoribus tuis, communices: quorum alter, ut jurisconsultus, pulcre intelliget, qua lege qui partum subjecerint, teneantur, cuive pœnæ sint obnoxii; alter, ut theologus, una tecum disputabit, an non & ii calumnientur, qui librum cuipiam falso, bonum malumve, at præter ipsius voluntatem, scientes, prudentesque attribuant. Vale, vir clarissime, ac totidem posthac a me munuscula, quot a vobis officiis provocatus ero, vicissim expecta.

JOBUS
BREVI COMMENTARIO
ET
METAPHRASI POETICA
ILLUSTRATUS.

AD LECTOREM CHRISTIANUM FRANCISCUS VAVASSOR.



EXPOSITURO mihi ex veteri testamento librum, qui Job inscribitur, propositum est declarare primo ac per se, quoad ejus fieri poterit, vulgatum interpretem Latinum: tum aditis fontibus, & prima contextus Hebraici origine, haurire inde, quod in rem meam sit: postremo LXX. quos appellant, interpretes consulere, ab iis opem mutuari, &, quamcumque lucem afferre queunt, eodem derivare. Ex una parte, ad codicem Hebraicum accedant volo Aquila, Theodotio, Symmachus, quinta sextaque editiones, & si qui præterea ex Hebræo quasi ἀμέτως, ipsi marte suo, nullis adminiculis priorum interpretum, Græce reddiderunt. Ex altera parte, LXX. interpretibus adjungendos putavi, qui hos fere secuti sunt, sanctos patres, Græcos & Latinos. Unus excipiendus Hieronymus, neque a vulgato interprete separandus: siquidem hic ipse est idemque operis auctor, aut maximus certe refector, atque interpolator. Sed quoniam qui Hebraica consectantur, faciunt plerumque minutius atque enucleatius, eaque sola interdum, quæ ad grammaticam institutionem pertinent, exequuntur; qui autem LXX. inhærent atque insistunt interpretibus, in allegorias frequentes abeunt diversi, sive Græci, sive multo etiam magis Latini: utrumque vitare conabor, atque ita modum tenere, ut necessitati serviam atque utilitati rerum; supervacanea circumcidam; ex optimis quibusque delibem nonnulla; ac sitim potius famemque accendam rerum meliorum, quam profusione vilium & contemptarum expleam aut exsaturem.

His ita propositis rationibus consiliorum meorum, non dubito fore nonnullos, e numero præsertim dicentium de rebus sacris ad populum, qui deterreantur aspectu primo, ac tantisper refugiant a lectione hujus commentarii libri, in quo se non reperturos existiment copiam abundantiamque rerum, quam quærant. Verumtamen iidem si cogitare cœperint, secumque ani-

animis reputare, non modo quod sit interpretis officium, sed etiam quod suum: sic statuo, sic mihi persuadeo, muraturos sententiam, mihique gratiam habituros, qui non ipsis silvam rerum, quibus abundant, obtrudam, sed earum delectum, quibus carent, subministrem. Est tradentis quidem disciplinam Christianam, & mores hominum informantis, ut nunc res habent, in tanta multitudine tantaque granditate voluminum, non tam considerare quid dicat, quam persæpe quid non dicat; neque tam laborare ut dicat, quam ut bona & bono more modoque dicat. Multi autem, quod apparet, una e sacris literis sententiola contenti, de qua se dicturos proposuerint, sacrarum literarum promunt præterea nihil. Ab iis ex veteri lege, cum infinita sint ac præclara, nihil audias ad firmandam atque illustrandam novam; nihil ex prophetis eque apostolis, cum insignia sint ibi & luculenta omnia, quod conferat ad utramque legem intelligendam, ad vitam & mores ex utriusque præscripto instituendos atque componendos. Sed quam multi quoque multa proferunt in medium, e sanctissimo divinarum literarum penu atque instrumento, quæ disperdant misere, atque interpretando distorqueant, & aliam in sententiam accipiant prorsus, ac sanctus olim Spiritus dictaverit, tradiderint prisci doctores, sancta mater Ecclesia suffragio suo, auctoritate sua, nutu suo, sanxerit ad hanc diem atque comprobarit? In quo sane toto genere, utri plus peccent, haud scio: iine, qui parce cœlestibus istis ac divinis monumentis; an qui perperam sic præpostereque utantur. Quod si aberrantibus utrinque, ut reducantur in viam, perutilis est interpres, qui non tam varia itinera demonstret, quæ sequantur, quam qui certo judicio seligat facile ac tutum iter, præeatque ipse, ac lumen præpandat, & laborem sublevet istorum suo, eosque cura liberet, quæ maxima est, delectus habendi: quanto magis necessarius est idem dux & adjutor theologis, quorum sit firmissima & solidissima quæque, & omnino rebus sententiisque inhærentia, persequi, ac suos in usus traducere? Christianos certe omnes voluminis brevitas, complectentis multa verbo, eaque proba & commode dicta, pellicit ac juvat, quos a se multitudo rejicit ac longitudo, & quasi tumor crassæ farraginis absterret, præsertim jam multiplici negotiorum mole occupatos.

Quid ergo? dicet aliquis: fecisti tu, quod ipse boni ac fidi esse interpretis ais; aut solus fecisti? Equidem quid præstiterim, arrogantiæ fuerit fortasse profiteri: cum sine prædicatione aliqua vel diligentiæ vel solertiæ vix possim. me conatum esse dissimulare non queo; cum res ipsa loquatur, & jam totos quadraginta annos, sine ulla intermissione temporis atque operæ, unum me præcipue divinarum literarum opus exerceat. Quotus autem sim; nam solum me esse nefas dictu putem; nec scio ipse, nec dici necesse est. Illud novi, nequaquam me numero ac multitudine deterritum a scribendo, ita ut scripsi, fuisse: præsertim cum veteres semper scriptores excusserim: cum recentibus minus habuerim consuetudinis ac negotii: neque vero commiserim, quod plerique solent, ut aliena exscriberem ego ipse, meaque facerem transferendo. Sed hæc & similia per te, Lector Christiane, cognosces, atque ex hoc, quod exhibeo tibi nunc, opusculo, de aliis, quæ posthac edam, juvante Deo, scriptis, ubi eadem a me tenebitur ratio & forma interpretandi, judicabis.

PAR-

PARTITIO ET SERIES
AC SUMMA BREVIS RERUM.

AD peculiarem ac propriam libelli hujus intelligentiam quod attinet, quinque sexve capitibus complector omnia, & certa ab incertis, dubia seu probabilia ad utrisque distinguo. Quam in rem exquiri placet, primum fueritne alias aliquando Jobus: deinde quo vixerit tempore: tum qua stirpe oriundus: denique quam diu felix, miser, rursumque ex misero felix: postremo quis auctor scripti, quodque consilium & scopus auctoris: quæ materies, & tractandi forma, & argumentum ac sententia.

I. Ambigitur, utrum res vere gesta sit, quæ hic narratur, ac merito nuncupetur historia; an ficta sit, exempli causa, fabula, nulloque modo ad fidem historiæ comparata, atque inter *parabolas*, quas appellant, referenda. Esse contendunt historiam tum Rabbi Moses lib. 5. doctoris perplexorum c. 22. tum Aben Esra in commentariis: quod hic ex eo probat, quia res adjunctis notata plurimis fuerit, & quasi vestita extrinsecus; diserte Jobi memoretur patria; nominatim sodales appellentur; filiæ quoque extremo libro; fortunarum modus; anni vitæ; alia id genus complura. quæ tam diligens & accurata commemoratio rerum minutarum ac peculiarium, in fabula locum habere non videtur. Hoc quodcunque rationis firmat princeps ille, qui perhibetur, philosophorum, a quo observatum est in libro artis rhetoricæ tertio, capite quinto, ariolos loqui fere omnia generatim & infinite; quod ita minus errori pateant, minusque deprehendantur in mendacio. Verumtamen quid vetat, quominus qui hoc agunt, ut imponant, rem definiant iis omnibus quæ circumstant eam, quo propius accedere videantur ad veritatem? Nec modo nihil vetat, quominus speciatim singula adumbrent, & minutius persequantur: sed faciunt, ac multo etiam magis ii, qui fabulas nobis amatorias concinnant, eventusque rerum varios & insolentes, falsos omnes & commentitios, produnt literis; sic ut nihil dissimile habeant historiarum, immo plus sæpe probabilitatis, quam ipsum verum, præ se ferant.

Esse parabolam, Rabbinis, & Mosi, filio Maimon, in libro Moreh Nebuchim, & Sem tob in hujus expositione libri, placet. Quod autem satis ridiculum est; cum priores illi rem esse velint totam veram, quia suis est declarata multis adjunctis: falsam hi posteriores volunt esse, quod adjunctis spoliata sit & careat suis; neque tempus, neque locus, ut par erat, designentur.

Ego id totum, quod primum quæritur, divido, & ad hunc quasi modum tempero. Quatenus extitisse Jobum negant hi priscis temporibus; multa tulisse, fecisse; utramque expertum fortunam: nullo eis modo assentiendum putamus. nec vero salva, quam utrique testamento debemus, fide, assentiri possumus.

Ac Tobias quidem quin alias aliquando extiterit, ut ex libro, qui ejus inscribitur nomine, apparet, nemo dubitat. Atqui is cum Jobo, & ipsius vivendi ratio & forma comparatur, capite 2. *Hanc autem tentationem idem permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti, parenten-*

rentes & cognati ejus, irridebant vitam ejus. Ezechielis autem c. XIV. v. 14. viris duobus & probitate insignibus, & qui diversis alias temporibus reipsa vixerint, Jobus item probus vir, minimeque falsus & commentitius, opinor, annumeratur: *si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Eundem quoque Jobum Jacobus catholicæ c. V. ad exemplar & imaginem robusti animi, summæque constantiæ proponit. quod exemplar si verum est, valet illud quidem plurimum: si fictum animi causa, auctoritatem non habet: *sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis.*

Jam vero si cui videtur argumentum, quod omnino subest, vel amplificatum esse oratorie, vel poetice depictum, vel tractatum quoquo modo figurate, non invitus concesserim: quod res ipsa manifesto evincit. neque enim, credo, ut cetera omittam, miseri dum lugent, sic ordinate lugent & artificiose, ut lascivire in malis, & ornare miserias velle suas videantur: neque differuerunt inter se versibus Jobus atque amici: aut cum iisdem egit Deus oratione ira vincta.

II. Certum igitur, fuisse tempus, cum Jobus, specimen fortitudinis, constantiæ, æquitatis animi, quale describitur, viveret: sed quodnam definite tempus id olim fuerit, non satis constat. Fatendum primum necessario est Ezechielis ac Tobiæ temporibus Jobum priorem, de quo apud utrumque, ut supra posui, fiat mentio. Ex quo videas in serie sacrorum voluminum præpostere Tobiam locari, qui Jobo, posterior cum sit ordine temporis, anteponatur. Sunt qui negent ad ætates Salomonis ac Davidis aspirare Jobum, propterea quod ex eorum scriptis certa quædam dicta & aliquot sententias exscripserit. Sed unde, quæso, habent, hunc ab illis potius, quam ab hoc illos esse aliquid mutuatos? Evehunt alii e contrario Jobum supra Mosen, causamque afferunt; quod a Mose latam legem ignoraverit prorsus; ignoravit autem, qui & sacrificavit, & alia multa contra legem admisit: tantæ alioquin probitatis vir, nihil horum facturus sciens ac volens. Item quod verbum de lege, de aliis, in tam copiosa disputatione, nullum fecerit. Vix invenias tamen ex omnibus, qui Abrahamo faciant anteriorem. Persuadent ipsa regionum & hominum nomina, Edom, Hus, Job, Eliphas, Elihu, Theman, de quibus, ante id tempus, mirum ubique gentium ac terrarum silentium. Atque his quoque nominibus fit, ut inter Abrahamum & Mosen, Jobum interjectum, Mosi multo propiorem, existimemus. Sed hoc ipsum fiet planius ex controverso capite tertio sequenti.

III. Caput hoc habet quæstionis, quo loco Jobus natus sit, quibus ortus avis ac majoribus. Ea de re sententiæ feruntur insignes præter ceteras duæ. Altera est veterum Hebræorum, ut scribit Hieronymus, non uno loco, cui & ipse subscribit, stirpem & originem traxisse Jobum ab Nachor Abrahami fratre. Hæc isto tanquam solo & fundo opinio nititur, quod filius Nachor primus appelletur Hus nomine. Veruntamen cum habeantur sacris in literis tres ejusdem nominis, unus quidem nepos Sem, alter Nachoris filius, tertius denique filius Disan; cur Nachorides potius de suo fecit nomen regioni, quam alteruter aliorum? Deinde ut is terram, quam teneret ditione, nominarit, in ea sedem fixerit, crearit liberos, genus propaga-

garit: continuone indidem exortus Jobus est, qui ibi longo post tempore imperitavit? Altera sententia est eorum, qui existiment non jam a Nachore per Hus descendisse Jobum serie continua generis, ut sextus ab illo numeretur, sed ab ipso Nachoris fratre Abrahamo, per Esau, ut sit ab auctore stirpis, quintus. Parum ut intersit ad rationem temporis, hoc an illo ortu Jobus fuisse, his an illis parentibus, perhibeatur. Totum hoc de origine Jobi tantum possidet fidei ac roboris, quantum ex assuta codicibus, Sixtiano & Anglicano, appendice, ubi habetur, peti potest: hoc est, multo minus, quam ex LXX. seniorum interpretatione. Apud me quidem minimum momentum obtinet illa lacinia, in qua de Jobo una cum Christo resurrecturo agitur: quod satis signi est additiciam rem esse, nec LXX. interpretum propriam. In eam nihilominus sententiam magno concursu iverunt, tum Græci, tum Latini, scriptores antiqui, Aristeas apud Eusebium, Origenes, Anastasius in synopsi, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Chrysostomus, Gregorius, aliique præterea. Quare si ubi nos deficit idonea ratio in utramque partem, locus esse auctoritati debet: numerus vincat sane, atque nos multitudini, quæ vel sola facit auctoritatem, cedamus.

IV. Quarto capite quæruntur conjuncte duo, quæ separari non debent: quo ætatis anno inciderit in calamitatem vir perpessitius, quandiu pressus illa calamitate atque afflictus sit. quod utrumque si semel constitutum habeamus; facile fuerit, quot expleverit omnino annos, intelligere: cum minime ignoretur, quod adusque tempus, recuperatis postea rebus, spiritum duxerit. Sed hic agendum conjectura est multo etiam magis, quam supra. Ordinavit rem, ut in incertissimis, valde probabiliter, magnus observator temporum Dionysius Petavius; cui ego viro, hic quoque interpretanti publice hoc volumen, operam dabam ante annos quadraginta. Huic visum est, accepisse Jobum calamitatem, cum natus annos esset circiter quinquaginta: annum, nec amplius, pertulisse: superfuisse denique malis, ut ultimo capite libri scriptum est, centum quadraginta annos: ita provectum ad summam senectutem, cxc. annorum confecisse, quam longum est, curriculum. Addo ego, cum adverterit Aristoteles, satis illud quidem curiose, annum in homine quadragesimum nonum, qui idem scalaris perfectus est, cum septimus septies in se retro numerus agatur, esse omnium ætatis annorum, firmitate animi ac robore, perfectissimum; id mihi quoque tempus ad expromendas vires, ad probandam fortitudinem, & constantiam, longe aptissimum videri. Sed plura in eam rem extremo libro.

V. Ecquisnam quoque fuerit scriptor tam præclari operis, adhuc investigari patefierique non potuit; ita quidem ut inter omnes, aut plures sane gravissimos & doctissimos interpretes conveniret. Jobum ipsum multi volunt, nonnulli Jobi amicos, alii Mosen, Isaiam alii, alii alios. Julianus quidam Halicarnassensis in catenæ prooemio negat eundem hic actorem rerum & scriptorem fuisse: propterea quod minime deceat quemquam scribere ipsum de se, aut præconem constituere se laudum suarum. quare qui liber Job inscribitur, non librum, qui Jobi, sed qui de Jobo sit, intelligendum. Magnus contra Gregorius contendit in isto fieri nihil præter decorum: neque vero Jobum commemorare proprie aut prædicare res gestas

 suas,

suas, sed Dei, cujus auctoritate ac ductu gessisset omnia: neque scripta proferre sua in lucem, sed a Spiritu sancto dictata reddere. Uterque speciose magis, quam probabiliter: utriusque argutior ratio, quam validior. Movet me illud potius, quod, hunc librum si Jobus scripsit, de obitu ipse suo scripserit: quam prædictionem de se, etsi fateamur in Moyse, minime necesse est ubivis concedi. De Jobi amicis qui suspicantur, hoc sibi volunt, horum potius fuisse, quam illius, consignare literis quos inter se habuissent sermones. Sed neutrum necesse quoque habemus admittere, aut verum arbitrari. Hanc Mosi lucubrationem qui attribuunt, ut Origenes, & alii quamplurimi, quantum auctoritate vincunt, tantum re & vera ratione vinci videntur. Primum enim tametsi splendidam quamdam & generosam quodammodo rationem scribendi interdum vel Longinus rhetor agnoverit in isto scriptore ac deprædicaverit: universe tamen nihil simplicius ac sincerius toto Mosis sermone, magisque naturale & candidum. Jobi autem dictio mera magniloquentia est: ut quadrigis poëticis vehi semper, & exultare videatur. Deinde Hebraice Moses est locutus & pure sic, ut nihil supra Hebræi ulli: Jobi oratio Chaldæis, Arabicis, Syriacis, Idumæis permixta & confusa vocibus, ideoque obscurior. Nam, quod audio ab eruditis quibusdam viris sic distingui, ut Mosis prosa oratio Jobi prosæ orationi pulcre respondeat, versus versibus; ex quo sermone utroque idem sonus ac stylus, idem scriptor videri possit amborum operum: dicunt aliquid illi quidem. Verumtamen, quantum existimare possum, & pauciora sunt apud Mosen carmina, quam ut ex iis sentiri queat eumdem esse scriptorem illorum, quæ sunt apud Jobum; & brevior est in scripto Jobi sermo solutus, quam ut ex illo judicetur, qui scripsit, scripsisse pentateuchum. Est cui venerit in mentem poema hoc nostrum Isaiam condidisse, quique multa, cur ita sentiat, attulerit. Ab isto duo me præter cetera, ut dissentiam, faciunt. Primum quod Isaias in prædictis illis suis Hebraice loquatur haud sane impure: Jobi libro plurima insint admista ex peregrinis linguis, voces amplius centum, quas in sacris codicibus aliis nusquam reperias; quarum idcirco interpretatio repetenda aliunde sit. Alterum, quod nulla nota, nullum indicium legis Mosaicæ, præceptorum, sacrorum; nihil allusum eo, nulla vox, unde perspici possit non ignorasse legem ac ceremonias eum, de quo quærimus, scriptorem. Atque hæc argumentatio late profecto patet. Non enim modo Jobum confirmat ignarum vetustæ legis fuisse, ideoque superiorem extitisse tempore, aut æqualem Mosis, sed etiam ipsum operis, quisquis is sit, scriptorem. qui si nota habuisset sacra & ritus religionesque Judæorum; nequaquam sibi temperasset, quin mitteret vocem, imprudens saltem, unde proderetur quodammodo ipse atque innotesceret. Hoc adeo manifestum est ex eo, quod ne is quidem, qui Latine reddidit Hieronymus, abstinuit verbis & rebus propriis Romanorum, vel cum dixit, *cum regibus & consulibus terræ.* quanto magis excidisset scriptori Judæo aliquid Mosaicum, si posterior ætate fuisset? Verum & hæc, & alia frustra quærimus, quæ nos Deus celatos voluit. voluit autem, opinor, qui nihil aperti ad scrutandum verum reliquit.

Hujus

Hujus certe rei cognitione facile caremus, qui a Spiritu sancto profectum opus certo sciamus: quicunque tandem ab eo exceperit primus, tradideritque deinde nobis. Tantum ad cetera, quorum magis sit necessaria cognitio percipienda, Jobum sane, virum sanctissimum, quem etiam quotannis certo die venerandum proponit Ecclesia nobis, veneremur ipsi, ab eoque precibus contendamus, ut præsto sit e cœlo interpretibus rerum suarum, lumen divinum impetret ab omnis fonte luminis, suaque causa laborantes adjuvet, & ad exitum optabilem provehat.

VI. Extremum est ut universum argumentum sententiamque præmittam, de quo sic habeto. Perstringitur initio paucis summa Jobi quædam, conjuncta cum pari virtute, felicitas: tum, quæ derepente facta est atque ex improviso, fortis mutatio; cum sibi in virtute constet. Nam & privatur bonis omnibus, & in gravissimam valetudinem incidit. quæ duo non tantum fert æquo & patienti animo, sed etiam verbis excipit sanctissimis & religiosissimis; cum quidem, in naufragio universo fortunarum suarum, nihil aliud fere, nisi, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, usurpet, & in mediis ulceribus teterrimoque cruciatu, hoc modo loquatur: *Si bona suscepimus de manu Dei, quare mala non suscipiamus?* Nihilominus tamen naturæ aliquid & sensibus dolorique permittit, & queritur prima fronte vehementer atque expostulat, quod, nullius alioquin sibi conscius in vita culpæ, tantum sustineat malorum. Ex quo perobscura perque difficilis, nec ullis unquam satis explicata temporibus, existit quæstio, Jobum inter, ipsiusque amicos, quæ magna in utramque partem contentione agitatur, utrum bonis eveniat bene, & malis secus. Quod totum ut planius dilucidiusque fiat, partite sic & distincte statuo.

I. Malis male esse. Id auctoritatibus sacrarum literarum & multis in utroque testamento dictis perscriptum ac sancitum habemus. Hæc animis omnium mortalium insita notio, ut, quia videtur jus & æquum esse, ita fiat. Hæc apud omnes nationes, etiam barbaras & immanes, opinio invaluit, quæ firmari solet exemplis, & quotidiana experientia comprobari. Notant itaque historici, & recentes & antiqui, miseros ac tristes exitus sceleratorum hominum, graves ignominias, morbos insanabiles, eversiones fortunarum, mortes repentinas & inopinatas, casus alios, tam insignes interdum notis atque adjunctis suis, ut non dubium sit, quin destinato ista fiant, & certo consilio judicioque, & vi plusquam humana, non temere, nec fortuito eventu.

II. Statuo. Bonis bene esse. Cur hoc ita sit, afferre licet eadem argumenta, quibus illud evictum est prius. Atque hæc duo quamvis dicantur verissime; quia tamen non dicuntur universe, nec sine exceptione, & res distinctionis indiget; ex iis nihil elicias ἀποδεικτικὸν aut τεκμηριῶδες. valde probabiliter multa concludas. Inde prudens persuasio, divinam providentiam rebus præesse & consulere humanis. Inde plausibilis & legitima oratio, tum ad cohortandum, tum ad deterrendum: vide, ut hoc agas, illud vites, quo bene tibi eveniat, ne quid tibi mali contingat. Quod enim sæpenumero ac plurimis accidit, id merito semper singulis est vel spe-

randum, vel timendum. Sed altera duo peræque vera, quæ videntur pugnare inter se & cum primis duobus; non pugnant tamen.

III. Malis bene esse. IV. Bonis male. Hoc utrumque in omnibus retro sæculis observatum semper a plerisque, & nimis sæpe compertum ac cognitum experiendo, oculisque usurpatum. quod ne quis diffiteri possit, aut pietate fortasse nimia suspectum habere falsi, id ex sanctissimorum patrum doctrina, omnibus, qui tantisper animum attendere voluerint, patet. Ambrosius enim, Hieronymus, Augustinus, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Theodoretus, cum reddunt rationem, & causas afferunt, cur fiat ita; nonne satis clare loquuntur, satisque vehementer affirmant ita fieri? Cum autem varia promi solent ab iis, quamobrem in multas incidant miserias plerique mortales, jussu aut permissu Dei; tum hæc præcipua, maximeque insignia. 1. Ut vindicetur scelus. 2. Ut vita & mores emendentur. 3. Ut tentata & exercita probetur virtus, atque eluceat. 4. Ut afficiatur præmio. 5. Ut vir probus & integer contineat se in officio, a quo alioquin facile discedat. Denique, quod rem magis continet, nulla gens est tam scelesta, tam infamis, tamque perdita moribus, cujus non extent aliqua aliquando recte laudabiliterque facta: quæ quamvis obruantur sæpe multis & magnis maleficiis, tamen carere Deus præmio in hac vita non patiatur. Rursum nullus tanta ac tam multiplici virtute præditus tamque omnis in omni genere morum retinens officii, quin peccet aliquando aliquid, aut certo quodam in officio claudicet: quod si expietur omnino patientia malorum, quis jus & æquum non esse dicat?

Hæc ita cum sint; nihilominus ex promiscua proborum & improborum sorte ac fortuna, quæ tam præter meritum videtur, in omni memoria temporum, utrisque obtigisse, arrepta est occasio a plerisque vel tollendi providentiam divinam funditus, vel dubitandi de ea; conquerendi certe atque expostulandi: quasi indignum se ipsa admitteret aliquid, injuriam faceret mortalibus, quos, probi improbive forent, nullo haberet discrimine: imo vero sic distingueret, ut prosperitates secundæque res comitarentur malis; adversæ bonos undique circumstarent. Nonnulli apud Hebræos optimi homines in eo titubare visi, has querelas deplorare diversis temporibus. David Psalmo LXXII. Jeremias persæpe: Abacuc interdum. Secuti sunt sapientissimi Græcorum, quibus usque eo placuit hæc opinio, vel potius error, ut τὸ νεμεσᾶν, quandam quasi virtutem effecerint, cujus esset mœrere atque indignari, si quis calamitatem subiret, qua esset indignus, aut prospero statu uteretur fortunæ, nullo merito suo.

Alii, quibus illud fixum sederet animo immotumque, aliqua mundum providentia regi, & curare Deum res humanas, nec maximas tantum, sed etiam minimas; nec universis modo, sed etiam singulis prospicere hominibus, maluerunt homines, quam divinum numen, reprehendere: cum esse necesse alterutrum ducerent. Suspicati nempe sunt, bonos, quibus male res, neque unquam fere ex sententia cederet, non eos esse, qui putarentur. Hujus erant generis consolatores, amici Jobi, qui tot premi malis tamque inusitatis cum Jobum perspicerent; non eis modo viri sanctissimi virtus venit in dubium, sed fucata quoque & simulata visa est prorsus. Quare multo in ipsum iniquiores, quam si ignoti essent, fuerunt.

Ac

Ac peccatum eſt ab iſtis in eo primum, quod præcipites & temerarios præbuerint ſe in judicando: deinde quod in eadem ſententia manſerint obſtinatius, & perſeveraverint obtrectare inſonti, afflictum jam affligere. Videntur tamen eo prolapſi non ſponte ſua: ſed cum Jobus capite tertio cœpiſſet dolere & lamentari ſortem ſuam, quaſi melius ſecum actum foret, ſi aut natus nunquam eſſet, aut continuo mortuus; illi contra, perinde ac ſi ejuſmodi querelis vis & numen Dei peteretur, multa de providentia ſunt aggreſſi diſſerere; vera illa quidem, ſed quæ ad rem non admodum pertinerent. Quibus viciſſim reſpondet Jobus ita, ut etiam quæ ab iis dicuntur de providente Deo rebus humanis, exaggeret uberius: cum eo tamen, ut ſe extra culpam omnem cauſamque ponat. Atque hæc altercatio, jam inde a tertio capite orta Jobo cum amicis tribus, habetur viginti novem capitibus. Tum Eliu, amicus item Jobi, ut opinor, qui ſiluiſſet tamdiu, his ultro citroque contendentibus, verba facit ſex capitibus totis, in quibus primum Jobi amicos acerbius, deinde Jobum ipſum redarguit: illos, quod non æqua, nec ſatis idonea attuliſſent contra Jobum; condemnaſſent tamen: hunc, quod adverſus Deum, in cauſa tuenda, & aſſerenda innocentia, dixiſſe videretur. Quare idem fere, quod ceteri, diſputat de Deo, deque Jobo: videndum utrum rationibus aliis aut firmioribus. Ad extremum agit Deus ipſe pluribus verbis de ſua poteſtate, & ſapientia, & juſtitia, quæ non videatur Jobus ſatis agnoviſſe; utpote qui integritatem atque innocentiam ſingularem ſuam venditet tantopere: quivis ut ſibi facile perſuadeat, eum injuriose tractari. quibus pauca demum Jobus ſubjicit, ac veniam deprecatur. Ultimo capite pronunciat Deus quaſi ſententiam: varie tamen ac diſſimiliter. Trium amicorum dicta improbat. Jobum illis, quem reprehenderat antea graviter, præponit nihilominus. de Eliu tacet. ſua Jobo duplicia, quam poſſederat, reſtituit, ut altero tanto ſit, quam unquam fuit, locupletior ac ditior.

Sed hactenus operis totius argumentum. Sequentur, ſuis quæque locis interpoſita, ſingulorum capitum argumenta. quod omiſiſſem facere, contentus iis, quæ ſacro in codice habentur; niſi hæc ipſa laborarent vitio duplici, & dictio eſſet inemendata paſſim, & ſententia in nonnullis rem non attingeret.

EX

MENOLOGIO GRÆCORUM.

Maii 6.

Τοῦ ἁγίου καὶ δικαίου, Ἰὼβ τοῦ πολυάθλου.

EX

MARTYROLOGIO ROMANO.

Maii 10.

In Terra Hus Sancti Job Prophetæ, admirandæ patientiæ viri.

LI-

LIBER JOB

CUM POETICA METAPHRASI.

CAPUT PRIMUM.

Jobus, singulari vir probitate, ac divitiis abundans, liberisque decem auctus, pro iisdem una epulantibus, ne quid inter vina, ut fere fit, peccent, sacra facit. Sed ecce subito, id agente satana Dei permissu, liberos & opes amittit: quod utrumque Deo qui dederat, lugubri sumpto habitu, summa tamen cum æquitate animi, resignat.

1. VIR erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo:
2. Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ.
3. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

4. Et

1. Us ubi palmosæ tellus se adjungit Idumæ,
Cœlestes metuens iras, & crimina longe
Vir fugiens, rectusque, ac fallere nescius astu,
Sedem habuit rerum, & patriis tentoria castris.
2. Jobo nomen erat: conjux quem cara parentem
Septenis fecit pueris ternisque puellis.
3. Huic famuli & famulæ, & vernarum maxima turba
Villæ & agri, atque operum vis ingens, atque laborum,
Immensique greges, immensa armenta redibant:
Millia balantum septem, ter mille cameli,
Quingentæque asinæ, bis quingentique, subacta
Concordes jam ferre jugum cervice, juvenci.
Usque adeo in populis auroræ Jobus, abundans
Arvorum pecorumque, omnes cultu ubere vicit.

4. At

EXPOSITIO CAPITIS I.

1. IN TERRA HUS. Terram Hus recte vulgatus interpres noster reddidit: ut & Septuaginta in editione Complutensi, & Aquila ex Hebræo, ἐν γῇ Ὂς. At in codice Sixtiano habetur, ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι, voce magis ad consuetudinem Græci sermonis inflexa. quod Græci patres deinceps sunt constanter secuti. Hus autem, sive Ausitis, regio in Galaaditide ac Peræa sita. Extremo capite quadragesimo secundo additum, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας, gens ut hæc sit confinis Idumææ & Arabiæ. Quæ causa forsan est, quamobrem Jobum alii fecerint Idumæum, alii Arabem; cum neuter sit, sed finitimus utrique. Idumæos certe incoluisse terram Hus ait Jeremias, lamentat. c. IV. v. 21. Hanc nihilominus in Arabia collocat Chrysostomus in catena, & apud Chrysostomum quisquis auctor est sermonum quatuor in Job. Sed meminisse nos oportet, Arabiæ nomen latissime propagatum postea fuisse: adeo ut Syriæ quoque partem comprehenderet: siquidem contributa fuerit Damascus Arabiæ. Porro ibi, in Arabia, inquam, natum Jobum fuisse volunt eo libentius, quo admirabilius sit, Joboque gloriosius, vixisse bonum inter malos. In tam corrupta enim tamque corruptrice provincia, esse una multum & versari sic cum improbis, ut nulla contagio sceleris contaminet, magnum quiddam est: majus vero, ortu ipso nihil ab infecta & vitiosa origine labis hausisse. Eo fere pertinet illud oratoris: *Oculata est Asia. Non Asiam nunquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse, laudandum est.* Quod ait Didymus in catena: Αὐσίτις δηλοῖ ἑρμηνευομένη, βουλὴ τὴν ἰσχάδα φυλάσσει: expunge hoc postremum. Non enim Græca lingua Ausitis *consilium*, sed עוץ *Hus* Hebraica significat.

NOMINE JOB. Sunt qui censuerint idem esse nomen Job, atque Jobab: mera hallucinatio. Voluerunt alii Job appellatum, qui appellaretur Jobab prius: divinatio. Novimus Abrahamum, Israelem, Petrum, Paulum, mutasse nomen: sacræ literæ tradunt; prætereaque causam mutationis afferunt. Cedo, ubi, sacris in literis, hujus duplex nomen tradatur fuisse? Negas ergo, inquies, hunc illum ab Esau, mala stirpe, bonum prognatum, cui nomen Jobab fuit? Non equidem nego: sed conjecturam, cum nihil verisimilius occurrat, non respuendam dico, quam Aristæus apud Eusebium quidam, primus, quod sciam, fecerit; reliqui ab eo, qui idem sentiunt, scriptores duxerint.

ERAT VIR ILLE. Congeminata dictio, *vir*: quæ dignitatem habet. Congeminata quoque ab interpretibus LXX. sed vilior, & ignobilior, ἄνθρωπος: cum melius Hebræo איש *isch*, respondeat ἀνήρ.

SIMPLEX ET RECTUS. Nihil hic libet argutari: tantum dico, candidum, sincerum, & antiquæ virtutis ac fidei hominem, justum erga alios, pium in Deum, aversum ab omni ratione mali, declarari his verbis: nullum viri insigniter probi officium non contineri.

2. NATIQUE SUNT EI SEPTEM FILII. Etsi vulgo quasi proverbium jactetur, liberorum multitudinem divitias esse pauperum, paupertatem divitum: ea tamen in bonis semper numerata est ab Hebræis, ab Orientis populis, ab veteribus illis antiquis, præsertim quorum fortunæ & opes in pastione & aratione consisterent. Nec omisit Aristoteles πολυτεκνίαν, cum in rhetoricis partes recenseret felicitatis humanæ: nec mares modo volui a parentibus, sed feminas quoque suscipi: quæ si ipsæ minus instructæ forent virtutibus animi & corporis idoneis, mancam atque imperfectam, ac pæne minorem dimidio, felicitatem futuram parentum.

3. ET FUIT POSSESSIO EJUS. In Hebræo מקנה *mikneh*, possessio quævis, sed pecuaria maxime, quæ erat ei ampla. quod idem infra v. 10. vox eadem sonat: *Et possessio ejus crevit in terra.*

QUINGENTA QUOQUE JUGA BOUM. Rem ei rusticam quoque, & grandem, & bene cultam fuisse, argumento est, quod tam multis jugis araret.

QUINGENTÆ ASINÆ. LXX. θήλειαι ὄνοι νομάδες, feminæ asinæ, quæ pascunt: credo quod non tantum ad vecturam & alios usus, sed etiam ad foeturam alerentur, gregemque supplendum.

ERAT VIR ILLE MAGNUS. Nec Hebræus, qui, *magnus præ omnibus Orientis filiis*; neque Græci, qui, εὐγενής, habent, satis indicant, qua ille re magnus. Quanquam indicio majore quid opus est? magnus agricultura, gregibus armentorum reliquique pecoris: magnus, quod rem cum haberet, ac floreret liberis, nihilominus pietatem, justitiam, ceteras virtutes, sincere atque ex animo coleret.

4. UNUS-

4. Et ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.

5. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

6 Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit etiam inter eos Satan. 7. Cui

4. At nati inter se revoluto sæpe coibant
Tempore, perque domos læti convivia agebant;
Perque vices. Ipsas festa ad condicta vocare
Mos erat, exsortesque epulis adhibere sorores.

5. Interea emenso genitor pius orbe dierum;
Postquam dona dapum curassent mutua fratres;
Mittebat, sacris juvenes qui rite piatos
Lustraret præsens, & viva spargeret unda;
Ipse domi in flammam dum matutinus opimas
Septeno totidem pecudes pro pignore mactat:
Multa putans: Ah ne scelus, inter vina jocosque,
Corde agitent pueri, neu linguam ad jurgia solvant!
Ah ne sacrilegis violent pia numina votis!
Hunc habuere suum mores & vita tenorem:
Hæc pietas patrem & pulcherrima cura coquebat.

6. Forte citi, aligerum genus immortale, ministri
Convenere Deum: quos adstitit inter & ipse

7. Dæ-

4. UNUSQUISQUE IN DIE SUO Optime noster interpres, & assecutus omnino codicem Hebraicum איש יומו *isch jomo, vir die suo*, id est, singuli, die suo. Hoc & Complutenses. *ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, sua quisque die.* Inibant convivia vicibus factis, & celebrabant dapes constituta die. At Græci codices alii quidam, ut Sixtianus, & in catena, & apud Origenem, ubi habetur *καθ' ἑκάστην ἡμέραν*, aberrant a sensu quam longissime. Neque enim, Sybaritarum more, quotidie geniales instaurabant epulas: aut sanctissimus eos pater, cui tantæ liberi curæ erant, ut ex consequenti versu constat, ita erudiit. Nisi forte illa hic præscriptio moderatioque teneatur, ut diebus septem quidem continuis, fratres cœnam & convivia fecerint, sorores obiverint invitatæ, postea tamen aliquot dierum moram interposuerint, atque epulari intermiserint. Tametsi ne sic quidem continuatis vicibus epulatos necesse est dici: cum solegisse dies festos & vacuos eusque interruptos, potuerint celebrandis conviviis. Sunt vero qui *diem suum*, non dictum diem ad arbitrium, sed diem natalem interpretentur, quem agerent isti quotannis, & quo die natalitia darent inter se: quemadmodum Jobus deinde maledixit diei suo, id est, natali. Quorum ego sententiæ eo libentius accessissem, quod nihil hoc pacto per luxum fiat & præter morem, totaque res epularis ad septem in anno dies contrahatur.

5 CUMQUE IN ORBEM. Non dubito, quin Jobi filii tanto patre auctore & magistro morum honestatem, & modestiam, & cum sobrietate pietatem in conviviis retinuerint. Sed quoniam lætitiæ convivali multa insidiari solent, risus, clamores, dicteria, obtrectatio, ira, rixæ providendum fuit optimo patri, ut, si quid tale excidisset imprudentibus, elueretur noxa, Deus placaretur. Itaque transactis cujusque partibus, *mittebat ad eos, & sanctificabat illos*, id est, mittebat ad singulos, qui admoneret verbis suis, tum ut se ipsi expiarent, tum ut ad sacrificium, quod esset facturus, compararent se. Fiebat utrumque certis quibusdam ritibus ac ceremoniis apud Hebræos, etiam ante legem latam: ut abstinerent cibo, abstinerent ab re nuptiarum, mutarent, lavarent vestimenta, Genesis XXXV. 2. *Mundamini ac mutate vestimenta vestra.* Exod. XIX. 10 15. *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras; laventque vestimenta sua.*

OFFEREBAT HOLOCAUSTA. Ea tempestate, & in omni superiore memoria, quisque sibi paterfamilias Levita, sibi sacerdos, rem divinam pro se ac suis faciebat: Jethro, Jacobus, Abrahamus, Noe, Cain & Abel. id petito quoque hunc argumento probari solet. Post legem autem latam, quemlibet sibi de populo, in esu agni paschalis, esse pro sacerdote, auctor est Philo Judæus multis in locis.

PRO SINGULIS. Ut victimarum numerum æquaret cum filiis. Fit enim in Hebræo, *pro numero omnium suorum*, & apud LXX. *κατὰ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν.*

DICEBAT ENIM INTRA SE. Cura optimo patre digna, & pia sollicitudo de liberis: non ut exigue præbeat ipso ad sumptum, non ut eis nihil desit ad lautitiam & delicias epularum, neque ut adhibeant temperantiam in cibo & potu, neque ut ne faciant quidquam indecentius aut loquantur; sed ut ne tacita quidem cogitatione, vel leviter erga Deum delinquant.

NE FORTE. Imperfecta paulum oratio, quæ ita perficienda sit: Quam metuo ne quid filii peccaverint!

BENEDIXERINT DEO IN CORDIBUS SUIS. Multiplex Hebraicæ vocis expositio: eadem tamen sententia, ut erratum aliquod, cui pater a Deo veniam peteret, intelligatur. Prima est, ut vere ac proprie significet, *maledicere*, in conjugatione quidem *piel*, significatu conjugationi *kal* prorsus contrario. qua ratione Hebræorum grammatici notant verba quædam hic, aut originis contraria suæ, aut aliis conjugationibus significare, ut שרש *schereſch*, eradicavit, a שרש *schoreſch*, radix ut חטא *chata*, peccavit in *kal*, in *piel* חטא *cheta*, expiavit, & similia non pauca. Quod si ita est, vulgatus interpres minus recte, *benedixerint*, reddidit. Propius absunt a vero LXX. qui *ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτῶν κακὰ ἐνενόησαν πρὸς τὸν Θεόν*, reddiderunt.

Altera expositio est, ut revera vox hæc valeat, & sonet, *benedicere*, in eamque sententiam accipiatur, quasi si quis vel superbia, vel per scelus aliud aliquod aut flagitium, bene Deo dicat, atque ita loquatur: Gratia magna Deo: bene poti domum redimus, voluptatibus potiti sumus, prædas fecimus ingentes, mirifice ulti nosmetipsos sumus. Sed hoc, meo quidem judicio, violentum est ac longe petitum.

Expositio tertia est, dici isto loco, ut duobus consecutis, & 1. Reg. c. XXI. v. 10. *benedicere*, sed intelligi, *maledicere*: quod nefas habuerint Hebræi, pronunciare ominosam rem & execrandam; eademque fuerit religio interpreti nostro. Utut est de vocabulo, ad rem quod attinet ei subjectam, fateor quidem patrem veritum ne quid filii mali fecerint: sed nolim, quod est durius, ne maledixerint: hoc velim, quod mollius est, ne non benedixerint. Quid habet probabilitatis, ut optime instituti moratique adolescentes, & in patris sanctissimi disciplina educati, jecerint in Deum maledicta, tantumque hoc sceleris admiserint? At periculum esse potuit, ne læderetur pietas utcumque, si Deum initio non agnoscerent datorem bonorum, si ad extremum gratias non haberent, si de eo ne cogitarent quidem, interim dum opipare & hilarem in modum epularentur. Hoc metuebat pater filiis, hoc ab eis deprecabatur, hoc expiabat ipse, & expiari per eosdem volebat: denique sollicitus erat, & angebatur metu potius, ne quid omisissent, quam ne quid commisissent. Suggessit hanc interpretationem nobis Chaldæus, qui sic fere interpretatus est: *Ne forte peccaverint filii mei, & non oraverint in nomine Domini in cordibus suis.*

En primus ac felix Jobi status, & quo loco res ejus essent, antequam oppugnaretur a satana. Sequitur direptio, conflagratio, cædes, ruinæ, servorum & liberorum amissio.

6. QUADAM AUTEM DIE CUM VENISSENT FILII DEI. Traduntur de angelis duo quædam præcipua, quibus quasi fundamentis superstrui alia quamplurima videmus. Primum est, præpositos esse a Deo custodes ac præsides, tum regnis & civitatibus universis, tum singulis hominibus, angelos, quos idcirco bonos appellant. Alterum est, his bonis malos adversari, qui de peste & exitio mortalium assidue cogitent, illuc omni cura incumbant, quidvis ad eam rem moliantur. Ex capite hoc duplici reliqua inferas, quæ auctoritatem habent in sacris literis, quæque, sicuti fiunt inter nos, ita facta apud angelos, humano more ac modo describuntur: conventus agere inter se deliberandi causa, controversari, & alios aliis resistere interdum. His cœtibus alias præesse Deum: satanam intervenire aliquando, altercari, potestatem sibi fieri velle insidiandi hominibus, eorumque tentandi fidem, constantiam, fortitudinem. quæ omnia partim hic, partim apud Danielem reperias c. IX. & X. partim apud Zachariam c. III. & in epistola Judæ. Illud est proprium hujus loci, quod accessisse dicantur

ad

6. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram; & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum:

8. Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Cui respondens Satan, ait:

9. Numquid Job frustra timet Deum?

10. Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra?

11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. 12. Di-

7. Dæmon, infelix dæmon. Hunc talibus ultro
Rex superum invadens: Nam quo novus advena ab orbe
Improvisus ades? Quantum est telluris, obivi,
Atque oras, ait, extremas, atque æquora vili.
8. Tum Dominus: Jobum vidisti, ut justa capessat
Nostra libens? frustra ut quisquam certaverit illi
Terrigenum? timeat numen? sit criminis expers?
Et recti servans, & aperto pectore simplex?
9. Sic Deus. ast hominum contra sic rettulit hostis:
Te metuit Jobus nequicquam, credo, neque ulla
10. Te mercede colit? non tu munimine forti
Vallasti circum assistens ipsumque, domumque,
Fortunasque omnes? non olim incepta beasti
Prima viri lætis successibus? integra mansit
Non sua res illi, proventu & divite crevit?
11. Verum intende manum, &, quæ plurima possidet, aufer.
Fallor ego, aut coram tibi in os convitia dicet.

12. Hæc

ad Deum, atque ejus in conspectu adstitisse: quasi legati, qui accurrant ad Deum, seque sistant coram, aut ab eo mandata accepturi, aut quæ fecerint, renunciaturi: toti conversi ad nutum principis, toti præsto ad omnia.

Quo in loco Deum angeli convenerint, ambigitur. Non in cœlo certe: neque consentaneum videtur eo Satanam aspirasse denuo, unde semel ejectus sit. In aere igitur, aut in terra: & in regione quidem Hus, aut in vicinia. quæ loci ratio admonuerit, ut de Jobo potius, quam de alio quovis, mentio fieret.

7. Cui dixit Dominus: Unde venis? Instituitur dialogus Deum inter ac Dæmonem per μιμησιν quamdam, concluditurque sex versiculis.

Circuivi terram. Interrogatus Dæmon a Deo, quo ex loco veniat, non uno se ex loco, sed ea omnibus respondet venire: quippe qui totam lustrarit terram, omnes angulos scrutatus sit, nocendi studio. Illud huic dicto dictum Petri 1. 5. 8. convenit: *Adversarius vester diabolus circuit, quærens quem devoret.*

8. Numquid considerasti. Hebræus, *Posuisti cor tuum.* LXX προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου. Vulgatus brevius, æque significanter, *considerasti.* En quanti sit vir pius ac probus, quo nihil spectabilius, cum multa visenda sint orbe toto terrarum; quique solus Dei oculos quodammodo pascat, & attentionem moretur.

Quod non sit ei similis in terra. Dixerat dæmon peragratam a se terram fuisse: Deus, In terra, inquit, quam peragrasti, estne quisquam, qui cum Jobo conferri possit? Jobus & Joannes nacti ambo Deum præconem laudum suarum, elogio ferme pari: Jobo nullum usquam sum parem esse: Joanne majorem nullum unquam ante id tempus fuisse.

Simplex et rectus. Ter id prolatum: semel primo versu: iterum octavo: tertio, cap. II. vers. 3. Pertinent ad hosce tres locos illa quæ observavi. Primo usum interpretem nostrum iisdem verbis sæpius, ut Hebræus scriptor est usus iisdem suis: ab interpretibus autem LXX. variatum nonnihil, ἀληθινὸς, ἄμεμπτος, ἄκακος, ἄμωμος. Deinde hoc vulgati interpretis, *simplex*, id est, verax & doli expers, videri aliud, aut angustius, quam illud Hebraicum תם *tham*, quod perfectionem sonat. Nihilominus tamen Aquilam & Theodotionem ἁπλοῦς, idem quod noster, reddidisse. Postremo hæc ab Hebræo scriptore jungi solita Deo. תם וישר *tham vejaschar*, hic & psalmo xxv. v. 21. & prov. 11. 3.

Rectus. Eadem voce Hebraica, & eodem intellectu quo dicitur psalmo cxxiv. v. 4. *Benefac rectis corde.* Contra autem quod sequitur: *Declinantes in obligationes.* ubi legendum, *obliquationes*: ut quæ recte, quæ oblique feruntur, contraria sint. Volunt hoc Hebræa, עקלקלותם *bakalkalotham*, *tortuositatibus suis.* LXX. Τοὺς δὲ ἐκκλίνοντας εἰς τὰς στραγγαλιάς, *versutias.* Quod si forte placet obligationes, feramus sane: sed ita ut ligationes, quæ flexuosæ & tortuosæ sunt, non ut ea, quæ debeamus facere.

Timens Deum. Frequens interpretum & vulgaris observatio, timere Deum, timorem Dei, Deum timentes, Hebræorum lingua pro adoratione, & reverentia, & cultu Dei, ut plurimum poni. Atqui non solum id Hebræis convenit, sed est omnium aliorum. Orator enim II. de invent. *Religionem*, inquit, *eam, quæ in metu & ceremonia deorum sit, appellant.* Et lib. de senect. *Vos tamen Deos verentes — memoriam nostri* *pie inviolateque servabitis.*

9. Numquid Job frustra. Frustra ac sine causa, generatim dicitur. Sed ex consequenti versu, frustra, illud intelligitur gratis, sine præmio & emolumento, nullo fructu. Cic. II. Tusc. *Cur frustra turpes esse volumus?*

Timet Deum. Arripuit dæmon unam ex virtutibus Jobi ad reprehendendum, pietatem adversus Deum; cum Deus alias protulisset ejusdem: vel quod hac ceteræ contineantur virtutes, vel quod hæc propius Deum attingat. Timere Deum, & hic & supra nihil est aliud, quam quod dixi, venerari, colere, revereri. Multi sunt autem modi ac velut gradus pietatis, accepti Deo omnes & probati. Primus est, si quis Deum colat & honore singulari prosequatur, quod omnibus naturis antecellat. 2. quod ab eo beneficia acceperit. 3. ut accipiat sive temporaria, sive æterna. 4. ut ne quid mali vel hac in vita, vel in altera subeat. Hæc, inquam, omnia agnoscit, & probat, & admittit Deus, & virtutes ac bene erga se facta interpretatur: etiamsi utilitatem sequamur nostram, serviamus nobis, causa nostra laboremus. Ac vide quanta Dei sit bonitas, & quam longe ab isto homines, imo quam contra faciunt. Si quis, de altero cum bene mereatur, proponat emolumentum sibi, & inserviat rebus suis; quotusquisque sibi hoc beneficium imputet, ac non mercenarium, illiberale, nihilque ad se pertinere existimet? Itaque apud Deum locum non habet, quod vulgo fertur & obtinet in humanis. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Ac ne illi quidem mali, quos a scelere pœnarum terror deterret ac refrænat, nec eos a se Deus aspernatur. Nisi forte ita animo & voluntate comparati sint, ut, si pœna absit, facere facinus cogitent, seque ipsa velint. Atque hoc loco dæmon hominum more locutus: vel nullam esse virtutem Jobi vult, quasi nihil Jobus Deo præstet, qui tot bonis cumulatus prætier: vel, quod reor magis, perexiguam; neque vero tantam, quantam prædicare Deus videtur. Porro, quia quod revera Jobi est, negare dæmon non omnino potest; minuit: & quia reprehendere factum non potest, consilium criminatur.

10. Nonne tu vallasti eum. In Hebræo significantur שכת *sacHta*, *posuisti sepem.* Ceterum satis constat, quam præclare cum iis, quos Deus diligit, & caros habet atque eximios, agatur. Tutus, clausus, septus, munitus, Jobus divinis præsidiis: domi prospera omnia: fortuna respondet labori: crescunt opes incredibiliter.

11. Tange. Qui tactionem exponunt, leviorem inflictam plagam aut infligendam; quasi cum Deus tangere dicitur; etsi malum sit gravissimum, leve tamen videri debeat præ eo, quod alias infert, aut inferre potest, quod tantum tangere dicatur: illudunt & sacris literis, quas interpretantur, & populo, cui has nænias ingerunt. Idem faciunt, qui alios a brachiis, alios a manibus venientes ictus distinguuntur. Sexcenta sunt ejusmodi, quæ dicantur futiliter, & sacra dehonestent; fidem abrogent in aliis, ac minuant auctoritatem. Cum hoc autem dæmon loquitur, petitque a Deo, ut tangat; vult hanc sibi dari provinciam, deposcitque Jobum quodammodo ad pœnam. Id ex Dei responso patet: *Universa, quæ possidet, in manu tua sunt.* Par & geminum aut affine certe illud: *Expetiit vos Satan, ut cribraret.* Expetit a Deo sibi, quos tentet ac vexet, homines. quam facultatem modo impetrat, ut supra: modo, ut hic, non obtinet. facile ut appareat ea unius Dei nutu pendere omnia: neque liberum dæmoni & integrum esse, ut ullum mor-

Hhh talium,

12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini.

13. Cum autem quadam die filii & filiæ ejus comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,

14. Nuncius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos,

15. Et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus ut nunciarem tibi.

16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit: Ignis Dei cecidit e cœlo, & tactas oves puerosque consumpsit, & effugi ego solus ut nunciarem tibi.

17. Sed & illo adhuc loquenti, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos, nec-
non

12. Hæc fremit. At Dominus placido sic annuit ore:
Cuncta tui arbitrii per me res illius esto.
Tu ne tange virum, corpus neque vulnere læde.
Nec plura his. Domini dæmon se avertit & aufert
13. Ex oculis. Ergo Cereri, gratoque Lyæo
Nati operam nataeque dabant, quos maximus ævi,
Sorte sua, frater mensa dignatus & escis.
14. Nuncius it Jobo: Subigebant vomere duri
Arva boves: juxta tondebant pascua asellæ:
15. Irrupere viam, rapiuntque feruntque Sabæi
Omnia, dantque neci famulos. Ego solus ab omni
Evasi numero, & sospes tibi nuncius adsto.
16. Tantum effatus. Et alter ait: Summo æthere præceps
Flamma ruens, afflavit oves, oviumque magistros.
Usti homines, ustæ pecudes. Ego solus ab omni
Effugi numero, & sospes tibi nuncius adsto.
17. Vix ea dicta. Dehinc sese cum vocibus offert
His alius: Ducunt equitum triplici agmine turmas
Sævi Arabes: raptos vertere ad tecta camelos:
Cus-

talium, nisi Deus potestatem fecerit, adoriatur. Jam quo dæmon odio flagret hominum, qua feratur invidia in eos; quanta malitia criminetur, quam nullum tempus prætermittat insidiandi, nullum finem faciat: non aliunde magis in sacris literis, quam ex isto loco, perspici potest. Quo etiam loco, utrum nullum sit cujusquam hominis maleficium ac scelus, quod non adscribi vere ac proprie dæmoni possit, ut auctori impulsorique, in controversiam vocatur. atque est qui aiat; cum plerique negent, & recte, ut opinor, negent. Primum quæ animo duntaxat ipsi & cogitatione vitia concipimus, ut eorum nullo modo, si volumus, est conscius, ita suasor esse non potest invitis. Deinde quæ erumpunt foras, ea non video cur millesimam partem non ignoret. Ad eam rem vide locum hunc, *Homicida fuit ab initio*, & interpretes optimos quosque hujus loci.

NISI IN FACIEM BENEDIXERIT TIBI. Ut manca erat illa prior oratio, quæ restituta fuit, *Ne forte peccaverint:* sic aliquid hic subaudiendum, ut sententia loci nutet aut pendeat. Male mihi sit, disperеam, nisi tibi male dicat in os, & opprobret, & ingerat convitium. Hebraismum nonnulli volunt esse, & proprium linguæ illius: quibus adeo non assentior, ut contendam omnes sic, quovis sermone & lingua, loqui solere. Tange modo illum digito extremo; si non impingam colaphum tibi.

IN FACIEM. Id est, coram, in os, palam ac manifesto. Didymus φανερῶς, *aperte*. alius φανερῶς, ἀναιδῶς, *luce palam, impudenter*. Hoc, *in faciem benedixerit*, ei dicto, *benedixerint in cordibus suis*, respondet. Bonus verebatur pater, ne quod liberi tacite secum conciperent scelus. Affirmat Satanas fore, ut Jobus non jam animo & cogitatione admittat contra Deum aliquid, sed præsenti & audienti, ore impuro & scelesto, maledicere non dubitet. Itaque sententia totius loci hæc est: Magnum vero Jobus facit, si te colit, omnibus copiis abundans. adversis probanda fides & constantia. fac autem periculum: senties, quam se tibi mutet, quamque te statim execretur. Atque hunc videtur locum Thomas Aquinas ad verbum nimis, non ad sententiam, ut par erat, accepisse. *Nisi in speciem tibi, non ex animo benedixerit.* Interpreti haud sane malo imposuit tamen convenientia vocum Latinarum, *in faciem, in speciem*, quem Græca & Hebraica errore liberare potuissent.

12. DIXIT ERGO DOMINUS AD SATAN. Proxime supra dæmonis in homines malevolentia, quæ revera est voluptas ex malo alterius, sine emolumento suo. Sed hic ejus quoque summa imbecillitas atque infirmitas vinum agnoscitur, cui nihil de nobis liceat, nisi quantum Deus permiserit; permittat autem interdum plus, alias minus, arbitratu suo, neque unquam amplius, quam vires humanæ, etiam ipso adjuvante, ferre possint.

TANTUM IN EUM NE EXTENDAS MANUM TUAM. Permittitur dæmoni potestas a Deo sæviendi in Jobum. Excipis tamen Deus, ut ne ipsum attingat. hoc est, ut ne corpus violet, imminuat vires, valetudinem debilitet; cetera, quæ sunt corporis, infringat.

13. CUM AUTEM QUADAM DIE. Ecce tibi direptio, cædes, inflammatio, ruinæ. Et ventis, & fulminibus, & prædonum opera dæmon utitur, ut omne genus calamitatum Jobo infligat. Quæ singula diversis forsan diebus, ut locis, transacta: sed eodem die, imo eadem hora, nunciata, tametsi tum evenerint, vel potius tum renunciata sint, cum apud fratrem maximum natu, epulæ alii fratres cum sororibus accumberent.

14. NUNCIUS VENIT AD JOB. Subiti Jobo adversi nuncii quatuor afferuntur. unus hic, ad agricolationem & pastionem qui pertineat.

15. IRRUERUNT SABÆI. In Hebræo ותפל שבא vattipol seba. Ad verbum Complutenses, *irruit saba*. Statim explicat, οἱ αἰχμαλωτεύοντες ᾐχμαλώτευσαν. Hus interjecta regio inter Sabæos ad dexteram ac meridiem, & Chaldæos ad lævam & Aquilonem. Concitati Sabæi a dæmone contra Jobum, ut excursionibus & latrociniis grassarentur, & impetum facerent ex improviso. quippe cum & festos dies agerent, & epulas celebrarent Jobi liberi; & securi tum aratores, tum pastores viderentur rerum suarum. Neque contenti præda duplici sunt, boum & asinarum: sed colonos quoque ipsos medio in opere; pastores, dum pascerent, ferro crudelissime trucidarunt. Sabæos autem Polychronius Saracenos interpretatur, quorum tunc, opinor, & longo post intervallo, neque nomen, neque gens erat.

TULERUNT. Quinetiam cum diligentissimus & agricola & pecuarius Jobus esset, ejus in arationes venerunt Sabæi, omne instrumentum diripuerunt, necaverunt familias, pecus abegerunt.

EVASI EGO SOLUS. In Hebræo idem congeminatur רק אני לבדי rak ani lebadi, tantum ego, solus ego. Non temere est quod tres quatuorve nuncii afferuntur, sub idem tempus, iisdem ferme verbis: *Et effugi ego solus, ut nunciarem tibi*: eo ordine, ut acerbissimus quisque posterius audiretur. Pertinebant enim hæc ad urendum magis hominem. Ex his quoque liquet, non fortuito hæc illum accepisse calamitates, sed ex compacto ab uno vel dæmone immissas, vel Deo permissas. Hoc etiam acerbius ad dolorem, quod significatur unus aliquis effugisse ex tantis miseriarum incendiis, eo consilio, ut nuncios Jobo tam tristes deferret: non autem tantummodo salvos & incolumes a calamitate servatos, deinde rem nunciasse. Nam quod in ceteris valet ad faciendum dolorem, & ad acceptam cladem exaggerandam, ut ne nuncius quidem calamitatis superfuerit; id contra fit hic, nihil ut sit insignius ad calamitatem, quam quod e maximis & miserrimis naufragiis fortunatum omnium, reliquus semper ac superstes unus aliquis fuerit, qui singula identidem referret.

16. CUMQUE ADHUC ILLE LOQUERETUR, VENIT ALTER. Sed non minimus dolor est, quod spatium colligendi sui Jobus non habet, mentemque contra quodlibet malum, ubi de eo primum audit, firmandi. Interveniunt enim derepente nuncii, & alius alium quasi interpellat. Sic ut obruatur Jobus non magnitudine solum, sed etiam multitudine, & instantia, nexuque calamitatum, quæ nihil intermittant.

IGNIS DEI CECIDIT E COELO. Nihil vero, quominus ignis Dei intelligatur ex more Hebræorum ingens ignis, ut montes Dei, flumina Dei, & similia. Quanquam latius dicitur, ignis magnus, neque satis finire, quis ille ingens ignis, lapsus e cœlo, naturalisne, an præter ordinem rerum. Nec places ignis a Deo missus: neque enim necesse

non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus ut nunciarem tibi.

18. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

19. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus ut nunciarem tibi.

20. Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua: & tonso capite corruens in terram, adoravit,

21. Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

CAP.

Custodes ferro obtruncant. Ex omnibus unus
Sospes ego, ac nimium verus tibi nuncius adsto.

18. Dixerat ille. Et jam pulsat crudelior aures
Nuncius: Accumbunt epulis, & corpora curant
Dum nati ac natæ, quos tunc penetralibus altis
Convivas frater dulces primævus habebat:

19. Ecce repente ferox & aquoso immitis ab Austro
Venit hiems: concussa domus latera omnia sidunt.
Deprensi media nati nataeque ruina,
Sub trabibus posuere animas. Ex omnibus unus
Sospes ego, ac nimium verus tibi nuncius adsto.

20. Jobus ad hæc surgens vestes de more comasque
Abscidit, & strato supplex ac numen adorans

21. Corpore, Nudus, ait, miserandæ matris ab alvo
Infans exivi: nudusque revertar eodem.
Prolem & opes idem Dominus dedit, abstulit idem.
Ut placitum Domino, factum: sua magna sit olli
Gratia: laus ingens rerumque hominumque potenti.

22. Turpe nefas Jobo nullum temere excidit ore:
Nulla, Deum contra, demens verba impia fudit.

CAP.

se est rem acerbiorem facere. Malim ego ignem Dei, fulmen interpretari, quod jactus fulminis Deo adscribatur, ac divina vis, & efficientia, cœlesti fulmine & ictu declaretur, & elucescat magis. Quod si tamen fulminis ictu unum aut alterum aliquid deflagret, non grex unquam totus cum custodibus percutiatur?

TACTAS OVES. De cœlo percussas, sive istas vi fulminis. Orator III. in Catil. 19. *Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus.* Qui locus a Servio citatur in illud poetæ, *De cœlo tactas quercus*, atque exponitur, leviter fulminatas. Non recte, quantum ego existimo: neque Romulus leviter fulminatus, cujus statua dejecta loco, in quo collocata esset. Quoddam nimirum genus est verborum, quod cum leve esse & tenuis ac parvi incommodi, ut Gellius ait, videatur; grave tamen sit, & atrox, atque violentum: ut tangere, ut pulsare, ut vexare, ut ferre.

17. CHALDÆI FECERUNT TRES TURMAS. Hebræa שמו שלשה ראשים *sumu schelosche raaschim.* LXX. Sixtini, οἱ ἱππεῖς ἐποίησαν ἡμῖν κεφαλὰς τρεῖς. Complutenses, Χαλδαῖοι, ἐποίησαν τρεῖς ἀρχάς. Illi, duces sive ductores innuunt: noster interpretatur, turmas, quibus duces præfecti. Agmen tripartito divisum. Equestres copias volunt Chaldæorum LXX fuisse: quasi Sabæorum pedestres fuerint. ut turma, cohors, quævis armatura, Jobum oppugnarit.

TULERUNT. Erudita vox interpretis vulgati, & clara satis ideoque non mutanda in *prædati sunt*, nedum in *deprædati*, quæ Latina non est: pro *diripuerunt*.

19. REPENTE VENTUS VEHEMENS IRRUIT A REGIONE DESERTI. Repentinus vehemensque ventus qui flaret e trans desertum, hoc est, vel ex vasta planitie & camporum patentibus æquoribus, ubi neque ædificia, neque nemora vim venti infringerent ullo sui opposito: vel ex deserto Pharan, qui mons ei sit loco situs ad meridiem. Is porro ventus tempestatem oportet excitarit maximam: ut conclave illud, in quo Jobi liberi epularentur, ac tota domus concideret; ea ruina oppressi liberi cum reliqua familia interirent.

20. TUNC SURREXIT JOB. Tunc, in tanta solitudine & orbitate liberorum, in tanta spoliatione omnium rerum.

SCIDIT VESTIMENTA SUA. Cave putes iratum fecisse, atque impotenti animo, ut discinderet vestem, capillos raderet. Is mos patrius in luctu domestico & jactura suorum: hæc quasi lugubria quæ sumebant. Est mulierum aut virorum muliebriter ejulantium, solvere comam, vellere, laniare genas, tundere pectus pugnis, sterni projectos corpore toto terræ, discindere amictus. Eorum autem qui res adversas tolerantes atque humane ferant, scindere vestem & abjicere se humi, & radere capillos, ubi ali mos est, promittere, ubi radi aut tonderi consueverunt. Notarunt hoc postremum Chrysostomus sermone 3. in Jobum: Apollinaris in catena manuscripta regia: Olympiodorus in catena: tres totidem pæne verbis, ut ab uno duo exscripsisse videantur. quanquam hic oblitus sui, qui sæpe alias ἔτιλε τὴν κόμην, κείρεται τὴν κόμην, dixerit, τὴν κόμην παρατίλας dicat; quasi vellisset comam, quod est impotentis mulierculæ, aut viri dolentis intoleranter, ut jam supra dictum: sicuti & lacerare & cruentare genas. quod tamen ne concessum quidem mulieribus, immo legibus duodecim tabularum vetitum. Apud Tullium: *Mulieres genas ne radunto.* Apud Servium: *Mulier, faciem ne carpito.*

CORRUENS IN TERRAM ADORAVIT. Non tam abjecit & prostravit se, quod clade multiplici sua graviter mœreret, quam quod auctorem cladis agnosceret Deum, & veneraretur, & totum ei se permitteret.

21. ET DIXIT: NUDUS EGRESSUS SUM. Multa feruntur scite & graviter dicta multorum, temporibus adversis: sed nihil aptius & cum se junctius, quam illud, quod usurpavit Apostolus quoque: *Nihil intulistis in hunc mundum*: aut illud: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quæ enim data ad tempus & constituta die, ea commodata sunt quæ repetat jure & arbitratu suo, qui commodavit. Nihil porro Jobus imputat Chaldæis aut Sabæis, aut aeri, aut igni, sive tempestatibus, seu fulminibus; uni Deo ascribit omnia & accepta refert, & quasi expensa.

Ac de humana quidem miseria vitæque incommodis qui disserunt, placet iis novercam nos habuisse naturam, non matrem; deteriore esse conditione, quam belluas, qui nascamur plane inermes ac vacui, atque omnium egeni. Ita censet ac disputat & contra naturam pronunciat Aristoteles: quam tamen Hippocrates & Galenus absolvunt: quibus ego libentius assentiar. Quod autem se Jobus communi conditione vitæ mortalium, quæ recusanda cuivis uni propria non sit, consolatur; cum de suo in vitam miserando ingressu dicat, deque pari exitu e vita: observandum, quemlibet hoc vere loqui posse beatorum: quis est qui secum quid auferat in morte? quanto Jobus istud verius? sed aliquid sibi velle Jobum amplius. Hoc nimirum: quid interest, inquit, possideamne plurima in vita; cum & nascendo nihil una mecum attulerim, & in morte omnia relicturus sim? Respondeant oportet media primis & extremis, atque inter sese consentiant.

DE UTERO MATRIS. Terram interpretor, communem omnium parentem. Unde enim orti profectique sumus, eodem revertimur. in terram autem redimus, non in matris alvum.

SICUT DOMINO PLACUIT, ITA FACTUM EST. Hoc sententiolæ additamentum, quod apud Hebræos non lego: extat autem apud LXX.

22. NON PECCAVIT JOB LABIIS SUIS. Ac ne illud quidem habent LXX. *labiis suis*, neque Hebræus, nisi cap. 2. Adjectum ab interprete explanationis causa, evenisse ita dæmoni omnia præter spem, ut quem ad maledicendum provocatum vellet, is ne dicto quidem ullo Deum violarit, nihil eum incusarit: quæ vis est & sententiæ consequentium: *Neque stultum quid contra Deum locutus est.* LXX. οὐκ ἔδωκεν ἀφροσύνην τῷ Θεῷ. ולא נתן תפלה לאלהים *velo nathan thiphlah lelohim.* Deo non vertit vitio, non contulit culpam in Deum. Hæc autem vox תפל *thephal*, usurpata quoque capite VI. versiculo 6. non alio, credo, sensu.

Erepta igitur Jobo a dæmone, concessu quodam Dei, externa bona, quæ multa in mancipiis, multa in pecore, omnes

CAPUT II.

Hactenus est Jobus privatus externis bonis: nunc privatus etiam corporis. Deo enim postulatis concedente rursum, valetudinem ejus tentat dæmon & affligit prorsus, gravi & tetro ulcere immisso. Cujus pietati & constantiæ in miseria uxor illudit. Amici, consolandi causa, visunt ægrum ex compacto, tres ex locis diversis tribus.

1. FActum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu ejus,

2. Ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam.

3. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra.

4. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:

5. Alioquin mitte manum tuam, & tange os

1. FOrte domum ætheriam, sedem omnipotentis
Alma Dei soboles accesserat, adfuit ipse [Olympi,

2. Præsto etiam infernus dæmon, cui voce benigna
Rex ita cœlituum: Nam quo novus hospes ab orbe
Insperate, venis? Quantum est telluris obivi,
Atque oras, ait, extremas, atque æquora visi.
3. Tum Dominus: Jobum vidisti, ut nostra facessat
Imperia? ut quisquam frustra certaverit illi
Terrigenum? timeat numen? mala crimina vitet,
Candidus, & rigidi, ceu primum, cultor honesti?
At mihi, quo miserum non una clade gravarem,

4. Incendisti animos: nequicquam. His concitus ira
Occurrit dæmon: Pellem pro pelle pacisci
Quis renuat prudens? Facilis jactura bonorum est,
Dum corpus sanum, validæ stent robore vires,
Sensibus integris, longum sit vita superstes.
5. Sed gravius sævi ipse manu: propiore flagello

Tan-

nes liberi, cetera, præter uxorem; quæ quidem superstes, plus erat exhibitura viro negotii, quam sublata, desiderii reliquisset ac mœroris. Causam affert & declarat hanc Chrysostomus tum sermone 3 in Jobum, tum in catena, his verbis: Διὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα μετὰ τῶν παίδων οὐκ ἀνεῖλεν ὁ διάβολος, ἐπειδὴ ἐνόμιζεν μεγάλα αὐτῷ ἔσεσθαι τὴν ἐπιβουλὴν ἀρχὴν ταύτην. Διὰ τοῦτο, ὥσπερ μέγιστον ὅπλον, αὐτὴν αὐτῷ κατέλιπεν. Sed illa de re, capite sequenti, amplius.

EXPOSITIO Capitis II.

2. CIrcuivi terram. En officium, & in quo cura versetur dæmonis, qui insidias explotet circum orbem terrarum, & hominibus assiduus, quasique diurnus & nocturnus, obambulet. Quo debemus esse cautiores, & partem in omnem attentiores, ne circumveniamur astu, aut vi opprimamur.

3. Adhuc retinens innocentiam. Non est quod quisquam hic peculiare quiddam suspicetur, aut sigillatim putet exprimi eam quasi virtutem, quæ semel amissa recuperari non queat, cujusmodi & virginitas ait. Quæ innocentia enim loco hoc appellatur, eadem est atque simplicitas, quam Jobo conjux paulo post exprobravit. Nam utrumque Hebræus iisdem extulit verbis, ideoque eadem sententia, & versu hoc tertio & consequenti nono. Atque hoc etiam minime contemnendum, addi istud ad priora Jobi elogia, *& adhuc retinens innocentiam*, quasi referri ad consequentia debeat, atque Jobo verti laudi, quod adversis licet tot tantisque pressus, non discesserit ab officio tamen. Id & Hebraica valent, & sensus rerum consequens, *ut affligerem eum frustra*. Quasi dicat: Condonavi hominem tibi & addixi: vexasti ad libidinem, quem bonis omnibus exueris. Quid consecutus es? idcircone is minus in officio fuit? aut parum sibi constitit? aut non se peræque erga divinum numen reverenter gessit?

4. Pellem pro pelle. Leviter & quasi molli brachio pulsatus Jobus, ac ne cute quidem tenus. Externa, & quæ circumstant hominem, & quæ suppleri possunt, æquarique pretio, facile quivis sibi patiatur detrahi, & alterum alterius jactura redimat. Jam vero si quis penitus tentetur, & ad vivum plaga persideat, sentiat, & commoveatur. Distinctius & clarius: facile paciscetur ita Jobus: pereant liberi, dum pater salvus sit: pereant bona, ita si necesse est, modo salus & incolumitas retineatur.

Dabit pro anima sua, Animam illius serva. Aliter priore loco vox, *anima*; aliter posteriore accipienda. Facile quivis redemerit animam suam, sive bona corporis, valetudinem & vitam, jactura bonorum externorum. Jam vero cum Deus vetuit, ne quid dæmon animæ noceret, partem addixit aliquam & concessit, id est valetudinem: partem excepit, id est, vitam.

6. Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. Dæmoni Jobum Deus penitus totumque tradit ad cruciandum, dum vitæ parcat. Ergo scire liber quæ passus Jobus sit? Passus est, quæ quis, vita salva, perferre potest. quid autem non potest? Ex quo etiam intelligas licet, quantum constantiæ & fortitudini Jobi Deus tribuerit, qui non recusarit, quominus hunc dæmon tot ærumnis tamque gravibus exercitam haberet. Superstitem porro malis suis restare voluit, quo tantam virtutem remuneraretur. Incolumem autem servari vitam per dæmonem, ritu latronum, quorum beneficium hoc est, ut vitam ei dederint cui non eripuerint: quem tamen mulctatum plagis sæpe sæpius, ac semivivum relinquant.

7. Percussit Job ulcere pessimo. Certum nihil sani nec integri, ab imis unguibus usque ad verticem summum, Jobum habuisse; quo genere mali, quove morbo aut vulnere, aut plaga, unone an pluribus affectus sit, incertum. Cum sit in Hebræo, שחין *scechin*, nihil neque majus, neque minus putaverim, quam Ægyptiis inflictam a Mose plagam, non mortiferam illam quidem, sed gravissimam & insanabilem, Exodi 12. v. 9. quam eandem denunciat & minatur Judæis Deus, Deuter. xxviii. v. 27. & 35. nisi leges & pacta servaverint, veruinque numen coluerint: cum quidem tribus locis eadem sit usurpata vox & lucurio, ac postremo etiam loco eadem mali gravitas exprimi videatur; *Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in suris. sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.* De ulcere autem, ubi rubor, inflammatio, pustulæ, exulceratio, prurigo, pus, sanies, vide Celsum lib. v. p. 312. Quare valeant, qui omne genus gravissimorum morborum in Jobum conferunt.

8. Qui testa saniem radebat. Hebræus,

Sumpsit

os ejus & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

Tange autem: ad molles irrumpe per ossa medullas.
Dicet in os tibi, ne dubita, convitia coram.

6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.

6. Sic fremit. At Dominus placido sic annuit ore:
Te penes est: omni tibi fas invadere nisu.
Parce animæ: tantum hoc, tum qualibet opprime parte.

7. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus:

7. Talibus auditis dæmon se proripit atrox
In facinus, Jobique caput, corpusque, pedesque,
Ulcere perpetuo feriens, circum improbus egit.

8. qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

8. Ille fimi accumbens tetro gravis æger acervo;
Eradit saniem tabo stillante cruentam

9. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.

9. Fragmine mordacis testæ. Cui vulnere & omni
Conjux pejor: Adhuc tu credulus & male simplex
Pergis, ait, nomenque foves virtutis inane,
Nec pietate tibi, nec moribus utilis istis?
Quin potius superos incusa: & justior iras
Exerce: ac miseram vel sic ulciscere vitam:

10. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

10. Et morere. Ille animi maturior excipit: Erras;
O dulcis conjux, erras, stultumque locuta es.
Accipimus sortem læti, si quando secundam
Indulget Deus. Ergo idem si præcipit auctor,
Cur placidis adversam animis perferre negemus?
Nec minimo lapsus media inter talia verbo
Jobus, & irati nullum scelus exiit ore.

11. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

11. Ecce autem tres ad Jobi pervenit amicos
Fama mali tanti. Linquunt, mora nulla, penates
Quisque suos, noti vicina per oppida reges.
Themanum rex ipse Eliphas, rex ipse Soites
Baldadus, Naamathque tenet qui fertile Sophar.
Namque pedem pariter ferre, atque invisere mœstum,
Solarique, tribus fuerat mens una, diemque

12. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes plora-

12. Inter se dederant. Ergo, postquam eminus acres
Intendere oculos, & conspexere jacentem
Fæce super putri, neque talem agnoscere cuiquam
Ore datum, vultusque viri meminisse priores:
Fle-

Sumpsit testam sibi, ut ea sese scalperet. LXX. *Sumpsit testam sibi, ut saniem raderet.* Noster horum & illius aliqua dissimilis, quod eodem revolvitur. *saniem testa radebat.*

SEDENS IN STERQUILINIO. Hoc tetrum atque olidum. Vulgatus ex interpretibus LXX. ubi ἐπὶ τῆς κοπρίας habetur, accepit. Quo tamen Complutensis editio caret, in qua est ἐπάνω τῆς σποδοῦ quam vocem quoque Aquila & Symmachus habent. Et vero cum in Hebræo duæ sint voces quæ idem valeant, & hic, & versu 12. אפר *epher*, & עפר *haphar*, pulverem & cinerem, eamdem esse sententiam judicari potest. Job igitur, qui humi sederet mœstus & squallidus, in sordibus atque immundo cinere sive pulvere volutabatur. Quo postea pulvere amici Jobi caput persuderunt. Itaque non habemus necesse ullam hic gravitatem ac fœditatem odoris suspicari aut cogitare. LXX. addunt ἔξω τῆς πόλεως utpote qui non modo foris atque extra domum lugeat, sed urbe exierit, ac pernoctet sub dio. Rex Ninivæ, Jonæ III. sedit in cinere. Eadem ibi vox, quæ hic, *sedens in sterquilinio.*

9. DIXIT AUTEM ILLI UXOR SUA. En unguis in ulcere, mulier inconsulta & temeraria, quæ virum instiget in divinum numen, atque exacuat, ut maledictis in Deum suis pœnam capiti suo mortis accersat. Quasi dicat: Jamne vides, o conjux, jamne sentis, te pietate constanti tua nihil proficere? Quin potius valeat per te Deus, minime tibi propitius: ejus facessat providentia, quæ rebus tuis tam male consulit. Quid est, o Jobe, quid moraris emori? Interseruerunt hic LXX ῥήσεις aliquot sive περιοχὰς, & eo statu quid uxor viro dicere potuerit, si μιμήσει quadam imitentur. Dolet videlicet femina vicem mariti, liberorum, suam potissimum. Quem locum Græci patres non tantum secuti sunt, sed mire tractarunt quoque & exaggerarunt. Basilius imprimis [Greek, illegible] ἐπὶ κοπρίας [illegible] ἐκ τῶν ἀνακτόρων ἐπὶ [illegible] τὴν σκήνην [illegible], ἐκ τῆς ἀλλοτρίας [illegible].

10. SI BONA SUSCEPIMUS DE MANU DEI, MALA QUARE NON SUSCIPIAMUS? Rerum quidem adversarum juxta & secundarum auctorem Deum esse novimus, idque optimo utrumque in mortales animo: non tamen natura nos, aut ulla humana ratio docet, accipienda perinde mala atque bona, quasi ex æquo tradita a Deo. Ista sanctioris disciplinæ religionis Christianæ mysteria, quæ tanto ante Jobus præcepisset. Pulcre autem aut Chrysostomus, ut ei in catena tribuitur, aut Basilius, ut apud eum legitur, firmat hoc Jobi dictum, & auget, & illustrat.

11. TRES AMICI JOB. Appellati ab loco singuli quem incolerent, & quem pro potestate obtinerent. Hoc ex eo verisimile, quod ubi dictus est quisque venisse ex sede sua & finibus patriæ, nominetur statim, unus Themanites, alter Suhites, tertius denique Naamathites: quæ sunt ex regionibus ducta vocabula. Theman autem urbs fuit & regio Idumææ, quibus inditum nomen ab uno e posteris Esau, qui ita appellaretur: ut perspici potest, partim ex Genes. c. XXXVI. v. 11. partim ex Amos c. I. v. 12. Sed hoc ipsum maxime declarat Hieronymus ex Eusebio, in libro singulari de locis Hebraicis extremo. Atque hinc conjecturam capere licet, reliquis vocabulis duobus vicina quædam oppida notari. Hos vero Jobi amicos, reges scriptura nominat, Tobiæ II. v. 15. Ac LXX. quoque reges volunt fuisse; qui & nonnihil cum vulgata dissident: ὁ Ἐλιφὰς ὁ Θαιμανῶν βασιλεύς, Βαλδὰδ ὁ Σαυχαίων τύραννος, Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. Quin etiam Job ipse rex videtur fuisse Idumææ electus a populo. Qui mos tum erat gentis illius, si vera est Græcorum sententia, qui eumdem illum, ac Jobab censent fuisse, unum ex Esau posteris. Qua de re alibi dictum est, & dicetur postea. Interim scito regium nomen non tanti olim, quanti vulgo nunc habetur, semper fuisse: quippe cum unius tantummodo urbis dominus sive possessor aliquis, illius rex urbis diceretur. Ita locutus insignis fabulator in lib. primo, fabula 14. *Hic cum jaceret morbo confectus gravi, rex urbis ejus.*

12. CUMQUE ELEVASSENT PROCUL OCULOS SUOS. Quam mutatus a se Jobus sit, quam sui factus dissimilis, & deformatus ore ac decoloratus, plane totus a se alius, percipi ex eo potest, quod noti illum & amici sui ignorarent, nec cernerent, quis esset, cum aspicerent procul,

raverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.

13. Et sederunt cum eo in terra, septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

Fletus iit cunctis, gemitusque, & clamor ad auras.
Tum laceræ vestes, & jactus pulveris alte
In capita, & turpes lugubri sorde capilli.
13. Sic Jobo, septem soles, tot & ordine noctes,
Assidere, solo strati: neque rumpere vocem
Interea quisquam, aut fando mulcere dolores.
Quippe recens & adhuc roranti sanguine crudum
Vulnus, & impatiens dextram perferre medentis,
Isse vident supraque modum, supraque levamen.

CAPUT III.

Detestatur Jobus diem natalem suum, optatque, ut aut nunquam natus sit, aut statim mortuus: alterutrum sibi satius futurum fuisse, quam in tantam nasci miseriam, aut vitam suam ad tam infelicem & calamitosum statum reservari.

1. POST hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, 2. & locutus est:
3. Pereat dies in qua natus sum, &

1. OS aperit Jobus post hæc, & flebile carmen
2. Inchoat, & vitæ diris ita devovet ortus.
3. Ah pereat quæ me alma dies sub luminis auras
Ex-

cul, atque acriter oculos intenderent. Agnito Jobo, clamorem amici magnum cum admiratione sustulerunt.

SPARSERUNT PULVEREM. Alte jecerunt pulverem & capur conspersetunt, & cetera fecerunt more lugentium. Quod autem isti revera, hoc affinxit poeta regi Latino multo post: *It scissa veste Latinus, canitiem immundo perfusam pulvere turpans.*

13 ET SEDERUNT CUM EO. Idipsum, quod quis ægro assidet, neque is solus est, minuit luctum: tenebræ enim & solitudo augent dolorem. Non est autem verisimile dies ibi ac noctes illos desedisse, sed identidem ad curandum corpus domum se aliquo recepisse.

NEMO LOQUEBATUR EI VERBUM. Quæ causa tam diuturni silentii, quo utantur, ut non illum verbo, tot dies ac noctes, consolatores æqui appellarint? Utrum quod nihil se profecturos intelligerent, magno dolore, crudo ac recenti; an quod ne ipsi quidem possent, utpote quos gravitas mali detineret stupidos, & qui consolationis quoque indigerent? Utrumque fortasse. nam pauca locutos, quod habendum pro nihilo sit, vix probo. præsentia certe, & aspectus amicorum, & assiduitas, tanta præsertim, potuit esse pro omni solatio verborum.

EXPOSITIO CAPITIS III.

1. MALEDIXIT DIEI SUO. Veriti quidam, ne quod est in maledicendo vitii aut culpæ, quod esse censent maximum, contraxisse Jobus, vir sanctissimus, videretur; & mitigant, quoad possunt, hujus asperitatem vocis. *maledixit*, & Jobi dicta aliter, ac par sit, exponunt. Primo enim placet os ex voce Hebraica קלל *kalal*, reddere, *contempsit*, id est, diem natalem suum non celebrandum amplius, nec habendum in honore statuit. Quod ut ita sit; nihil actum tamen ista expositione. quæ sequuntur enim, *pereat dies*, &c. verba sunt omnino maledicentis: nec primo aspectu minus atrocitatis habent atque odii & invidiæ. Deinde vero maledicta volunt in diem jaci, non eum, quo semel primum natus est, sed in recurrentem quotannis: quod minime quoque necesse est dici. Immo etiam convenit magis, ut qui sese nunquam natos optent, maledicant natali primo & vero suo, non consecutis & recurrentibus in anno semel diebus, quibus primi tantum memoria renovatur. Adde quod eadem mens & sententia videtur esse Jobi, quæ Jeremiæ c. xx. v. 14. qui natalem exectaretur suum: & quæ Jonæ c. iii. v. 8. qui concupisceret mori, idque sibi melius esse censeret. Quid ergo? Jobus non vocat culpa, qui se natum nolit? Licet, opinor, id optare, salvo jure & officio, quod Christus esse melius pronunciavit. Atqui non esse natum dixit cuidam melius futurum fuisse, Matth. xxvi. 24. *Væ homini illi. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ex eo perspicitur, maledicta conferre in diem natalem suum, fas esse alicui; id si fiat intra modum, sine impotentia animi, & majore stomacho aut furore. ut fit homini integrum & solutum, suspiria, gemitus, querelas edere, quæ naturæ doloris sensum testentur: non divinam tamen providentiam ullo modo appetant, aut oppugnent, unde profecta pæraque in homines adversa ac prospera debemus existimare. Quod an sanctus vir, Thomas Aquinas 2. 2. q. 76. a. 2. c. *Maledixit Job diei nativitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pænalitates*; neque amplector, neque funditus repudio. Tantum vix adducor, ut credam, cogitatum quidquam a Jobo de peccato, quod appellant originis, fuisse. Dies infaustos, & nefastos, & infames, quibus quidem diebus aliquid adversi, clades & offensio, sive domi, sive militiæ, seu privata, seu publica calamitas contigisset, sicuti & loca, ubi edita strages, facta naufragia, vocari novimus; ideoque his aut locis, aut temporibus, more ac jure maledici. Neque sola modo loca & tempora prosequi maledictis mortales solent & configere: sed multo etiam magis alia vita carentia. quæ afferunt per sese incommodum tristius ac funestius, aut plus aliquid præbent occasionis & causæ ad malum. Est ergo maledicere diei, & similibus, quæ fine expertia rationis aut vitæ, nihil aliud, quam optare, ut, si fieri posset, nunquam in rerum natura fuissent. Quare quemadmodum Athenis, in Palladio foro quodam, instrumenta parricidiorum, velut ferrum ac reliquæ res inanimæ, subjiciebantur judicio, ut scribit Pausanias in Atticis, ac Julius deinde Pollux: ita res easdem, ad ostendendam doloris magnitudinem, maledicto figimus.

4 PEREAT DIES IN QUA NATUS SUM. Id est, utinam aut non fuerit is dies, ut nunquam susceptus essem; aut non recurrat in urbem, ut ejus diei memoria tam celebris ne recolatur. Hic & diei maledici, qua editus in lucem est, & nocti, qua conceptus, ex Hebræo quoque patet. Videntur LXX. natalem tantum, seu diem, seu noctem voluisse significare, at tacere de conceptu. *Ἀπόλοιτο ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐγεννήθην, καὶ ἡ νὺξ ἐν ᾗ εἶπαν, ἰδοὺ ἄρσεν.* Quo loco attende pervulgatum, & insigne tamen, dictum, *Ecce mas.* Quæ enim adhibentur ad partus, quæque parturientibus aliæ præsto sunt, fere exclamant lætitia, si mas est, marem esse; sin alterius sexus, obmutescunt. Luculentus & par huic locus Jeremiæ c. xx. v. 15. *Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus; & quasi gaudio lætificavit eum.* Sciturn est autem, culpam, ut ita dicam, omnium miseriarum, in quas quis inciderit, conferre in diem natalem, non quod is causa sit, aut semen malorum, sed quia miser quis esse non potuisset, nisi natus esset; quod vere dicitur, sed frustra. Tullius in consolatione ex Lactantio lib. iii. c. 19. *Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ. proximum autem, si natus sit, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.* Atque hic idem negat, esse natalem ulli agendum diem, ac ne ullum quidem vere proprie esse, extra eum, quo quis primum semelque natus est. natalem ii. de finibus, 102. *Hæc ego non possum dicere, non esse hominis & belli & humani: sapientis vero nullo modo, physici præsertim, quem se ille*

egi

& nox in qua dictum est: Conceptus est homo.

4. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.

5. Obscurent eum tenebræ & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.

6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

7. Sit nox illa solitaria, nec laude digna:

8. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.

9. Obtenebrentur stellæ caligine ejus: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.

10. Qua

Excepit venientem, & quæ nox tristibus umbris
Prima fatum circum materna fudit in alvo!
4. Illa dies tenebris damnetur, & exsulet orbe
Hinc alio procul, ac rerum dispungat ab albo
5. Infamem Deus. Illa novo non amplius ortu
Amissum lumen reparet: letalis opacet
Æternum caligo, gravisque involvat amaror.
6. Inque vicem noctem hanc exerceat imbribus atris
Turbo furens insueta, neque ullis mensibus ullus
Annumeret, partes inter neque computet anni.
7. Cantus ea cœptum, quam longa est, nocte viator
Rumpat iter, claususque domo prodire recuset.
Nox sit ea illunis, sit non memorabilis ulli.
8. Contra exsecrati solitis mala tempora diris,
Vitæ odio, promptique graves incendere luctus,
Noctem odio hanc habeant, huic nocti infausta precentur.
9. Quinetiam dubiam per bina crepuscula lucem
Astra negent densis jaculari obsepta tenebris.
Expectet nox interea, sicunde redibit
Non reditura dies, cunctantisque increpet ortus
Nequicquam auroræ, solemque illusa requirat.

10. Ec-

esse vult, puture allum esse cujusquam diem natalem. Quid? verene potest esse dies sæpius, qui semel fuit? Certe non potest. An ejusdem modi? Ne id quidem, nisi cum multa annorum intercesserint millia, & omnium siderum eadem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. Locus contra Epicurum, si non exscribendus propter longitudinem, propter pulcritudinem dignus qui legatur. in quo præsertim illud præclare positum. *Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est?* Ubi supplendum, quod per ellipsim deest, *notari oportuit.*

4 Dies ille vertatur in tenebras. Sua in diem primo maledicta, tum in noctem jaciuntur, in vulgata atque in Hebræo. LXX. rem miscent, neque satis definita agunt de die prius, ac vicissim de nocte.

Vertatur in tenebras. Hebræus optime. היום ההוא יהי חשך *haiom hau jehi choscec, dies illa sit obscuritas.* LXX. quod intelligi queat: sed non ita bene, ἡ νὺξ ἐκείνη εἴη σκότος. quod quid est aliud, quam optare, ut nox nox sit?

Non requirat eum Deus desuper. Requirit id Deus, cujus rationem habet, cui favet, quod studio ac benevolentia prosequitur.

Non illustretur lumine. Aut eadem est oratio per congeriem quamdam, aut decrescit. Minus enim videtur lumine, &, Obscurent eum tenebræ, quam illud primum, Vertatur in tenebras. Nisi id ita concipiatur & explicetur totum: Sic in tenebras vertatur is dies, ut neque Deus eum reducat, neque ullo postea lumine reparet. Is dies occidat semel, nec iterum oriatur.

5. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis. Vox Hebræa גאל *gaal*, duo triave significat. Primo, redimere ob quam significationem LXX. verterunt ἐκλάβοι. Quæ vox redemturam facere significat. estque mancipum. Secundo, consanguineum & propinquum esse, ac jus habere vindiciarum. ex quo Theodotio interpretatus est ἀγχιστευσάτω, agat jure cognationis. Tertio denique, vertit Aquila μολύναι, id est, fœdet. Quæ expositiones cunctæ eodem recidunt. Umbra autem mortis sive mortifera apud Matthæum atque Lucam translate pro tristissimo rerum statu usurpatur. magis proprie hic pro crassissimis ac teterrimis tenebris, quibus optat ut sit circumseptus ille dies.

Involvatur amaritudine. Quænam ista amarities in Hebraica voce, numero plurali atque in regimine? כמרירי יום *cimmerire jom.* Quam vocem, cum alii primam literam כ servire velint; alii ad radicem pertinere: reddunt, æstus diei, vel ardores, a כמר *camar*, illi sicut amaritudines a מרר *marar*. utrique multa afferunt divinando: noster interpres, nihil vocem moratus, sententiam expressit.

6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Ut diem, ita & noctem turbida & spurca tempestas occupet, precatur.

Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Festi dies alii sunt anniversarii, qui congruant cum Solis ratione: alii, qui a nova luna & reliquis menstruis spatiis pendeant quodammodo. Itaque neutrum tempus coli vult pervigilationibus nocturnis, neutrumque nec anno nec mensibus annumerari.

7. Sit nox illa solitaria. Nempe sit ea nocte nulla celebritas: nulli conventus virorum & mulierum, vel negotii, vel otii, & lætitiæ causa: non convivia; non chori ac saltationes, non sacra nocturna. aut nemo tum viator se committat itineri, nemo ambulet ac prodeat in publicum. tam cæca caligine & tenebris obducta nox ea & circumfusa sit, nullus ut in illa gradum facere possit, aut omnino efferre pedem limine audeat.

Nec laude digna. Id habet hanc sententiam: nihil in ea memorabile contingat, cujus causa solemnes fiant lætique conventus cujusmodi fuit nox paschatis. Aut nox sane dicitur laude digna, quam luna illustrat, eaque plena, aut cum infesta latrociniis non est, aut cum cantat securus de nocte viator.

8. Maledicant ei, qui maledicunt diei. Non satis habet ipse, maledicere nocti, nisi maledicant etiam alii, quos in partem vocat, & idem, quod imprecati sint diei, nocti maledicant atque imprecentur. Sed quinam isti? Qui iidem parati sunt suscitare Leviathan. Ii videlicet qui intemperiis peteiti, & quasi furiis agitati domesticis, prompti sunt ad maledicendum, & ad invocandos dæmones: aut qui artibus magicis atque incantationibus excire animas sepulcris, & manes ciere, & diris atque execrationibus non tam elicere quam provocare & solicitare audeant. non quod tamen fanaticorum istorum furias Jobus approbet: sed, siquidem maledicta isti conjiciant, ea cadere vult in noctem, qua natus aut genitus est.

Leviathan. Ista vox origine & forma vel Syriaca, ut Mercerus existimat; vel, ut placet Bocharto, Arabica. LXX. Editio Vecchellensis & Codex Londinensis, μέγα κῆτος vertunt: Theodotio τὸ δράκοντα. Complutenses, Aquila, Symmachus, nihil mutant. Ex eo, quod intelligitur, quodque certum est, proprie esse marinum animal grande ac tortuosum. variæ, sed incertæ divinationum conjecturæ fiunt a peritis interpretibus. Verumtamen sustinendum, quoad perventum sit ad capita duo libri extremi, quadragesimum & quadragesimum primum. Hic interim recentium Hebræorum opinio, qui Leviathan putant esse *planctum suum* ex idiomate Syro, propterea non placet, quia Græci omnes interpretes etiam illi, qui Hebraismo anxie & superstitiose serviunt, velut Aquila, Symmachus, omnes vel Leviathan vel draconem verterunt, & LXX. κῆτος.

9. Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Id est, hujus caligo noctis stellas obscuret. Si noster scripsisset, caliginis, cum Hebræo concordaret prorsus. Sic enim interpretantur Rabbini stellas caliginis, majores, quæ in utroque crepusculo propter magnitudinem lucis, tenebras interrumpunt. quomodo & LXX. τὰ ἄστρα τῆς νυκτός.

Expectet lucem, et non videat. Vulgatus legit idem in Hebræo, sed non eodem ordine. Legit, יראו ואל *jire veal, videat nec.* habetur autem ואל יראו *veal jire, nec videat.*

10. Quia

10. Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

11. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?

12. Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?

13. Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem:

14. Cum regibus & consulibus terræ: qui ædificant sibi solitudines:

15. Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento:

16. Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

17. Ibi impii cessaverunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore.

18. Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris

19. Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber a domino suo.

20. Quare misero data est lux, & vita his, qui amaritudine animæ sunt?

21. Qui

10. Ecquid enim ventrem non præclusere parentis,
Nec finem posuere malis nox ista, vel ista
11. Deinde dies? cur non genitali exstinctus in arvo
Projicere hanc animam, aut certe natale sub ipsum
12. Protinus evalui? quid me malesana tepenti
Accepit gremio obstetrix? cur ubera mater
Præbuit, appressoque gementem pectore fovit?
13. Tempore jam ex illo mors si me optata tulisset,
Securo per membra sopor nunc molliter iret
Humidus, atque alta compostus pace silerem,
14. Longum ubi nunc positis degunt insignibus ævum
Et reges magni, & magnis qui regibus adsunt
Consilio, & procerum semesa cadavera divum:
Queis studium, dum vita prior, forsque ampla manebat,
Ædificare domos sola per deserta frequentes,
Et vacuis arces moliri atque oppida fundis,
15. Aut componere opes, simul auri cogere acervos.

16. Hic immaturo sicut præreptus abortu
Occiderem, qui lucis egens, qui conditus alvo est.

17. Hic ubi grassari cessat, turbasque ciere
Impius & fessi rerum lenta otia ducunt.
18. Nec jam ullam trepidant vocem exactoris acerbi
Vincula qui quondam, & communia pensa tulerunt.
19. Miscentur magnis ibi parvi; & sorte quiescit
Æquata domino famulus jam liber ab ipso.
20. Quo misero lux ergo data est? quo vita dolenti,

21. Quæ-

10. Quia non conclusit ostia. Causas affert maledicendi omnes suas, & in tempus conferendi, quas calamitates pertferat, quia conceptus tunc, quia natus, quia educatus: quorum si nihil evenisset, haudquaquam evasisset ex tam beato tam miser, nec ad humanæ infirmitatis atque inconstantiæ specimen & exemplar reservatus foret. Itaque ordine & gradatim, Cur conceptus, inquit, fui? cur matris in utero non extinctus? cur statim ab ortu? cur sustulerunt me parentes? cur aluerunt?

12. Quare exceptus genibus. Quia mos ille scilicet fuit, ut recens in lucem editos humi deponerent, ab eaque levatos, genibus imponerent suis. Unde verba in hanc rem usitata, tollere, vel suscipere liberos. Terent. Heautontim. *Meministin' me esse gravidam, si puellam parerem, nolle tolli? sustulisti.* Statius 1. Thebaid. *Saeve de matre cadentem fovisse gremio.* Hoc illud est: *Filius in gremio matris sedens, mammam appetens.*

13. Nunc enim dormiens silerem. Septem versibus totis, quid in immatura & subita privatione vitæ insit boni, enumerat atque complectitur. Primum pari sunt conditione, qui e vita statim infantes discesserint, ac viri principes emortui. Deinde, pari, ac nati ante tempus per abortionem. Tum pari, ac matris in utero oppressi. Postremo, improbi, potentes, liberi, servi, summi, infimi, in summa æqualitate rerum omnium, vel spoliatione potius versantur.

14. Qui ædificant sibi solitudines. De sepulcris & monumentis mortuorum amplis ac sumptuosis nihil videtur suspicandum: tametsi in locis exstruantur solis desertisque, & ipsa inania & solitaria sint, quæ nemo vivus habitet. Illud eo pertinere arbitror, quod principes ac divites solent late vicinas sibi comparare domos, quas adjungant & contineant suis; aut quibus eversis, in earum area ingentes basilicas ædificent: vel certe qui tam laxe tamque magnifice habitent, ut sint ædes vacuæ maximam partem, in quibus vinaria, piscinæ, nemora, quas solitudines appellant. In 15. annali Tacitus: *In modum solitudinum, hinc silvæ, inde aperta spatia & prospectus.* Hujus autem dicti loco, quod in Hebræo quoque est, miror quomodo & unde LXX. *οἱ ἐγαυριῶντο ἐπὶ ξίφεσιν*, habeant.

15. Qui possident aurum, et replent domos suas argento. Habent illi quidem locupletes & fortunati domos & villas in vastis & vacuis & late patentibus spatiis & æquoribus ædificatas: sed habent instructas multiplici supellectile; habent plenas ac refertas argento atque auro.

16. Aut sicut abortivum absconditum. Optaverat antea Jobus, ut nullus fuisset & aboriretur, hoc est, ut non conciperetur, ut conceptus periret in corpore matris, antequam nasceretur: nunc ait, si ita habuisset, se futurum similem fuisse illorum, & quieturum pariter fuisse cum illis, quibus ea sors, felix, infelix, obsigisset. Ceterum mater aboritur, fœtus abortitur, apud Plinium, Gellium, alios. Donatus tamen in Terentium: *Non est Latinum, aborsa est; sed, abortum facit.*

17. Ibi impii cessaverunt a tumultu. Qui solent in vita facinorosi & scelesti homines turbare & miscere omnia, & exhibere aliis negotium, desinunt tumultuari, perque eos, cum ipsi quiescant, quieti alii sunt. Item qui defatigati sunt vitæ laboribus, & vires amiserunt, requiem atque otium perpetuo obtinent. LXX. contrario sensu, *ἀσεβεῖς ἐξέκαυσαν θυμὸν ὀργῆς*. Interpretes tamen Græci *ἐπαύσαντο*, & Theodotio, ut est in catena, & Symmachus, *ἐπαύσαντο* exponunt.

18. Et quondam vincti pariter sine molestia. Id est, atque etiam degunt nunc sine molestia, qui vincti quondam, ut mos mancipiorum est, & captivorum, opus faciebant. LXX. *ὁμοθυμαδὸν δὲ οἱ αἰώνιοι.* Scholium, ut est apud LXX [illegible]. Item exactoris, *φορολόγου*, qui proprie tributi est & vectigalium exactor. quanquam citius intellexerim *ἐργοδιώκτας*, qui instent operi, & ab operariis pensum exigant acerbius.

19. Parvus et magnus ibi sunt. Mors cum omni ætati communis est, tum omni conditioni proposita a Deo & definita. Hoc axiomatis & sententiæ, ut pleraque alia tractatum a poetis, & Græcis, & Latinis, millies. Sed non advertunt plurimi hæc ab Hebræis scriptoribus occupata multo ante & celebrata fuisse: cum scriptores isti longe omnium scriptores principes fuerint. Horat. lib. II. sat. 6. *Quando neque ulla est, aut magno, aut parvo, leti fuga.*

Servus liber a domino suo. Hebræus חפשי *chaphshi, manumissus.* LXX *οὐ δεδοικὼς τὸν κύριον αὐτοῦ.* Versum hunc Gregorius Nazianzenus orat. 9. ad *ἐξισωτὴν* Julianum Salomoni attribuit; oblitus, credo Jobi dictum esse: non quod existimarit hunc librum, qui Jobi dicitur, a Salomone conscriptum; uti interpretatus est Polychronius, & ex eo Nicetas, perperam.

20. Quare misero data est lux. Cur ei lux

a

21. Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum.

22. Gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum.

23. Viro cujus abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris?

24. Antequam comedam suspiro: & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus:

25. Quia timor, quem timebam, evenit mihi: & quod verebar, accidit.

26. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? & venit super me indignatio.

21. Quærentique mori, suspirantique tenebras Incassum? Ceu cum thesauri fossor amore Sollicitat terras, & spe jam præcipit aurum.

22. Nec minus invento gavisa est turba sepulcro

23. Infelix, aperit leto cui nulla viam vis: Cujus iter cæcum impediit Deus obice multo.

24. Ante dapes & anhela mihi suspiria, & alto, Instar aquæ torrentis, eunt de pectore planctus.

25. Atqui animum obfirmans duravi, & corde dolores,

26. Qua licuit, pressi, si forte ferendo levarem: Tum vero magis ac magis incrudescere vulnus.

CAPUT IV.

Jobum arguit Eliphas, amicorum natu maximus, quasi multa ille superiori capite effuderit per dolorem, quem non satis æquo animo pateretur: Deum defendit, quasi nihil adversi cuiquam sinat evenire, nisi improbo & merenti.

1. Respondens autem Eliphas Themanites, dixit:

2. Si cœperimus loqui tibi, forsitam moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

3. Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti.

4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti:

5. Nunc

1. Finierat. Themanum Eliphas rex incipit ultro:

2. Si quote questusque tuos sermone moramur, Ægre forte feres. Sed enim quis talibus ora Comprimat auditis, nec vero falsa refutet?

3. Edocuisse rudes animos, & robore fessas

4. Erexisse manus, fulcisse trementia curvo Genua ævo, & dictis firmasse labantia corda,

5. En

a Deo data atque impartita, qui miser futurus sit? cur eis est vita propagata, qui premuntur angoribus, & quibus quodammodo vita non est vitalis.

21. Qui expectant mortem. Qui mortem avide concupiscunt, & ardore illam pari inquirunt, atque homines thesauros. Hoc vero simile præclarum. nam sepulcrum sub terra est: & miseri perinde isti fodere dicuntur, ac si aurum alicubi defossum quærerent, & eruere conarentur.

22. Gaudentque vehementer. Hoc idem Hebræus de maxima ob inventum sepulcrum lætitia. LXX. clarius, de iis qui effosso thesauro gaudeant. Περιχαρεῖς δ' ἐγένοντο ἐὰν κατατύχωσι.

23. Viro cujus abscondita est via. Referendus hic versus est ad vigesimum: *Quare misero data est lux.* Misero, cujus abscondita est via. Atque est translatio ab iis, qui inter densas tenebras ambulant; tum quorum interclusa est via. In Hebræo, ut & in Græco, non legitur vox, *tenebris*, sed simpliciter & absolute, conclusit sive circumdedit eum Deus. quo sensu Terentius Hecyra: *Tot me modis miserum concludit pater.* Ubi Donatus: *Translatio de fera indagata.*

24. Antequam comedam, suspiro. לִפְנֵי לַחְמִי *lipne lachmi*, ante panem meum. Ita Pagninus & Vatablus reddunt. At Codurcus, panis loco mihi sunt suspiria. quod placet, si probari potest simili locutione, in sacris literis. Accedat huc, *sicut inundantes aquæ, ita rugitus meus.* id est, pro potu mihi sunt rugitus, ut pro cibo suspiria. Sed hoc certius, apposita primum esca mihi, nauseo, & insuavis omnis videtur cibus, quoties sumendus est.

25. Quia timor, quem timebam. Idem mali prænuncius. qui timor mali. quæ timebam enim ne evenirent, ea acciderunt.

26. Nonne dissimulavi? nonne silui? Dissimilia istis Hebræa & Græca. Primo utraque nihil interrogant. Deinde Hebræa: *Non tranquillus fui, non placidus fui, & non requievi, & venit tremor.* Græca: οὔτε εἰρήνευσα, οὔτε ἡσύχασα, οὔτε ἀνεπαυσάμην· ἦλθε δέ μοι ὀργή. Ista porro dissimulatio, vel regis fuit pacifici, qui multa dissimulet in administrando imperio; vel constantis viri, qui multa perferat, neque de re ulla expostulet. Itaque ostendit Jobus se malum divinitus immissum tulisse patienter hactenus, nec adversus Deum obmurmurasse. Ac particula conjunctiva, &, idem valet atque, *quando venit*, aut, *nec tamen non venit*, aut, *nihilo secius venit.* nec durum quod erat, factum levius patientia.

EXPOSITIO Capitis IV.

1. Respondens autem Eliphas Themanites. Quod hic argumentum constringit breviter, si dilatem, res fiet planior; & erit id quoque ad consequens caput intelligendum utile. Cum multa Jobus quereretur de vita, quæ se manens conficiat angoribus, dimissa molestiis omnibus liberasse; ita Eliphas est gravissimas querelas interpretatus, quasi Jobus & se data pœnas nullo merito suo conclamaret, & injustitiæ Deum, a quo plecteretur sic, damnaret. Duo igitur hoc capite disserit, quorum primum falsissimum, nihil incommodi & molestiæ accidere bonis: alterum verissimum, mortalem præ Deo innocentem & integrum esse neminem.

2. Si cœperimus loqui tibi. Hebræo cum Editione vulgata convenit. LXX. dissentiunt: Μὴ πολλάκις σοι λελάληται ἐν κόπῳ; ἰσχὺν δὲ ῥημάτων σου τίς ὑποίσει; Cujus versiculi ita priorem partem Olympiodorus exponit: Scis minime solitos esse nos molesta tibi loqui, teque ad iram provocare. Pars posterior obscura, nisi forte declaretur in hunc modum: Vim & robur, id est, aculeos & acerbitatem in dictis tuam quis sustinere possit, ut sibi temperet neque contradicat?

3. Ecce docuisti multos. Non hæc arbitror dicta per ironiam, sicuti nonnullis videtur: neque in eam sententiam accipienda; ut habuerit Jobus multa maximarum adumbrata signa, non expressa virtutum. Sed ea nunc objici puto, quæ a viro sancto fieri videbant, ac tanquam exprobrari subitam animi mutationem a suscepta vitæ ratione desciscentis, vel potius non utentis consilio aut solatio, quod aliis dare consuesset. Cum tua, inquit, officia in omnes constiterint, tam multos mœrentes solatus in vita fueris, afflictos erexeris, perditos recrearis, animos iis feceris, qui minuti essent & angusti & diffidentes rebus suis, unumquemque confirmans, unumquemque excitans: ipse tibi nunc dees, & in tua calamitate concidis. Et vero communis iste mos est & usitatus consolandi, nec a lenitate abhorrens. Ser. Sulpitius ad Marcum Tullium: *Noli te oblivisci*, inquit, *Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueveris præcipere, & dare consilium: neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere me-*

5. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.

6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?

7. Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?

8. Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos,

9. Flante Deo perisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos.

10. Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.

11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt.

12. Por-

5. En tuus ante labor. Nunc autem cum tibi vulnus
Impositum, cecidisti animis: cum te attigit ictus,
6. Extemplo turbaris. Ubi est tua vivida virtus,
Et pietas, supplexque Dei reverentia, & alti
Vis patiens animi, & præstantia cetera morum? (quem
7. Tecum volve memor: quisnam insons occidit, aut
Turbo probum rapuit, penitusque evertit ab imo?
8. Contra ego, qui pravas vitam coluere per artes,
Qui jecere manu mala semina, quique tulerunt
Turpi ex messe lucrum, & vitiis crevere nefandis,
9. Numinis irati vidi considere flatu
In cinerem, sparsosque gravi jacuisse ruina.
10. Non aliter quam si sævus leo, sæva leæna,
Horribilem, unde hominum terrent genus, unde ferarum,
Rugitum amittant: aut si excutiantur ab ore
Amborum catulis tincti jam sanguine dentes:
11. Aut si jejuna scymnos cum matre tenellos
Importuna fames & edendi absumat egestas.

12. Ec-

medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subjice, atque apud animum propone. Scite autem hic & eleganter quæ triplex sic tanquam sedes roboris, significantur, manus sive lacerti, latera, genua: lacerti fatiscunt labore fessi: ea lateribus vacillat corpus in utramque partem: genua tremunt.

5. Nunc autem venit super te plaga. Ab Hebræo, *plaga*, abest. cujus loco LXX. habent πόνος. Vocem vero hanc præter communem significatum laboris, interpretatur Cicero mœrorem, malum, dolorem.

6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua. Increpat Jobum, quasi virtutem pristinam suam desiderari patiatur. Ubi nunc, inquit, prima illa tua & antiqua pietas, & robur animi, & constantia & integritas morum? Nec admodum dissentit Hebræus, nisi quod distinctius & peculiarius & concinnius illud idem habet. Nonne religio tua, fiducia tua, & integritas morum expectatio tua? quasi dicat: Numquid antea & pietati tuæ plurimum confidebas, & in integritate morum spem omnem tuam collocabas? Addunt alii: Tum, credo, reverebare Deum, quod certo sperares bene tibi semper fore: atque ita quæstui habebas pietatem, religionem, alias virtutes, ac propter tuum emolumentum fidem, jusjurandum, veritatem, omne officii munus colebas. Sed illud jam occupatum a dæmone de pietate Jobi non gratuita, parum convenit huic loco. Atque hic admonendi semel sumus, in versibus Hebraicis Jobi, psalmorum, aliis, id non sæpe venire, ut posterior pars versus priori e regione respondeat, eamque quodammodo interpretetur, perparva re vel addita vel immutata. Nonne pietas tua, fiducia tua, & tua probitas spes tua? Quod autem habent LXX. πότερον οὐχ ὁ φόβος σου ἐστὶν ἐν ἀφροσύνῃ non ignorarunt, ut placet Codurco, כסלה *kisla*, Hebraice quid esset: sed cum hæc eadem vox & fiduciam notet, ac spem non falsam, neque fallacem, & confidentiam, quæ in vitio ponitur, sive spem stultam ac temerariam: in hanc partem Græcus interpres accepit, in illam vulgatus noster.

7. Recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? Sententia duplex. Prima: omitte mœrorem: deseritum Deus innocentiam sic esse non patitur, ut non aliquando laboranti opituletur, quodam pacto. verum. Altera: si culpa a te abesset, nihil damni fecisses. calamitates enim, præsertim graves, nullas, qui culpa vacant, accipimus. falsum. Atque hæc germana expositio est. Jobi enim amicos hoc errore duci video, ut arbitrentur nihil evenire cuiquam mali, qui bonus sit. LXX. hic usi verbo, quod rem quam maxime declaret, ὁλόῤῥιζοι ἀπώλοντο, sublati sunt radicitus, sive funditus interierunt.

8. Quin potius vidi eos. 9. Flante Deo perisse. Connexi versus hi duo inter se, melius ex Hebræo & ex interpretibus LXX sejungantur his interpunctis, atque in hunc modum: contra, quantum ego experiendo percepi, consceleratì & nefarii homines, ut arant & serunt, ita metunt denique. Occidunt vel solo flatu Dei, qui si ira excandoeris, penitus consumuntur. Quod autem Comicus Thrasoni, aut militi glorioso suo attribuit, id in numen divinum proprie, non in ullum mortalium, cadit. *Cujus tu legiones difflavisti spiritu, quasi ventus folia, aut panniculum tectorium.*

10. Rugitus leonis et vox leænæ. Non placet hic, Jobo mores tyrannicos affingi, aut ab adversarius abjici: sed potius Deo tribui summam potestatem, qui terras & immanes bellua, quæ humana vi coerceri vix ac ne vix quidem queant, domet ac conterat. Quin & ipsos rapaces, maleficos, crudeles homines intelligi par est, quorum Deus furentes ac violentos impetus perditosque conatus, solo halitu comprimat, ubi libitum est, ac refutet. Similiter ut si leones rugitum amittant, aut catulis leonum dentes excutiantur, aut fame enecta vel leæna vel tigris pereat, catulis relictis, qui huc atque illuc, prædæ causa, diffugiant. His binis in versibus quinque extant nomina ferarum אריה שחל כפירים ליש לביא quæ quales feræ sint, etsi vulgo putetur socibus quinque leo unus exprimi, tamen non certum scimus: cum quidem Græcus & Latinus interpretes easdem voces, non modo dissimiliter inter se, sed etiam iidem aliter alias reddant passim, in sacris literis. Ac noster quidem interpres tigrin hic appellat cum leonibus: a Græco vero interprete, & δράκοντες, & μυρμηκολέων, memorantur. Quam interpretes cuncti postremam vocem aut non explicant, aut se ignorare fatentur, etiam Græci. Sed nihil probabilius, quam speciem esse quamdam leonis in Arabia, de qua Agatharchides faciat apud Photium mentionem.

Dentes catulorum leonum contriti sunt. Quin etiam ferunt leones esse propemodum nullos nisi fractis aliquot & mutilis dentibus: ita quidem capi, qui capiantur a venatoribus.

11. Catuli leonis dissipati sunt. LXX. σκύμνοι δὲ λεόντων ἔλιπον ἀλλήλους. quæ vox quoque est a Latinis usurpata. Lucr. *scymnique leæ.* Atque hoc loco mos observatur leonum etiam parvulorum, qui non gradiuntur, neque prædas faciunt gregatim, sed soli victum sibimetipsis quærunt. Etenim bestiarum partim solivagas esse, partim congregatas Cicero, ex Aristotele, opinor, ait III. Tusc. 38.

Ceterum Davidem Kimchium, & alios eum secutos, qui septem numero in leone gradus notent ætatis ac distinguant, & suis quemque nominibus appellent, refutare conatus est Samuel Bochartus. Primum universe, quod parum credibile sit, tam minute tamque enucleate veteres Hebræos versatos in re, quæ tanti non esset, in bestia fera, quæ cum homine non modo commercii & rationis nihil haberet, sed et infesta maxime atque inimica foret. Deinde singulatim, quia præter duo vocabula, גור *gur*, & כפיר *cephir*, quorum prius catulum leonis, posterius parvulum leonem & lacte depulsum recens significat, in aliis quinque nulla ducitur ratio ætatis. Siquidem & ארי *ari*, vel אריה *arieh*, leonem generatim quemvis notat inter narrandum, & שחל *schal*, niger sit leo, & שחץ *schats*, ne leo quidem sit, sed elatio vel proceritas, & לבי *labi*, leæna sit, non leo, & ליש *lais*, vel *lais*, non jam effetus leo, qui per ætatem ac vires insequi feras & rapere atque prædari non possit, sed potius robustissimus, & ad venandum maxime idoneus. Id ex isto Jobi loco ostendi, in quo Dei prædicet vires, qui magnum sane non faceret, quod vetulos leones domaret jamque defectos viribus. sic futurum, ut vis elevaretur argumenti. Verumtamen Kimchio & aliis hujusmodi grammaticis nonnulla favent. 1. Cui tenue hoc & exile visum pro septemplici varietate & incremento ætatis distinxisse leonem, principem ferarum, & nominasse: Leoni Arabes,

ut

12. Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.

13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines:

14. Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.

15. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audivi.

17. Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?

18. Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem:

19. Quan-

12. Ecce autem arcanus sermo mihi creditus: & ires
Suspensæ modicos furtim excepere susurros.

13. Nox erat, & stratis homines sopor altus habebat,

14. Visaque turbabant circumvolitantibus umbris:

15. Cum levis ante oculos ficta sub imagine oberrat
Spiritus. inde gelu sanguis coit: ossaque & artus
Pertentat tremor: arrectique horrore capilli.
16. Ignoti mihi clara viri se forma videndam
Obtulit in somnis: auræ ceu lene sonantis
Reddita vox patulas ita demum fertur ad aures.
17. Ecquis facta Dei factus sua conferet? ecquis
Auctorem ante suum sceleris vir purior ibit?
18. En lecti falluntque fidem mutantque ministri,
Cœlicolumque palam deprensa in crimine turma:

19. Quan-

ut ipse docet Bochartus, imposuerunt nomina vigintiquatuor præcipua, aliaque complura: Hebræi si nomina septem leoni fecerint, otiose & inutiliter fecisse putabuntur: præsertim cum non leonem unum otiosis nominibus, sed leonis ætates septem totidem vocabulis significatas velint? Jam cum in Judæa, Syria, Arabia, frequentissimi leones fuerint, crebra venatio, captura non cara: quis non videt satis id fuisse causæ Hebræis, cur leonem, quem caperent sæpe, & notissimum haberent, distinguerent ætatibus, & diversis notarent vocabulis? Hoc faciunt etiam nunc venatores nostri, proque varia, qua tum fuerint ætate, aprum, cervum, alias feras, varie nominant. Nam quod ait idem scriptor, vim fieri minorem argumenti, vel nullam potius, quo Jobus utatur ad commendandam potentiam Dei, si de sene leone, effeto jam & imbelli, meminerit; non hoc agitur scilicet; sed illud: leonem, quacumque sit ætate, catulum, grandiorem natu, senem, rugitu, dentibus, prædandi vi denique deficere, atque a vita aliquando deleri.

12. Porro ad me dictum est verbum absconditum. Auctoritatem dictis conciliat suis, ex oraculo seu vero sive conficto. quod ipsum tamen mali nihil habet. Hoc enim tantummodo suadet, neminem, si cum Deo comparetur, justum esse. Itaque non video quamobrem declament in Eliphasium nonnulli tam vehementer, quasi impia & scelerata proferat. Nihil contra Jobum, fateor; parum ad rem fortasse loquitur. Sed hic & sæpe alias in eo totus est error, quod existimet una cum locus, ac parum tamen argumentis probet, etsi probare contendat, pœnas ab improbis semper repeti debitas, innocentes tutos & vacuos ab omnibus omnino malis esse.

Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.

16. Vocem quasi auræ lenis audivi. Firmat Symmachus utrumque locum vulgati interpretis nostri, καὶ ἐδέξατο τὸ οὖς μου ψιθυρισμόν. ἠρεμίας φωνὴν ἤκουον, cum LXX alia quædam Complutenses habeant, Sixtini etiam diversa magis. Atque hic & versu xvi. observatio valet quorumdam, hariolos, umbras, dæmones, si consulti responsum edant ex oraculo, mittere vocem obscurius, ac stridere potius & mussitare, quam loqui, vel fallendi studio, ut Psellus de dæmonibus loquitur, vel ut ostentent, quantum ego arbitror, aliquid fundi secretius & augustius, & quod habeat mysteriorum plurimum. Quemadmodum qui summisse loquuntur, & in aurem aliquid insusurrant alteri, rem volunt videri arcanam magis, minimeque prodendam: oracula autem ex adytis & penetralibus edi solita, unde horror aliquis, & major quædam religio.

13. In horrore visionis nocturnæ. Hic aliqua disputari possunt. Primo utrum hoc visum somnii Eliphaz commentus sit, an Deus, an dæmon dederit, an natura & moribus quasi fortuito obtigerit. De quatuor enim unum necesse. Deinde quid tribuendum & quanta fides adjungenda somniis, quæ fiunt secundum quietem. Tum quatenus rem committere liceat sortibus, quando fas, quando nefas. Sed hunc sermonem, qui alios quoque sermones excitaret, missum facimus. Sacris literis vetamur: permittunt literæ sacræ: qua cautione sit opus ad eam rem, quave distinctione, ex insigni theologo pete sanctoque viro, Thoma Aquinate, 2. 2. q. 95. a. 6. & 8.

14. Pavor tenuit me. Expavescere, contremiscere omnibus artubus, spectris perterreri, minime novum. Quo magis fidem facit Eliphas, sibi obversatam ante oculos speciem ignotam quamdam, quæ se de Deo, deque homine, quam longe differrent inter se justitia & sanctitate, edoceret.

15. Et cum spiritus me præsente transiret. Diversa duo quædam vulgatus significari vult. Id intelligi licet ex eo primum, quod una speciatim vox exprimatur, *spiritus*, altera generatim, *quidam*. Deinde quod is spiritus dicatur transire, quidam stare. Nec est in Hebræo quidquam repugnantiæ, aut apud LXX. quominus vehementior ventus antecesserit, qui perflaret Eliphasium: deinde secutus sit Deus aut angelus, cujus visa vox continuo post audita.

17. Numquid homo, Dei comparatione? An vero, si cum Deo homo comparetur, tam recte hic & ratione omnia facere, quam ille, existimabitur? *Croira-t-on que l'homme a plus de raison à faire ce qu'il fait, que Dieu même: & que la creature est plus parfaite que son Createur?* Video tripliciter hunc accipi locum posse, aut esse sane acceptum. Numquid a Deo justus homo fiet, sive apud Deum judicem & cognitorem justus erit? Et, numquid præ Deo justus homo erit? Utrumque verissime dictum. Cum sit Deus justissimus, quis cum eo comparari justitia potest? Cumque perspicacissimus sit, in quo tandem sive homine, sive angelo, sit licet uterque purissimus, non deprehenderit nævi aliquid & macularum. Neque Eliphas hoc quasi axioma protulit semel, sed idem decimo etiam quinto capite iterat: neque solus, sed Baldadus id ipsum vigesimoquinto capite habet. Quare quod Codurcus tantopere contendit, hoc falso esse ab Elipha & impie prolatum, ideo facit, ut sese removeat magis a suspicione erroris Novatorum: qui quidem Novatores neminem esse justum vellent sua, sed Dei, quæ cuilibet imputaretur justo, justitia. Verum hæc alia quæstio est, aliud intelligitur. Itaque erroris non condemno Elipham, qui verum dixerit: sed in eo prudentiam requiro, qui hoc illud facere contra Jobum existimarit.

Aut factore suo purior erit vir? Est illud, de quo admonui prius, fieri persæpe, ut altera pars versiculi sit interpres & quasi explicatrix alterius, remque aliquantum augeat: homo, vir, ἄνθρωπος, ἀνήρ, אנוש, גבר *gaver enosh*, conferri cum Deo justitiæ laude, suo esse Creatore puriorem. Qui LXX. reddiderunt ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ ἄμεμπτος ἀνήρ, videntur legisse non מעשהו *mehosehu*, participium cum præpositione, sed מעשיו *mimahasau*, nomen Heemanticum cum eadem præpositione. Et vero מ præcedit, quod iterum ponendum fuit.

18. Ecce qui serviunt ei. Symmachus hic, ut sæpe alias, cum vulgato interprete nostro consentit. ἐν δούλοις αὐτοῦ ἀβέβαιοι, καὶ ἐν ἀγγέλοις αὐτοῦ ἀφροσύνη εὑρίσκεται. Qui idem in sequenti versu, vulgato quoque convenienter, πόσῳ μᾶλλον τοὺς κατοικοῦντας οἰκίας πηλίνας, ὧν χοῦς ὁ θεμέλιος. Quo tamen Hebræus & LXX. etsi aliud videntur sentire, revocari possunt. Nam ambo cum dixerint, *non credet servis suis*, scilicet levitati & inconstantiæ eorum, non erit, quod fidem habeat. Cum Hebræus habet, *non ponet in angelis gloriationem*, est id, quod Galli loquimur, *il ne s'est pas toujours loué d'eux, il a trouvé à redire en leurs actions.* Quodque habent LXX. κατὰ δὲ ἀγγέλων αὐτοῦ σκολιόν τι ἐπενόησεν, nihil est aliud, quam quod noster interpres habet, *in angelis suis reperit pravitatem.*

19. Quan-

19. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?

20. De mane usque ad vesperam succidentur; & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.

21. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

19. Quanto culpa magis, tineæ ceu cuspide, rodet,
E fluxo male farta luto qui tecta casasque
Instabiles, terræque habitant fundamine nixas:
20. Hos jam inde a primo succidens lumine solis,
Una eademque dies ad sera crepuscula tollet:
Et, ventura animo quoniam nemo ante sagaci
Occupat, æternum nec opina morte peribunt,
21. Sic meriti. Natos horum parvosque nepotes,
Quotquot erunt, eadem fati vis opprimet urgens
More patrum incautos, animisque insana parantes.

CAPUT V.

Idem urget argumentum Eliphas de Deo, deque Jobo: Deum sapientem, justum, potentem, misericordem, ac benignum esse, qui omnia, ideoque supplicia, jure & ad nutum dispenset ac distribuat. Sub finem capitis, ad Jobum propius convertit sermonem, hortaturque ut ad Deum confugiat, & meliora speret pœnitendo. Si fecerit, prospera omnia fore denunciat ac pollicetur.

1. VOCA ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere.

2. Vere stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.

3. Ego

1. ERgo voca superos, si quis tibi forte favebit
Aligerum, & manibus responsum exposce supinis.
2. Ira suum auctorem, laxas male sanus habenas
Dum sibi permittit, nimioque accenditur æstu,
Interimit certe. Furor est sua pœna furenti;
Debilis, impatiens, dum vim non sustinet æger.

3. Hunc

19. QUANTO MAGIS HI, QUI HABITANT DOMOS LUTEAS. Quandoquidem non angeli stant ipsi semper quasi mole sua; nec in eis recta omnia invenit, vel Deus potius invenit; sed obliqua quædam: quanto minus constabunt homines sibi, nec corruent, nec deficient? Notantur porro homines & discernuntur ab angelis, sive quod ipsi corporati sunt, luteum pæne opus atque ex argilla factum, sive quod in terra habitent male materiatis maleque fundatis domiciliis.

TERRENUM HABENT FUNDAMENTUM. Jactum in pulvere, loco non solido, sed congestitio.

CONSUMENTUR VELUT A TINEA. Ita consumentur, ut quæ consumuntur a vermibus, blattarum ac tinearum epulæ. Hoc idem LXX. ἀλλ᾽ ὡς σητὸς τρόπον. Sed Hebræus לפני עש *liphne hesc, ante tineam*, hoc fortasse sensu: pereunt multis modis, antequam ultima mors conficiat, & tineis pascant in sepulcro. quo modo, *ante panem*, est, antequam quis comedat: *ante solem*, antequam luceat: ita, *ante tineam*, antequam hæc, ut solet, rodat, & absumat.

20. DE MANE USQUE AD VESPERAM SUCCIDENTUR. A mane ad vesperum, id est, assidue fit, ut nulla pars diei vacua sit clade atque interitu.

QUIA NULLUS INTELLIGIT. Hebr. *ob non ponentem*. Nemo advertit animum, neque cavet scilicet sibi, aut prospicit rationibus suis. LXX. quod se tueri ac defendere nequaquam possint. Est qui velit perire omnes, non quod nemo cor sive mentem habeat, sed cum nemo adhibeat manum, id est, per se quemlibet & suapte sponte, nullius impulsu concidere. Sed in Hebræo ad verbum משים facile video subaudiri posse לב *lev*, cor, non autem יד *jad*, manum. Sic itaque reddiderim: *Tous perissent pour jamais, sans que personne s'en mette en peine*; non vero, *sans que personne y mette la main pour les pousser à bout.*

21. QUI AUTEM RELIQUI FUERINT. יתרם *jithram, reliquiæ eorum, dignitas.* Radix hujus vocis יתר *jathar*, duplex significatus, superesse & excellere. Ut nihil erraverit noster interpres, qui ita vertit. præsertim cum & Complutensis & in scholio quodam Sixtina editio sic habeant: ἐξῆρε τὸ ὑπόλειμμα αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, *abstulit reliquias eorum in eis.*

MORIENTUR, ET NON IN SAPIENTIA. Non quia, ut quidam ait, mortem nulla arte aut sapientia possunt evadere: sed qui pereunt stultitia sua, homines socordes, neque satis in re sua diligentes & attenti.

EXPOSITIO CAPITIS V.

1. VOCA ERGO, SI EST QUI TIBI RESPONDEAT. Summa hic varietas interpretum, & mera, meo judicio, divinatio: de quo neque habeo, quid cuiquam assentiar; neque habeo, ipse quod sentiam. Hæc, qualiacumque sint, accipe. Si mihi non credis, o Jobe, te reprehendenti, divina prædicanti, sive ex sensu meo, sive ex eo, quod divinitus objectum est: interroga ipse cœlites, & experire numquidnam dictuli sint secius. Aut: I nunc, homo mortalis, fictus e terra & luto, infima conditione generatus: appella tu angelos, cumque iis confer sermonem, si te dignum colloquio congressuque suo duxerint. Quanto minus convenit te natalem execrari tuum, hoc est, communem parentem & auctorem Deum subaccusare? Aut quomodo, inquit, tam arroganter audes loqui, cum, non dicam, Deus, sed ne angelus quidem ullus verbum tecum communicare velit. Ita Olympiodorus. Quod ad unum aliquem sanctorum monet, ut se convertat, quidnam id sit, LXX. declarant: ἢ τινα ἀγγέλων ἁγίων ὄψῃ.

2. VERE STULTUM INTERFICIT IRACUNDIA. Irasceris, Jobe, ob res adversas tuas; invides improborum secundis: quod utrumque facere, hominis simplicis ac stulti est. Et vero sua iratum iracundia, sua invidum invidia misere enecat. Parvulum Symmachus νήπιον, sive, ut est in Hebræo, simplicem, Rabbi Levi interpretatur pronum in desideria, & præcipitem, hoc est, avidum habendi, qui ad ea, quæ cernit, facile cupiditatis oculos adjiciat. Invidia autem abjecti & pusilli animi: vereque dicitur, neminem alterius, qui suæ confidat, virtuti invidere.

3. EGO VIDI STULTUM FIRMA RADICE. Hoc est: vidi ego improbum, qui radices agere cœpisset quam altissime, & habere videretur fundatas atque optime constitutas opes. Sed ex eo nihil auguratus sum boni; immo omnino eum ominibus prosecutus sum, judicavique non diuturnum fore. Hebræus משריש *mascrisc, radices agentem*, LXX. ἄφρονας ῥίζας βάλλοντας. Non enim intelligitur, qui radices egerit, sed qui agat, aut agere conetur. Quod hic noster habet interpres, *pulcritudini ejus*, & versu XXIV. *speciem ejus*; observandum eadem Hebræum voce usum fuisse utroque loco נוה *nave, habitaculum*, quam vocem tamen reddidit quidem Sixtina editio, ἡ δίαιτα, sed Complutensis, ut nostra, uno loco τὴν εὐπρέπειαν, altero τὴν ὡραιότητα vertit.

4. LONGE FIENT FILII EJUS A SALUTE. Hominis nequam & improbi posteritatem multis calamitatibus affirmat opprimi, & in judicio circumveniri. Nam porta forum est judiciarium, quod ad urbis portam in illis consti-

tui

3. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulcritudini ejus statim.

4. Longe fient filii ejus à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat.

5. Cujus messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus.

6. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non oritur dolor.

7. Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.

8. Quam ob rem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:

9. Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero;

10. Qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa:

11. Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate:

12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant:

13. Qui

3. Hunc ego, quem jactant firmum radice tenaci,
Mecum animo ut vidi; damnavi & robur inane,
4. Et formæ decus, actutum. Spes nulla salutis
Dilectæ soboli. Soboles extrema reorum.
Supplicia, & mulctas, nullo servante, subibit,
Judice sub duro, vinclis & carcere languens.
5. Indiga plebs, dominante fame, raptabit edetque
Solliciti messem maturam patris, & ipsum
Prædo reluctantem dextra contundet & armis.
Fur quoque opum sitiens locupletem exhauriet arcam.
Quare adhibe tibi, Jobe, modum: tu parce querelis,
Parce tuum luctu natalem urgere supremo.
6. Nil geritur rerum immerito, nec causa dolorum est
E nihilo, incultis aut hic enascitur arvis
Sponte sua. Heu miseri fcrimus, metimusque dolores
7. Quisque suos! Hominem videas natum esse labori,
Tranandis & aves natas, penna alite, nimbis.
8. Nec minus, hac genitos mortales sorte, potentis
Fas numen mollire Dei, & superare precando.
9. Mirum ille & varium, non enarrabile & ingens,
10. Edit opus. Campis fœcundos sufficit imbres,
Cunctaque perfundit terrarum atque irrigat undis.
11. Tum sublime levat depressos, mœstaque corda,
12. Sospitat attollens. Agitatum difflat in auras
Mente nefas, interque manus cœpta improba rumpit.

13. Sci-

tiui regionibus solitum. Pro, *contcrentur*, LXX. in Sixtinis codicibus habent κολαβρισθήσονται. quam vocem interpretantur Didymus & Suidas, contemnantur, dehonestentur; dicuntque κολαβρίζειν vel καλαβρίζειν significare nefrendem. Hesychius ait esse σκιρτᾷν, subsilire; ut sit idem atque insultare.

5. Cujus messem famelicus comedet. Inverte sane ita: sitientes bibent divitias illius: ejusdem messem famelicus comedet: ipsum rapiet armatus. Per famelicum & sitientem, aut pauperrimos & mendicos intelligimus; ut intolerabilis contumeliæ sit a contemptis viris & mendicabulis, vidente se, bona sua diripi tanquam publicata atque proscripta: aut rapaces & aberri cupidos, etiam divites, significari volumus. Sed pro eo quod est, *ipsum rapiet armatus*, quod etiam habent LXX Complutenses, & Symmachus, hodie vertunt Hebræi, *& de inter spinas tollet eam*, inepta sententia, *etiamsi*, inquiunt, *inter spinas abdita sit*. Verumtamen Græci, ac noster, alia puncta legerunt: nempe מצנים *missanim*, quasi dicas, *clypeatos*. Est enim צנה *tsina*, *clypeus*. Similiter pro, *sitientes*, quidam legunt, *cincinnatos*, atque aiunt esse prædones. Sed interpretationem nostram etiam ex Hebræis sunt qui amplectantur.

6. Nihil in terra sine causa fit. Quoniam Job præter meritum suum tot se malis affici querebatur, docet Eliphas non temere ac sine causa hominibus adversa contingere: neque, ut ab humo pullulant injussa gramina, & nocentes herbæ proveniunt sua sponte, ita dolores & ærumnas enasci per se atque existere. Hebræus & LXX. rem camdem diverso modo conceptam habent. Non ex terra labor & dolor ultro erumpit: sed iniquitate hominum suscipitur & contrahitur. כי autem particula, quæ habetur initio versus, vel, *revera*, significat, ut affirmet magis; vel est, ut alibi sæpe, adversativa, ut causam rei afferat.

7. Homo nascitur ad laborem. Inferitur istud obiter ad redarguendum Jobum. Cum omnes homines peccent, justo Dei judicio, non naturæ sponte, mala perpetiuntur. Itaque decet ingruentes calamitates æquo ferre animo, non, ut facis, pueriliter lacrymari.

Et avis ad volatum. Tam homo natus est ad laborem, quam volucres & aëria omnia ad volatum. Eodem Græci conspirant, Complutenses & Sixtini; etiam ii, qui in Hebræo toti, aut propius hærent, Aquila & Symmachus.

8. Quamobrem ego deprecabor Dominum. Nihilominus, inquit, hoc est, quamvis ex merito cruciamur, non tamen despondendus est animus, sed Deus implorandus. aut, equidem si istic sim, & eadem, quæ tu, pati cogar; deprecer potius Deum, quam expostulem, aut excandescam. Aliter: Etsi hac generati conditione sumus, multa ut peccemus, multa ut perferamus; non tamen cessare in vota ac preces debemus: immo multo magis ad Deum confugere par est miseris & laborantibus.

9. Qui facit magna et inscrutabilia. Hæc universe de divinis operibus. Qui efficit ingentia, quæ investigare & animo consequi; admiranda, quæ percensere numerando, nemo possit. Inscrutabilia noster interpres reddidit. LXX. interpretum ἀνεξιχνίαστα. Sed hæc vox Græca, illa non Latina sicuti nec, *investigabilis*, nec, *impervestigabilis*, Latine dicitur. Adverte autem versum hunc eumdem totum, quem Eliphas hic profert, ab Jobo repeti c. ix. v. 10. atque ex parte ab Elihu c. xxxvi. v. 5. quod argumento est, non compta & elaborata ad unguem omnia ab hoc scriptore, sed neglecta quædam, & perscripta simplicius fuisse.

10. Qui dat pluviam super faciem terræ. Illa singillatim de certis quibusdam. Quod imber e cœlo dispensatur identidem, & quasi vicibus, ad fœcunditatem terrarum, non hoc a Deo beneficium assiduum & continuum habemus, quo modo solis lumen, reliquorumque siderum vim propriam; idcirco fit de imbre, quasi de maximo munere divino, mentio. Præterea cum in pascuis ac pecudibus fortunæ Jobi & ceterorum ejusdem memoriæ locupletium virorum sitæ res essent, hæ vigeant autem, alantur, & crescant imbribus: non hoc omittendum videtur fuisse in maximis providentiæ divinæ operibus liberalitatis & beneficentiæ genus. Adde quod in Arabia, Syria, Judæa, locis quibusdam aridis & sitculosis, ut summa amnium paucitas, summa cisternarum necessitas & usus, ita summa laus & commendatio aquarum cœlestium & pluvialium. Quare & hoc persæpe libro imbres, & apud prophetas passim, in maximi beneficii divini parte numerantur.

Irrigat aquis universa. Nolo hic agi de alio genere aquarum, ut de fontibus & fluviis, quorum sunt constantes & perpetui in mare decursus, aut de mari, cujus est jugis & immensa collectio acervusque aquarum: sed de aliquot donis a Deo datis, ac de prodigiis hominum causa editis.

11. Qui ponit humiles. Ex Hebræo, *ut ponat*. Quasi dicatur: profundendis imbribus fertiles Deus agros efficit alios aliarum stirpium & fructuum: ut abjectos excitet ac tollat in sublime; mœstos ac sordidatos, salvos & incolumes præstet.

12. Qui dissipat cogitationes malignorum. Disturbat Deus male cogitata improborum, ne quid

axe-

13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.

14. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

15. Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.

16. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.

17. Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes:

18. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt.

19. In sex tribulationibus liberabit te: & in septima non tanget te malum.

20. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii.

21. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem, cum venerit.

22. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.

23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

24. Et

13. Scilicet, astutos astu occupat: ipsa malorum
Consilia in ventos rapit irrita fertque protervos.
14 Sole orto incurrent tenebras, lucisque diurnæ
Sub medium, ceu nox terram subtexeret umbris,
Palantes manibusque viam pedibusque requirent.
15. Ast hominem, hos contra, miserum defendet ab oris
Opprobrio Deus, & petulantis vulnere linguæ:
Deque manu educet violenta, & tollet iniquum.
16 Nec deerit spes ampla inopi: se stringet avara
Improbitas, prædæque inhiantia contrahet ora.
17. Felix ille operum, ter & amplius, atque laborum,
Cui bonus admissum Deus increpat. Ergo fer æquis
Objurgantem animis, monitusque admitte severos.
18. Namque manu plagas infert & sanat eadem.

19. Hic te servabit bis terna a clade pericli,
Septima quem post deinde malo non presserit ulla.
20. Sive fames sævit, seu belli pugna; per illum
Integer, eripiere fame; eripiere duello.
21. Tectus eris, neque dente petet te livor acuto
Obtrectantum aliis, felici & sorte dolentum.
Et quicunque citis casus tibi venerit alis,
22. Venerit impavido. Vasta ac deserta locorum
Ridebis, steriles que agris cessantibus annos.
Nec tibi erunt terrori ullæ pecudesve feræve.
23. Quin votis lapidosa tuis, ceu fœdere pacto,
Respondebit humus, neque lætum differet uber.
Nec metus, illidas saxo ne forte reperto,
Inscius ipse, pedem; neu te vestigia fallant.

24. Ipse

exequantur rei ac perficiant. Consiliis nimirum acta, actis eventus minime respondent, id agente Deo, ut suæ illos malitiæ tædeat pigeatque.

13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. Nihil quidquam tam videntur vafri & callidi homines metuere, quam ne ipsorum deprehensa manifesto fraus & astutia appareat; non modo quia nullum u fructum illius suæ rationis callidæ capiunt, quæ semel nota facile impeditur; sed quia minime videntur, qui videri maxime sapientes velint.

Consilium pravorum dissipat. Id jam dictum proxime, *dissipat cogitationes malignorum*. Neque in Hebræo eadem vox utroque loco, sed illic, *dissipat*, hic, *infatuat*: quod convenit magis, majoremque vim habet.

14. Per diem incurrent tenebras. Neque tantum nihil succedit ex sententia hujusmodi hominibus tectis, & obscuris, & versipellibus; sed etiam qui in rebus difficillimis & implicatissimis plurimum videre videantur, in claris & expeditis hærent, titubant, offendunt, nihil vident denique, & prætentare iter bacillo coguntur. Ita illis quæcunque hora diei, meræ tenebræ: meridies, cæca nox & caliginosa.

15. Porro salvum faciet egenum. Non artes solum elusæ a Deo eorum, qui improbi fuerint in alios, sed vis quoque refutata & erepti imbecilles ex hominis violenti ore ac faucibus, atque servati.

16. Et erit egeno spes. Iidem inopes & infirmi sperare & securo esse animo jussi: interim dum pudore atque admiratione obstupefactus vir nequam conticescat: qui se frustra fuisse intelligat, cum opprimere conaretur innocentem.

17. Beatus homo, qui corripitur a Deo. Gravis hæc atque ardens cohortatio ad quidvis toleranter ferendum; corripi a Deo, & increpari non nolle: beatum isto animo, ista patientia hominem.

18. Quia ipse vulnerat et medetur. Causa illius felicitatis hæc prima est, quod remedia vulnerum & incommodorum petenda non procul: quando idem malo medeatur, qui idem malum inferat.

19. In sex tribulationibus liberabit te. In alias ex aliis calamitates si incideris, emerges ex quavis, & servabere opitulante Deo. Si quid præterea impendeat tibi aut ingruat; non modo non succumbes, sed ne attinget quidem te ulla vis & acerbitas mali. Ostendit nonnunquam permittere Deum, ut calamitosi aliquid, aut etiam plurimum, incidat hominibus: qui si tamen convertantur, & ad se confugiant, eos tandem eripere. Non placent hic nimium diligentes, qui in isto laborant, ut calamitates percenseant singulas, nullam prætereant, numerum omnino expleant, plus aliquid afferre nefas putent. Senarius aut septenarius pro quolibet numerus usurpatur. Quod vero sex & septimam distinguit auctor: perinde est ac si septem simpliciter dixisset. Cujusmodi locutio Proverb. vi. v. 16. legitur: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus*. Quo loco quia septem numero quæ Deus oderit, non plus eo minusve, ordine commemorantur: quin hic quoque certus calamitatum numerus, quibus infestus homo sit, afferatur, non multum repugnem. Illud tamen prius existimaverim satius; tot tantisque malis, quibus exposita est hominum vita, liberabit te Deus: ad quæ si qua fiat cumuli instar accessio, nihil id ad te pertinebit.

20. In fame eruet te de morte. Si inire juvat & subducere rationem malorum, ut volunt nonnulli, hæc habeto sex ordine aut septem: famem, bellum, linguam malam, calamitatem, vastitatem, rursum famem ab hominibus, a belluis vastitatem. Facessunt hic negotium, primo vox una bis posita, *fames*, pro duabus Hebraicis רעב *ragbab*, *fames*, & כפן *kaphan*, *fames*. Deinde voces duæ, *calamitas* & *vastitas*, pro Hebraica una iterata שד *schod*. Sed de utrisque, suo quæque loco. Fames isto versu universe intelligi potest ea, quæ nata ex agrorum sterilitate, & frugum inopia. Novimus enim experientia etiam tum ibique famem esse, quo tempore quoque loco ceterarum rerum abundantia est, si frumentum aut seges desit. Versu autem xxii. accipitur fames quæ per hominum malitiam ex agrorum vastitate & depopulatione existit, aut ex frumento, quod compressum tenent per avaritiam & quæstus causa, unde caritas annonæ consequatur. Nihil nos hic LXX. juvant, qui alia quædam loquuntur. Nec Rabbini doctores non divinant, qui duplicem famem interpretantur, vastitatem duplicem.

21. Non timebis calamitatem, cum venerit. Calamitas est, si grando aut uredo, aut quid ejusmodi segetibus, pratis, vineis, arbustis nocuit: & calamitosum solo ac cœlo vectigal agri, quo ex agro fructus annui non reficiuntur propter tempestatis offensionem aliquam.

22. In vastitate et fame ridebis. Non modo non metues, ne quid calamitatis accipias, sed etiam in omnium vastitate & penuria cibi, rebus intactis & illibatis tuis lætabere.

Et bestias terræ non formidabis. In publicis

24. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam, non peccabis.

25. Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ.

26. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus in tempore suo.

27. Ecce, hoc, ut investigavimus, ita est; quod auditum, mente pertracta.

24. Ipse videbis, uti pacem tentoria certam
Obtineant; secura domi stent cuncta forisque.
Res, & opes, & opum pulcherrima quæque tuarum
Lustrabis: neque culpa ideo te obstrinxeris ulla:
Nec tibi de numero quidquam summave peribit,
A vero fuerit nec aberrans calculus ipso.

25. Nec te animi fallet, quam castis ex Hymenæis
Succrescat tibi progenies: adnascitur herbæ

26. Herba velut, surgitque ferax. Conderis avito,
Plenus opum & vitæ, tumulo. Sic horrea fertur
In sua prædives maturo tempore messis.

27. Vera loquor longoque mihi jam cognita ab usu,
Quæ memori deinceps tu condita mente revolve.

CAPUT VI.

Significat Jobus non injuria se, nec satis graviter pro magnitudine malorum, queri. Quod ut ostendat, mala quanta sint, quibus opprimitur, pergit exponere. inter quæ etiam numerat, quod amici graves sint & molesti, qui consolari debuerunt. Horum igitur officia requirit, & imprudentiam accusat, & ab iis sibi fieri postulat audientiam.

1. RESPONDENS autem Job, dixit:

2. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera.

3. Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde & verba mea dolore sunt plena:

4. Quia

1 SIc Jobus contra renovatis questibus egit.

2. O utinam geminæ librato examine lancis,
Pendeat hinc dignum scelus ira vindice nostrum,
Atque hinc, quem patior, pœnæ modus! ibit arena

3. Pœna gravi gravior, trutinam quæ deprimat infra
Parte sui. Inde ad me non infecunda dolorum

4. Ma-

blitis calamitatibus, quibus hominum genus affligi solet, Marcus Tullius, vel potius Dicæarchus, numerat belluarum repentinam multitudinem, quarum impetu quædam hominum sint genera consumpta. Sed malim tamen intelligi bestias vel erucas vel feras, quæ quoquo modo noceant homini, & pauperiem facere in jure dicantur, aut eas belluas sane, quæ incursent in agros, & damnum dent non mediocra segetibus, quodam quasi vastatu: aut insecta quæ dicuntur, aut quæ repunt, sive rodant stirpes, sive frondes carpant, sive insidiantur floribus, & fructus intercipiant.

23. SED CUM LAPIDIBUS REGIONUM PACTUM TUUM. Illud priori huic expositioni maxime consentaneum, ut dicatur, tibi convenit cum terminis & finibus, & materia & sepimento agrorum; ne quod eos animal incurset atque devastet: sed pacem potius cum animantibus cunctis habeas. Tametsi non sum nescius hujus dicti, quo LXX. carent, aliam, eamque multiplicem afferri interpretationem posse: vel, respondebit votis tuis tellus & saxetum, quasi ex pacto: vel, cavernæ, quibuscum tibi initum est fœdus, nullas in ea feras submittent: vel, nihil offendes, nusquam incurtes. nec lædet pedem, neque cades. Juxta illud psalmi xc. v. 12. *In manibus portabit te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Percutere autem fœdus cum re aliqua, est, ab illa non oblædi, nec habere adversariam, aut infestam, ut Isaiæ xxviii. v. 15.

24. ET SCIES, QUOD PACEM HABEAT TABERNACULUM TUUM. Non foris solummodo pacata erunt & tranquilla omnia, sed etiam domi otium, quies, securitas, te manet.

VISITANS SPECIEM TUAM. Recognoscens & recensens speciosissima quæque tua. Speciem appellat bonorum affluentiam, hoc est, supellectilem, greges, familiam denique universam: quibus rebus & earum quasi venustate atque copia affici delectarique soleant homines. Hoc dixerim, quoniam Hebraica dictio נוה *nave*, tam pulcritudinem & speciem, quam habitationem significat. Porro *non peccabis*, idem est ac, non aberrabis, nihil abesse senties a summa, neque quidquam desiderabitur, conveniet numerus quasi ad nummum. Simile aliquid & par potestas vocis חטא *chata*, Jud. xx. v. 16. Illic sagittarii non aberrabant a scopo: hic non aberrabitur a numero. Illi jaculando nihil aberrabant: ista numerando nihil aberrabit.

26. INGREDIERIS IN ABUNDANTIA SEPULCRUM. Abundantiam hic intellige ætatis & annorum: Maturus, inquit, ac satur dierum, nec, nisi summa senectute, diem claudes; nedum præcoci & acerbo funere. Hebraica dictio כלח *kela*, hoc tantum loco, & cap. xxx. v. 2. reperitur: ubi LXX. συντέλειαν, id est, perfectionem, vertunt.

EXPOSITIO Capitis VI.

2. UTINAM APPENDERANTUR. Neque in Hebraico contextu, neque apud LXX. ulla mentio hic delictorum Jobi, sed querelarum & indignationis. Videtur interpres noster locutus ex sermone adversariorum Jobi. Ii enim Jobo objecerant, neminem ullis malis, nisi culpa sua, premi. Nunc Jobus respondet, non ex suo, sed ex aliorum sensu: peccata, quibus iram, ut vultis, merui: seu, quibus iram meruisse videor vobis. Hæc autem loqui Jobus potuit; quamvis & antea nihil confessus sit de peccatis; & post, innocentiam sæpe suam venditet. Itaque non est aliena hæc a Jobo oratio, ut Mercerus vult: tametsi nullum suum delictum agnoscat. Quod licet ita sit, tamen convenientius videtur, expostulationem cum calamitate conferri, eamque ista ostendi minorem. Hoc siquidem nomine Jobus reprehendebatur, quod nimis graviter conquereretur statum suum, ac deploraret. In libræ igitur altera lance poni vult expostulationem suam, in altera calamitatem: fore autem, ut calamitatis lanx longe multumque propendeat.

3. QUASI ARENA MARIS HÆC GRAVIOR APPARERET. Observa, *arena maris*, sexto casu dici, in hanc sententiam. Mea quidem calamitas tanta est, ut arenam maris, id est, rem gravissimam gravitate vincat. Textus id Hebraicus & LXX. volunt. Καὶ δὴ ἄμμου παραλίας βαρυτέρα ἔσται. Non placet opinio Merceri, qui in una eademque parte libræ collocari vult malum & conquestionem de malo: utrumque autem momento & ponderibus suis victurum rem quamvis gravissimam. Neque enim hoc pacto satis ostenditur, quanta sit per se magnitudo dolorum, quanta querelarum levitas: cum dolores tamen suos exaggerare velit, querelas extenuare.

UNDE ET VERBA MEA DOLORE SUNT PLENA. Hebræus לעו *laghu*, *absorpta sunt*. Id est, loqui non possum præ doloris magnitudine, vel, assequi verbis non possum, quanta sit magnitudo doloris mei. Aliud nihil fere LXX. habent: ἀλλ' ὡς ἔοικε τὰ ῥήματά μου ἐστὶ φαῦλα. Sed videlicet verba sunt mea mala, qui gemam & conquerar: mœsta,

4. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.

4. Materies. Hæret Domini mihi plurima arundo
Letalis, venisque micantibus elicit haustus
Sanguineos, animasque leves exsugit, & infert
Terrorum condensa cohors lacrimabile bellum.
An si causa subest levis atque injusta gemendi,
Plorem ego, vel tantos expromam pectore questus?

5. Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?

6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?

7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

5. Silvestris gemet læta inter gramina asellus,
Mugiet aut plenis taurus præsepibus adstans?

6. Quis contra non insulsis sibi temperet escis?
Quis morsu premat, & gustu letalia tentet?

7. His tamen insipidis, stomachus queis nauseat æger,
Quæ fastidibam prius, & tractare negabam
Dura manu, vesci penuria adegit edendi.
Et precibus dubitem miseris accersere mortem,
Vix vivus, sed deinde mala ad majora superstes?

8. Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?

9. Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me?

10. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.

8. O mihi succedant si vota, Deusque roganti
Annuat exspectata! idem me conterat ipse,
9. Qui cœpit! palmam ad validos gravis explicet ictus,
10. Et succidat! & hæc mihi sint solatia luctus
Exigua ingentis! me parte affligat ab omni!
Non ullis parcat pœnis, parcam ipse querelis!
Nec veniam sanctum contra & venerabile numen!

11. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?

12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

13. Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me.

14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.

11. Qui mihi namque humeri mala tot superare ferendo
Dira pares? quis finis erit? quæ meta dolorum?
12. At mihi non circa pectus Libani aspera cautes,
Carmelive: meum triplici nec robur ab ære est.
13. Ecce meis equidem me viribus ipse juvare
Non valeam: & cari me destituere propinqui.
14. Qui renuit veterem miserari oblitus amicum:
Demens: corde pios Domini excutit ille timores.

15. Fra- 15. Quin-

mœsta, queribunda, lamentabilia verba. Pars hæc posterior tertii versus eadem, quæ prior quinti & vigesimi. Cum Symmacho etiam convenit noster interpres, οἱ λόγοι μου πικροτεροι. Sermones mei amariores: mihi oratio plena stomachi & querelarum. Neque hinc longe Theodotio est, λόγοι ἐγκοποι, sermones molesti, aut intercisi; suspirus scilicet & gemitibus.

4. Quia sagittæ Domini in me sunt. Non mirum, inquit, si ægritudini me & lamentis dedam; cum sagittis venenatis, nec una morte timendis configat me Deus ipse, & immani terrore quatiat. Jam dixi supra quo modo & אל el, & אלוה eloha, & שדי scadai, reddant LXX. ὁ κύριος, ὁ ἰσχυρὸς, παντοκράτωρ. Latini, Deus, dominus, omnipotens. Addo nunc id sæpe fieri, ut uno versu duæ voces usurpentur, ut electe interdum, alias promiscue, ut modo sic, modo aliter una eademque vox reddita sit.

5. Numquid rugiet onager. Quoniam reprehensus erat ab amicis, quod levi de causa tragœdias faceret, ostendit se merito ita conqueri; cum bestiæ ipsæ, nisi gravi aliquo malo cogantur, rudere ac vociferari non soleant. Aut vero, inquit, si bono loco res essent nostræ, aut certe tolerabili; tam dolenter de meis incommodis deplorarem: cum nec feræ in montibus & pascuis, neque pecudes in stabulis, nactæ pabulum, sonum ullum edant?

6. Aut poterit comedi insulsum. Ac ne rem quidem insuavem per seque insipidam quisquam comederit, non adhibito sale: multo minus venenatam ac pestiferam attigerit. Sunt qui hoc dictum referant ad sermones, quibus est usus Eliphas contra Jobum; quasi inanes & insulsos sibi videri dicat, idque ad dolorem suum, tanquam cumulum, accedere. Alii, meo quidem judicio, melius, dictum universe volunt de iis, quæ illi tum molesta & ingrata acciderunt plurima, a quibus antea animo & voluntate abhorrebat, quæque nunc usurpare quotidie, ac cibi instar tractare cogatur. Sequitur enim v. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Existimo igitur significari ulcerum fœtorem, & alia tetra & gravia, ad quæ cum prius nausearet, nunc ea non libenter quidem, sed necessario ferat, tamque familiaria habeat, quotidianus cibus est. Græci: *Fœtorem video cibos meos, quasi halitum leonis.* Plinius, lib. xi. c. 53. *Anima leonis,* inquit, *virus grave, ursi pestilens. Contacta halitu ejus nulla fera attingit, citiusque putrescunt afflata reliquis.*

8. Quis det ut veniat petitio mea. Quam sibi mortem cupide expetierat, nunc a Deo impetrare conatur, & in beneficii gratiæque loco postulat. Negotium porro transigat Deus, qui cœpit, & expediat manus, explicetque ad ictum.

10. Et hæc erit consolatio mea. Atque hoc sibi maximo solatio futurum, si interim, dum ipsum Deus non uno genere calamitatis affligit non leviter, nihil contradicat, nec obloquatur contra Deum, neque quidquam effutiat, denique in ejusmodi patientia malorum obdurescat: ita ut ferendo sit.

11. Quæ est enim fortitudo mea. Commode refertur versus hic undecimus ad octavum, isto sensu: atque utinam, iterum autem utinam, mors tantis meis malis intervenat! Quomodo enim, aut quousque tot adversa ferre possim, tam parum fortis? Adde & hunc versum, & sequentem, respondere capitis quarti binis versibus, quinto & sexto. Quasi notetur ibi Jobus ac vituperetur hoc nomine, quod mollitia quadam animi immoderate ferat dolores non ita magnos: quod nunc a se crimen depellit: neque vero se tantatum esse virium, neque sibi robur & æs triplex circa pectus, ut ait alius poeta longe post, esse, neque tam durum, tamque ferreum, neque silice natum.

13. Ecce non est auxilium mihi in me. Sunt hæc ita nexa cum superioribus: non igitur satis ad patiendum valeo viribus ipse per me. Sed neque qui mihi maxime necessarii sunt, opem ferunt.

14. Qui tollit ab amico. Secutus interpretem nostrum Chaldæus, ut Vatablus habet, & fatetur Mercerus, qui tamen hanc sententiam non probet. Qui se non præbet misericordem in amicum, nullo Dei timore nec reverentia tenetur. Cum sit in Hebræo conjunctio, &: Qui tollit ab amico suo misericordiam, & timorem Domini derelinquit; sicuti versu xvi. Qui timent pruinam, & super quos irruet nix. malim ego simpliciter dici: mei me necessarii deseruerunt, homines immisericordes in amicum, impii erga Deum.

16. Qui timent pruinam. Hebræus: *Qui nigri sunt præ glacie, & super quos tegit se nix.* A quibus procul

Lati-

15. Fratres mei prætericrunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.

16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.

17. Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt: & ut incaluerit, solventur de loco suo.

18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.

19. Considerate semitas Thema, itinera Saba; & expectate paulisper.

20. Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt.

21. Nunc venistis: & modo videntes plagam meam timetis.

22. Numquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi.

23. Vel: Liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me.

24. Docete me, & ego tacebo: & siquid forte ignoravi, instruite me.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me?

26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.

27. Super pupillum irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum.

28. Verumtamen quod cœpistis, explete: præbete aurem, & videte an mentiar.

29. Re-

15. Quinetiam fratres me præteriere superbi:
Sicut ubi furtim decurrit valle supina
16. Unda fugax, stringi metuens canente pruina:
Quam super incumbuntque nives sistuntque fluentem.
17. Mox ubi disjectumque gelu, intepuitque calore;
Illa perit, siccumque vado labente relinquit:
18. Seque, incerta viæ, sub nigrum condit inane.

19. Huc ad aquas Themanes iter mollesque Sabæi;
Aspiee, habent, sperantque sitim depellere rivo.
Frustra: dum veniunt, brevis est mora: jam vaga torrens
Flumina consumpsit, subitoque exaruit æstu.
20. Ad me non aliter propius venistis amici:
Tum venisse pudet: tum viso vulnere primum
Attoniti, retro vultus atque ora refertis.
21. Crudeles. Atqui non vos, non vestra poposci.
Quando, Mihi date, dixi, inopi? quando, Hostis ab armis
22. Eripite imbellem, tetroque auferte tyranno?

23. Audio vos, taceo: tacitum vos ore monete:
Si quid & imprudens occulti ignoro, docete.
24. Quod nisi possitis memet convincere falsi,
Quidnam detractum veris sermonibus itis?
25. Nimirum, instruitur per vos modo copia fandi,
Arguat insontes quæ nosmet & increpet ultro.

26. Nec tum vaniloquis non spargitis aera verbis.

27. Hinc super irruitis pupillum, & fœdere rupto
Quæritis exitium pestemque adducere amici.
28. Verum instate operi, finemque imponite cœptis;
Et præbete aurem, &, quam fundam vera, probate:

29. Ac

Latinus interpres abest, nisi ad idem commoda interpretatione, quasi longo intervallo, reducatur. Vulgo quidem sic interpretari solent, ut proverbii formula demonstretur, stultos, qui periculum aliquod devitare volunt, in aliud incurrere: sed ex Hebræo ita, opinor, melius interpretabere: *Qui nigri sunt præ glacie*; subaudi, *torrentes*, *super eos tegit se nix*, idest, nive teguntur. Quocirca totius hujus loci hæc esse mihi sententia videtur: amici mei similes sunt torrentium, qui pruinam timent, id est, quibus imminet pruina, & in quos nix crebra descendit: quibus liquatis, pruina dico & nive, intumescunt, & alveos superfusi, subjectam inundant planitiem. Timere autem dicit torrentes, quoniam ita aucti, velut quiete sua & cubili moventur. quem ad sensum reliqua sunt exigenda.

18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum. Cum ferantur torrentes in proclive, labantur in præceps, incertæ eorum sunt viæ, atque hac illac dissipantur.

19. Considerate semitas Thema. Non tam hæc ab Hebræo diversa, si res attenditur, quam nonnulli censent; ac verba quoque ipsa eodem ducunt. Sed nostra nos Latine sic pertexìmus. Videte, inquit, ut fallaces sint minimeque perpetui torrentes in arentibus ac siticulosis illis regionibus, per quas Scenitæ ac Nomades Arabes commeant, negotiandi gratia: in quibus etsi identidem alius ex alio torrens scaturiat, tamen si brevi tempore substiteritis, statim evanescent. En semitæ, en viæ, plena omnia eorum, qui illac iter faciant ad res suas.

20. Confusi sunt. Qui ad torrentes illos aquandi causa venerunt, frustra venerunt: aqua enim omnis illico defluxit.

Quia speravi. Hoc est, ego, vel, quilibet alius prætereuntium, qui quid ex eo torrente solatii captent. Aut legendum, *speravit*, id est, quisque eorum, ut in Hebræo.

Venerunt quoque usque ad me. Si habetur, ut interpres noster legit, *usque ad me*, ἀνάδοσιν continet similitudinis, quam ad amicos suos transfert, quorum culpat fidem. Sin autem, ut extat in Hebræo, legimus, *usque eo*, intelligi viatores oportet, qui divertantur & excurrant in eum, ubi torrens, locum: nequicquam tamen, cum torrens derepente exaruerit.

21. Nunc venistis. Præclare & aperte Hebræus: לא הייתם *hejithem lo*, *fuistis nihil*, id est, nulli mihi usui, nulli adjumento fuistis.

Et modo videntes plagam meam timetis. Non hoc ait: Meis visis malis, veremini, ne, si propius accesseritis, infecti discedatis contagione quadam. sed illud: Metuitis, ne quid vos poscam, hac mea rerum omnium inopia.

22. Numquid dixi: Afferte mihi. At quando ego a vobis, & quæ petivi ac precatus sum? opes vestras? vestram opem? ut consolando, consilio, re, me juvaretis? opera vestra & beneficio liberarer malis? ab hostibus defenderer? eriperer e manibus potentiorum? Hæc porro quasi formula est flagitantis inverecunde: Da mihi, atque affer mihi.

24. Docete me, ut ego tacebo. Si quid erravit per ignorantiam juris & æqui, aut si quid falsi quovis in genere rerum attulit, non modo non recusat, sed etiam postulat; ut doceatur: se libenter futurum attentum auditorem.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis. Hic & consecutis versibus vulgatus noster explicat potius, quam interpretatur Hebræum ac LXX. Quid mihi, inquit, obtrectatis, & quare ita abrogatis fidem, quæ sunt a me verissime dicta: cum nemo vestrum coarguere me, aut convincere falsi queat? Est in Hebræo fere illud: Quanta vis est veritatis? Sed reprehensio vestra quid reprehendit? Quod redarguitis, est hoc redarguere? est isto nomine dignum, cum vitium nihil habeat?

26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis. Quasi tu dicas: Satis superque vobis est, si verba comparetis ad increpandum, sine re, sine ratione, atque in ventum facilia: supple, effundatis, aut jactetis.

27. Super pupillum irruitis. Quo ego vos animo in me esse video, & quantum existimare possum ex moribus vestris, a pupillo, cui tamen passim favetur, non abstineretis injuriam. Et vero id agitis amici, ut amicum me oppugnetis, dictis cum inanibus & falsis, tum etiam captiosis.

28. Verumtamen quod cœpistis, explete. Simpliciter: Pergite porro, & audite me, si vobis mentior: hoc est, ut videatis, num mentiar. Quæ ratio loquendi non propria Hebraicæ, ut dictitant quidam, sed omnium communis linguarum.

 29. Re-

29. Respondete, obsecro, absque contentione: & loquentes id quod justum est, judicate.

30. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem: nec in faucibus meis stultitia personabit.

29. Ac date responsum placidi, oro, atque omnis abesto Rixa procul: jus & sentite ac dicite, & æquum.

30. Non erit, ut vestrum me lingua & faucibus imis Comperiat quisquam perversa aut stulta loquutum.

CAPUT VII.

Jobus tum communes hominum miserias, tum privatas & suas exponit, eoque graviores, quod nulla spes videtur fortunæ melioris. Nec tamen desperat omnia, qui & Dei providentiam prædicet, &, si levamen sit aliquod, id esse in eo uno positum satis ostendat.

1. MILITIA est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies ejus.

2. Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui:

3. Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.

4. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum exspectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras.

5. Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris: cutis mea aruit, & contracta est.

6. Dies mei velocius transierunt, quam a

1. ET movet, & noctes defendit bella diesque Impacatus homo, atque æternos sustinet hostes; Attentusque velut pensa ad vernilia servus,

2. Ævum agitat. Qualem defessis viribus olim Aut opere in medio nemorosa umbracula velle, Aut noctem videas, longique extrema laboris Suspirare, hominem pacta mercede redemptum.

3. Talis ego & vacuos flevi procedere soles, Et noctem vigil implacidam, noctisque peregi

4. Sæpe graves horas numerans. Ah quando cubile, Dixi, erit, ut linquam! tum, lux ubi venit amica, Heu nimium serus vesper placet: hinc dolor urit Acrior, & dulces comitatur ad usque tenebras.

5. Corpus iit circum tabes putris: imbuit artus Pulvis sanguineus, teter: cutis aruit omnis Decolor, & rigidis contractior ossibus hæsit.

6. Non ita festiva pendentia pollice textor

Fila

29. RESPONDETE, OBSECRO, ABSQUE CONTENTIONE. Elegantius multo Hebraice, quam Græce aut Latine שבו ושבו *scuvu vescuvu*, convertimini & convertimini, redite & redite: hoc est, rursum idem facite, iterumque iterumque. אל תהי עולה צדק בה *al thehi ghaulla tsidic ba, non sit, non est iniquitas, est justitia mea in ea*: te scilicet. En quomodo idem passim in eodem versiculo paucis commutatis repeti solet. Sententia est: Disceptate, disceptate, inquam, minime contentiose, & jus mihi dicite, sive me insontem & integrum pronunciate.

LOQUENTES ID QUOD JUSTUM EST JUDICATE. Hoc habent idem LXX. καθίσατε δή, καὶ μὴ εἴη ἄδικον. *Sedete sane judices: & non sit injustum.* Quam in sententiam Olympiodorus & Polychronius accipiunt. αὐτὸς, φησιν, ὑμᾶς αὐτῷ καθίσατε μοι κριτὰς, καὶ δικαίως ἐξετάσατε τῆς ψήφους.

30. ET NON INVENIETIS IN LINGUA MEA INIQUITATEM. Sic autem, inquit, reperietis, si verum quæritis, nihil me neque improbe, neque temere locutum fuisse; vera a falsis, recta a pravis, quasi gutture & faucibus dijudicasse.

EXPOSITIO CAPITIS VII.

1. MILITIA EST VITA HOMINIS SUPER TERRAM. Breve vitæ tempus, neque, ubi semel totum effluxerit, rursus novo tempore reparandum ac sarciendum; idque ipsum, quod ejusmodi est, & breve & irreparabile, per se præterea laboriosum & ærumnosum; ne denique infestius reddat, ac novis doloribus cumulet, immo vero bene ut faciat, quandiu est benefactis locus; a Deo Jobus petit. Non enim fore iterum merendi facultatem de eo, qui aliquando perfunctus hac luce fuerit. Hebraica dictio צבא *tsava*, duo significat, & definitum tempus, & exercitum; ut recte militiam noster interpretatus sit. vel potius, quia militia functionem quandam exprimit, hic pro tempore definito ac statuto sumitur, quo quis meret stipendia. Vertunt LXX. πειρατήριον, quod Græci quidam exponunt de prædonum maritimorum vi & insidiis, qui mare habent infestum excursionibus atque latrociniis: piratarum homines esse similes, non quia rapto vivant, sed quia perpetuis se in laboribus exerceant, & in omnes oras, omnia littora immineant. πειρατήριον classem piraticam significat. Halic. lib. 7. ubi de Antiatibus, qui missas a Gelone naves ceperant.

2. SICUT SERVUS DESIDERAT UMBRAM. Servus medio in opere medioque in æstu solis, aucupatur umbram, quo tantisper interjungat & meridietur: mercenarius finem exoptat operis, quietem, mercedem. Sed in eo vis est comparationis: Sicut mediastinus aliquis & operarius tantisper sæpe atteritur laboribus, ut nihil tum, nisi finem & quietem cogitet: sic & ego, inquit, dies & noctes in laboribus transegi. ne quis forte putet menses illos vacuos Jobum optasse sibi. Deinceps vero ærumnarum suarum ordinem pertexit, quæ eo miserabiliores sunt, quod alioqui fugax & brevis est hæc vita. Quod ipsum tamen divinæ misericordiæ tribuendum videatur, morte saltem modum aliquem poni miseriis.

3. SIC ET EGO HABUI. Sortitus sum, quasi hereditatem crevi. הנחלתי *henchalthi*, *Hophal*, præteritum. Effectum est, ut possideam. Menses vacuos, noctes laboriosas, *menses vanitatis, noctes laboris*. שוא & עמל *ghamal* & *schavv*, hic ego non facile concesserim, Jobum se suamque sortem cum aliena & communi & humana sorte conferre, ut dicat, hominem, posteaquam laboraverit aliquandiu, & jactatus fuerit, cessare aliquando ac demum conquiescere: at se vero nullam neque diurnæ, neque nocturnæ partem quietis capere posse. Non enim proprie hoc sit conferre, sed quid & quatenus differat, exponere.

4. SI DORMIERO. Nimirum hoc est, luce noctem; nocte lucem expectavi. Nihil cum juvat ista dierum ac noctium vicissitudo, quæ alios non levare modo, sed etiam oblectare solet. Nam noctu, cum sit inquieta quies, ait, Quando consurgam? interdiu rursum ait, Exspectabo vesperam. Sunt qui utrumque tempus negent intelligi, alterutrum velint, nempe nocturnum: quos minus probo; præsertim cum versu 15. agatur iterum de tempore nocturno. Porro, cum sit somnus perfugium omnium laborum & sollicitudinum, nos ægritudo contra tamen plerumque somno privat. Atque iste mos est eorum quibus aliquid ægre est, ut operiant sibi exspectentque diem, quasi solatio & levamentu futurum malorum. Suetonius in Caligula num. 50. de eodem: *Invocare identidem atque exspectare lucem consueverat.*

5. INDUTA EST CARO MEA. Non hic de callo sermo est, aut de cicatrice, quæ obducitur: sed de crusta ulceris, quod per totum corpus ducitur. Itaque noster interpres his verbis, *sordibus pulveris*, crustam notat: sub crusta pus & vermes hac voce, *putredine*. Quod dicitur postea

a texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque ulla ſpe.

7. Memento quia ventus eſt vita mea, & non revertetur oculus meus, ut videat bona.

8. Nec aſpiciet me viſus hominis: oculi tui in me, & non ſubſiſtam.

9. Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet.

10. Nec revertetur ultra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus ejus.

11. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

12. Numquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?

13. Si dixero: Conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in ſtrato meo.

14. Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

15. Quam ob rem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea.

16. Deſperavi, nequaquam ultra jam vivam: parce mihi, nihil enim ſunt dies mei.

17. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

18. Vi-

Fila ſecat, telaſque, & magna exorſa relinquit,
Ut fugere dies, utque irreparabils ævi
7. Meta ſupervenit. Quin & mea, turbinis inſtar,
Non reditura putes differri tempora in auras.
Non ego vos, vernæ, poſthac, non pinguia culta,
Intonſa nec vos in valle, armenta, videbo.
8. Non me contra hominum fuerit fas cernere euiquam.
Namque ubi te primum, Deus, inſpexiſſe juvabit,
9. Nullus ero. Veluti nubes cum ſolvitur imbres
In liquidos, ſparſimque eadens rareſcit, humoque
Miſta perit: ſic qui tumuli deſcenderit ima,
10. Non unquam evadet ſublime, neque amplius illum
Accipiet reducem domus, agnoſcentve penates.
11. Quare ego nec lacrimis parcam, juſtoque dolori;
Multa gemens, & multa querens, memetque Deumque
Affabor, ſuperaſque incendam vocibus auras.
12. Num tibi nunc vaſtum videor mare? num tibi cete
Vaſta mari in vaſto, quod iniqui littoris oras
Objicis, & terra me cinctam atque aggere claudis?
13. Qui ſi forte, Tori, dico, ſolabitur ægrum
Alma quies, dulcis mecum me ſermo levabit;
14. Tu mala continuo mittes inſomnia menti
Sollicitæ, & falſa terrebis imagine rerum.
15. Pendentem ergo juvet, laqueove extrema ſequentem
Velle mori, ac faciles obitus trabe nectere ab alta.
16. Nulla ſuper ſpes eſt: ultra producere vitam,
Nec placet aſſiduos cum vita aluiſſe dolores.
Mitte, precor, tu me tantum Quanti optima vitæ
17. Portio? qualis homo eſt, cujus te cura, puiſque
Tangit amor, quem tu decora ad non debita tollis?

18. Mane

ſtea cutis areſacta & contractior, ita cum Hebræo convenit, in quo cutis habetur diſrupta, ſi intelligatur cutis, quod aridior facta ſit, rupiſſe ſe, ut fieri ſolet.

6. Dies mei velocius transibunt. In Hebræo radius textoris intelligitur, qui celeri manu jacitur & quaſi vibratur: ſive argutus pecten, quo percurrit textor telas. Hoc autem loco, vel tempus accipe, quod & fugax eſt, neque ſemel elapſum revocari poteſt: quo ſenſu poeta dixit: *fugit irreparabile tempus*. Vel humanæ vitæ brevitatem; quæ vita, ut ſit longiſſima, non eſt diuturna tamen. volat enim ætas: dedit hominibus natura exiguam vitam; exiguum vitæ curriculum & breve. Vel Jobi vitam, quam ipſe præſagit aliorum vitæ ſimilem futuram, hoc eſt, non longinquam. Quod ait quatuor verſibus, ſe, ut alium, non rediturum ad vitam priorem, vere ait. ſi & natura hominis ſpectetur; præter naturam enim id fieri. quando fit, novimus; & homo in priſtina redire intelligatur, atque reſtitui in integrum; ſic ut quo vixit modo antea, rurſum vivat; cibo, potione, cœli ſpiritu ſuſtineatur, neceſſitatibus ſerviat naturæ, pateat omnibus vitæ humanæ injuriis, commoda percipiat. Volunt in catena Chryſoſtomus & Didymus non tantum Jobo nihil hic veniſſe in mentem, neque cogitaſſe de reſurrectione, ſed etiam tanti expertem myſterii & ignarum prorſus fuiſſe. Quo major ejus & admirabilior fuerit in ferendo virtus & conſtantia, quod nulla ſe conſolatione atque ope alterius vitæ leniret. Sed ab illorum illa opinione cur diſſentire debeamus, poſtea dicam opportunius.

7. Non revertetur oculus meus. 8. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me. Hæc tria concinne Non oculis viſurus ſum amplius ea, quæ reliqui. nec me viciſſim noti homines viſuri ſunt. Oculis Deus me requiret abſentem: neque comparebo. Cum in me intueri ipſe voles, o Deus, jam evanuero: nec bene mihi facere hac in vita poteris, ſi minime nunc facis.

9. Qui descenderit ad inferos, non ascendet. Qui mandatus jam humo fuerit, & e numero vivorum exturbatus, a morte non revocabitur ad vitam, neque in ſedem ac locum revertetur priorem. Bis autem hoc figurate dictum. Primo, non remigrabit domum in regionem notam: deinde, ſua illum domus & regio non agnoſcet. Qui, ut ſupra poſui, Chryſoſtomus de reſurrectione Jobum nihil certi habuiſſe cenſet, is ex iſto loco liquere rem ait. Idemque Didymus qui in eadem ſententia eſt, adjungit verius hoc, quam quod ipſi attulimus, dici. Sed de utroque, quod etiam antea dixi, videro poſterius.

11. Quapropter et ego non parcam. Cum tot, inquit, tantaque mala patiar, pręſſeque ſim, ſicut ceteri mortales, brevis ævi, ut ſpatii non ſatis detur ad reſpirandum & acquieſcendum, nedum ad emergendum omnino; quid me facere par eſt, interim dum vivo, niſi ut gemam, conquerar, mœrorem meum, quacumque ratione poſſim, levem.

12. Numquid mare ego sum aut cetus? An eo ſum robore, quo mare ac cetus, ut in iis tantis doloribus etiam cuſtodiam ac repagula circumdes, ne ex hac vita emigrem? Aut ob eam rem dicitur, quia validiſſima quæque & ferociſſima munire ſepis ſolemus. Negat Servius in illud poetæ, *immania cete*, hic cetus, hujus ceti, uſquam apud ullum ſcriptorem legi: contra quem tamen Plinius multis in locis venit. Hæc eo moneo, etſi leviſſima. ne quis horridum & inelegantem, nedum barbarum & inſolentem, noſtrum interpretem falſo exiſtimet.

13. Si dixero: Consolabitur me. Pæne eodem revolvitur Jobus, & ad verſum quartum retro agitur. Recte autem noſter interpres, & Hebræo convenientius, quam qui aliter exponunt. Relevabit me moleſtiis lectulus meus, nocturna quiete & tacita cogitatione. Eſt enim hoc loqui ſolummodo: Nil erit ſomni noctibus: aut ſi quid erit, per viſa & ſomnia, quæ miſeris Deus, tumultuoſum erit.

15. Quamobrem elegit suspendium. Ego itaque ærumnarum remedium, morte ac ſuſpendio quærendum putavi. Non mirum, ſi novatores hic deſperationem Jobo attribuunt: eam ſiquidem in Chriſtum conferunt. Quod ſi tamen ita molliunt hunc locum, ut dicant Jobum non habuiſſe conſtitutum, laqueo mortem ſibi conſciſcere; ſed hoc ſibi velle, ſatius & optatius eſſe mori: quanto id magis nos in mitiorem partem accipere convenit?

16. Desperavi. In Hebræo elementius: *Tædio affectus ſum*. Quod ſequitur, *Nequaquam ultra jam vivam*, eodem plane tendit. Tædet me mei: quippe qui diffidam vitam me propagaturum amplius.

Parce mihi. Id eſt, ſine, omittas me. Et hic & in reliquo capite, ubi hæc habetur vox, non venia ulla peccati intelligitur. Senſus eſt: Ne vero, ne me vexes amplius; cum tantulum ſit moræ ſuper, quod traho vivendo.

17. Quid est homo, quia magnificas eum. Tantine homo eſt, ut ejus curam & rationem habere velis, etiam animadvertendo in illum; aut ut de eo cogitationem in-

18. Visitas eum diluculo, & subito probas illum.

19 Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?

20. Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?

21. Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in pulvere dormiam: & si mane me quæsieris, non subsistam.

18. Mane illum primo visis, primoque repente

19. Mane probas. Quo tu ergo reo non parcere pergis
Usque mihi, necdum lentam sorbere salivam
20. Ore finis? Crimen, fateor, deliquimus ingens.
Quid faciam, o hominum custos, tibi, quidve rependam?
Cur tua, dum quondam indulges, me Numina contra
Vertisti, cur inde adeo male commodus ipse
21. Displiceo mihimet? Quin tu maculamque sequacem
Instituis, scelerumque atras abstergere sordes?
Nocturnus, mora nulla, graves in pulvere ducam
Immundo somnos. Exin jam luce renata,
Me si quæsieris, nec respondebo vocanti,
Et vanescam, atque in cineres cinis ipse facessam.

CAPUT VIII.

Eadem Baldadus urget contra Jobum, quæ Eliphas disseruerat. Increpat primum, quod quasi injustitiæ Deum insimulet. Hortatur deinde ad resipiscendum. Sic enim fore, ut qui merito suo afficiatur malis & multis & gravibus, iisdem levetur: contraque omnem commoditatem prosperitatemque vitæ a Deo habeat, si ad eum, mutatis & emendatis moribus, confugiat. Postremo disputat jucunditates secundasque res improborum, speciosas illas quidem & primo aspectu lætas esse atque optabiles, sed dilabi tandem & diffluere, ac tristi exitu concludi.

1. RESPONDENS autem Baldad Suhites, dixit:

2. Usquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?

3. Numquid Deus supplantat judicium? aut omnipotens subvertit quod justum est?

4. Etiam-

1. INgrati at hæc acri Baldadus voce Suites,

2. Ac pariter Jobum aggreditur. Quo talia perges
Usque loqui, & fundes violenta, & turbida verba?
3. Fatalemne Deus judex quatit improbus urnam,
Omnipotens Deus, &, pervertit jura clientum?

4. Sit

suscipias? Quid rei homo est, quod de eo cogitas? in eum quotidie a summo mane inquiris? ad eum attendis, ac prius etiam, quam de se cogitet?

18. VISITAS EUM. In Hebræo, visis eum singulis diebus mane, singulis momentis, id est, assidue. Symmachus tamen αἰφνιδίως, ut vulgatus quoque noster, *subito*, adjunxit.

19. USQUEQUO NON PARCIS MIHI. Cur usque eo mihi per te non licet esse libero, neque quieto, ut ne fiat quidem potestas salivæ exorbendæ, seu recipiendi spiritus. Quod est minus, quam si spatium non dari sibi exercandi quereretur. Alterum enim altero fit brevius, citiusque finitur.

20. PECCAVI, QUID FACIAM TIBI. Ista est oratio concedentis. quasi dicat: Esto, aliquid est peccatum a nobis. neque refello quod objicitur, neque me purgo, neque excuso factum. Veruntamen qua tibi re satisfaciam? aut quam tandem satisfactionem accipis? quo te modo placabo, quo meum expiabo scelus?

QUARE POSUISTI ME CONTRARIUM TIBI. Hoc est, quasi e regione tibi atque ex contraria parte collocasti me, in quem incurreres, quem peteres.

MIHI GRAVIS. In Hebræo nunc, *super me*, olim, *super te*. Utrumque ferri potest. Sum tibi oneri, quod graveris etiam tot mea puniri scelera. Sum mihi oneri, quod grave & molestum ducam, tela in me conjecta a te, corpore excipere.

21. CUR NON TOLLIS PECCATUM MEUM. Mulctam, si quam admisi, remitti sibi atque condonari postulat, seque absolvi criminis cujuscumque, & impunitum dimitti. Quin tu parcis, inquit, nunc ipsum, non habiturus propediem cui parcas. Moriar enim, certum scio. Tum vero meritis tibi nullus vacabit, beneficiisque locus.

EXPOSITIO CAPITIS VIII.

2. USQUEQUO LOQUERIS TALIA. Videtur hæc interpellatio Baldadi, qua Jobi est interrupta oratio. *Spiritus multiplex, sermones oris tui.* Verba, tanquam multus ac vehemens ventus, fundis.

3. NUMQUID DEUS SUPPLANTAT. Tu ita de tuis incommodis deploras & conquereris, quasi Deum injustitiæ condemnes, qui neque supplicio improbos afficiat, neque defendat ac tueatur bonos; itaque jus non dicat æquabiliter. Aut latius quodammodo: An res fluere mortalium nulla lege sinit Deus? an injustus, qui suum cuique non tribuat, neque mercede bonos, neque pœna improbos afficiat? non enim hic agitur proprie de judicio forensi & privato, sed de universa & communi quadam Numinis providentia.

4. ETIAMSI FILII TUI PECCAVERINT EI. Sententia hæc est: Tametsi liberi tui persolverunt justas ac debitas pœnas scelerum suorum: est tamen quod speres, ad Deum si statim confugias, atque ad meliorem frugem redeas, eventura omnia prospere. Quod autem habet, *dimisit eos in manu iniquitatis suæ*, idem est, ac. suo illos sceleri puniendos tradidit. Per scelus enim eorum invecta mors est, qua mactati sunt.

5. TU TAMEN SI DILUCULO. In Pihel erudita vox Hebræa, שחר *scher*, mane, quam primum, primo quoque tempore quæsivit, id est, sedulo, studiose: & בקר *boker*, mane. qua voce usus scriptor Hebræus paulo ante, cap. IV. v. 21. Idem valet eadem inflexione vox בקר *bikker*. Utramque vocem LXX. reddunt ὀρθρίζειν. Latinus autem, mane quærere, diluculo consurgere, primo diluculo aliquod agere. Quod autem Lucæ cap. XXI. v. 38. pro, *mane ibat*, habetur vel, *manicabat*, vel, *manitabat*; quin sit puerilis error, aut librarii oscitantis, nullus dubito. Non enim hæc est imitatio Hebræorum & Græcorum, aut prava imitatio est.

DEUM OMNIPOTENTEM, ut & proxime antea v. 3. Deus, omnipotens, Dei nomina duo, fortis & potens.

6. SI MUNDUS ET RECTUS INCESSERIS. Admonemur; adjungendam ad preces vitæ probitatem, si grati Deo & accepti esse volumus, & impetrare ab eo, quæ postulamus. Eo pertinent apud Tullium II. de legibus, prima legis verba: *Ad Divos adeunto caste*. Et hoc aliud: *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.*

STATIM EVIGILABIT AD TE. Appositum verbi genus *evigilabit ad te*, quod priori respondeat, *si consurrexeris ad Deum*. quasi tu dicas: si a summo mane Deum supplex adieris, ne dubita quin ejus experrecta vis & liberalitas

4. Etiamsi filii tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ:

5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus:

6. Si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ:

7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis.

8. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam:

9. (Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.)

10. Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

11. Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?

12. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit:

13. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit:

14. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus.

15. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget:

16. Humectus videtur, antequam veniat sol, & in ortu suo germen ejus egredietur.

17. Su-

4. Sit rea progenies tua quamvis, ultor & illi
Fræna malum in crimen, laxasque immisit habenas,
5. Desperans: hunc tu primo felinus Eoo

6. Si votis precibusque vocas, si tramite recto,
Purus & incedis culpæ; tibi linquere somnos
Providus incipiet, pacemque inducere tectis,
In quæ jam studium juris, jam induxeris æqui.
7. Res adeo si parva domi, vitæque prioris
Vilis census erat, fortuna novissima crescet
8. Plus nimio. Memores etenim tu consule fastos,
Et casus exquire graves, & facta parentum.
9. Hesterni nos quippe: diem non amplius unam
Vivimus: ignari, se quam cito subtrahat, umbræ
More levis fugiens, misetis mortalibus ævum.
10. Ergo roga patres & avos, te longa vetustas
Erudiet: primos in apertum proferet annos.
11. Enodesne virent scirpi? carectane late
Subjiciunt sese, ac lucis tolluntur in auras;
Stirpibus irriguus teneris si deficit humor?
12. Cum necdum florem exterint, neque saucia duro
Pollice languerint, plantis prius omnibus arent.
13. Quos ingrata Dei capiunt oblivia, tales
Semper erunt: talem, virtutis imagine ficta
Fallentem, spes & demum male credula fallet.
14. Stultitiæ non lucra feret, non gaudia vecors.
Præsidensque sui, fragiles audacia telas;
Telas, intexit quas, & suspendit aracne;
Immundoque situ referet facilique ruina.
15. Ille sua inniti si cogitat æde, caducam
Sentiet, ac frustra lapsam fulcire parabit.
16. Surculus ut, gremio tellus quem eduxit amico,
Nondum sole orto videas humescere rore,
Cumque die lætum dehinc germen trudere in auras.

17. Ra-

ras tibi statim subveniat, & opportune suffragetur, pacem ac veniam concedat, ibique tuto ac tranquille domi tuæ degas, ubi jus & æquum colere, casteque & integre vivere cœperis.

7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva. Adeo ut, cum ab initio tibi fuerint tenues opes, nullæ facultates, exiguæ pecoris & frugum copiæ, ad extremum cresces præter modum, & cumulere fortunis.

8. Interroga enim generationem pristinam. Si mihi non credis, ad ævi ac prisci verte historiam: majores natu consule: scies ad patres nostros.

9. Hesterni quippe sumus. Sensus est, nihil nos scire, si aliud nihil scimus, quam quæ nobis natis acciderunt. repetendam autem esse memoriam præteriti temporis, & contexendam cum nostra. Eodem spectat; & significantius est ad brevitatem, quod homo ἐφήμερος dicitur, qui diurnus sit, aut vivat in diem. Ita Silenus apud Pindarum loquitur, ὦ τάλας ἐφήμερε. Et ex eo loco Socrates, quem similem fuisse Sileno ferunt, inducitur apud Aristophanem compellans Strepsiadem, quasi eum nihili præ se putet, nebulis. τί με καλεῖς ὦ 'φήμερε;

Ignoramus, quoniam sicut umbra. Quamdiu vivimus, vivimus autem parum diu, in summa rerum omnium ignoratione versamur. Causa inscientiæ hujus nostræ, vitæ brevitas. Non igitur hic est istius loci sensus: ignoramus vitam nostram brevem esse, & umbræ persimilem: sed ideo, quia brevis est vita, imperiti rerum sumus, neque per angustias ætatis humanæ satis discere, etiam necessaria, possumus.

11. Numquid virere potest scirpus. Hoc alterum Baldadus urget: Tametsi primo prospera uti fortuna improbi videantur, nihilque sit illis lætius in speciem ac florentius ad tempus: subinde tamen etiam in hac vita malis exerceri & arescere, ac tandem aliquando ex beatis miseros fieri. Quod quamvis nonnunquam ita usu venit, non est tamen, ut ille existimabat, perpetuum. Scirpum appellat papyrum, junci genus Ægypto familiare, ex quo papyrus sive charta fiebat: quod stagnante Nilo in humectis locis nasci solet, quibus arefactis & exsuctis, necesse est stirpem ipsam arescere.

12. Cum adhuc sit in flore. Scienter ac perite noster interpres: Cum juncus aut carex tenera & viridis tum florea, etiamsi nemo carpat manu, tamen aquæ penuria, citius per se, quam stirps alia quævis, marcet.

13. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum. Ἀνόδους. Qui status & ratio & infelicitas plantarum, quas imber suo ac necessario tempore destituit, cum neque vireant, neque crescant, arescant autem subita siccitate, & quasi quadam siti exurantur: eadem sors & miseria impiorum hominum, qui divinum numen, cultum ejus religionemque omnem negligant.

Spes hypocritæ peribit. Spes quam de se dat aliis vir improbus, qui præ se fert speciem viri boni. Desinet is videri quod non est: sua illi persona detrahetur: nec fucum fecerit diutius, nec cuiquam, ut antea, imposuerit. Spes hic intelligenda species quædam læta & honesta fortunæ prosperæ, & æquabilis, perpetuæque.

14. Non ei placebit vecordia sua. Id est, non erit quod gaudeat diu, sed propediem fructum capiet stultitiæ ac temeritatis suæ. Hæc duo, *vecordia sua, non placebit*, recte noster interpres, etiam judicio Merceri. כסל *cesel*, ambiguum vocabulum. cujus alteram, rejecta altera, significationem noster interpres arripuit. Spes bona; stulta spes, sive confidentia, quæ in vitio ponitur. קוט *kut*, afficit tædio, sive qui spe ac voto excidit, quem sua spes fastidit, aut frustratur, quem spei aut stultitiæ pœnitet suæ.

Sicut tela aranearum fiducia ejus. Nota res & sententia, quæ subest verbis: quamvis alii alio verba referant sive ad telas aranearum, sive ad spes falsas atque fallaces improborum. Confidit improbitas viribus, divitiis, cognationibus, amicitiis, clientelis, dignitatum gradibus & honorum. nequicquam. Similiter enim fecit improbus, qui in hisce fragilibus & caducis omne præsidium collocet, atque aranea, quæ si texturæ operique suo incumbat nitens, concidat: si premat insistens, nullo pacto consistat. Eleganter autem Hebræus, quam aranea telam texit, domum appellat araneæ, quam ea sibi exstruxit, & in qua habitat.

16. Humectus videtur. In eodem quidem sermone persistit, instituto de improbi præclare in speciem, ne-

qu-

17. Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur.
18. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te.

19. Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii germinentur.
20. Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis:

21. Donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo.
22. Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

17. Radices altas aget ac densabit, acervos
Supra saxorum: tum saxa morabitur inter,
18. Dum crescat. Quem si lapidoso evulserit horto,
Jusserit & natale solum male vertere durus
Agricola: Haud equidem te novi, dicet, & ire
Pessum alibi, atque nova coget marcescere terra.
19. Gaudet enim his alias vulsis succedere plantas
Et primam sedes vacuas fecisse sequenti
20. Morte sua. Ipse Deus contentum simplice cultu
Expertemque doli non aspernabitur a se:
Sed fautor dextram non porriget æquus iniquis.
21. Hinc tibi lætitiæ surget seges: oraque risu
Diffundes: blandis testabere gaudia dictis.
22. Contra qui te odiis odere ingentibus, horum
Induet ora rubor: non impia tecta manebunt.

C A P U T IX.

Videtur Jobus dicta ante a se retexere, & qui se nullius affinem esse culpæ diceret; nunc in se culpam agnoscere & fateri aliquam. quæ discordia & repugnantia ita demum tolli potest, si discrimen leves inter & graves noxas aliquod, ut est, instituatur: parvis se peccatis, iisque multis obstrictum teneri; majore omni noxa vacare.

1. ET respondens Job, ait:
2. Vere scio quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo.

3. Si

1. VIx ille hæc: gemitu Jobus cum talia reddit.
2. Novi equidem, nec me veri deludit imago,
Nequicquam purgare hominem, pulcherrima
Facta Deo, causæ nequicquam fidere justæ. [quamvis,

3. Si

que diuturna forte: sed non eodem simili junci vel caricis. Neque enim calculosa loca, aut radices altius adactæ, de quibus hic agitur sequenti versu, conveniunt satis juncis palustribus & limosis. Est itaque tertia quædam similitudo, ducta ab arbore robusta & valenti, & in lapidosis atque montanis consita, quæ licet vireat, & firmissima, & altis defixa radicibus permaneat ad tempus; tamen, cum Deo libitum fuerit, stirpitus evellatur.

ANTEQUAM VENIAT SOL. Ad verbum, *ante solem.* לפני שמש *liphne scamesc.* Constanter vulgatus exponit hanc vocem, ante, antequam aliquid fiat. ante panem, antequam comedam. ante solem, antequam sol veniat. Alii, ante solem, ut exposita soli sit arbor. Ita fere LXX. ὑγρὸς ἐστι ὑπὸ ἡλίου.

IN ORTU SUO GERMEN EJUS EGREDIATUR. Pro, *ortu suo*, suspicari quis potest scripsisse Latinum interpretem nostrum, *horto suo*. Ita enim in Hebræo legitur. Quod sic exponi licet, in loco, ubi plantatus est is, qui viriditatem habere, aut humorem a sole, vel ante solis ortum dicitur. LXX. vero, ἐκ σαπρίας, ex putredine. ut lætamen intelligant, quo stercorari solent areolæ.

17. SUPER ACERVUM PETRARUM. Eodem modo LXX. ἐπὶ συναγωγὴν δὲ λίθων. Hebræus על גל *ghal gal*, quod, *ad fontem*, nonnulli reddunt: noster, *acervum* גל *gal*, utrumque valet, *acervus* & *scaturigo*, a גלל *galal*, *devolvit*, *convolvit*.

18. SI ABSORBUERIT EUM DE LOCO SUO. Si ejusmodi sceleratum hominem loco vulsum suo & emotum, Deus subduxerit e conspectu, ac velut voraret; non hic eum locus prodet posthac, ulla nota sui reliqua, possumibi fuisse: sibi prorsus ignotum dicet. Usque eo funditus deletus fuerit, ut vestigium nullum appareat, nihil extet, unde deprehendi possit aliquid ibi tale aliquando fuisse. Ut enim nos locus dicitur admonere quibusdam indiciis eorum, quæ in loco fuerint aut gesta sint: ita nihil vetat quominus dicatur oblivisci, non agnoscere, tacere, inficiari.

19. HÆC EST ENIM LÆTITIA VIÆ EJUS. En quo tandem recidit improbitas, & gaudium improbi: perit ipse: in ejus locum alii atque alii succedunt; vacua tamen & caduca hereditate.

20. DEUS NON PROJICIET SIMPLICEM. Ergo neque probum negligit Deus, neque favet scelerato. Aliter omnino hemistichium posterius a LXX. conceptum: πᾶν δὲ δῶρον ἀσεβοῦς οὐ δέξεται. *nullum ab impio donum Deus accipiet.* Cui dicto concinit illud Tullianum in legem ex duodecim tabulis: *Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.*

21. DONEC IMPLEATUR RISU OS TUUM. Respondet hic versus & consequens proxime superiori; Deus neque viri probi curam deponet. neque improbo dextram porriget, aut spem salutis ostendet: immo ille diffluet ac triumphabit gaudio propter res recuperatas; hic pudore obruetur ob amissas in perpetuum.

EXPOSITIO CAPITIS IX.

1. ET RESPONDENS JOB, AIT. Ad hujus capitis, immo vero totius hujus libri intelligentiam magnopere conducit animadvertere, duplex esse justitiæ innocentiæque genus. Alterum exactum, strictum, arctum, in quo desiderari nihil possit, ne a Deo quidem: cujusmodi in solo Christo & Christi sanctissima matre fuerit. Alterum laxius quodammodo & solutius, & remissius: ut sit status hominis graviorum expers criminum. propter quæ atroces & extraordinarias solet Deus pœnas infligere. Non enim ob qualiacunque delicta publicas & acerbas illas communes & nota solitaque Dei providentia decernit. Hoc de posteriori genere Job accipiendus est, cum se innocentem esse, prœterque meritum plecti queritur: cum quidem illius ex adverso amici pertenderent tam inusitata severitatis exempla, non sine atrocioribus quibusdam sceleribus in illum edita fuisse. De priori autem genere expiendum est, quod hoc capite disputat, se cum Deo non posse contendere, aut apud ipsum innocentem videri.

2. VERE SCIO, QUOD ITA SIT. Socio utique Jobus communiter respondet. Ambo justitiam Dei sic extulerant laudibus, ut & esse justissimum per se ostenderent; & præ eo neminem mortalem justum, si conferatur; apud eum neminem justum, si disceptatore illo & cognitore causam dicat. Hæc illis omnia assentitur, augetque præterea ac fatetur de se, & exornat potentiam Dei & sapientiam impensius. Dissidet in uno, quod ærumnas & calamitates proborum & improborum communes esse velit.

3. SI VOLUERIT CONTENDERE CUM EO. Si purgare Deo se volet, aut excusare noxas, quas exigit & discit cognitor, ne ad unum quidem ex mille quæsitis responderit, aut omnino hiscere audebit.

4. SAPIENS CORDE EST, ET FORTIS ROBORE. Cum Deus consilio pariter & viribus valeat, quis contra eum obfirmavit se unquam, cui successerit, aut cui illud ipsum impunitum fuerit?

5. QUI TRANSTULIT MONTES, ET NESCIERUNT.

3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.

4. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit?

5. Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo.

6. Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur.

7. Qui præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo:

8. Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.

9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.

10. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.

11. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.

12. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis?

13. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem.

14. Quan-

3. Si verbis certare paret, defendere lites,
Judicat, & statuit quod cognitor æquus iniquum,
Mille inter quæsita, satis non fecerit uni.
4. Consilio præstans Deus est, nullique secundus
Robore: quis vires opponere viribus ausus,
Ulla exoravit placidæ commercia pacis?
5. Ille solo vulsos in non sua transtulit arva
Montanos apices: quos ira percitus acri
Dum rueret, subitas vix agnovere ruinas.
6. Ille quatit terram nativa in sede morantem:
Quassa tremit; quassæ ingentes tremuere columnæ.
7. Cum voluit, Titan ortus, & lumina differt:
Cum voluit, stellis arcto ceu carcere clausis
Addit & ipse seras, ac non violabile signum.
8. Immensi, nullo consorte, volumina cœli
Explicat, & siccis tangit liquida æquora plantis.
9. Ille idem cœlo suspendit, & orbibus altis
Arcturumque, Hyadasque, ferumque Orionis ensem;
Et quæ devexos rejecit sidera ad Austros.
10. Idem magna creat miracula cetera rerum,
Quæ numero, quæ non animis comprehendere fas est.
11. Ad me sive adeat, sive a me deinde recedat,
Adventumque, abitumque agnoscere nulla facultas.
12. Nam quis ei, subito si lege interroget, ausit
Reddere responsum? quis facti poscere causam?
13. Ille Deus: contra cui non obsistere quisquam
Sufficit irato: quo flectunt colla prementre,
Ingrati subiere humeris qui pondera mundi.

14. Ergo

BUNT. Nesciunt vel homines, qui hoc fieri non posse putant; vel montes ipsi: ut eleganter sensum montibus aliquem assignet. nisi per montes ἀλληγορικῶς summates & superbos intelligat. Utut est, terræ motus fieri, ut multa oppida corruant, multis locis labes fiat, terræque descendant, culminaque montium complanentur & æquentur solo, idque totum ex improviso ac præter opinionem contingat, magna ruina, magna strage hominum, hic subindicatur: siquidem ista iræ divinæ ac furori adscribuntur.

6. COLUMNÆ EJUS. Ad vulgi captum sermonem accommodans, velut structuræ cuidam & ædificio, columnas attribuit terræ; ut eidem fundamentum quoque in proverbiis datur: *Quando appendebat fundamenta terræ.*

7. QUI PRÆCIPIT SOLI, ET NON ORITUR. Hoc ad ortum occasumque solis plerique referunt, quasi ad nutum & imperium Dei sol ortus suos & occasus faciat; stellæ item interdiu velut obsignatæ delitescant. Alii defectionem solis & obscurationes siderum, sive statas & naturales, seu præter ordinem rerum, putant intelligi. Sed existimo declarari potius id quod Deus facere potest: etsi nunquam, vel raro faciat. Ut si præcipiat, sol non oriatur, aut sistat cursum, ut Josuæ tempore; aut reflectat & retrogradiatur, ut Ezechiæ: quæ duo tamen longe post evenerunt, quam hic est a Jobo habitus sermo.

8. QUI EXTENDIT COELOS SOLUS. Deus evolvit & explicat cœlestes orbes per se, nec ullius, ad eam molitionem, opera utitur. Item calcat subjectum pedibus mare, quasi in solido ponat vestigia. quod utrumque summi juris, summæ potestatis est in hæc duo, cœlum & mare, argumentum.

9. QUI FACIT ARCTURUM ET ORIONA. Hebræus nomina habet ista præcipuarum stellarum obscurissima. עש כסיל כימה *ghasc kesil kima*, quibus interpretandis LXX. repetunt ex usu quotidiano voces, πλειάδα κ̀ ἕσπερον κ̀ ἀρκτοῦρον, Latini Arcturum, & Oriona, & Hyadas. Hieronymus in epistolæ ad Galatas caput tertium, posteaquam ex opinione vulgi sumptum esse ait exemplum ab Apostolo, cum diceret, *Quis vos fascinavit?* adjungit: *Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum, vallis Titanorum in regnorum libris; Sirenæ & Onocentauri in Esaia; Arcturus & Orion & Pleiades in Job, & certa his similia. quæ utique vocabula gentilium fabularum & causas & origines habent.* Ex quo & hoc aliud perspicitur, vetus testamentum ab Hieronymo crebris locis inculcatum potius & rejectum, quam factum de integro fuisse: siquidem is istas voces non adhibuit, aut non adhibuit primus. Neque vero, quæ scilicet ipse, pro testimonio proferret.

INTERIORA AUSTRI. Sunt sidera alterius hemisphærii, quod ad Antarcticum polum pertinet, id est, Austrum, veluti Canicula, & alia quædam.

10. QUI FACIT MAGNA ET INCOMPREHENSIBILIA. Facile ostendit Jobus se de Deo tam honorifice sentire ac loqui, quam Eliphas, qui eadem repetat iisdem verbis: totidem enim habentur supra c. v. v. 9.

11. SI VENERIT AD ME, NON VIDEBO EUM. Hoc versu mihi non tam videtur exprimi imbecillitas nostra, aut humanus stupor, quam mentis divinæ subtilitas, quæ fugiat & prætervolet oculos etiam acriter intuentium. Sive igitur accedat ad nos Deus, sive recedat a nobis, latuerit, cum volet, indeprehensus fuerit, nihil senserimus: nec tarditatis hoc nostræ, sed divinæ potestatis aut sapientiæ. Quod cum ita sit, nihil obstat tamen, quominus hic locus dogma stabiliat, & in primis adjuvet, atque illustret catholicum, non omnino certos esse nos, aut adesse nobis præsentem Deum, aut a nobis abesse; etsi nullius nobis culpæ conscii simus: bono quidem quemvis probum animo, bona spe esse debere; sed neque nos nimis confidere oportere, neque prorsus securos ævum degere. Hic, inquam, versus vim aliquam habet ad retundendam nimiam fiduciam sui; ne forte, quod jubet Paulus: *Salutem nostram in timore & tremore non operemur.* Majorem vim habet, si, quod fecit Bellarminus lib. v. de justific. cap. 5. alii hujus capitis versus aliquot adjungantur, 19. 20. 21. & 23. 29. 30. 31. Nam qui loci contra afferuntur ab aliter sentientibus, facile est ostendere, his timidos & languentes, & qui alioquin nimis jejuno animo & angusto essent, excitari, ne saluti desperent. Itaque sic habendum, quo medium teneamus, modo nos hoc sacras literas, modo illud admonere atque hortari.

12. SI REPENTE INTERROGET. Si Deus invadat verbis, & lege interroget subito incautum nec opinantem, quis ei reddet voces audiras, sive responsum dabit? Est in Hebræo: *Si rapuerit, quis restituet?* Cui simile aliquid habent LXX. Quid legerit autem Latinus interpres, non perinde dispicio. Hunc ut conciliet cum Hebræo, laborat in isto plurimum Pineda noster. Faciendum putaverim isto loco, quod commentariis in prophetas Hieronymus facit, qui, duplici editione sæpe proposita, utramque singillatim exponat, neque vero curet, quam bene altera conveniat alteri, sed mulier eodem de textu versiculoque dicat: juxta Hebraicum hic sensus est: juxta LXX. hic est sensus.

13. DEUS, CUJUS IRÆ NEMO. Hebræus: *Deus non revocat iram suam.* id est, non placatur, neque flectitur, neque facile exoratur. Apertius noster: Nemo resistere Deo potest irato.

Sub

14. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?

15. Qui etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.

16. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.

17. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

18. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.

19. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere.

20. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.

21. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.

22. Unum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit:

23. Si

14. Ergo ego quid sum hominis, qui respondere vocanti
In jus, meque meis actorque, reusque tueri
Ipse velim verbis, dubiamque exponere causam?
15. Non faciam, non si quidquam prætexere juris
Evaleam. Ah potius pectus mollire severi
Judicis, atque humili coner prece vincere litem!
16. Quin etiam facilis mea postquam vota precesque
Jusserit esse ratas; mihi vota audita, precesque
17. Vixdum certa fides. verso nam turbine franget
Incautum, atque novis, in non nova crimina, plagis
18. Sæviet ingeminans. Et nunc non ulla per illum
Spiranti requies animæ. distendit amaro
Pectus felle capax, sævisque doloribus implet.
19. Sive juvat robur; non est robustior alter:
Sive fides; non hunc contra producere quemquam
Possim ego, nec vocem testis mihi commodet ullus.
20. Si partes agere ipse meas, atque acta probare
Aggredior; mea me damnabunt ora loquentem.
Si puras habuisse manus ostendo; refellet
Actutum, & sontem linguæ censura notabit.
21. Quicquid erit, simplexne, an turpi obnoxia facto,
Nesciet ipsa sui mens inscia. protinus ex quo
Percipiet vitæ me odium, lucisque fruendæ.
22. Esto sermonum caput hoc, & summa meorum.
Insontem damnis pariter, pariterque nocentem
Exercet Deus, ac simili ferit usque procella

23. Si

SUB QUO CURVANTUR, QUI PORTANT ORBEM. Nostri fere angelos intelligunt, qui sunt curatores partium orbis, ac velut regionarii. Nam alii aliis populis præsunt, ut ex Daniele colligitur, atque ex Deuteronomii cap. xxxii. *Constituit terminos populorum, secundum numerum angelorum Dei;* ut vertunt LXX. utque Græci interpretes in catena ad hunc locum Jobi adnotant: cum in Hebræis & apud nostrum scriptum sit: *Secundum numerum filiorum Israel.* Porro hic in Hebraico contextu ita legitur: *Sub quo curvantur adjutores roboris vel superbia*, hoc est, superbi, superborumque fautores & patroni: cujusmodi sunt qui freti viribus suis & potentia, aliorum audacias libidinesque fulciunt & augent. Itaque possunt ad hunc sensum Latina deflecti: Qui supercilio tanquam Atlante orbem sustinent. LXX. nescio quid legentes, *cete* verterunt. Sed Symmachus, *qui innituntur superbia.*

14. QUANTUS ERGO SUM EGO. Si Deus tantus est, quantum supra informavi verbis & descripsi: quanti ego sum, ut vocatus in jus ei me sistam, & apud eum causam dicam? qui, licet jus & æquum steterit a me, verbum tamen non sim facturus, defendendi mei gratia: sed potius prece acturus cum judice, & misericordiam imploraturus.

16. ET CUM INVOCANTEM EXAUDIERIT. Ac me judex cum sibi supplicem exaudierit, ne tum quidem auditum me putavero. Est hæc oratio diffidentis rebus suis & pertimescentis non mediocriter. Idem in magno metu magnaque lætitia homines loquuntur. Etiamsi certo sciant, vix credunt evenisse sibi tantum boni, vix se effugisse tantum mali: aut ita loquuntur certe, quasi non credant, qui tamen non plane desperent ista esse vera, nedum ullo pacto de divina providentia dubitent.

17. IN TURBINE ENIM CONTERET ME. Tanquam turbine aliquo & subita tempestate pervertet, & vulnera addet vulneribus, etiam nullam ob meam culpam. Tametsi Deus fecerit eum causa, quæ potest esse & magna, & multiplex, & necessaria, & justissima, cum istorum nihil sit contractum culpa.

18. NON CONCEDIT REQUIESCERE SPIRITUM MEUM. Atque illa quidem externa, quæ mihi Deus infligit. Hæc interiora quodammodo. respirare me non sinit assiduitate malorum, & amarissima quæque in me congerit, sic ut compleat intus & redundem.

19. SI FORTITUDO QUÆRITUR, ROBUSTISSIMUS EST. Quasi dicat: Illius, quicum mihi res est, summum robur: quomodo resistam? summa æquitas judicii: quomodo eludam & subterfugiam? præsertim cum pro me nemo facere, sive testis, sive advocatus, velit aut audeat.

NEMO AUDET PRO ME TESTIMONIUM DICERE. Non aliud fere est, etsi videatur esse in Hebræo, מי יועידני *mi jogbideni.* Quis contestabitur mecum? me sistet in judicio? mihi tempus constituet ad litigandum? Jerem. XLIX. v. 9.

20. SI JUSTIFICARE ME VOLUERO. Ex ore suo condemnatur aliquis, qui dictis suis ansam præbet adversario aut judici coarguendi sui & convincendi. juxta illud Lucæ XIX. v. 22. *De ore tuo te judico, serve nequam.* Quo ferme pacto quis suo dicitur gladio confici, qui non modo causam suam non tuetur atque defendit, sed lædit male tuendo, & rationes & argumenta suggerit, quibus urgeatur ipse & convincatur.

21. ETIAM SI SIMPLEX FUERO. Id est, si integer fuero. atque innocens, hoc ipsum ignorabit anima mea. In Hebræo: *Ignorabo animam meam.* Quod reduci potest eodem, integer vitæ fuero: hanc vitæ integritatem parum cognoscam, neque ipse ignorabo, optimum telum ad defensionem, *nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*: quo caruero, siquidem ne conscius quidem mihi fuerim, nihil a me translactum male: ut etiam me pœniteat anteactæ vitæ, atque optem mori. Porro gradatim Jobi oratio processit. Si me probare insontem voluero; si probavero; si insons fuero: damnabo ego me; Deus me damnabit; conscientia optimæ mentis nihil juvabit me; emori discupiam, & perfungi semel omnibus malis.

22. UNUM EST QUOD LOCUTUS SUM. At cetera quidem eadem, quæ vos de Deo dixistis, dixi: præpotentem, sapientem, justum esse. Unum est, id quod præcipue locutus sum, in quo mihi vobiscum non convenit: *innocentem & impium ipse consumit.* Una & eadem ratio apud Deum probi & improbi: una, inquam, de qua jam dixi. Probum & improbum nullo discrimine, hic quidem in vita, Deus habet. *C'est tout un du bon & du mechant: & je l'ai deja dit. Dieu afflige & perd l'un & l'autre en cette vie, quand il veut.*

23. SI FLAGELLAT, OCCIDAT SEMEL. In Hebræo obscura sententia est. apud LXX. tota alia. nostri interpretis hæc esse potest: Si flagellum commune est innocentis & improbi; conficiat Deus utrosque semel & quamprimum, nec propagatione malorum, quod facit, probis illudat.

24. TERRA DATA EST IN MANUS IMPII. Hac argumentatione concludit Jobus, non semper pœnas a Deo propter delicta decerni. immo vero majorem persæpe a Deo rationem haberi impiorum & scelerati, qui rerum potiatur atque opibus polleat. Sic ordinandus iste prima fronte videtur & supplendus versus: *Terra data est in manus impii, qui quidem impius vultum judicum terra operit.* hoc est, obcæcat

recto;

23. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.

24. Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit. quod si non ille est, quis ergo est?

25. Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.

26. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.

27. Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor.

28. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

29. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboravi?

30. Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ:

31. Tamen

23. Si mens est mulctare, necet semel: inde remittens
Ira modum inveniat, nec lento gaudeat atrox
Supplicio, aut longa miserorum morte fruatur.
24. Ille dedit, terræ premeret qui fræna, tyrannum.
Ille & judicibus tenebras offudit inertes.
Has atque has trepidis si non mortalibus ultro est
Molitus pœnas vindex Deus; ede, quis auctor?
25. Interea annorum mihi tempora fluxa, diesque
Ocius effugere cito cursore, neque inter
Degustare viam celeri læta obvia visu
Posse datum, humanæ nec carpere præmia vitæ.
26. Effugere dies, sicut ruit æthere ab alto
Observans, prædæque insinditur armiger ales:
Æquor uti magnum pomorum currit onusta
Parva ratis, metuitque mora corrumpere merces.
27. Cum dixi, Non sic querar amplius; ecce repente
Et duco vultus, & totus muto, dolorum
Impatiens: ita corde malum crudescit in ægro.
28. Tum me religio cepit, suspectaque habebam
Acta mea, atque acri censebam singula lima.
Noram namque reo quam non ignoscere scires.
29. Quod si culpa tenax, ut quondam, moribus iisdem
Hæret adhuc, si sic non purus denique resto:
Quo labor, & vitæ cecidit mihi cura prioris?
30. Totum, esto, liquidæ nivis unda sparsero corpus;
Fulserit & vivo tincta utraque flumine palma;

31. Tu

rectores civitatum, & magistratus, & judices: corrumpit assentatione, donis, metu, malis rationibus aliis, ne fungantur munere suo, neve jus cuique tribuant, aut maleficis & facinorosis pœnas debitas irrogent. Sed melius Deo tribui puto omnia quæ sunt in versu, ut idem tradiderit imperium & regimen orbis terrarum principi pessimo minimeque idoneo, idem judices det ei cæcos & rudes, & juris & æqui ignaros, quorum oculos & ora dicatur obtegere. Nec tamen sequitur continuo, ut sit auctor ipse scelerum aut adjutor, qui permittat ejusmodi quædam, qui effici ac patiatur sinat, quo modo & multa alia Deo tribuuntur. & hoc capite v. 31. *sordibus intinges me*, hoc est, inunctum ostendes: quæ aliter atque aliter pro varietate locorum exponi debent, Deo in partem scelerum minime vocato.

25. Dies mei velociores fuerunt cursore. Actum est antea a Jobo de brevitate vitæ, quam ad mala sua tanquam cumulum accedere quereretur c. vii. v. 6. *Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* quasi jam sibi mors immineret. Quo minus placet hic idem repeti de vitæ brevitate, sed agi potius de felicitate, qua usus est prius, quæ brevis, fugax, & mobilis fuit, quam derepente calamitas tanta excepit. Comparatio autem cum cursu, fuga, transitu maris, aquilæ volatu, aperte ostendit, quam parum diuturnæ sint prosperitates humanæ vitæ.

Fugerunt, et non viderunt bonum. Fugit a me omnis illa mea faustitas prior, nec inter fugam tam subitam tamque celerem quidquam mihi boni videre seu percipere licuit.

26. Pertransierunt quasi naves poma portantes. Hebraicam vocem unam אבה *ebeh*, tripliciter video exponi: ut sint naves Ebeh rapidissimi fluminis: ut sint naves desiderii, hoc est, quæ gestiant ad portum, quo contendunt, quamprimum pervenire; non quæ pro voto & desiderio atque ex animi sententia navigent: ut naves sint fructus, naves quæ fructus vehant recentes, primos, præcoces. Etenim naves ejusmodi sive celoces seu actuariæ, non valde onustæ sunt, ideoque celerius navigant. Hunc noster interpres sensum amplexus est, & Chaldæus מגדין *magdain*, fructum optatum, seu rem alicujus pretii vertit. quod eodem, ut apparet, redit. Secutus autem Symmachus rem potius, quam vocem, ὥσπερ ναυσὶ σπευδούσαις, similiter ac naves properantes. Et vero nautæ festinare solent quæstus sui causa, vel ut adveniant tempori, vel ut antevertant alios, vel ut ne mora & tarditate navigandi corrumpant fructus, qui diuturnitatem non habent.

Sicut aquila volans ad escam. Aquila scilicet avium citissime volat, maximeque ad prædam, fame dominante. Itaque non potuit magis festinatio & celeritas, & bonorum mobilitas, quam istis quatuor similibus indicari. Ac ne eo quidem aspirat Tullius: certe non vincit, cum ait: *Si dormis, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola.*

27. Cum dixero: Nequaquam ita loquar. Hoc est, si fecero quod jubetis, & conqueri desiero, doloris inclusi magnitudinem ferre nequeo. Vel, si dixero, desistam queri, & præ me ferre tristitiam: mutabo vultum, & componam ad hilaritatem. Sed tunc ultima verba duo, *dolore torqueor*, nequaquam respondent Hebræo, *confirmabor*. Propiores sunt LXX. interpreti nostro: καὶ συγκύψας τῷ προσώπῳ στενάξω. ut sit sensus, non querar, nec tollam clamorem, sed tacite apud me, demisso vultu, gemam.

28. Verebar omnia opera mea. Hoc est, timui mihi a malis, quæ patior, ne ingravescerent aut multiplicarentur: satis gnarus & molesta edoctus experientia, me a te non dimissum iri liberum & impunitum, si quid deliquissem. Et vero qui nihil, vel parum admodum peccarim; plector tamen, & luo graviter quæcumque levissima aut gessi aut omisi. Una vox Hebraica יגרתי *jagorthi*, causa est sic interpretandi. Opera autem, labores, mala, dolores, sive operosa, laboriosa, quæ malum creant, quæ faciunt dolorem, idem fere declarant, proque eodem sæpe sumuntur. Quod ex Latinis vulgo nonnulli exponunt, quasi Jobus dicat: Ego ita vixi, ut omnes actiones meas diligenter explorarem, inquirerem in me, neque ipse observarem, Deum versus in delinquentes vehementem atque inexorabilem: est ille quidem sensus accommodus ad mores, sed utique non verus, nec proprius hujus loci.

29. Si autem et sic impius sum. Si cum ingemuerim, conquestus sim, causam tueri meam, meque insontem probare conatus sim, me in omnem partem versaverim; ego nihilo minus a vobis impius judicor: cur incassum tantum mihi laborem indixi? Vel certe ad Deum verba ista pertinent: ut comparatione summæ illius exactæque justitiæ non se innocentem esse fateatur ac demonstret. quod & sequentia magis edicunt. Non enim cum Deo quisquam potest contendere, quem nemo videre potest, & qui nemini subjectus est.

30. Si lotus fuero quasi aquis nivis. Aqua nivalis sive ea inprimis apta, ut experiri licet, ad conspergendum pavimentum, atque eluendas inde & abstergendas sordes.

Fulserint velut mundissimæ manus meæ. Quæ tersa & munda, ea nitent ac fulgent, speculi instar. Horat. epist. 5. l. 1. *Ne non & cantharus & lanx ostendat tibi te.*

31. Ta-

31. Tamen fordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.

31. Tu tamen innumeras deprendes lumine ſordes;
Et ſuper obſcœni continges tabe ſepulcri.
Ipſi adeo horrebunt, meque avertentur amictus.

32. Neque enim viro, qui ſimilis mei eſt, reſpondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo poſſit audiri.

32. Nec vero dictis par uni e gente virorum
Congrediar, ſimilique mei, quem judicis æqui
Ex æquo mecum auditum ſententia damnet.

33. Non eſt qui utrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus.

33. Deeſt etiam arbitrio qui res decidat amico,
Qui verum moneat, falſive coarguat ambos,

34. Auferat a me virgam ſuam, & pavor ejus non me terreat.

34. Atque interjecta componat fœdera dextra.
Me ſaltem intento parcat terrere flagello.

35. Loquar, & non timebo eum: neque enim poſſum metuens reſpondere.

35. Ore loquar, ſi corde metus ejecero: namque
In reſponſa vetat formido reſolvere vocem

CAPUT X.

Redit ad graviſſimas expoſtulationes ſuas de ſui doloris magnitudine, quarum hoc caput & ſumma eſt, agi ſecum durius, quam ut ferat aut Dei ſcientia, quem nulla res, nullum cujuſquam delictum fugit; aut ejuſdem benignitas, a quo plurima beneficia habet; aut meritum ſuum, cum nullius culpæ ſibi conſcius ſit. Quibus expoſitis id inculcat, unde querendi fecit initium, ſibi fuiſſe ſatius non naſci, aut ſane quamprimum mori. Qui quoniam tot reſervatus ſit malis, ſaltem orat, ut quod reliquum vitæ eſt, quod non poteſt eſſe diuturnum, quietius tranſigat & tranquillius.

1 TÆDET animam meam vitæ meæ, dimittam adverſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.

1. TÆdia me vitæ capiunt: laxabo dolori
Fræna meo, & queſtus effundam pectore amaros,

2. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi, cur me ita judices.

2. Affaborque Deum voce hac: Ignoſce precanti,
Inſontemque reum ne damna; aut cognitor æquus
Arbitrii nobis cauſam prius ede ſeveri.

3. Numquid bonum tibi videtur, ſi calum-

3. Tene juvat crimen mihi falſum inferre, tuæque
Op-

31. TAMEN SORDIBUS INTINGES ME. Hoc eſt, purum me & integrum licet, nihilominus ſordibus intinctum probaris & oſtenderis, atque ita intinctum, ut odio ſim quodammodo veſtibus meis, eaque me, ſi fieri poteſt, execrentur & abhorreant: cum ſit contra, ut ſordidos amictus & inquinatos ferre non poſſimus.

32. NEQUE ENIM VIRO, QUI SIMILIS MEI EST. Ait ſibi, homini mortali, rem non eſſe in judicio cum pari & ſocio, ſed cum Deo immortali ac præpotente: nec eum ſe eſſe, cui cum tam forti & valente adverſario æquo jure diſceptare liceat.

33. NON EST QUI UTRUMQUE VALEAT ARGUERE. Ac neque eſſe cujuſquam judicis, aut arbitri, aut ullius omnino pacificatoris, componere litem inter ambos. Ponere ſuper quempiam manum, ſignum eſt poteſtatis, maxime in judicibus, qui calidius inter ſe jurantes extenta manu compeſcere ſolent: cujuſmodi neminem habet Deus.

34. AUFERAT A ME.

35. LOQUAR, ET NON TIMEBO. Auſurum ſe tamen aliquid, & acceſſurum non timide ad cauſam dicendam, dummodo removeat Deus ab ipſius corpore tormenta & cruciatus, omnique ipſum cura & ſolicitudine liberet. Sic enim, hoc eſt, mediis in malis & doloribus, apud ſe non ſatis eſſe, ideoque præ metu & conſternatione animi non poſſe reſpondere. Atque hanc vulgatus ſententiam ex iſtis Hebræi verbis, *quia non ſic ſum apud me*, expreſſit.

EXPOSITIO CAPITIS X.

1. TÆDET ANIMAM MEAM. נקטה *nakta*, *faſtidivit*. Eadem voce uſus eſt cap. VIII. v. 14. *quem faſtidit ſpes ejus*.

DIMITTAM ADVERSUM ME. Id eſt, non deſiſtam queri: etſi repugneritis vos, ipſe querelis non proficiam. *Dimitte adverſum ſe eloquium*, idem eſt, ac permittere ſe mœrori totum. Græci ergo præclare, ἐπαφήσω ἐπ' ἐμαυτόν. Olympiodorus contrario ſenſu, nullas faciam querelas: quod non procedit. Nam deinceps ſignificat ſe cum Deo agere velle, quamlibet prohibentibus amicis.

2. DICAM DEO: NOLI ME CONDEMNARE. Cauſas a Deo petere incipit, quamobrem ſecum tam duriter agat, nequaquam ob meritum. Injuriæ porro inferendæ rationes, quibus adduci mortales ſolent, a Deo removet. Quid enim juvet aliena vexatio? quid operis ſui deſtructio, quid, favere ſceleratis? ſed neque tenet illum ignoratio, neque perturbatio ulla humana ducit.

INDICA MIHI, CUR ME ITA JUDICES. Rem intolerandam ac tyrannicam videri, ſi quis afficiatur pœna; ignoret autem, quamobrem pœna afficiatur. Vide Ariſtotelem in rhetoricis; objurgandum neminem non modo ſine cauſa, ſed etiam ſine cauſa ac ratione antea reddita. Quin illud ipſum, ut præcipit Tullius in primo de officiis, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe.

3. NUMQUID BONUM TIBI VIDETUR. Ad verbum in Hebræo: Num bonum tibi? id eſt, quem fructum capies ex injuria & vexatione mea, ſi circumventus & oppreſſus ero? Hic noſter interpres minus diligenter & enucleate, qui diverſa ſignificatu verba duo, totidem quidem verbis, ſed idem declarantibus, expreſſit. Calumniari enim & opprimere, idem valent: cum ſit in Hebræo & apud LXX. quod calumnieris, quod ſpernas; belle autem conveniat, calumniari innocentem, opus ſuum aſpernari.

CONSILIUM IMPIORUM ADJUVES. Noſter aperte ac ſimpliciter Hebræus figurate, *luceas impiis*. Dicitur illud, vel generatim, quod Deus faveat & ſuffragetur improbis, eoſque perinde ac probos juvet ac tegat: vel ſpeciatim, quod Jobum affligat atque exerceat, in eoque judicium adverſariorum comprobet, qui illum merito vexari putarent.

4. NUMQUID OCULI CARNEI TIBI SUNT. Hominibus oculorum fallax ſenſus, judicium minus intelligens minuſque ſincerum. Contra Deus de rebus judicat rectiſſime. Oculis autem non modo quævis æſtimatio rerum & judicium tribuitur, ſed etiam quivis motus animi affectuſque & perturbatio. Ut ſint & errores oculorum, & perverſitates cupiditatis, noxæ, mendacii, odii, invidiæ, in-
di-

lumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves?

4. Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis?

5. Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora,

6. Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?

7. Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere?

8. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & sic repente præcipitas me?

9. Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.

10. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?

11. Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & nervis compegisti me:

12. Vitam & misericordiam tribuisti mihi: & visitatio tua custodivit spiritum meum.

13. Licet hæc celes in corde tuo: tamen scio quia universorum memineris.

14. Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?

15. Et

Opprimere artis opus, votisque favere nocentum,
Inque meum socias caput hostibus addere vires?
4. An tibi mortales visus obliqua ruenti

5. More hominum? at multum nostræ tua discrepat ætas
Diversæ facies annorum hominisque Deique.
6. Nempe tuum non est culpam explorare latentem
Nunc primum, ignotosve recens discernere fontes.
7. Me pridem nosti innocuum; neque fallere cuiquam est
Effugio, aut acri tua rumpere vincula nisu.
8. Siccine quem potuere tuæ recto ore decentem
Artifices formare manus, circumque polire,

9. In præceps festinus agis? Me, quale figuræ
Vas opifex luteum, talem prodisse memento,
Te fingente, mihique operam, perque omnia, dante.
Quem subito versum, si fert ita corde voluntas,
Mox dabis in cineres, aut mille in fragmina quassum.
10. Numquid uti fluidum me lac emulgere nosti?
Me durare manu? facili ceu caseus arte
Cogitur in solidam per densa coagula massam.
11. Tum nervi per te impliciti: per te ossibus ossa
Nexa rigent compage gravi: quibus insuper ipsis
Aptasti teneram circum carnemque cutemque.
12. Denique tu vitæ miseratus habere dedisti
Usum, & opes, & delicias, visensque subinde,
Ac resovens, aluisti animam liquentibus auris.
13. Non oblita tibi tot munera, condita quanquam
Sensibus hæc imis celes, vultuque minaci
14. Dissimules. Certe primis admisimus annis
Quod nos cunque nefas, tamen exorabile numen
Sensimus extemplo. Cur nunc ultricibus armis
Insequeris, parcus veniæ, precibusque moveri

15. In-

dignationis. Oculi, inquam, concupiscunt, fascinant, simulant, dissimulant, mentiuntur, præ se alia ferunt, invident, indignantur, omnia peccant denique. Hic sententia est: Falleris, quo more falli homines solent? gratia flecteris, qua homines abducuntur ab officio? habes rationem personarum, ut fit in humanis? Quo loco legisse videtur Aug. Thuanus in metaphrasi poetica sua, *oculi cornei*, sed Hebraica & Græca partier reclamant.

5. Numquid sicut dies.

6. Ut quæras iniquitatem.

7. Et scias quia nihil impium fecerim. Ecce tibi una series & copula trium versuum. An tibi hebetior est & obtusior acies, ut non continuo crimina inspicias? aut tempore & spatio opus habes, ut causas hominum cognoscas, discas crimina, & me insontem demum intelligas? Hoc scire curas scilicet, cum eripi tibi nullo modo queam; sive innocens sim, sive culpæ reus. Habetur in Hebræo, *in cognitione tua*; supple, *est*. LXX. *oidas*, *nosti*. Quod verbum ita hic, ut apparet, sejunctum, & per se constans, vulgatus noster cum superioribus conjunxit: ut quæras, ut scias.

8. Manus tuæ plasmaverunt me. Hebraica dictio, עִצְּבוּנִי *ghitsevuni*, quam, *plasmaverunt me*, exprimit, elegantem habet significationem; ut sit vel elaborare cum defatigatione, vel instar statuæ fingere & figurare. Quasi dicat, tanto labore effectus sum a te, tanta arte undequaque perfectus. Siccine me, talem, tam cito, in exitium præcipitem agis? Atque antea quidem versu tertio injecit quasi in sermone, se opus esse divinum: idem nunc uberius & fusius edisserit quinque versibus.

9. Et in pulverem reduces me. Melius, hæc si per interrogationem elata sint: Creasti me & confirmasti: statim everteres? finxisti quasi ex argilla & luto: verres in cineres? Est cujuslibet auctoris quidem de opere suo statuere, ut velit: sed omnium minime is perditum vult opus, qui fecit.

10. Nonne sicut lac mulsisti me. Quoties ista lego Jobi, quibus verum & legitimum sibi parentem esse Deum significat, toties audire mihi videor, plus etiam quam virilis animi feminam, quæ hortetur liberos ad perferendam mortem, ut quem a Deo spiritum acceperint, eidem reddant. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi. Sedenim mundi creator.* Quæ tamen mox, ubi libuit, & visum est opus, se matrem professa. *Fili mi*, inquit, *miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram.*

12. Vitam et misericordiam tribuisti mihi. Primum, quod natus sum, tuum est. Deinde singulari me beneficentia prosecutus es ex illo tempore. Postremo tibi maximæ curæ fuit salus & incolumitas mea. *Visitationem* interpretor assiduam curam, & providentiam, qua Deus saluti hominum & commodis prospicit atque consulit. supra cap. VII. v. 18.

13. Licet hæc celes in corde tuo. Hoc est, secundum Hebræorum fidem: *Tu hæc omnia mala mea pœnasque in corde tuo reservabas in suum tempus.* Verum secundum Latina nostra, significatur, Deum, quamvis homines malis atterat, sic ut eos penitus abjecisse videatur; tamen illorum non oblivisci. Quanquam de beneficiis, quæ Deus dederit, potius quam de malis, quæ intulerit, agi putarim, in hunc modum: Tot ac tanta tua erga me merita quamvis dissimules, itaque me nunc tractes severius; quasi videaris non modo beneficia tua tueri nolle, sed oblivisci velle: novi tamen te probe meminisse.

14. Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi. Etsi antea peccaverim, etiam illico ignovisti: cur nunc itidem non absolvis, aut non dimittis impunitum & liberum ab omni culpa? Vel, si peccavi, & ad tempus pepercisti mihi: cur nunc ipsum idem non facis? Vel, si peccavi, & reservasti mihi pœnas certum ad tempus, quod est ignoscere aliquandiu. Denique, si, ut amici mei exprobrant, tantum deliqui, ob quæ meritas pœnas in hoc tempus reposuisti; cur tamdiu crucior, nec modum aliquem præsens habet calamitas? Quocirca recordandum est, & hæc verba proferre Jobum post diuturnum languorem; & non tanta tamque enormia peccata sua cognoscere, ut non situs aliquis pœnarum esse debeat.

15. Et

15. Et si impius fuerò, væ mihi est: & si justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.

16. Et propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias.

17. Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam adversum me, & pœnæ militant in me.

18. Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret.

19. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

20. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum:

21. Antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine:

22. Terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

15. Indocilis? Sive ergo boni studiosus & æqui,
Sive malæ teneat fraudis reus; exitus idem,
Sors eadem heu miserum tristis gravat: ora neque ausim,
Nec valeam, dejecta malis, attollere coram.
16. Scilicet, insidians audaci ut forte leænæ,
Me tumidum cepisti animis, longeque ferocem.
17. Inde alios capto atque alios procul ingeris ictus
Et propius, gaudesque modis contendere miris.
Atque novas lites, pro testibus, usus amicis,
Instruis. ignescunt calidæ magis ac magis iræ.
Ac tibi pœnarum, me contra, militat agmen.
18 Heu quianam parientem una, partumque secundans,
Traxisti miseræ infantem genitricis ab alvo?
Atque utinam nascenti, & adhuc a matre recenti
Fas crudelem animam primum exhalare fuisset!
Fas nec luce frui, atque hominum prodire sub ora!
19. Tum vero, ceu qui nullus fuit ante, fuissem
Ex utero pompa in tumulum traductus inani.
20. Num saltem fugiente rota brevis avehet hora
Quodcunque hoc vitæ! Ergo meum mœrere dolorem
Me sine, & in lacrymas, si quis favor, ire tepentes.
21. Post deserta volens, atque irremeabilis oræ
Antra petam, tenebrosa antra, & caligine semper
Mersa necis; rerum unde quies, unde exulat ordo
22. Lucidus, inque locum noctes, æternaque fata
Successere, umbræque leves, ac pestifer horror.

CAPUT XI.

Est hic gravis quædam cohortatio, qua Sophar Jobum revocare conatur ad officium, quo in officio si fuerit, prospera omnia denunciat & pollicetur fore. Sed prius hoc illum nomine falso criminatur, quod se insontem prædicarit. qui si legem ipsam, quam multiplex est, consuluisset, intelligeret se & peccasse multa, & multo minores pœnas pendere. Dei autem & acta & consilia nequaquam hominem pervidere.

1. RESPONDENS autem Sophat Naamatlites, dixit.

2. Num-

1 HIc quoque Minnæus Sophat tali inctepat ore;

2. Ab-

15. ET SI IMPIUS FUERO. Si improbus sim; me miserum! si probus sim, ut sum; non continuo ausim tollere caput; quippe quem tot miseriarum pudeat & ærumnarum, quæ me omnes premere ob meritum videantur.

16. ET PROPTER SUPERBIAM. ויגאה vengebe. Ad verbum, *attollet se.* Eadem usus est voce c. VIII. v. 11. *Numquid virere potest?* היגאה bangebe *Numquid attollet se?* Sensus est. venaberis me, & capies sic tanquam leænam superbientem aut ferocientem. Quoniam autem Hebræi carent casibus; vel sicut leænam dici potest, vel sicut leæna. Sed illud melius, quod & habent LXX. ἀγρεύομαι ὥσπερ λέων, capior ut leo.

17. INSTAURAS TESTES TUOS. Testes appellat socios, qui se accusabant: atque allusio est ad judiciariam formam, nam contra reos instruuntur producunturque testes.

18. QUARE DE VULVA EDUXISTI ME? Sicut in gemitu & querelis a summe misero & calamitoso frustra expectes modum, ita ordinem. Multo etiam minus ab eo postulandum, ut eadem non repetat millies. Itaque & hic mortem optat, quam sibi votis omnibus optavit antea, & alia alibi ad satietatem & fastidium iterat. Addo & illud, quod modo mori optet miser, modo brevem esse vitam doleat, & id in malis quoque suis reponat; adeoque pugnantia sæpissime loquatur.

19. FUISSEM QUASI NON ESSEM. Si qui mortuus est, etiamsi diu vixerit; tamen in eadem causa ponitur, atque is qui nunquam natus est: quanto id magis, si parum diu vixerit?

20. NUMQUID NON PAUCITAS DIERUM MEORUM FINIETUR BREVI? Dupliciter intelligi potest, vel ut de vitæ diuturnitate expostulet & conqueratur: nonne vivere tandem aliquando desinam? vel ut affirmet se non victurum diutius, sed propediem moriturum. Obscurum est illud quod infert, *ergo dimitte me.* obscurius, *ut plangam paululum dolorem meum.* Nisi forte sit hoc. quod ut sibi concedatur, sæpius exposcit atque etiam efflagitat, mora & spatium calamitatis, vel deplorandæ, in quo miseri acquiescunt; vel recolendæ & memoria repetendæ. quo perfuncti jam & liberati, delectantur. Certe in Hebræo est, *& param recreabor*, id est, parumper. levabitur aliquantum dolor meus plangendo. da satis ad id temporis & vitæ.

21. ANTEQUAM VADAM, ET NON REVERTAR, AD TERRAM. Vadam ad terram non rediturus. Mortis & sepulcri poetica valde ac tragica descriptio. caligo, umbra, tenebræ, noctis profundæ & æternæ chaos, sempiternus horror. quæ sub terra penitus, cui mandatum corpus, omnia quodammodo stabulant.

EXPOSITIO CAPITIS XI.

2. NUMQUID QUI MULTA LOQUITUR, NON ET AUDIET? Minus mirum si Sophar audiri se vicissim postulat, cum nondum verbum fecerit, & plura Jobus locutus sit, quam socii duo, Eliphas & Baldadus. Et vero Jobi sermo fere diducitur semper in capita duo: aliorum ut plurimum capite uno continetur. Itaque Jobus primas partes agit: alii secundas & tertias: Sophar ultimas, qui hic tantum & capite XX. loquatur.

VIR VERBOSUS JUSTIFICABITUR. An ea re quisquam justus erit, quia dixerit? quia causam suam egerit pluribus? Eloquentia insontem non facit, sed ad summum ostendit. Loquacitas vero non modo non ostendit, sed suspectum potius criminis reddit, reumque ipsum prodit.

3. TIBI SOLI TACEBUNT HOMINES? Tripliciter hic locus est pro triplici potestate vocis varie acceptæ exposítus. Uno modo, cum dicitur בדיך badeica, *mendacia tua*, ut interpretantur Hebræi a בדים *badim.* Altero modo, ut sit בריך *barec, benedictus*, a *beric.* quod LXX. verterunt εὐλογημένος. Tertio, ut noster interpres, soli tibi a בד *bad, solus.* aut לבד *lebad*, cum affixo. Quod si est discedendum videbitur ab interprete vulgato; malim ego,

quod

2. Numquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus justificabitur?

3. Tibi soli tacebunt homines? & cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis?

4. Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

5. Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.

6. Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex ejus: & intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies?

8. Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces?

9. Longior terra mensura ejus, & latior mari.

10. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?

11. Ipse enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat?

12. Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.

13. Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas.

14. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia:

15. Tunc

2. Absolventne reum sua plurima verba loquacem?
Aut fudit qui multa prior, nil deinde reponi
sustineat sibi, nec responsis præbeat aures?
3. Nempe tibi faciant ut longa silentia soli
Sponte homines, cunctis illudas, nemo refutet?
Sit fas, sit voces jactasse impune superbas?
4. Sermo mihi, & vita est, te teste, ac judice, pura,
O Deus. Impuro namque ore hæc verba dedisti.
5. Atque utinam Deus ipse tibi non nolit adesse,
Tecum agere, & Sophiæ te cæca arcana docere:
6. Quam jus multa ferat, quid lex jubeatque, vetetque,
Quas taxet pœnas sceleri, quæ præmia recto.
Tum vero quam pauca luas, meritisque minora,
Ulciscente Deo, non ignorasse liceret.
7. At non supremi solium, culmenque Tonantis.
Affectes, non ima oculis vestigia signes.
8. Quid facias? unde agnoscas? sublimis Olympi
Sub pedibus videt astra, cavoque profundior Orco est,
9. Longior & terris, & latior æquoris undis.
10. Qui Superûm, qui res hominum si vertat ab imo.
Inque chaos vocet antiquum; quis voce reclamet,
11. Aut jus esse neget? namque illi cognita pridem
Fraus hominum, & nimium spectata libido nocendi.
12. Cernis ut elata tumeat cervice superbus,
Jusque sui primum a teneris sibi vindicet annis,
Et libertatem petulans præsumat inani
Credulitate vagam? qualis ferus invia asellus
Circuit, excusso detrectans pondera dorso.
13. Tu quoque firmato per eosdem pectore mores
Obduras; palmasque Deo cum voce precantes
Non tendis minus interea, cœlumque fatigas.
14. At si fœda manu quæ noxa tenaciter hæret
Elueris que prius, foribusque excluseris altis

15. Om-

quod vult Codurcus, & probabiliter disputat contra Hebræos omnes, בדים badim, non esse מכזבים mezabim, mendacia, sed argumenta, & reprehensiones: cujus vocis cum sint in numero multitudinis quatuor significatus, hoc quartum habeatur in istam sententiam: Argumentis tuis & rationibus obmutescent homines? aut quæ contra affers, ea mutos & elingues reddent adversarios?

Cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis. Cum ceterorum in te dicta illuseris, nemo vicissim tua eludet? & quem incutere pudorem conatus es, nemo confutando reget?

4. Dixisti enim: Purus est sermo meus. Quasi illud Ennianum dicat: Ausus es hoc ex ore tuo, te insontem prædicare ac testificari, neque quidquam a te factum, neque dictum, mali.

5. Atque utinam Deus loqueretur tecum. Totus in eo laborat, ut Dei justitiam, & potestatem, & sapientiam commendet: quo Jobum deterreat ab ea voce, qua cum Deo contendere se velle dixerat.

6. Multiplex esset lex ejus. כפלים ciphlaiim, duplicia, a כפל cephal, m. duplum. תושיה thusciia, f. essentia, virtus, lex, sapientia. Est multiplex, inquit, lex ejus, id est, duplo plura lex naturæ præcipit, quam tu præstiteris. vel potius, duplo majores pœnæ divina lege sancitæ taxatæque sunt, quam tu sustineas. Ut quiritationem illius excludat, præter meritum cruciari se mussitantis.

Ut intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur, &c. ישה לך jasce leca, futurum Hiphil a נשה nasca, oblitus fuit, mutuum dedit, exegit. Ex quo nonnulli sic accipiunt, facit oblivisci te de iniquitate tua, id est, efficit ut multa te lateant, in quibus peccas. Alii: Porro scito quod mutuat tibi de pœna. Quæ noster interpres præclare & eleganter, sententiam secutus, reddidit, non ad verbum convertit. Te si videlicet Deus doceret, quod utinam faciat, disceres eum voluntaria oblivione deletorum memoriam tuorum in se admissorum, vel remissurum partem tibi pœnarum debitarum.

7. Forsitan vestigia Dei comprehendes. Ista cum antecedentibus, cumque consequentibus, hunc habent nexum. Si te Deus erudierit, arcana tibi sua & occulta omnia aperuerit, quo quidque consilio faciat, quem ad finem tendat, se non celarit: facile intelligas, cur quove modo & quam parum pro meritis patiare. Sin minus; vestigia, opinor, Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies? Minime vero. non cum plene ac perfecte cognoris, non vias illius & rationes agendi animo comprehenderis, si ipso, doctore & magistro omnis sapientiæ, careas.

8. Excelsior coelo est. Quadripartita dimensio corporum sumpta a geometricis mensuris: longitudo, latitudo, altitudo rerum, quæ supra subterque sunt. Immensus est in omnem partem Deus: quis assequatur & exæquet, aut mente & cogitatione complecti queat? Cœlum, inferos, terram, mare exsuperat: quis ad eum aspiret, & in illius sensum opinionemque penetret?

10. Si subverterit omnia. Idem si isthæc longa, lata, summa, infima evertere vel contrahere in unum & confundere conetur, quis impediet, aut omnino contradicet? Si res hominum, naturam rerum excidat, aut in angustum adducat, quis eum injustitiæ condemnet?

11. Ipse enim novit hominum vanitatem. Novit enim & attendit scelera hominum, ob quæ id faciat, hoc est, eos sic ulciscatur. Tota nimirum sententia hæc est: ut Deus animadvertat in homines, quis præter jus & fas eum facere dicat? Novit quippe ac videt, quid quisque peccet, atque id ipsum dijudicat, & suum sceleri taxat modum pœnarum.

12. Vir vanus in superbiam erigitur. LXX. non discrepant, ϑρασύνεται. Hebræa vox ילבב jilevev, vel cordatus fiet, vel privabitur corde. Sed hoc potius: ut hic sit sensus, occultissima quæque nostra, nota Deo sunt. At vero homo hebes ne sua quidem facinora, ob quæ dat pœnas, satis advertit.

Et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Ad verbum, & pullus onagri homo nascetur. Noster autem interpres licentiam effrænatam & indomitam improbi hominis plane exprimit.

13. Tu autem firmasti cor tuum. Tu, inquit Sophar, obfirmato es animo in improbitate tua & su-

 per-

15. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.
16. Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis.
17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.

18. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe: & defossus securus dormies.

19. Requiesces, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur faciem tuam plurimi.
20. Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ.

15. Omne nefas; coram non os efferre pudebit,
Et tibi constabis, nec te timor anget iniquus.
16. Adde quod infaustæ venient oblivia sortis,
Aut dabitur subiti meminisse ut fluminis undam,
Jam lapsam, ripis jam siccam sole relictis.
17. Inde tibi extremo medius sub vespere fulgor
Solis inardescet radiis; quandoque putabis
Jam dulci cassum te lumine, jamque peremptum,
Exoriere, novos aperit ceu Lucifer ortus.
18. Texere spem longam, & redivivis fidere rebus
Incipies, tollesque animos, somnumque sub alta
Carpes tutus humo, & penetralibus intima tectis
19. Otia ages; nec erit placidam turbare quietem.
Hic quanquam precibus te plurimus ambiet amplis
20. Orator, supplexque cadet. Sua lumina contra
Deficient pravis. Pravis non ulla patebunt
Effugia. Horrendum nil non sperare jubentur.

C A P U T XII.

Mirifice retundit Jobus amicorum sermones, & quandam quasi δοκησισοφίαν. Negat enim obscurum esse sibi quidquam & ignotum, quod illi teneant, de sapientia Dei, & potentia, & procuratione rerum humanarum. ac ne ullum quidem non eadem scire, quæ Deus nutu regit atque administrat: cum tam aperta sint & insignia, seque prodant omnibus quotidie. Atque hæc, quæ quisque novit, & experitur, singillatim recenset, etiamque amplificat.

1. RESPONDENS autem Job, dixit:
2. Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?

3. Et

1. SUscipit, & dictis ita Jobus dicta refellit.
2. Nempe virium geritis solis nomenque, decusque;
Cetera pars hominum est numerus. sapientia, quo
Occidet interitu, & tumulo condetur eodem, (vos,

3. At

perbia, in quo onagri similia es: & cum veniam non deprecetis, sed adhuc insolescas; audes tamen manus tuas expandere ad Deum, & confidenter illum alloqui. Atqui longe secus facere debuisti, & prius iniquitatem e manibus tuis excutere. Verum in Hebræo & apud LXX. verius hic cum sequentibus habere videtur cohortationem, qua Jobum Sophar admonet, ut animum suum comparet, supplex Deum precetur, scelere se omni liberet. Quasi hoc modo constituatur oratio: hæc si tu, Jobe, præstiteris, si animum tuum præparaveris ad rectum & bonum, si tuleris cœlo supinas manus, si suum cuique tribueris, alienum reddideris.

15. TUNC LEVARE POTERIS. Dilutius illud & frigidius, quod quibusdam placet: abluet os, sordes abstergebis, exporriges frontem, quia hoc lætitiæ est. Meliora ista, quæ fiduciam significant. Tum vero erit integrum casto & innocenti, nec pudebit attollere os: fidenti animo, erectus & celsus ingredieris pleno gradu, & præclara conscientia fretus. tranquillitas enim & confidentia notatur rectæ conscientiæ, cujus signa sunt, non erubescere, non expallescere, nihil pudere, non ore se ferre palam, varie & inconstanter. Est ergo, *sine macula*, nulla perturbatione animi, quæ mutare vultum solet. Cui valde poeta concinit: *Et contra magnum potes os attollere solem? Nec tremis admissa conscia nequitia? Quis te cogebat multos pallere colores, Et fletum invitis ducere luminibus?* Neque dissimilis alter ejusdem memoriæ poeta: *Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

16. MISERIÆ QUOQUE OBLIVISCERIS. Denunciat huic deinde Sophar, dummodo sic perfugiat ad Deum purus & integer, fore ut præteritorum malorum obliviscatur prorsus, aut si recordetur, recordaturum tanquam aquæ, quæ effluxerit, quod ad ipsum nihil attinet, nihilque attinuit. Porro & hoc felicitatis quod futurum fuit, & cetera quæ sequuntur, præsagit Sophar, nihil minus cogitans, quam quod evenit. reprehendendi enim studio & criminandi potius, quam quod ita fore putaret, aut accidere Jobo posse, hæc ante videtur praedixisse tam diserte tamque evidenter.

17. ET QUASI MERIDIANUS FULGOR CONSURGET. Clara hæc, etsi figurata oratio. ex superioris vitæ caligine ac tenebris lucem respicies: sive tenebricosis & mœstis temporibus tuis, in summam repente felicitatem venies.

ET CUM TE CONSUMPTUM PUTAVERIS. Ad verbum, *sicut ipsum nunc eris*. Interpres noster explicatius & uberius ac de suo: cum actum de te esse existimaveris, tum vero melius tibi fiet, nec modo insperanti prospere omnia, sed etiam desperanti succedent.

18. ET DEFOSSUS SECURUS DORMIES. Veteres quidam codices habent, *defessus*. quibus Græca favere videntur, ubi occurrit, *ἐκ μερίμνης καὶ φροντίδος, ex mœrore & sollicitudine.* Sed in correctis & editis typo libris legitur, *defossus*: quod consentanee cum Hebræis ita licet exponere: Domi tuæ, in penetralibus ædium, sive in interius tabernaculum abditus, & tuto delitescens, non vagus aut erro, tranquille accubabis. Nam Hebraice legitur, וחפרת *vechapharta*, *& fodies*, quod de tabernaculis in deserta solicitudine, ut Arabum mos fuit, collocatis accipiendum: sive quod terram ad id effodi necesse esset: sive quod non usquam alibi tenderent, nisi quo loco puteum possent fodere, Genesis XXVI. seu quia fossa & vallo munirent tentoria, cum sua quasi castra metirentur, aut mansiones certas quasdam disponerent. Quamquam prima trium jure videtur mihi potior ratio. Atque sic habitant Scenitæ & Nomades in Arabia siccis & solis locis. Campestres autem Scythæ subiret terram in speluncis & cavernis. *Ipsi in defossis specubus secura sub alta otia agunt terra.*

19. REQUIESCES, ET NON ERIT QUI TE EXTERREAT. Id in bonis maxime numerat, quod habetur quoque iisdem verbis Lev. XXVI. 6. Neminem futurum, qui requiem illi atque otium obturbet: interpellatorem nullum: deprecatores habiturum quam plurimos, qui sint ei supplices & obnoxii, & accidant ad genua. Nec temere fortassis רבים *rabbim*, in Hebræo intelligas, non, *plurimos*, sed, *optimates & proceres*, quos habebit subjectos sibi, seque prece ambientes.

20. OCULI AUTEM IMPIORUM DEFICIENT. Contra eveniet improbis, qui deficient ac fatiscent tuendo: dum neque bonum, quod expectant, assequentur; neque liberabuntur malo, quo torquentur dudum ac nihil erit illis optatius morte, ipsamque in ea suam totam collocabunt. עיני תכלינה *ghene tichlena*, *oculi consumentur*. Vide Lev. cap. XXVI. v. 16. ubi idem verbum כלה usurpatur in eandem sententiam, *spes illorum abominatio animæ*. id est, vel dolor animæ, vel extinctio animæ, vel quasi efflatio animæ.

E X.

3. Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat?

4. Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim justi simplicitas.

5. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.

6. Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.

7. Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi.

8. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.

9. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?

10. In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis.

11. Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis, saporem?

12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.

13. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.

14. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.

15. Si

3. At mihi cor etiam, & circum præcordia sanguis.
Nec vero cedam inferior: quis enim omnia vobis
4. Non eadem novit? Ludibria passus amici,
Quisquis is est, in vota Deum non cassa vocabit.
Candida simplicitas, sectantisque optima vulgo
Luditur, inque humilem contemptum ditibus exit.
5. Nata velut vilis nocturna ad lumina lampas,
Vilior aut fumans semiusto robore torris.
6. Interea plena exuviis arctatur opimis
Prædonis domus, & captivo fulget in auro.
Ille Deum fidens tamen, ingratusque bonorum
Provocat, effusa qui præbuit omnia dextra.
7. Te pictæ, nempe, hæc volucres, pecudesque feræque:
Tantum ora, facilemque adverte monentibus autem;
Edoceant rerum monimenta, atque ordine monstrent.
8. Quinetiam tibi responsum bruta ipsa petenti
Terra dabit. Dabit &, muto licet ore, natantum
9. Omne genus. Quis enim Domini non condita novit
10. Cuncta manu? cujus vivit vitale quod usquam est
Munere, seu ponti soboles, sive ætheris alti,
Aut hominum genus, aut stirpes radicibus aptæ?
11. Ac veluti aure sonos discernas, ore sapores;
12. Longa dies docet a vero dignoscere falsum.
13. Hinc matura animi, sæclisque edocta senectus,
Ponderat occultas res, acri & lumine figit.
14. Consilioque manuque potens, si verterit ædes
In planum, non ullus erit, qui deinde ruinas
Instauret. Si quem penetrali incluserit antro,

15. Non,

EXPOSITIO CAPITIS XII.

2. ERGO VOS ESTIS SOLI HOMINES. Ergo vos, inquit, soli nati estis homines, alii pecudes? soli sapitis: vobiscum morietur sapientia. En, quod Græci & Latini passim usurpant, laudandi causa, artes, literas, virtutes uns cum aliquo natas, una interituras; quanto sit ante occupatum a sacris scriptoribus, quamque illi hoc loquendi genus non invenerint primi.

3. ET MIHI EST COR, SICUT ET VOBIS. Quod ait Jobus, pari se intelligentia præditum atque amicos esse, neque illis quidquam concedere: ne nimium sibi arrogasse videatur, hæc esse vulgaria, quæ isti norint, adjungit, quæ quotus quisque ignorat?

4. QUI DERIDETUR AB AMICO SUO. Simplicitatem vocat, non ea notione, quo sumi vox ista solet, pro stoliditate, vel minime callida indole: sed perfectum & omnibus absolutum numeris virtutis gradum significat. Talis ergo, inquit, vulgo contemnitur ab hominibus fortunatis & divitibus. At ex Hebræo Codureus, aliter interpungens ac vulgo fit, sic restituit. *Hoc vero est irridere amicum: ero invocans Deum, & respondebit mihi: hoc est irridere virum perfectum.* Quasi dicat: An non me luditis, qui mihi auctores estis, ut Dei auxilium implorem? Quasi vero agam nunc, aut egerim aliud prius. quid est irridere amicum, & virum probum, si hoc non est? admonere ut agat quod agit, sic tanquam non agat?

5. LAMPAS CONTEMPTA APUD COGITATIONES DIVITUM. Pro lampade contempta Hebræi torrem vel titionem ambustum intelligunt, qui foco detractus, nulli est usui quemadmodum Isaiæ VII. v 4. sed vox Hebraica etiam lampadem seu facem significat. Quocirca crediderim justum & perfectum cum lampade comparari plebeia & vulgari, quæ neque materia se, neque opere commendet: quales adhiberi solent a magnatibus. Hæc vero utilis pauperibus est, ut suo tempore luceat. Thomas quidem Aquinas tempus statutum exponit de futura vita. Non enim hoc in sæculo habent justi tempus suum. Convenienter autem expositioni jam suæ Codurcus ita interpretatur: *Fax est despicabilis, qui firmus est; opportuna est, cujus pes vacillat, ad prælucendum.* Atque hæc hactenus procemii instar.

6. ABUNDANT TABERNACULA PRÆDONUM. Ad verbum: *Pacata erunt tabernacula prædonum, & confidentiæ provocantibus Deum est, eas, aut in cujus manum venire Deus.* Itaque noster interpres non male. Est autem oratio, quam Jobus jam habuit: prospera omnia interdum evenire prædonibus: neque commoditates prosperitatesque rerum, quas habent a Deo, obstare tamen, quominus præfidentes sibi sint, Deique numen violent, ingrati & impii.

7. NIMIRUM INTERROGA JUMENTA. Vehementius obtrectatores suos deinceps pulsat, qui sibi sapere ac minime vulgaria proferre videantur. Quæ ab illis enim commemorata sunt, ejusmodi esse ait, ut vel lapides aut pisces nihilo deteriora dicerent, loqui si possent. Quare ut se ipsum nihil eorum, quæ sciunt, nescire demonstret, similia quædam, immo exquisitiora de Dei sapientia & potentia perstringit.

9 QUIS IGNORAT, QUOD OMNIA HÆC. Cœlum, terra, mare, quæque insunt in iis, vocalia ut aves, muta ut pisces, satis auctorem & parentem suum Deum loquuntur. Hoc ipsum, quod talibus magistris ac doctoribus dedicit, quis homo ignorat; cum ipse ab eodem Deo procreatus, in ejusdem potestate, cum animantibus, sit?

11. NONNE AURIS VERBA DIJUDICAT. En, quæ hic, & sequenti versu, vage ac prope infinite dicuntur, apte cohærent, si ex versu nono exponantur: *Quis ignorat, &c.* Ecquis hoc hominum ignorat, Deum rerum esse omnium creatorem & custodem, eundemque sapientem & fortem? Est hominum certe istud intelligere, non minus quam sensuum dijudicare ea, quæ cadunt sub sensus; præsertim cum intelligentiam hominum adjuvet, atque adaugeat longitudo vitæ, & usus rerum, atque experientia. Idem fere Thomas Aquinas. Tot igitur præsidiis instructi & ornati homines pulere norunt divinam vim & providentiam, sapientia ac fortitudine conjunctam.

13. APUD IPSUM EST SAPIENTIA ET FORTITUDO. Quam robore, tam sapientia pollet. Robore quidem versu 14. & 15. sapientia versibus aliis aliquot consequentis. Rursum utroque, confuse.

14. SI DESTRUXERIT, NEMO EST QUI ÆDIFICET. Unde novimus potestatem divinam? Ex magnis & inusitatis ejus factis, quibus & homines, cum lubet, compingit in angustum, & hominum labores atque opera evertit, & alias siccitatem agris, alias diluvium infert.

15. APUD

15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subvertent terram.

16. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.

17. Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem.

18. Balteum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.

19. Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat:

20. Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens.

21. Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, relevans.

22. Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.

23. Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subversas in integrum restituit.

24. Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, ut frustra incedant per invium:

25. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

CA-

15. Non, qui laxet, erit. calor hauriet omnia siccus,
Si cohibet pluvialem undam. dabit arva, domosque
Diluvio pessum, si nubem erumpere ab alto
Impulerit, terrisque infuderit agmen aquarum.
16. Non illum capti latuerunt fraude, neque ipsi
Artifices fraudis; sapientia viribus æqua est.
17. Consultos rerum frustratur, & irrita differt
Vota virum, datque esse vagis ludibria ventis,
18. Judicibusque gelu inspirat, rigidosque timores.
Balteus it regum in partes disruptus: at ipsi
Servitio urgeri crudeli, & funibus arctis.
19. Custodes sacrorum aris ex omnibus actos
Indecores trahit, & proceres prævertitur astu.
20 Quippe bonos suadere, & numquam vana loquutos
Destituit mente, & crassis erroribus implet
Paulatim, & primas seniorem dedocet artes.
21. Dat temni dominos rerum, & vilescere magna
Nomina: at injusto contra sub pondere pressos
22. Tollit humo miserans; tum luce resignat operta,
Et tenebris rapit, inque diem producit apticam.
23. Immensum populos auget, quos strage tot una
Deinde necat, rursum decora in primæva reponit.
24. Hoc duce primores fallax sententia vertit:
Hoc duce & ancipiti via decipit invia tractu.

25. Illi adeo, ceu jam toto nil lucis in orbe,
Prætentare gradum, atque incerto tramite ferri.
Quales, immodico percussi tempora Iaccho,
Jam titubant, nec sponte cadunt, jam longius errant.

CA-

16. Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Is igitur est, ut dixi, fortissimus: sed & sapientissimus; primum qui tam decipientem, quam deceptum novit. Est autem consilii majoris cujusdam, & sagacitatis solertiæque, deprehendere eorum fraudes & fallacias, qui latere velim.

17. Adducit consiliarios in stultum finem. Deinde vero quatuor hominum genera tangit quatuor versibus, quorum sua cuique dos & virtus adimitur. Ac primum a consultis & prudentibus bene provisa plerumque malos habent exitus: & tantus interdum stupor eos, quorum est de re aliqua cognitio, opprimit, ut nihil judicent.

18. Balteum regum dissolvit. In Hebræo cum sit vinculum, interpretantur Hebræi cingulum & insigne summæ potestatis, ut sit potestas & auctoritas, qua velut obligatos & innexos sibi subjectos habent. Reddidit balteum interpres noster, qui balteus, ut Servius habet, dicitur non tantum quo cingimur, sed etiam a quo arma dependent. quid si vinculum diadema intelligitur, quod est fascia & vitta, quodque capite, cum balteus humeris, geratur? Præclarum autem quod sequitur, & ante dicto consentaneum: *Præcingit fune renes eorum.* Exui vinculis, & eosdem in vincula conjici, seu præcingi ad opus faciendum, id est, ex regibus servos fieri. Quo modo Symmachum, cujus hæc verba sunt, ϗ ἀποζωννύων αὐτοὺς ζώνην ϗ λαμβάνων, interpretatus Olympiodorus, ϗ μεταβάλλων αὐτοὺς εἰς οἰκέτας.

19. Ducit sacerdotes inglorios. Ex honestis & honoratis obscuros ac turpes efficit. Sacerdotes autem, qui apud Orientales populos magnæ auctoritatis essent, atque in plerisque utramque jurisdictionem tenerent.

20. Commutans labium veracium. Efficit, ut ii, qui prudens ac fidele consilium dare solent, non dent tamen, aut iis non credatur. Sed nulla re magis perspici potest, quale sit illud quod hic dicitur, Deus commutare labium veracium, quam exemplo Balaami, qui cum Israelitis maledicere juberetur, & vero videretur velle; tantum abest ut maledixerit, ut bene precatus sit; Deo suggerente verba & præeunte quæ loqueretur, atque in contrarium partem, ut admonet Olympiodorus in catena, omnia vertente.

Et doctrinam senum auferens. Habet illud idem, quod interpres noster, ut sæpe, Symmachus: Aufert hoc senibus prudentiæ atque doctrinæ, quod dies & ætas hominibus attulit.

21. Effundit despectionem super principes. Adducit in contemptum principes, qui populos servitute oppressos teneant. Hos autem liberat, cum suam illis auctoritatem, qua abutuntur, adimit, efficitque ut ludibrio sint & despectui civibus. Hoc versiculi dimidium una cum dimidio versiculi 24. *Errare facit eos in solitudine absque via*, iisdem prorsus verbis, ut Latine, ita Hebraice, habetur psalmo CVI. v. 40. Ex quo quid colligi debeat, videtur operæ pretium non omittere. Ac mihi quidem, si consentanea loqui volo, jam non est integrum dicere, quidquam Jobum a Davide mutuatum, quem multis sæculis Jobo fecerim posteriorem. David igitur a Jobo sumpsit, si alter ab altero sumpsit. Sed est qui neget id dici esse necesse: fieri posse ut neuter acceperit aliunde, quæ eadem uterque dixerit; uterque sit fons & origo; utrique unum Spiritus sanctus totidemque verbis dictarit. Quod eo minus habet admirationis: quia scriptoribus aliis persæpe contigit, ut vocibus iisdem easdem sententias, alter alterius inscius, exprimerent. Verum esto: neque sit omnino necessarium, quemquam eadem proferentem, quæ alius protulerit, ab ipso quasi commodato accepisse: neque valde mirum, si duo invenerint unum & idem, ac locuti sint: tamen convenientius puto & usitatius dici, quæ quis primus dixerit semel, ea alterum aut plures revocasse deinceps, uni que tanquam inventori debere, & accepta ferre.

22. Qui revelat profunda de tenebris. Qui oppressos revelat, hic idem scilicet est, qui depressa revelat, & eruit ex tenebris & profert in lucem res occultissimas.

23. Qui multiplicat gentes. Regnorum eversiones. opus multorum operum excisum. succrescentes alii aliis populi. denique summa rerum vicissitudo atque varietas, non fortuna, ut fabulantur, sed Deo auctore.

24. Qui immutat cor principum. Mente, ratione, intelligentia, prudentia, consilio, ita demum principes spoliat, ut minime semetipsos, nedum alios, regere possint. Cæci igitur primum fiunt.

25. Palpabunt quasi in tenebris. Ut cæci non reddantur intus, destituentur foris luce. atque, ut neutrum illis infortunii genus accidat, prætentare cogentur viam manibus, & quasi temulenti ferent errabunda vestigia

E X-

CAPUT XIII.

Majori Jobus quam antea contentione & se amicis iisque reprehensoribus suis exæquat, & in eos derivat crimina, quantum potest. Tum neqnaquam de salute desperans, expostulat cum Deo familiariter & libere, ac sortem suam miseram deflet, quod contra se Deus imbecillum & innocentem totas vires & potentiam expromat.

1. Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi singula.
2. Secundum scientiam vestram & ego novi, nec inferior vestri sum.
3. Sed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio:
4. Prius vos ostendens fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum.
5. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.
6. Audite ergo correptionem meam, & judicium labiorum meorum attendite.
7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?
8. Numquid faciem ejus accipitis, & pro Deo judicare nitimini?
9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis?
10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.
11. Statim ut se commoverit, turbabit vos, & terror ejus irruet super vos.

12. Me-

1. His oculis vidi cuncta hæc, his auribus hausi,
2. Versavique animum per singula. Nulla ego dote
Cedo nec arte minor vobis: neque nescio, quæ vos
3. Scire datum. Proinde ista mihi stat certa voluntas
Compellare Deum, & paribus decernere dictis.
4. At vos ante reos facere, & convincere falsi
Luce palam juvat, ignarosque probare medendi,
Qui monitus detis nullos, solatia nulla.
5. Quod pudor ô utinam vobis non rusticus ora
Obstruat! hinc Sophiæ titulos, nomenque referre
Fas tacitis foret, & famam captare latendo.
6. Ergo quid incusem, patulas demittite in aures,
7. Quid damnemve. Dei, credo, mendace patrono
Numen eget, vestraque cliens defendier arte.
Atque dolo juvat hunc, neglecto jure, tueri.
8. An faciem illius, partesque, & munera agendo
Fallitis? an prodesse Deo, causamque favore
Provehere auxilii mens est nullius egentem,
9. Anne hominum in morem vestris ceu cassibus illum
Aut fraus impediet male nota, aut nota placebit;
Quando Deus fraudem & fraudis molimina supra est?
10. Non ita. Vos etiam, sceleratasque arguet artes,
Quas frustra versare sui finxistis amore.
11. Nam simul atque loco solium se moverit intra.
Et turbæ vobis, & frigidus ingruet horror.

12. Tum

EXPOSITIO Capitis XIII.

1. Ecce omnia hæc vidit oculus meus. Quid pro summa potestate fecerit Deus; proque singulari & immensa sapientia, quantum specimen virium exhibuerit mortalibus; vidi ipse his oculis, accepi a majoribus natu atque a prudentibus: nec universa tantum perspexi utcumque, sed omnino singula.

2. Secundum scientiam vestram et ego novi. Quod ad res, inquit, divinas attinet, actaque Dei omnia, in quibus potentia infinita, sapientia singularis elucet; juxta vobiscum æque scio: nec vero sum, quam vos, inferior, aut ulla in re vobis cedo. Est enim illud, non cedo vobis, quod in Hebræo, *non cado a vobis*.

3. Sed tamen ad omnipotentem loquar. Quod quamvis ita sit, hoc est, ego tantumdem sciam, quantum vos, quæ, qualis, quanta, quam multiplex divina vis virtusque sit: tamen placet agere cum Deo & contendere, si prius ostendero, quales ipsi erga me sitis.

4. Prius vos ostendens fabricatores mendacii. Antequam, inquit, rem habeo cum Deo, lubet vos convincere falsi, quamque multa sine certa ratione opinemini. Hebræus: *Atque vos consuentes falsi, & medici inutiles vos cuncti*. LXX. quoque medicinam, etiamque iterum sonant, *ἰατροὶ ἄδικοι, καὶ ἰαταὶ κακῶν πάντες*. Medicos legunt iniquos scilicet, qui vel ex inscitia vel ex improbitate, minime apta remedia morbis admovent. Sed hi quinam, medici fallaces & vani, nisi consolatores minime idonei? Ac de medicina tacens Symmachus, aliquid habere videtur simile nostro interpreti, *cultores perversorum dogmatum*, [illegible] ἄλογα. qui non tantum fallant & dolos consuant, sed etiam non recte judicent, & fallantur ipsi.

5. Atque utinam taceretis. Hinc natum, opinor, illud, quod proverbii postea locum obtinuit: *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur*. Quasi taciturnitas & silentium imitetur prudentiam. non semetipsum certe facile indicabit, qui linguam continuerit.

6. Audite ergo correptionem meam. Accipite, inquit, quo vos ego crimine arguam, quo modo causam apud Deum meam agam: culpam depellam a me; derivem, ut jus & æquum est, in vos.

7. Numquid Deus indiget vestro mendacio. Amicos suos redarguit, quod præpostero quodam zelo, seu pietate nimia & religione, quasi Deo patrocinari vellent, & causam illius propugnare, innocentem calumniarentur, putantes se gratificari Deo.

8. Numquid faciem ejus accipitis. An rationem placet habere personæ, non causæ? Quod semel hic iterumque habetur, *faciem ejus accipitis*, nihil est aliud, nisi, gratiæ datis, seu gratiæ causa facitis: simulatis vos id ejus causa facere. Hebræus ונשא פנים *nosia phanim*, faciem seducere, quod est Latinorum quoque: Tu faciem illius falle dolo. qui simulat faciem alterius, dissimulat suam.

9. Aut placebit ei, quem celare nihil potest? Nihil tale est in Hebræo, aut apud LXX ubi eadem sont: An prodesset vobis, si scrutetur & vestiget vos? aut ei verba, sicut homini dari solent, dabitis?

10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito. Præ vobis quidem fertis Dei defensionem. Sed mera ista dissimulatio est: siquidem non estis nescii, nulli me affinem culpæ esse. Ipse vero Deus, cui vos imponitis, vos arguet.

11. Statim ut se commoverit, turbabit vos. In Hebræo שאתו per scin sinistrum, excellentia ejus, a שאה. שאתו strepitus ejus, sive tumultus, per scin dextrum. a שאה tumultuari. quo modo vulgatus noster legit. LXX. apud Vatablum, apud Wechelum, Sixti, [illegible] οὐχ ἡ δίνη αὐτοῦ; nonne commotio ejus. mendose ἡ δίνη, pro ἡ δῖνη, uti est in catena Græcorum patrum. Symmachus, ita ut noster, [illegible] ἡ κίνησις αὐτοῦ; Hebræus autem

12. Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ.

13. Tacete paulisper, ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit.

14. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?

15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam.

16. Et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

17. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.

18. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.

19. Quis est qui judicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?

20. Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abscondar:

21. Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat.

22. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certe loquar, & tu responde mihi.

23. Quantas habeo iniquitates & peccata: scelera mea & delicta ostende mihi.

24. Cur

12. Tum vero memori vestra inclita gloria fama,
In cineres considet, & in triviale jacebit
13. Versa lutum cervix. Ergo paulum ore favete.
Dum quodcunque loqui dederit casusve, animusve;
Quidquid erit; qui me successus cunque sequetur,
Hoc loquar, & nullo voces discrimine habebo.
14. In carnesque, cutemque truci quid sævio dente?
Quid teneo primo, jamjam moriturus, in ore
15. Ægram animam? tristi me si demiserit orco,
Non cessem sperare tamen: post fata superstes
Vivet adhuc magni fiducia prima Tonantis.
Haud illum celabo meos per devia gressus;
16. Culpaboque volens. Meritis pro talibus ipse
Assertor mihi fortis erit: vindexque salutis.
Non simulator enim parere, & tollere coram
17. Audeat os. Dictis animos advertite nostris,
Perplexosque intrate aditus, & mystica sensa.
18. Non sum animi dubius, quin, si jus dividit æqui
Arbiter, absolvatque reum, immunemque remittat.
19. Ergo me quicunque vocas, qui me rapis in jus,
I præ, nec dubita: nil te, litemque morabor.
Nam quid ego indicta pœnas dem sanguine causa?
20. Haud equidem vultum metuam tibi sistere, & ora.
21. Tantum exorari duo te sine. dextera longe
Sit tua, neu solita mentem formidine terre.
22. Voce voca; tum responsum dabo deinde: vel ante
Ipse loquar; dare responsum ne temne vicissim.
23 Eia age tu, quoties, & quæ peccavimus in te,
Dic, &, si quod habes, oculis scelus objice nostris.

24. Quid

tem & Græci interrogant affirmando: Latinus interpres noster affirmat quidem, sed nihil interrogat. Græcus codex Anglicanus pro [illegible], [illegible] habet.

12. MEMORIA VESTRA COMPARABITUR CINERI. Id est, memoria nominis vestri, aut [illegible], ut est apud LXX. gloria seu existimatio. Quod est in vobis singulare & excellens, quidquid in vita prædicabile & gloriandum, sive ipsi de vobis, sive alii prædicent, quasi pulvis aut cinis evanescet, & gloriatio vobis & magnifica illa verba excutientur.

REDIGENTUR IN LUTUM CERVICES VESTRÆ. Ad verbum: *Corpora vestra in corpora luti, sive eminentiis luti eminentia vestra.* Supple, comparantur aut similes sunt. A [illegible] *gav*, eminentissimum quidque in quavis rei figura & specie. Ex quo & dorsum & supercilia, & alia ejusmodi in sacris literis, [illegible] *gababei*, dicuntur earum rerum.

13. UT LOQUAR QUODCUNQUE MIHI MENS SUGGESSERIT. Cum sit in Hebræo, *& transeat*, seu, *transibit super me quidvis*; quidam sic exponunt: loquar libere, quidquid de me fiat: decrevi causam apud Deum meam agere, quidquid tandem futurum sit, & quicunque successus sequetur. Alii, ut noster interpres; loquar, etiam quidquid in mentem venerit: *Je dirai tout ce qui me passera par l'esprit.*

14. QUARE LACERO CARNES MEAS. Ad veteres querelas redit. Quod est, inquit, meum tam immane crimen? aut, quid metus de me, de Deo, aut de alio quoquam, ut in meum corpus sæviam? vel, cur usque eo male habeo toto corpore, ut ejectæ carnis & putridæ partes, præ doloris magnitudine, invadam mordicus, & dentibus præcidam?

ANIMAM MEAM PORTO IN MANIBUS MEIS. Animam portare manibus, consueta scripturæ locutione nihil est aliud, quam in propinquum adduci discrimen vitæ. quæ enim manibus portantur, propius nihil est, quam ut abjiciantur & effundantur. Itaque illud Davidis, *anima mea in manibus meis semper*, quid est nisi quotidie periclitari, ac tantum non animam agere?

15. ETIAMSI OCCIDERIT ME, IN IPSO SPERABO. Est in Hebræo לא non, cum legatur לו in eo. Vide Massoretas. Sententia est: Statuat de me, quod lubet: sperabo nihilominus tamen: ipse accusabo me & condemnabo noxæ; aut reddam rationes apud illum, & probabo factum ei meum.

16. ET IPSE ERIT SALVATOR MEUS. Si ipse me arguero, & confessus fuero de peccatis, aut purgavero me palam & aperte: non dubito, quin mihi salutem cum venia daturus sit. Contra cum non ausit ejus in conspectum venire homo nequam atque improbus: audeo ego, conscientia optimæ mentis fretus, sistere me illi, & apparere coram.

17. AUDITE SERMONEM MEUM. Hebræus: *Audite audiendo*, hoc est, studiose & diligenter. LXX. [illegible] [illegible]. Præbete attentas aures orationi, dum mea de re, quæ unumquemque vestrum latent, vos ipse edoceam.

18. SI FUERO JUDICATUS. Si litem instruxero, informaro judicium, causam dixero; non dubito, quin communibus omnium sententiis, vel Deo potius judice unico, discedam absolutus.

19. QUIS EST QUI JUDICETUR MECUM? Quis meus accusator? ubinam est? prodeat in medium, & vadimonium qui vadatur, & cui promissum est, ipse obeat.

QUARE TACENS CONSUMOR? Conqueri, ingemiscere, lamentari, est aliquid solari. Contra: *Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus: cogitur & vires multiplicare suas.*

20. DUO TANTUM NE FACIAS MIHI. Duo a se mala Jobus deprecatur, ac petit a Deo primum, ne se, quod facit, excruciet: deinde ne majestate divini numinis perterreat. quo duplici malo si liberetur, non dubitaturum ei se præsentem exhibere, & causam totam suam permissurum.

22. VOCA ME, ET EGO RESPONDEBO TIBI. Videtur Jobus optionem dare Deo, utrum velit, secumne tanquam cum adversario agere, qui interroget, an velut cum reo, qui interrogetur.

23 QUANTAS HABEO INIQUITATES. Quamvis non sit ejusdem facere partes, & eligere, tamen Jobus, ubi Deo detulit, utrum mallet e duobus, optaret sibi, aggreditur eum prior atque interrogat, non expectato ad rogatum superius suum responso. Porro non est, licet esse videatur, hic ulla [illegible] scriptoris, qui dicat iniquitates, peccata, scelera, delicta; non magis quam oratoris, qui dixerit, erravi, lapsus sum, non putavi. aut si quis dicat, verum nescivi, feci præter fas, præter jus, præter æquum. Ac omitto primum quam in sententiam accipiant qui voces tantum spectant & interpretantur Latinas, in quibus perpaululum sit discriminis: quæ diversa tamen esse quatuor genera peccatorum isti volunt. LXX. voces habent duas duntaxat, [illegible], [illegible],

quæ

24. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?

24. Quid celas faciem ipſe tuam ſecretus, & ora
Sicut ab adverſum venienti averteris hoſte?

25. Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris:

25. Tu frondes contra, Borea excutiente, caducas
Nequicquam oſtentas robur, ſtipulamque volantem

26. Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.

26. Perſequeris. tu judicium fortiris amarum,
Inſtituiſque ſenem noxis onerare juventæ.

27. Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.

27. Tu cohibes agiles cippoque & compede plantas,
Omne meum ſpeculatus iter, quo tramite primum
Incipiam, quo deinde gradu veſtigia figam.

28. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur a tinea.

28. Ille ego, qui, ceu putre ſolum, per inane reſolvar,
Aut blattis depaſta voracibus, aurea veſtis.

CAPUT XIV.

Quæ in vitam humanam maxime cadant incommoda, Jobus recenſet: ut non ſit neceſſe aliud miſeriarum accedere. Eſt autem hæc hominum vita, brevis, ærumnoſa, irrevocabilis; ſemel enim morimur; erratiſ opportuna quamplurimis. Quocirca neque hic ſignificari ullo modo arbitror, nihil poſt hanc vitam futurum reſidui, neque fore ut reviviſcamus, in perpetuum deinceps manſuri: ſed velle tantum Jobum, vivere hic cunctos ſemel duntaxat, neque rurſum ad eamdem vitam quemquam redire, ut iterum moriatur, & humana ferat.

1. HOMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.

1. IRrequietus homo, quem nixibus edidit ægris
In lucem mulier, geminoque ex ubere pavit;
Quanquam illum ſpatiis ætas diſcludit iniquis
Longa parum; turba premitur ſtipante malorum.

2. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.

2. Ceu flos ſurgit humo, quem pes terit inſcius, & quem
Matutinus honos, ac primus odorque, colorque,
Par auris levibus, volucri par deſerit umbræ,
Nec potis æſtivos durando condere ſoles:

3. Et

3 Im-

quæ quam differant, ſatis apparet. Reſtat ut ex Hebræo fonte ducamur quod eſt liquidius & apertius. Hebraicus ſcriptor tres adhibuit voces עונת חטאת פשע *peſagh chataath ghaonath*; ſed ita ut alteram iterum uſurparit: hoc quidem omnia ordine atque intellectu: *Quot mihi iniquitates & peccata? perverſitates meas & peccata mea me doce.* Quaſi dicat, quoties, & quæ peccavi, ſeu quibus modis. Ut quæ bis poſita vox eſt, ſit peccatum generatim, altera peccatum per errorem & imprudentiam admiſſum, tertia a ſciente & volente contractum malitioſe & contumaciter. Certum vero ponitur in Levitico, peccatum, quod in Hebræo חטאה *chataa*, eſt, a delicto, quod eſt אשם *aſcham*, differre: ſiquidem ad utrumque eſt ſacrificii diverſum genus inſtitutum.

24. Cur faciem tuam abscondis. Quem odimus, aut habemus hoſtis loco, eumdem averſamur, nec ejus ferre aſpectum poſſumus, nec aſpectu noſtro dignum putamus.

25. Contra folium quod vento rapitur. Vel terres, vel frangis; terrebis, franges. Explicatius noſter interpres: qui opum nimiarum potentiæ formidines, aut imbecillitati vim opponit. Hebræus autem interrogat: noſter aſſeverat ὑπομνηστικῶς. Tanti ego ſum ſcilicet, homo frondi caducæ impulſæque vento, & arenti ſtipulæ ſimilis; ut me invadas & perſequare, ad ſpecimen & oſtentationem potentiæ.

26. Scribis enim contra me amaritudines. Verbum judiciorum proprium eſt. nam judices ſententiam in reos dictam ab exceptoribus & notariis ſcripto jubent committi. Hinc judicium conſcriptum, eſt ratum atque fixum.

Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Verbum ירש *jaraſc*, & in hereditatem mittere, & pellere hereditate ſignificat quam in partem poſteriorem noſter accepit interpres Conſumis, inquit, me, & ſpolias, & perdis, qui peccata anteactæ vitæ, mihique in pueritia commiſſa revoces, & cum ætatis progreſſæ peccatis quaſi conjungas ad puniendum.

27. Posuisti in nervo pedem meum. Hoc eſt, in cippo. Quaſi in ergaſtulo vinctum me detines, ut cuſtodiæ ſolent vincini ac retineri, ne ſcilicet effugiant. Comicus Captivis: *Noctu nervo vinctus cuſtodibitur.*

Vestigia pedum meorum considerasti. In Hebræo, *impreſſiſti*. Qui non modo calcem calce terit, ſed in alterius veſtigiis imprimit veſtigia. Pulcherrimus hic locus eſt. ex quo intelligatur, quam accurate & ſevere agat nobiſcum Deus; ut ſpeculator actorum omnium ſit, criminumque vindex.

28. Qui quasi putredo consumendus sum. Atque ipſe, id eſt, ego: vel, atque hoc ipſum, id eſt, corpus. quaſi converſo ad ſe, & intento in corpus ſuum digito, loquatur.

EXPOSITIO Capitis XIV.

1. HOMO NATUS DE MULIERE. Ut homo declaretur quam ſit miſer; non fruſtra Jobo dicitur natus ex muliere, quem partum eſſe velit infelicem matris infelicis, utpote quæ enitatur, & liberos ex ſe pariat magno cum dolore, & laborioſe uterum ferat, ac ne concipiat quidem ſine aliqua nauſea & moleſtia graviore.

Brevi vivens tempore. Si quod eſt vita bonum, uti eſt, aliquid eſt in eo mali, quod iſto bono parum diu fruamur. Ut longiſſimi ſint autem conditionis humanæ vivendi termini, non fere ſeptuageſimum aut octogeſimum annum quiſquam ſolet tranſgredi. Quod ſi aliud eſt diuturnioris vitæ, & quaſi nervoſæ vivacitatis exemplum, id in prodigii parte numeratur. Valerius certe Maximus in libro octavo, inter exempla ſenectutis memorandæ: *Inſula*, inquit, *Lachmitram regem octingentis vitæ annis donavit. Les habitans de cette iſle donnent à leur Roi huit cens ans de vie.* Ac plus fortaſſe aliquid Plinius de Hyperboreis, gente quæ annoſo degit ævo: *Mors*, inquit, *non niſi ſatietate vitæ* —— *ex quodam rupe in mare ſalientibus.* Sed fabulas uterque ſcriptor narrat. Et nihil prope ejus generis verum aut fide dignum, niſi quod ſacræ nobis paginæ loquuntur de primis orbis conditi ſæculis, & ætatibus, ac longævitate hominum.

Repletur multis miseriis. Hoc illud, quod Latinus noſter habet, Hebræus & Græci legunt, plenus ira & commotione: quod eodem relabitur, nam cauſa pro effectu non raro apponi ſolet. quippe ex ira Dei calamitates & miſeriæ redundant in hominum genus.

2. Qui quasi flos egreditur. Pervagatum eſt, hominem mortalem, quaſi vietum & caducum, ut flore conteri, qui celeriter & ſtatim atque exiit, decidat, ac

3. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium?

3. Immeritum tamen hunc oculis dignaris amicis:
Nec piget æquali tecum committere lite.

4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?

4. Quis queat immundo, te præter, semine cretum

5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

5. Eluere? est ævum nobis breve. terminus ævi
Te penes. insignem fixisti in tempore metam,

6. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

6. Quamque ultra non ire datur. Secede parumper
Interea, & permitte homini, mercede diurna
Conducto, qui debet opus, quique inde laborum
Perfunctus decursu; optato fine quiescat.

7. Lignum habet spem: si præcisum fuerit; rursum virescit, & rami ejus pullulant.

7. Certa quidem fragili spes ligno: tonsa superbum
Falce caput, ramis iterum enascentibus arbos
Pullulat, & late viridanti exuberat umbra.

8. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius:

8. Sin gracili fibra, & radicibus aruit imis
Sponte sua, aut truncum contages lenta peredit;

9. Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est.

9. Sentiet irriguam se propter, & ebibet undam:
Inde haustura novas vires, atque inde comanti
Vertice, ceu primum plantaret arator, itura

10. Homo vero, cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi, quæso, est?

10 Per vacuum. At cœlo procul, & vitalibus auris,
Postquam hominem cinis ater habet, corpusque reliquit
Forma prior, vivi defecit & halitus oris;
Quove loci jaceat, da nobis, quamve secet spem.

11. Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat:

11. Non aliter quam cum fluvium sol torridus hausit
Languentem, vel cum tenuis se subtrahit humor
Oceano, cœlumque petit periturus, & ante
Fit vapor, ac nubem in pluviam crassescit eundo.

12. Sic homo cum dormierit, non resurget: donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.

12. Sic ubi somnum oculis, noctemve acceperit atram
Fessus homo, non lux unquam exciet alma, neque artus
Eriget in stratum evigilans, ingentia donec
Ingentem dederint cœli convexa ruinam.

13. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertran-

13. O si me, tuus interea dum sponte residat
Iste furor, tumuli securum mole recondas,

Susti-

& marcescat, & splendorem omnem venustatemque amittat, aut legatur manu, aut pedibus prætereuntium conculcetur: cum volucri umbra quoque conferri, quæ fugit a sole atque evanescit: ipsum esse numquam uno & eodem statu

3. Et dignum ducis super hujuscemodi. Non pugnat versus hic tertius cum 24. superiore proximo. pro varietate enim rerum ac temporum conqueritur cum Deo Jobus & expostulat, modo quod a se avertat oculos per tædium aut contemptum, alias quod in se oculos conjiciat, inquirens in acta ipsius omnia, minutimque observans. Tune hominem, inquit, tam vilem, tamque nullius pretii, oculis intueri sustineas, nec dubites te cum eo committere, & pari jure congredi velis in judicio?

4. Quis potest facere mundum. Hebraica: *Quis dabit mundum ex immundo?* hoc est, quis immundum hominem mundare poterit? deinde, *non unus*, vel, ne unus quidem. At noster interpres de immundo sic intellexit, ut origo illius inquinata significaretur. Tum vero postrema ista, *ne unus quidem*, addita interrogatione sic accepit, quasi esset, non unus. hoc est, tu solus. Græci vero totum hunc locum ita edisserunt: *Quis enim purus erit a sorde? at nullus, etiamsi una dies ipsius sit vita super terram.* Negat in catena Græca Severus de infante unius diei hæc accipi verba debere; quoniam agitur hic de ejusmodi vita, quæ in disceptationem judiciumque deducatur, qualis non est vita parvuli: sed de homine Jobum loqui, qui vel uno die sanctissime vixerit. quod interpretatione adjuvandum est. quo enim diutius vivunt homines etiam sanctissimi, eo plures, saltem minutas, colligunt sordes. quas uno saltem die cavere possunt. Ac ne sic quidem etiam Deo prorsus inculpati fuerint.

5. Breves dies hominis sunt. Quorsum hæc spectant? Illuc, opinor, ut, quandoquidem tam breve est & fugax spatium vitæ, saltem liceat quodcunque hoc ævi leniter & tranquille degere.

6 Recede paululum ab eo. Insignis tropus. Qui operariis instat ἐργοδιώκτης, si quo deflectat oculos, cessant operarii, ac se laboribus quodammodo furantur.

7. Lignum habet spem. Dissimilis est ratio arborum & hominum. Abscissæ seu excisæ arbores, non evulsæ, fruticantur, efferunt se aliquando, & ad opacandum locum diffundunt ramos, ad exhilarandum revirescunt.

8. Si senuerit in terra radix ejus. Recte & prudenter, *senuerit*. nam si emortua radix, ut truncus, fuerit. quæ spes est. ut quidquam repullulet? Alioquin falso dicitur arbor revirescere, homo non revirescere. neutrum, si emortuum ex toto sit, restituitur in integrum. Hoc dissimile, quod si paululum quiddam arboris reliquum sit, si radiculæ pars vel minima sibi superstes vivat, id satis sit ad reparanda cetera. si irrigetur, & si calor solis accedat.

10 Homo vero, cum mortuus fuerit. Dixi jam hominem hanc habere cum stirpibus atque plantis dissimilitudinem, quod hæ viriditatem, quam amiserint, recipiant; ille, ubi excidit e vita, non eodem redeat sursus, nec restituatur in antiquum statum, atque ideo sit deteriore quasi conditione, quam quæ vigent in terra solummodo, nec sentiunt. Cave autem existimes, Jobum, quia dixit hominem, privatum vita & omnibus vitæ commodis, nusquam, sive, quod idem est, nullum esse; idcirco velle, animum cum corpore extingui, neque corpus unquam revocatum iri ad vitam. Revocabitur sane quidem homo a mortuis: sed ita, ut non sit moriturus amplius, neque victurus, ut antea, vitæ, cibi & potionis indigens, qui cœlo hoc & communi spiritu alatur, quique pateat injuriis & molestiis vitæ: aut præmia, si qua sunt, & emolumenta brevia illa & modica percipiat.

11. Quomodo si recedant aquæ. Proxime supra ostensum a dissimili, quanta hominis imbecillitas, quanta miseria esset. Nunc a simili idem illi evenire declaratur, quod aquæ, quæ redundet e mari; quod fluvio, qui exhauriatur siccitate, aut manu & opere derivetur, sic, ut intereat.

12. Donec atteratur coelum. Simpliciter: quamdiu cœlum, terra, omnis natura consistet; tamdiu non revocabitur illuc, unde discessit.

13. Quis

transeat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?

14. Putasne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.

15. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

16. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

17. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.

18. Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo.

19. Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.

20. Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret: immutabis faciem ejus, & emittes eum.

21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.

22. Attamen caro ejus, dum vivet, dolebit, & anima illius super semetipso lugebit.

C A-

Sustineasque mei certo post tempore demum

14. Esse memor! Credi? vita jam cassus, & almo
Lumine, ab integro redivivus in æthera surget?
Tempore quo tolero, tela inter ferrea, & hostes,
Militiam; opperior, lucem mutare sepulcro
Dum licet, & rursum hinc meliori sorte renasci.
15. Qua facere id possim, semesum voce vocabis:
Responsum sic deinde dabo; dextramque juvantem
16. Protendes reduci. Mea tu delicta capaci

17. Servasti veluti signata, & condita sacco
Interius, numeroque fuit comprendere curæ.
Non secus ac cœlo gradientem prospicis alto,
Incessumque, & cuncta oculis vestigia signas.
Sis felix tamen, & veniam fasso annue sonti.
18. Aspice ut abruptum montis latus excidat alte
Cum sonitu, & noto moveantur culmine saxa:
19. Utque cavet lapidem prædurum lene cadentis
Imber aquæ, & victrix paulatim absorbeat agros
Eluvies. Hominem nil te pessumdare totum
Clade pari vetat, & crudeli absumere leto.
Et facies: neque enim frustra tibi summa potestas.
20. Robur ei, & vires pro tempore sufficis aptas:
Robore destituas quem mox, & viribus aptis
Æternum. Faciem namque immutabis, & ora,
Ora viri, solasque dabis secedere in oras.
21. Quo neque sit rumori aditus, neque nuncius olli
Verus eat, quæ sors prolem, quæ fama sequatur
Ingenuam; sive illa domo se condat; & umbris,
Laudis egens; sive indecore exosa tenebras,
Clarum in nomen eat, titulosque æternet avitos.
22. Dum vita interea, & præsens fortuna manebit;
Non suus aut membris aberit dolor, aut sua tristi
Cura animæ, largisque humescent fletibus ora.

C A-

13 QUIS MIHI HOC TRIBUAT. Ut expers sit doloris, & ut magnitudinem illius ærumnæ, quam patitur, obtrectatores sui cognoscant; cupere se dicit migrare e vita, aut in sepulcrum, vivum transferri: sed ita tamen, ut ibi a Deo protegatur & acquiescat.

CONSTITUAS MIHI TEMPUS. Certum sibi definiri vult tempus, ad quod usque commoretur in sepulcro; interim dum ira Dei residat, quo tempore exacto, memor Deus rursum ipsum loco reponat suo.

14. CUNCTIS DIEBUS QUIBUS NUNC MILITO. Militia, vita: immutatio, mors. Et quidem vita homini exercito & laborioso, non aliter fere vivitur, atque bellum omne militatur. Mors vero, quæ finis & dissolutio naturæ dicitur, immutat omnia sic, ut nihil illius, quod erat antea, in homine postea agnoscas.

15. OPERI MANUUM TUARUM PORRIGES DEXTERAM. Id est, admovebis manum operi tuo, illud ut instaures & reficias.

16. TU QUIDEM GRESSUS MEOS DINUMERASTI. Pro eo quod habemus, *sed parce peccatis meis*, in Hebræo legitur, *non custodis peccatum meum*, id est, non differs pœnam, sed eam repræsentas apprime statim. In quibusdam Latinis codicibus invenio, *parces*. quæ lectio cum Hebræo magnopere consensiret, nisi quid obstaret negatio, quæ ibi est, *non parces peccatis meis*. Itaque puto sic Hebraica exponenda, *non servabis super peccatum meum*; hoc est, non reservabis pœnam? quod nihil est aliud, quam parcere.

17. SIGNASTI QUASI IN SACCULO. *Obsignatum est in fasciculo peccatum meum*, vertunt ex Hebræo. Sed recte noster sacculum reddidit, hoc est, marsupium & mantissam. Porro strictim indicatur, quod sacræ literæ frequenter admonent, thesaurum quemdam apud Deum esse meritorum in utramque partem, quæ Deus velut in sacculo obsignat, ut idoneo tempore pœnas vel præmia decernat. Sic ad Rom. 11. v. 5. *Thesaurizas tibi iram*.

18. MONS CADENS DEFLUIT. A simili, vel etiam a majori; si solidissima quæque terræ, velut montes collesque defluunt; multo magis id homini continget. Montes autem ac rupes signanter usurpavit, tanquam maxime stabiles immotasque partes: quæ corruant tamen sponte, & moveantur loco, alioque transferantur.

19. LAPIDES EXCAVANT AQUÆ. Quid lapide durius? quid aqua mollius? gutta nihilominus lapidem, dum pertundit, cavat. Et mare, & amnes, ubi alluunt proximum eis continentem, & lambunt, & mordent, & deterunt diluvie paulatim sua, atque absumunt. Isto pacto quid negotii Deo est hominem perdere?

20. ROBORASTI EUM PAULULUM. Hebræus, *fortior eo eris in æternum, & homo abit*. LXX. aliter. Ὤσας αὐτὸν εἰς τέλος, καὶ ᾤχετο. תתקפהו *thethacchepha*, in Piel legit Roboras eum paululum hac in vita, quo pereat in perpetuum, neque quidquam spei habeat ad resurgendum in istam quidem mortalem vitam.

21. SIVE NOBILES FUERINT FILII EJUS. Non quod nullus sit post mortem sensus animorum: sed de uno agendi genere illo loquitur, quod hominibus in hac vita competit. Itaque satis ridicule faciunt errones, si qui hujus loci testimonio probare nituntur, sanctos in cœlo homines & beatos, post hanc vitam, rerum nostrarum cognitionem habere nullam. Perspicuum est enim Jobum hic loqui de ea cognitione, quæ sensibus hauritur, & ex qua homines ad opitulandum, vivi utique vivos inter, adducuntur.

22. ATTAMEN CARO EJUS. Sunt qui de anima seorsim a corpore, deque corpore ipso, utrisque lugentibus & dolentibus, hæc dicta volunt. Sed melius est de vivo adhuc homine intelligi: ut significet tam post vitam, quam in vita, mactari quodammodo infortuniis, cruciarique mortales.

CAPUT XV.

Initio capitis progressuque aliquo, Eliphas tela ab Jobo emissa in se ac socios, retorquet in Jobum vehementius, & eum accusat superbiæ atque arrogantiæ. tum capite reliquo eadem, quæ antea, disputat, quam certa pœna & quanta sceleratis proposita sit. ut ne Jobus dubitet, quin ea quæ subit ac sustinet, justa & debita sint supplicia malefactorum.

1. RESPONDENS autem Eliphas Themanites, dixit:

2. Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum?

3. Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.

4. Quantum in te est, evacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.

5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.

6. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi.

7. Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?

8. Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia?

9. Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?

10. Et

1. INsistit rursum hæc Eliphas, atque ordine pergit.

2. An prudens animi dabit irrita verba protervis

3. Ferre notis? Tibi congressum non viribus æquis
Increpitas super insultans. Tibi noxia fundis

4. Verba. Metus superûm pepulisti corde salubres
Qua potis, inque preces cessasti, & debita vota.

5. Impia deinde loqui docuerunt facta procacem
Impia, sacrilegæque effingere crimina linguæ.

6. Nec jam ego damnabo: damnabunt ora nocentem
Te tua: & ipse tuis reddes responsa rogatis.

7. Num tu hominum princeps, in luminis editus auras,

8. Exsuperas natu, atque annosis collibus anteis?
Consiliine sibi consortem ascivit amicum
Te Deus, illiusque tibi sapientia cedet?

9. Quæ nosti, neque nos eadem nescimus. Et ævi

10. Ma-

EXPOSITIO CAPITIS XV.

2. NUMQUID SAPIENS RESPONDEBIT. Non est, inquis sapientis respondere inaniter, & superbe, & iracunde. pro ardore habet Hebræus, קדים *cadim*, quæ dictio Eurum significat, ventum ab oriente, prævalidum & ardentem: ut tam iracundiam hominis, quam superbiam exprimat.

3. ARGUIS VERBIS EUM, QUI NON EST ÆQUALIS TIBI. Quasi dicat, frustra disputas viribus imparibus, quod non prodest. Sed Hebræo Græcisque hæc particula versus abest, *eum, qui non est æqualis tibi*. Possunt Hebraica sic exponi: Disputare verbo nihil prodest, sermonum nulla utilitas LXX. *ἐλέγχων ἐν ῥήμασιν οἷς οὐ δεῖ, ἐν λόγοις οἷς οὐδὲν ὄφελος*. qui arguit, quibus dictis sententiisque neque oportet, neque ullo modo expedit.

4. QUANTUM IN TE EST, EVACUASTI. Quasi Deus nihil possit in homines, ita tu eum non observas neque reveteris: & quasi nulla hominum caritate teneatur, ita tu ab eo petere quidquam dubitas. Adde, quod providentiam videris tollere, & injustum facere Deum. Sublata providentia tollitur religio: religione detracta quod est quod amplius precemur? Quippe *spiritus*. quem appellant orationis, ex timore ac *devotione* proficiscitur. Pro eo LXX. istud habent satis diversum: *συνετελέσω δὲ ῥήματα τοιαῦτα ἔναντι τοῦ κυρίου*; cui adjungunt & hoc aliud: *σὺ δὲ ἀπεσκοράκισας φόβον*.

5. DOCUIT ENIM INIQUITAS TUA OS TUUM. Hebræi, quibus nulla casus varietas est, utrumque admittunt ex æquo: docuit iniquitas tua os tuum; &, iniquitatem suam os tuum docuit. sed una ferme sententia duorum: superbiloquentia tua & jactantia docet Deum contemnere. Lingua blasphemantium in Hebræo est lingua astutorum: cujusmodi sunt hypocritæ, qualem videri volebant Jobum.

6. CONDEMNABIT TE OS TUUM. Nihil est quod te condemnem: ore tuo condemnabere. Qui contra se facit imprudentia loquendi, aut causæ suæ nocet præpostera defensione.

LABIA TUA RESPONDEBUNT TIBI. יענו *iaganu*, *testificabuntur*. idem habent LXX. *καταμαρτυρήσει σου*. id est, ipse contra te testimonium dices.

7. NUMQUID PRIMUS HOMO TU NATUS ES. Videbatur Jobus socios parvi fecisse, quasi grandi vir ætate minores natu *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Affert videlicet vetustas omnibus in rebus, longinqua observatione, incredibilem scientiam. ita orator. Nunc huic loco respondent irridendo socii, & ejus ætatem grandiorem quodammodo ludificantur. An tu vero, inquiunt, qui annis & antiquitate gloriaris, maximus es natu omnium mortalium? vixisti & natus es ante orbem conditum?

8. NUMQUID CONSILIUM DEI AUDISTI. Id est, interfuisti divinis consiliis, & arcana tibi atque occulta omnia patuerunt?

ET INFERIOR TE ERIT EJUS SAPIENTIA. In Hebræo, *& continet apud te*. LXX. *εἰς δέ σε ἀφίκετο ἡ σοφία*, *pervenit ad te sapientia*. Recte omnia convenient, si in nostro legamus interprete, non ut facimus, *infra te erit ejus sapientia*; sed, *intra te erit ejus sapientia*.

9. QUID NOSTI, QUOD IGNOREMUS. 10. ET SENES ET ANTIQUI. Hi duo versus Eliphæ respondent Jobi duobus, cap. XII. huic tertio, *Et mihi est cor, sicut & vobis*: illi, qui est duodecimus, *In antiquis est sapientia*. Reponit Eliphas suum Jobo. sed gravius accepit, quam Jobus dixerat.

11. NUMQUID GRANDE EST, UT CONSOLETUR TE DEUS. Mirum quantum Hebræa cum Græcis, utraque cum Latinis dissentiunt. Hebræa: *Nonne parum a te consolationes Dei, & verbum latet tecum*. LXX. *Ὀλίγα ὧν ἡμάρτηκας μεμαστίγωσαι, μεγάλως ὑπερβαλλόντως λελάληκας*. Ex quibus tamen hæc elici universe possunt: An non afferre tibi solatium potest Deus, sive ipsi possumus? aut, Magnum quiddam est hoc facere? aut, Vilis tibi ejus est consolatio: ut minime es, quem consoletur Deus, idoneus? aut solatii non indiges ipse, & quominus te Deus soletur, vetas sermonibus pravis tuis, & multa loquacitate in tuæ defensione causæ? Quin habes aliquid occultum apud te, & [illegible], ut facile aliena ope careas & solatio.

12. QUID TE ELEVAT COR TUUM. Ea hoc præcipue loco Eliphas incipit convitiari, atque in Jobum debacchatur tanquam superbum & magniloquum, & contumeliosum in Dei numen: ut qui justum se prædicaret; cum interim tot malis opprimeretur, quibus neminem a Deo plecti, nisi impium, arbitrabatur. Falso id quidem, ut dictum sæpe a nobis, ac dicendum sæpius est. sed tamen accusationis hic cardo vertitur. & totus in eo Eliphas est, ut malos homines malis affici demonstret, eosque solos.

14. QUID EST HOMO, UT IMMACULATUS SIT. Eo disputatio omnis Eliphæ pertinebat, primum ut Jobum scelus aliquod suum occultum luere ostenderet manifesta ærumna; quoniam impios omnes divina justitia percellit: deinde

10. Et senes & antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui.
11. Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.
12. Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?
13. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones.
14. Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere?
15. Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus.
16. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?
17. Ostendam tibi, audi me: quod vidi, narrabo tibi.
18. Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos:
19. Quibus solis data est terra, & non transivit alienus per eos.
20. Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.
21. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.
22. Non

10. Matura est nobis seniorum turba, tuisque
Major avis, animo præstanti major, & annis.
11. Nempe Deum molis magnæ est solatia mœsto
Indulgere mali: sedenim male sana loquentis
12. Dicta obstant. Quid spes longæ, quid futilis inflat
Corda tumor pulsans, oculosque immobilis hæres
Attonitos, ceu multa animo, ceu grandia versans?
13. Te magnum contra quæ tanta audacia numen
Impulit ore loqui, & sceleratas rumpere voces.
14. Scilicet, ut morum sit homo integer, ut maculæ ex-
Enixa impuro partu quem femina fudit? (pers,
15. Non ulli est superum cœlesti ex ordine semper
Stare datum: ipsa suis obnoxia sordibus astra.
16. Quanto gens hominum minus atræ est nescia labis?
Gens horrenda, & iners; cui crimen tale, scelusque,
Quale sitim lymphis, aut largo immergere Iaccho
17. Ergo audi. mihi visa loquar, quæque ipse fatetur
18. Vir sapiens, & quæ natos monuere parentes:
19. Queis tutoque dinque datum consortibus absque
Regnare imperii, & Martis nescire rapinas,
Incursusque truces prædonum, aut hostica castra.
20. Impius ergo ævum, quam longum est, omne superbit.
At bene habet: vitæ quo tempora protoget usque,
Incertum est, quot sævitiam perducat in annos.
21. Assiduus trepidas aures circumsonat horror,
Præsumitque metu insidias, ubi pace sub alta
22. Cuncta

deinde ut mendacii & arrogantiæ illum argueret, qui sese asserebat innocentem. Atqui neque sancti, id est, angeli, neque cœlestes ipsi orbes coram Deo mundi, vel quia nonnullis obducti nubibus, luce privantur, vel quia, si cum Deo conferantur, illorum est omnis splendor obscurus.

15. ECCE INTER SANCTOS EJUS NEMO IMMUTABILIS. Hebræus, *Ecce in sanctis suis non credat.* LXX. *εἰ κατὰ ἁγίων οὐ πιστεύει.* quæ revolvuntur eodem fere. iis enim merito non creditur, qui parum constantes sunt. Symmachus vero idem habet, quod interpres noster: *ἰδοὺ ἐν ἁγίοις αὐτοῦ οὐδεὶς ἄτρεπτος.*

16. QUANTO MAGIS ABOMINABILIS. אף כי *aph-ci* quanto magis & quanto minus, vox Hebræa utrumque significat; modo hoc, modo illud, pro varietate rei, quæ verbis effertur, sive pro ratione locutionis, & forma verborum, quibus ipsa res concipitur. Ut hic: Angelorum nullus immutabilis: quanto minus ex hominibus quisquam immutabilis reperietur? quanto magis inter homines nemo immutabilis? eodem hæc duo sensu. Vide sis autem & supra c. IV. v. 19. c. IX. v. 14. & hic apud LXX. Sixti, atque in catena Græca; & infra cap. XXV. v. 6. Ex quibus intelligi possit, quid vox, ἐα, tam frequens tamque familiaris interpreti Græco, quoque modo, & cui Hebraicæ voci respondeat. Jam nequaquam, *inutilis* in Hebræo aut in Græcis, sed נאלח *neelach*, in Niphal, *fœtens*, *insulsus*, *ἀχρεῖωμένος*, *impurus.* quam tamen vocem constanter vulgatus in psalmis reddit quoque, *inutilis.* ut homo sit nullius frugis, nequam nulli rei utilis aut idoneus.

QUI BIBIT QUASI AQUAM. Hic & magnitudo, & multitudo scelerum notatur. Qui imbuunt se vitiis, & crimina quasi combibunt, seque in tot flagitia ingurgitant, sive qui neque ulla necessitate, neque ex imbecillitate, sed sponte sua & cum quadam voluptate peccant; quemadmodum sitibundi, cum bibunt aquam. Ita Olympiodorus. Aut sane proclivitas peccandi, inque hominum propensio in malum, ex depravatione naturæ exprimitur.

17. OSTENDAM TIBI, AUDI ME. Ex duplici, quæ opusculo hoc toto inculcatur, sententia, prima insontem esse hominem nemitrem, tribus hic quoque versibus disputata & confirmata est. Transit ad alteram, improbos cruciari perpetuo, & exitus exitiales habere, quam reliquis versibus capitis differt, ubi sibi aditum ad eam, quasi quadam præfatiuncula munit. Ac primum ea se allaturum ait, quæ vidit & perspexit oculis.

18. SAPIENTES CONFITENTUR. Deinde ea quæ accepit a sapientibus, quæque majores natu deinceps tradiderunt. *Non absconderunt patres suos*, videtur hic erratum esse plus uno. Et primo quidem dictum oportuit, non celant patres liberos suos. Deinde in Hebræo habetur, *sapientes renunciarunt, neque occultarunt a patribus suis*, hoc est, sapientes renunciarunt a patribus accepta suis, neque posteros ipsi celarunt. Et LXX. *ἃ δὲ ἑώρακα, ἀναγγελῶ σοι, ἃ σοφοὶ ἐροῦσι, καὶ οὐκ ἔκρυψαν πατέρες αὐτῶν.* Quæ vidi, renunciabo tibi, quæ dictuti sint sapientes, quæque sui illos parentes non celarint, sive edocuerint.

19. QUIBUS SOLIS DATA EST TERRA. Ait se certis & bonis auctoribus comperisse, quod dicturus est. Auctores porro fuerunt viri sapientes, & regendarum civitatum principes, quas ab incursu hostium tutas atque ingressione præstiterunt. Commendat igitur illud de quo ei propositum est dicere, tanquam a viris cordatis & integerrimis acceptum, quibus ob insignem vitæ probitatem, pacem incolumitatemque contulit Deus: adeo ut soli in terra sua degerent, neque infestos hostes ullos haberent, aut finibus suis imminentes. quemadmodum insecutis temporibus Europam & Asiam occupavere barbari, ut Gothi, Vandali, similes. Ita Græci interpretes, qui hoc addunt in veteri testamento, præmium id fuisse virtutis, ut unusquisque sub ficu & vite sua recubaret. Contra vero Ecclesiastici x 8. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

20. CUNCTIS DIEBUS IMPIUS SUPERBIT. Interpres noster sine dubio aliter legit, quam est in Hebræo & Græcis codicibus, nempe מתחולל *mitcholel*, *doloribus conficit se*, Hithpahel partic. r. חול *chul*, Græci, *πᾶς ὁ βίος ἀσεβοῦς ἐν φροντίδι*, omnis vita impii sollicita est. Ac noster legit מתהלל *mithalel*, r. הלל *halal*, quod est jactare se & superbire.

NUMERUS ANNORUM INCERTUS. Sensus est hic totius versiculi. Improbus homo, dum vivit, superbum se & crudelem præbet: ignarus tamen quamdiu victurus sit, & futurus in populos tyrannus.

21. SONITUS TERRORIS SEMPER IN AURIBUS ILLIUS. Afferunt interpretes in eam sententiam ab externis scriptoribus concinne dicta; ut, omnia tuta timens; ut, qui vult a multis metui, multos timeat oportet, ut improbi quod meruerunt, semper expectant: nimirum ut sua quemque conscientia recte factorum delectat, ita sua quemque conscientia scelerum & fraudum suarum terret atque exagitat.

CUM PAX SIT, ILLE SEMPER INSIDIAS SUSPICATUR. Parum, aut admodum nihil inter se discordant,
He-

22. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.

23. Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.

24. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.

25. Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.

26. Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.

27. Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet.

28. Habitavit in civitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.

29. Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.

30. Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, & auferetur spiritu oris sui.

31. Non credet frustra, errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.

32. An-

22. Cuncta silent. Negat a tenebris optare regressum,
Desperatque diem, & gladios circum undique spectat,
Pendentes filo e gracili, jamjamque cadentes.
23. Quod si pane famem solari mœstus egenam
Quæsierit, videt ante oculos instare parata

24. Exitia. Hinc venis gliscet pavor. hinc mala mentem
Sors quatiet, cingetque profundo angustia vallo,
Non aliter quam cum meditantis bella tyranni
Multus obit miles latus, & prætoria turma.
25. Ille Deum contra stetit improbus. ille lacertis
Connixus paribus, palmas utrasque tetendit:
26. Extulit & magna ora polo, & cervicibus altis

27. Emicuit gradiens: latuit farragine crassa
Vultus, & arvina pingui latera utraque pendent.
28. Desolatæ urbes illum, viduataque tecta
Accipient, tumulique aggestis ædibus alti.
29. Non arcas opibus, proventuve horrea vincet
Triticeo, nec parta prius fortuna manebit,
30. Radicesve solo firmas aget. Ille perennes
Inter erit tenebras. ramos siccare virentes
Flamma polo veniet, ventorumque halitus urens.
31 Non ulla demens mercede exire putabit

32. Scr-

Hebræus, *in pace vastator veniet ei*, hoc est, media in pace veniet ei in mentem belli, vastitatis, insidiarum. etiam tum de bello cogitabit, eum pax fuerit. Græci, [illegible] cum jam habere se pacem putaverit, calamitas ei & pernicies eveniet.

22. NON CREDIT QUOD REVERTI POSSIT. Non credit se emersurum ex calamitatum tenebris, & quasi districtus ensis super cervice sua pendeat, sic in horas terretur. Ceterum admonet nos extrema pars hujus versiculi eum sequenti rmo de Damoclis ficta felicitate. cujus cum cervicibus fulgens gladius impenderet, neque aspexit quemquam eorum qui adsideot, neque porrexit manum in mensam. usque eo perculsus metu erat, & exanimatus, ac vix vivus relictus.

23. CUM SE MOVERIT AD QUÆRENDUM PANEM. Cum sibi parare conetur, quæ suppeditent ad cultum & ad victum: facile intelliget impendere sibi mala extrema, seque ad summas angustias adductum. Hic autem cum Hebræo convenit, a quo discedunt LXX.

24. SICUT REGEM QUI PRÆPARATUR AD PRÆLIUM. Præclare: circumsessum iri malis & calamitatibus, sicut suæ regem cohortes & copiæ stipant proficiscentem ad bellum, & descensurum in aciem.

25. TETENDIT ENIM ADVERSUS DEUM MANUM SUAM. Propriæ & perpetuæ illius calamitatis, quam improbus subit, causam Eliphas istam affert, quod is contra Deum, per summam audaciam, & insolentiam, & tumorem animi, steterit. Itaque causalis particula hic adhibita semel, & in Hebræo iterum, addenda tertio: ut tres hi versus ita incipiant: Quia tetendit, Quia cucurrit, Quia operuit. Tetendit in Deum manum suam, id est, Deo intentavit vim & minas, seque contra eum obfirmavit contumaciter & præfracte.

26. CUCURRIT ADVERSUS EUM. Quidam, ut Vatablus, ista referunt ad Deum, qui contra impios quasi decertet. Sed malim de ipso impio, uti explicui jam, & hunc versum & consequentem accipi. Pro pingui cervice habet Hebræus, *in crassitie sive densitate eminentiarum clypeorum suorum*, quod & LXX. interpretes exprimunt, [illegible], *in crassitie dorsi clypei ipsius*: quasi armis quibusdam contra Deum insurgat: quam Olympiodorus superbiam interpretatur. At noster interpres clypeum hunc, pinguem cervicem reddidit. quæ cervix in scriptura contumaciam & elationem mentis aut inflationem significare solet: ut & apud alios scriptores, ubi hoc, *non tantam cervicem habeo*, de Vatinio arroganti homine, eodemque strumoso; & illud: *Si qui erunt tantis cervicibus recuperatores, qui audeant in provincia, cum prætor adsit, contra voluntatem ejus judicare*.

27. OPERUIT FACIEM EJUS CRASSITUDO. Similitudine quadam jumenti, vel tauri pinguis & refractarii, describit impium. Nam *impinguatus & dilatatus est, & recalcitravit*. Quod ait: *De lateribus ejus arvina dependet*, Hebraice ita concipitur: *Fecit rugas super ilia*: ita obesavit corpus, ut strias & plicaturas faceret ad ilia; sicut psalmo LXXII. v. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Pro quibus in Hebræo legitur: *Exilierunt præ pinguedine oculi eorum*.

28. HABITAVIT IN CIVITATIBUS DESOLATIS. Redit Eliphas ad alia infelicitatis & pœnarum genera, quibus vult affici hominem improbum; propterea quod pugnace cum Deo non sit veritus. Ac significat primo illum ad extremam mendicitatem redactum iri, & fore inopem in ruderibus ac parietinis habitaturum: non contra, cum opulentus esset, solitudines coædificasse, urbes desertas ac disjectas domos instaurasse: quod minime probabile videtur. neque enim solum hoc probandum sibi sumpsit, nunquam malos homines perennem in hac vita felicitatem consequi, sed illud amplius, hos omnes in perpetuas & continentes incidere miserias. quod falso dicitur.

QUÆ IN TUMULOS SUNT REDACTÆ. Disturbatæ & eversæ ædes, rudera materiæ, calcis, cæmentorum vim & acervum efficiunt. Sed aliter interpretatur LXX. sunt: [illegible] jubaentque cum sequentibus.

29. NON DITABITUR, NEC PERSEVERABIT SUBSTANTIA EJUS. Minime rem faciet improbus, atque, ut fecerit, quæsita multo labore non servabit diu.

NEC MITTET IN TERRA RADICEM SUAM. Non est hoc, non aget radicem suam altius; sed illud, non diffundet radicem latius. In Hebræo radicis loco, complementum sive perfectio LXX. [illegible] Omnium una hæc est sententia: Neque cumulabuntur, neque crescent facultates improbi.

30. RAMOS EJUS ARREFACIET FLAMMA. Pergit in cœpta jam similitudine arboris, quæ umbram non efficiat; hoc est, vel non fronduerit, vel frondes amiserit, cujus nunc rami nimio calore exarescant, concutiantur vi turbinis ac tempestatum.

31. NON CREDET FRUSTRA ERRORE DECEPTUS. Hebræus clare & eleganter. Homo vanus, sive inani errore ductus, non credet vanitatem sibi futuram pretii loco, id est, deventurum se in nihilum, ut dignus erit, & revera eveniet. Si quid hic video, noster interpres mihi videtur legisse extremo loco vocem non a שוא *schava*, ductam cum *aleph*, sed a שוה *schava*, cum *he*, quod est æquari, aut æqualem esse. Sunt qui aliter versum inexplicabilem explicare conentur: sed conantur tantum, meo quidem judicio. Utut est, Latina sic accipi possunt triplicitei, vel, non putat se opis alienæ indigere, quod est superbiæ; vel, non putet se ope ulla liberari posse, quod desperationis est; vel denique, se non esse tanti, ut pretio re-

32. Antequam dies ejus impleantur, peribit: & manus ejus arescent.

33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva projiciens florem suum.

34. Congregatio enim hypocritæ sterilis; & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.

35. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos.

32. Servitio. Ante diem fugienti sanguine venas
Arescentque manus, mortique occumbet acerbæ.
33. Quam facile uva recens, nec adultæ vinea frugis
Læditur, aut termes primum florentis olivæ.
34. Quin & posteritas simulantis honesta sine ulla
Prole cadet deinceps, & amantis munera avari
Absumet dites ignis gazasque, domosque.
35. Post illi magnum quam concepere dolorem,
Non nisi parturiunt scelus, intra viscera cudunt,
Informantque, cavaque dolos meditantur in alvo.

C A P U T   XVI.

Adversas res suas Jobus, vel potius eversas, commemorat & describit pluribus, quas non modo non subleveut consolatores præposteri, sed gravent etiam, & exacerbent. Qui se ipse tamen consolatur, cum optimæ mentis conscientia, cujus Deum testem appellat, tum brevitate vitæ.

1. RESPONDENS autem Job, dixit:
2. Audivi frequenter talia: consolatores onerosi omnes vos estis.

3. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est, si loquaris?

4. Po-

1, 2. O quoties tenuere olim mihi talibus aures!
Jobus, ait graviora malis solatia fertis

3. Quippe graves. Quem verba modum ventosa tenebunt?
Credo, aliquis vexat dolor, egeritisque loquendo.

4. Ast

redimatur, quæ sit aliqua demissio animi. Hæc autem per impudentiam & errorem falso sibi persuaserit.

32. Antequam dies ejus impleantur, peribit. Hebræus, *die non sua complebitur*. Res ipsa quidem intelligitur, ante diem peribit, seu fati necessitatem, immatura & acerba morte. Sed dictio est minime vulgaris, תמלא *thimale*, *complebitur*, [illegible], compleri, quod est idem atque morte consumi & ævo, aut suos annos consumere, juxta illud Nasonis eleganter dictum, *consumetque annos, sed diuturna, suos. Adjiceremque nostros*. Est qui Lucæ vocem illam cap. VIII. v. 23. [illegible], ex isto loco interpretentur, *& vicini erant morti*. Sed hæc tam aliena & violenta interpretatio, quam ista mors violenta, de qua hic agitur.

Manus ejus arescent. Cum ab una voce Hebraica כפף *incurvavit*, sit כף *manus*, & כפה *kippa*, *ramus*; priorem significatum interpres noster arripuit, LXX. posteriore sunt usi. [illegible] Rhadamnus autem, inquit Didymus, summus arboris ramus, qui quasi luxurie quadam foliorum umbram efficiat. ita porro dictus [illegible], quod, cum tener sit, & unus inter omnes ramos maxime emineat, facile æstu & aliis dometur injuriis temporis.

Hic emenda denique, aliter interpungendo, LXX. interpretes, [illegible]. quid enim est hoc, *excisio corrumpetur*: cum contra dicatur recte, excisio ejus intempestiva est: ipse corrumpetur, ac velut rhadamnus.

33. Lædetur quasi vinea in primo flore. Hebraismus, pro, læderur quasi botrus vineæ, ubi ea primum floruit. Hoc est, sicuti vitis quæ in florem quidem se induerit, & fructum ferat, sed ita ut is fructus non maturescat. Item sicuti olea, quæ perdet florem, nullo fœtu concepto.

34. Congregatio enim hypocritæ sterilis. Calamitas improbi etiam in comites & asseclas, totamque familiam redundabit, quæ redigetur ad paucos. Quasi dicat, cœtus antea ingens, mera deinde solitudo fuerit. Quid si hoc simplicius: Quæ improbus congregaverit & coacervaverit, quæque domi condita habuerit, ea nullum huic fructum afferent. Quin ipsæ quoque ædes, in quas opum vim ac donorum congesserit, quæ corruptus pretio acceperit, deflagrabunt igni. Porro quod est in Hebræo, *tabernacula muneris* interpretantur LXX. [illegible], domos eorum qui munera accipiunt; vulgatus noster, tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Arguere illi atque necessario, qui domos intelligi volunt, quas in alieno quis, aut ex alieno extruxerit, aut ubi receptaculum ei prædæ ac rapinarum fuerit. Usque eo autem proclive est, corrumpi muneribus, ut id in vitio ponatur, quod quis munera tantummodo acceperit. perinde quasi idem sit munera accipere, atque habere fidem venalem, & addictam pretio, jus & æquum prodere alteri, ac denique quodvis nefas admittere. Lex est Hebræis Exodi XXIII. v. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertant verba justorum*. Et Deuter. XVI. v. 19. totidem prope verbis: *Non accipies personam & munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*. Habemus quoque in collectis legibus Tullii hoc legis caput: *Donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve gesta potestate*. Quem utinam locum, uti alios aliquot is philosophus explicuisset; non, ut complures, amisissemus temporis injuria: verisimile eum præclari aliquid in præclaram sententiam dicturum fuisse, vel potius, quod interierit, dixisse. Ac Caius quidem Cincius, ut ex eodem Cicerone perspicitur, legem de donis & muneribus tulit. Idem nos Plinius secundus lib. IV. epist. 9. docet: *Lex munera accipi vetat*. Julius autem Bassus quidam in provincia Bithynia quæstor cum esset, quædam a provincialibus ut amicus acceperat. Sed insignis præter omnes locus non tam de muneribus non accipiendis, quam de moderandis, D. lib. 1. tit. VI. *Non vero in totum xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adjicere, neque morose in totum abstineat, neque avare modum xeniorum excedat: nam valde inhumanum est, a nemine accipere: sed passim, vilissimum est: & omnia, avarissimum*. Cui & hoc equidem libet addas licet, tit. XVIII. *Plebiscito continetur, ut ne quis præsidum munus donumve caperet, nisi esculentum potulentumve quod intra dies proximos prodigatur*.

35. Concepit dolorem. Non est hic major aut peculiaris difficultas istius loci, qui habetur item psal. VII. v. 15. & Isaiæ LIX. v. 4. sic autem accipe: Vel scelus quod improbus meditatur & concipit, vel pœnam sceleris quam sustinet, vel vanum & inanem, quem persæpe adhibet, conatum, dum aliis exhibere negotium parat; vel tria hæc denique.

EXPOSITIO Capitis XVI.

a. Audivi frequenter talia. Quasi nihil non tritum, & commune, & pervagatum, & plus millies jam auditum, attulerint interpellatores potius graves & molesti, quam consolatores, ita eos a se repellit Jobus quam longissime.

Consolatores onerosi omnes vos estis. Ita Symmachus, [illegible], clarius, ut notatum est in catena, quam alii Græci, Theodotio, Aquila, LXX.

3. Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris. Plana in Hebræo sententia: *Quid te roborat & obfirmat, aut exasperat, ut sic loquaris?* quasi dicat: Qua fiducia ita loqueris, aut quid tibi ægre est & molestum & grave? quid animum pungit tuum, quod sic loqueris? Vide

de

4. Poteram & ego similia vestri loqui. atque utinam esset anima vestra pro anima mea:

5. Consolarer & ego vos sermonibus, & moverem caput meum super vos.

6. Roborarem vos ore meo, & moverem labia mea, quasi parcens vobis.

7. Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet a me.

8. Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

10. Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

11. Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt pœnis meis.

12. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.

13. Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum.

14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea.

15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

16. Sac-

4. Ast equidem poteram non inferiora profari.
Quod si quæ dudum insequitur tristissima me sors,
5. Vos vice mutata premeret; placido ore madentes
Solarer luctus magis, annueremve querelis.
6. Exhortando animos facerem, & mollissima verba
Paullatimque darem insinuans, morbumque levarem.
7. Sed quid agam? seu conticeam, sive ora resolvam
In planctus: non corde tenax qui substitit imo
Aut tacitus ponet dolor, aut plangore facesset.
8. Idem ille incinxit meme circum undique, & angens
Oppressum tenet. In nihilum compage soluta
9. Membrorum cecidere artus. testata labores
Plurima ruga meos, tristem venit ante senectam.
En qui nostra tamen tot dura incommoda fando
Elevet hic mendax, & questus arguat æquos.
10. In me concivit mœstas intra intima corda
Hostis atrox Furias. Hostis me lumine fixit
Terrifico, vultuque extrema & voce minatus
11. Dentibus infremuit. Super hæc, vasta ora recludens,
Objectare nefas insonti: tundere crebro
Deinde genas ictu, & satiari sanguine nostro.
12. Intendit mihi vincla Deus. Vigil additus hæsit
Improbus, & manibus vixi permissus iniquis.
13. Ille ego, qui pecoris quondam, qui frugis abundans,
Disperii extemplo. Cervicem apprendit ad ictus
Diffregitque meam. Sursum signi extulit instar,
Quod ferro petat, & nunquam fallente sagitta.
14. Me seges hastarum circum dedit ærea. multa
Enerves, geminavit enim, trans cuspide lumbos
Confixit. Tum visceribus, crudele, revulsis
Sparsit humum jaciens, nec supplicia ulla remisit.
15. Vulnera vulneribus super intulit, inque cruenta
Frusta minutatim concidit, & irruit omni
Mole: gigas velut ingenti sub pectore versans

16. In-

de eamdem jam vocem ימרץ *marats*, cap. VI. v. 25. Satis commode Latina sanctus vir Thomas sic interpretatur: An male tibi est, cum ita loqueris? Quanquam cum vulgatus ait noster, *aut aliquid tibi molestum est, si loqueris*, videtur contrarium potius dicere debuisse: nempe aut aliquid tibi molestum est, nisi loquaris. Non enim ad loquendum, sed ad non loquendum potius hortatur: Itaque, *si*, idem valet ac, *cum*. quasi dicat: An majoris molestiæ quid habes, quod exonerare volueris loquendo?

4. ATQUE UTINAM ESSET ANIMA VESTRA PRO ANIMA MEA. 5. CONSOLARER ET EGO VOS. Atqui si vestro loco essem, inquit, & vos meo: ego utique multo humanius vobiscum agerem. At Hebræi contrario sensu ita declarant: Si vos essetis, qui ego sum, possem similiter ego illudere vobis. quasi dicat: Non magnam rem facitis, qui afflictum hominem opprimatis, neque grandi sapientia dignam. Adjuvat hanc interpretationem, quod sequitur: *& moverem caput meum super vos*. Nam movere caput super aliquem, est insultare, passim in sacris literis, & illudere, & habere ludibrio. ut Isaiæ XXXVII. v. 22. & Matth. XXVII. v. 39. neque facile alia significatione id usurpatur. Nam quod est cap. XLII. hujus libri v. 11. de amicis Jobi illum consolantibus, *& moverunt caput super eum*; in Hebræo nequaquam est, *caput*, sed, *commoti sunt super eum*: præ stupore videlicet. Nihilominus movere caput hoc loco, potest esse similiter stuporis & obstupefacti animi. Sed nihil melius, meo judicio, quam duplex illud, quod Olympiodorus habet in catena, interpretamentum. Quod autem vulgatus, *utinam*, posuit, cum LXX. *si*, habeant; observatur merito in catena quoque illud, *τὸ, εἰ*, ἀντὶ τοῦ εἴθε. ὥσπερ γὰρ ἐξέδωκε Σύμμαχος. ὁ δὲ Ακύλας ὄφελον.

6. MOVEREM LABIA QUASI PARCENS VOBIS. Non vociferarer, quod facitis, vos objurgans; sed submissa voce uterer solando, & parcerem auribus, nec obtunderem vos.

7. SED QUID AGAM? Hoc de suo noster interpres, sed valde apposite. Quo me vertam, inquit, non habeo, neque querelis meis quidquam profecero, neque ulla taciturnitate mea, aut patientia, & æquanimitate.

8. IN NIHILUM REDACTI SUNT OMNES ARTUS MEI. *Congregatio artuum meorum*. Hoc interpretis nostri omissis aliis aliorum, eo magis probo, quin minus ipsi improbant, qui Hebraica sequi videntur vehementius.

9. RUGÆ MEÆ TESTIMONIUM DICUNT CONTRA ME. Ad verbum, *rugas induxisti mihi. in testem fuit*. Hoc est, quod rugis a te, Deus, obductus sum, & quasi exaratus, testimonio est quantis malis opprimar, quem rugæ turpent jam præter ætatem. Scio quidem illud, *& corrugasti me*; ab aliis reddi, *& succidisti me*; ab aliis, *& deprehendisti me quasi in delicto*; atque utrumque non carere probabilitate. Sed ne longius faciam, quam mihi propositum est, communi plerumque interpretatione contentus esse debeo.

SUSCITATUR FALSILOQUUS ADVERSUS FACIEM MEAM. Hebraica dictio כחש *cachasc*, mendacium significat, quo & hic modo LXX. vertunt ψεῦδος, & c. XXXI. v. 28, ἐψευσάμην, & Deuter. XXXIII. v. 29. ψεύσονται. Itaque Codurco non invitus assentior, qui neget isto usquam vocabulo maciem significari, imo ubicumque adhibetur, ibi aptius mendacium, & falsitatem aut inficiationem cadere. Est hic ergo commatis illius sensus: Ego præ ægritudine & angoribus vix consisto: ita ut contractis carnibus, quæ mihi rugosa pellis est, quasi testimonium dicat contra me, si dolorem meum dissimulare velim. Adde illud gravius, quod falsi consolatores & amici obtrectatum veniunt. Falsiloquum hunc tamen sanctus Thomas exponit Satanam, cujus machinatione totum hoc sibi evenisse divinitus cognorat.

10. COLLEGIT FUROREM SUUM IN ME. Hæc omnia a versu 10. ad 15. usque, sunt quasi hostis excandescentis, & violenti, & furentis adversus Jobum, sive Dei, sive Satanæ, seu malorum & dolorum, seu, quod minus reor, sociorum Jobi. Utut est, ecce tibi imago & species longo ante intervallo prodita ad similitudinem Christi passuri. Ut sit tamen in Jobo hyperbole, in Christo veritas. neque enim satis apparet tantum Jobo illatum malorum fuisse, neque

16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.

16. Ingentes animos. Humeris lugubria sumpsi Continuo, & totum perduxi pulvere corpus.

17. Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligaverunt.

17. A lacrimis tumuere genæ: caligo tuenti Circum obducta: hebeti nigrescunt omnia visu.

18. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.

18. Sollicitas sine labe preces, & candida vota Cum facerem, has insons persolvi sanguine pœnas.

19. Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

19. Terra, tuo meus iste sinu ne sanguis opertus, Neu tectæ lateant, nullo excipiente, querelæ.

20. Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.

20. Audiat, & spectet cœlo qui testis in alto,

21. Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus.

21. Qui solus judex. Quid amicis somnia præter Vana fuit? te corda, Deus, mea tristia tantum Suspirant. Oculis jugis tibi liquitur humor.

22. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.

22. Atque utinam causarum hominis cum numine tale Examen foret, esse viri cum compare suevit

23. Ecce enim breves anni transeunt: & semitam, per quam non revertar, ambulo.

23. Quale viro. En celeres fugiunt cum mensibus anni, Nec reditutus iter peregrino tramite flecto.

CAPUT XVII.

Cum capitis hujus versus primi duo pertineant ad caput superius, prior versus ad versum 23. posterior ad versum 18. in reliquis partim in Deo solo spem ponit suam: partim socios hortatur, ut resipiscant. Denique vim malorum, quibus obruitur, sic describit, atque exaggerat, ut modum horum nullum & exitum, nisi in morte, putet; ac ne in illa quidem. Miseri enim, cum modo hoc, modo illud dicant & querantur, tum sæpe se reperire finem malorum posse negant.

1 SPIRITUS meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulcrum.

2. Non

1. ECce mei breviore dies, & tempora gyro Decurrent, ibique leves tenuatus in auras Spiritus, eque omni rerum mihi divite cornu Solus erit tumulus super, & miserabilis urna.

2. Nil

neque compertum est, quis ei talia intulerit. At Christum novimus his pulsum injuriis, his notatum omnibus contumeliis, quæ rursum iisdem pæne verbis, nisi quod latius, psalmo XXI. prædicuntur. Tria autem aliquantum diversa conjunxit, comminari, frendere dentibus, intueri oculis ardentibus atque infestis.

10. APERUERUNT SUPER ME ORA SUA. Vel debacchati sunt in me verbis, vel rictu & oris hiatu visi sunt ad me devorandum parati.

EXPROBRANTES PERCUSSERUNT. Per summum probrum & ignominiam percusserunt malam manu, seu colaphos infregerunt: quod tam est ad contemptum, quam ad dolorem, insigne. Atque sic ab istis sævitum in me, ut pœnis meis explerentur.

11. CONCLUSIT ME DEUS. Dedit me in custodiam sceleratis, & eorum potestati tradidit.

13. EGO ILLE QUONDAM. 14. CIRCUMDEDIT ME. 15. CONCIDIT ME. Quamobrem, his tribus in versibus, ut & sæpe alias, discedant ab interprete nostro, aut etiam eadem fere aliis verbis dicant Mercerus & Codurcus, equidem nullus video, nisi quod Hebræa se profiteantur interpretari, & declarare ad verbum. Porro gradibus quibusdam crescit & augetur oratio non una superlatione. Deus me, inquit, cum tranquille & placide traducerem vitam, & obtrivit derepente, & disjecit, arreptaque cervice confregit, & scopum, quem ferirent sagittarii, proposuit. Convulnerati lumbi, effusa intestina. nec modo membris pepercit nullis, sed conduplicavit ictus, & vulnera vulneribus addidit. quasi qui fortissimus bellator incurrit in me sæpius, & impetum fecit, & plus millies jam sauciavit.

16. SACCUM CONSUI. Hic cultus, hoc mœroris insigne & indicium: saccum induit, versavitque se atque agitavit, quo erat habitu corporis, in pulvere.

17. FACIES MEA INTUMUIT A FLETU. Corrupi faciem lacrimis: & est nimio fletu acies oculorum reddita hebetior.

18. HÆC PASSUS SUM. Vulgatus adjecit illud explicandi causa; cum in Hebræo & apud LXX. infint ista tantum: A me neque neglectum numen, neque nocitum alteri: quæ duo sunt officia viri probi, pietas & justitia.

19. TERRA, NE OPERIAS. Quoniam, inquit, homines non moventur ærumnis meis, tu, o terra, sanguinem meum ex ulceribus manantem ostendas: ut argumento illud sit, quanta perpetiar. Alii minus probabiliter optare dicunt eum, ut, si quod parricidium admiserit; nam amici illum sui accusabant magnorum scelerum: id terra ne tegeret. quemadmodum Gen. IV. V. 10. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

20. ECCE ENIM IN COELO TESTIS MEUS. Proxime terrant, id est, homines contestatus est. se innocentem esse: nunc eum, qui in cœlo est, nempe Deum, de sua integritate, atque innocentia testatur; quem omnium rerum habemus conscium.

21. VERBOSI AMICI MEI. Velle hoc sibi videtur: Egregii vero locutores, amici mei; cum illis nihil mihi esse commercii volo. Stat preces ad Deum fundere non sine lacrimis.

22. ATQUE UTINAM SIC JUDICARETUR VIR. Optandum esse ait, ut liceat pari jure apud Deum, aut eum Deo experiri, quo solet homo hominem convenire in judicio.

23. ECCE ENIM BREVES ANNI TRANSEUNT. Sed desperat fore; siquidem appropinquare sibi mortem, aut instare jam plane sentiat.

EXPOSITIO CAPITIS XVII.

1. SPIRITUS MEUS ATTENUABITUR. Vitalis inquit, spiritus meus, seu vitalia omnia. *attenuatus est*: regia editio, *corruptus est*. חבלה *chubala*, quod quam recte reddiderint, quoque modo reddi oporteat, consilii est; Vox enim חבל *chaval*, difficilis, & varie versa, aliter ab aliis. *Attenuabitur*, *breviabuntur*, pro, *attenuati sunt*, *contracti sunt*. Addunt LXX. in fine versus, *sepulcrum cupio, & non invenio.*

2 Non

2. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.

3. Libera me, Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

4. Cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur.

5. Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum ejus deficient.

6. Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum sum coram eis.

7. Caligavit ab indignatione oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.

8. Stupebunt justi super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.

9. Et tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.

10. Igitur omnes vos convertimini, & venite: & non inveniam in vobis ullum sapientem.

11. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.

12. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem,

13. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.

14. Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea; vermibus.

15. Ubi

2. Nil equidem merui: lacrimis tamen humida amaris
Lumina nant, & fixa malis præsentibus hærent.
3. Assere me, laterique latus conjunge propinquum:
Hoc tantum; & certare mihi manus apparet omnis
Non metus: in pugnam nec descendisse pigebit.
4. Hostibus indociles animos, rerumque dedisti
Esse rudes. Hinc fama virum non ulla feretur.
Gens infida pares, qui sese in furta sequantur,
5. Invitat socios, prædarumque implet amore.
Non tamen hæ propriæ exuviæ, nec filius heres
Sorte patris, raptove nepos potietur avito.
6. Illis ludus ego, & petulantis fabula vulgi:
Illi me ridere: levi traducere pompa.
7. Injicit atram oculis torva indignatio noctem,
Obductaque hebetat caligine: viribus artus
Destituunt pereuntem, & corpus fuccidit ægrum.
8. Hinc adeo invadet justum stupor, hinc adeo insons
Facta virum furiis surget contra impia justis.
9. Interea tamen inceptum non segnius ire
Perget iter, roburque super virtutibus addet.
10. Ergo huc, o socii, gressum convertite: pugnas
Instaurate novas: &, si fas, vincite causam.
Quanquam, qui sapiat vestrum, aut qui sana loquatur,
Jusque meum infirmet, non est reperire potestas.
11. Sensi oculos ante ipse meos vanescere soles,
Diducique vagam studia in contraria mentem,
12. Flebilibusque premi curis, quæ noctis amicæ
Muravere vicem, & strepitus retulere diurnos.
Orabam lucem tenebris, & luce tenebras.
Tempus ita, infelix! utrumque insomne peregi.
13. Dixi ego, si duro, & forti me ferro secundæ;
Ipsa mihi interior sedem tamen, ipsa cubile
14. Terra dabit. Vos, o vermes, putredo, sepulcrum,
Illuvies, nobis eritis materque paterque:

Vos

2. NON PECCAVI. Hebraice ad verbum, *si non sunt ludificationes vel ludificatores mecum*, hoc est, si nihil habeo commune cum improbis hominibus: quod noster expressit; *Non peccavi*. Etenim *stultorum socius*, stultis ipsis similis efficitur. Porro illud, *si*, Hebraicum est, asseverantis, ut capite XXXI. *si putavi*, *si vidi*.

IN AMARITUDINIBUS. *Morari in amaritudinibus*, est nihil habere aliud ante oculos, præterquam exprobrationes & irrisiones. Sunt utique qui mihi illudant, quorum ego ludibria ante oculos assidue habeo proposita. Vel hoc ait, quod est acerbum ad dolorem, sibi vivo & videnti illudi coram.

3. LIBERA ME, DOMINE. Talem Hebræa sententiam exhibent. *Appone*: fidejussorem da, qui pro te spondeat te statutum rebus judicatis. quis manum complodet? Sunt enim hujus, deponere aliquid cum aliquo, & pignore certare. Atque istæ sunt formulæ sponsione lacessentis, ut insipientes aliquando infelices sint. At noster interpres universe de oppugnatoribus accipit. Potest & exponi ערבני *ghaerveni*, apta me & idoneum redde, qui ad te accedam propius. Hunc vero locum ita redditum, *cujusvis manus pugnet contra me*, diligentiæ vulgati interpretis imputat Pineda, quem, si vacat, adi & consule.

4. COR EORUM LONGE FECISTI A DISCIPLINA. Hebræus & LXX. *abscondisti a sapientia*: *propterea non exaltabis*. Quod id est, nisi, celasti eos hæc quæ sapientiæ ac disciplinæ sunt: ideoque non extolles eos, neque eorum uteris opera, utpote imprudentium & stupidorum: neque eveches ad ullum dignitatis gradum stultos.

5. PRÆDAM POLLICETUR SOCIIS. Ad verbum, *ad blandimentum nunciat sociis*. quæ quia universe dicuntur alio atque alio trahi possunt, & vero trahuntur ab interpretibus. Putat Aquinas Jobum in socios invehi, qui temporaria bona sperare se juberent a Deo. Sed existimo figuratam hanc esse descriptionem. Sic enim se invadi ab inimicis falsisque sodalibus queritur quasi prædam. Solent autem milites hortari se ad impressionem faciendam, prædæ spe. Illud, *oculi deficient*, est, tabescent præ dolore & invidia. ut 1. Regum cap. 11. v. 33. *ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua*.

6. POSUIT ME QUASI IN PROVERBIUM VULGI. Hoc ad Deum referunt aliqui, quibus LXX. favent. Scribunt *ἔθου δέ με*, *posuisti me*. Potest tamen & de inimico intelligi. Porro noster interpres elegantet reddidit תפת *thophet*. quod tympanum vel tympani pulsationem significat, *exemplum*. Est enim exemplum, supplicium quod publice de aliquo sumitur: vel publica reorum traductio, quæ ad ceterorum terrorem & exemplum fieri consuevit: quod Græci vocant παραδειγματίζειν, quasi dicas *exemplare*, ut Matth. 1. *Cum nollet eam traducere*. Hoc vero ad majorem celebritatem adhibitis præconibus, & cum tuba & tympano, fieri interdum solebat. Hoc etiam causæ esse potest, quod tympanum ad ludicra spectacula & ludionum fabulas accommodetur. Chaldæus & Aben-Esra gehennam Tophet interpretantur a loco ita dicto, haud procul Hierosolymis: quo in loco vivos concremare liberos idololatræ solebant, in honorem Dei Moloch, &, ne vagitus exaudirentur morientium, tympanis & tubis perstrepere. Sic ergo hunc locum explicant: Ego totus gehenna sum. Verum non congruit hæc interpretatio: siquidem ætate Jobi nondum tale nomen erat inditum.

7. MEMBRA MEA QUASI IN NIHILUM REDACTA SUNT. Hebr. *Et omnia formata mea quasi umbra*. Alii cogitationes, alii membra interpretantur, ut noster interpres: & rectius. Cum enim corpus seu membra efficientia sint umbræ, nihil in nihilum magis recidit, quam quod umbra fit, aut instar umbræ evanescit.

8. STUPEBUNT JUSTI SUPER HOC. Zelo & nemesi commovebuntur, atque adversus sceleratos homines exardescent. quos uti secundis rebus viderint, cum me premi tot adversis innocentem aspiciant.

9. ET TENEBIT JUSTUS VIAM SUAM. Quamvis periculum sit, ne justi commoveantur; optat tamen ut nihilo secius justi esse perseverent, neque tale quidpiam admittant. Quare particula, *&*, idem valet ac, *tamen*, vel, *nihilominus*. Non secius, inquit, ingredietur vir probus recta quasi iter, & corroborabitur mundus manibus, sive qui mundis est manibus. Ita quoque LXX. καθαρὸς δὲ χεῖρας.

10. Ig-

15. Ubi est ergo nunc præstolatio mea? & patientiam meam quis considerat?

16. In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi?

Vos eritis fratrum nobis vice, vosque sororum:
Longaque posteritas, series & tota nepotum.
Omnibus una quies, stratoque jacebimus uno.
15. O ubi spes, vincensque motas interrita sortes
Vis animi! o qui me aspiciat non digna ferentem!
16. Sorte sua occumbent, ac manes nostra sub imos
Omnia succedent. Exoptatamne quietem
Reris ibi, & fessis saltem portum affore rebus?

C A P U T XVIII.

Hæc est Baldadi, qui secundus amicorum Jobi est, allocutio altera, qua primo Jobum stultæ & importunæ loquacitatis arguit. Tum hoc ab illo vetus disputatur fusius, quod ab aliis quoque allatum est, homines nequam atque improbos nullam non accipere calamitatem in vita; mortuis neque famam superesse ac bonum nomen, neque liberos.

1. RESPONDENS autem Baldad Suhites, dixit:

2. Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite prius, & sic loquamur.

3. Quare reputati sumus ut jumenta, & sorduimus coram vobis?

4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?

5. Nonne lux impii exstinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?

6. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, exstinguetur.

7. Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum.

8. Im-

1. HUc bene Baldadus Jobum vix pertulit usque.
2. Tum, quæ finis, ait, fandi? Subsiste parumper,
Dum pro parte loquar, mentemque intende loquenti.
3. Cur tibi sorduimus? turbam cur inter inertem
Quadrupedum sumus, & vilissima corpora censi?
4. An vero, mentem qui vexas, irritus acres
Qui ruis in furias; te si Deus opprimit ultor;
Continuo rupesque situ, tectisque coloni
Migrabunt alio, & terrarum concidet orbis?
5. At neque erit lux viva malo, nec splendidus ignis.
Ædibus assiduæ summoto lumine noctes
6. Succedent: lampas supra caput occidet ardens.
7. Illius angusto frænabitur æquore virtus
Ingrediens. longe rapiet male suada voluntas

8. Præ-

10. Igitur omnes vos convertimini. Resipiscite, & venite huc discendi causa, qui non recte sapitis, id quod facile ostendam. vel, quia non invenio: ut LXX. οὐ γὰρ εὑρίσκω. vel, ostendam nihil vos sanum dicere.

11. Cogitationes meæ dissipatæ sunt. Cogitationes inanes meæ: spes fallax. cogitationes, *possessiones cordis mei*, quæ possidebant, seu angebant, ac torquebant, sollicitumque habebant cor meum.

12. Noctem verterunt in diem. Quæ me curæ majores exedebant, adimebant somnum, ut tam vigil noctu essem, quam interdiu, ipsisque noctibus, quibus videre somnum oculis non possem, nihil longius videretur: sperarem autem diem, si forte melius mihi fieret; qua postea die nihil esset contractius. Aliter, qui sic reddunt: *Noctem posuerunt mihi in locum diei, & diluculum ante tenebras.* pro die nox; pro vicinia & quasi confinio lucis, confinium tenebrarum. hoc est, diluculum vespertinum pro diluculo matutino.

13. Si sustinuero, infernus domus mea est. Quoniam amici Jobi toti pendebant ex præsentibus commodis, eaque præstolari ac sperare jubebant ipsum, illos redarguit. Qua enim spe, inquit, jubetis me a Deo tale aliquid expectare? Ego enim propius jam abiium a sepulcro, ac ferme sum consumptus. Quanquam alterutrum horum intelligi potest: vel frustra illum expectare quidquam, morte propediem futura: vel recte spem collocare suam in morte & sepulcro, quo ejus omnia descensura sint, id est, interitura pariter, cogitationes, curæ, studia, ærumnæ.

14. Putredini dixi. Repetendum videtur, *si*, ut dicatur, si sustinuero, si dixero. Quoniam autem nihil neque propius, neque junctius, quam sepulcrum mortuo; ideo bis est hic figuratus sermo. Primo compellantur vermes & sepulcrum, tanquam res animata. Deinde usurpantur, quasi sic aliquid cognatum mortalibus. Nec vero potest cognatio ulla propior esse, quam parentum & liberorum, fratrum & sororum inter se.

15. Ubi est ergo nunc. Ergo ubi spes mihi aliqua ostenditur, bene fore? aut quis intelligit, bene sperandum mihi esse? nemo uspiam.

16. Putasne saltem ibi erit requies mihi? In Hebræo, *si saltem ibi.* Sed eodem sententia recidit: si forte ibi futura quies est hic laborantibus.

EXPOSITIO Capitis XVIII.

2. Usque ad quem finem verba jactabitis? Acer & vehemens in Jobum Baldadus, ne sociis quidem temperat. Sic enim eos increpat, quasi qui multis verbis nihil profecerint, neque satis contra Jobum institerint, aut frustra sane institerint adversus pervicacem: qui denique re nondum intellecta, hominem accusent. Græci ad ipsum Jobum putant orationem dirigi: quod & veri simile mihi videtur. Cogitandum est ergo nonnullos Jobi patronos interesse potuisse: neque enim tam illustrium virorum atque principum colloquia, quæ præsertim in propatulo fiebant, sine arbitris celebrata sunt. Nec est absurdum ex illo numero extitisse quosdam, qui Jobum defenderent.

3. Quare reputati sumus. Quod Jobus eorum disputationibus partim falsis, partim veris, sed nihil ad se pertinentibus, non cederet, sic interpretabantur, sese huic viles esse, proque belluis haberi eumemtique coram & præsentes.

4. Qui perdis animam. Heus tu, perditor animæ! Nunc Jobum ipsum aggreditur, &, quia tantopere quiritabatur, ut expostulare videretur cum Deo, illum eo nomine redarguit: Numquid si te Deus opprimat, rerum universitas labefacta concidet? An tua gratia ordo immutabitur & pervertetur rerum? immotæ rupes movebuntur? terra habitabilis destituetur civibus & colonis? querelis tuis & expostulationibus desistet Deus agere quod agit?

5. Nonne lux impii. Deinceps ea describit omnia, quæ sceleratis hominibus evenire solent, &, ut observat Chrysostomus, eorum pleraque perstringit quæ Jobo ipsi contigerant, ut eum sceleratorum in turbam tacitus includat. Lucis nomine prosperitatem, opes, & quidquid splendorem habet, intelligit: quidam, lucem consilii & providentiæ.

7. Arctabuntur gressus virtutis ejus. Vel, cum ingenti & pleno gradu incederet antea, quod est indicium firmitatis ac roboris; nunc modico gradu & pressu cogetur ire. Vel, cum liberius ac licentius quaquaver-

8. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.

9. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis.

10. Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.

11. Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus.

12. Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas illius.

13. Devoret pulcritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.

14. Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcet super eum, quasi rex, interitus.

15. Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est: aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.

16. Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.

17. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis.

18. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.

19. Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.

20. In die ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror.

21. Hæc

8. Præcipitem. Namque in maculas & retia misit
9. Implicuitque pedes. frustra eluctabitur hærens
Nexilibus laqueis. cupidus venator & acer
Ipse siti, in captam subito ruit impete prædam,
10. Exsiliens. Monstrabat iter qua semita rarum.
Implexæ terra pedicæ latuere refossa.
11. Undique terrebit formido picta, pedesque
12. Involvet. Robur costis inimica refringat
13. Longa fames. Exin formam depasta juventæ
Succedat cutis, & consumat brachia letum,
Letum antiquum, ingens, primo quod mater in auras
14. Partu enixa dedit. Retro fiducia cedat
Vulsa loco: dehinc illi animi mens concidat omnis,
Sub pedibusque premat, violenti more tyranni,
Non ullis procerum fatum exorabile votis.
15. At socii, obscurum, sine re, sine nomine, vulgus,
Tecta colant. vivo sternantur sulphure tecta.
16. Lætifico radix infra areat orba liquore:
Ponat humi decussa comam supra aurea messis.
17. Ora virum non ulla sonent, non compita nomen;
Indictumque abeat, veniensque obliteret ætas.
18. Eripiet soli, & tenebris hunc reddet opacis,
Qui potis, inque alios ignotum transferet orbes.
19. Clara mori gentis cognomina, nulla vetabit
Progenies. linquet vacuos herede penates.
20. Hos adeo gens summa hominum, gens infima,
Suspiciet casus, exhorrescetque tuendo. (acerbos

21. En

sus ingrederetur, nunc redactum iri in angustum, semita iturum, non via lata. Sed hæc duo unum atque idem valent, fore, illius ut vires magis ac magis in dies imminuantur.

PRÆCIPITABIT EUM CONSILIUM SUUM. Non hic improbi viri temeritas, aut frustratio destitutione consilii in arduis perplexisque rebus, aut incogitantia ulla, sed quasi voluntarius prudentis ac scientis interitus, qui malum ipse sibi accersat consilio suo, gradus struat ad ruinam, pestem capiti suo & exitium paret, excogitatis & deliberatis rationibus suis.

8. IMMISIT ENIM IN RETE PEDES SUOS. Quomodo velut consulto & dedita opera vir malus ruat in præceps, declaratur versibus quatuor; ubi habes ordine: quid iis accidat, qui insidiis capiuntur. Primo enim sese induunt in laqueos. Deinde quo laqueos excutiant, ex iisque se expediant, commovent se & versant in omnem partem: sed tenentur irretiti; ad quos prædo mox, non tam liberandos, quam perdendos funditus, accurrat. Atque hæc elegantissima descriptionum, quæ impii hominis, inflictam a Deo pœnam frustra defugere molientis, æstum exprimit. Tanquam, inquit, implicatos retibus pedes habeat, sic incassum obluctabitur, neque se extricare poterit. Maculas hic appellat retium plagarumque foramina, non peccatorum labes. Qua tamen modo Thomam opinor Aquinatem, maculas interpretatum notas scelerum & flagitiorum fuisse, qui hoc esse ait *de peccato in peccatum procedere.*

9. ET EXARDESCET CONTRA EUM SITIS. Sitim appellat sitibundum & rapinarum cupidum. ita cap. v. v. 5. hic autem prædo qui ad improbos diripiendos & spoliandos e propinquo convolet: vel sitiem, quod sitiat alterius opes, dicitur: vel crinitus quod homines ejusmodi capillatiores & horridiores ad incutiendum terrorem viatoribus, aut latendi causa.

10. ET DECIPULA ILLIUS SUPER SEMITAM. Hoc est, more ferarum, velut cervorum, qui in semitis ac tritis itineribus diversari solent, in illis ipsis capietur.

11. UNDIQUE TERREBUNT EUM FORMIDINES. Exagitantur feræ, itaque conjiciuntur in plagas insidiantium. Picta formido terret feras apud Senecam tragicum, ut opinor. *Involvent.* huic in Hebræo voci contrarium est, *dispergent.* res conveniet, si dicatur: *involvent eum terroribus.*

12. ATTENUETUR FAME ROBUR EJUS. Fame & inedia conficietur. Frigidi sunt qui per robur liberos intelligunt, quos sequentia redarguunt. Nam famem invadere costas illius, nihil aliud est quam illum circumplecti, vel partem illam corporis emaciare. qui enim fame sunt enecti, & ad ultimam maciem redacti, in illis costarum ossa pervidentur.

13. DEVORET PULCRITUDINEM CUTIS EJUS. Primogenitam mortem interpretor, mortem præmaturam & atrocem. Nam mors si pariat, mortem utique pariet. Primogenita vero mors quasi princeps erit & dupla. ut alludat ad jus primum natorum, de quo Deuter. xxi. v. 17. quod & ante hoc tempus naturæ lege servabatur, ut ex cap. xlix. Gen. v. 3. colligunt.

14. ET CALCET SUPER EUM. In Hebræo legitur, rex terrorum: ut proinde vox, interitus, in gignendi casu ponatur: & rex interitus, idem sit, quod rex mortis, & mors crudelissima.

15. HABITENT IN TABERNACULO ILLIUS. Locus hic in Latino perobscurus est, quem sic exponimus. Socii ejus, qui non est, sunt obscuri homines & nihili. nam similes similibus aggregantur. Optat ergo ut viles homunciones illius fortunas & domos invadant: Sic ut heredem post se neminem relinquat; tum ut tabernaculum ejus, Sodomorum instar, piceo & sulphureo imbre absumatur a Deo.

16. DEORSUM RADICES EJUS SICCENTUR. Non potuit significantius exprimi, totum aliquem deleri, fierique interitum universum periit enim funditus arbor, cujus amputantur rami, arescit radix. Translatio est ab arboribus, quæ radice & ramis constant. Messis Hebraice vocatur קצר catsir, quæ vox ramum etiam significat: eaque notione Hebræi hic accipiunt. Nonnulli tamen duo intelligunt genera bonorum, quorum alia in messe & segete posita sunt, alia in arboribus & autumnitate.

17. MEMORIA ILLIUS PEREAT DE TERRA. Hactenus quid improbis eveniat mali in vita. nunc quid illis futurum sit post mortem. Primum omnis eorum memoria statim

21. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus ejus qui ignorat Deum.

21. En quo fixa loco civis tentoria pravi:
Hic habitat, numen quisquis venerabile nescit.

CAPUT XIX.

Corripit Jobus crudelitatem inhumanitatemque sociorum, quibus ut misericordiam commoveat, ærumnas omnes suas exponit, & in his infidelitates amicorum, a quibus destitutus sit. spem tamen omnem se omnis boni in Deo positam habere.

1. RESPONDENS autem Job, dixit:
2. Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?
3. En decies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.
4. Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.
5. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.
6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio affixerit me, & flagellis suis me cinxerit.
7. Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui judicet.
8. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.

9. Spo-

(molesti
1,2. JObus ad hæc. Nam quis modus est, quove usque
Instrepitis, duroque aures sermone tenetis?
3. Ecce, verecundum suffunditis ore ruborem:
Purpureoque genæ toties mihi sanguine tinctæ.
At vos afflicti exitio insontisque venire
4. Nil pudet. Erravi, fateor. Sed maxima culpa
Vertet in auctoris tantum caput, inque ruinam:
Mecum erit; haud fraudi cuiquam; meus unius error.
5. Vos quoque ceu validum, me contra, assurgitis hostem:
Me probris oneratis, & hæc mihi tantaque totque
6. Dedecora ingeritis. Nunc dicto advertite mentes,
Et capite hoc saltem. Pœnas expendo Tonanti
Haudquaquam ob meritum. cingunt undantia lora
Me scelerum immunem, & nequicquam verbera terrent.
7. En ego vi multa pressus, vi pressus iniqua.
Indigus auxilii vocem si misero, & ultro
Judicis imploraro fidem, dextramque faventem:
Non qui præstet opem, non qui mihi dividat æquum
8. Jus, erit. Ipse meum, ne sit transire, maligno
Objice sepsit iter circum, noctisque profundæ
Obtendit longe tenebras, lateque silentes.

9. Me

statim obscurabitur & evanescet: sive famam & opinionem vel sapientiæ, vel potentiæ, vel præclare factorum, quam sectabantur cupidius, amittent: ut neque tempus illis, neque locus faveat: quasi nusquam & nullo tempore sint.

18. EXPELLET EUM DE LUCE IN TENEBRAS. Non hic de vita agitur, quam commutaverit cum morte; supra enim dictum de ea est: sed de gloria & claritate nominis, quæ una cum vita exstingueretur. Nam cum in clarissima luce atque oculis omnium versaretur, veniet in oblivionem omnis generis hominum, & quasi res sacra & detestabilis, toto orbe summovebitur. Ea est notio & potestas verbi in Hebræo.

19. NON ERIT SEMEN EJUS. Quod liberos non susceperint, aut nullos superstites reliquerint, ut eorum sit hereditas caduca & vacua, qui opes ac divitias parassent tanto studio.

20. IN DIE EJUS STUPEBUNT NOVISSIMI. Dies in sacris, clades & exitium. Primi & novissimi, non summi & infimi, sed æquales illorum temporum & suppares, sive posteri.

21. HÆC SUNT ERGO TABERNACULA INIQUI. Epilogus, quo nec brevior ullus nec miserabilior. quasi dicat: En quo loco & statu futuri sint tandem, qui sedem stabilem & domicilium certum habere se arbitrarentur. Ceterum capite hoc toto fecisse Baldadus malitiose dicitur, qui mala Jobi omnia collegerit; ut in eum cadere videretur improbitas, in quem improbi pœnæ & infortunia caderent.

EXPOSITIO CAPITIS XIX.

2. USQUEQUO AFFLIGITIS ANIMAM MEAM. Quousque, inquit, obtundetis aures meas, neminem male esse nisi scelerato; me, quæ patior, pati merito meo?

3. EN DECIES CONFUNDITIS ME. Cum probris me omnibus vexetis, non pudet vos vestri, cumque me opprimatis. Erui hoc mihi non potest, quin loquendi formula ea sit Hebræorum, quæ numero nihil definiat, sed frequentiam & crebritatem notet: ne qui pudorem Jobo sæpius injecerint. LXX. nihil numeri habent. Theodotio & Symmachus idem quod interpres noster, [illegible].

4. NEMPE, ETSI IGNORAVI. Vel, Esto sane, erraverim: non discedam ab sententia, hic objurgationibus & contumeliis vestris: me meus delectat error. Vel, Sic ita sane, erraverim. quid ad vos? Si quid erravi, mihi erravi: neque cujusquam, sed mea unius refert: errati dabo unus pœnas, nihil vobis nocuerit.

5. AT VOS CONTRA ME ERIGIMINI. Hebræus in Plantiniana editione, *Si vero super me ædificaveritis*. LXX. Ἐᾶ δὲ, ὅτι ἐπ' ἐμοὶ μεγαλύνεσθε. Ex eo, ut opinor, hi quatuor versus satis implicati, a Codurco aliter atque vulgo sit, nec incommode explicantur. Si peccavi, inquit Jobus, si deprehensus in peccato sum, & convictus; jure insurgitis in me atque invehimini, quem scelerum arguistis ac probrorum. At vero nego, pernego, quidquam a me tale commissum.

6. DEUS NON ÆQUO JUDICIO AFFLIXERIT ME. Hebraica vox עות *ghivath*, *pervertit*, eadem est hic, atque illa, quæ usurpatur cap. VIII. v. 3. & quam interpres reddit, *supplantat judicium*, *subvertit quod justum est*. Sensus est: Deus mecum summo jure egit, ut fas illi fuit, quippe domino; non secutus æquum & bonum, quæ remissior & lenior vis est justitiæ. Quam illud autem verum, quamque non impium, in quo non tam Deum arguat, quam se extra culpam, ut sæpe antea, ponat, multi multis docent: sed frustra, cum satis jam ex antecedentibus constet.

ET FLAGELLIS SUIS ME CINXERIT. Qui ita in me animadvertat, ut nihil mali ulla ratione devitare possim. Est enim in Hebræo, qui rete suum adversum me circumduxerit. quasi illaqueatum me, & irretitum, impeditumque tenuerit.

7. ECCE CLAMABO, VIM PATIENS. Exclamabo, quantum solet qui sibi vim fieri queritur: ista quidem vis est.

8. SEMITAM MEAM CIRCUMSEPSIT. Qui se nusquam commovere possit loco, non effugere, non ingredi iter institutum, propter offusas tenebras.

9. An-

9. Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.

10. Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.

11. Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostem suum.

12. Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

13. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me.

14. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant, obliti sunt mei.

15. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16. Servum meum vocavi, & non respondit, ore proprio deprecabar illum.

17. Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei.

18. Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.

19. Abominati sunt me quondam consiliarii

9. Me decus omne meum nempe exuit: aurea sceptra
Deripuitque manu, capitique excussit honorem
10. Regificum. Tum me aggressus rapuitque, tulitque,
Et vetuit sperare ultra. Miser, occido prorsus,
Occido: vulsa suis veluti radicibus arbos.
11. Me contra illius furor arsit, & impulit illum,
Ceu crudum sævire in me malus impetus hostem.
12. Ecce sagittiferi, stipatrix turba, latrones
Adversum venere, viamque, irrumpere adorti,
Qua via nulla, premunt arcto tentoria vallo.
13. Attosos fratres circum, auxilioque vocatos
14. Emovit procul. Inde, velut gens extera, amici
Diversi fugere, & deseruere propinqui
Oeius, & notis in longa oblivia veni.
15. Quinetiam famulæ, & recti pars cetera consors
Dedidicit veterem dominum. Ceu sede profectum
Longinqua, atque novis appulsum finibus, ore
Aspicit infecto, & peregrinum nomine dicit
16. Servum inclamavi, neque vultu supplice ad imas
Erubui ipse preces ultro descendere: at ille
Non dignatus herum obsequio, non voce rogantem est.
17. Adde quod hanc animam conjux, & olentia amari
Horruit ora viri, & longe aversata refugit.
In vota infelix sobolem pater ore vocavi.
18. Despectusque fui coram: nec deinde loquendo
Destitit absentem malesanum rodere vulgus.
19. Quos ego consilii adlegi, rerumque magistros,
Exosi

9. Abstulit coronam de capite meo. Ex hoc loco Jobum regem non putaverim fuisse, si non abunde rex est: sed spoliatum ornamentis omnibus suis atque insignibus dignitatis quibuscunque.

10. Destruxit me undique. Si parte aliqua me mulctavit tantummodo; non est actum de me prorsus. Si amputavit, neque extirpavit radicitus; spes esse dicitur, Sin autem conclamata, & deposita salus est.

11. Iratus est contra me furor ejus. Quasi ardens odio furiat Deus infestus in eum, & hostilem in modum persequitur.

12. Simul venerunt latrones ejus. LXX. Ὁμοθυμαδὸν δὲ ἦλθον τὰ πειρατήρια αὐτοῦ ἐπ' ἐμοί. Eadem usi voce sunt c. VII. v. 1. Πότερον οὐχὶ πειρατήριόν ἐστι; Et immisit in me suos, & meos a me abalienavit.

13. Fratres meos longe fecit a me. Quam sui Jobo omnes adversari fuerint, ut hi deseruerint, prodiderint, oppugnarint, execrati sint, commemorat ipse Jobus septem numero versibus, uxor, fratres, servi, ancillæ, cognati, consiliarii, amici, noti. Quæ fere omnia in Christum magis prædictione rei futuræ, quam in Jobum præteritæ narratione cadunt. Jam vero summa in oppositione concinnitas singulorum versuum. Ac primum hic, fratres mei, quibus nihil est, neque esse debuit propius, longe se removerunt a me, noti quasi ignoti & alieniores.

14. Dereliquerunt me. Desertum passi sunt me esse propinqui, quos maxime conveniebat adesse mihi & opitulari: & qui minime debebant noti homines, obliti sunt mei.

15. Inquilini domus meæ. Qui sub iisdem tectis sint quocunque modo, sive in conducto habitent, sive diversentur hospites, seu domestici ministrent denique, ii Jobum peregrini atque advenæ loco habent.

16. Servum meum vocavi. Quod minimum est, servus a me vocatus, ne respondit quidem. ut mihi foret ab illo contendendum precibus, si quid obtinere vellem.

17. Halitum meum exhorruit uxor. Refugiebat uxor ab osculo, quasi quæ gravitatem oris meam ferre non posset.

Orabam filios uteri mei. Si agere cum liberis vellem, aut si possem; qui tamen superstites non sunt; quippe ruina ædium omnes oppressi: agendum esset humili prece & obsecratione. Itaque clarius ex Hebræo verti potuit, etiam orarem filios uteri mei, hoc est, si quid sibi opus esset, futurum necessarium, ut liberis etiam supplicaret pater, cum fieri posset.

18. Stulti quoque despiciebant me. Præsentes habeo contemptores mei, contemptos ipsos & leves homines: ubi autem primum ab eis discessi, obtrectatores.

19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei. Quibus consilia committeret, & crederet omnes res suas, ait se expertum alienos a se, sive infidos & apud eos in odio fuisse, quos unice ipse diligeret. Scite illud in Hebræo מתי סודי *methei sodi*, *les gens de mon conseil*.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus. Morbi sui gravitatem describit, quæ tanta esset, ut carnibus consumptis, nihil præter carnem & ossa residuum haberet: exceptis tantummodo labiis, in quibus carnis aliquid remansit: permittente hoc quidem dæmone, & usum relinquente vocis, ut sacrilegum quid in Deum emitteret. Jobus igitur, ossa, inquit, atque pellis totus sum a macritudine. Quod esse proverbium volunt usurpatum a Latinis, Plauto, Aulularia, Captivis: tractum a Græcis, 2. & 4. Idyllio: id ut vides, tanto ante Hebræorum fuit.

21. Miseremini mei. Misericordiam requirit amicorum. Quem enim nostri misereat, nisi eum, qui nobis sit amicus? aut quando misereat, nisi cum tacti manu divina aut violati sumus! Ridicule interpretantur, qui vocem, *tetigit*, diminuentem putant, &, *leviter attigit*, exponunt, ubi captat misericordiam geminatis vocibus, & implorat, & exposcit, atque aliis commovere conatur per amicitiæ sanctissimum fœdus.

22. Quare persequimini me sicut Deus. Perinde quasi idem vobis atque Deo liceat in me: aut quasi parum vobis sit quod Deus in me tam graviter statuit, ut vulnus addatis vulneri, & augeatis mihi dolorem.

Carnibus meis saturamini. Est in Hebræo & apud LXX. negatio. Eodem tamen noster recidit: cum omnes hoc velim, comeditis me & voratis, sive expleamini, sive nulla vos satietas capiat.

23. Quis mihi tribuat, ut scribantur. Optat in primis Jobus, ut ne pereant aut excidant ex hominum memoria, sed excipiantur scripto accurate & fideliter, vel quæ dictavit jam, vel quæ dictaturus est: atque hoc potius, ut postea declarabitur. Præclare autem Chrysostomus Jobum ait voti sui damnatum esse, immo voto accepisse majora, quandoquidem illius voces insequens omnis ætas excepit.

24 Sty-

filiarii mei : & quem maxime diligebam, aversatus est me.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

21. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

22. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?

23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro.

24. Stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?

25. Scio enim quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum:

26. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.

27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

28. Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, & radicem verbi inveniamus contra eum?

29. Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est; & scitote esse judicium.

C A-

Exosi fugere: & quem magis omnibus unum
Dilexi, reneros odio pensavit amores.
20. Adduxit vultum macies: cutis ossibus hæret: *
Et dentes circum nudos stant arida labra.

21. At vos, ô, mansit donec fortuna, sodales
Dilecti ante alios, saltem miserescite nostri.
22. Quippe gravis Domini tetigit manus; & super ipsi
Immites animis odia exercetis acerbis
More Dei, ac vivos morsu prope frangitis artus.
23, 24. O liceat quæcunque procul mens ante futura
Augurat, aut saxo aut lamnis incidere ahenis
Altius, & seros pia fata monere nepotes!

25. Novi etenim, nec vana fides, mihi vivere cœlo
Assertorem hominum, libertatisque datorem.
Novi, improvisus tumulo cum protinus imo
Exsiliam, postquam perituro assulserit orbi
26. Ultima lux; circumque mea per membra nitenti
Pelle dabor, veterique Deo cum corpore sistar.
27. Illum ego præsentem præsens, propiorque, videbo
His oculis propiorem. Hæc non frustratur inanes
Spes animos: hanc semper alam, semperque fovebo.
28. Ergo quid hic, hostes, mussatis dicere, Eamus
Ultum hominem subito, & quæramus criminis ansas?
29. Quin potius fugite heu mis...i! namque imminet ensis,
Flagitii certus vindex; & judicis urna
In capita extemplo sortes scelerata movebit.

C A-

24. Stylo ferreo, et plumbi lamina. Hoc est, utinam stylo durissimo incidantur in plumbum; non ut quidam volunt, stylo etiam plumbeo, cum facile plumbeæ retundantur, neque liquido plumbo, quod in cavas literarum notas infundatur: cum ejusmodi nihil Hebræa satis significent, & contra Latina laminam plumbi exponant.

Celte sculpantur in silice. Quid hæc dictio significet, nemo divinare potest, quia nusquam alibi legitur. Sed neque in Hebræis Græcisve comparet. Nam in Hebræo legitur עד ghed: quæ vox æternitatem significat. Plerique codices & antiquiores habent, certe. In glossario veteri reperio, celtis ῥίνα, ἰχθῦς εἶδος. ῥίνα porro vel ῥίνη limam significat. Piscis autem ille a Latinis squatina vocatur, ita dictus ab scabra & aspera cute, qua lignum & ebora poliuntur, ait Plinius lib. IX. c. 11. Quare fieri potest ut celtem Latini vocaverint cœlum & sculptorium instrumentum, quo in æs aut marmor aliquid inciditur. Et vero, cum proxime dixi nullo usquam loco reperiri, aut extare omnino, apud Latinos scriptores, hanc dictionem; excipiendus fuit is insignis, in Gruteri inscriptionibus pag. 329. locus, ubi habetur, malleolo & celte literatus silex.

25. Scio enim quod redemptor meus vivit. In utramque partem disputari video, etiam inter recte sentientes, sitne hic de resurrectione mortuorum sermo, an non. De quo quid sentiam, dicam paucis & ordine. Ac primum in Hebraico contextu abest illud de Jobo, in novissimo die de terra surrecturus sum: sed hoc habetur de Christo, atque ultimus supra terram stabit. Deinde ubi est, & rursum circumdabor pelle mea, quasi vocabulo a voce יקף iakaph, quæ, circumdedit, significat, deducto; ibi videtur esse ad verbum, a radice נקף nakaph, arrosit, post pellem meam arroserint hoc, id est, quamvis, seu postquam & cutem meam & carnem arroserint vermes, aut cetera me mala confecerint. Postremo Hebræi, licet nihil malint, quam resurrectionem undecunque astruere: tamen hic de resurrectione conticescunt universi. Certe Hebræorum septem numero interpretes, quotquot Merçero vidisse contigit, nihil isto loco hujus mysterii agnoscunt aut suspicantur. Contra vero, quamvis Hebræorum natio omnis tres istos versus exponat, nullo ad hominum corpora reditura in vitam aliquando, respectu; quæ gens etiam hoc ipsum fore credit: tamen neque fas neque tutum arbitror ab nostrorum sententia atque auctoritate, tam hic consentientium, discedere, qui fere omnes Jobum vel hoc nomine vatem perhibent maximum. Et LXX. quidem, ex illo codice Britannico clare resurrectionem loquuntur. Ἀναστήσει δέ μου τὸ σῶμα τὸ δ' ἀναντλοῦν ταῦτα. Quod ita quoque Theodotio reddidit: ut ait Chrysostomus qui idem sentit. In quo Latini plerique omnes consentiunt, etiam sectarii & novatores qui dicuntur, etiam illi ex utroque genere hominum, qui Hebraico sermoni ac sententiæ tenacius inhærent. Accedit quod, si novum quiddam & inauditum, & inusitatum dicturus non esset; nihil erat quod tanta præmunitione uteretur ad reliquum sermonem, tanto apparatu; tamque valde commendari vellet monumentis literarum, memoriæ posteritatis sempiternæ, quæ tum verba maxime faceret. Sed in hoc loco mihi caput illud videtur esse, quod etsi Hebraica duo, de quibus supra, patum faciant ad resurrectionem; res certe tota conficitur nihilominus ex consequentibus, quæ magnam per se ἔμφασιν habent: In carne mea videbo: visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

27. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Hebræa: consummata sunt in sinu meo desideria mea. LXX. πάντα δέ μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ. quorum non est admodum diversa sententia. Quid si autem Hieronymus legit כל כליתי col calithi, totum speravi, pro כלו כליתי cala cilothi, defecerunt renes mei. aut etiam כל כלאתי col calithi, omnia cohibui, aut נחלתי nichalethi, expectavi, cum ו, ut sæpe fit, confuso. Hæc sunt quæ non modo Jobus non dimitteret ex sinu suo, quamdiu viveret, & quæ in visceribus medullisque condidit, sed quæ etiam incidi vult in sepulcro. Nisi forte non hoc peculiare, sed universe quos habuit sermones alios, insculpi placet.

28. Quare ergo nunc dicitis. Explicat Mercerus satis commode interpretem nostrum, etsi aliud sentit. radicem verbi inveniamus in eo: id est, scrutemur altius, & ejus verba aucupemur omnia, & ansam undique arripiamus ad reprehendendum. Sed oratio tota sic institui potest: Cum præsto sit, inquit, qui me vindex tollat humo, & corpus mortuum excitet ad vitam; quid est quod vexare me cogitetis amplius, & materiem ad criminandum undeunde captetis?

29. Fugite ergo a facie gladii. Ergo, hic repetitum habet istam vim, istumque cum superioribus nexum: Quandoquidem tantus mihi sospitator est & restitutor salutis; desistite de me tam male mereri; simul & cavete vobis a præsenti constituraque pœna. Idem enim injuriarum nostrarum ultor futurus est, & vestrorum criminum judex, qui auctor nobis salutis.

CAPUT XX.

Sophar eumdem quem ceteri ingressus locum, de fugaci & caduca felicitate improborum, deque certo ad extremum exitio disserit. ruunt enim tandem ipsi ac posteri, & præcipitant ex altissimo fortunæ gradu. quod etsi sæpius accidit, meminisse oportet non tamen constanter & perpetuo fieri.

1. RESPONDENS autem Sophar Naamathites, dixit:
2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.
3. Doctrinam, qua me arguis, audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.
4. Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram,
5. Quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.
6. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit:
7. Quasi sterquilinium in fine perdetur. & qui eum viderant, dicent: Ubi est?
8. Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.
9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.
10. Filii ejus atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem suum.
11. Ossa

1. POstremum Sophar his contra vocibus ibat:
2. Idcirco alternat vario mens incita fluctu,
Et dubium studia in partes contraria scindunt.
3. Hæc audivi equidem, quæ me culpasque, docesque.
At sensus nobis noster placet, & tua solvit
4. Dicta satis. Novi, quo primum ex tempore, terris
5. Degit homo, non esse malo durabile nomen,
Nec, nisi momento, longissima gaudia claudi.
6. Vertice contingat si nubes, forte superbus
Ætherea, & cœlo caput inferat, ecce jacebit,
7. Vile fimum in triviis, tandem periturus, & olim
Qui spectabat, Ubi est? dicet, longumque requiret.
8. Visa uti nocturna, atque umbrarum forma silentum,
9. Vanescet: nec adhuc, qui viderat ante, videbit:
Nec capiet sedes deinceps, quæ ceperat ante.
10. Tum vero illius mala natos perdet egestas.
Illi prava vices meritas sua facta rependent.
11. Offi-

EXPOSITIO CAPITIS XX.

2. IDCIRCO COGITATIONES MEÆ VARIÆ SUCCEDUNT SIBI. Nihil tam dissimile, quam Hebræa, Græca, Latina inter se. Hæc similia: primum quod Hebraice & Latine habeatur, *idcirco*; quæ conjungens particula quid conjungat, facilius est divinare, quam affirmare pro certo: deinde quod æstus quidam dubitationis declaretur, quasi hæreat, atque ambigat, responsurusne sit, aut quid responsurus sit.

3. DOCTRINAM QUA ME ARGUIS. Castigatio ignominiosa tua, id est, dum corripis nos, dictisque tuis injuriam nobis imponis cum ignominia.

SPIRITUS INTELLIGENTIÆ MEÆ. Mens intelligens mea suggeret quid respondeam.

4. HOC SCIO A PRINCIPIO. Non ita intelligi oportet, hoc scio ab initio, sed scio illud ita ab initio, jamque inde ab orbe condito, fuisse, ita rem comparatam in omni æternitate, sive statim post homines natos, ut claritas omnis & splendor viri nequam atque improbi minime diuturna sit. Quod autem hic est primæ personæ, secundæ tribuitur in Hebræo, & apud interpretes LXX. idque per interrogationem, μὴ ταῦτα ἔγνως;

5. QUOD LAUS IMPIORUM BREVIS SIT. In Hebræo, de propinquo, quo modo dicitur aliquid nuperum, hesternum, hodiernum, recens, non alte nec e longinquo petitum, sed in vicinia proxime natum. ducta a loco figura, translata ad tempus significandum. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. punctum hic temporis, non loci, nec quomodo terra ad universum cœli complexum dicitur quasi puncti instar obtinere.

6. SI ASCENDERIT USQUE AD COELUM. En, quæ passim poetæ usurpant, Græci ac Latini, quanto ante occupavit Jobus?

7. QUASI STERQUILINIUM IN FINE PERDETUR. Ut non tantum miser ac miserandus casus sit viri, cujus fuerit altitudo summa fortunæ & gloriæ, sed etiam turpis & cum dedecore conjunctus: præterea que in æternum ut nunquam resurgat. hoc enim valet, quod hic habetur, *in fine*.

QUI EUM VIDERANT, DICENT: UBI EST? NEQUE ULTRA INTUEBITUR EUM LOCUS SUUS. Idem dictum paribus ornamentis & conformationibus sententiarum: cap. VII. v. 10. *Neque agnoscet eum amplius locus ejus.* cap. VIII. v. 18. *Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te.*

8. VELUT SOMNIUM. Visa somniorum falsa, & inania, & mendacia, quæ pro nihilo sunt. Simile usurpatum quoque alias non semel in re pari.

TRANSIET. Cave eruditum interpretem culpes hic, quasi parum emendate locutum, id quod e schola errantium persæpe interpolatores faciunt: sed adi cultissimum poetam, Tibullum, ut recordor. *Transiet ætas: Quam cito non segnis it remeatque dies.*

10. FILII EJUS ATTERENTUR EGESTATE. Idem fere LXX. τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ὀλέσαισαν ἥττονες. Idem Hebræus a רצץ *raghats*, *filios ejus atterent tenues.* a רצה *ratsa*, autem placabunt egenos, demerebuntur, inire gratiam conabuntur ab eis, cum ablatas res ipsis suas restituent. Hic *tenues*, pro, tenuitas sive egestas, sicuti infra v. 25. *horribiles*. *Manus illius reddent ei dolorem suum*, id est, sua illi violentia reddetur, molestia & dolor, quem aliis creavit. LXX. ὀδύνας. Proprie ac simpliciter: ut aliorum liberos ad summam egestatem redegit, ita ipse idem malum malefactis suis & rapinis accersiverit; quoque modo liberos aliorum privavit bonis, eo modo ipsius liberi privabuntur suis.

11. OSSA EJUS IMPLEBUNTUR. Hoc sibi vult: Errata & vitia anteactæ vitæ, quæ pervenerunt usque ad intima ossa, hæseruntque penitus in medullis, assidue hominem & perpetuo comitabuntur, quoad vivet, unaque cum illo peribunt. aut, ut verisimilius videtur: Male acta superior ætas jecerit semen malorum, quæ deinde ingravescens sustineat usque ad extremum spiritum. Hinc vires enervatæ, sensus hebetiores, morborum cohors, incommoda cetera senectutis molestissimæ. Cicero: *Ipsa defectio virium, adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quam senectutis: libidinosa etenim & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.*

12. CUM ENIM DULCE FUERIT. 13. PARCET ILLI. Affectat causam videtur voluisse, quamobrem obfirmet se tandiu, perseveresque in vitiis ad extremum. Similiter enim hunc facere, ac si quis gustata semel suavitate cibi, id quod intulerit in os, contineat diu, ac palato subjiciat, admotumque volvat, revolvat, mandendo; quo efficiet jucundius, majoremque sensum voluptatis percipiat. Cum, inquit, scelus, ac bona inique parta, tanquam cibum in os suum miserit; diu continebit, nec cito trajiciet & in stomachum,

11. Offa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.

12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.

13. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

14. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

15. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.

16. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.

17. Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri.

18. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit.

19. Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, & non ædificavit eam.

20. Nec est satiatus venter ejus: & cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.

21. Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus.

22. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.

23. Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.

24. Fu-

11. Offibus implicitum primæ scelus omne juventæ
Effœtumque senem annorum, & propiore sequetur
Jam tumulo, morboque gravi, letoque jacentem.
12. Namque malum insueto quondam prædulce sapore
Gustabitque diu, primoque tenebit in ore

13. Abscondens, ac per fauces transmittere parcet.

14. Post autem panis cupido gratissimus ori,
Fel in vipereum media mutabitur alvo.
15. Exin quas absorpsit opes, vomet, extrahet imis

16, 17. Visceribus Deus. exsuget caput aspidis atræ
Imprudens, animamque dabit superante veneno.

18. Quæ prius in sese admisit, luet omnia: pœnas
Ipse tamen pœnis imperditus omnibus acres
Expendet: pœnas noxarum inventa, modumque
19. Æquantes; quoniam rapuit res, subruit ædes,
Perque nefas plebem oppressit, nudamque reliquit.
20. Nec tamen interea ventrem exsaturatus abibit,
Votorumque potens factus, servare nequibit
21. Parta diu. Non ex mensis genialibus ullæ
Reliquiæ: hæc propter superabit nulla bonorum
22. Portio: cumque satur fuerit, jactabitur æstu
Ancipiti libratus, & impingetur in arctum,
23. Omnibus illidetque malis. Latam impleat alvum
Ille licet: contra totas effundet habenas
Irarum Deus, & bellorum depluet imbres.

24. Ille

ebum, ut dulcitudinem ejus longius degustet. hoc enim significat *parcere*, nempe servare ac retinere.

14. Panis ejus in utero illius. Opes panis vocabulo eleganter appellat. Quoniam autem ut quisque cibus exquisitissimus & apparatissimus est, ita facillime corrumpitur: lautæ opes & copiosæ, quas homo rapax & avarus voravit, erunt illi magno malo. intra viscera enim vertentur non in alimentum, sed in venenum. Atque hic cœpta metaphora, & multis continuata versibus, quæ ab illis ducitur, qui, cum se ingurgitarint, torminibus laborent, crudique cogantur vomere. Tullius, *In quo tu, accepta tamen & devorata pecunia Utinachorum, centum talenta evomere non poteras.* Ac supra quidem v. 12. & 13. de liguritione & cupedia: nunc autem de helluonibus & voracibus, quæ sunt ventris & gutturis vitia duo.

16. Caput aspidum suget. Qui opes sibi malis artibus pararit, perinde habet ac si virus aspidis ore suxerit, aut lingua sit viperina vulneratus morisfere. Tantum abest, ut magnam vim & copiam mellis, butyri, reliquarum suavitatum, fluminis, aut torrentis instar, consequatur. Hebraica dictio ראש *rosch*, ambigua est. Nam & caput, & venenum significat. LXX. *θυμὸν δρακόντων.* quoniam ira vitus illorum acuit. Igitur opes illæ per nefas quæsitæ, quibus tanquam cibis suavissime famem expleverat, in venena vertentur: neque torrentes illos mellis & butyri, hoc est, felicitatem, quam sibi erat pollicitus, experietur.

18. Luet quæ fecit omnia. Quasi dicat, præsertim si contextum Hebraicum attendas, luet ea quæ magno labore suo sibi per fas & nefas quæsivit; hoc est, restituet: nec tamen perfunctus fuerit vel sic, neque, id quod optandum foret, occiderit: sed majoribus pœnis & cruciatibus reservabitur. Quibus tandem? *Juxta multitudinem adinventionum suarum.* Quæ prædandi genera adinvenit ipse, quot furta & latrocinia exercuit in alios, tot perferet, tantumque damni vicissim faciet, quantum intulerit. Legit hic interpres noster ולא יבלע *velo ibbalegh*, *& non devorabitur*, passive istis punctis, non quomodo nunc habetur ולא יבלע *velo ibelagh*, *nec devorabit*. Alteram versiculi partem mira interpretatione Græci reddiderunt: *Sicut caro nervosa, quæ non manditur, quæ non bibitur.* Ita Ambrosius lib. 11. de interpellatione Job. Græce est νεῦρον, sive, νευρῶδες, quam eduram carnem exponunt, ἀμάσητον & ἀκατάποτον, neque manditur aut comeditur dentibus, neque deglutitur. Ac minus proprie apud Ambrosium, *bibitur*. Nam καταπίνειν est etiam absorbere, non tantum bibere. Præclara ergo similitudine, comparat quæsitas opes malis rationibus cum nervis bubulis, qui neque mandi neque trajici possunt, sed raptores suos offocant.

19. Quoniam confringens nudavit. Dupliciter fuisse videtur injuriosus, qui & spoliarit nudaritque miseros, & male mulctatos dimiserit.

Domum rapuit, et non ædificavit eam. Diripuit domum, quam non ædificarat. Vulgaris ratio loquendi, diripuit domum, in quam nihil neque operæ, neque impensæ contuleras. Perinde quasi, si quos sumptus fecisses, jure posses aliquo repetere suum, aut disperdere ac depopulari. Extruxisti domum hanc, quod eam destruis? *Avez-vous bâti cette maison pour la détruire comme vous faites?* aut: *Cette maison est-elle à vous, que vous en disposiez de la sorte?*

20. Nec est satiatus venter ejus. Repetendum est ex versu proximo, *quoniam*, & ex superiore, *sic sustinebit*: in istam sententiam. Ut de aliis meritus est, ita ei eveniet: quoniam nec lætabitur, nec fruetur rapto, nec faciet quidquam reliqui. Hebræus: *Certe*, aut, *ideo non sentiet quietem in ventre suo.* Id est, vel universe, in ægritudines & molestias varias incidet: vel speciatim, laborabit torminibus ob edacitatem nimiam.

21. Non remansit de cibo ejus. Nullæ reliquiæ, sive tenuitate ciborum, seu voracitate comedentis.

22. Cum satiatus fuerit venter ejus. Cum satiatus videbitur & expletus cupiditatibus. Ita LXX. ὅταν δὲ δοκῇ ἤδη πεπληρῶσθαι. Mirum quantum illi incommodi ac tormentorum hæc afferet satietas, quas in angustias adducetur, quos æstus sustinebit. Recordari oportet opes male partas cum cibo conferri, qui concoqui ac digeri non potest, ideoque stomachum & ventrem hoc onere fartum & distentum torquet & cruciat; ut necessario sit postea evomendus. Qua elegantissima similitudine graphice describitur, quid divitibus rapto locupletatis accidat.

23. Utinam impleatur venter ejus. Ac satietur sane. tum Deus emittet, vel, ecce tibi Deus, qui erumpat in eum stomachum, & bellorum quasi imbres diffundet. Ceterum periculosius vulnus, difficilior curatio satori & pleni, quam jejuni.

24. Fu-

24. Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

24. Ille quidem ferrum fugiens, incurret in arma

25. Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: vadent & venient super eum horribiles.

25. Ærea. dereptus vagina fulgurat ensis, Jamque necem diram intentat. super ingruet hostis

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur: affligetur relictus in tabernaculo suo.

26. Horrificans animos. nox incubat atra latebris,
Suaserit in quascunque fugas succedere terror.
Ignis eum absumet, qui non succenditur, ignis.
Non immunis erit, privata in sede, dolorum.

27. Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum.

27. Admissa indicio lux cœli prodet aperto.

28. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.

28. Insurget contra tellus, damnoque patebit
Fossa domus radix, &, fortis sæviet ira
Quando Dei, fibra penitus velletur ab ima.

29. Hæc est pars hominis impii a Deo, & hereditas verborum ejus a Domino.

29. Parte malos Deus hac donat justissimus: illos
Sic creat heredes: hos mavult cernere census.

CAPUT XXI.

Fortuna semper adversa improbos uti, cum Jobi sodales iidemque adversarii velint; ita hoc demum Jobus negat, ut sæpe quidem isti summam & constantem felicitatem habeant; idque a versu 7. ad 15. ostendit: sæpe etiam contra fiat, quod a 17. ad 21. docet. Hanc porro conditionis atque fortunæ dissimilitudinem, in pari improbitate vitæ, a Deo sciente ac prudente invehi, quem nemo mortalium doceat hæc supra terram infima administrare, qui cœlestia & excelsa regat numine suo & moderetur.

1. RESPONDENS autem Job, dixit: 2. Audite, quæso, sermones meos, & agite pœnitentiam.

3. Sustinete me, & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ridete.

4. Num-

1. DIxerat. Orsa refert Jobus sic ore vicissim.
2. Huc aures adhibete, precor, mentemque, (priora
3. Pertæsi, mutate. Brevem date deinde loquenti
Pauca operam. Mea post temnatis verba licebit.

4. An

24. FUGIET ARMA FERREA. Quasi dicat: arma vitare hostilia nullo pacto poterit. qui si ferro non violetur & gladio, petetur sagittis: si non invadatur cominus, eminus ferietur. Proverbii quiddam est, quo quis significetur, pericula dum minora vitat, in majora incidere.

25. EDUCTUS ET EGREDIENS DE VAGINA SUA. Placet hic multis, distringi gladium confestim, cujus acies, ut solet, splendeat per sese. Est qui velit educi ferrum non jam e vagina; sed e corpore sauciati: quod quidem ferrum tinctum amaro felle & imbutum, dum per viscera adigitur, resplendeat.

26. OMNES TENEBRÆ ABSCONDITÆ SUNT IN OCCULTIS EJUS. Occulta ejus sunt penetralia domus, conclavia, anguli, latebræ, in quas sese homo sceleratus abdat, iræ Dei vitandæ causa. quasi hoc dicat: nullum ad quiescendum locum satis abditum tutumque reperiet. Omnes tenebræ sunt infortuniorum & calamitatum omne genus, in quas idem improbus incidet, quocunque receptum habeat, ubicumque delitescere conetur, seque pœnæ subducere. Præclare autem in latibulis abscondi dicuntur tenebræ, quæ maneant virum improbum, eumque excipiant, si illuc perfugium habeat.

IGNIS QUI NON SUCCENDITUR. Non ullo flatu hominis, non ulla materie subjecta. Ignis videlicet de cœlo lapsus. LXX. in editione Anglicana, πῦρ ἄσβεστον.

AFFLIGETUR RELICTUS. Domi ille suæ si remanserit, neque quoquam aufugerit; perdetur quoque: ut, quo se vertat, non habeat.

27. REVELABUNT COELI INIQUITATEM EJUS. Non est quod speret vir improbus se hominibus celaturum, si quid occulte fecerit. cœlum judex scelerum, terra testis futura est. ac neque effugiet ullomodo, siquidem omnis rerum natura stabit contra eum.

28. APERTUM ERIT GERMEN ILLIUS. Hebraice יגל igel, pro יגלה igeleh, quod est, vel migrabit, vel teteget se ac prodibit.

DETRAHETUR. In Hebræo est נגרות nigaroth, fluentes, supple, aquæ. Quid si legatur מגרו migaro, ab habitatore suo migrabit. Sensus est: Proventus domus illius, vel, liberi ipsius, & omnis posteritas veluti revelletur, & quasi ab terra succisa aut evulsa stirps, soli & tempestatibus exposita.

29. HEREDITAS VERBORUM. Verba pro factis, hoc est, quod ei pro malefactis suis, maleque dictis, quasi hereditaria jure obvenit. Hæc illi a Deo, quæ traditur hereditas, malorum omne genus: partem hanc justam ac debitam & legitimam tulit.

EXPOSITIO CAPITIS XXI.

2. AUDITE, QUÆSO, SERMONES MEOS. Quinque versiculis facere conatur attentos sodales suos: tum quia non jam cum hominibus, sed cum Deo proprie instituta sibi disputatio est: tum quia de re disputatur atroci & horribili, cujusmodi providentia Dei merito habetur.

AGITE POENITENTIAM. Græca cum Hebræis consentiunt, utraque dissimilia Latinorum. Hebræa, *& erit istud* תנחומתיכם *thanchumotheicem, consolationes vestræ.* LXX. ἵνα ᾖ μοι παρ' ὑμῶν αὕτη ἡ παράκλησις. quasi dicant: præbete mihi aures, obsecro, idque mihi solatii date. Neque tamen continuo repudiandus interpres Latinus, siquidem נחם *nicham* in Niphal, utrumque significat, & consolatus est se, & pœnituit. Qua voce usus est scriptor Hebræus cap. XLII. v. 6. ubi noster quoque interpres, *ago pœnitentiam.*

3. SUSTINETE ME. Si patientissimas aures, id quod vos oro, præbeatis mihi, non recuso quin contemnatis quæcunque dixero, & cum lubebit.

4. NUMQUID CONTRA HOMINEM. Si quid, inquit, mihi controversiæ esset cum homine solo, nequicquam ob id mœrerem. Nunc vero mihi res est cum Deo, gravissimo adversario.

5. ATTENDITE ME, ET OBSTUPESCITE. Contemplamini me totum, quæ, quanta sim passus: obstupescetis sine dubio, præque stupore obmutescetis.

SUPERPONITE DIGITUM ORI VESTRO. Signum est illud hominis, qui non modo silet ipse, sed aliis etiam silentium indicat. Vide tu primo caput XXIX. v. 9.

4. Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?

5. Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro:

6. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.

7. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?

8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.

9. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.

10. Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo.

11. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exsultant lusibus.

12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.

13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

14. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.

15. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus illum?

16. Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.

17. Quoties lucerna impiorum exstinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui?

18. Erunt

4. An iis contra hominem levis incidit, & mihi causa
5. Tristitiæ non ulla venit? Componite molli
Labra super digito, stupefactique ora tenete.
6. Cum subit hæc animo species, per frigida currit
7. Ossa tremor. Vitæ cur prorogat impius annos,
Robur opum magnarum inter, rerumque levamen?
8. Illo posteritas numerosa superstite vivit,
Turba propinquorum felix, & turba nepotum.
9. Cuncta domi secura, domi pax alma, flagellum
10. Triste Dei longe est. Lucina enixa secunda
Fœtum vacca gravis, nec abortus pertulit ullos.
11. Ire illi pueros, innuptas ire puellas,
More gregis magni, atque exsultim ludere cernas.
12. Tum lævem citharamque manu, & cava tympana gestanc,
Lætitiaque fremunt argutæ ad nablia Musæ.
13. Ut fregere dies luxu; subitusque celerque
Occupat hos obitus; neque passi tædia mille
Morborum, lectique moras; sed funere dulci,
Momento subeunt æterna pace sepulcrum.
14. Scilicet hi secum, Longe, dixere, facesse
A nobis, Deus, haud ulli est, tua noscere, curæ.
15. Quis Deus, & quanti est, quo morem sponte geramus?
Quidve preces fudisse juvat, votisque vocasse?
16. Queis non ulla suas in res concessa potestas,
Consilia hinc a me procul, ô, procul este malorum.
17. O quoties pravos nocturnum lumen euntes
Destituet, ripisque super ruet unda relictis?

18. Instar

v. 9. tum poetæ satyrici illud, *digito compesce labellum.* Deinde quo situ esset & positione Sigalion sive Harpocrates, Deus Ægyptiorum, qui & silentio præerat, & silentio colebatur. Aliter tamen hunc interpretatur gestum habitumque corporis Olympiodorus: *τῷ ἀλαλῶν τῷ μικρῷ [illegible], ἢ τῇ χειρὶ τὸ [illegible].*

6. Et ego quando recordatus fuero. Quoties, inquit, & quantum possum vel recordari statum improborum conditionemque vitæ, mente tota atque omnibus artubus contremisco. Nihil enim causæ occurrit, quamobrem indignissimi quique sint beatiores.

7. Quare ergo impii vivunt. Scelerati omnium rerum affluentibus copiis ditati domi, rure, liberis, gregibus; idque tota vita.

8. Semen eorum permanet coram eis. Non modo natos habent & natorum natos, sed etiam vivi ac præsentes posteris suis fruuntur: sic ut ad summam senectutem perveniant ipsi.

9. Domus eorum secura. Nulla domestica illis calamitas, omnia cum securitate, nec malum, nec mali timor impendentis a Deo.

10. Bos eorum concepit. Ut domi, ita quoque rure, nulla accepta calamitas. In Hebræo priore versiculi parte agitur distinctius & partite de bove seu de tauro, qui idoneus sit ad fœturam: cum posteriore agatur de vacca, quæ partus suos edat feliciter.

11. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum. Et liberi quidem apud eos & infantes magno numero, qui pro ætate lusionibus delectentur.

12. Tenent tympanum. Quinam? parvuline, an parentes? LXX. hoc parvulis attribuunt.

13. Ducunt in bonis dies suos. Hebræus: *Consument in bono dies suos.* Poeta: *Consumas annos, sed diuturna, tuos.* Qui in luxu & omnium rerum abundantia vivunt, idque semper & quandiu vivunt, ut cum tanta bonorum multitudine & copia sit conjuncta quædam perpetuitas, nullo malorum aut offensionis interventu, ad extremum usque spiritum.

In puncto ad inferna descendunt. Hoc est, sine longo cruciatu ac morbo, qualem Jobus experiebatur: quam vocant Græci *εὐθανασίαν.* Sic psal. lxxii. v. 4. *Quia non est respectus morti eorum*, id est, ad mortem cum eunt, nihil respiciunt triste molestumque in anteacta vita: nihil dolet, nihil pœnitet. Celer obitus hic & repentinus intelligitur, quem optasse sibi Julium Cæsarem tradit Mercerus. quod optatum Augusto Cæsari Codurcus tribuit. uterque vere. Nam Suetonius in Julio num. 87. *Aspernatus tam lentum mortis genus, Cyri apud Xenophontem, subitam sibi celeremque optaverat. Et pridie, quam occideretur, in sermone nato super cœnam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumque prætulerat.* Et in Octavio Cæsare num. 99. *Sortitus exitum facilem, & qualem semper optaverat. Nam fere quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis εὐθανασίαν similem, hoc enim & verbo uti solebat precabatur.* Porro hic, שאול *scheol*, scrobs, fovea, sepulcrum, LXX. *ἐν δὲ ἀναπαύσει ᾅδου ἐκοιμήθησαν.* Quare non est notio & sententia, quam plerique his vocibus subjectam volunt, ut hic de pœnis inferorum agatur, in quas morte repentina obita scelerati incurrant.

14. Qui dixerunt Deo. Quinam isti tandem, quibus contigit sic fortunatis & beatis esse, & quorum Deus habuit rationem? Admodum impii, qui ita cum animis suis cogitent, atque apud se Deum alloquantur: facesse a nobis: numen non placet nosse tuum, nec divinas rationes ullas attingere. Quis est Deus, quem veneremur? aut quid mereamus, ut simus ei supplices?

16. Verumtamen quia non sunt. Etsi ita se res habeat, ut bonis omnibus impii ac nefarii homines, quandiu vivunt, abundent: tamen quia polliceri sibi non possunt propria ac perpetua mansura, ab eorum rationibus longe multumque abhorreo, neque quidquam mihi rei cum illis esse volo. Et vero quam sæpe contra fit? quoties de suo statu declinant?

In eorum manu bona sua. Probus seu Corn. Nepos, in Timotheo: *Ut si in manu sua esset fortuna.* Cic. *Omnes, quorum in alterius manu vita posita est.*

17. Quoties lucerna impiorum exstinguetur. Quod proxime dixerat, non proprium improbis ac perenne manere, quod habent, neque in sua eos potestate habere, id ostendit ex versibus consecutis. quasi dicat: Fit quidem, ut improbi perpetuo fortunam quam florentissimam

mam

18. Erunt ficut paleæ ante faciem venti, & ficut favilla quam turbo difpergit.

19 Deus fervabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc fciet.

20. Videbunt oculi ejus interfectionem fuam, & de furore omnipotentis bibet.

21. Quid enim ad eum pertinet de domo fua poft fe? & fi numerus menfium ejus dimidietur?

22. Numquid Deum docebit quifpiam fcientiam, qui excelfos judicat?

23. Ifte moritur robuftus & fanus, dives & felix:

24. Vifcera ejus plena funt adipe, & medullis offa illius irrigantur:

25. Alius vero moritur in amaritudine animæ abfque ullis opibus:

26. Et tamen fimul in pulvere dormient, & vermes operient eos.

27. Certe novi cogitationes veftras, & fententias contra me iniquas.

28. Dicitis enim: Ubi eft domus principis? & ubi tabernacula impiorum?

29. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognofcetis.

30. Quia in diem perditionis fervatur malus, & ad diem furoris ducetur.

31 Quis arguet coram eo viam ejus? & quæ fecit, quis reddet illi?

32. Ipfe ad fepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.

33. Dul-

18. Inftar erunt paleæque levis, fpirantibus Auftris,
Collectæque, gravis fpargit quam turbo, favillæ.
19. Servabit natis vindex Deus, ipfe dolorem
Quem meruit pater. ipfe fciet, fibi debita, natis
20. Supplicia immitti; vivufque, videnfque, fuorum
Hauriet hanc animis cladem, proprieque dolebit.
21. Nam quid eum dulci functum jam munere vitæ
Cura domus teneat? quid fentiat ipfe malorum,
Ævi dimidium, & lucis fi tollitur ufus?
22. An quifquam leges fuperis, & maxima dantem
23. Jura Deum erudiet? Parte ifte beatus ab omni,
24. Robuftus, dives, cui pingui vifcera omento
Molle tument, offa irriguis cui fœta medullis,
25. Occidit. Eft, vitæ quem mors indigna priori
Subtrahit, oppreffumque malis, atque omnium egenum.
26. Hos, atque hos tamen, immundi commune fepulcri
Condet opus, fœdique tegent denfo agmine vermes.
27. Nec veftri contra me animi ftatuentis iniqua
28. Senfa latent. Ubi funt primorum, dicitis, ædes,
Quove loco ftant fixa malæ tentoria genti?
29. Re fuper hac, quemvis triviis ex omnibus unum
Confulite. Hæc eadem mox illum noffe fcietis:
30. Servari pœnis, iræque in fera furentis
Tempora differri, pravorum quidquid ubique eft.
31. Quis vitam & mores coram arguet, & fua reddet
32. Facta illi? Faciles exfolvent corpore mentem
Interitus, interque cadavera denfa jacebit

33. Pæ-

mam habeant. Eft vero etiam, ut in medio fæpe curfu bonorum ex beatis miferi fiant. Aut, fæpe quidem fieri videmus, ut improbi diu ac toto vitæ tempore profperos omnes exitus rerum confequantur. Sed hoc quoque, fat fcio, plerumque fecus contingit. Legi, qui, *quoties*, interpretetur, *quam raro*; idque διὰ ἐ κοινοῦ repetat in fingulis verfibus: quam raro erunt, quam raro Deus fervabit, quam raro videbunt. Atque hoc quidem forfitan non male. Verum illud noftrum prius, quia fimplicius, nefcio quo modo magis arridet.

Inundatio. Hic in Hebræo proprie, *nubes*: ideo nofter, *inundatio*, reddidit, quia more imbris ac tempeftatis calamitas ingruit. LXX. infigniter ὁ φρυαγμός.

Dolores. חֶבֶל *chebel*, cum fex punctis, *funis*. חֵבֶל *chebel*, cum tsere & fegol. *dolor*. Inde חֲבָלִים *chabalim*; ab utroque idem & indifcretum plurale. Sed cum Græci ὠδῖνας habeant, *dolores* malim cum interprete noftro: Iratus autem & excandefcens pœnas imponet.

18. Erunt sicut palea. Res augeri non poteft magis. neque enim dicuntur improbi futuri modo fimiles paleæ. quæ perlevis eft; fed paleæ vento expofitæ: neque glumæ fimiles tantum, quæ levior etiam palea eft, fed glumæ, quam turbo, qui eft ventus vehementior & commotior, diffipet.

19. Deus servabit filiis. Deus ut patrem, ita liberos quoque male habebit: idque patre fuperftite atque confcio, quod illi doleat magis.

20. Videbunt oculi ejus. Nec fciet modo fuos una fecum dolere, & communi calamitate premi; fed oculi quoque ufurpabit exitium fuum ac fuorum.

De furore omnipotentis bibet. Eft peffime accipi ab irato Deo & fæviente.

21. Quid enim ad eum pertinet. Significat homini improbo, vivo ac videnti, pœnas irrogari, ut fupplicus etiam fuorum præfens interfit, atque oculis hunc dolorem hauriat. Non enim curare quid, fe mortuo femel ante diem, liberis ac domefticis fiat. Neque quidquam ad eum pertinet poft mortem privatum ac familiare; nec fi moriatur ante tempus, dimidioque minus diu vivat, quam neceffitas naturæ exegerit. Subibit id animo fcilicet, cum vita cefferit, brevem fibi vitam obtigiffe, aut iftius rei fenfum habebit. Eft, qui de brevitate vitæ, liberorum familiæque totius hic agi putet, de quo minime laboret jam mortuus pater.

Et si numerus mensium ejus dimidietur. *Menfium ejus*, dixit, pro menfibus, five vita familiæ fuæ. Nihil, inquit, ad eum attinet, fi brevis pofteris fuis vita decernatur.

22. Numquid Deum docebit quispiam. Cohæret hic verfus cum fuperioribus & cum fequentibus ita demum, fi in hanc accipias fententiam. An vero quifquam mortalis docebit Deum res humanas adminiftrare, qui cœleftia difceptet ac moderetur? ei fe doctorem præbebit atque magiftrum, qui fe judicem præbet cœleftibus?

23. Iste moritur robustus. Diverfi jam duo ftatus hominum declarati improborum, quorum alii tota vita fortunis & honoribus floreant; alii in fumma miferia perpetuo fint. Nunc tertium quoddam genus eft hominum commune & promifcuum, five proborum, five improborum, quod rurfus bipartito diftinguit. Hi optima femper valetudine, firmis viribus, corpulentiores, & habitiores, opulenti, omnino felices, quandiu vivunt: illi contra in ærumnis & egeftate vitam degunt. Exemplo videlicet & ufu quotidiano colligit, quanta fit in humanis rebus, & quam nec inopinata varietas: ut falfitatis revincat, quod amici jactabant, unicufmodi & fimplicem hanc effe regulam divinæ providentiæ, ut malis male, bonis bene contingeret.

24. Viscera ejus plena sunt adipe. Vide retro caput xv. v. 26. & 27. atque alterum altero locum illuftra, conferendo.

26. Et tamen simul in pulvere dormient. Diffimiles illi quidem vita: fed exitus par & fimilis, quos peræque fepulcrum & corporis totius corruptio manet. Communis leti neceffitas, & ea quafi nos occupat atque opprimit utrumque genus hominum, pingues & macilentos, id eft, florentes ac fortunatos, & miferos atque infelices. Neque vero quidquam certi ftatui poteft de moribus, ex difpari ftatu & conditione vitæ, atque ex pari, ut effe folet, difceffu e vita.

27. Certe novi cogitationes vestras. Idem ac fi diceretur: Hoc loco nove quid cogitetis, quam male fentiatis de me, quoque modo mihi obtrectetis.

28. Dicitis enim. Etenim improborum caufam cum mea confunditis, & quemadmodum malos male perire vultis, ita me, quia malus fim, malis affectum effe graviffimis ac plurimis. Ubi eft, inquiunt, domus Jobi, magnifica

quon-

33. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.

34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

33. Pæne vigil, dulcisque vadis immitibus esca
Cocyti veniet. Numero sine, turba præibit.

34. Pone trahet quantum est hominum super. Ergo malo-
Cur mihi nequicquam objicitis solamen inane, (rum
Dicere quos falsum ostendi, & rationis egere?

CAPUT XXII.

Hactenus sui Jobo amici generatim objecerant, idque ex ejus multis ac gravibus malis conjecerant, fieri non posse, quin multum deliquisset. Nunc speciatim hominem accusant, & crimina persequuntur numerando. quæ si falso conjecta in insontem ipsi vident, magna calumnia est: si vere conjecta arbitrantur, mera divinatio. Unde enim constat istis Jobum, & in suos fuisse tyrannum, quos opprimeret, & impium in Deum, quem providentia & omni rerum humanarum cura spoliaret. Itaque existimandum est istum hæc non tam affirmare, quod vera esse censeat; quam tentare & exprimere ab ipso conari, numquid ita sint. Quasi dicat: Necesse est, abstuleris pignus, aquam non dederis, incuriam Deo quandam attribueris per summam injuriam atque impietatem, qui tanta tamque multa patiare ac feras.

1. RESPONDENS autem Eliphas Themanites, dixit:

2. Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?

3. Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?

4. Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium,

5. Et

1. ATque hic Themanum fati rex talibus infit.

2. Quis conferre hominem cœli cum numine ma-
Sit licet ille rei non ullius inscius, ausit? (gno,

3. Quid juvat hoc, si non tua crimine vita tenetur?
Quidve lucri confers ergo, si plecteris insons?

4. An rapies in jus, ac se tibi sistere coges?

5. Hoc

quondam viri, & qui se principem gereret? ubi malorum hominum & similium illius?

29. INTERROGATE QUEMLIBET DE VIATORIBUS. Atqui quotusquisque hoc de turba ignorat? Audacter illos provocat, ut de quibuscunque etiam plebeiis percontentur, quos certo confidit responsuros, persæpe improbos in hac vita fortunate vivere.

30. QUIA IN DIEM PERDITIONIS. Convenientius est huic loco sententiæque loci sic exponere: in communi clade hominum, servari improbos tamen, eis parci, eos impune ferre, quod admiserint; quam ita: eosdem reservari ad pœnam: quod Deus præsentis fraudis pœnas in diem reservet.

31. QUIS ARGUET CORAM EO VIAM EJUS? Usque eo felix ab omni parte est improbus, nemo ut ausit hominem reprehendere, nemo possit illi par referre; cum vexaverit quamplurimos, & miseros habuerit.

32. IPSE AD SEPULCRA DUCETUR. Quod in præcipuis bonis numerare mortales solent, εὐθανασίαν, improbis non raro contingere demonstrat. Ducuntur, inquit, ad sepulcra quasi manu, non violenter abripiuntur. *Vigilare* autem *in congerie mortuorum*, est intentum esse, sive assidue manere inter mortuos. Vox Hebraica גדיש *gadisch*, cumulum vel acervum tritici significat. Ut structim indicet illum tempestive & matura jam ætate in sepulcrum, sic tanquam triticeam messem in arcam, comportari.

33. DULCIS FUIT GLAREIS COCYTI. Hoc est, suaviter eum mors excipit, tanquam fœdus habeat cum inferis. Ita noster interpres ex vulgari credulitate plebis & imperitorum, qui Cocytum & id genus fabularum amplectuntur. Ceterum in Hebræo, *dulces illi sunt glebæ torrentis*, id est, suaviter acquiescit in sepulcro, quem vocat torrentem: quoniam, ut opinor, secundum vias & humecta loca veteres sepulcreta collocabant, certe extra oppida. Ad hunc autem locum non utilis modo, sed prope necessarius locus Hieronymi, commentario in epist. ad Galatas, cap. III. *Paulus*, inquit, *usus sermone trivii, & ut in ceteris, ita & in hoc quoque loco, fascinum, verbum quotidianæ sermocinationis assumpsit. Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum, vallis Titanorum, in regnorum libris; Sirenæ & Onocentauri, in Esaia: Arcturus, & Orion, & Pleiades, in Job; & cetera his similia, quæ utique vocabula gentilium fabularum & causas & origines habent.* Atque eodem se modo habet illud in sacris prope decantatum: *Ne absorbeat eas Tartarus.* In quo duplex nodus & controversia. Prior, cur hæ preces funduntur. actum enim jam est de anima, quæ exierit e corpore: quæ si damnata sit suppliciis sempiternis, frustra tam solemnis adhibetur precatio. Sed responsum facile: Sunt hæc, non tam preces sperantis audiri suas posse, cum res amplius non sit in integro; quam vota optantis, ut id fiat aut factum sit. qua ratione post dicitur, *signifer sanctus Michael repræsentet eas.* cupimus enim fieri, quod factum jam esse novimus: quasi sic loquamur, utinam, faxit Deus. Posterior nodus est in eo, quod ex fabulis veterum tracta vox usurpetur in re sacra & valde seria. qui nodus ita dissolvitur, ut supra de Cocyto fecimus, nonnulla, quæ in consuetudine obtinent, ac vulgo probantur, translata ad usus sacros. Petrus epist. II. cap. II. v. 4. *Angelos rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.*

34. QUOMODO IGITUR CONSOLAMINI ME FRUSTRA. Inanis profecto est, nec tantum malum non minuens, sed augens potius, ista consolatio, si quis contendat, quod falsissimum est, malos male rem gerere semper, bonis omnia ex animi sententia procedere.

EXPOSITIO CAPITIS XXII.

2. NUMQUID DEO POTEST COMPARARI HOMO. Alia prorsus sunt in Hebræo: *Numquid*, inquiunt, *Deo proderit vir, qui ipse sibi sapiens prosit*, sive qui suis commodis pro sua sapientia consulat? Eo revocari noster interpres potest, literæ vel unius mutatione. Sic lege: Numquid Deo potest comparare homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ. Potestne vir sapientissimus, cui quod opus est, facile veniat in mentem, aliquid Deo comparare, sive aliquid afferre opis & commodi, qui vir ipse sibi facultates, quæ ad usum vitæ pertinent, acquirit?

3. QUID PRODEST DEO. Est hæc usurpata oratio ab amicis Jobi non semel, Deum ut dicerent nullum neque fructum capere ex hominum probitate, neque incommodum ex vitiis.

4. NUMQUID TIMENS ARGUET TE. Quid hoc est? ab arguendo timor deterret potius, quam adducit. Sed hic est sensus: An quod metuat, ne sibi quid noceat tua improbitate, idcirco te occupat prior, te corripit dictis, te vocat in judicium, a te pœnas exigere parat? Quare ut proximo versu negat hominem quidquam utilitatis afferre Deo, quantumvis bonus ac frugi sit; ita hoc contendit, nihil ei incommodare, quam voles improbus.

5. Et

5. Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus.

7. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.

8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam.

9. Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti.

10. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita.

11. Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri?

12. An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur?

13. Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat.

14. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.

15. Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?

16. Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum:

17. Qui dicebant Deo: Recede a nobis: & quasi nihil posset facere omnipotens, æstimabant eum:

18. Cum

5. Hoc metuens, prius accusas; non crimina propter,
Corrupere tuos vulgo quæ plurima mores?
6. Scilicet, immeritis & pignora fratribus aufers,
Deripis & vestes miseris, atque exuis artus.
7. Quid, stimulante fame; quid, cum sitis arida torret;
Subduxisse inopi Cererem, fontemque negasse?
8. Immiti ditione solum lateque premebas

9. Et longe dominus. Viduas præsentis inanes
Misisti auxilii, puerosque, parentibus orbos,
10. Robore fregisti spolians. Hinc vincla dederunt
Te circum, & subita quateris formidine mentem.
11. Nec te nocte mala, nec te sævo impete aquarum
Sperabas oppressum iri, prædæque futurum.

12. Num venit in mentem quam celso vertice gaudens
Et cœlum Deus, & cœli supereminet astra?
13. Et tecum hæc. Quid enim novit Deus? ille tenebris

14. Judicia exercet, cæca & se nube recondit
Securus nostri, & cœli spatia ampla pererrat.
15. An veterum cupis, ac pravorum insistere callem,

16. Abstulit atra dies quos, & subvertit ab imo

17. Eluvies fundo; qui summovere superba
Voce Deum, &, Longe a nobis, dixere, facesse;
Et numen stulti omnipotens imbelle putarunt,

18. De-

5. ET NON PROPTER MALITIAM TUAM. Si te accusat, tecumque non dubitat experiri judicio velle; nec falso accusat te, nec veritus ne se antea, aut vicissim deinde accuses: sed quia multa vel potius innumerabilia facinora & scelera in te admisisti.

6. ABSTULISTI ENIM PIGNUS. Pignus aufertur; vel cum pecunia creditur, vel cum exigitur, ubi dies advenit. Utrum hic intelligitur? Videtur intelligendum posterius, quod Deuteronomii XXIV. 10. sic habeatur: *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, debet tibi, non ingredieris domum ejus.*

SINE CAUSA. Vel quod nihil debeant, vel quod aliter atque lex statuit, auferat. Tria autem lex vetat. Primum ne quid accipiatur, ut superior & inferior mola, quæ necessariæ sunt ad victum parandum, Deuter. XXIV. 6. Deinde ne quis ingrediatur alterius domum, pignoris auferendi causa, sed foris expectet & accipiat, quod alter domo prompserit. Tum si pauper est is, a quo pignus ablatum sit, quo pignore facile carere non possit, ut vestimentum; restituatur ante noctem.

ET NUDOS SPOLIASTI VESTIBUS. Cum grassatores hominem fere non soleant nisi bene vestitum, & qui rem habeat, spoliare; tu ne egentissimis quidem & spoliatissimis pepercisti.

7. AQUAM LASSO NON DEDISTI. Non date bibere homini advenæ, languenti ex via, ideoque sitienti, inhumanum est. Esurienti autem non præbere panem, cum possis, est subducere.

8. IN FORTITUDINE BRACHII TUI. Hebræus: *Viro brachii illi terra. Acceptus facie tenet eam.* Sententia est eadem, etsi duplex esse videatur. Interim dum egent plerique, & aqua illis ac cibus denegatur: vel potentissimus quisque, & maxime gratiosus per te terram & amplas possessiones obtinet, vel ipse tu præpotens valensque viribus obtines.

9. VIDUAS DIMISISTI VACUAS. Pari in causa ponuntur lege veteri, viduæ, pupilli, peregrini, iisque subvenitur ac favetur eodem prope modo.

10. PROPTEREA CIRCUMDATUS ES LAQUEIS. Hoc est, tot ac tanta quæ dixi, scelera tua causam dederunt eorum, quæ tu plurima & gravissima pateris. Quæ sunt autem hæc? multiplices laquei, subita consternatio, tenebræ densæ, inundatio maris & fluviorum: quibus quatuor similibus mala Jobi declarantur. & est præclara αὔξησις a minoribus ascendens ad majora.

11. ET PUTABAS TE TENEBRAS NON VISURUM. Ad verbum, *aut tenebræ, nec vides.* Interpres noster explicatius: tenebræ te deprehendent nec opinantem, & vis & copia aquarum obruet, quod non cogitabas.

12. AN NON COGITAS, QUOD DEUS EXCELSIOR COELO SIT. Ad verbum quoque: *An non Deus excelsitas cœli, vel, in sublimitate cœlorum? & vide caput stellarum, quod alta sint, seu in altum tollantur.* Quasi Eliphas dicat Satisne advertis, Deum in cœlo tanquam in speculis esse, te ab illo custodiri, illum observare quemadmodum te geras in unumquemque hominum, qui ut speculator fuerit, ita vindex futurus sit facinorum & sceleris.

13. ET DICIS: QUID ENIM NOVIT DEUS? Ex eo quod Deus in cœlo versetur, & e summo isto loco infima quæque intueri ac deprehendere possit, cum debeat colligi, nihil ejus scientiam fugere, reprehendit Eliphas Jobum, quasi contra interpretetur rem totam, velitque Deum abesse longius, quam ut ea, quæ citima sunt, cernat & consideret, caligine præsertim & nubibus interpositis. ceterum in cœlo cessare ipsum, & spatiari, & ambulare.

15. NUNQUID SEMITAM SÆCULORUM CUSTODIRE CUPIS. Vis idem non modo loqui, ut locutus es antea, sed etiam facere, quod improbissimi quique in omni memoria fecerunt, qui existimarint non esse curæ Deo res nostras, ejus ope homines carere ac destitui.

Hic lacuna in exemplaribus Hebraicis quædam, non quod aliquid desit, sed ut ostendatur dimidium esse libri, qui mille & septuaginta versibus constet. Id notat Mercerus, quem idipsum numerando comperisse non piguit.

16. QUI SUBLATI SUNT ANTE TEMPUS SUUM. In Hebræo legitur, vel ולא עת *velo gheth, & non tempus.* id est, ante diem, vel בלא עת *belo gheth, in non tempore,* id est, subito & puncto temporis. Sed Pagninus, Vatablus, Mercerus, vertunt, *ante tempus suum*, ut noster interpres. Deinde, quod est melius, LXX. ipsi habent ἄωροι. quod non de repentino interitu, qui in homines etiam provectæ ætatis cadit, sed de immaturo accipi oportet. Tum supra numeratæ sunt in bonis subitæ, nec opinatæ mortes: *In puncto ad inferna descendunt.* Quo minus probabile nunc est inter infortunia malorum reponi, quod ii puncto temporis tollerentur e vita. Adde quod hic, *ante tempus suum*, & supra, *in puncto*, diversa voce in Hebræo dicuntur: ut verisimile sit non eandem esse sententiam. Postremo vide supra cap. XV. v. 32. *Antequam dies ejus impleantur, peribit.*

ET FLUVIUS SUBVERTIT FUNDAMENTUM EORUM. In contextu vel fluvius effusus, ut fere LXX. impe-

tum

18. Cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me.
19. Videbunt justi, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.
20. Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis?
21. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos.
22. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones ejus in corde tuo.
23. Si reversus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.
24. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.
25. Eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi.
26. Tunc super omnipotentem deliciis afflues, & elevabis ad Deum faciem tuam.
27. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.
28. Decernes rem, & veniet tibi, & in viis tuis splendebit lumen.
29. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.
30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

18. Debile, iners. ast ille cavas repleverat ædes,
Ille bonis Deus. Hæc a me sententia longe
19. Impia sit. coram justi quæ talia postquam
Spectarint; lætari animis, ridere nocentes
20. Sic meritos: queis pressi animi, & succisa tumoris
Materies: quorum ignis edax depastus iniquas
21. Relliquias: olli morem gerere ergo memento:
Pace bona, læto potieris & ubere pacis.
22. Præbe aures legi, dictantisque excipe ab ore,
Atque animo memori cœlestia dicta reconde.
23. Te si deinde Deo reddas, gressumque reflectas
In melius; cupidis succedent omnia votis:
24. Excludesque domo noxas. Sola mollia duro
Mutabit saxo, & saxum torrentibus aureis
25. Omnipotens, tecumque tuo adversabitur hosti:
Argentique domi nec opimus surget acervus.
26. Lætitiæ tibi erit majestas tanta, fluesque
Deliciis: tendesque Deo fidentior ora,
27. Ora, precesque pias. Ille exorabitur, at tu
Persolves meritos, votorum compos, honores.
28. Rem simul optabis, veniet simul: ibit eunti
29. Prævia lux, spargetque diem. qui namque superbum
Nil agitans, mentem, atque oculos demiserit: illi
30. Gloria magna, salusque ingens. Illi auspice vita
Parta salus, vitam qui criminis egerit expers.

C A-

C A-

[illegible] ποταμός. vel effusum fundamentum. Interpres noster explicandi causa, *subvertit fundamentum* qui fundatas & optime constitutas opes existimarent habere se: tamen senserunt se in litore maris, aut propter fluvios, super arenam, non solido solo ædificasse. Hoc illud est, quod habetur Matth. VII. 26. *Similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. & descendit pluvia, & venerunt flumina.*

17. Qui dicebant Deo: Recede a nobis. Hæc eadem Jobus proxime dixerat. Quæ repetit Eliphas, ut removeat quoque a se, demonstretque se ab istorum impietate abhorrere.

Et quasi nihil posset facere omnipotens. Rursum interpres noster explicatius dixit, cum sit in Hebræo, *& quid faciat omnipotens illis.*

18. Cum ille implesset. Homines non solum ingrati, sed etiam stupidi, qui non intelligant Deum pollere plurimum, vel ex eo quod plurima in ipsos beneficia contulerit.

19. Videbunt justi. Quos tandem visuri sunt probi? impios, qui tam humiliter atque abjecte de summa Dei potentia sentiant. ingratos in Deum, quem tam benignum ac liberalem tam sæpe experti sint. Quid visuri autem, quod magnæ eis lætitiæ futurum sit? strages, ruinas, gravissimos casus improborum ut merito insultent in homines ejusmodi, talia meritos ac merentes.

20. Nonne succisa est erectio eorum. Quo se efferunt magis, eo magis deprimuntur. Vel, ut quisque se improbus maxime tollit in altum, ita ruit ac fertur in præceps. Hebræus, *si non:* quod noster interpres, *nonne.* Item in Hebræo, *substantia nostra.* noster & Græci per tertiam personam extulerunt.

21. Acquiesce igitur ei. Nunc demum Jobum hortatur, ut morem Deo gerat, ei se adjungat, ab eoque stet, maximum fructum percepturus obsequii. Itaque promissis maximis & uberrimis invitat, quem deterruerat minis.

22. Suscipe ex ore illius. Pergit ac suadet ut ex Dei nutu & voluntate totus pendeat: ejus mandata meminerit, recolat, persequatur, conficiat.

23. Ædificaberis. Excisæ res tuæ, & eversæ funditus instaurabuntur ac resurgent.

24. Dabit pro terra silicem. Una & eadem vox Hebraica בצר *batser*, ab aliis silex seu munitio, ab aliis aurum redditur ex quo nata expositio duplex. Hujus loci ex paraphrasi Chaldaica sensus hic exprimitur: Non habebis necesse ardua & edita loca ac munimenta capessere, ut sis tutus. Nam in plano & ipsa terra, sic quasi in silice aut excelsa rupe, tutus eris. Qui aurum esse dicunt, ut Rabbi Levi & Chimius in radicibus, hoc sensu intelligi volunt: Afflues omnibus copiis: dabit Deus pro terra aurum, & torrentes pro silicibus auri glebas devehent.

25. Eritque omnipotens contra hostes tuos. Stabit a te Deus, cujus ope ac præsidio ab hostibus reportabis victoriam, prædas, manubias, argentum. hic versuum duorum concinna est, si tamen vera, Codurci expositio. Esto tibi aurum tanquam pulvis, & ophir quasi silices torrentium. Tunc Deus erit tibi aurum tuum & argentum thesaurorum tuorum. Perinde quasi Jobum ab avaritia deterrere conetur. sed res indiget majori disquisitione.

26. Tunc super omnipotentem deliciis afflues. Robore ejus, qui omnia potest, atque ope, quam tibi feret, delectabere, atque ad eum confugies.

27. Rogabis eum. Nec frustra rogaveris. Audiet enim preces tuas, teque damnabit votis, quæ deinde persolves.

28. Decernes rem, et veniet tibi. Quidquid consilii ceperis, id tibi ex sententia eveniet: & quo te cunque tuleris, mens, & ratio, & intelligentia clarissimum tibi lumen præferet.

29. Qui enim humiliatus fuerit. Hoc est, qui se submiserit Deo: submittit autem se vel sic, qui ad preces descendit.

30. Salvabitur innocens. Hebraici contextus brevitas & concisio miram effecit varietatem interpretum. Sed noster satis esse nobis interpres debet, qui & LXX. habeat convenientes sibi, & maxime Symmachum, καὶ διασωθήσεται καθαρότητι χειρῶν αὐτοῦ.

CAPUT XXIII.

Innocentiam Jobus suam se Deo probare posse confidit, si facultas sibi Dei præsentis esset. Quod autem Jobum tam dure tractet, non esse aliunde repetendam causam, quam ex ejus infinita potentia, qui, quod lubet, in mortales statuat: non quod sæviat nulla causa, sed quod jure utatur suo sic, ut fugiat nos causa facti.

1 RESPONDENS autem Job, ait:
2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.
3. Quis mihi tribuat ut cognoscam & inveniam illum, & veniam usque ab solium ejus?
4. Ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus.
5. Ut sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi.
6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.
7. Proponat æquitatem contra me, & perveniat ad victoriam judicium meum.

8. Si ad Orientem iero, non apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum.

9. Si ad sinistram, quid agam, non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.

10. Ipse vero scit viam meam, & probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.

11. Vesti-

1. SIc fatus siluit: contra cui talia Jobus.
2. Nunc etiam gemitus media inter ducere verba
Nec cesso, neque crudeles æquare gemendo
Evaleo casus, & mœstæ tædia vitæ.
3. O si nosse mihi, præsentisque ora tûeri,
Atque adstare prope, & solium affectare potestas!
4. Instruerem litemque meam, notisque tribunal
5. Questibus implerem. Quid cogitet ipse vicissim,
Quidve sibi velit, audirem, quæ verba reponat.
6. Tantum ne multo certet mihi robore: neu me,
Quanta mole valens, quantis se viribus effert,
7. Injusto ceu fasce, gravet. Quin cernere in armis
Rem paribus potius velit, aut componere jure.
Haud equidem dubito, si nunc mihi copia justi
Judicis affuerit, justo quin judice vincam.
8. Sed quid agam? quo me posthac, quo denique vertam?
Seu mediter, qua sol se gurgite tollit Eoo,
Ire viam, non ille aderit: seu me impetus oras
Gentis in Hesperiæ rapiat levis, irrita fallet
9. Lumina: sin medio recalentes igne per agros
Errabunda feram vestigia, sive Triones
Per septem egelidi regionibus advehar axis,
Undique quærentem frustrabitur indeprensus,
Tangere fas neque erit dextra, nec cernere coram.
10. At non ille meum, quæcunque per avia ventum est,
Nescit iter, neque me non exploravit euntem:
Quale manus aurum flammis purgantque, probantque.

11. Pone

EXPOSITIO CAPITIS XXIII.

2. NUNC QUOQUE IN AMARITUDINE. Græci ἐκ χειρός μου legerunt מידי *miiadi*, *de manu mea*; pro מרי *meri*, *amaritudo mea*.

MANUS PLAGÆ MEÆ. Hebræus, *manus*: Chaldæus, *plaga*: utrumque noster. LXX. ἡ χεὶρ αὐτοῦ, Dei. Videor vobis immerito queri, falso videor. nam querelas meas mali atrocitas longe superat, ac pro rei magnitudine leviter queror.

3. QUIS MIHI TRIBUAT. Ait nihil se malle, quam ut sistatur Deo, & coram agat cum eo causam suam.

4. PONAM CORAM EO JUDICIUM. Est hoc, informare judicium, seu litem instruere, & argumentis uti, quibus a se crimen depellat. Increpationes nihil aliud sunt, quam argumenta, quibus causa defenditur, quæ Græci vocant ἐλέγχους.

5. UT SCIAM VERBA, QUÆ MIHI RESPONDEAT. Quoniam illius est, qui se aut alterum tuetur, & firmare sua, & contraria diluere, non oportet ignorare, quæ objici possunt, & quæ reipsa contradicuntur.

6. NOLO MULTA FORTITUDINE. Versus hic perdifficilis, si Hebraica spectentur. Ad verbum: *An cum multitudine roboris contendet mecum? Minime. Sed ipse ponet in me.* Potest esse hæc sententia: Non vi magna aut viribus aget mecum. neque hoc velim, aut ipse velit. Sed adjuvabit potius causam meam, meque sublevabit.

7. PROPONAT ÆQUITATEM CONTRA ME. Hebræus. *Ibi rectus disputans cum eo, & liberabor in perpetuum a judicante me.* LXX. Ἀλήθεια γὰρ καὶ ἔλεγχος παρ' αὐτοῦ. ἐξαγάγοι δὲ εἰς τέλος τὸ κρίμα μου. Non dispar fere trium sententia. Jure mecum Deus agat: non est mihi dubium, quin judicio causam vincam, finem assequar mihi propositum, ad exitum perveniam, quem optavi. LXX. quidem Hebraicum לנצח *lanetsach*, nunc εἰς τέλος vertunt, alias εἰς νῖκος. Atque hoc loco notat Chrysostomus in catena, apud Hebræos una voce duas, τὸ τέλος & τὸ νῖκος, efferri, ob eamque rem in quibusdam psalmis pro *in finem*, *vincenti*, inscribi.

8. SI AD ORIENTEM IERO. Tota superior oratio cum sequenti sic nectitur. Utinam, inquit, quam proxime ad Dei tribunal accedam, coram veniam, coram sistam; ut ei, quæ recte egi, quæ patior, exponam; ci me purgem, quod libenter fecerim; accipiat excusationem, quod fore confido. Verumtamen ubi nanciscar ipsum? quem ad locum assequar? Non habeo quo me vertam, cum Deus, apud quem experiri velim, nusquam gentium faciat sui copiam. Observavit tamen hic Chrysostomus, Jobum voti consecutum, & optata tandem aliquando, cui se Deus ad extremum exhibuit, ac secundum ipsum pronunciavit sententiam.

9. SI AD SINISTRAM. Quaquaversus se contulerit quærendi causa, non uspiam se Deum investigare posse ait, hoc est, quid cogitet, quid velit, quo ejus spectet nutus & providentia, assequi se animo atque intelligentia minime posse.

10. IPSE VERO SCIT VIAM MEAM. Concinne. Quamvis Deum ignorem penitus, ubinam sit ac versetur: ipse contra novit me, & exploravit nihilo minus, quam qui artifex aurum igne probavit, ac perspectum habet.

11. VESTIGIA EJUS SECUTUS EST PES MEUS. Etsi quantum a me Deus absit, parum intelligam; nec facilis sit indagatio quo loci degat; nec assequi potuerim: non destiti tamen ius illum vestigiis persequi; quam teneat viam observare; ab ea non deflectere, quoad licuit.

12. ET IN SINU MEO. Ita Græci quoque, ἐν δὲ κόλποις μου ἔκρυψα. Legerunt utrique, בחקי *chechi*, *sinu meo*, a rad. חק *cheic*, *sinus*. non מחקי *chuci*, a חק *choc*, *statutum*, sive, *ex more meo*. Vide eandem vocem, v. 14.

13. IPSE ENIM SOLUS EST. Hebr. *Et ipse in uno*. באחד

11. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.
12. A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.
13. Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit.
14. Cum expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.
15. Et idcirco a facie ejus turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.
16. Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me.
17. Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

11. Pone viam tenui illius, neque lubricus error
Diversum tulit, illius vestigia pressi.
12. Jussa capessivi sponte omnia, & omnia fovi
13. Dicta sinu abscondens. Etenim regalia solus
Imperia exercet. non mentem infringere quisquam,
Aut magna orsa queat tulerit quæcunque voluntas,
14. Exsequitur. Pharetram si quando exhauserit omnem,
Prompserit & telorum in me genus omne, necique
Confossum dederit; queis ocius imperet, ecce
Mille viri, totidemque aderunt, queis fulminet, arma.
15. Inde adeo menti fiducia cedere cœpit,
Et timor ingruere, & subiti turbare tumultus.
16. Jamque malis durata Deus mollivit ad ictus
Corda novos. Hinc majorum formido dolorum.
17. Hac me namque tenus tenebris non perdidit atris
Proxima nox, caligo oculos neque mersit inertes.

CAPUT XXIV.

Toto hoc capite unum illud Jobus agit, ut amicorum refellat sententiam, doceatque perditos & consceleratos homines plerumque tuto ac sine ulla noxia in suis sceleribus & maleficiis versari, quorum deinceps præcipua describit.

1. AB omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.
2. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos.
3. Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ.
4. Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.

5. Alii

1. OMnipotens novit genitor sua tempora solus.
Qui novere Deum, divina arcana dierum
2. Nescivere tamen. Vicini transtulit agri
Pars alio furtim positum ad discrimina saxum:
Proque suis, aliorum abigens, animalia pavit.
3. Pupillorum asinum avertit, viduæque juvencum
Abstulit in pignus. vulgi turbavit inermis
4. Res inopes: infestam habuit sedemque viamque.

5. Pars

והוא באחד *vehua beechad*. noster interpres, Chaldæusque ב *beth*, abundare existimant, hac sententia: quasi Deus sit solus, quem a sententia deducere nemo valeat, quique possit id quod libet.

14. Quum expleverit in me voluntatem suam. Hebr. חקי *chuci*, *statutum meum*, id est, cum illud, quod in me statuit, peregerit. atque in malam partem accipi debet. Hic disputari potest, quatenus progredi Deo liceat, si potestate suæ uti libitum sit: hoc est, num arbitratu suo possit in quemlibet mortalem sævire, eum perdere, idque justitiæ illius ac bonitati nihil repugnet.

15. Et idcirco a facie ejus. Dei cum summa sit potestas omnium rerum, facere nullo modo possum, quin extimescam.

16. Deus mollivit cor meum. Hoc est, plagis me & crebris & vehementibus subegit, mulcavit, comitigavit. densis enim ictibus redditur mollius, quod feritur.

17. Non enim perii. Sensus planus & simplex: Admiratione obstupefactus sum, quod sim tenebris, hoc est, tot tantisque malis superstes, quodamque modo superior, nondum mortuus sim. neque inferorum caligine damnatus. Imminentes tenebræ sunt tenebræ proximæ ac super expansæ. Frustra autem quidam per tenebras, peccata intelligunt.

EXPOSITIO Capitis XXIV.

1. AB omnipotente. Certum, inquit, & evidens est humana tempora & tot hominum non ignota esse Deo. Nihilominus viri sancti, qui Deum cognoscunt, dies illius, hoc est, judicia & consilia prorsus ignorant. Videsis psal. lxxiii. & Jeremiæ cap. xii. In Hebræo & Græcis per interrogationem ista fere concepta in hanc sententiam habemus: Cur non sint ignotæ res hominum? cur non putemus? Et dici quidem hoc satius, scelera illum hominum ignorare, quam in tot tantisque sceleribus connivere. quorum alterutrum dicamus oportet, cum impunita multa multorum crimina relinquat. Est autem hæc oratio non negantis divinam providentiam, sed admirantis, quomodo per Deum impune sit tam multis peccare.

2. Alii terminos transtulerunt. Magnum scelus alienas possessiones vindicare sibi, & continuare suis, limitibus motis. Lex vetus prohibet Deuter. cap. xix. v. 14. *Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.* Eadem lex execratur & maledicto figit qui fecerit, cap. xxvii. v. 17. *Maledictus qui transfert terminos proximi sui.* Etenim termini figuntur, ut quisque internoscat suum, neve lis ulla consequatur. Unde illud: *Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.*

Diripuerunt greges. Turbare fines agrorum & confundere, ut adjungas tibi, quod alterius est immane scelus est, ut dixi: sed non multo fortasse minus abigeatus crimen. In abigeos enim sive abactores haud paulo gravius supplicium legibus constitutum est, quam in fures.

Paverunt eos. Triplex quodammodo injuria in alterum, movere quempiam possessionibus suis, abducere ab eo greges armentorum, ibidem eosdem pascere, quod est cum summæ violentiæ, tum etiam singularis impudentiæ.

3. Asinum pupillorum abegerunt. Triplex quoque genus hominum alienæ opis indigens, pupillus, vidua, pauper. quos improbus non solum destituit, sed litibus & sumptibus vexat, prædatorque pecus eorum, & spoliat ipsos, & bonis omnibus evertit.

Abstulerunt pro pignore bovem viduæ. Vel vaccam, cujus lacte aleretur; vel juvencum, quo terram coleret, acceperunt pignori, quod per legem non licuit, cum istis carere ad tuendam vitam necessariis minus posset. Ita sancitum & ob eam caussam, Exodi xxii. v. 26. Deuter. xxiv. v. 6. 10. 12. 17.

4. Subverterunt pauperum viam. Pauperes & imbecillos per summum fastum summovent via, compellunt domum, extra domo prohibent, & prodire in publicum, & cogunt delitescere. tanta vis est & tyrannis hominum maleficorum.

5. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.

6. Agrum non suum demetunt: & vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.

7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore:

8. Quos imbres montium rigant: & non habentes velamen, amplexantur lapides.

9. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt.

10. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.

11. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

12. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur.

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.

14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem vero erit quasi fur.

15. Ocu-

5. Pars, uti silvestres solo campi æquore aselli,
Ceu sua procedunt pensa exercere rapinas,
Et dulci furto invigilant, Cereremque per artes
6. In commune parant natis, & non sua falce
Arva metunt, uvasque aliena e vite rubentes,
7. Oppresso cultore, legunt, nudosque remittunt
8. Membra homines, quos deinde cavo succedere saxo,
Amplectique arcte, montanoque imbre madere
Frigidulos videas, miseri & centonis egentes.
9. Nam vulgus spoliavit inops prædator avarus,
10. Et vim pupillis fecit, nudisque, malaque
Esurie fessis, parcas detraxit aristas.
11. Quinetiam stertens, operumque immunis, acervos
Inter agit sitientum, & spicea præla prementum.
12. Nec minor intra urbes ipsas injuria: luctu
Affecere gravi cives, stragemque dedere.
Saucius inclamavit opem: nec maximus ultor
Ire Deus tantum hoc sceleris patietur inultum.
13. Hi claram exosi lucem liquere rebelles,
Nec scivere ducem, sive irent, sive redirent
14. Deinde viam. Primo corpus percussor Eoo
Corripit e stratis, ferroque obtruncat egenum
Auxilii, imbellemque virum. Tum nocte maligna
Furando totas intentus obambulat urbes.

15. Ob-

5. Alii quasi onagri in deserto. Rapacitatem & feritatem illorum, feræ hujus similitudine, exprimit.

Opus suum. Id est, opera sua mala, ut vertit Chaldæus. Ideo vero prædantur, ut liberis suis opes præparent. Hebraica dictio ערבה gharabah, varia significat. Primum, negotiari & commercia facere. unde Arabes dicti sunt. quam notionem secutus est noster. Nam præparare panem liberis, idem est, atque negotiari, eo negotiationis genere, quod merum est latrocinium. Interdum significat, suavem esse, quam significationem secuti sunt LXX. Alias pro deserto accipitur: quo sensu Hebræi accipiunt, qui sic interpretantur: desertum illi panis ad liberos; quia in desertis locis prædas agit. משחרי meschacharei, a diluculo pervestigantes: a radice שחר schicher, mane, sedulo, quærere. Interpres noster recte: Vigilantes, de studio matutino, quod illi adhibent ad prædam faciendam. Porro nonnullæ voces Græcæ ac Latinæ petitæ ab Hebræis, velut hæc ערבון gheraboa, arrhabo. & illa לבנה lebonah, λίβανος, λιβανωτὸς, thus.

6. Agrum non suum demetunt. Universe, qui alienas possessiones earumque fructus diripiunt. Specialim, qui pabulantur. qui panem postquam liberis quæsierunt, jumentis quærant pabulum ac farraginem. Illud domi, sive in urbe; hoc foris, sive ruri.

Et vineam ejus quem vi oppresserint. In Hebræo occurrit vocabulum, רשע raschagh, quod significat impium. item eum, qui in judicio victus est, hoc est, damnatum. Quare Latinus interpres eleganter reddidit, quem vi oppresserint, quem scilicet injuste damnaverint.

Vendemiant. ילקשו ielacceschu, vindemiabunt. a לקש Pihel, collegit, sed proprie seros fructus. Ex quo מלקוש malcosch, pluvia serotina. Cum autem sic Hebræus loqui videatur de autumnali proventu, cumque LXX. πρὸ ὥρας dicant de verno aut æstivo: proclive est suspicari fœnisectum, messem, vindemiam. Ces meschans faucheat, moissonnent, vendangent dans les prez, dans les champs, dans les vignes d'autrui. ἀσθενεῖς ἀμισθὶ καρπὸν.

7. Nudos dimittunt homines. Aliquid magis peculiare Hebræus & Græci: ille ילינו ialina, futur. Hiphil, transitive acceptum, pernoctare facient. rad. לין lua, pernoctavit. Hi ἐκοίμισαν, dormire fecerunt. Auget injuriam, quod nocturni temporis incommoda perferre cogantur.

8. Amplexantur lapides. Amplexari lapides, est ad speluncas & cavernas, arcendi frigoris causa, confugere: non, ut Diogenem ferunt, hieme lapideas aut æneas statuas nudo corpore circumplecti solitum: quo sensu nonnulli hunc locum accipiunt. Posset tamen sic explicari, ut, ne torrentibus aquis in præceps abriperentur, rupes dicantur amplecti.

9. Vim fecerunt, deprædantes pupillos. Hebræus, משד mischod, vel ab ubere, vel præ vastitate. שד schad, significat mammam, vel a שדד schadad, vastitatem. LXX. in priorem partem acceperunt, ἀπὸ μαστοῦ.

10. Nudis et incedentibus. Inopes, qui spicilegium faciunt, spoliant, adimuntque illis spicas.

11. Inter acervos eorum meridiati sunt. Mercenarios, qui operam illis suam, in exprimendis oleis vel vino faciendo, locarunt, vacuos dimittunt non mercede solum, sed etiam diurnis cibariis: adeo ut defluente musto illi ipsi, qui calcant, siti moriantur. Atqui Deuter. xxv. Non alligabis os bovi trituranti. Acervos intelligit olivarum. Vox autem meridiandi, facit ad hominis immanitatem exaggerandam, qui in summo æstu nihil laticis sitibundis aspergat. Nam Hebraica dictio ambigua est. Interpres noster, meridiati sunt, id est, opulenti & beati homines improbi meridiati sive feriati sunt, & cessaverunt interim dum isti congererent & conderent fructus, & vinum exprimerent, fame tamen ac siti confecti. Ea vox eodem significatu habetur apud Tullium: Nunc quidem propter intermissionem forensis operæ, & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam.

12. Et Deus inultum abire non patitur. Hebræus: Et Deus non ponit absurditatem. תפלה thiphlah. Sententia versiculi totius hæc videtur esse: Etiam mediis in oppidis, ubi minor debet esse impunitas, & licentia gladiorum, improbi vulnera & cædes efficiunt. Hinc gemitus & clamores magnos edunt sauci & moribundi. quod cum fit, illicone Deus vindicat tantum scelus? nequaquam. Itaque utendum hic interrogatione ad negationem; Num Deus ulciscitur improbos? Ex quo apparet interpretem nostrum non ad verbum reddidisse, sed sententiam ex multis, quæ in verba cadant, unum attulisse. Observa autem voce ultum eadem 1. cap. versu ultimo Hebræum: quo loco interpres quoque noster: Neque stultum quid locutus est.

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Hoc est, exosam lucem habuerunt. omnis enim qui male agit, odit lucem. Thomas Aquinas rationis & naturæ lumen intelligit; quod minime procedit.

14. Mane primo consurgit homicida. Et mane, sive interdiu, grassatur aperta vi: & noctu insidias struit, percussor, fur, adulter.

15. Oculos adulteri observat caliginem. Non semper omnes omnia peccant. Sunt qui palam scelera concipiunt, in ore atque oculis omnium.

sunt

15. Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum.

16 Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem.

17. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant.

18. Levis est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.

19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.

20. Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.

21. Pavit enim sterilem, quæ non parit, & viduæ bene non fecit.

22. Detraxit fortes in fortitudine sua: & cum steterit, non credet vitæ suæ.

23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius.

24. Ele-

15. Observat pariter noctem insidiosus adulter:
Et tacitus, Non me quisquam deprendet euntem
Luminibus. simul hæc dicens, simul integit ora.
16. Hinc mediis; sic namque dic convenerat inter
Et mœchum & mœcham; communes perfodit ædes
Parietibus. Post hæc dono male noctis opacæ
17. Ambo frui. Quod si primos aurora educit
Improvisa ortus, ecce horrida mortis imago,
Horrida: diffugiunt dubiis, ceu luce, locorum
18. In tenebris. Summas super æquoris iret adulter
Non mergendus aquas: ita se levis inde, celerque
Proripit. At parti male sit, quamcunque bonorum
Sorte tulit: nullum fœcundi vitibus agri
19. Ille modum teneat; nivibusque, undaque recentem
Ab gelida, dein excipiat gravis ignibus æstus.
Cui venit scelus ad cineres comes usque sepultos.
20. Non ullum illius capiat miseratio. solæ
Illi deliciæ vermes. Memori excidat ævo,
Et sicut ligni perdatur inutile pondus.
21. Namque aluit, venere in sterili quæ transigit ævum,
Res opibus viduæ, nec sustentavit egenas.
22. Fortior ipse, loco fortes emovit avito.
Ac, rectus quamvis steterit, formidine nutans,
23. Diffidet vitæ ipse suæ, Deus optimus olli
Moribus indulsit mutandis tempus: at amens
Corrumpitque diem dictam, tantoque superbit
Inde magis. Lustrat visu Deus illius acta

24. In-

sunt qui lucem atque hominum conscientiam fugiunt, & solitudinem tenebrasque captant ad maleficia: ut mœchus.

16. PERFODIT IN TENEBRIS DOMOS. Licet perfossores parietum, τοιχωρύχοι, proprie nocturni fures intelligantur: nihil tamen vetat, quominus de impuris & flagitiosis hominibus accipiatur, qui in alienas ædes penetrant, libidinis causa. Ita certe noster interpres accepit, qui dicat ex pacto adulterium fieri. Et furtum de flagitiis quoque istiusmodi usurpatur.

17. SI SUBITO APPARUERIT AURORA. Libidinosus iste & intemperans solis exortum, mortis instar, putat, veritus ne deprehendatur, tamque tenebris expedite, quam luce, graditur & aufugit.

18. LEVIS EST SUPER FACIEM AQUÆ. Levem esse super faciem aquæ, est volucri levitate ferri, ut qui amni secundo defluit. Quare, vel, est levior, quam ipsa aqua summa, qua nihil agitatur celerius: vel, celerior est, quam quæ supra aquam incredibili mobilitate feruntur. Quidam istum locum hoc pacto declarant: Tam celeriter fugit, quam quæ in flumen abjecta, secundo cursu rapiuntur. Alii, ut Thomas Aquinas: Ad maleficia & adulteria tam pernaciter advolat, ut summam aquæ superficiem intinctis pedibus percurrat: quo modo Camilla Virgiliana. quæ interpretatio omnium optima videtur. Tametsi adulteri fugam potius, aut effugium, ne deprehendatur in flagitio, persuadet illud Pontidii cujusdam ad Ciceronem jocularis dictum: *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? Tardum.* Utpote qui parum caverit, ne manifesto teneretur in re tam turpi, neve prehendi posset ad pœnam.

MALEDICTA SIT PARS EJUS IN TERRA. Non est imprecatio, neque sub imprecandi formula, ejus quod evenit, denunciatio. non enim propositum hoc habet, ut dixi, impiorum gravare causam. Quare ex Hebræo concinnanda est hujus loci sententia, ubi ita legitur: *Maledicta est portio eorum in terra*: id est, in locis squallidis, incultis, & Dei maledicto damnatis, diversari solent interdiu, ut lateant: neque publica & frequenti via gradiuntur, quam appellat vinearum, quia secundum vias publicas vineæ conseruntur.

19. AD NIMIUM CALOREM TRANSEAT AB AQUIS NIVIUM. Nostri fere de inferorum cruciatibus hunc locum explicant: ut Hieronymi commentarius, & Thomas Aquinas. sed vix cum reliqua oratione cohærebit, si sic interpretemur. Tum Hebræa longe aliud sonant: quæ tamen leviter commutata, cum Latinis convenient. Quocirca ita hunc locum expono: Improbi illi prædones, per ignes & pruinas ac nives, prædam aut libidines suas persequuntur, nec incommodum deprecantur illum. Quare verbum, *transeat*, est εὐπαθεῖς, id est, *facile transibis*. tum ad inferos usque, sive ad sepulcrum, in scelere perseverat. Ita Terentius Eunucho: *De flamma ipsa petere te posse cibum arbitror.*

20. OBLIVISCATUR EJUS MISERICORDIA. Facile illius post obitum obliviscentur carissimi quique & maxime misericordes.

DULCEDO ILLIUS VERMES. Quasi ei optato mors contigerit; vel tanquam portus miseriarum, vel quem mortuum non pœniteat vixisse: cum tam prospere cesserint ei omnia.

QUASI LIGNUM INFRUCTUOSUM. In Hebræo, *confringetur quasi lignum perversitas*. LXX. habent, ἴσα ξύλῳ ἀνιάτῳ. Elevare multi videtur, quod ab amicis jactatum erat, male improbos hac in vita mulctari. Atqui, inquit, post mortem, quando ex propinquorum & carorum suorum exciderunt memoria: tamen in sepulcris & vermibus dulciter acquiescunt. Misericordiam, hoc est, רחם *rechem*, sive matricem, appellat cognatos omnes & propinquos, ut vulgo explicant Hebræi. Pars autem maxima felicitatis habebatur apud antiquos, mandari sepulcro: & inhumatum esse, pœnæ loco gravissimæ ducebatur.

21. PAVIT ENIM STERILEM, QUÆ NON PARIT. Depascitur mulierem divitem & opulentam, cui nulli liberi, nulli heredes: nec de ea muliere bene meretur, quæ destituta sit auxilio mariti. Hebraica vox רעה *rogheh*, non tantum pascere significat, sed etiam conterere & confringere. Potest tamen ita sumi pascendi vocabulum, ut sit decipere & circumscribere, falsaque lactare spe, quemadmodum Græci exprimunt verbo, βουκολεῖν.

22. DETRAXIT FORTES IN FORTITUDINE SUA. Tanta illius potentia fuit, ut fortes etiam & potentes dejecerit; adeo ut, cum staret & insurgeret in illos, vitæ suæ diffideret: id est, cum vitæ suæ periculo non dubitaret aggredi: quod extremæ est temeritatis. Nisi forte illud malimus: Qui vim alteri intulerit, non se satis tutum putabit a vi aliena, etiam cum steterit.

23. DEDIT EI DEUS LOCUM PŒNITENTIÆ. Unde noster interpres sumpserit ista, non est facile divinare. Extat in Hebræo, *dabit illi ad fiduciam, & innitetur*. Hæc mihi sententia omnium minime displicet. Dedit illi quidem Deus locum pœnitendi, resipiscendi, emergendi ea infelici statu, confidendi rebus suis: sed nimium confisus est, & obstinatim niti contra perrexit.

OCULI AUTEM EJUS. Speculatur videlicet Deus & observat, quo se modo is gerat, cui bonorum tantam vim suppeditarit.

24. Ele-

24. Elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.

25. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

24 Interea. In paucos gens prava extollitur annos; Nec dabitur constare diu, quoque omnia, motu, Corruet, ingentesque dabit labefacta ruinas: Non aliter quam cum summas terit area aristas.
25. Res ita non habeant; quisnam hæc mendacia testis Arguat, accusetque Deo me judice falsi?

CAPUT XXV.

Extremum, quod Baldadus Jobum alloquitur, hoc est, neque alii duo dictis amplius addunt. Respondet autem parti orationis, qua Jobus erat sæpenumero usus antea, & in qua contendebat a Deo, fretus innocentia & integritate vitæ, ut sibi liceret causam apud eum dicere. Nihil enim esse quamobrem Jobus sibi confidat tantopere. cum Deo se purissimo & omnis experti labis homo nemo probare possit insontem. Itaque non omnino abs re est, ut plerique volunt, quod hic a Baldado contra Jobum affertur.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

3. Numquid est numerus militum ejus? & super quem non surget lumen illius?

4. Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?

5. Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:

6. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

1. Tum sic deinde loqui, & paucis urgere Suhites.
2. Robur eum & strictis circum pavor ensibus ambit, Regnantem, & stabili supera alta in pace tenentem, Cœlumque, altrorumque orbes, elementaque prima.
3. Nam quis, sidereo in campo, & felicibus oris, Comprehendat studio numerans, atque ordine dicat Delectos heroas, & omnem ab origine gentem Cælicolûm; regi quæ turba invicta supremo Militat, auspiciisque meret stipendia tantis? Quem non terrigenûm perfudit luce diurna Mane novo? cui non hesternos rettulit ignes?
4. Quis cui, femineo generatus sanguine, vitam Approbet, insontique Deo se comparet insons; Insons, aut aliqua noxarum & criminis expers?
5. Ipsa etiam luna, ipsi etiam stellantis Olympi Clari ignes sordent, ô formosissime, præ te, Præque tua nigris densantur luce tenebris.
6. Ergo homo, putre genus, putris ipse propaginis auctor, Quid faciat? qua fronte Deum, quibus audeat orsis Affari, ac tanto sub judice dicere causam?

24. Elevati sunt ad modicum. Si præter rem Jobum nolumus locutum, debet hoc velle, ut florentes & fortunati, licet improbi, integro sæpe & stabili statu sint, tota vita: qui tamen, sicut ceteri, concidant ad extremum & occumbant leto. Aut, fateor, inquit, illorum felicitatem non esse perennem, sed morte saltem dejici & auferri. Verum quandiu vivunt, secundum habent felicitatis cursum, & illam ipsam mortem exitumque prosperitatis non præcipuum habent, sed communem cum ceteris. Quod ait, *sicut summitates spicarum*, sic explicare licet, ut illos ipsos impios & fortunatos, confecto vitæ curriculo, dicat tanquam maturas segetes in acervum projici: ut supra c. v. v. 26. Aut alludit ad summa & supra ceteras extantia spicarum cacumina, quæ decutiuntur, vel in messe, vel a prætereuntibus. Quo pertinet exemplum illud Periandri Corinthii, de quo Herodotus lib. v. & Aristoteles III. politic. cap. XIII.

25. Quod si non est ita. Quæ si ita non sint, quis coarguet mendacium meum? & quæ dixi, refellet? Legit interpres לאל *lel*, *in Deum*, seu, *ante Deum*: cum legerint LXX לאל *lial*, *in nihilum*; ἢ θήσει εἰς οὐδὲν τὰ ῥήματά μου; Hebraico voce utrumque ferat pro utraque sui subscriptione.

EXPOSITIO Capitis XXV.

2. Potestas et terror apud eum est. Cave sic exponas: Deus est auctor pacis & concordiæ: sed isto modo, reverentia & majestas divina pacem cœlo & concordiam affert. Potestas igitur & terror, quem superis affert, facit concordiam, vel divise, ut sint membra duo, majoremque vim habeant: idem potens & timendus, idem cœlestia corpora, vel angelos in statione sua & officio continet.

3. Numquid est numerus militum ejus. Milites intelligit, vel stellas, quasi in acie dispositas, vel angelos. LXX. interpretes verterunt *insidias*, quasi turmas; pro eo quod habemus, *lumen illius*. Sed per lumen, solis ac stellarum splendor intelligi debet.

4. Homo comparatus Deo עם אל *cum Deo*. Aut præ Deo & comparatus, aut apud Deum & eo judice, qui vel minima quæque delicta deprehendat.

5. Ecce luna etiam non splendet. In Hebræo, *ecce usque ad lunam*. Quæ ab infima terra sunt ad lunam usque, si ascendas; quæ rursum ab ultimo cœlo ad lunam usque, si descendas: ea nihil lucis aut splendoris habent, si cum Deo conferantur. Quærit Thomas Aquinas, cur lunæ potius, quam solis, meminerit. Respondere quidem potest, usum esse exemplo sideris illius, cujus obscurationes & interceptiones frequentiores fiunt. Sed particula *etiam*, admonet ex Hebræo ita potius interpretandum; quasi dicat, cœlestia omnia corpora a summo usque ad infimum, terrilque citimum, nullum suum, quod cum Dei comparatur, lumen habere ,

6. Quanto magis homo putredo. Verba jam feci, quid hac voce *la* quam LXX. minimum quater antea usurparunt, sibi velint, & cui Hebræorum voci respondeat, quoque modo vulgatus noster ex Hebræo vertat.

Atque hæc in breve & pusillum caput breviter. Sed quoniam abhinc annis amplius quinque & quadraginta commentatus sum quædam in eundem locum, & publice dixi: ea visum est huc adjicere, vel eo consilio, ut appareat, quod genus interpretandi vitarim, secutus breve simplex, & angustum; cum adhibere facile potuissem liberius & latius, ut hic adhibui.

C A-

CAPUT XXV.

IDEM RETRACTATUS.

Patientissimi regis XXV. *hoc caput brevitate me sua invitavit primum: post autem etiam pulcritudine ad expositionem sui induxit. Nam cum sex admodum versiculis comprehensum est; ut qui rem fuerit aggressus, interpretarique cœperit, non possit non conficere, corpusque aliquod unum totum & integrum non exhibere: tum in Dei depingenda majestate, vilitateque hominis, ita versatur, ut illa nihil divinius, hac nihil contemptius, utraque nihil expressius ad veritatem dici queat. Sed quoniam brevitati, quam consector, & cujus hic ipse me Jobus admonet, finitima obscuritas est, nisi hoc ordo compenset: partiri visum est in tres quasi summas orationem omnem meam. Prima palam faciet argumentum sententiamque operis, quam aptum nexumque cum antecedentibus, ut respondeat consecutis. Altera ad versus singulos propius accedet, eosdemque paulo differet uberius ac fusius. Postrema si quæ sint; sunt autem non ita pauca, quæ lucem desiderent interpretis; aperiet ea, atque illustrabit.*

EXPOSITIO CAPITIS XXV.

OMNIUM ergo primo sic habendum, non ita resecari rem oportere ad vivum, ut velimus, presse contexi, & religiose cuncta hæc capita, sic ut unum & idem propositum versent urgeantque semper; putemusque nefas, cursim aliquid & ex incidenti injici, quod non eodem pertineat quammaxime; cum & in orationibus, quam voles, limatis, suus sæpe sit digressioni locus; & in congressu familiarique sermone, seri istiusmodi multa consueverint, sparsa vage, neque nexu inter se ullo colligata. Ut illud omittam, quod videtur gravissimum, alienum esse, tantam exigere vel in dictis prudentiam ab amicis Jobi; quippe quos temere, ac nulla ratione invectos in Jobum constat, & Deus ipse libro hoc extremo asperius non aliam ob causam appellat. Neque hæc eo tamen dico, quo disputationem putem eorum inanem prorsus, futilemque, unde nihil solidi ullam in partem trahi queat. Non est enim ita. Hoc universe possum, quod res est, confirmare, multa ab iis commemorata verissime, quædam asperis falso, quorum e neutro id efficiant, quod animo & bene longa collocutione intendunt.

Verum, ut pedem, quod perhibent, conferamus, id egerunt hactenus inimici Jobi, cum hoc passim libro toto, tum capitibus superioribus proximis, consolatores scilicet egregii, eum ut convincerent criminis. quæ si consolandi ratio, ut est, ita videtur insolens; non est inusitata minus via modusque, quo innocentem reum peragunt. Aiunt novum & inauditum ante illam diem, affictari eos, qui nihil in vita cuiquam nocuerint; nonnisi malis male adhuc fuisse: neque sane de nihilo esse, quod hominibus succenset Deus imponitque plagas, quare quod plectitur, jure plecti ac merito suo. Neque vero hoc tantum, sed ipsius etiam fraudes, & magnas necessario esse & multiplices, quas tot ac tantis malis cladibusque luat. Horum omnium ut facilis & expedita fuit, etiam consceleraro & perdito homini, depulsio; ita haud erat sane, quod in causa sua, præsertim bona, Jobus hæreret. Principio, licet graviter, & supra excrucietur quam credi possit, nullo ait se maleficio teneri. Quod autem negarent præter sontes ullum adversa fortuna premi, calamitates & ærumnas certos esse vellent scelerum flagitiorumque indices: id dictitari quidem, sed argumento nullo, nullo auctore: deinde testibus sexcentis & rationibus refelli. Quæ cum ultro citroque eadem inter se iterum ac tertio commutassent ad extremum; fretus optimæ mentis conscientia Jobus, ab tam iniquis judicibus, ad summum judicem Deum provocare cœpit; neque recusavit, quin eundem cognitorem daret, quem facinorosi ultorem habent omnes ac vindicem. Ad hæc illi respondere cum nihil haberent in alia omnia abierunt, hominemque ab incepto conati sunt deterrere ratione duplici: altera, etiam atque etiam videat, quicum res sibi sit, cum potentissimo, quem expugnare; cum intelligentissimo, cui imponere; cum integerrimo, cujus attentare fidem nemo possit. altera, innocentem, si fateri verum volunt omnes, esse neminem. Quocirca, ut ipse præcipue nihil deliquerit, satis superque esse quod homo sit, ut affinis habeatur culpæ, ita mendacii illum & arrogantiæ insimulant; mendacii, qui vociferetur se toties insontem; arrogantiæ, qui Deum appellet, eumque disceptatorem non modo non recuset, verum etiam deposcat. sed ex omnibus unum loquentem potius audiamus.

2. POTESTAS ET TERROR APUD EUM EST, QUI FACIT CONCORDIAM IN SUBLIMIBUS SUIS. Quæ, malum, ista, Jobe, ratio est, inquit quid venit in mentem tibi cum Deo velle vel tanquam judice expostulare, vel ut adversario congredi, & experiri summo jure? Si nescis, potentissimus pariter est & formidolosissimus. Accedit eodem, quod incredibili studio ducitur pacis, utpote qui sempiternas illas mentes, globos cœlestes, contrarias & dissidentes inter se naturas, in suo quasque officio & statione continet. Facile ut appareat in tanta tranquillitate, otio, concordiaque omnium, si bellum uni indixit tibi, id illum certo judicio ac non citra meritum tuum fecisse.

3. NUMQUID EST NUMERUS MILITUM EJUS, ET SUPER QUEM NON SURGET LUMEN ILLIUS? Atque haud scio, potentiorne sit, an beneficentior. Ejus de potestate si dubitas, vel ex hoc uno conjecturam de ceteris facias licet, quod milites, sive quos habet apud se, honoris, & quasi præsidii causa; sive quos educit ad bellum; percensere non queas numerando. Si comperta beneficentia non est, viden ut vim & efficientiam rebus inseruit. ut easdem longa luce complet, solique dedit in mandatis, ne quam præteriret. Quid quod perspicacissimus est, ut non possit in causa sua non scienter versari? Et vero quæ regio tam seducta, tam remota ab arbitris, quo non providentiæ luce pervadat? quæ sensa animi tam subita, quæ non antevertat? tam abstrusa, tamque abdita, quæ non intercipiat?

4 NUMQUID JUSTIFICARI POTEST HOMO COMPARATUS DEO, ET APPARERE MUNDUS NATUS DE MULIERE? Habes adversarium, vel, si mavis, judicem, valentem, liberalem, peritum Qua porro sit æquitate, paucis accipe. Innocentissimus quisque non est ei ulla ex parte conferendus. etenim fac hominem scelus in se admisisse nullum; tamen eare, quia prognatus muliere non est, jam inde ab ortu suo, non parum habet labis aspersum.

5. ECCE LUNA NON SPLENDET, ET STELLÆ NON SUNT MUNDÆ IN CONSPECTU EJUS. Narro tibi plenissima fulgoris secundum solem luna est. purissimæ stellæ, & ab omni nota nævoque liberæ. At neque luna præ Deo lucis habet quidquam, neque stellæ nitoris. Hoc dicam amplius, quantum est sphærarum cœlestium ab extimo usque cœlo ad infimam lunam, primas ei, & secundas, & tertias defert, neque esse quidquam majestati tantæ, nisi intervallo infinito, proximum fatetur.

6. QUANTO MAGIS HOMO PUTREDO, ET FILIUS HOMINIS VERMIS. Quid ergo habet homo magnopere gloriandum, unde magis seipse deinceps amet? aut quid misero denique fiet, cujus vel mortua omnia, itaque putria, vel si quæ viva, eo nihilo magis, quam vermes, præstabilia? qua iste fronte sistere se Deo, alloqui coram, & vitam illi suam omnem probare poterit?

Quæ

Quæ initio duo proposueram, ea abs me decursa perbreviter sunt. Proximum est, ut quæ difficiles explicatus habent, indicemus, quæ cognitionem facilem, vel attingamus cursim, vel depromptu aliunde, sive ex Hebræis fontibus, sive e codicibus Græcis, instrumento, locupletemus: ita tamen, ut ne aut pervagata obtrudantur, aut supervacanea.

POTESTAS ET TERROR, &c. De potestate Dei adhuc nemo dubitavit, quin prius de divinitate dubitarit. Isthæc enim duo & numen esse, & nihil non posse, vel imperiti vulgi consensu, reciprocantur inter se: ut qui unum quidpiam non possit, Deum negemus; cuncta qui possit, non, nisi Deum, arbitremur. Atque hæc, ni fallor, causa fuit, quamobrem cum alii alia Deo per hæresim & injuriam ademerint; qui potentiam eriperet, inventus sit nemo. Sed valde opimo est voci huic, המשל *hamschel*, subtilis potestate majus quiddam; si quid præsertim Judæos doctores audimus. Huic enim notionem istam subjiciunt, ut non potestatem etiam juxta ordinem quamvis attributam Deo velint, sed actuosissimam, nunquam cessantem, moliendumque novi in dies aliquid: hoc est, nullum esse dominatum hominum aut principatum tantum, in quo interregnum non sit, aut interregni simile quiddam, sive imperandi & obtemperandi certæ vicissitudines; neque enim jubetur una & paretur simul: Dei autem nullam partem vacuam actionis esse, neque a continuis cum imperiis unquam conquiescere. Quare minime videri nemini debere, si tantis opibus, quantis illum valere certum est, comes & unus sit terror adjunctus. Quis enim ab eo non metuat sibi, quem & in summa potentia semper esse, & in otio nunquam, intelligat? Quo pertinet Aristotelicum illud dictum [illegible] II. esse eos pertimescendos ex omnibus maxime, qui plurimum aut prodesse possint, aut obesse. Quod autem etiam terret; quis enim palam audeat? falsum & inanem metum, comminiscendi numinis, quod nullum esset, parentem & auctorem fuisse: id ab iis qui divinitatem tollerent funditus, allatum malitiose est atque impie. Neque fere timor Deum, sed timorem Deus animis fecit, & significationem dedit. Hinc eventa præter exspectationem, cœli nubiumque discessiones, jactus fulminum, tonitrua, fulgura, cometæ, ceteræque id genus turbæ ac tragœdiæ quodammodo, quas Deus ad percellendas mentes & in rationis ordinem cogendas, ubi lubet, agit: quibus in sedandis nutu ipso & prudentia, vis ejus atque admirabilitas efficit non minor, quam in concitandis. Neque vero alia intelligo summa, quæ pacificatæ dicitur Deus, quam [illegible] ut Græci vocant, quæ in mundi medio, concertationes [illegible]. Quanquam hæc nihil vetat ita accipi, ut vel cœlum ipsum [illegible] efficere beatarum mentium, ubi vivitur perquam pacifice; vel cœlestes orbes reliquos, qui licet motu ferantur contrario, æquabilem tamen, suique semper similem cursum tenent. Quo loco admoneor pronuntiati Platonici illius, ita temperatum cœlum varium ac multiplex, ut ex dissimillimis motibus concentus suavissimus quidam existat, quem exaudire e loco inferiore hoc, propter voces obstrepentium hominum, ac tumultuantium, non possimus. Nam fugit illos ratio, ut mihi quidem videor, qui illuc de elementis generatim dictum volunt: propterea quod non dispicio qua tandem loco infimo terra posita, ejusque continens & circumfusa aqua sublimia proprie Dei nuncupari queant.

NUMQUID EST NUMERUS, &c.

En alterum inauditæ potentiæ argumentum, copiæ roboreque invictæ, multitudine innumerabiles. Certe quidem Synesius de regno, e præsenti exercitu regem dixit, ut e radiis antevertentibus solem deprehendi. [illegible] Hic ego actum agere si velim, aut si me tota ista ratio delectaret, aucuparer ex veteri memoria undique, & in unum coacervarem, qui viri principes, vel domi, cohortibus satellitum tecti, munitique sint; vel militiæ, equitatu ac peditatu in patriis floruerint. Referrem quemadmodum Tarquinius comitatu se stipavit audacissimorum hominum: Dionysius servis ac barbaris tectus sit ferocibus: Masinissa salutem suam in canum esse tutela, si superis placet, voluerit. Adjicerem ut Lacedæmone, trecenti ad regum custodiam adsignati sint: ut in Macedonia, præter argyraspidum greges, e Persica juventute lecti mille, qui Alexandro assisterent. Neque vero Xerxem omitterem, putidum illum ostentatorem, cujus tantas classes, tantas copias [illegible] perhibent fuisse, ut juncto Hellesponto, Athone perfosso, mare ambularit, terramque navigarit, id est, mare ac terras longe lateque consternaverit. Tamen si hic horum apparatus omnis, comparatus ad terrorem, jacere sane manus, atque in nihilum recidere videatur, si cum Dei victore conferatur exercitu. Quos enim, obsecro, duce tanto merere milites, quos esse in excubiis, quove numero putatis? Primum, res creatas omnes, quibus lumen, hoc est, ut ego interpretor, incolumitas a Deo, vis, atque efficientia impartitur. quod lumen si deesset; neque ante e nihilo, in quo jacebant, emersissent, & nunc perpetuis consepultæ tenebris, nusquam emicarent. Quod Deo navent in bello operam cunctæ res; bis testificatur capite eodem v. Sapiens, semel v. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* iterum v. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Quod lumen accipiendi vim & patiendi rebus insitam notet, imo ipsam rerum naturam a Deo conditore haustam, vel ex eo constat liquido, quod & ejus de luce accepimus omnes, ut Joannes ait, & per ipsum qui lumen est, facta omnia sunt. Deinde sidera & sempiternos illos ignes, sive errantes, ut vocant, sive inerrantes & certis infixos sedibus, qui accepto pro portione lumine, e cœlo quasi e specula vigilias agunt. Militum quid proprium magis, quam obsequium? quid stellarum, quam eadem illa observantia: *Ego homo sum sub potestate constitutus*, ait apud Matthæum centurio nescio quis, *habens sub me milites, & dico huic, Vade; & vadit: & alii, Veni; & venit.* Præcepit soli Deus, ut luceret, luxit; ut sisteret, stitit; ut deficeret, defecit. Quod idem de reliquis astris eo dici convenit magis, quo minora sunt, quam sol ipse, qui principatum obtinet, dignitate. Quam expedite militent autem, quamque naviter, Baruch propheta in capite tertio significanter expressit. *Qui emittit lumen, & vadit. & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Quid vero quod ipsæ illæ, quæ nullæ sunt, si evocentur, nihilominus præsto sunt, & audientes dicto, ut vel exortu suo morem gerant, neque apparere incipiant prius, quam parere. *Vocat stellas eas, quæ non sunt, tanquam eas quæ sunt.* Verum in expositione hac utraque, quæ in promptu cuivis est, neque exquisitius continet aliquid, commorari diutius, & velut habitare quid attinet, cum tertia occurrat, nec minus auctoritate nixa sacrarum literarum, & multo patribus totique theologorum familiæ probatior? Literæ quidem sacræ, cum sexcentis locis militiam cœli angelos vocitent, tum Lucæ II. planissime. *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum.* Prisci vero patres junioresque theologi passim non aliunde magis & magno angelos esse numero confirmant, & omnes quidem a Deo, alios tamen aliorum interventu atque opera, illuminari. Disputat hoc in utramque partem more ac modo suo Thomas Aquinas p. 1. 50. q. a. 3. & cogit tandem atque efficit, cum immateriales & simplices angeli, atque ab omni concretione mortali segregati, naturis, quæ materia constant & corpore, longe præstent, esse numero etiam, quam cunctas has, superiores. Quæ vis argumentationis ex eo elucescit quod magnus persequitur Dionysius, qui auctor est atque fundus totius ferme, quæ traditur de angelis, doctrinæ. *Deus, inquit, in molitione rerum, cum universi spectarit absolutionem; consectarium est, ut quæ perfectiora, ea aut majore mole aut copia majora esse voluerit.* Contra quam censuit Plato, qui, credo quod ad numerorum atque unius rationem exigeret perpenderetque omnia, absolutissima quæque, ut ad Deum, qui plus uno non est, accederent propius, ea esse contenderet pauciora: contra etiam quam habetur jactaturque vulgo, in omni re optimum quidque esse rarissimum. Sed hæc & alia argumentari ejusdem modi neque animus est, neque tempus. hoc unum dico modo, quod prætereundum non videtur: Si placet dimidiatum versum hunc, *super quem non surget lumen illius*, sejungere ab reliquo versu, ac sumere separatum, quid convenientius, quam aut hoc illud esse lumen dicere, quo speculatur & observat cuncta Deus, sic ut ejus scientiam fugiat nemo; aut solem ipsum, qui esse Dei idcirco fertur, quod hunc faciat supra bonos pariter & malos oriri? In quo ego non habeo quod Didaco a Cuninga assentiar, scriptori alioqui non malo, a quo explanatio hæc postrema, & exagitatur ut humilis, & excluditur ut parum probabilis: humilis, quod obvia & patens cuivis: parum probabilis, quod sol luce sua ad inferiorem terram non pertineat. Quasi vero sol vi sua abstrusissima quæque non intret: & humilia ea sint continuo, quæ nativa germanaque. Atque equidem probare satis non possum hominum litigiosum & controversum natura genus quoddam, qui habent ubique quod arguant nescio quid, quique subtile & commode dictum putant nihil, nisi aut alte repetitum & accersitum longius, aut argutiis implicatum atque acuminibus interpunctum. Sed enim sermo moderandum orationi meæ, & nonnihil reliquis quoque perstringendis partibus temporis eximendum.

NUMQUID JUSTIFICARI POTEST, &c.

Non habeo satis constitutum quid subesse causæ suspicer, quam

quamobrem scriptut citius justitiæ mentionem, quam rei alterius cujusvis fecerit : præsertim cum homo æque ceteris præstantis animi donibus, atque sanctimonia, a Deo incredibiliter distet. Addubitare cœpit animus, num hoc videlicet illud esset, quod ea potestas & optio non sit hominis, ut opulentus sit, ut gratiosus, ut robore, ut pulcritudine floreat, atque adeo mirum non esse in iis si non excellat, quorum ne mediocritatem quidem attigit aliquam marte suo, ut dicitur. Ut bonus sit autem, ut virtute præditus, ejus quasi in manu esse, quare id ut maxime velit, quod penes ipsum est, cum Deo tamen conferri nequaquam posse. Sed ista divinatio est : hoc certius, quod quidam habitum hic respectum volunt partim ad quotidianas noxas, atque, ut sic dicam, veniabiles, in quas interdum, vel potius nimium sæpe impingimus; partim ad peccatum id quod misera contagione primi parentis posteris ita inhæsit, ut, a Christo, Christique matre si discesseris, immunis adhuc esse homo nemo potuerit. Verum faciamus ne hanc quidem labem, qua suffusi cuncti mortales sunt, dicto hoc innui : parumne vel ex eo contrahunt sordium, quod in ipso libidinis æstu, fœdissima e materie, procreantur, & in vitam, sic tanquam spuma in litus, ejiciuntur? Atque has quas proxime dixi sordes intelligi, illamque expositionem Thomæ in summa video placere. qua parte disceptat locum hunc, satisne decuit e fœmina Christum nasci. Cum enim sibi ipse objecisset, eque sententia hac Jobi intulisset, ea muliere quidquid natum sit, id habendum omnino pro contaminato atque impuro, ita Christi integritati honorique cavet, itaque occurrit huic rationi, ut id quidem obtinere in hominum vulgo concedat, qui ad unum omnes per libidinem e semine & impura quasi fæce coaluerint, in Christo neget valere; propterea quod, sine motione cupiditatis ulla, e sanguine matris purissimo fictus conformatusque sit. Quam in rem locum hunc Augustini luculentum profert libro contra v. hæreses *Dicit Deus creator hominis, filius hominis : Quid est quod te permovet in mea nativitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. ego matrem, de qua nascerer, feci. Si solis radius cloacarum sordes siccare novit, eis inquinari non novit; quanto magis splendor lucis æternæ, quæcunque radiaverit, mundare potest, & ipse pollui non potest?* Nihil igitur in terra offendimus Deo non plurimum dispar ac dissimile. Videamus, num quidnam in cœlo sit, quod absit ab eo propius.

ECCE LUNA NON SPLENDET, &c.

Ex hoc loco Origenes, cum in opinando præceps, tum confidens in asseverando, graviter errandi duxit occasionem. Fuit homini persuasissimum, mente & intelligentia prædita sidera esse, vitiisque non modo obnoxia, sed etiam reapse obstricta. Cave, inquit, existimes maculas, quæ stellis imputantur, residere in corpore: animi sunt voluntariæ pravitates, non corporis. quod si foret secus, si quid stellis ad splendorem aut munditiam deesset corporis, id in conditoris unius verteret injuriam. quid enim? Si neque industria sua corpus sibi fingere lucidius, neque animus purum efficere desidia & culpa sua potuerunt : quorsum aut his, quod mundæ sint, dabitur laudi; aut istis vertetur vitio, quod impuræ. Dicti porro sui universe rationem subjiciebat hanc, quod stellis & mandata dentur, & ab iis exhauriantur. observantiam autem ab animi & rationis expertibus vel exigi, vel præstari credibile non sit. Rabbi Mose, Ben Maiemon lib. I. More Nebochim cap. IV. & V. docet ex Aristotelis opinione & rei veritate, cœlo animam intelligentem inesse, quod ex loco confirmat psalmorum : *Cœli enarrant gloriam Dei.* ubi verba duo sunt, quæ non nisi in animantem compotemque consilii cadunt. Et hanc opinionem rationemque neminem utique negaturum, nisi stultum, vel perversum. Has inanitates refutare dicendo longum est, quanquam ne refutatione quidem indigent : cum iste jampridem XI. sess. œcumenicæ synodi V. convictus atque jugulatus sit error. Sed quid faciemus Cajetano, qui longo eundem intervallo renovavit? Satis, opinor, superque hic habemus dicere, neque vi ulla e verbis Jobi commenta hæc elici exprimique, & absque his intelligi tum posse plenissime. Quid enim in eam partem prohibet accipi, ut dicamur, id quod prædiximus, esse lunam splendidam illam quidem & fulgentem, stellas mundissimas, notisque turpibus nullis insignes; tametsi in sole sunt qui maculas deprehenderint : sed hanc tamen & istas ad Deum fuscas esse, tenebricosas & obsoletas. Atque hoc magis quod Hebræa amplius quiddam sola luna sonant. *Ecce*, inquiunt, *usque ad lunam non lucebit.* quod idem atque istuc valet, a summo cœlo usque ad infimam lunam, eimamque terris, quidquid id est, quam voles illustre ac perlucidum, Deo tamen in claritate atque candore concedit. Quanto magis caduca omnia infra lunam posita decedunt ei, ut ita loquar, fascesque summittunt. Quare frustra sunt, qui causam cum doctore sanctissimo Thoma requirunt, cur de luna potius quam de sole, a quo lumen hæc mutuatur, meminerit. qui enim supra lunam omnia complexus est, neque solis oblitus debet videri, & haud paulo plura quam solem ac lunam recensuit.

QUANTO MAGIS HOMO PUTREDO, &c.

Hic ego non attexo quid in homine & filio hominis nugentur alii, quid in verme alii philosophentur : cum quidem illi hanc esse vim & potestatem dictionis Hebrææ velint, ut אנוש *enosch*, *homo*, parentes primos, בן־אדם *ben-adam*, *filius hominis*, posteritatem indidem oriundam commonstret; isti vermium genus quoddam, cui lumbricus nomen est, e corporis hominis demortui atque cadavere existere & enasci. Multo vero minus, in locum communem de vilitate hominis, deque miseria, libet excurrere. præter enim quam quod ad fontes intendisse digitum plusquam satis est, alia seges aliusque campus advertit animum. Cum in vulgari & nostra editione belle inter se, quemadmodum scitis, congruant omnis; tum Hebræa cum Græcis, cum Latinis Græca mirum quantum dissentiunt. Hæc itaque reconciliare secum, & quasi reducere in gratiam, spissum sane ac lentum negotium, quod si minus per difficultatem rei, perque tempus possumus; operæ certe erit pretium vel hujus causas dissidii, vel ipsum saltem non dissimulare dissidium : cum præsertim ex hac varietate sensa possint pulcherrima, eademque a re nata elici. Nam singula accommodare ad mores, & a vero sinceroque sensu, ad usum quotidianum communemque vitam inflexa leviter traducere, quis tandem omnium hoc vult, aut quis non potest? Quid est negotii primo statim e limine, *Potestas & terror, &c.* disparem notare Dei, & regum hominumque principum morem; hos id studere pro viribus, bellum ut alant, extraneos inter se committant, suos non tam beneficiis & concordia devinctos, quam metu & armis teneant. Dei eo pertinere potentiam omnem, bene ut singulis faciat, ut universis, ut sanciat in dies magis perpetuamque pacem? Quid magis promptum, quam ex altero versu: *Numquid est numerus militum ejus?* concludere, partes nos tueri militum, quibus neque non tenendus ordo propter ignaviam, neque relinquenda castra propter perfidiam? Quam denique non operosum vel ex hac parte versus dimidia, *super quem non surget lumen illius*, tertum sive ad cohortandum, sive ad deterrendum, silvam eruere, ac dicendi faces comparare. Macte virtute, christiane miles, quisquis es, & rem gere, ut facis, strenue. te tuus inspectat imperator. non ullo eo inscio vulnera aut accipies, aut facies. *Super quem non surget lumen illius.* Quas tu porro, homo nequam, latebras maleficiis obtendes tuis? Si lucem fugis hominum, pulcrum te putas ac beatum. sed intuentis omnia Dei quo demum pacto vitabis aspectum? *Super quem non surget lumen illius.* Persequi cetera cujuimodi sunt, licet eodem filo, sed non lubet. Ad textum redeamus, vel rem potius differamus in tempus aliud : ne si breves non simus, quod possumus; molesti simus & odiosi, quod nolumus.

CAPUT XXVI.

Elevat Jobus futilem & imbecillam Baldadi, in eo saltem, disputationem, quod providentiæ divinæ suscipere velle patrocinium videatur: perinde quasi labaret sola, nec se suis ipsa viribus satis tueretur. Ostendit autem ex effectis rebus quamplurimis ac diversis, quantum Deus in omnem partem valeat.

1. RESPONDENS autem Job, dixit: 2. Cujus adjutor es? numquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis?

3. Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam.

4. Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum?

5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.

6. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.

7. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.

8. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.

9. Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam.

10. Terminum circumdedit aquis, usquedum finiantur lux & tenebræ.

11. Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.

12. In fortitudine illius repente maria con-

1, 2. AT non pauca refert Jobus. Cui fidus amicam
Jungis opem? Stimulos & vires addis inerti
Scilicet, admotoque labantia robore firmas

3. Brachia? Consiliis quem tu non futilis auctor
Instituis? rerumne rudem, nec mente sagacem?
Hic te jactasti, quæque hic tibi plurima virtus
Judicii, haud dubiis visa est se prodere signis.
4. At quem tu monitis audes, quem tu arte magistra
Imbuere? illum ipsum, tenues qui condidit auras,
5. Mite alimentum animæ. Viden, ut resupina gigantum
Corpora, quique habitant consortia regna, sub undis
6. Triste gemant! Olli Stygis exspoliata patescit
Regia non ulla defendens lumina nocte.
7. Ille dedit longum ventos per inane vagari;
Et terræ pendere solum fundamine nullo.
8. Ille cavis liquidos inclusit nubibus imbres,
Partiturque arvis prudens, ne qua humida claustra
Erumpant simul, atque mala eluvione redundent.
9. Ille arctis vinctum compagibus æthera magnum
Sustinet, ac multo nebulæ prætendit amictu.
10. Limite disclusas curvo, sol aureus unde
Primus agit currus, & quo sese ultimus abdit,
11. Circumsepsit aquas. Cœli intremuere columnæ
12. Illius ad nutum. Cum protinus æquora ponti
Nulla

EXPOSITIO CAPITIS XXVI.

2. CUJUS ADJUTOR ES. Dei summam & singularem deprædicat potentiam pariter atque sapientiam. potentiam, quæ nullius auxilio; sapientiam, quæ consilio non indigeat.

3. ET PRUDENTIAM TUAM OSTENDISTI PLURIMAM. In Hebræo, *& sapientiam abunde indicasti*, id est, rationem ac normam tradidisti, quam sequi debeat. Est enim תושיה *thoschiiah*, ratio & præscriptum rerum gerendarum.

4. NONNE EUM QUI FECIT SPIRAMENTUM. Hebræus: *Cujus anima exivit a te.* LXX. πνοὴ δὲ τίνος ἐστὶν ἡ ἐξελθοῦσα ἐκ σοῦ; quorum hæc sententia est: Cujus tu mentem refecisti ac recreasti consiliis tuis? vel: Quem tu unquam creasti, aut cui tu vitam animumque, ita ut Deus facit, dedisti; quod te socium Deo quodammodo & consortem operum adjungis; quasi tibi omnia paria cum illo sint? Quare vulgatus noster ab utroque discedit, nisi sic eodem revocetur: Quem tu instituere vis tuis sermonibus? nonne procreatorem animorum, cum tu nullius animum finxeris? est quippe ejusdem, & formare animos, & informare præceptis.

5. ECCE GIGANTES GEMUNT. Ipsi gigantes, qui bellare cum Deo videbantur, non modo imbecillos homines opprimere; jacent & ingemiscunt sub aquis & aquarum velut accolis. Ambigua significatio utriusque vocis. Prior רפאים *rephaim*, & mortui seu manes, & gigantes. Posterior יחוללו *iechololu*, vel formantur, vel dolent. Qua voce usus quoque est Hebræus vers. 13. Interpres noster, Deus, inquit, potentissimos quosque perdomare novit, & aquis obruere, velut quondam præpotentes illos, ante diluvium. De his enim nominatim Jobum loqui, plerique interpretes existimant. Verum tam istos, quam alios omnes comprehendere licet. At ex Hebræis, qui pro gigantibus mortuos exponunt, sic intelligunt, semina & grana putrefacta repullulare, præsertim in aquis, ut sunt corallia. Sed nostra magis cum Latinis interpretatio convenit.

6. NUDUS EST INFERNUS CORAM ILLO. Intima quoque, & ipsa terræ viscera, Deo patent.

7. QUI EXTENDIT AQUILONEM. Hoc est, hemisphærium boreale, quod insignius est, & nobis apparet. Hoc vero & solum omne, nullis fulturis, per sese Deus extendit.

8. QUI LIGAT AQUAS IN NUBIBUS SUIS. Singulare opus ac plane divinum, aerem in nubem cogere, collectum humorem nubibus, quasi suis conditum receptaculis, ad tempus tenere, opportune dispensare imbres.

9. QUI TENET VULTUM SOLII SUI. Solium Dei, cœlum. facies solii, ipsa superficies cœli, seu quasi frons & conspectus ædificii. Continet autem & firmat cœlum summum, ut in ipso quasi solido & fundo nubes explicatæ consistant. Vel, quod est simplicius, solium Dei, sive cœlum ipsum, cujus faciem obductis nubibus tegit.

10. TERMINUM CIRCUMDEDIT AQUIS. Aquas maris circumscripsit limitibus suis, usque in finem sæculi, quamdiu lucis ac tenebrarum vicissitudines erunt. Vide cap. XXXVIII. v. 10. & Jerem. XXV. v. 22. *Usquedum finiantur lux & tenebræ.* Vel tempus hic notatur, vel locus. Si prius, hoc est, quamdiu erit dies, quamdiu nox, sive vicissitudo dierum ac noctium. Si posterius, id est, ad extremas usque orbis partes, ubi summa & perfecta lux, summæ tenebræ, idque certo anni tempore. Quid si Orientis & Occidentis partes intelliguntur, ubi finis lucis finis, id est, Occidens; ubi lucis tenebris, id est, Oriens?

11. COLUMNÆ COELI CONTREMISCUNT. Qui supra inane ac nihilum terram suspensam, hoc est, aptam ex se, & undique nutibus suis conglobatam, jam dicit: nunc cœli molitionem omnem & fabricam columnis vult niti. sed illud vere & proprie dictum: hoc figurate atque ex vulgi opinione, a qua columnæ cœlo tanquam ædificio tribuuntur. & cetera de Deo poetica: *Tremere omnia visa repente: totum nutu tremefecit Olympum.*

12. IN FORTITUDINE ILLIUS. Tempestatibus agitatum

congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum.

13. Spiritus ejus ornavit cœlos: & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.

14. Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum ejus: & cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Nulla forent, tractus, vi magna innixus, aquarum
Collegitque vagos, certoque coercuit alveo.
Quantum artes, sensusque valet prudentia magni,
13. Edomuit tumidos animis. hinc illius alto
Spiritus ornatus cœlo. indidit. illius inde
Obstetrice manu coluber nascendo pependit,
14. Implicuitque orbes. Pars hæc longe ultima rerum;
Et quas gessit adhuc, & quas gerit. Appulit aures
Vix hominum, sermo tenuis; ceu debilis alte
Stilla cadens perit. Ergo poli quis ab arce Tonantem
Eminus, & tota molitum fulgura dextra,
Sufficiat perferre animis, aut cernere coram?

CAPUT XXVII.

Ea quam sibi Jobus constanter convenienterque dicat, qui se ab omni culpa hic quoque profiteatur immunem, atque in isto demum se perseveraturum, contendatque præterea improbos, quamvis eorum tota vita videatur, ac sit perfecta cumulataque felicitas, male ad extremum perituros.

Ceterum, ut initio statim posui, dupliciter mihi non placent lemmata capitibus præfixa libri, & quod potuerunt esse minus barbara atque emendata, & quod magis vera. Prius ubique patet: posterius hic, ubi de improborum traditur suppliciis post hanc vitam: cum in Jobo fere de præsenti vita duntaxat agatur.

1. ADDIDIT quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit:

2. Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.

3. Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,

4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

5. Absit a me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

6. Justi-

1. SUbjicit his Jobus, memorandaque dicta profatur.
2. Jure fori quæ me privarunt, numina testor,

3. Quæ tantis mersere malis; dum spiritus artus
Hos reget, ac tenuis nares super halitus ibit;
4. Non injusta loquar, non unquam dicere falsum
Accingar, non lingua novas mala consuet artes.
5. Nec vos crediderim insontes, omniqne solutos
Ab scelere. at vitæ contra, morumque priorum
Degenerem, dum spiro, dies non me arguet ulla.

6. Cæp-

tatum mare illius nutu conquiescit, & aquas suas colligit. *Maria congregata* interpretur sedatos & tranquillatos fluctus: si quidem commoti & excitati dissipantur. In eandem sententiam LXX. *ἰσχυῖ κατέπαυσε τὴν θάλασσαν*. Hebr. רגע *dagagh*.

Et prudentia ejus. Quin etiam illius sapientia superbus, hoc est, cetus marinus percutitur & contunditur.

13. Spiritus ornavit coelos. Colubrum tortuosum vocat serpentem, qui ambas ursas amplectitur. alii lacteum circulum intelligunt. Græci fere dæmonem. Vertunt enim *δράκοντα ἀποστάτην*, fugitivum, desertorem.

Obstetricante manu eductus. Ideo ita reddit interpres, quia in Hebræo חללה *cholelah*. Vocem autem hanc etiam LXX. proxime supra v. 5. ita reddiderunt *μαιωθήσονται*.

14. Ecce ex parte. Quæ proxime, inquit, commemoravimus, quota portio est eorum, quæ vi Deus & numine suo administrat atque exequitur? Et, si tantulum est, de eo quod audivimus, quis cœlestem vim ejus ac totam sustineat intueri? Translate & concinne dicta hic omnia: audire, intueri, stilla, tonitru. LXX *ἰκμάδα*. Tonitrua vis aquæ magna comitatur fere, aut consequitur, & vehemens imber.

EXPOSITIO Capitis XXVII.

1. ADDIDIT QUOQUE JOB. Non est dubium, quin Jobus hic interquieverit paululum, expectaritque quam mox Sophar, cujus erant eæ partes, loqueretur. qui cum obmutuisset omnino, perrexit Jobus aliquandiu, hoc est, duobus capitibus, loqui ac rursum moram interposuit aliquam, si quis forte trium responsi aliquid præterea daret. Quod cum non obtinuisset, tribus capitibus orationem conclusit suam, ac tandem peroravit.

Assumens parabolam suam. Parabola apud LXX. *προοίμιον*, est oratio similibus, comparationibus, sententiis, proverbiis instructa, adeoque figurata & tectis verbis perscripta. Quam in rem legendus Aristoteles lib. II. rhet. cap. XX.

2. Vivit Deus. Gravis affirmatio seu jurandi formula apud Hebræos. quam etiam Deo attribuunt, *vivo ego, dicit Dominus*. quasi qui dicat: Ita vivam, ut hoc aut illud est.

Qui abstulit judicium meum. Auferre judicium est nullam habere allegationum præsidiorumque rationem, quæ quis pro causa sua adducat in medium, nec purgandi sui locum relinquere. Quocirca *qui abstulit judicium meum*, is est, qui meo me jure privavit, sive quod vexavit præter meritum, sive quod locum mihi defensionis non dedit, sive quod gravissimis justissimisque querelis meis nihil commotus est.

3. Quia donec superest halitus. Hoc est, dum anima spirabo mea, quandiu vitam hanc & spiritum ducam, quem mihi Deus dedit.

4 Nec lingua mea. Hebræus: *Et lingua mea si loquetur dolum*. Vivit Deus, si non; vel, ita vivit Deus, ut non mentior.

5. Absit a me, ut justos vos esse judicem. Hebræus חלילה *chalilah*, *profanum*, subaudi, *sit*. creberrimus hujus vocis usus in sacris literis, cum quis a se aliquid detestatur, seque ab eo removet. *Ut justificem vos*, sensus est: In vita nunquam committam, ut sententiam vestram approbem, me sontem fatear. Est enim hoc justos vos pronunciare, qui judicastis; & suscipere crimen, agnoscere, confiteri, a quo ego longe absum. Quare neque unquam assentiar vobis, neque ipse a sententia mea discedam, aut omnino causam tueri meam desistam.

6. Jus-

6. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

7. Sit ut impius, inimicus meus: & adversarius meus quasi iniquus.

8. Quæ est enim spes hypocritæ, si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus?

9. Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia?

10. Aut poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore?

11. Docebo vos per manum Dei quæ omnipotens habeat, nec abscondam.

12. Ecce, vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?

13. Hæc est pars hominis impii apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient.

14. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane.

15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt.

16. Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta:

17. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis: & argentum innocens dividet.

18. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum.

19. Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.

20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.

21. Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum & de loco suo.

22. Et

6. Cœptum iter insistam recti: nil conscius ipse
Namque mihi: nulla pallesco aut æstuo culpa:
Eduxique pios, vivo quos hactenus, annos.
7. Impius; ecce meo gravius nihil imprecor hosti;
Quisquis is est, tantum hoc, hostis meus, impius esto.
8. Nam nisi fontem animam Deus eruat, improba quam
Calliditas, & avara manus raptoris habebit? (spem
9. An, cum sors adversa virum jactabit, acutos
Edentem gemitus, Deus audiet æthere ab alto?
10. An precibus cœlum assiduis, luctuque fatiget,
Inque Deo vitæ malesanus gaudia ponat?
11. Dicam equidem; neque celabo, quo munere donet

12. Quemque Deus. Quanquam nostis. Quid pergitis ergo
Digna, indigna loqui, fessas pulsatis & aures?
13. Hæc fortuna malis, & non indebita pars est.
Hoc illos Deus heredes ex asse relinquet.

14. Si fœcunda domi soboles; aut hosticus ensis
Demetet, aut per longa fames jejunia ducet.

15. Occidet & tandem, fuerit quæcunque superstes,
Turba, malis attrita, suisque infleta, jacebit.
16. Sive, luti in morem, vis illi condita magna
Nummorum; seu vestis erit quæsita supellex
Multa, & lauta diu; nequicquam utrumque pararit.
17. Namque illo melior, nummos qui dividat, alter
Non aberit, non qui pulcros inducat amictus.
18. Fronde velut multa custos, sibi texuit umbram,
Mille viis posuitque domum, ceu blatta, patentem.
19. Morte obita secum dives nihil auferet una.
Tum retro flectens oculos, cuncta antebonorum
20. Inveniet periisse. Gravi penuria casu
Deprensum involvet, præceps ceu montibus unda.
21. Tum nocturna gravabit hiems: tum ventus adurens
Turbine correptum, penetrali & sede revulsum,

22. Dis-

6. JUSTIFICATIONEM MEAM QUAM CŒPI TENERE. Recte interpres noster, idemque quod LXX. hoc sensu duplici conjuncto. rectum colam ac servabo, neque fatebor culpam in qua non sum, aut ullo modo prodam innocentiam meam.

7. SIT UT IMPIUS. Nemo, inquit, in hac causa, nisi impius adversabitur. nam nemo innocentem prudens ac sciens condemnat, nisi impius. Vel potest esse permissio: Esto, inquit, si velit, impius, sceleratus & nequam. ego vero innocentia mea perseverabo.

8. QUÆ EST ENIM SPES HYPOCRITÆ. Causam videtur afferre, quamobrem sibi constare velit, nec latum unguem a recta vita discescere: siquidem spes desperatissimæ sunt hominum istiusmodi fortunatorum in speciem.

ET NON LIBERET DEUS ANIMAM EJUS. Liberet vel furto, quo se obstrinxit; vel pœna, in quam incurrit. Perdifficilis locus. difficultas in una consistit voce, ישׁל itschel, quam quia alii aliunde derivant, diverse interpretantur. Potest quidem ita exponi noster interpres: Quid speret avarus & furax, etsi multa possideat, nisi eum Deus salvum præstet? Non præstabit autem. nam neque preces illius exaudiet, neque is in Dei numine acquiescet, ac ne precabitur quidem Deum.

11. DOCEBO VOS PER MANUM DEI. Hebr. ביד־אל *beida-el, in manu Dei.* LXX. ἅ ἐστιν ἐν χειρὶ κυρίου. quæ sunt in Dei manu. nihilominus reddidit interpres per manum, id est, Dei ope, sive Deo juvante. Quo fere sensu & Aggæi 1. c *Sermo Domini factus in manu Aggæi.* & psal. XVII. *In Deo meo transgrediar murum.*

12. ET QUID SINE CAUSA VANA LOQUIMINI. Quæ tandem vana? hæc duo præter cetera. Primum, malos vexari solos, cum probos eadem sæpe mali fortuna involvat. Alterum, omnes improbos vexari, quod etiam falsum. Atque hic & consecutis versibus videtur Jobus pugnantia loqui. supra enim in aliis capitibus id egerat, ut doceret in summa improbos perpetuaque felicitate versari, cum hoc loco contra ostendat, quam tristes parumque optatos exitus habeant. Sed hoc utrumque existimat videlicet, improbis esse plerumque non modo impunita scelera, sed etiam prosperam fortunam: at usu quoque sæpe venire, ut gravissimas pœnas persolvant, sub extremum vitæ præsertim, aut morte obita. Verum nihil hoc habere admirationis: mirum illud videri in eoque occulta Dei judicia & inexplicabilem sapientiam verti. de quo, capite sequenti agetur.

13. HÆC EST PARS HOMINIS IMPII APUD DEUM. Hæ sunt a Deo pœnæ, cum impio erga se, tum injurioso in alterum constitutæ. עריצים *gharitsim*, enim tyranni, potentes, qui metum ac vim inferunt.

14. SI MULTIPLICATI FUERINT FILII EJUS. Prima improborum pœna, ut ex eo miseri fiant, in quo beati videbantur esse. Felices a progenie multa; sed filii & nepotes partim egebunt, partim ferro tollentur.

15. SEPELIENTUR IN INTERITU. Est hæc proprie insepulta sepultura. mors illos sua sepeliet, nihil præterea supremi honoris consecuturos. Vult enim eis mortem futuram pro sepultura; quasi qui inhumati projiciantur, aut jaceant sane inopes & infleti, quorum interitum honore sepulturæ affines, cognati, ipsæ conjuges, qua necessitudine nullum conjunctionis arctius vinculum, carere patiantur.

16. SI COMPORTAVERIT QUASI TERRAM ARGENTUM. Si tantos acervos nummorum exstruxerit, tantam vim pecuniarum coegerit, & coacervarit, quanta stipari in unum terra solet; sique tantum vestimentorum & supellectilis congesserit, quantum est luti in triviis & compitis. Salomon lib. III. reg. cap. X. v. 27. *Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.*

17. PRÆPARABIT QUIDEM, SED JUSTUS VESTIETUR ILLIS. Atque ille quidem sibi paraverit tum vestem multam & pretiosam, tum grandem pecuniam: sed neque ipse fructus paratis, & ab illo maxime alienus. id est, vir justus, & utetur veste, & pecuniam, cui volet, numerabit. Cui dicto illud Lucæ cap. XII. v. 20. concinit: *Quæ autem parasti, cujus erunt?*

18. ÆDI-

22. Et mittet super eum, & non parcet: de manu ejus fugiens fugiet.
23. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum intuens locum ejus.

22. Dispergetque citis, ignoscere nescius, alis;
Nescius injecta dextra, vinclisve teneri.
23. Illius hunc stringentque manus, & sibila flabunt
Ora super: cernetque locum ac præstabit inanem.

CAPUT XXVIII.

Disserit Jobus insignem locum, nihil esse quidquam tam reconditum, tamque abstrusum, quod non proferat in lucem vel dies, vel industria laborque hominum, & ipse rerum usus atque experientia: unam sapientiam divinam inexplicabilem esse, consiliaque divina clausa hominum mentibus. Quæ disputatio quorsum pertineat, non est æque in promptu. intelligi tamen potest ex instituto Jobi cum sodalibus, sermone, quibus hunc existimandum est respondere. Iis igitur cum placeret, Deum ab maleficis pœnas hic semper exigere, bonos tranquille & prospere degere ævum; in quo divinæ sapientiæ certam ac definitam legem normamque videbantur præscribere: communis est ad hæc duo, aliaque ejusdem modi responsio: cetera quidem nota fieri longinquitate temporis, ingeniorum solertia: divinam vero vim nutumque, quo fit, ut non eveniant probis ex voluntate pleraque, contraque improborum res prosperæ & ad arbitrium fluentes; obscurum prorsus & ignotum esse. Quare sic existimo non speciatim Jobum respondere ad ea, quæ ipse superiori capite edisseruit, multo vero minus ad extremum versiculum, ut quidam volunt: sed generatim ad caput totius, quam cum amicis habuit, controversiæ.

1. HABET argentum, venarum suarum principia: & auro locus est, in quo conflatur.
2. Ferrum de terra tollitur: & lapis solutus calore, in æs vertitur.
3. Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.

4. Di-

1. ARgentique suus locus est, aurique metallo;
Crescit ubi in massas, & vena divite turget.
2. Tollitur e terris infecti lamina ferri.
Æstibus occultis, cæcoque liquescit ab igne
Dura silex, rigidique dehinc formam accipit æris.
3. Rerum auctor rebus descripsit certa latendi
Tempora, quaque die veniant sub luminis auras.
Singula quo spectent, spectat non segnius ipse,
Quid velit infossusque lapis, nigræque cavernæ,
Quid caligo paret, noctis quid cogitet umbra.

4. Ec-

18. ÆDIFICAVIT SICUT TINEA. Ædificium improborum non stabile atque certum, nec mansurum, quod similitudine ostenditur duplici. Primum, tinea domum sibi parat rodendo, quo nihil fragilius, magisque ruinosum. Deinde custos sive gregis seu pomorum, subitarium aliquid excitat servandi causa, ad breve exiguumque tempus duraturum, attegias vel tugurium.

19. DIVES CUM DORMIERIT. Magna interpretum varietas. Noster: Dives obibit, nec colliget secum quidquam opum, quas in vita habuerit. Propius Hebræo puto: Dives decumbet, nec colliget se, aut resurget, ubi semel jacuerit. Targum id confirmat, & reliquus versus, *aperiet oculos suos, & non est, & non ipse.* LXX. καὶ οὐκ ἔτι. facit hominem, qui cubuerit, expergisci e somno, & repente intelligere actum esse de salute sua. Quod Coduteus habet, non collectis sarcinis quempiam emori, hoc est, repentino, id nimis translatum est.

20. APPREHENDET EUM INOPIA. Dissimiliter in tribus, Hebr. בלהות *calahoth: terrores*, cum verbo singulari, quasi alius ex alio terror. LXX. αἱ ὀδύναι. vulgatus, *inopia.*

21. TOLLET EUM VENTUS URENS. Hebr. קדים *cadim, Eurus.* LXX. καύσων tantummodo. Sequitur, *& auferet.* In Hebræo & Græco, *& abibit*: idem autem valet, & auferet eum ventus, & abibit vento abreptus.

22. ET MITTET SUPER EUM, NEC PARCET. Durum se & immisericordem videlicet Deus præbebit. *De manu ejus.* Impius autem aufugiet quidem omni festinatione, sed non effugiet.

23. STRINGET SUPER EUM MANUS SUAS. Sententia est: Tot malis, quot supra dixi, vexabitur improbus plaudentibus probis & secunda spectatorum voluntate, prætereaque insultantibus in aliena calamitate, & miseros sibilo insectantibus. Est persimilis apud Jeremiam, in secundo capite lamentationum, locus, unde in hunc plurimum lucis affulgeat v. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt.* ubi voces binæ שרקו *schareku*, & ספקו *saphku*, quæ & eædem hic usurpantur. Est autem hic Hebraismus, *stringet*, id est, *stringens stringet*, nempe aliquis, ut Gen. XLVIII. 2. Nec vero solum probi plausum dabunt, &, bonum factum, pronunciabunt, ubi viderint improbos maximo suo merito plecti: sed etiam obstupescent & admirabuntur ruinas fortunarum tantarum. Est porro utriusque signum, irrisionis, tum complaudere manus, tum sibilare: nam obstupefacti & comprimunt arctius semel atque iterum manus, & pronunciant quasi sibilando: Hiccine tantus ex tanto! ex beato miser! hæccine est *urbs perfecti decoris.* Quod tamen sic convenit intelligi, ut alii gaudeant alienis malis, alii obstupescant. Vix est enim ejusdem, eodem tempore, & illudere miseri incommodo, quia dignus sit; & mirari, quod res insolens & inusitata sit. Tollunt etiam manus præ admiratione, vel præ novitate subitæ rei. Tullius lib. II. Acad. quæst. *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam sæpe manus tolleret.* Et lib. VII. epist. 5. ad Cæsarem: *Sustulimus manus & ego & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quid non fortuitum, sed divinum videretur.*

EXPOSITIO CAPITIS XXVIII.

1. HABET ARGENTUM. Omissum est ab interprete nostro, quod Hebræus habet, כי *ci, certe*, aut, *quia.* LXX. γάρ. Ex quo intelligitur ratio reddi eorum, quæ Jobus commemoraverat. Etenim, inquit, inclusa penitus in venis atque visceribus terræ, eruuntur tamen ex fodinis, aurum, argentum, æs, ferrum; neque hæc latere diutius sinit solertia, hominum. Quo loco observa & in Hebræo exprimi diversam rationem conflatutæ horum metallorum, & erudite ab interprete nostro converti.

3. TEMPUS POSUIT TENEBRIS. Sive homo, sive Deus per hominem effecit, ut ne diutius ista delitescerent in

4. Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & invios.

5. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.

6. Locus sapphiri lapides ejus, & glebæ illius aurum.

7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

8. Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leæna.

9. Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes.

10. In petris rivos excidit, & omne pretiosum vidit oculus ejus.

11. Profunda quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.

12. Sapientia vero ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?

13. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.

14. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum.

15. Non

4. Ecce tibi torrens rumpit se montibus unda;
Objicit & populo peregre divortia eunti,
Abscinditque viam, & vicinos summovet agros
Gentis inaccessæ, quo non iter amplius erro
5. Flectere egens meminit. Cereri opportuna ferendæ;
Unde homini victus, & tempore pabula certo;
Fit sterilis, flammas tellus experta nocentes.
6. Huc, ubi sapphirus pro saxis plurima fulsit,
Aurum ubi pro gleba flavis increvit aristis,
7. Lumina non vultur, non advertere volucres
8. Usque pedem. his oris non aut mercator avarus
Appulit, aut errans per inhospita tesqua leæna.
9. Dextram admovit homo silici, & radicibus imis
10. Avulsos solvit montes: excudit & undam
Abstrusam in saxi venis, penitusque profundos
Intravit fluvios. Rerum pretia omnia novit
11. Observans oculis, in lucisque extulit auras,
12. Quæ lucem fugere diu. Verum ardua tandem
Dic qua sede sedet sapientia? qui locus, aut quis
13. Orbis habet? pretium illius non indicet ullus,
Curantis genium, viventisque unctius, illam,
Sit licet hic locuples, frustra in regione requiras.
14. Terra, Meis antris, dicit; Mare dicit, In undis
Non latet illa meis: nusquam est reperire potestas.

15. Ac

in tenebris. Attende verba Hebraica: *Finem ponens tenebris, & omnem perfectionem ipse inquirens.* En quibus multiplex sententia elici potest, tum quia participia hic usurpantur, quæ verti varie possunt, tum quia varietas nulla apud Hebræos casuum. Sed hic mihi sensus omnium maxime probatur, qui propius accedit ad verba interpretis nostri, neque ab Hebræo discedit longius. Deus modum ac finem statuit tenebris, aut rebus potius, quæ in tenebris jacent, emergendi tempus assignat, rerumque omnium perfectionem & absolutionem observat & inquirit, etiamque lapides ipsos penitus defossos scrutatur. *Lapides* enim *caliginis*, lapides tenebris & caligine quasi obducti & interiore terræ parte. Vide porro ejusmodi participia usurpata pro verbo præsenti cum pronomen adhibeatur, הוא *hu*, *ille*.

4. DIVIDIT TORRENS. En alterum specimen rerum occultarum, quæ in lucem existunt. Præter enim metalla, quæ ex imis terræ penetralibus quodammodo proferuntur in apertum; sæpe accidit ut erumpant torrentes atque fluvii derepente, idque vident homines ac norunt quale sit. Subito exortus torrens decurrit impetu inter viam, & loca quæ seniora sunt a via, ideoque torrens intercipit iter, quod erat, aut esse poterat, a viatoribus ad devios. Hos porro maxime devios esse oportet, ad quos errones, qui ultro citroque commeare solent, nunquam mendicatum diverterint. Sed ab his nonnihil diversa sunt Hebræa, quæ & ipsa varie exponuntur. Simplicior & potior, meo quidem judicio, sensus est: Erumpit torrens ab accola; id est, ex una parte ita abundat torrens, ut quam latissime ab accola decurrat, atque exspatietur: ex altera vero parte ignoratæ hominum pedibus, id est, quas homines aquas trajicere pedibus non poterant, quod vadu transitus non esset, attenuantur ab homine, moventur, id est, dilabuntur & effluunt, hominesque destituunt. ut hinc diluvies aquarum, hinc siccitas.

5. TERRA DE QUA ORIEBATUR PANIS. Hebr. *Terra, ex ea panis, & sub ea evertitur quasi igni.* Id est, terra tota frugifera, extra, intus; vel terra, quæ segetes efferebat paulo ante, aduritur intrinsecus & sterilis fit. Itaque, *& sub ea*, erit, *& subterraneum eversum est.* Terræ videlicet cultæ ac fructuosæ nonnunquam sulphureas venas, & ex iis incendia concipiunt, sterilesque redduntur.

6. LOCUS SAPPHIRI LAPIDES EJUS. De eadem terra prius frumentaria loquitur, quæ adeo mirabili vicissitudine mutatur, ut metallifera incipiat esse, ex eaque aurum & sapphirus oriantur. *Sapphirus* ex Plinio XXXVII. c. 9. *aureis punctis collucet.* unde nata fortasse occasio mentionis de auro, cujus tamen jam scriptor ante meminerat.

7. SEMITAM IGNORAVIT AVIS. Adeo sterilis & inculta reddita est, tum etiam ob sulphureos ignitosque vapores inaccessa ora hæc terræ, ut ne propius quidem aves contingere prædatrices audeant quamlibet rapaces. cujusmodi loca a Latinis averna dici scribit Lucretius, *Græci ἄορνα vocant, quia sunt avibus contraria cunctis.* Ac ne vultur quidem, cujus est acies oculorum acerrima, ea satis cernit, aut eo introspicere sustinet.

8. NON CALCAVERUNT EAM. Sed neque mercatores, neque feræ pervadunt eodem, id est, in loca tam deserta, tantoque opere ab arbitris remota. Non liquet unde hæc hauserit interpres noster, aut quid legerit, cum ista reddidit, *filii institorum.* שחץ *schachats*, apud Jobum tantum legitur. LXX. υἱοὶ ἀλαζόνων An institores errabundi, qui modo huc, modo illuc commeent, mercaturæ causa?

9. AD SILICEM EXTENDIT MANUM SUAM. Non Deus hic subaudiendus, qui ex mediis silicibus subitas venas aquarum extundat: sed homo debet intelligi, qui admoveat manum ad opus faciendum, hoc est, ad montes convellendos radicitus, & ad rivos e saxis durissimis eliciendos, & qui ad pretiosissima quæque, quamvis recondita & penitus abstrusa, oculos adjiciat. Agitur videlicet de homine, cui difficilis sit sapientia ad inveniendum, quique eam ubicunque investiget, non eruat, sive fodiat in metallis, seu complanet rupes, unde scatebræ fontium, & amnium fluenta.

11. PROFUNDA QUOQUE FLUVIORUM SCRUTATUS EST. Hoc idem prope Græcus: βάθη δὲ ποταμῶν ἀνεκάλυψεν. At Hebræus aliter, *stillam seu fletum fluviorum cohibet*, id est, fluviorum cursum sistit, quibus exsiccatis appareant, & deprehendas quæ intus latetent.

13. NEC INVENITUR IN TERRA SUAVITER VIVENTIUM. Abest ab Hebræo atque a LXX. *suaviter*, quod tamen noster interpres non inutiliter reddidit, id si ita accipiatur: Ne inter delicatos quidem & curiosos sapientia invenitur, qui tamen undique, animi causa, præclarissima quæque ac rarissima conquirunt. Itaque non id eo pertinere, ut velit eos, qui laute ac genialiter vivant, sapientiam adipisci non posse; sed quoniam locupletes & beati difficillima quæque inventu & exquisitissima possident; idcirco sapientiam, ut rarissime inveniri doceat, ne apud illos quidem reperiri ait.

14. ABYSSUS DICIT: NON EST IN ME. Ita eleganter & ornate, ut apud alios scriptores nihil supra. Quasi universa terra, universum mare interrogetur, utrum sapientiam habeat penes se, aut alicubi celet, aut ubi denique delitescat, norit. Quantum est terræ, quantum maris est, inducitur loquens ac se negans ullo angulo suo, ullo sinu aut profundo sapientiam possidere.

15. NON DABITUR AURUM OBRIZUM PRO EA.

Per-

15. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.

16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

17. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri:

18. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.

19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

20. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?

21. Abscondita est ab oculis omnium viventium: volucres quoque cœli latet.

22. Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

23. Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.

24. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit.

25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.

26. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus:

27. Tunc

15. Ac non argenti summa, non emeris auri

16. Obrizi, tinctus non se color Indicus illi
Contulerit, non sapphirus, pretiove superbi

17. Sardonyches. Sumptus non vitrea sumptibus æquet
Crystallus, rude non aurum, non aurea vasa.

18. Haud venit e facili sapientia sola, latensque:
Omnia ad hanc parvi rerum pulcherrima pendas.

19. Arte laborati cedent, coctique colores
Sæpius, Æthiopumque topazius erutus oris.

20. Unde ergo hæc nobis, aut quas habet incola sedes?

21. Sese oculis furata hominum, furata volucrum est.

22. Letum ipsum, nox ipsa etiam, manesque profundi,
Illius nostras, dixerunt, perpulit aures

23. Fama modo. At novit prudens, sedesque, viasque,

24. Quas tenuit, Deus. extremas namque inspicit oras
Terrarum, & cœli subter quæ machina condit.

25. Ille notis levibus pondus dedit. ille liquores

26. Dimensus suspendit aquas. Cum providus olim
Fulminibusque viam, tempestatique sonoræ
Monstraret; leges cum decerret imbribus æquas;

27. Vesti-

Perspicuum est quidem constatque inter expositores, sensum horum quinque versuum hunc esse, ut sapientia neque auro, neque argento, neque gemmis æstimari queat, neque certum ei pretium constitui. Sed quoniam quinquies hic aurum diversis nominibus appellatur; sciendum est auri multiplex intelligi genus, undecunque tandem diversitas ista petatur; ne idem frustra & temere repetitum toties concedere cogamur. Hieronymus in x. caput Hieremiæ, *Septem*, inquit, *nominibus apud Hebræos appellatur aurum: quorum unum* אופז *ophaz*, *dicitur*, *quod nos dicere possumus obrizum, ut splendeat in superficie idolorum, quod intrinsecus lignum est, vilisque materia.* Quo ex loco Hieronymi istud præter cetera intelligitur, ejusmodi aurum esse, quo materies quævis inauratur extrinsecus. Sunt autem quinque voces quæ hic appellantur, אופיר כתם פז זהב סגור *ophir cethem paz zahav segor*, atque hæ duæ una junctæ, & priori additum epithetum טהור *tahor*, *purum*.

16. Non conferetur tinctis. Hoc est, sericis, aliisque pretiosis, quæ Indicis coloribus tincta sint. Itaque *tinctis* idem est ac *rebus tinctis*. neque enim colores tincti dici possunt. In Hebræo & apud LXX pro tinctis coloribus scriptum est aurum ophir sive obrizum.

Nec lapidi sardonycho pretiosissimo. Dic ordine, sardonycho lapidi pretiosissimo, quod est interpretis glossema. Sardonyx autem sive sardonychus una ex pretiosissimis duodecim Aaronis gemmis in rationali: sardonyches duæ in superhumerali ejusdem.

Vel sapphiro. ספיר *sapphir*. Observa vocem, quæ Græcis & Latinis eadem est, petitam ab Hebræis.

17. Non adæquabitur ei vitrum. Hoc est, crystallum, ut exponunt Græci interpretes. Hebr. זכוכית *zecucith*. LXX. ὕαλος.

18. Excelsa et eminentia. ראמות גביש *ramoth gabisch*, voces ambæ ignotæ, quibus gemmæ quædam certæ cum exprimantur, quas interpretes notas non habent, ἰσονόμως reddiderunt, & appellativa nomina pro propriis. Ac mos est iste interpreti nostro propria vocabula appellativis exprimere. ut II. reg. cap. XXIII. v. 8. primus ex fortibus Davidis appellatur, sedens in cathedra sapientissimus, qui in primo paralip. cap. XI. v. II. vocatur *Jesbaam*, *filius Hacamoni*. quod est observatione dignum. Atque hoc loco idem factum existimo.

Trahitur sapientia de occultis. משך חכמה מפנינים *meschec chocma mipeninim*, *extractio sive acquisitio sapientiæ præ margaritis*, quasi dicat: Rarius aut difficilius extrahatur undevis sapientia, quam e mari margaritæ. Atque hanc expositionem Codurcus se primum afferre existimat, quam longe ante Mercerus repudiarit ex Ramban. משך porro reperitur psal. CXXVI. v. 6. pro puro, electo, secreto, semine scilicet. Noster interpres videtur legisse מפנים *mipenim*, *ex intimo*, m. פנים *penim*, *interius*, *intimum*. Eodem pertinet locus proverbiorum cap. VIII. v. 14. טובה חכמה מפנינים *tova chocma mipeninim*, *melior sapientia margaritis*. quo loco eandem vocem miror non reddi eodem modo ab interprete nostro; hic, de occultis; ibi, cunctis pretiosissimis.

19. Nec tincturæ mundissimæ componetur. Supra v. 16. tinctis Indiæ coloribus. utroque loco כתם *cethem*, hic, *ophir*, illic, טהור *tahor*, *purum*. Quid si color iste non naturalis, sed arte illitus: sive istud tingi, sit inaurari, idque aurum sit pretiosissimum ac purissimum. Ceterum gemmarum hic nomina numero septem שהם *schoham*, sardonyx, vel onyx. ספיר *sapphir*, sapphirus. זכוכית *zecucith*, crystallum, vel adamas. גביש ראמות פנינים *gabisch ramoth peninim*, margaritæ. פטדה *pteda*, topazius. quibus in convertendis mirum quantum variant interpretes. Sapientia igitur non solum auro contra cara non est, sed neque metallis omnibus, neque gemmis venalis, nec purpura. Verumtamen unde eruitur, aut ubi delitescit?

21. Abscondita est ab oculis omnium viventium. Nemo omnium mortalium videat oculis sapientiam: ac ne aves quidem, volatu petentes altissimum locum, ex quo plurima circumspiciant, deprehendant eam & observent.

22. Perditio et mors. Concinne, modo dixit: Vivis invisa est sapientia. Nunc, mortui, inquit, aliquid de ea, fama tantum & auditione acceperunt. Hoc est, infima quæque ac reconditissima sub terra loca nihil habent præter auditum, eoque fama duntaxat sapientiæ, non ipsa sapientia, pervasit.

23. Deus intelligit viam ejus. Soli Deo vult notam esse sapientiam & merito: cujus ex præscripto omnia condiderit, moderetureque etiamnum, uti consecutis versibus planum fit.

24. Ipse enim fines mundi intuetur. Quidni sapientiam Deus habeat cognitam, & sedem ejus ac domicilium: cum ultimos orbis fines, & omnia quæ subter cœlum sunt, intueatur: immo vero omnia ipse effecerit, ventos, aquas, alia.

25. Qui fecit ventis pondus. Suum ventis quibus nihil est levius, pondus ac momentum quoddam attribuit: & aquarum vim immensam dimensus est tamen, & rationem ac formam modumque præscripsit.

26. Quando ponebat pluviis legem. Nimirum cum hæc composuit duo, quæ sunt & ventorum & aquarum.

27. Tunc

27. Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit.

28. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere a malo, intelligentia.

27. Vestigavit eam, vidit, docuitque repertam
Ante rudes populos, atque in commune paravit.
28. Tum nobis, Timor ecce Dei, sapientia, dixit,
Est hominum, & fugisse malum prudentia summa.

CAPUT XXIX.

Satis constat Jobum paululum interquievisse. tum repetito sermone, ea, quæ restabant, tribus continuis capitibus reddidisse. quorum primo florentem fortunam suam, altero afflictam, tertio quas integris rebus virtutes habuerit, commemorat. quanquam de his quoque nonnihil primo capite, quatenus se benignum erga omnes præbuerit.

1 ADDIDIT quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit:

2. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me?

3. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris?

4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo?

5. Quando erat omnipotens mecum: & in circuitu meo pueri mei?

6. Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei?

7. Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi?

8. Videbant me juvenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant.

9. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.

10. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.

11. Au-

1. Plura parat cœptis, majoraque dicere Jobus.

2. Quis dabit, incipiant primævo effervere venæ
Sanguine, & exacti redeant in pristina menses?
Qualis eram, mihi cum custos Deus additus ultro,
3. Aut iter obscura gradienti nocte præibat,
Perpetuo circum caput altum lumine fundens;

4. Aut una multum solus juvenilibus annis
Mecum erat, atque hospes rectis habitabat eisdem.
5. Tempore quo, proni coram in mandata ministri

6. Pendebant; presso ipse pedes in lacte lavabam;
Fundebatque silex latices mihi pinguis olivi;
7. Linquentique domos, limenque forense petenti,
Ibat honoratam positum turba obvia sedem.
8. Me simul aspexere, simul timuere videri
Æquales, latebrasque citi petiere pudore.
Ecce mihi gravis interea assurrexerat ætas,
Inque pedes stabat seniorum immobilis ordo.
9. Tum cessare loqui, & digito premere ora minaci

10. Primores: tum vocem intra compescere fauces
Magni animis, magni arte duces, linguisque favere.

11. Me

27. TUNC VIDIT ILLAM. Hoc est. enarravit, expoluit, declaravit. Quo primum tempore pro sua providentia legem rebus creatis dixit, tunc suam sapientiam quodammodo consuluit, ad eam retulit, quid facto opus esset; in eam quasi inquisivit, quid moneret ac præciperet.

28. ET DIXIT HOMINI. Aliquid sapientiæ suæ impertivit homini. illud videlicet, ut veneraretur numen, seque a vitiis abstineret, aliud nihil curaret præterea: nevé quæ supra hominem essent, curiosius indagaret; neve Deum rationem posceret, quamobrem cum improbis præclare sæpius ageretur in hac vita, secus cum probis.

EXPOSITIO CAPITIS XXIX.

1. QUIS MIHI TRIBUAT. Optat Jobus, ut in pristinom statum restituatur, non illo more communi miserorum, qui requirunt amissa, levarique quærunt; sed ut amici intelligant, nihil eum tum commisisse, quamobrem eo fortunæ gradu, in quo erat, dejiceretur: quasi dicat: Utinam sim, quo eram antea statu, sentiretis ipsi profecto, non me prosperis rebus abusum, in has miserias incidisse.

SECUNDUM DIES QUIBUS DEUS CUSTODIEBAT ME. Carum se Deo fuisse significat, a quo miris foveretur modis: jucundum hominibus, & magno apud eos in honore.

3. QUANDO SPLENDEBAT LUCERNA EJUS. Præclarus, atque haud scio an ullus uspiam præclarior tropus, ad ostendendam Dei prolixam & beneficam in hominem unum aliquem naturam; eum perfundere totum multa luce; ei nocturnum iter habenti lucere facem, aut prælucere.

4. SICUT FUI. Hebræus כאשר caascher, significat dum, *sicut*, & *quum*. Noster interpres prius reddidit, LXX. posterius, ὅτε ἤμην.

QUANDO SECRETO DEUS ERAT IN TABERNACULO. Magnum intimæ familiaritatis argumentum, Deum cum Jobo apud eum domi secreto agere. Potest & sic exponi, quando secretum Dei erat in tabernaculo meo. Cum Deus arcana sua apud me deponeret, mihi occultos sensus crederet, omniaque mecum communicaret: *Quand j'avois le secret de Dieu.*

5. QUANDO ERAT OMNIPOTENS. Cum Deus multum una mecum esset, solus essem domi, nemo præter meos.

6. QUANDO LAVABAM. Magnam quandam bonorum ubertatem exprimit. tantus erat butyri oleique proventus, ut etiam pedes iis meos lavare, si vellem, possem, ut apparet vel ex hujus libri initio, veterum illorum divitiæ in re pecuaria sitæ erant. Sic & Deuter. XXXII. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

7. QUANDO PROCEDEBAM. Quoties forum, juris dicendi causa, peterem, sella mihi & tribunal continuo parabatur. de sella enim ac tribunali palam judex pronunciat. olim judicia conventusque publici ad civitatum portas celebrari consueverant, ut ex innumeris patet exemplis. Eo Jobus se conferebat, ut auctoritate ac prudentia sua, civium inter se lites dirimeret. Solebant porro pedisequi sellas humeris portare, in quibus heri considerent, ut docet Hesychius in voce ὀκλαδίας, & oratione de regno Synesius.

8. VIDEBANT ME JUVENES. Commemorat Jobus, quis habitus honos sibi sit, prodeunti in publicum, & exercenti judicia. ut juventus non modo decederet de via, sed abderet se domum pudore, neque conspici vellet. ut senes assurgerent, neque grave ducerent circum judicium stare. ut principes civitatis ac belli duces maximam sibi audientiam facerent.

11. AURIS AUDIENS BEATIFICABAT ME. Qui me audierant, vel etiam de me, beatum pronunciabant, qua-

11. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.

12. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor.

13. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.

14. Justitia indutus sum: & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo.

15. Oculus fui cæco, & pes claudo.

16. Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.

17. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

18. Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.

19. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.

20. Gloria mea semper innovabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.

21. Qui me audiebant, exspectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum.

22. Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.

23. Ex-

11. Me meus auditor, spectator me meus, uno
Fortunatum operum, ter & amplius, ore canebat.
12. Namque laborantem mendicum, & multa gemen-
Eripuique malis, pubemque parentibus orbam, (tem
Orbam solatus thalami consorte maritam
13. Sæpe fui. Quoties vicina a morte receptus,
Et vitæ, per me incolumis, fausta omnia dixit?
14. Justitiæ incessi super exornatus amictu
Puniceo: caput in morem cinxere coronæ
Judicia, & solers dubiis prudentia rebus.
15. Me duce ponebat facili vestigia cæcus
Tuta loco: nec pes claudo titubavit eunti.
Hujus quippe vices, supplebamque illius, instar
Membrorum; inque usus centum, formasque, juvandi
16. Vertebar studio. Non, me spectante, parentis
Pauper ope indiguit, non cura judicis insons.
Jura recognovi populorum, & crimina solers
Quæsitor didici, neque veri improvidus error
Præcipitem dedit in capita, exitiumque reorum.
17. Contra ego deprensum vindex scelus, & mala pœnis
Furta virum pressi, magnosque utrinque molares
Excussi, os tundens; prædamque e dentibus arctis,
Nequicquam raptore fero obluctante, revelli.
18. His fretus, votoque animos elatus inani,
Talia jactabam. Mihi vero ante omnia nidus,
Privatusque placet sedes laris. hic ego vivam,
Hic moriar; nec erit, peregrina ut condar in urna.
Quod superest, magno major ceu pondere palma,
Annorum obnitar lapsus, & tempora contra,
Evincamque dies, seniumque exsangue morabor.
19. Radicem irrigui prope jeci fluminis undas,
Nec tempestivus ros spicea deseret arva.
20. Vitæ erit immortale decus, nervusque, sagittæque
In manibus, cornuque subinde novabitur, ipsis.
21. Ergo mihi quicunque avidas auresque oculosque
Coram præbuerant, suspensi, oracula donec
Eloquar, exspectant, & sensa inaperta recludam.
22. Interea fandi dum fertile depluit imber,
Nil dictis ausi mutare aut addere nostris.

23. Ac

quique aderant præsentes, testimonium mihi tribuebant integritatis. Non desunt videlicet testes oculati innocentiæ meæ.

12. EO QUOD LIBERASSEM PAUPEREM. Magna apud Jobum misericordem nomina, pauper implorans opem, pupillus indefensus, vidua mœrens, quicunque pessime affectus modo, & periculose laborans.

13. BENEDICTIO PERITURI. Periturus, nisi in loco subvenissem. *Benedictio veniebat super me.* fauste me precationibus prosequebatur.

14. JUSTITIA INDUTUS SUM. Communis est expositio, Jobum jus & æquum assidue retinuisse, nec integritatem & fidem magis, quam vestem deposuisse. Multo rectius sic interpretati, ut, cum vestium alia esset domestica, alia forensis, quod erat insigne judicis ac magistratus; justitiam instar vestis lautioris & elegantioris cujusdam, cum qua procederet in publicum, habuerit; ut ornatiorem se hac animi, quam ullo corporis cultu, existimaret. sic David locutus est psal. CXXXI. v. 9. *Sacerdotes tui induantur justitia.* Salomon sap. vers. 19. *Induet pro thorace justitiam.* Esaias LIX. 17. *Indutus est justitia. ut lorica.*

15. OCULUS FUI CÆCO, ET PES CLAUDO. Nihil hoc habet admirationis, si mutuis officiis juvant inter se nonnulli, ut claudus cæcum regat, cæcus porset claudum aut sustentet. qui neutrius egens, utrumque commodat alteri, is demum benignus ac plene perfecteque misericors.

16. CAUSAM QUAM NESCIEBAM, DILIGENTISSIME INVESTIGABAM. Quia in judicio non minus ignoratione juris, quam malitia peccatur; Jobus dabat operam, ut causam perceptam penitusque comprehensam haberet. Quoniam etiam tenuiores opprimuntur a potentioribus sic, ut ne judicio quidem experiri liceat, careantque defensoribus; profitetur se effecisse, ut ne suus illis patronus deesset, adeoque se horum patrocinium suscepisse. Firmat hanc expositionem versus consequens, quo se ora contudisse ait improborum, & ex eorum impurissimis faucibus sceleratissimam prædam eripuisse.

18. DICEBAMQUE: IN NIDULO MEO MORIAR. Hoc utrumque in parte felicitatis numeratur, & vivere diu, & emori inter suos. Si oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quam in externis atque alienis locis.

SICUT PALMA. Hebr. חול *chol*, arena. LXX. *ὥσπερ στέλεχος φοίνικος tanquam caudex palmæ* Rabbi Salomo genus ait esse volucris. Sane Græca dictio φοῖνιξ, utrumque significat, & avem phœnicem, & palmam: quæ utraque est annosa.

19. RADIX MEA APERTA EST SECUS AQUAS. Tribus versibus complectitur, quæ secum animo reputaret, superiore, isto, consequenti. Porro autem se arbori consitæ propter aquas similem facit, cujus radix irrigetur, rami nocturno rore immadescant. Itaque commodius est, ut vocabulum קציר *catsir*, quod messem, itemque ramum significat, hic pro ramo sumatur. contra quam tamen LXX. acceperunt: *ἐν τῷ θερισμῷ μου*

20. GLORIA SEMPER INNOVABITUR. Nomen enim nostrum majori in dies apud omnes gloria: vires quoque nostræ atque opes magis ac magis augebuntur. arcus enim pro robore in sacris literis, quod his armis Hebræi quoque uterentur. Ceterum major hic vis ac potestas sententiæ est, quam videtur. Cum, inquit, arcus semper intentus fatiscat assiduo usu fiatque laxior; contra evenit mihi, ut arcus in manibus meis meus, hoc est, utendo, plus assumat roboris.

21. QUI ME AUDIEBANT. Redit eodem, unde tantisper deflexerat, & ostendit quantum sibi tribuerent qui

 con-

23. Exspectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.

25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

23. Ac veluti sicco dudum sub sidere cœli,
Agricola opperiens jam serum frugibus imbrem,
Hærebant taciti, & patula verba aure bibebant.
24. Quinctiam adstanti blandum si forte coronæ
Ridebam, & vultu propius dignabar amico;
Credere vix tantum hunc, vix ante optare favorem
Quibat, & excipiens jucundo lumen ab ore,
Haud cadere in terram frustra, spargique sinebat.
25. Quod si ædes olim & notos invisere cœtus
Est placitum; aurata conspectus sede locabar,
Prima tenens: sicut densas ubi vertitur inter
Rex acies, humerisque supra est. Non secius exin
Instaurare eadem vigili pia munera cura
Cordi erat, afflictisque hominum succurrere rebus.

CAPUT XXX.

In sententia totius capitis tam aperta, mirum tantam obscuritatem esse versuum singulorum, aut trium linguarum discrepantiam. Ceterum & facile apparet, & jam dictum, quid caput hoc habeat argumenti.

1. NUNC autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:
2. Quo-

1. NUnc risu miserum, dictisque incessit amaris (tes
Turba procax juvenum: quorum non ipse paren-
Dignabar vigiles gregis inter habere molossos.
2. In-

consilium peterent, qua attentione audirent, quam nihil contra dicerent, dictis meis nihil amplius adderent.

23. EXSPECTABANT ME SICUT PLUVIAM. Exspectabant videlicet dum verba facerer, sitienterque appetebant ejus orationem totam, ore semiapeto, sic tanquam imbrem optatissimum. Imber serotinus est is qui novissimus supervenit jam maturis segetibus, aliquanto ante messem. Quare cavendus est hic multiplex error. Primum, non est is serotinus imber, qui sero decidat, æstumque ac siccitatem diei excipiat. Deinde non est vernus imber, nisi quia apud Judæos in id anni tempus messis incidit. Tum non est intempestivus imber, quasi qui alieno aut longo post tempore tandem decidat.

24. SI QUANDO RIDEBAM. Si quando arriderem eis, ac familiarius agerem, vix adducebantur id me ita facere; & quidquid per jocum loquerer, id serio prævertebant, nec animi causa dictum putabant; hilaritatemque, quam præ me ferebam, excipiebant, nec sic abire, ut fit, quasi rem, quæ nihil attinet, sinebant. *Si je disois la moindre parole en riant, ils la prenoient tout de bon, & la relevoient avec respect comme une chose d'importance: ils ne laissoient rien tomber à terre de tout ce qui venoit de ma part. Ma gayeté même & ma belle humeur ne leur ôtoient point l'opinion qu'ils avoient que je parlois serieusement*: tanta erat uostri reverentia. Itaque hilaritatem non contemnebant meam, neque me propterea minoris faciebant. Prov. XVI. 15. *Lux vultus regis.* באור פני מלך *beor phenei melec*: ad verbum, *nec lucem vultus mei cadere faciebant.*

25. SI VOLUISSEM IRE AD EOS. Hebræus quidem & LXX. inter se consentiunt, hac sententia: Versabar inter cives meos, quasi rex in medio exercitu, quoque modo consolator inter mœstos circum stantes. ille enim auctoritate & imperio: hic vi & lenitate orationis principatum tenet. Aliud quiddam noster interpres reddidit, cum sic ratiocinetur: etsi primas obtinerer inter suos, descendisse tamen nihilominus ad afflictos & jacentes sublevandos. LXX. verterunt *ἐν μονοζώνοις*, ad verbum *in unicingulis*: quales esse puto gregarios milites seu velites, qui expediti certamen ineunt. Nam zona seu balteus militiæ signum est, ut apud Themistium est orat. IV. Atque hoc modo summam adversus se reverentiam exprimit Jobus, eo quod reges ab infima militia multo magis honorantur. Quasi diceret: Principes illi & optimates ita se erga me gerebant, ut erga principes & reges gregarii milites.

EXPOSITIO CAPITIS XXX.

1. NUNC AUTEM DERIDENT ME JUNIORES. Affert Jobus hæc tanquam e regione contraria. Æquales Jobi præ illo nihil sibi videbantur esse, qui præcurrebant ætate, maximum ei honorem habebant. Nunc irrident eundem & contemnunt minores natu, ipsi & contemptissimi, & contemptissimis orti parentibus.

QUORUM NON DIGNABAR PATRES PONERE CUM CANIBUS GREGIS MEI. *Ponere cum*, est, opinor, componere, non præponere. hoc est, ne componendos quidem canibus, qui custodes gregis essent, putabat, nedum præponendos. Non habebat eodem numero istos, quo canes pecuarios; neque hanc illis custodiam commisisset, cui canes præfecerat. Planius istud forsan fuerit, quos neque iisdem cibis, quibus canes pastorales, neque eadem caula dignabatur: aut quos nollet opiliones sibi seu gregibus armentorum suis.

2. QUORUM VIRTUS NIHIL ERAT [sic as printed: "QUORUM VIRTUS NANOOM"]. Qui nullam Jobo operam dare poterant, ac ne victum quidem sibi quærere labore, aut mereri, ut sibi victus præberetur. *Des gens qui ne gagnoient pas le pain qu'ils mangeoient.* Eo pertinet dictum Pauli: *Qui non laborat, non manducet.* Hebræus: *Periit super ipsos senium.* Quod aliter ab aliis exponitur: nos quidem sic interpretamur; ingloria fuerit eorum senectus. Verum Hebraica vox כלח *cela*, a LXX. redditur *συντέλεια*, quod est consummatio. Ac vertit Symmachus, *periit ipsis πᾶν τὸ τοῦ ζῆν*, quidquid ad vitam pertinet. ut vita pro victu ponatur.

3. EGESTATE ET FAME STERILES. Steriles licet interpretari vacuos rerum omnium, translatione ab locis incultis & desertis. Sed intellige, qui vere propieque dicuntur steriles, itaque habent LXX. *Ἐν ἐνδείᾳ καὶ λιμῷ ἄγονος*. Atque eodem Hebræus revolvitur. Est enim גלמוד *galemud*, *solitarius*, aut, *solitudo*. ערירי *gheridi*, quoque solitarius est, id est, sine liberis, Gen. XV. 2. Levit. XX. 20. Jam & orbitas liberorum & *ἀτεκνία*. solitudo quoque parentum dicitur. Egestatem porro & inediam fere comitatur sterilitas. Ex quo in oppidis diu obsessis summa paucitas recens natorum.

QUI RODEBANT IN SOLITUDINE. Hebræus [illegible] *ghorecim*, *fugientes*. LXX. *φεύγοντες*. Ex quo conjectura est vocem hanc veteris interpretis, *rodebant*, esse, errabant, circumibant; atque a nostro sermone vernaculo nihil differre, qui est vagari, *roder*. Est hoc certe summæ cujusdam calamitatis, de qua Paulus ad Hebræos 11. *Circumierunt in solitudinibus errantes*. cum inopia & fames expellit cives urbibus, compellit in arida, vasta, & deserta loca, indeque victum cogit petere, ubi summa soli siccitas, vastitas, direptio. Quatuor in Hebræo voces, quæ siccitatem, tenebras, desolationem, vastitatem sonant.

4. ET MANDEBANT HERBAS. Hebræus מלוח *maluach*, *herba salsuginosa*, a מלח *melach*, quod est sal: adeoque potest pro salsamento quovis intelligi. decerpebant quod esitarent.

2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.

3. Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate & miseria.

4. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.

5. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.

6. In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream.

7. Qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.

8. Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes.

9. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium.

10. Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere non verentur.

11. Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum posuit in os meum.

12. Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt: pedes meos subverterunt, & oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

13. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt & non fuit qui ferret auxilium.

2. Invalida, & nihili mihi gens, nec vivere digna,

3. Tristis, inops, rodensque fame deserta, maloque
Circumsessa gravi, & pædoribus obsita corpus.

4. Arboreus victum cortex, eduraque radix
Juniperi dabat, & male vescæ graminis herbæ.

5. Talia quæ postquam sterili convalle reperta,
Magno alii præreptum aliis clamore ruebant.

6. Torrentes undas juxta, deserta colebant,
Defossosque specus, aut sicca litora arena.

7. Hæc etiam lætari inter, mollesque putare
Delicias, late sentes jacuisse per altos.

8. Patribus indoctis soboles, ac vilibus orta.
Nullo ipsa in numero, famaque obscura latenti.

9. Huic ego ridendus turbæ, venique canendus,
Nunc sermo passim, & mordacis fabula vulgi.

10. Me fugiunt, tetrici: caput exsecrantur, & audent
Discessu faciem sputo conspergere turpi.

11. Namque Deus pharetram expedit, promptisque sa-
Me misetum afflixit, frænavitque ora lupatis. (gittis

12. Cetera cum primum nobis exorta malorum est
Turba frequens, subito pars hæc non ultima venit.
Opponunt pedibusque pedes, cursuque protervi
Fluctivago pueri confundunt nota viarum.

13. Corrupere locos faciles, curvasque pararunt
Insidias: forti vicerunt robore bella.
Nec fuit, auxilium rebus qui ferret egenis.

rent. LXX. ἄλιμα. Hæc porro vox bifariam scribitur, cum aspiratione & sine ea. Aspirata dicitur halimus frutex, quem Latini aureonem vocant, ait Plinius, de quo Ruellius lib. 1. cap. LXXXV. Quidam malvam interpretantur non bene. At sine aspiratione alimus inde dicitur, quod gustata famem sedat. Scholiastes Græcus herbam dicit esse, quæ manducata satietatem cito gignit, unde & nomen sumpsit.

Arborum cortices. In Hebræo, עלי שיח *ghalei siach*, *super virgulto*, aut *juxta arbusta*. Videtur mihi noster interpres id quod est arbori proximum, sive super arbore, reddidisse *corticem*. nec injuria siquidem cortice nihil est conjunctius arbori, cum aliquid etiam sit arboris. Quid si dicamus, detrahebant arboribus amaras cortices, quas comederent? Nec contenti corticibus, radices arborum effodiebant, adhibebantque ad cibum. Vide Virgil. III. Æneid. & Cic. VII. in Verr. LXXXVIII. *Nauta fame coacti radices palmarum agrestium colligebant, & his miseri perditique alebantur.* Vide item Vatab. & Merc. in hanc vocem, ubi alii ל servile volunt, esseque ad calefaciendum; alii ם affixum, & reddi recte, *panis eorum*.

5. Qui de convallibus ista rapientes. Est aperta quidem sententia hujus versiculi: sed obscurum, unde noster interpres hauserit, aut cur ita reddiderit; cum nihil hujus extet in Hebræo. ita enim habet, *pellebantur de medio: clamabant adversus eos, tanquam furem.* hoc est, ejiciebantur conviciis, & maximo clamore multitudinis, quæ tanquam fures manifestos insequeretur. Clamabantur videlicet fures. de quo vide Instit. unaque Cujacium.

7. Qui inter hujuscemodi lætabantur. Periphrasis est hæc Hebræi contextus, *Inter virgulta clamabant, & associabantur sentibus.* Hoc est, lætitiæ voces edebant, nacti aliquid recessus & latebrarum, ac jacere in sentibus, voluptati eis erat.

8. In terra penitus non parentes. Ad verbum, *terra depressiores.* ex quo consequitur id, quod noster interpres reddidit, ut nusquam extent, aut compareant.

9. Nunc in eorum canticum. Nunc, inquit, istiusmodi contemptissimis hominibus ludibrio sum & despectui, ita ut & fabulam de me composuerint, & carmen decantent.

10. Et faciem meam conspuere non verentur. Sunt qui minuant hanc sententiam interpretando, itaque reddant: *Neque avertant se a facie mea spatantes.* quasi Jobus queratur fuisse, qui inter excreandum non se, ut fit, averterint. Sed isti parum advertunt Jobum veram & expressam effigiem Christi fuisse, derisi & sputis consputi.

11. Pharetram enim suam. Quamobrem dure & inclementer accipiatur a vilissimis hominibus, significat Deum quodammodo causam dare, qui non modo permittat fieri, sed etiam ipse prior affligat, & exemplo istos in se incitet. Quod ait, *pharetram suam aperuit*, non ita diversum est ab Hebræo, *nervum suum solvit.* יתרו *iathro*, id est, sagittam emisit arcu. At longe aliud Hebræus in eo quod sequitur, *frænum posuit in os meum.* Est enim, *frænum a facie mea projecerunt.* Vult hoc, opinor, noster interpres, Jobo obstructum os, quod est ἐπιστομίζειν, ne quid hisceret in malis, aut ne se solita eloquentia ferret. de qua superiori capite.

12. Ad dexteram orientis calamitates meæ. Hærent hic omnes, neque quidquam expediunt, in quo ego animus acquiescere. nodus est in voce una פרחח *pircha*, quam alii alio inflectunt ac torquent. Chaldæus interpres exponit בכוצפא *bevotspa*. quod quia valet, *cum festinatione*, a verbo Chaldæo כצף *catsaph*, *acceleravit*; existimandum est interpretatum fuisse, *confestim*, *subito*. quo modo noster interpres, *illico*, reddidit. Quod autem habetur, *ad dexteram orientis calamitates*, consentaneum est dicere interpretem nostrum, perspicuitatis causa, adjecisse, orientis calamitatis meæ, cum, *ad dexteram*, exponeret. quasi diceret, hac ipsa parte, qua oriretur calamitas mea a Deo, & existeret, continuo insurgunt hostes in me mei. Certe videtur superior versus indicare Deum initium fecisse cladis, mox velut signo dato adversarios Jobi exortos, qui mala huic, quæ sequuntur, continenter inferrent. Quod si legatur, ut videtur legendum, *calamitates*; hunc locum sane difficilem sic interpretandum arbitror: Cum adhuc secundæ meæ res vegetæ essent, & summam spem præberent, ac velut in ortu; calamitates me subito invaserunt. Græci habent *ad dexteram germinis.* Itaque, oriens, pro germine, ac quasi pullulante fortuna & felicitate, cernitur. Sic orientem imperatorem. eo quo creatus est die, & ortum imperatoris appellat panegyricus Maximiano & Constantino dictus. hoc idem exprimunt Hebræi illa voce sua *pircha*.

Pedes meos subverterunt. Impulerunt pedes meos, meque præcipitem egerunt, tum protriverunt me & conculcarunt, meumque corpus, pro stratis viarum, detritis pedibus vulgi, habuerunt.

Oppresserunt quasi fluctibus. *Quasi fluctibus*, abest ab Hebræo. Ejusmodi verbis confertum agmen irrumpentium exprimitur. quam inundationem scriptura vocat, ut Isaiæ LX. *Inundatio camelorum operiet te.* Vide porro caput XIX. hujus libri v. XII. ubi calamitatum suarum violentiam cum effuso hostium suorum impetu comparat Jobus. Atque hic illustres & crebræ translationes, quas idem ad injurias exaggerandas adhibet.

13. Dissipaverunt itinera mea. Iter, ne quod inirem, corruperunt, hoc est, omnem vitæ meæ rationem viamque, quam ingressurus essem, confuderunt ac perturbarunt.

14. Quaſi rupto muro, & aperta janua, irruerunt ſuper me, & ad meas miſerias devoluti ſunt.

15. Redactus ſum in nihilum: abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum: & velut nubes pertranſiit ſalus mea.

16. Nunc autem in memetipſo marceſcit anima mea, & poſſident me dies afflictionis.

17. Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.

18. In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.

19. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum favillæ & cineri.

20. Clamo ad te, & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me.

21. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.

22. Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me valide.

23. Scio quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi.

24. Verumtamen non ad conſumptionem eorum emittis manum tuam: & ſi corruerint, ipſe ſalvabis.

25. Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

26. Exſpectabam bona, & venerunt mihi mala:

14. Pariete ceu rupto obnixi, foribuſque recluſis,
Decurrere in me, mea prono ad damna voluti

15. Corpore, tum recidi in nihilum, tum noſtra, rapacis
More noti, celeres diſſlaſti optata per auras,
Et nubes ceu ſparſa, ſalus evanuit omnis.
16. Nunc animus mihimet florens marceſcit, & ægrum

17. Tempora habent me læta parum. noctu oſſa dolores
Tranſadigunt, nec qui peredunt me, lumina ſomno
18. Declinant. terram, quam magna eſt, copia veſtem
Atterit, anguſtoque velut conſtringit amictu
Obſeſſas fauces, ac limbo præpedit ora.
19. Par incedo vago cineri, levibuſque favillis,

20. Informique luto. ſupplex tua numina magna
Voce voco, non exaudis: non reſpicis, adſto.
21. Te mihi mutaſti, crudelemque ore tuliſti,
Et robur tibi durum, adverſariſque lacertis.
22. Me procul elatumque ab humo, ventiſque ſupernè
Impoſitum, caſu eliſum graviore dediſti.
23. Me morti, ſcio, demittes, ubi luce potitis
Tandem certa domus, ſedeſque eſt omnibus una.
24. Non tamen emiſſa penitus conſumere dextra
Ipſe velis, hominum quod onus ſublime levaſti.
Quinetiam innocuum, ſi quando corruit, ultro
25. Præſtiteris. Fletu quondam mœſti ora rigabam

26. Solando, indoluique malis. exſpecto benignam
Dum

Insidiati sunt. Non eſt in Hebræo, ſed hoc arbitror interpretem noſtrum poſuiſſe, explicandi cauſa; quod qui rumpunt iter, inſidiatores viæ ſunt, obſidentque aditus & exitus locorum.

Prævaluerunt. Reſpondet iſta vox huic Hebraicæ יעילו *ioghilu*, *profecerunt*, *utiles fuerunt*. Sententia videtur eſſe: Ad perniciem meam valuerunt ipſi per ſe ſatis, nec auxilium cujuſquam requiſierunt.

14. Quasi rupto muro. Et hic quoque interpres noſter, quod vage dictum erat, tanquam *per fracturum latam*, ſignavit apertius, cum dixerit, effracto muro, & valvis patentibus, tanquam pondus magnum e ſuperiore loco, ad miſerias Jobi, cumulandas ſcilicet & adaugendas, devolutos eſſe adverſarios. impetus notantur eorum furentes & violenti.

15. Redactus sum in nihilum. Eſt in Hebræo ad verbum: *Converſus eſt adverſum me terrores, & perſequetur ficut ventus deſiderium meum, & velut nubes tranſiit ſalus mea.* Ubi adverte, hac in voce, *converſus*, eſſe enallagen numeri & generis: ſic autem ſuppleri orationem דבר בלהות *devar balahot*. Deinde, *perſequetur*, eſſe futurum feminini generis, tertiæ perſonæ; aut ſi reddas, *perſequeris*, eſſe futurum ſecundæ perſonæ, maſculini generis. Hic tres adito Hebraice doctos, Vatablum, Mercerum, Codurcum.

Ex hoc iſta elici præclara ſententia poteſt: *Les craintes ſe ſont tournées contre moi, & comme un vent furieux ont perſecuté mes deſirs. Enſuite, c'eſt fait de ma ſalut: ma vie paſſe comme une nuée.* נדבתי *neddibathi*, *ſpontanea mea*, ſive *anima mea*. ſed legi debet *niddubathi*.

16. Marcescit. *Anima effuſa eſt*, id eſt, anima non jam ſe continet, ſed effunditur ac diſſipatur, ſive malis liquefacta & dilapſa diffunditur.

Possident me dies afflictionis. Summum & difficillimum Jobi tempus: verſatur videlicet in extremis miſeriis. infra, *prævenerunt me dies afflictionis.*

17. Nocte os meum perforatur. Proxime dixit, *poſſident me dies afflictionis.* Nunc, *nocte*, &c. quaſi dicat, dies & noctes, ſine ulla minimi temporis intermiſſione, torqueor. atque iſtud quoque ſignificatum velit, ne nocte quidem, quo fere tempore requies laborum ſolet eſſe, ceſſat, aut remittit dolor: imo vero pertinet ad oſſa. nam Græca τὰ ὀστᾶ μου, *oſſa mea*.

Qui me comedunt, non dormiunt. Hebræus & LXX. de venis & arteriis, quæ juſto crebrius & vehementius micare non deſinunt. ut propter febris commotionem, nullam ſe quietem capere ſignificet. Sed videtur interpres noſter ערקי *ghorecim*, pro perſequentibus ſumpſiſſe, qui ne noctu quidem conquieſcant. ערק *gharac* enim perſequi & fugere ſignificat: aut potius legiſſe in Hebræo טרפים *torephim*, *qui me mordent* ſeu *dilacerant*, ut vermiculos intelligat, & phthiriaſi laborare ſe dicat. nam habuit chironia & verminantia ulcera; adeo ut præ copia vermiculorum veſtes illius putreſcerent: quod ſequenti verſu declarat.

18. In multitudine eorum consumitur. Multa vi, morbi ſcilicet, vel tortorum, qui me aſſidue exedunt. In Hebræo, *immutatum eſt*, recte noſter expoſuit, conſumitur, corrupta veſtis, & confecta, & inquinata, ut altera prorſus, aut nulla eſſet.

Quasi capitio tunicæ. Erudite hoc, ut multa, interpres reddidit capitium tunicæ. Laberius dixit in Mimis, apud Gellium lib. xvi. cap. vii. *Induis capitium tunicæ pictatum.* Quam autem erudita vox interpretis, tam præclara ſententia hujus loci. Tunicæ, quæ ſtricta veſtis eſt & intima, capitium quoque, id eſt, ora ſuperior, anguſtius eſt. Eo porro collum arctius aſtringitur. Ut igitur capitium tunicæ præcingit fauces, & premit quam fieri poteſt arctiſſime; ita morbi & reliquorum incommodorum magnitudo Jobum in ſummas anguſtias adducit.

19. Comparatus sum luto. Hebr. *projecit me in lutum.* id eſt, mali me vis proſtravit, &, ut in luto ac ſordibus volutarer jaceremque, effecit.

20. Clamo ad te. Nihil tam contrarium, quam clamare & non exaudiri; ſtare opperientem, nec reſpici quidem. quare minus quadrat in hunc locum, ut, *ſto*, ſit, *ſileo*, & legatur, *reſpicis me*, ſine negatione. quæ tamen duo plerique ex interpretibus volunt.

21. Mutatus es mihi in crudelem. Quaſi dicat, alium te, atque eras, geſſiſti. lenis & clemens natura, crudelitatem in me atque in meos adhibuiſti, teque mihi pro viribus adverſarium præbuiſti.

22. Elevasti me. Ducta eſt tranſlatio ab rebus ſive perſonis, quas ſi e terra extuleris, prehenſas manu mox gravius majorique impetu dejicias. Valide תושיה *thuſciiah*, pro בתושיה *bethuſciiah*, *in efficacia*, id eſt, efficaciter, valide. Ita Mercerus.

23. Ubi constituta est domus. Vide num quidnam ejuſdem argumenti extet in profanis ſcriptoribus elegantius iſto dicto: *Mors domus congregationis & conſtitutionis viventis.*

24. Verumtamen non ad consumptionem. Si interpretem noſtrum audimus, ſatis conſtat Jobum ſe futuri ſpe ſolari, alteramque ſibi polliceri vitam. ſi Hebræum

ſer-

mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

27. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.

28. Mœrens incedebam, sine furore: consurgens, in turba clamabam.

29. Frater fui draconum, & socius struthionum.

30. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

31. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

Dum sortem, votis venit contraria nostris.
Dumque diem opperior, cæcæ erupere tenebræ.
27. Intus nulla quies: mihi magno efferbuit æstu
Cor miserum: præ me venerunt tempora dura.
28. Incessi mœrens: nec me tamen improbus egit
Aversum ratione furor. medio agmine vocem
29. Rumpebam surgens, accepto vulnere qualis
Vel draco, vel raucus juga struthio questibus implet.
30. Ipsa super duxit cutis atros alba colores,
Ossaque siccavit pervadens intima fervor.
31. Mutavere fides hilari lacrimabile carmen
Attonitæ, & dici cœpta est mihi nænia longa.

CAPUT XXXI.

Quoniam frequens illud in amicorum oratione fuerat, Jobum ob malefacta divinitus plecti, ideo toto hoc & longiori ceteris capite, vitæ suæ rationem reddit, seque in omni anteacta ætate pure & integre vixisse demonstrat. Omnis igitur Jobi superior vita laudabilis, neque ulla pars digna reprehensione. quo magis temerarii ejus amici, qui condemnant sententia sua innocentem, cujus facta, dicta, etiam cogitata, culpa vacent.

1. PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper? & hereditatem omnipotens de excelsis?

3. Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam?

4. Non-

1. PAcem ego eum geminis & non violabile fœdus
Luminibus pepigi, ne qua libare tuendo
Virginis os, habitusque velint, castumque pudorem.
2. Ni faciam, non partem in me rex ætheris ullam
Quippe habeat, primusque sua forte excidat heres.
3. Nonne malis odiumque Dei, rerumque ruina

4. Certa

sermonem attendimus, erit hæc oratio quoque hominis se ipsum consolantis, sed alio quodam modo. *Certe in tumulum Deus manum non immittet, si in contritione illius, eis exaltatio.* Hoc est, adversarii quidem mei exultaverint, dum me Deus contereret; certe non ultra morem adversum me sæviet, ideoque non erit, quod illi mihi amplius insultent.

Est qui tumulum sive acervum interpretetur parietinas & rudera. Seipsum enim cum oppido confert, castris hostium vallato atque perrupto. Græca vero ab illis prorsus abludunt: *Utinam possem me ipsum interficere, aut alium rogarem qui faceret.* Quod Evagrius in catena Comitoli admonet, neque in τετρασελίδῳ reperiri, neque apud LXX. neque apud ullos interpretes alios, quos inter se contulerit: τετρασελίδῳ opinor esse, τετρασελίδῳ Origenis. Sed falso dictum ab Evagrio, cum ea sententia ubique in Græcis extet, atque in Latinis quibusdam, Ambrosio certe & Augustino. Quid si igitur sic locutus Evagrius contra omnino, τὸ χειρώσασθαι ἐν ἑαυτὸν ἐν τῷ τετρασελίδῳ [illegible] τοῖς κοινοῖς. non autem οὐκ ἔκειτο. quasi dixerit: Illud quidem de consciscenda sibi morte abest ab Hebræo: sed non desideratur in tetraselido, non in LXX non in Græcis aliis.

25. Flebam quondam. Videtur Jobus declarare velle se indignissimum esse multiplici calamitate, qua afflictus est; siquidem alienis malis doluerit, illacrymarusque sit.

26. Exspectabam bona. Itemque se mercedem & fructum recte factorum exspectasse; verum non modo deceptam exspectationem suam fuisse, sed etiam plurimum se incommodorum & detrimentorum tulisse.

28. Moerens incedebam. Irati & furentes faciunt multa inconsiderate ac præter decorum: in his illud, ut publice lugeant, & palam, cunctis audientibus, vociferentur. Ego, inquit, hoc idem nulla iracundia, nullo stomacho, mentis compos feci, sola vi doloris coactus. ac solent viri honesti & honorati in luctu tenere se tecto, & dolori servire clam, nullis testibus aut consciis. Hinc ergo sui magnitudinem doloris ostendit, quod decori prorsus oblitus, mœrens incesserit, mente alioqui præditus. Hebræus: *Fuscus ambulavi.* neque id a sole. qui in sole ambulant, colorantur videlicet. Advertit Pagninus Hieronymum forsan legisse חמה *chemah*, iram, pro חמה *chammah*, solem. Ab Pagnino, opinor, Mercerus & Codurcus sumpserunt.

29. Frater fui draconum. Sive propter lamentabilem gemitum, sive propter commorationem in locis remotis ac desertis. Dracones, LXX. sirenas reddunt. Quidam struthiones, ululas, יענה *ieghanah*. Junguntur una dracones & struthiones in sacris literis passim, iisque cum solitudo, tum gemitus & ululatus grandis tribuitur. ut Michææ 1. vers. 8. *Super hoc plangam & ululabo: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.*

30. Cutis mea denigrata est. Expallescimus morbo quidem, sed pejus quiddam est, cum nigrities cutem occupavit. Jam si calor pervasit ossa, quibus nihil est humano in corpore solidius, atque exsiccavit medullas; magnum malum.

31. Versa est in luctum. Clausula quædam est, quæ enumerationi malorum respondet. Fuit enim in tot tantisque malis consentaneum, fidibus uti & pulsare nervos, non jam ad oblectationem, sed ad imitandum luctum & mœrorem. Ubi noster *organum* vertit, est in Hebræo עגב *ghugav*, genus ignotum organi musici. Quo loco adverte vulgatum interpretem facere interdum, ut quæ sunt communia vocabula in Hebræo, verbis quibusdam propriis efferat; interdum, ut quæ peculiaria, peculiaribus, sed aliis; sæpius, ut quæ certa & definita rerum, ut hic, communibus, & nihil nisi generatim significantibus; quia vis & notio rerum latet.

EXPOSITIO Capitis XXXI.

1. PEpigi foedus. Sanctissimum vero fœdus, & apte convenienterque cum oculis, qui sunt in amore duces, factum, ne quando aspiciant, quod concupiscere non liceat. Gellius de Alexandro: *Victi hostis uxorem, facie inclyta mulierem, vetuit in conspectum suum deduci: ut eam ne oculis suis quidem contingeret.* Quo loco attende a Jobo servatum fuisse, quod Christus longo post intervallo præcepit: *Si quis viderit mulierem &c.* Christianum enim hominem oportet, non solum manus & reliqua corporis membra, quæ tactu moventur, sed etiam oculos continentes habere.

2. Quam enim partem. Est in Hebræo contraria huic sententia: *Quæ portio Dei desuper, & quæ hereditas omnipotentis de excelsis?* Id est, quæ merces a Deo cælitus constituta, quod præmium propositum eis, qui vel aspectu virginem violarint? Istud fit probabilius ex consequenti versu, qui sic debet cum isto conjungi: Quem isti fructum, aliique nefarii homines ex improbitate sua capiunt? nonne certam perniciem?

3. Numquid non perditio est iniquo, et alienatio. Nihil est quod minus velim, quam quomo-

do

4. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

5. Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus:

6. Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.

7. Si declinavit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula:

8. Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.

9. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum:

10. Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.

11. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.

12. Iguis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

13. Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me.

14. Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?

15. Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est: & formavit me in vulva unus?

16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ exspectare feci.

17. Si

4. Certa manet? Nonne ipse meum speculatur euntis
Omne iter, atque omnes gressus numerare laborat?
5. Si me in veste tuli, gazaque in divite, & auro,
Vana tumens; si mente dolos meditatus & artes,
6. Processi: libra suspensum examinet æqua
Me Deus, &, simplex quam sim, sic denique discat.
7. Si mihi quid recto diversus tramite gressus
Deflexit; si mens oculos abrepta sequendo est;
Sique meis manibus labes infecta resedit;
Sique manus donis impuræ aut cæde virorum:
8. Ipse feram, fructusque metat, nil deprecor, alter,
Et mea dispereat viva ab radice revulsa
9. Progenies omnis. mentem si femina cepit,
Obsedique fores, thalamo insidiatus amici;
10. Alterius pellex conjux sit nostra, procisque
Præbeat, & furtis vulgato corpore fallat.
11. Est hoc namque nefas, quo non ingentius ullum;
12. Ignis atrox, penitusque voracibus urere flammis
Suetus, & alta etiam sævire in germina morsu.
13. Si famulo, famulæque, pari contendere sorte,
Et renui, nec judicii fuit alea cordi;
14. Sede Deus jus cum surget dicturus ab alta;
Quid faciam infelix, & quæ responsa petenti
15. Digna dabo? matris non condidit unus & idem
Meque, illosque utero, vulvaque effinxit in arcta?
16. Si damnare reos vocis, inopesque negavi,
Si duxi in longum viduæ frustratus ocellos

17. Su-

do vocem istam, *alienatio*, Vatablus & Mercerus interpretantur: ut sit alienatio, insuetum & inusitatum aliquid. alienum videlicet est quod non convenit, nec accommodatum est, non autem insolens & inusitatum. Est qui alienum exponat portentosum, id est, exemplum grave & atrox, quod in aliquem statuitur: ut idem sit נכר *necer*, quod c. XXIV. תפלה *thiphla*, & XLII. נבלה *necelah*. Videtur alienatio ista, esse exterminatio, ablegatio, amandatio in alias terras, fuga, exilium. alieni enim & exteri quodammodo simus, cum solum vertimus, & cogimur aliena vivere terra.' Ex quo est poetæ illud huic loco valde congruens: *At nos hinc alii sitientes ibimus Afros.* Atque hæc de Latina voce. Ad Hebræam quod attinet, נכר *necer*, Hieronymus exponit, נכר *necer*, quod est quoque alienatio, peregrinationem. Abdiæ vers. 12. *In die peregrinationis ejus.* Vide in Pagninum.

4. NONNE IPSE CONSIDERAT. Minime mirum, si Deus non exitus modo rerum, sed etiam hominum consilia graviter vindicat: quippe qui speculator est occultissimarum cogitationum, & intimorum animi sensuum.

5. SI AMBULAVI. Sunt ab hoc versu, toto capite, variæ execrationes, quibus se Jobus obstringit, nisi in officio fuerit. Versibus autem consequentibus usque ad 16. quandam quasi talionem optat precaturque sibi, id est, pœnas, sceleribus, si commiserit, pariter æqualiterque respondentes. Ac primum, si in contrahendis rebus fraudem suscepit, in contractis non retinuit fidem: non recusat, imo vero deposcit, ut summo jure secum agatur, causaque sua quam justissimis ponderibus examinetur. Deinde, si alienum rapuit, ut quæsito, & suo spolietur: si in alterius uxore peccavit, sua se omnibus pervulget: & similia.

7. SI DECLINAVIT GRESSUS MEUS DE VIA. Homo coopertus sceleribus is est, cujus nulla pars corporis a maleficio vacat: contra purus & integer, qui non deflexit de via, non adjecit oculos cupiditatis ad rem ullam, non manus ullo scelere contaminavit. Vide porro ordinem peccandi, ut primum curiosos oculos conjiciamus aliquo; tum mens oculis obtemperet quodammodo, remque propositam concupiscat; postremo manus ad prædam & rapinas intendat.

8. SERAM, ET ALIUS COMEDAT. Vide Levit. cap. XXVI. vers. 16. Deut. cap. XXVIII. vers. 33. Nihil acerbius ad pœnam, quam si manu nostra seramus segetes, arbores, alia; omni tamen fructu privemur ipsi: alius interim, nobis vivis ac præsentibus, labore nostro fruatur. *Insere nunc pyros, pone ordine vites. Impius hæc.*

9. SI AD OSTIUM AMICI MEI INSIDIATUS. Qui amici conjugem illicere studet in stuprum, jus duplex violat, commune omnium, & amicitiæ privatum.

10. SCORTUM ALTERIUS SIT UXOR MEA, ET SUPER EAM INCURVENTUR ALII. Res aperta plus satis. Quo loco & similibus miror interpretes tam copiosos esse in exponendis rebus obscenis, cum ad intelligentiam sensus nihil sit necesse: solum autem id spectandum sit, quod necessitas dici postulat, si quam pudoris ac verecundiæ rationem habemus, tantam saltem, quantam etiam profani scriptores plerique habent.

11. HOC ENIM NEFAS EST. 12. IGNIS EST. Duobus versibus insigne & dignum adulterio elogium. Flagitium humanis legibus vindicandum, non solum divinis. Ignis confector & consumptor omnium fortunarum, quoque ad interitum redigatur is, quem comprehenderit. *Iniquitas* dicitur maxima ab interprete nostro, cum sit in Hebræo, & hic & infra, *iniquitas judicum*, hoc est, ob quam reus vocetur in judicium, graviterque vindicetur.

13. SI CONTEMPSI SUBIRE JUDICIUM. Tametsi more antiquo gentium servus nullam actionem contra dominum habere potest, tamen significat se non recusasse, quominus servis æquo jure disceptare secum liceret. Si adhiberet sævitiam, si fame necaret, si intolerabilem injuriam inferret. Vide Instit. lib. I. tit. VIII. §. *In potestate.*

14. QUID ENIM FACIAM. 15. NUMQUID NON IN UTERO. Quamobrem non dubitet cum servis in judicio se committere, vadimoniumque eis quodammodo promittere, duas affert præclaras causas, quasi non debeat melioris esse jure, qui eadem sit conditione ac fortuna tum nascendi tum moriendi. Deus communis dominorum & famulorum parens, idemque omnium tum in vita, tum in morte judex. Qui igitur in ortu atque in exitu e vita parum differunt, cur eorum tam dispar conditio fiat, ut jus nullum suum obtineant?

SI NEGAVI QUOD VOLEBANT. Triplex hominum genus. imbecillum per se, & alienæ opis indigens. Pauperes, viduæ, pupilli. misericordiæ est nihil illis negare, istas non differre de die in diem. his etiam de mensa mittere aut tradere. Vide quid sit in lege veteri, quomodo his hominum generibus subveniatur.

18. QUIA AB INFANTIA MEA MECUM CREVIT MISE-

17. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea:

18. (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.)

19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem:

20. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est:

21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem:

22. Humerus meus a junctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.

23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.

24. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea.

25. Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.

26. Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare:

27. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.

28. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.

29. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & exsultavi quod invenisset eum malum.

30. Non

17. Supremum poscentis opem, solusque peredi,
Annonæ mihi quidquid erat, victusve diurni:
18. Nec pars pupillis cessit sua; namque parente
Communi mecum, & partu miseratio nata,
Post cadem teneris & mecum crevit ab annis.
19. Morte mala si jam morientem, vestis egenum
Si tempsi præ me demens, quia vestis egeret.

20. Si non lana, meis ab ovilibus, utraque cingens
Calfecit latera, & defendit corpore frigus;
Si bene non dixit, fuit & mea gratia vilis.
21. Si super adduxi pupillum brachia ad ictus
Altior, atque meos inter prior ordine cives;
22. Rupta humeri compage cadant, cumque ossibus ipsis
Brachia frangantur. neque enim male pondus amicum
Suffeci tolerare Dei. quin anxius illum
23. Semper ego, ut fusas in me tumidi æquoris undas,

24. Pertimui. imprudens auro si forte putavi
Robur inesse meum, &, Nostra es fiducia, dixi;
25. Obrizum. si sum magna lætatus opum vi,
Hisque super, facili extuderam quæ plurima dextra.
26. Si purum adspexi solem, atque insueta micantem,
Si lunam clara gradientem in luce, sinuque
27. In tacito gaudens, utrumque & sidus adorans,

28. Oscula libavi palmæ: supra omnia crimen
Crimina, & ejurans alti vim numinis unam.
29. Si qua meis unquam dedit hostis gaudia membris
Clade sua magna, & persensi incommoda lætus,
Quæ vindex illi, casusque, Deusque tulisset.

30. Non

MISERATIO. Cum in Hebræo sit כאב, LXX. legerunt כאב *ceav*, *tanquam pater*: vulgatus noster כאב *ceev*, *dolor*, qui est ægritudo ex alterius malis. Ea quo luculenter protulit, & eadem matre natam eodemque tempore misericordiam, ejus ut sit soror gemina; & secum educatam fuisse. Hoc porro tam concinne dictum, unum & idem videtur esse atque illud, quo Valerius Maximus Catonianam continentiam commendavit, lib. IV. cap. III. ex. 11. *Minatii Rufi testimonium non amplector, proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem natura utero, & continentia orta est, & Cato*. Ovid. v. Trist. v. 5. *Nata pudicitia est tecum, probitasque fidesque.*

19. SI DESPEXI PEREUNTEM, EO QUOD NON HABUERIT INDUMENTUM. Male vestiti homines despiciuntur vulgo illi quidem, sed ea non est sententia hujus loci, verum hæc potius: Qui pereat frigore, aut cœli inclementia; eo quod vestitu non satis tegatur: hunc si vidi, nec ei subveni, nec vestem laneam injeci nudo & algenti.

20. SI NON BENEDIXERUNT MIHI LATERA EJUS. Dictum figuratissime quasi quæ membra senserint calorem a pingui tunica, sensum quoque beneficii accepti habeant, & gratias agant, eique bene precentur, a quo vestem acceperint.

DE VELLERIBUS OVIUM MEARUM. Auget beneficium, quod lana, ex ovibus detonsa suis & inempta, egentes & spoliatos foveat.

21. SI LEVAVI SUPER PUPILLUM MANUM MEAM. Fretus potestate & gratia, qua valet apud judices, cum intelligeret impune se laturum, si ad feriendum pupillum vel brachium adduxit. Alii, ut Vatablus, cum mihi præsto in foribus adessent auxiliatores.

22. HUMERUS MEUS A JUNCTURA SUA CADAT. Apposite vult ea parte se plecti, qua parte cogitarit facere injuriam qui manum extulit ad ictum. ut, a cubito quidquid ad humeros pertinet ea una parte, & manum pertingit ex altera, id totum optet dissolvi ac frangi. Vide voces Hebraicas.

23. SEMPER ENIM QUASI TUMENTES. Religione se deterritum, & metu numinis ab inferenda injuria ait. Tumentes fluctus habet noster interpres, quo Hebræi & Græci carent. Hoc autem videtur fecisse explicandi causa. Quod sequitur,

PONDUS EJUS FERRE NON POTUI. A majestate ejus, a celsitudine ejus non potuissem, ἀπὸ τοῦ λήμματος αὐτοῦ οὐχ ὑποίσω. non enim me parem unquam futurum Deo existimavi. Succumbam, inquam, si in me Deus incubuerit.

24. SI PUTAVI AURUM. Versiculis quoque duobus a se repellit avaritiæ crimen. Primo, quod divitias non magni fecerit, neque in iis spem ullam suam, ullum præsidium vitæ collocarit. Deinde quod minime gavisus sit opibus, sive avitis & hereditariis, sive partis labore & industria, sive amplificatis.

26. SI VIDI SOLEM, CUM FULGERET. Atque hic se de idololatria purgat, qui divinitatem soli & lunæ, quod complures fecerunt, non dederit. Nec expertes quidem illius culpæ Hebræi, qui se ad solem orientem converterint, adorandi causa, Ezech. VIII. 16. sed hoc genus idololatriæ, ut dixi, apud nationes usitatissimum fuit, quæ solem lunamque venerabantur; ac tum potissimum adorabant, cum maxime splenderent.

27. ET LÆTATUM EST IN ABSCONDITO COR MEUM. Vereor ut interpreti nostro, vel librario potius exciderit ea vox, *lætatum est*, similitudine quadam & antecedentis versus, *si lætatus sum*, & consequentis, *si gavisus sum*. Nam & in Hebræo est vox פתה *pathah*, *decepit*, & apud LXX. ἠπατήθη, quod idem valet. Porro crassissimus hic error, plures putare deos: summum scelus, unum & verum inficiari. quod faciunt qui multitudinem inducunt deorum.

ET OSCULATUS SUM. Inter adorandum dexteram osculari solebant. Plinius lib. XXVIII. c. II. *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus.* Minutius Felix: *Sessilius simulacro Serapidis, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis pressit.* Sed non abeundum longius, hic ipse locus est ab Hieronymo ex Aquila sic expositus comm. in Osee c. XIII. *Qui adorant, solent deosculari manum suam.*

29. SI GAVISUS SUM AD RUINAM EJUS. 30. NON ENIM DEDI AD PECCANDUM. Sicut neque optavit, neque precatus est, quidquam ut mali adversario eveniret, ita minime lætatus est, cum aliquid evenisset. Ejusdem porro est ista omnia facere, invidia, ira, odio, maledicentia:

31. Si

30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.

31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?

32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

33. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.

34. Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.

35. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat.

36. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?

37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.

38. Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent:

39. Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi:

40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.

30. Non sceleri addixi linguam, votisque poposci
Infestis calido hostilem cum sanguine vitam.
31. Si non exosi mea mitia facta ministri.
Dixere inter se: Quis heri det mandere carnem?
32. Advena sub dio pernox non hæsit. aperta
Hospitio totis patuit domus ædibus ingens.
33. Si texi delicta, sinuque & pectore fovi,
More hominum, recti mentitus fronte colores.
34. Si trepidus læsi per me vulgi ora refugi.
Munificum si me parci duxere propinqui
Ludibrio, mentemque adeo eripuere merendi.
Contra si tacitus non intra limina gressum
Continui, nec me tenebris, ac pariete sepsi.
35. O utinam votisque meis accommodet aures
Omnipotens pater, &, litem qui transigit, ipse
Instrumenta paret litis, tabulasque forenses.
Ordinet, ac charta nostra exaret acta fideli.
36. Illam ego gestaboque humeris, rituque coronæ
Regalis plectens, circum utraque tempora cingam.
37. Illam & procedens relegam jactantior uno
Quoque gradu, tibi nec, princeps, offerre pigebit.
38. Si queribunda in me tellus mea clamat, &, ipsa
Cum tellure, sinus lacrimis implentur obortis
39. Sulcorum. si sum telluris pastus inemptis
Frugibus, atque ipsos potui violasse colonos;
40. Occupet herba nocens lare mihi pinguia culta,
Frumentum & tribulis vincentibus, hordea dumis
Concedant. Finem hic Jobus dedit ore loquendi.

CAPUT XXXII.

Cum sodalibus suis reposuisset Jobus tam multa, egissetque causam suam sex capitibus continentibus, & obfirmatior videretur in ea opinione, quam haberet de sua innocentia; nihil sibi cum eo sodales amplius rei esse voluerunt, & quasi insanabilem & desperatum aliquem reliquerunt. Aut, quod verisimilius videtur, cum tres amici velut convicti silerent; quartus Eliu prodit in medium, cujus oratio ceteris probabilior fuit: & quamvis nonnulla in Jobum paulo dicat asperius, tamen quia ex studio quodam divini honoris profecta hæc erant, non est reprehensus a Deo, ut ceteri, cap. hujus libri ultimo. fuit autem iste natione Syrus. Ram enim sive Aram, Syriam significat, atque etiam Mesopotamiam.

1 OMISERUNT autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur.

2. Et

1. PArte alia Jobo terni pugnare sodales
Pertendenti animis, & se sine labe ferenti
Absistunt, factoque canunt hic fine recessus.

2. At

31. SI MALEDIXERUNT VIRI TABERNACULI MEI. Dupliciter, ac pluribus etiam modis, exponitur hæc Jobi domesticorum oratio pro ambiguitate dicti hujus, *de carnibus ejus*. Vel enim de adversario & hoste Jobi hæc habetur oratio, vel de ipso Jobo. Si prius; hæc erit sententia. Patientem me præbui minimeque ulciscendi cupidum erga hostem, quem tamen domestici mei ferre non possent, ac sibi tradi vellent ad discerpendum. Si posterius; aut sic intelligetur: Nullius clade & exitio gaudebam; cum me tamen non modo hostes, sed etiam mei domestici violarent. aut sane sic: Indignabantur domestici, & impotenti animo debacchabantur in me, quod injurias meas tam leniter ferrem, aut quod hospitalior essem, magno labore & incommodo suo. Quod plerique declarari volunt ardentem & vehementem amorem familiæ adversus Jobum; minime probabile videtur. Aliis placet e contrario ingens odium in eundem famulorum ostendi, quos in officiis pietatis dies noctesque continenter exerceret. Sed hoc omnium optimum. Videtur ex versu proxime superiore pendere sententia, quo dixit se, quamlibet aliorum provocatum injuriis, non rependisse vicem, ac ne verbum quidem paulo amarius reposuisse, aut apud se maledixisse. Nunc magnitudinem patientiæ suæ ex odio illustriorem facit. Nam & illi, inquit. viri erant contubernales mei. Proinde sic versus iste interpretandus est: Si non eousque provocatus sum interdum a conjunctissimis, ut carnibus meis vesci cuperent; & tamen vindicare me noluerim amicos autem illos ideo forsan alienaret ab sese, quod pauperibus & viduis illatam resarcire injuriam cogeret: ut capite XXIX. demonstravit, v. 11. & seq.

32. FORIS NON MANSIT PEREGRINUS. Vox Hebraica valet, *non pernoctavit*. Ut neque interdiu, neque noctu, ulli clausa fuerit Jobi domus: patuerit autem non solum notis & amicis, sed advenis etiam & viatoribus.

33. SI ABSCONDI QUASI HOMO PECCATUM MEUM. Est insitum, vel potius innatum homini vitium, duplex: primo, ut non facile se peccasse existimet: deinde, ut, etiamsi norit culpam suam, apud alios tamen non agnoscat, non fateatur, dissimulet, excuset: ita & seipse celat & alios. Neutri se vitio affinem ait. Prius igitur recte facta sua & virtutes commemorat. tum si quid peccarit, quod videtur hic agnoscere, se non astute texisse, aut imponere vel sic hominibus voluisse.

34. SI EXPAVI AD MULTITUDINEM NIMIAM. Sententia est Latinorum hæc: Nihil ego feci, aut dixi, aut omisi, suasore & impulsore vulgo. tacui, & me domo tenui potius, quam ejus libidini ulla in re parerem. Hebræa & Græca sunt non minus horum, quam inter se dissimilia. Videtur plerisque omnibus jungendus hic versus cum superiore. Sic junximus: Jobus ait nihil se dissimulasse, neque veritum testes multos actionum suarum fuisse, neque populi & infimæ plebis oculos, aut conscientiam refugisse.

35. QUIS MIHI TRIBUAT AUDITOREM. Est consentaneum, ut tot tantisque commemoratis innocentiæ suæ monumentis Jobus triumphet, quasi causam vicerit; usque eo autem accusatores suos contemnat, ut optet ab iis sibi tradi librum accusationis, quem non modo damno sibi non futurum, sed honori contendit.

37. Per

2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo.

2. At non Buzitæ Barachelis filius, alta
Ramæûm de gente, Elius, sub corde dolorem
Ferre potis tacitum, aut molles assurgere in iras.
Expertem magno se criminis ore sonare
Audierat Jobum, & præconia dicere vitæ,
His super appellare Deum, testemque ciere:
Talibus exarsit juvenis violentia dictis.

3. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job.

4. Igitur Eliu exspectavit Job loquentem: eo quod seniores essent, qui loquebantur.

5. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.

3. Nec minus accendunt socii, quorum aut pius error,
Aut mala fraus Jobum subira damnaverit ira.
Haud quisquam validis legum convicerat armis
Quippe reum, aut certa crimen ratione probarat.
4. Illos ferre quidem vario sermone ferentes
Multa diu, & senibus, natu auscultare minorem,
5. Impulit ætatis reverentia. Verum ubi tandem
Tres uni videt imparibus concurrere dictis,
Nec numero vires satis in responsa valere;
Surrexit furiis, rupitque has pectore voces.

6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit: Junior sum tempore, vos autem antiquiores; idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.

7. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.

8. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.

9. Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.

6. Sum minor, & longo mihi vos præcurritis ævo.
Quare ego demisique caput, coramque refugi
Ore verecundo juveniles promere sensus.

7. Namque erat in votis mihi, ducebamque futurum,
Purgatis melior digna auribus ederet ætas,
Et sapere annorum series nos multa doceret.
8. Certe agit, humanos, agnosco, infusa per artus
Mens hominem. sed enim mentem prudentia solo
9. Afflatu subit acta Dei, nec semper anhelis
Plus senibus sapuisse datum, meritoque caducas
Res censere suo, & naturæ condere lustrum.

10. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

11. Exspectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:

12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus.

13. Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo.

10. Ergo aures, moneo, dictis intendite nostris.

11. Cor sapiat, necne, ostendam. nam seria donec
Res erat, & lites, & amaris jurgia verbis;
Excepi voces, attendi sensa, supremum
Sermonem opperiens, nec me pars ulla reliquit:
12. Quamque diu vos non rebar nil dicere, mentem
Adverti tacitus. Verum qui sponte lacessat
Marte pari Jobum, non est, quique exeat ictus.

13. Ne vero ne vos, Rem, dicite, mente sagaci
Attigimus. non hæc humana vulnera dextra
Proveniunt: major fecit Deus, inque malorum
Projecit medium, atque immani turbine abegit.

14. Nibil

14. At

37. Per singulos gradus meos. Toti alii sunt LXX. his tribus versibus. Volunt enim hic agi de pecuniis creditis, quas debitoribus suis Jobus condonet, syngrapha reddita. In Hebræo videtur Jobus rationem reddere velle omnium rerum suarum, nec omissurus quoties gradum fecerit. Interpres noster perstat in eodem, atque se inter viam magnifice recitaturum, quæ libro illo accusationis habeantur, non tam contra se, quam pro se, non dubitaturum se offerre eadem judici suo, legat, cognoscat, ex iis statuat ac pronunciet, quæ falso & male objiciuntur.

38. Si adversum me terra mea clamat. Adversum me injustum possessorem, quasi mihi exprobret, se a me ex alterius bonis usurpatam.

39. Si fructus ejus comedi absque pecunia. Si aratores fraudavit debito ac mercede, aut quo alio modo afflixit.

40. Pro frumento oriatur mihi tribulus. Si quid fefellit aut possessores, aut colonos, aut operas, non deprecatur, quin terra quoque fidem fallat, spem eludat suam, & pro frumento proque hordeo herbas inutiles ac nocentes efferat.

EXPOSITIO Capitis XXXII.

2. Iratus, indignatusque est Eliu. Jobus tribus non satisfecit sociis, quod clarius de innocentia sua sentiret, sibique omnino justus videretur: non satisfecit Eliu etiam, non modo quod justus sibi videretur, sed quod justum se diceret coram Deo, hoc est, nihil se admisisse, quamobrem a Deo plecteretur. Itaque non interpretur *coram Deo*, *magis quam Deum*, sed sic, ut probata innocentiam suam Deo posset. Neque video cur plerique exponant ita, ut se justiorem Deo Jobus diceret. aliud est enim arbitrari se injuris luere pœnas, aliud præponere se Deo integritate & justitia.

3. Porro adversum amicos ejus. Succensuit Eliu Jobo quidem, sed multo magis Jobi sodalibus, quod hominem condemnassent, non convictum prius idoneis argumentis.

4. Igitur Eliu exspectavit Job. Etsi neque Jobi, neque amicorum probaret orationem Eliu, non interpellavit tamen, ac ne verbum quidem fecit, quandiu inter se loquerentur, neque intervenit eorum sermonibus, idque ætati illorum dedit minor natu. Postquam autem sensit omnes finem loquendi fecisse, cœpit ipse. sed hoc ipsum videtur præfari verbosius, si non arrogantius.

8. Sed, ut video, spiritus est in hominibus. Paulo secus in Hebræo: *Est quidem spiritus in homine, sed inspiratio omnipotentis.* Hoc est, animus quidam singulis suus est, sed non suus cuique rectus sensus. hunc Deus nonnullis, ut libet, impertit, nec senibus magis, quam adolescentioribus. tametsi, ut merito putatur, temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis.

12. Non est qui possit arguere Job. Usque eo parum idonea contra Jobum attulistis, ut ore vestro, sive ex sermonibus vestris, nemo ei respondere possit.

13. Ne forte dicatis. Dicet aliquis vestrûm, alterutrum horum, vel: Rem attigimus, hoc ipsum est,

quod

14. Nihil locutus est mihi, & ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

15. Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia.

16. Quoniam igitur exspectavi, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt:

17. Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.

18. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei.

19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

20. Loquar, & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo.

21. Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo.

22. Nescio enim quam diu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.

14. At contra ille mihi quanquam nil dixit, in illum
Pauca loquar vestro non more, neque aspera dicta
Imbellis regeram, aut rixas imitabor inanes.
15. En quorum muta ora metu, queis pergere porro
Non placitum, quos & defecit copia fandi.
16. Hos, tibi dum responsa darent non irrita, quando,
Jobe, exspectavi frustra, victique quierunt;
17. Ipse meas peragam partes, edamque superbum
Doctrinæ specimen, nec sacra arcana tacebo,
18. Quæ didici. nam cor sermone exuberat ingens
Ingenti, faciunt opibus neque viscera tantis.
Vis quoque verborum, quæ mens memor ingerit, udæ
Sepsit vocis iter, præstringens gutture fauces.
Ecce tumet, fœtuque gravi mihi tenditur alvus.
19. Sicut ubi, cui nulla patent spiracula, mustum
Intus agit spumantem iram; disrumpitur æstu
Testa recens demum, ac medio nant fragmina vino.
20. Ergo loquar. patulo mihi spiritus ore parumper
Ducetur. labris stat respondere reclusis.
21. Interea non ulla virum me gratia tanget:
Non æquabo Deum nobis: neque blandus amator
Transcribam humanis cœlestia nomina rebus.
22. Si facio, quam stabo diu, degamque superstes,
Ignotum; quam me exiguo post tempore tollet
E medio vindex, qui me produxerat auctor.

CAPUT XXXIII.

Occurrit Eliu præcipuis defensionis capitibus, quibus usus sit Jobus. Primum est in eo, quod se vacare culpa diceret. alterum, quod multis a Deo malis atque ærumnis afficeretur. tertium, quod ei probanti innocentiam suam, & conquerenti de malis, Deus non præberet aures, non responsum daret.

1. AUDI igitur, Job, eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.

3. Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.

4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me.

5. Si

1. ERgo audi me, Jobe: mea hæc dicta omnia fige:
2. Virtutesque cape eloquii. viden? ora resolvi.
Fingat lingua sonos, & faucibus exprimat imis.
3. Candidus effundam sincero corde loquelas,
Fraude procul, purisque fluet sententia labris
4. Digna fide. Molem hanc formavit corporis almo
Spiritus ore Dei, cœlestis & addidit auræ
Particulam, tenuesque inclusit sanguine vitas.

5. Me-

quod multum diuque disputavimus. Justissimus Jobum Deus afflixit; adeoque merentem atque improbum vel: Recte & ordine factum a nobis, qui desistamus refutare frustra pervicacem. non est hominum, sed Dei solius contundere tantam contumaciam. Quamquam refellit potius præcipuum caput accusationis illorum, qui ex eo Jobum damnare conabantur, quod a Deo tot affectus esset ærumnis. Id vero ridiculum esse docet, quod illi velut sapientissime dictum orgebant.

14. NIHIL LOCUTUS EST MIHI. Quasi dicat: Multa quidem Jobus verba fecit: sed orationem in me nullam suam convertit, neque me dicto lacessivit. Quare nihil est, quod illi, ut fecistis, respondeam aliena, amara, iracunda.

18. PLENUS SUM ENIM SERMONIBUS. Tribus versibus ait facere se non posse, quin loquatur; rumpi enim se, id nisi fiat: extremis duobus, nihil se dissimulare posse.

21. NON ACCIPIAM PERSONAM VIRI. Non habebo cujusquam rationem, neque gratiæ quidquam dabo, neque loquar ad voluptatem, nude & aperte omnia. Ita enim natus sum, & animo comparatus.

ET DEUM HOMINI NON ÆQUABO. Nihil hic de Deo Hebræi, neque LXX. sed hoc aliud, non homini loquar mutato nomine. neque vero id nosi facere; qui si faciam, Deus me perdat. Est e recentioribus, qui sic interpretatur familiariter dictum: severior sum & amarior, nullius nomini pareo: ignoscat mihi Deus, quod נשא nasa, sit etiam ignoscere.

EXPOSITIO CAPITIS XXXIII.

1. AUDI IGITUR, JOB. Proxime superiori capite rem habuit cum Jobi amicis, qui parum æqui in illum fuerunt. Nunc Jobum aggreditur oratione, & urget vehementer, quamvis prudentior multo & moderatior, quam Jobi amici.

4. SPIRITUS DEI FECIT ME. Sunt qui respectum velint habitum ad octavum versum proximi capitis, hæc fere sententia: Etsi natu grandis non sim, nihilominus prudens sum, & sapientiam mihi Deus impertivit. sed illud probabilius: Jamdudum, Jobe, adversarium tibi deposcis, quocum æquis viribus contendas. cap. IX. v. 34. cap. XIII. v. 20. Ecce me, parem tibi ortu & natalibus: communis enim utrique parens & auctor, Deus: communis, ex qua effícti formatique sumus, materies, terra seu lutum. quod vult & firmat versus sextus.

6. ECCE ET ME SICUT ET TE FECIT DEUS. Hebraice ad verbum: *Ecce ego juxta os tuum.* vel: *Ecce ego sicut tu.* Si prius, erit hic sensus: En me, sicut postulasti. hoc est, pari conditione, qui eodem jure litiget tecum. quod jamdodum optas & contendis. Si posterius: Ecce ego par tibi, quicum descendere in aciem & congredi non recuses. Priorem sententiam Codurcus mutuatus est a Mercero: is a Jarrhio. Posteriorem prætulit noster interpres. Græce est, ὁ φόβος μου, *terror meus.*

7. VERUMTAMEN MIRACULUM MEUM NON TE TERREAT. Cum sim prorsus similis tui, pari sorte & jure, nulla fuerit admiranda mihi species, nulla eloquentia,

quæ

5. Si potes, responde mihi, & adversus faciem meam consiste.

6. Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.

7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi gravis.

8. Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audivi:

9. Mundus sum ego & absque delicto: immaculatus, & non est iniquitas in me.

10. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.

12. Hoc est ergo, in quo non es justificatus: respondebo tibi, quia major sit Deus homine.

13. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?

14. Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.

15. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo:

16. Tunc aperuit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.

17. Ut avertat hominem ab his quæ facit, & liberet eum de superbia:

18. Eruens animam ejus a corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit.

20. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.

21. Tabescet caro ejus: & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

22. Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.

23. Si

5. Mecum aude conferre manum, mihi, si qua potestas.
Responsum dare ne dubita, neu dicere contra.
6. Idem meque Deus teque auctor finxit, eodem

7. Composuitque luto. nec te admiranda facultas
Si qua mihi ingenii, si dos, si vena benigna est,
Terreat, aut suspecta animum facundia tristem
Sollicitet, subigatque tuæ diffidere causæ.
8. Ergo meas dictis pulsasti talibus aures,
Ipsam etiam memini vocem, verba ipsa loquentis.
9. Hæc mihi vita tenus tota est sine labe peracta.

10. Tantum qui cœlo mortalia spectat ab alto,
Irarum nactus causas, ansamque querendi
11. Arripuit, proque hoste mihi se gessit; & arctis
Induxitque pedes laqueis, custosque severus,
Atque iter, atque pedum vestigia circumspexit.
12. Hoc illud, nempe, est, in quo tua pristina læso
Claudicat officio, & sibi virtus excidit ipsa.
Responsum hoc dictis unum tot mente teneto.
Omni ex parte hominem vincit Deus, omnia major.
13. Responsis caruisse tuas per singula voces
Causaris, pugnasque ideo, litemque lacessis.
14. Nil mutat, loquiturque fide semel omnia certa
Si nescis, neque idem gaudet Deus addere rursum
15. Tempore quo victis paulatim obrepit ocellis
Prima quies, cum membra toro jacuere recenti;

16. Somnia per mentis, nocturnaque visa, virorum
Suscitat obtusos sensus, auresque recludit.
17. Inde docet, multaque insignes reddit ab arte,
Dissuadetque scelus, consuetaque facta retractat,
Exolvitque jugo capita inclinata superbo:
18. Eripit & leto instanti, turpique ruinæ
Dulcem animam, & strictos removet cervicibus enses.
19. Praeterea stratis in mollibus usque jacentem
Increpat, immissis per membra doloribus, ægrum,
Et tacita cuncta ossa lue marcescere cogit.
20. Hinc illi Cereris veniunt fastidia, & inde
Sunt odio plenis geniales lancibus escæ:
21. Escæ, deliciæ quondam. Membra arida tabes
Exedet: & quæ tecta prius, nuda ossa relinquet.
22. Jamque propinquavit tumulo, jam morte futura
Palluit, & socium jam se morientibus addit.

23. Pro

quæ te exterreat, ac tibi negotium exhibeat, sicut Dei suis cujus su vim admirandam & virtutem a te deprecabare. ejusmodi enim *formam* & *speciem* in Deo esse sibi fingebat Jobus.

9 Mundus sum ego. Hoc primum Jobus causatus est, nullam in se culpam residere. tum Deum subaccusat, qui videatur quæsisse causas iræ & querelarum. his respondere incipit 12. versu.

10 Quia querelas in me reperit. Querela etiam est occasio & locus querendi, & id de quo jure queratur ut: *Vestrum illud divinum in remp. beneficium nonnullam habet querelam*: id est, habet aliquid, de quo nonnulli jure expostulent.

12. Hoc est ergo in quo non es justificatus. Ais te & palam jactat innocentem Jobus. hoc ipso peccas, quia nihil te peccasse glorietus.

13. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Hoc quidem sensu interpres noster: Litem intendis Deo, & cum eo experiri judicio vis. quia dictis omnibus suis, quæ plurima sunt, non responder. Qui Hebræa sibi videntur secuti, sic exponunt: Cur cum Deo contendis? non est is qui reddere ulli debeat rationem factorum suorum omnium

14. Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit. Simplicissime noster interpres, & quidam etiam Hebræorum, ut Mercerus animadvertit, semel quid elocutus Deus, id non respicit deinde, nimirum ad revocandum. Hebræi & LXX. videntur velle Deum loqui semel atque iterum. ἐν γὰρ τῷ ἅπαξ λαλήσαι. ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ. quæ expositio magis cum sequentibus cohæret. Contra id quod expostulaverat, se a Deo non audiri, ac velut indicta causa puniri, objicit Eliu nimirum audax esse facinus, legem Deo velle præscribere, qui iis cum hominibus agere soleat, eosque alloqui & admonere, quo modo ac tempore visum est

15. Per somnium in visione nocturna. En quo primum modo, & quibus de rebus admoneat Deus hominem. Primum, secundum quietem in quo videndum, quid tribuendum somniis, & quatenus iis ex utroque testamento credi oportet.

17. Ut avertat hominem. Deterreat a peccatis, præsertim a superbia.

18. Eruens animam ejus. Monitor noster liberaris nos a morte, si illius monita audiamus in somnis. hoc fuerit assecutus monendo: nos, obtemperando.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo. Etiam morbus gravis, & difficilis, & periculosus vim & pondus habet admonitionis. ex quo perspicitur eo morbum consilio a Deo immitti. Morbus porro hic desperatus & mortifer quatuor versibus describitur: quæ sint adjuncta huic, & consentur, ut dolor ad ossa usque & medullas pervadens, ut fastidium ciborum, ut macitudo.

21. Tabescet caro ejus et ossa. Optime Hieronymus. elegantius ex Hebræo: Consicitur caro, ut non

videa-

23. Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem:

24. Miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier.

25. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem ejus in jubilo, & reddet homini justitiam suam.

27. Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & vere deliqui, & , ut eram dignus, non recepi.

28. Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.

30. Ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium.

31. Attende Job, & audi me: & tace, dum ego loquor.

32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere justum.

33. Quod si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

C A-

23. Pro quo si superûm quivis e millibus ales
Orator supplex veniat, causamque peroret,
Jam mores alios, jam pœnituisse clientem
Admissi, ac de se meliora ostendere porro:
24. Tum morbo Deus implicitum miseratus inerti;
Solve metu, dicet, defende a morte propinqua
Depositum: veniæ occurrit justissima causa.
25. Exhaustum est pœnis corpus; viridem ille juventam
Induat, & primis revocetur robur ab annis.
26. Talia mandabitque Deus, volucrisque facesset
Nuncius: alma salus properata advenerit ægro.
Mutua constabunt deinceps hominisque, Deique
Officia: ille preces dabit; iras iste remittet:
Stabit homo ante aras, & dulces concinet hymnos;
Jus reddet, priscæque Deus virtutis honores.
27. Inde in mortales dicet conversus amicos
Mortalis. Fateor, maculavi crimine vitam
Multiplici: non ulla tamen tot debita factis
Supplicia expendi. vetus æs Deus omne remisit.
28. Tali voce reum fassus, veniæque datorem,
Præstitit incolumem vitam, viresque recepit,
Tardavitque alas fatorum, & protulit ævum.
29. Hæc agere atque homines iterumque iterumque
Omnipotens suevit genitor, monitusque salubres (docere
30. Instillare animis. ita cœli munere vitam
Fessam alit, & nigra revocatam a morte tuetur.
31. Ore fave: da, Jobe, aures, mentemque loquenti:
32. Aut inopi in causa, si qua datur, utere certis
Responsis, moresque proba, crimenque refelle.
Namque pium non te nolim, insontemque videri.
33. Quod si te ratio fugit tua; sedulus audi,
Ac tacitus. Sophiæ leges & sacra docebo.

C A-

videatur. extant ossa, quæ non videbantur. Melius forsan, cutis horrida aspectu, & deformata.

23. SI FUERIT PRO EO ANGELUS LOQUENS. Extremis temporibus, ac desperatis, cum animam agit homo improbus, in quem Deus animadvertit; si quis pro eo deprecator salutis accedat ad Deum. hoc versu ambigua tria, quæ duplicem expositionem idcirco admittant. 1. Angelus, vel bonus, qui causam & patrocinium suscipiat hominis: vel malus, & exterminator, qui accuset hominem apud Deum. sed malim prius. 2. Unus de mille, ὁ πεζῶν, quilibet. unus lectissimus. hoc nolim posterius. 3. Ut annunciet hominis æquitatem; qui Deo renunciet, sui hominem peccati pœnitere: factum infectum velle. qui hominem recti admoneat, & ut ad officium redeat. hoc minime placet. Insignis autem hic locus est, tum de angelorum intercessione, tum de bonorum operum meritis, quam vocat æquitatem, & v. 26. justitiam.

24. MISEREBITUR EJUS. Deus in primis misericors condonabit illum angeli precibus, dabitque ei negotium, ut ipse rem perficiat, a morte, quæ imminet, hominem liberet.

LIBERA EUM. Ab his verbis ad versum usque 26. Dei est oratio, qua angelo mandat, quid homini fieri velit. Inveni in quo ei propitier. Ait se nactum causam, quamobrem ipse se placet ac leniat illi, sive quod angelus pro eo sibi supplicet, sive quod resipiscat tandem, & ad sanitatem mentis redeat, seu denique quod satis jam pœnarum dederit.

25. CONSUMPTA EST CARO EJUS A SUPPLICIIS. Tenerior reddetur, quam in juventa. Exponitur sic ab Hebræis, quo LXX. etiam modo interpretati sunt, ἁπαλυνεῖ δὲ αὐτοῦ τὰς σάρκας ὥσπερ νηπίου. Noster aliud omnino, cui tamen Chaldæus videtur favere, si recte attendimus. Est enim, subtilis redditur, infirmior. quod quid vetat, quominus ita explicemus: Caro ejus qui vir sit, est extenuatior e suppliciis, quam pueri parvuli fuit.

26. DEPRECABITUR DEUM. Cum satis constet, esse hominem, qui deprecetur; esse Deum, qui reddat jus suum cuique: tum implicatum, quis placabilis sit, quis videat faciem, Deusne an homo? Sic igitur ordino personas, aptius, meo judicio, quam alii plerique. Homo deprecabitur Deum: reconciliabitur ei Deus: Homo videbit faciem Dei in jubilo. Deus reddet homini justitiam.

27. RESPICIET HOMINES, ET DICET. Idem ille, qui lætus & hilaris Deum intueretur, non jam iratum sibi, sed propitium, convertet oculos ad homines, & agnoscet culpam, & fatebitur, leviusque se punitum, quam sit promeritus. In eandem sententiam LXX. quoque acceperunt καὶ οὐκ ἄξια ἤτασέ με ὧν ἥμαρτον. Oblique Jobum perstringit, & quid facere debeat, quasi in alieno exemplo demonstrat. dixerat enim cap. XVII. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Verum qui se ad Deum converterit, publice & coram hominibus peccata sua confitebitur. quo spectavit & Chaldæus interpres. Videndum amplius, quid vox Hebræa ישר schova, sonet ac valeat.

28. LIBERAVIT ANIMAM SUAM. Simpliciter & ad verbum apposite. Hac agnitione culpæ & ingenua confessione liberaverit se reus morte. Si autem sic loquare, liberavit animam ejus, par est intelligi de Deo, qui hominem liberarit. si animam meam. erit hæc oratio continua divinam erga se benignitatem agnoscentis. Certe facile fuit ' pro ו, & vicissim ו pro ' accipere.

29. ECCE HÆC OMNIA OPERATUR DEUS. Admonet & plectit his duobus modis Deus homines, idque sæpius. ut illis demum suam & salutem, & rem, & honestatem omnem restituat.

TRIBUS VICIBUS PER SINGULOS. In Hebræo est, bis vel ter. Vide versum 14. Ternarium numerum dixit pro qualicunque: ut Deum significet pro sua voluntate, & quoties libitum est, homines admonere.

32. VOLO ENIM TE APPARERE JUSTUM. Quasi dicat: Non agam tecum accusatorie. nihil est quod malim, quam te insontem, si tu es, videri. Sed placet & operæ pretium est, in re tanti momenti, exquirere veritatem.

EX

CAPUT XXXIV.

Videtur iterum ac tertio siluisse Eliu tantisper, dum Jobus, si quid haberet, responderet. quod cum hic non faceret, contexebat ille orationem interruptam. Isto quidem capite duo quasi dicta a Jobo sibi sumit ad refellendum. prius, quod se justum esse jactasset, & affligi immerentem. posterius, quod ex priore videtur consequens, quasi Deus recte facta hominum nihil curaret. quibus si moveretur quoque modo, nihil inferri bonis mali sineret. Hæc a Jobo partim allata, partim aliter; ac senfit Jobus, accepta, convellit Eliu commendatione singulari divinæ justitiæ.

1. PRONONTIANS itaque Eliu, etiam hæc locutus est:

2. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:

3. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.

4. Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.

5. Quia dixit Job: Justus sum, & Deus subvertit judicium meum.

6. In judicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato.

7. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam:

8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?

9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.

10. Ideo viri cordati audite me, absit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.

11. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.

12. Vere

1. Prosequitur, tumidoque Elius hæc pectore fatur.
2. O quicunque bonas hausistis mentibus artes,
Qui sapitis, præbete aures, atque hæc mea dicta
3. Accipite. Explorat gustu subtile palatum,
Unde sapor dapibus, quid distent dulcia amaris.
Sic aures commissa probant sibi verba superbæ.
4. Consultemus, & inter nos integra feramus
Judicia, in rebus quid opus dicique, gerique.
5. Nam Jobus, Sum justus, ait: mi jura negavit
Digna Deus, legesque boni subvertit, & æqui,
6. Lapsus & ille meus judex errore: sagittis
7. Me petit immeritum gravibus. Quem, Jobe, virorum
Æquiparem tibi? tu sannas jactare procaces
Torvus amas, avido sitiens bibit ore viator
8. Sicut aquam. tu nec pravæ comes ire cohorti,
Unanimo nec idem affectu sentire recusas.
9. Namque Deo, dixit, quamvis cœlestia jussa
Vir faciat; nulla obsequii vir parte placebit.
10. Quare agite, ô quorum est melior sententia menti,
Hæc audite: Deo crimen nemo imputet ullum.
Nulla Dei impietas, fraudisve injuria nulla
11. Illius in quemquam. sua, scilicet, omnia reddet
Facta homini, justaque emensus lance reponet.

12. Ju-

EXPOSITIO Capitis XXXIV.

3. AURIS ENIM VERBA PROBAT. Quam proprium est aurium judicium de verbes, palati de cibis; tam proprium est intelligentium & sapientium cognoscere & æstimare, quæ dicturus sum. Non sum nescius aliter alios interpretari. sed nihil muto, cum eadem esse hujus loci sententia posset, quæ est superioris cap. XII. v. 12.

4. JUDICIUM ELIGAMUS NOBIS. Quoniam proxime rem referebat ad sapientes, de qua judicarent ipsi, siquidem eorum esset, non minus quam sensuum de propriis & suis rebus judicium: idcirco nunc eosdem hortatur, ut ex æquo & bono judicent.

5. DEUS SUBVERTIT JUDICIUM MEUM. Hoc sane Jobus antea cap. XXVII. v. 2. & iisdem verbis Hebraice, sed non eadem, opinor, sententia. Illic, *abstulit judicium meum a me*, id est, celavit me causam, cur, cum nullius mihi culpæ conscius sim, affligat tamen. hic, *jus pervertit*, injuriam fecit, non modo me indicta causa condemnavit. ita enim Eliu vult intelligi, quo majorem ansam Jobus videatur dedisse ad reprehendendum, qui injustitiæ Deum condemnarit. Atqui sæpe se Jobus innocentem prædicavit, sæpe se malis omnibus affici nullo merito suo, sæpe se paratum ad dicendam causam apud Deum, nec audiri. Non lapsus tamen unquam est eo, ut culpam in Deum injustitiæ conferret. In quo visus est innuisse, aliam Deo esse causam potuisse, quamobrem se tot exerceret malis; quam causam ipse ignoraret, quam scire vellet, de qua ut doceretur, postularet.

6. IN JUDICANDO ENIM ME, MENDACIUM EST. Optime noster interpres, quod ad sensum attinet, *in judicio meo, in judicando me.*

MENDACIUM EST. אכזב *acazeb*, *falsi coarguam*. Paraph. Chald. Hæc Codurcus a Mercero, ut non pauca alia: sicuti Mercerus a Pagnino.

VIOLENTA SAGITTA MEA ABSQUE PECCATO. Gravis & odiosa plaga inflicta sagittis. alludit ad verba Jobi c. VI. v. 4. *Quia sagittæ domini.*

7. QUIS EST VIR, UT JOB. Ecquem cum Jobo comparem protervitate & petulantia, & licentia subsannandi? quasi promptus & liber ad conviciandum & maledicendum, & probra in Deum ipsum jacienda, Jobus describitur. Itaque Jobum non intelligo, qui se deridendum præbeat, ut accipiunt plerique; sed qui irrideat ipse, & sugillet, & perstringat quemvis, aut Deum etiam, libenter. Quo modo *qui bibit iniquitatem sicut aquam*, is est qui facile adducitur ad peccandum; non is, qui aliorum in se scelus aut attrahit, aut admittit, aut profert. Confirmat expositionem meam hæc psalmi primi ultima pars: *Qui in cathedra pestilentiæ non sedit.* ubi habetur Hebraice, *cathedra irrisorum.* quorum illiberalis & impia scurrandi ratio damnatur.

8. QUI GRADITUR CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM. Hic versus respondet totus ei, qui est ordine primus in psalmis: *Beatus vir, qui non abiit.* quo modo extrema pars conveniebat cum superiore versu, ut modo dictum est.

9. DIXIT ENIM. Non hoc quidem diserte Jobus dixisse videtur uspiam: sed ex illius verbis deducitur, præsertim c. IX. v. 22. & c. XXI. in quo de impiorum prosperitate disserit. Adde vocem אמר *amar*, quæ est dicere, significare etiam, cogitare.

ETIAMSI CUCURRERIT CUM EO. Videtur ad id alludi quod supra positum est, Jobum aggregare se improbis, una cum iis ambulare. Sic enim opinari, non se initurum gratiam a Deo, etiamsi se illi adjungat comitem & socium itineris, & una currat.

10. ABSIT A DEO IMPIETAS. Nullum Deo imputemus nefas. Vide caput XXVII. v 5. ubi eadem vox & Hebræa & Latina.

11. OPUS ENIM HOMINIS. Justum esse Deum approbat ex officio judicandi. quemadmodum Abrahamus argumentatur Gen. XVIII. v. 25. & Paulus ad Rom. III, v. 5.

13. Quis

12. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet judicium.

13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14. Si direxerit ad eum cor suum spiritum illius, & flatum ad se trahet.

15. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur.

16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquii mei.

17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? & quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas?

18. Qui dicit regi, Apostata: qui vocat duces impios:

19. Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi.

20. Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.

21. Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

22. Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

23. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.

24. Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25. No-

12. Judice non illo quisquam damnabitur insons;

13. Non ullum pessum fas ibit. Justior alter
Quis judex sedet, in toto quem condidit orbe?

14. Si sese contra mortales verterit ægros,

15. Eliciet spirantem animam, tum languida vulgo
Corpora deficient pariter, pariterque negrantes
Ibit homo in cineres, circumvolitante favilla.

16. Ergo aures, si mente vales, quæque eloquar, audi.

17. An quisquam, jus exosus, sanabile vulnus
Jure gerit? cur te usque adeo non utitur æquo,
Usque adeo tibi damnatur justissimus unus?

18. Ille duces pravos, pravos vocat, ille tyrannos
Infidos, vocat infidos: & nomine signat

19. Quemque suo. Non plebs illi, non plebis habentur
Primores ullo discrimine, dumque tyrannus
Insequitur populos, aut lite moratur iniqua,
Posthabitis favet huic istis. namque illius omnes

20. Sunt opus. in proceres non exspectata ruet mors.
Sub noctem vulgus mediam turbabit, & ardens
Huc illuc curret, violentum & tollet inermem.

21. Luminibus tacitis hominum Deus inspicit acta
Desuper, atque animum gressus attendit ad omnes.

22. Non ullæ tenebræ, mortis non ullius umbra
Nigra satis, queis se pravi & sua crimina celent.

23. Nec vero fas est homini, postquam Deus egit
Magna voce reum, non ad vadimonia obire.

24. Conterer ille malos, & non numerabile vulgus,
Substituetque alios, numerumque explebit inanem.

25. Nam

13. Quem constituit alium super terram. Ad verbum Hebraice: *Quis visitavit pro eo in terra.* Vide num legendum sit פוקד *poced*, *visitans*, ut legitur postea שם *sum*, *ponens*. Nullus, inquit, alius est, quem, ad moderandum urbem, & ad jus dicendum, vicarium sibi Deus alleget. ipse enim solus judicat.

14. 15. Si direxerit ad eum. LXX. recte, *εἰ γὰρ βούλοιτο συνέχειν, καὶ τὸ πνεῦμα παρ' αὐτῷ κατασχεῖν. si sustineat se Deus, & recipiat spiritum ad sese.*

Quid futurum homini est? Tanta est, inquit, Dei potentia & majestas, ut vel nutu solo & aspectu mortales in nihilum redigat.

17. Numquid qui non amat. Si inter homines quicunque abhorrent a justitia, salvi & incolumes esse nequeunt, sed misere pereunt: ecquidnam, obsecro, omnium justissimum, imo justitiam ipsam, condemnare non metuis? Hebræa vulgo aliter accipiunt propter ambiguam significationem vocis חבש *chavas*, quæ ligare significat. Hæc vero dupliciter intelligitur. nam aut est subjectos quibusdam velut coercere vinculis, aut obligare, & ex consequenti curare vulnus, ut Isaiæ 1. Quod ait, *qui justus est in tantum*, significat Deum, qui justissimus est, & adeo justus, non esse condemnandum. Itaque distinctio post, *tantum*, adhibenda est. Græci *αἰώνιον δίκαιον sempiternum justum* vertèrunt, quod soli Deo convenit, cujus immutabilis est justitia.

18. 19. Qui dicit regi, Apostata. Multa supplent, qui sic versum hunc interpretantur. An dicere licet regi? vel, Estne qui regi dicat? Tum, Quanto minus par est dicere ei, id est, Deo, qui non accipit personas principum. Quid si ejusdem sunt hi duo versus, habentque justi, de quo proxime dicitur, descriptionem, ut justus qui a Jobo condemnatur, sit his, qui libere, reges, duces, principes, tyrannos objurget, asperius appellet, hos & tenuioris fortunæ homines nullo discrimine habeat. Itaque sonat versus 18. illud: Qui neminem timens, reges ipsos increpat, ac libere suorum criminum arguit.

20. Subito morientur. Argumentum manifestum, qua valeat potentia is, qui nullius rationem habet præcipuam, communiter omnes & ex æquo tractat, seditio, strages populorum, occisio violenti principis, idque nullo negotio.

21. Oculi enim ejus. Non est quod quisquam mortalium quidquam se facere posse existimet occulte & divini numinis conscientia remota. Deus enim singulos homines speculatur atque custodit. ne fore si quis oculos effugiat hominum, se impune laturum putet, quidquid clam admiserit.

22. Non sunt tenebræ. Neque ullum tempus tam tenebricosum, neque ullus tam abditus tamque remotus locus, in quo delitescant improbi, atque impunitatem scelerum assequantur.

23. Neque enim ultra in hominis potestate Significat Deum ita nonnullos obterere penitus, ut non possint de Deo conqueri, & quasi cum eo litigare: quoniam ita profligati sunt, nullum ut eorum vestigium reliquum faciat.

24. Conteret multos et innumerabiles. Tam multos, ut eorum numerus iniri non possit, quorum in locum tamen substituet alios: sic ut nihil damni puniendo fecerit.

25. Novit enim opera eorum. Præter multas multorum expositiones, istud minime alienum, quamvis subtile: Inducet noctem, id est, discutiet & abstergebit tenebras, proferet in apertum, & educet e latebris, in quas sese scelerati conjecerant. Frustra itaque tegi latibulis atque occultari volunt, qui nunquam effugient.

26. Quasi impios percussit eos. Hoc est, ut par est impios percuti. est enim quasi *ἐμφανῶν*.

In loco videntium. Id est, publice & palam velut in theatro; aut in hac vita: videntes enim sunt viventes: quasi diceret: Pœnam illorum in futurum tempus non prorogat, sed in hac vita repræsentat.

27. Qui quasi de industria recesserent. Noster interpres reddidit, sic, *quasi de industria*, &c. *non intellexerunt*, intelligere noluerunt docte, ut videtur Mercero, hoc est, valde convenienter Hebraicis.

28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni. Cum discedant a Deo sponte sua, & ab ejus præceptis voluntaria quadam ignoratione, non dubitant

25. Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur.

26. Quasi impios percussit eos in loco videntium.

27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt:

28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes, & super omnes homines?

30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.

32. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.

33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, & non ego: quod si quid nosti melius, loquere.

34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

35. Job autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

36. Pater mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.

37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur; & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

C A-

25. Nam quia cunctorum prudens facta improba novit,
Clam perdet super obducta caligine noctis.
26. Quinetiam comitum pravos ante ora suorum

27. Luce palam feriit, qui se liquere volentes,
Imperiumque suum securi nosse negarunt.
28. Vexavere inopem, questusque dolentis ab ore
Expressere: Dei pervenit clamor ad aures.
29. Nam quis, si veniam indulsit, suffragia damnet
Per sua? quis videat, quæ gens, latuisse volentem?

30. Ille malos populis, populorum ob crimina, reges

31. Imponit. Nil te ergo loqui prohibebo vicissim,
Ipse Deum nostra pro parte affatus abunde.
32. Si quid ego erravi, tu corrige: si quid iniqui
Ore parum fudi sanus; nihil insuper addam.
33. A te, quod nostræ tibi displicuere loquelæ,
Num pœnas a te vindex Deus expetit acres,
Dictorum pœnas nostrorum? ast tu prior ipse
Ingressus fari es; tantum hoc: ego deinde sequutus.
Nunc melius cedo si quid habes. quanquam audiat & me,
34. Et mihi vir sapiens potius doctusque loquatur.

35. Plurima nam stulte dixisti, Jobe, neque artes
Ingenuas, cultumve, sonant incondita verba.
36. Ne tentare tamen, pater ô dulcissime, Jobum
Desine, neu solito pravum exercere flagello.
37. Interea augentem perjuris crimina dictis,
Vi valida inter nos fandi, & ratione premamus.
Exin voce Deum citet ilicet, atque lacessat.

C A-

bitant circumvenire & opprimere imbecillos, ex quo quid consequitur, nisi ut clamor oppressorum perveniat ad Deum, audiatur a Deo, liberet oppressos Deus, oppressores ulciscatur,

29. Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet? Sunt qui reddant, quis commovebit. ut respondeat hæc vox priori, pacem, quietem. aliqui, condemnet, respondet voci, pacem, veniam.

Et super gentes et super homines omnes. Late regnat Deus, imperitat tam universis nationibus, quam singulis hominibus: ut nemo turbet pacem, si fecerit: nemo bellum componat, si commoverit.

30. Qui regnare facit hypocritam. Hebræa cum habeant, & *quod regnet hypocrita*, & *propter peccata populi*, videtur notari causa duplex, quamobrem Deus pœnas imponat. regis improbitas, contumacia populorum, ut hæc duo respondeant duobus proximis, & propter gentes, & propter hominem.

31. Quia ergo ego locutus sum. Hic versus prope inexplicabilis, si cum Hebræis conferatur. in quibus propter concisam brevitatem, subaudiendum plusculum quiddam. Hebræa ad verbum, *quia*, vel, *certe ad Deum qui dicit*, *peperci*. vel, *pertuli. non corrumpam*. vulgatus supplevit, cum dixit: Qui Deum sim ipse allocutus, non prohibebo, quominus tu alloquare vicissim eundem.

32. Si erravi, tu doce me. Hebr. *Absque eo quod video*. si quid peccavi, peccoque etiamnunc imprudens, ad me velim doceas. nam delictis, quæcunque admisi sciens, nihil addam.

33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi. Pœna tibi à Deo imposita, imposita aliis, non placet, o Jobe. an Deus a te consilium expetet in posterum, ad te referet, te consulet, te audiet, si quando pœnas a sontibus exigere debitas voluerit. nihil, credo, nisi de tuo consilio faciet. ita ex Hebræo & Græco. Græce quidem: Μὴ παρὰ σοῦ ἀποτίσει αὐτήν; *Num a te rependet illam*, subaudi, *iniquitatem?* Alioqui si sola Latina interpretari vellemus, proclivis esset sententia, Deum ab hominibus iniquitatem non expetere, sed odisse potius atque ulcisci.

Tu enim cœpisti loqui, et non ego. Clarum illud per se, sicuti & hoc versu 36. *Ne desinas ab homine iniquitatis*. Sed moneo, neutrum in Hebræo, aut apud LXX. qui duo tamen, Hebræus & Græcus, inter se conveniunt. Quia rejecisti, quia tu eliges. ὅτι σὺ ἀπώσω, ὅτι σὺ ἐκλέξῃ. Ede, si quid habes melius.

34. Viri intelligentes loquantur mihi. Viri intelligentes sentient mecum, idemque dicent: Audiet me vir sapiens.

35. Job autem stulte locutus est. Cum Jobus contra neque scienter locutus sit, neque verbis ad docendum idoneis.

36. Pater mi. Vel pater mi, vel voluntas mea, sive utinam, vel hoc sensu, adducam plura, donec Jobus dederit manus, seque convictum fateatur.

37. Quia addit super peccata sua. Quid sibi velit noster interpres, satis apparet. addit ad cetera peccata Jobus impietatem. hunc interim, dum vivit, ac versatur inter nos, omni ratione premamus atque argumentis. Post vero Deum provocet, ejusque se judicio sistat licebit; ut se velle sæpius ostendit. at est in Hebræo ישפק *iispoc*, *plaudet*: unde sensus existit necessario alius.

E X-

CAPUT XXXV.

Rursus in Jobum declamat Eliu, quod plus æquo justitiam extolleret suam. Hanc vero nihil utilitatis afferre disputat: quemadmodum nihil ex injustitia redundat injuriæ. Ex quo consequens sit Deum, quæcunque mala infligit hominibus, non ex animi commotione, aut affectione aliqua prava decernere.

1. IGitur Eliu hæc rursum locutus est:
2. Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio? ut diceres: Justior sum Deo.
3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero?
4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum.
5. Suspice cœlum & intuere, & contemplare æthera quod altior te sit.
6. Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?
7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?
8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua.
9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.
10. Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte?
11. Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cœli erudit nos.
12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.
13. Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum intuebitur.
14. Etiam cum dixeris: Non considerat: judicare coram illo, & exspecta eum.
15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.
16. Ergo Job frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

C A-

1. TAlia persistit memorans nec plura moratur.
2. Fas sentire putas, & dicere, Justior ipso
Ipse Deo incedo? namque hoc, atque insuper illud
3. Dixisti. Nec tu recto lætabere, nec tu
Ulla lucri facies compendia, si quid honestis
4. Moribus adversor male conscius. Ergo feretis
Tuque, tuique, a me pauca hæc responsa, sodales.
5. Cœlo attolle oculos sublimis, & æthera cœli
Contemplator, uti sinuato vertice longe
6. Te super emineat. Si quando plurima pecces,
Quid tu illi obsueris, quid tu contra egeris illum?
7. Sin & eris frugi, partesque impleveris æqui;
Quid tanto mereas de numine? quæ tibi gratus
8. Dona accepta feret? recte tua facta juvabunt
Solum hominem, similem natu tibi: fraus tua fraudi
9. Non nisi erit simili. Clamorem hic tollet acutum
Vi valida oppressus regum, crudisque lacertis,
Et numero ingenti planorum, & crimine falso.
10. At non dixit, Ubi est, qui me Deus edidit auctor,
Securumque dedit trepidis cantare tenebris?
11. Qui pecudum plusquam nos erudit atque volantum
Omne genus. Miser ingratis, vexante superbo,
12. Questibus implebit cœlum. Deus obstruet aures.
13. Non tamen hic istum nunquam audiet: acta tueri
Cunctorum omnipotens sciet, ac dignoscere causas.
14. Quum tu etiam tecum, nihil illum attendere rerum,
Dixeris; exspectes pro judice, jamque sedentis
Os subeas licet, ac limam experiare severam.
15. Abstine ille quidem jam nunc, parcitque furori,
Connivetque malis hominum, noxasque remissus
16. Persequitur vindex. ergo frustra ora resolvit
Jobus, & ignorans voces effundit inanes.

C A-

EXPOSITIO Capitis XXXV.

2. NUnquid æqua videtur cogitatio tua. Concinne dictum, sed falso: An æquum est vel illud, te cogitare & loqui, esse te Deo justiorem; atqui neque hoc Jobus dixit, neque illud unde hoc efficiatur & inferatur.

3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est. Videtur Eliu, ex eo, quod Jobus dixerit, minime conducere Deo, aut recte facta hominum, aut secus, inferre velle, eumdem dixisse se justiorem Deo. Sed neutrum forsan dixit. hoc quidem certe non dixit. ex illo priore accusabat Jobum, quod nullo discrimine justum & impium haberi apud Deum dicere videbatur, quasi Epicureum illud numen esset, quod nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

4. Itaque ego respondebo. Cum Jobus videatur attulisse quædam non vere; ubi etiam amici ista videantur confutasse parum probabiliter; ait se Eliu responsurum ad omnia, seque satis huic & illis venturum.

5. Suspice cœlum et intuere. Ac primum ut ostendat Jobum nequaquam Deo prodesse aut obesse posse admonet contempletur cœlum, in quo Deus est, quam longe supra terram sit, quemadmodum eo nulla vis ac virtus hominum aspiret, neque ad juvandum, neque ad nocendum.

6. Si peccaveris, quid ei nocebis? Mirum est dici istud ab Eliu, tractarique eum locum, in quo Jobum reprehendit: neque lucro futurum Deo, si quid recti quis egerit, neque fraudi, si quid admiserit pravi. Sed existimandum aliter a Jobo, atque ab Eliu accipi: aut hoc Eliu totum concedit Jobo, sed ita ut non sit illico non justus Deus.

9. Propter multitudinem calumniatorum. Versiculus hic nonus probatio est octavi, itaque tota res nectitur. alii inferunt injuriam, alii patiuntur, & contra. Istæ sunt vices inter homines, ut alii aliis & bono sint & incommodo, hocque sæpius. nam magna multitudo calumniatorum, magna tyrannorum violentia, ut clamores tollant, ejulatus edant, qui falsis criminibus & aperta vi opprimuntur.

10. Et non dixit. Subaudi, quilibet ex iis, qui a tyrannis opprimuntur. Dum sæviunt inter se mortales, non est ex oppressis & injuriam patientibus, qui de Deo, ut par est, cogitet, qui ad ejus providentiam, fidem, veritatem, misericordiam confugiat. Quod sequitur, *qui dedit carmina in nocte*; alii de stellis accipiunt, Deum modo quodam suo laudantibus: alii de avibus, ut luscinia, quæ tota nocte cantillat: alii quod a periculis nos servet, vel carminum segetem nocturnis beneficiis præbeat, nimirum ex aspectu siderum & similibus. quæ postrema expositio maxime consentanea est.

12. Ibi clamabunt, et non exaudiet propter superbiam malorum. Extremæ hæ voces

duæ

CAPUT XXXVI.

Dei justitiam ex ipsius operibus illustrare pergit, præsertim ex his, quæ circa principes & summates viros geruntur. qui si in officio esse voluerint, secundis illos rebus ornavit; sin ad iniquitatem deflexerint, malis & damnis quodammodo mactavit. ex quo utiles quasdam cohortationes innectit; gravesque sententias.

1. ADDENS quoque Eliu, hæc locutus est:
2. Sustine me paululum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.
3. Repetam scientiam meam a principio, & operatorem meum probabo justum.
4. Vere enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.
5. Deus potentes non abjicit, cum & ipse sit potens.
6. Sed non salvat impios, & judicium pauperibus tribuit.
7. Non auferet a justo oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur.
8. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis:
9. Indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.
10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate.
11. Si audierint & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.
12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.
13. Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint.
14. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.
15. Eripiet de angustia sua pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus.

16. Igi-

1. SIc ait, & longis hæc cœptis insuper addit.
2. Tu paulum largire moræ; tibi singula pandam.
Namque super mihi sunt, promam quæ numinis ergo
3. Nunc etiam. Quæ mens usu mea callet & arte
Jamdudum, prima repetens ab origine texam
Altius, auctoremque meum justum esse tuebor.
4. Vera scienSque loquor, quæ post audita probabis.
5. Non dominos Deus abjecit, rerumque potentes,
6. Ipse potens, dominusque. Neci capita impia mittit
Ille quidem vindex: vetum jus dicit egenis,
7. Assiduus, facilisque: nec unquam lumina retro
Avertit justis. Solio considere reges,
Et propria hæc dona esse jubet. sublimibus exstat
Majestas effulta toris, procerumque superba
8. Obsequio. Quod si famulares forte catenas
Induerint, vinctique incedant funibus arctis,
9. Pauperiem versi in miseram; facta, improba facta
Ante oculos illis ponet sua, vimque notabit
Infrænem, tantorum ortus, causamque malorum.
10. Quinetiam levitet vulsa pater optimus aure,
Corripiet dictis, vitæque referre monebit
11. Consilia in melius, cœptisque absistere pravis.
Si faciunt, præbentque aures, & justa capessunt;
Pleni & opum, & decoris, degent feliciter ævum.
12. Sin justa audire, & jussis parere recusant;
Incurrent gladios, ut erant, stultique peribunt.
13. Callida pars hominum & simulatrix provocat iras
Cœlestes. frustra vocem inter vincula tollent
14. In questus. Vitam ceu tempestatibus acti,
Effundent, quam luxum inter traxere, nefandæ
15. Dum veneri indulgent. Miseros Deus eruet arctis
Subveniens rebus, mœstamque loquetur in aurem.

16. Te

duæ respondent primis duabus. Clamabunt oppressi non multitudine solum & robore, sed etiam fastu & insolentia malorum.

13. NON ERGO FRUSTRA AUDIET. Concludit falsum esse, quod Jobus significaverat, frustra preces nostras audire Deum, nec curare. quamvis enim certis de causis, puta ob precantium improbitatem, illas negligat: curam tamen habet rerum humanarum.

14. ETIAM CUM DIXERIS. Te etiam blasphemum istud usurpante, Deus non respicit mortalia, non, inquam, frustra te, ista meditantem audiet: quippe ulciscetur & puniet. I nunc ergo, & cum illo judicio contende, atque eventum exspecta.

15. NUNC ENIM NON INFERT. Ad verbum: *Et nunc quia nihil visitavit ira ejus, neque novit multum.* quasi dicat: Remissius agit Deus, & lenius cum Jobo, & in ejus sceleribus connivet.

EXPOSITIO Capitis XXXVI.

2. SUSTINE ME PAULULUM. Identidem attentum sibi facit & docilem Jobum magnitudine rerum, de quibus dicturus est. quasi dicat: Audi me, Jobe, non gravate: da mihi operam: reddam ea, quæ restant.

3. REPETAM SCIENTIAM MEAM A PRINCIPIO. Id est, rem totam repetam longius, a stirpe, & capite, & fonte.

4. PERFECTA SCIENTIA PROBABITUR TIBI. Vatablus ita reddit: *Deus perfectus scientiis est apud te.* A quo valde dissentit Mercerus, cui tamen hæc interpretatio Latina Vatabli præmittitur, quam ipse, non hoc modo loco, sed aliis quamplurimis refellit.

5. DEUS POTENTES NON ABJICIT, CUM SIT IPSE POTENS. Cum utrobique sit eadem vox כביר *kabbir*, exquirendum, Deone, an homini apponatur.

7. REGES IN SOLIO COLLOCAT. Sunt qui Hebraica interpretentur, *cum regibus*, quasi Deus justos ad solium evehat, & adæquet regibus. quo sensu, psalmo CXIII dicitur: *ut cum principibus sedeant.* Sed prohibent sequentia, ex quibus constat fieri re vera de regibus mentionem.

9. QUIA VIOLENTI FUERUNT. Vatablus: *Quia pœnæ peccatis debitæ invalescunt.* Mercerus: *Quum invalescunt scelera, ut prius ab iis, quam invaluerint, recedant.* Codurcus: *Quoniam obfirmarunt animum.*

12. CONSUMENTUR IN STULTITIA. Hebraice ad verbum: *sine scientia.* sensus est. peribunt: dementes, qui admoniti tam sæpe tamque graviter, morem non gesserint.

13. SIMULATORES ET CALLIDI. Id est, pessimi, quique divinam in se concitant iracundiam, vel eo ipso, quod adversis temporibus suis ad Deum perfugium non habeant, ejus opem non inclament, etiam malo admoniti.

14. MORIETUR IN TEMPESTATE. Alii omnes, *in adolescentia.* R. Sel. tamen. *excussione, quasi vi & impressione calamitatum.*

16. Igitur salvabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

16. Te quoque ab angusto servaverit ore baratri
Ingentis, lati, fundus cui nullus, & imo

17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.

17. Ora solo. Tibi certa quies, & pinguibus eseis
Mensa gravis. Causa acta tua est ceu causa nocentis
Hactenus. Accipies tua judice jura secundo

18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.

18. Posterius. Non ergo tibi rabida imperet ira,
Neve premas quemquam. Non mentem copia rectam

19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.

19. Inflectat donorum. Animos innoxius altos
Pone ultro, & fræna violentos robore motus.

20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.

20. Ne longo sermone tene, neu protrahe noctem
In multam populos: verum ocius annue votis,
Ac tandem redeant ad res permitte relictas.

21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

21. Declivis scelerata fuge ad convitia labi,
Quæ tu, cœpisti postquam miser esse, proterve

22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.

22. Ore vomis. Deus ecce, valet qui robore, & ante
Latores alios legum præstantior omnes.

23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?

23. Cui fas nosse vias illius, quærere mentem?
Cui, non fecisti jus, illi dicere fas sit?

24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.

24. Te mentem nescire Dei, te facta memento.
Esto, illum tali celebravit carmine fama;

25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.

25. Omnibus ille viris toto spectabilis orbe
Cernitur, & cuivis, etiam eminus ora tueri, est.

26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis.

26. Magnus quippe Deus, longe viresque sciendi
Exsuperans hominum. Nemo illius æstimet ævi
Immensa enumerans spatia, & comprehenderit annos.

27. Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.

27. Ille polum siccat stillantem, & aperta serena
Inducit, rituque effundit gurgitis imbres:

28. Qui

28. Im-

16. Salvabit. Servaret te quidem Deus, & ex angustiis ac difficultatibus rerum, in quibus versaris, educeret in apertum campum.

17. Causam judiciumque recipies. Recte noster interpres. Vide Mercerum. Causa & judicium stabunt, sive obtinebit judicatum, nec ullo modo rescindetur.

18. Non te ergo superet ira. Placet sibi Codurcus de hac interpretatione. *Quandoquidem est indignatio: cave ne te pellat percussione, quam tu quovi pretio non declinaveris.* Sic tamen antea & Mercerus exposuit, & Vatablus.

Nec multitudo donorum inclinet te. Ad verbum Hebraica sonant: *Pretium ingens non faciat te declinare.* quæ verba alii in aliam sententiam accipiunt.

19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione. Hebræa: *Num æstimabit opes tuas? non aurum neque omnes vires potentiæ.* Codurcus lucem se huic loco magnam putat attulisse. Atqui idem ante istuc Mercerus, idem Vatablus. Aliud LXX. nihil tale noster interpres; sed hoc convenientius: Non proprie Jobum, sed quemlibet alium potentem & improbum hortatur, ut antequam a Deo malis exerceatur, resipiscat serio superbiamque deponat. Per robustos fortitudine intelligo præpotentes & fortes amicos, quorum præsidio nititur ad nocendum.

20. Ne protrahas noctem. Ex Hebræo, ne anheles noctem, sive concupiscas, ad meditandum & concipiendum scelus.

Ut ascendant populi pro eis. Ut ascendat populus in locum eorum, virorum principum. LXX. idem ἀναβῆναι λαοὺς ἀντ' αὐτῶν. Trahi eodem Hebræa possunt. Hujus loci, qui valde perplexus est, hæc mihi videtur esse sententia. Abjice, inquit, ex animo & fiducia tua potentes illos, quorum viribus & auxilio fretus insolescis, qui quidem momento dejiciuntur, ac ne tota quidem nocte, sed ejus brevi particula profligantur. Non est, inquit, necessarium, ut totam noctem præstolere, quasi toto hoc intervallo opus sit ad illos delendos prorsus, atque ut iis de medio sublatis, in eorum locum populi subeant. Alludit autem ad tyrannorum violentiam, qui consensu populi concursuque, noctu præsertim, opprimuntur: ut de Mezentio poetarum princeps scribit: *At fessi tandem cives infanda furentem, armati circumsistunt, ipsumque domumque: Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.*

21. Cave ne declines. Admonet ne fiat miseria & calamitate, in quam incurrat, deterior. depravantur enim mortales non solum fortuna magna, quam sæpenumero ferre non queunt, sed etiam adversa: quo nomine multa quoque cum Deo, cœlo, terra queruntur.

22. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua. Cum sit Deus singulari robore præditus, incomparabilis doctor & magister, nemo illius potestatem effugiat, neque fugiat scientiam.

23. Quis poterit scrutari. Quod adjungit posse neminem Dei vias & agendi rationes investigare, nec ullius eum malefacti arguere; id eo pertinet, ut ostendat a nullo Deum doceri ac regi posse, nullum ejus vel minimum opus corrigi & emendari, nemini esse obnoxium, aut reddere rationem debere.

24. Memento quod ignores opus ejus. Legit interpres noster a שגה *schaga erravit*, quum alii omnes, *extollas, magnifices* quod incommode factum ab interprete nostro ait Mercerus, quia Syriacam vocem ita interpretatus est, quasi Hebraica esset. quod idem Codurcus habet.

De quo cecinerunt viri. Id est, de quo plerique memorarunt, quod extulerunt laudibus. Chaldæus quoque in eam sententiam accepit, & canendi significationem, quam præter alias vox habet Hebraica, secutus est. Quo magis miror ab isto discedere Mercerum. Vis porro totius loci hæc est: Qui ita de Deo sentis, sic habeto, vel, memineris, ejus a te opera ignorari, tametsi multorum celebrata laudibus, tametsi omnium posita sub oculos, omnium, etiam eorum, qui hæc procul intueantur.

25. Unusquisque intuetur procul. Dei opera spectare licet, vel procul. quasi dicat, quæ procul sunt a conspectu oculorum, non esse procul a cognitione nostra. vel, cerni a nobis cœlestia, quamvis absimus procul. Omnes aliter.

26. Ecce, Deus magnus. En, unde confirmari possit expositio proxima nostra. memento quod ignores. revolve animo tecum, & recordare quemadmodum Deum ignores, cujus tamen opera & procul & prope intuemur omnes. Nescimus Deum profecto, neque quantus sit assequimur, neque quam æternus.

27. Qui. Vel, quando; vel, quoniam. ut sit temporis significatio, vel redditio causæ.

Aufert stillas pluviæ. Plerique sic interpretantur. qui e terra anhelitus, ex aqua vapores paulatim elicit, quos in nubem cogat, ac subito solvat in imbrem. Ego hoc aliud malim. Qui siccitatem & nimios æstus inducit, vel serenitatem ac sudum. tum derepente magnos & assiduos imbres effundit. Sequitur, *ad instar gurgitum*, quod caret textus Hebraicus, ubi habetur, *ad vaporem suum*, hoc sit,

28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum

30. Et fulgurate lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

31. Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus

32. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.

33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.

28. Imbres manantes e fusis omnia circum

29. Nubibus. Has toto si vult distendere cœlo,
Et passis imitari alte tentoria velis;
30. Si lumen supra jaculari, & fulguris ignes;
Summa maris, littusque ingens fluctu obteget alto.
31. Namque vice hac cœli, tempestatumque, trementes
Per populos dat jura, dapesque impartit egenæ
32. Genti hominum In promptu lucem tenet: abdit eadem
Præpanditque manu, rursumque accedere mandat.
33. Quin jus ipse suum in lucem partitur amico:
Illius hanc ait esse, hac illum posse potiri.

CAPUT XXXVII.

Eandem Dei potentiam & majestatem ex ejus operibus illustrat. præsertim iis, quæ in aere cernuntur & nubibus, quæ μετέωρα vocantur. Is autem sermo totus aut habetur extra rem, aut ita habetur, quasi Jobus divino numini obtrectarit.

1 SUPER hoc expavit cor meum, & emotum est de loco suo,

2. Audite auditionem in terrorē vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem.

3. Subter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.

4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ: & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.

5. To-

1. HIs super expavi, atque emotum est sede sua cor.

2. Horrificum tonitru, & missos audite sonores

3. Ore Dei subter stellatos despicit orbes
Omnia, terrarumque extremas fulgurat oras.
4. Rugiet a tergo sonitus, magnaque tonabit
Voce potens, quam non auditam sensibus ullis.
Unde ruat, quisquam vestiget, quove feratur.

5. Mi-

est, pro vapore suo, seu pro modo vaporis. Quanti fuerint vapores a sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitati. Quid si noster interpres eadem ferme sententia legit כארו *ceado*, ad instar multi vaporis & gurgitis sui, pro לארו *leedo*. imber respondes magnitudini vaporis, ex quo fit.

28. NUBES PRÆTEREUNT. Idem LXX. ἐσκίασε νέφη. cuncta desuper. In Hebræo: *Super hominem multum*. Id est, supra mortales quamplurimos, aut abunde supra homines. Quæ eodem recidunt. nubes toto diffusæ cœlo, terram circumfundunt & augent imbribus, variasque nationes perpluunt.

29. SI VOLUERIT EXTENDERE NUBES. Hebræi dupliciter & præclare, & diversa a superioribus sententia, & aliter quam noster interpres. Præterea an intelliget quam late dispergantur nubes, quam variæ sint ac diversæ. *Strepitum tabernaculi ejus*. id est, tonitru illius, qui in nubibus habitet.

30. CARDINES QUOQUE MARIS OPERIET. Ad ultima usque maria pertinebunt nubes extremum quidque cardo significat. Cum tonat, cum fulget, si Deo videtur: etiam maris remoti extrema litora afflabuntur fulmine, & tangentur. Hic recte Thomas Aquinas: *Nubes autem quandoque contegunt cœlum usque ad horizontem alicujus regionis, infra quem extremitates maris claudi videntur.* Significat ergo Deum, cum ei visum est, toto cœlo nubes inducere: adeo ut mare ipsum quantum est ad horizontem usque nubibus tegi videatur. Scribit Geminus in elementis astronomicis capite XIII. a Cratete observatum, poetas veteres putasse, terram undique oceano cingi, ita ut horizontis instar esset. hinc & ortus siderum ex oceano, & in eundem occasus fieri dixisse quod ex Homero & Virgilio aliisque constat. Proinde extremitates globi totius, cardines in mari esse dicuntur.

31. PER HAC ENIM JUDICAT POPULOS. Quænam sunt hæc? imbres immoderati, tonitrua, fulgura, venti, nubes, ceteræque tempestates cœli, quibus Deus calamitatem affert agris, & sterilitatem, itaque maleficos & sontes populos plectit. Item hæc sunt, moderati & tempestivi imbres, quibus fœcunditatem & annonæ copiam importat. unde multitudo hominum infinita satis alitur ac sustinetur.

32. IN MANIBUS ABSCONDIT LUCEM. Ex ambiguitate quinque aut sex vocum Hebraicarum, itemque ex eo quod multa apud Hebræos curta in dictione, quæ supplenda sint, nata est varietas & discrepantia interpretationum tum hujus versiculi, tum sequentis. Quare, cum noster interpres habeat etiam in Hebræo, unde expositionem suam instruat; nec magis, quam quivis interpres recentior, divinet: non video, quamobrem minus illi fidem & auctoritatem adjungere debeamus, quam Vatablo, Mercero, Codurco, reliquis, qui se Hebraica sequi in interpretando, maximeque spectare profitentur. Sic ergo interpres noster: Habet Deus lucem in sua potestate, ita ut eam & claudat: cum lubet, & promat mortalibus, sive id certo & usitato, rerum ordine fiat, diesque nocti, nox diei succedat, aut longioribus intervallis ecliptica quædam obtingant, sive præter ordinem rerum dies obscurentur, luxque deficiat in solitis & prodigiosis luminis suppressionibus. Sic toto illo anno, quo Cæsar occisus est, sol teter ac luridus apparuit: & anno Christi 797. totos septemdecim dies horrenda caligo visa Constantinopoli est: paulo antequam Constantinus ab Irene matre oculis & vita privaretur, ut refert Theophanes, Cedrenus, & ceteri.

33. ANNUNTIAT DE EA. Mediis in tenebris, excisque tempestatibus significat amico suo adfuturam mox serenitatem, hanc illius in potestate fore, & qui delituit, ut fit, in locis cavis & abditis, prodire in lucem posse & emergere. Etenim per horrendas illas tempestates latere solent homines, & in specubus abdere sese; quibus dilapsis ascendunt, & comparent, seque dant in lucem.

EXPOSITIO CAPITIS XXXVII.

1. SUPER HOC EXPAVIT. *Pavorem Stoici definiunt metum mentem loco moventem.* Tullius IV. Tusc. 19. Pavore cor concutitur, salit, movetur omni statu.

2. AUDITE AUDITIONEM. Vel potius, audite audiendo, hoc est, attentissime audite. Vocem horribilem Dei, & quem ore sonitum ac fragorem edit. Hinc adeo omnes consentiunt interpretes tonitru & fulgur aliquot versibus significari.

3. SUBTER OMNES CŒLOS IPSE CONSIDERAT. infra cœlum, quaquaversus, vel dirigit fulmen, vel spectat & contemplatur. Si dirigit, ישרהו *iischreu*, legendum a ישר *iaschar*. si spectat & considerat, ישורהו *iesbureu*, a שור *schur*. Melius est & cum re conjunctius, ut speciatim Deus intelligatur moliri fulmen & dividere quodam modo mortalibus ac dispensare, quam ut universe dicatur idem curare res humanas, & habere rationem nostri.

4. POST EUM RUGIET SONITUS. Hic tonitru, ut modo fulgur: *Lumen illius*. *Voce magnitudinis suæ*: voce

16 Igitur salvabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.

18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.

19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.

20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.

21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.

23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?

24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.

25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.

26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis.

27. Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.

28. Qui

16. Te quoque ab angusto servaverit ore baratri
Ingentis, lati, fundus cui nullus, & imo

17. Ora solo. Tibi certa quies, & pinguibus escis
Mensa gravis. Causa acta tua est ceu causa nocentis
Hactenus. Accipies tua judice jura secundo
18. Posterius. Non ergo tibi rabida imperet ira,
Neve premas quemquam. Non mentem copia rectam
19. Inflectat donorum. Animos innoxius altos
Pone ultro, & fræna violentos robore motus.
20. Ne longo sermone tene, neu protrahe noctem
In multam populos: verum ocius annue votis,
Ac tandem redeant ad res permitte relictas.
21. Declivis scelerata fuge ad convitia labi,
Quæ tu, cœpisti postquam miser esse, proterve
22. Ore vomis. Deus ecce, valet qui robore, & ante
Latores alios legum præstantior omnes.
23. Cui fas nosse vias illius, quærere mentem?
Cui, non fecisti jus, illi dicere fas sit?
24. Te mentem nescire Dei, te facta memento.
Esto, illum tali celebravit carmine fama;
25. Omnibus ille viris toto spectabilis orbe
Cernitur, & cuivis, etiam eminus ora tueri, est.
26. Magnus quippe Deus, longe viresque sciendi
Exuperans hominum. Nemo illius æstimet ævi
Immensa enumerans spatia, & comprehenderit annos.
27. Ille polum siccat stillantem, & aperta serena
Inducit, rituque effundit gurgitis imbres:

28. Im-

16. SALVABIT. Servaret te quidem Deus, & ex angustiis ac difficultatibus rerum, in quibus versaris, educeret in apertum campum.

17. CAUSAM JUDICIUMQUE RECIPIES. Recte noster interpres. Vide Mercerum Causa & judicium stabunt, sive obtinebit judicatum, nec ullo modo rescindetur.

18. NON TE ERGO SUPERET IRA. Placet sibi Codurcus de hac interpretatione. *Quandoquidem est indignatio: cave ne te pellas percussione, quam tu quovis pretio non declinaveris.* Sic tamen antea & Mercerus exposuit, & Vatablus.

NEC MULTITUDO DONORUM INCLINET TE. Ad verbum Hebraica sonant: *Pretium ingens non faciat te declinare.* quæ verba alii in aliam sententiam accipiunt.

19. DEPONE MAGNITUDINEM TUAM ABSQUE TRIBULATIONE. Hebræa: *Num æstimabit opes tuas? non aurum neque omnes vires potentiæ.* Codurcus lucem se huic loco magnam putat attulisse. Atqui idem ante istue Mercerus, idem Vatablus. Aliud LXX. nihil tale noster interpres, sed hoc convenientius: Non proprie Jobum, sed quemlibet alium potentem & improbum hortatur, ut antequam a Deo malis exerceatur, resipiscat serio superbiamque deponat. Per robustos fortitudine intelligo præpotentes & fortes amicos, quorum præsidio nititur ad nocendum.

20. NE PROTRAHAS NOCTEM. Ex Hebræo, ne anheles noctem, sive concupiscas, ad meditandum & concipiendum scelus.

UT ASCENDANT POPULI PRO EIS. Ut ascendat populus in locum eorum, virorum principum. LXX. idem *ᾗ ἀναβῶσι λαοὶ ἀντ' αὐτῶν.* Trahi eodem Hebræa possunt. Hujus loci, qui valde perplexus est, hæc mihi videtur esse sententia. Abjice, inquit, ex animo & fiducia tua potentes illos, quorum viribus & auxilio fretus insolescis, qui quidem momento dejiciuntur, ac ne tota quidem nocte, sed ejus brevi particula profligantur. Non est, inquit, necessarium, ut totam noctem præstoleris, quasi toto hoc intervallo opus sit ad illos delendos prorsus, atque ut iis de medio sublatis, in eorum locum populi subeant. Alludit autem ad tyrannorum violentiam, qui consensu populi concursuque, noctu præsertim, opprimuntur: ut de Mezentio poetarum princeps scribit: *At fessi tandem cives infanda furentem, armati circumsistunt, ipsumque domumque: Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant*

21. CAVE NE DECLINES. Admonet ne fiat miseria & calamitate, in quam incurrat, deterior. depravantur enim mortales non solum fortuna magna, quam sæpenumero ferre non queunt, sed etiam adversa: quo nomine multa quoque cum Deo, cœlo, terra queruntur.

22. ECCE DEUS EXCELSUS IN FORTITUDINE SUA. Cum sit Deus singulari robore præditus, incomparabilis doctor & magister, nemo illius potestatem effugiat, neque fugiat scientiam.

23. QUIS POTERIT SCRUTARI. Quod adjungit posse neminem Dei vias & agendi rationes investigare, nec ullius eum malefacti arguere; id eo pertinet, ut ostendat a nullo Deum doceri ac regi posse, nullum ejus vel minimum opus corrigi & emendari, nemini esse obnoxium, aut reddere rationem debere.

24. MEMENTO QUOD IGNORES OPUS EJUS. Legit interpres noster a שגא *sebaga erravit*; quum alii omnes, *extollas, magnifices* quod incommode factum ab interprete nostro ait Mercerus, quia Syriacam vocem ita interpretatus est, quasi Hebraica esset. quod idem Codurcus habet.

DE QUO CECINERUNT VIRI. Id est, de quo plerique memorarunt, quod extulerunt laudibus. Chaldæus quoque in eam sententiam accepit, & canendi significationem, quam præter alias vox habet Hebraica, secutus est. Quo magis miror ab isto discedere Mercerum. Vis porro totius loci hæc est: Qui ita de Deo sentis, sic habeto, vel memineris, ejus a te opera ignorari, tametsi multorum celebrata laudibus, tametsi omnium posita sub oculos, omnium, etiam eorum, qui hæc procul intueantur.

25. UNUSQUISQUE INTUETUR PROCUL. Dei opera spectare licet, vel procul. quasi dicat, quæ procul sunt a conspectu oculorum, non esse procul a cognitione nostra. vel, cerni a nobis cœlestia, quamvis absimus procul. Omnes aliter.

26. ECCE, DEUS MAGNUS. En, unde confirmari possit expositio proxima nostra. memento quod ignores. revolve animo tecum, & recordare quemadmodum Deum ignores, cujus tamen opera & procul & prope intuemur omnes. Nescimus Deum profecto, neque quantus sit assequimur, neque quam æternus.

27. QUI. Vel, quando; vel, quoniam. ut sit temporis significatio, vel redditio causæ.

AUFERT STILLAS PLUVIÆ. Plerique sic interpretantur. qui e terra anhelitus, ex aqua vapores paulatim elicit, quos in nubem cogat, ac subito solvat in imbrem. Ego hoc aliud malim. Qui siccitatem & nimios æstus inducit, vel serenitatem ac sudum, cum derepente magnos & assiduos imbres effundit. Sequitur, *ad instar gurgitum*, quo caret textus Hebraicus, ubi habetur, *ad vaporem suum*, hoc

est,

28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum

30. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

31. Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus

32. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.

33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.

28. Imbres manantes e fusis omnia circum

29. Nubibus. Has toto si vult distendere cœlo,
Et passis imitari alte tentoria velis;

30. Si lumen supra jaculari, & fulguris ignes;
Summa maris, littusque ingens fluctu obteget alto.

31. Namque vice hac cœli, tempestatumque, trementes
Per populos dat jura, dapesque impartit egenæ

32. Genti hominum In promptu lucem tenet: abdit eadem
Præpanditque manu, rursumque accedere mandat.

33. Quin jus ipse suum in lucem partitur amico:
Illius hanc ait esse, hac illum posse potiri.

CAPUT XXXVII.

Eandem Dei potentiam & majestatem ex ejus operibus illustrat. præsertim iis, quæ in aere cernuntur & nubibus, quæ μετέωρα vocantur. Is autem sermo totus aut habetur extra rem, aut ita habetur, quasi Jobus divino numini obtrectarit.

1 SUPER hoc expavit cor meum, & emotum est de loco suo,

2. Audite auditionem in terrorē vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem.

3. Subter omnes cœlos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.

4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ: & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.

5. To-

1. HIs super expavi, atque emotum est sede sua cor.

2. Horrificum tonitru, & missos audite sonores

3. Ore Dei subter stellatos despicit orbes
Omnia, terrarumque extremas fulgurat oras.

4. Rugiet a tergo sonitus, magnaque tonabit
Voce potens, quam non auditam sensibus ullis.
Unde ruat, quisquam vestiget, quove feratur.

5. Mi-

est, pro vapora suo, seu pro modo vaporis. Quanti fuerint vapores a sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitati. Quid si noster interpres eadem ferme sententia legit כאדו *ceado*, ad instar multi vaporis & gurgitis sui, pro לאדו *leedo*. imber respondet magnitudini vaporis, ex quo fit.

28. NUBES PRÆTEXUNT. Idem LXX. *ἐσκίασε νέφη*. cuncta desuper. In Hebræo: *Super hominem multum*. Id est, supra mortales quamplurimos, aut abunde supra homines. Quæ eodem recidunt. nubes toto diffusæ cœlo, terram circumfundunt & augent imbribus, variasque nationes perpluunt.

29. SI VOLUERIT EXTENDERE NUBES. Hebræi duplicitet & præclare, & diversa a superioribus sententia, & aliter quàm noster interpres. Præterea an intelliget quam late dispergantur nubes, quam variæ sint ac diversæ. *Strepitum tabernaculi ejus*. id est, tonitru illius, qui in nubibus habitet.

30. CARDINES QUOQUE MARIS OPERUIT. Ad ultima usque maria pertinebunt nubes extremum quidque cardo significat. Cum tonat, cum fulget, si Deo videtur: etiam maris remoti extrema littora afflabuntur fulmine, & tangentur. Hic recte Thomas Aquinas: *Nubes autem quandoque contegunt cœlum usque ad horizontem alicujus regionis, infra quem extremitates maris claudi videntur*. Significat ergo Deum, cum ei visum est, toto cœlo nubes inducere: adeo ut mare ipsum quantum est ad horizontem usque nubibus tegi videatur. Scribit Geminus in elementis astronomicis capite VIII. a Cratere observatum. poetas veteres putasse, terram undique oceano cingi, ita ut horizontis instar esset. hinc & ortus siderum eu oceano, & in eundem occasus fieri dixisse. quod ex Homero & Virgilio aliisque constar. Proinde extremitates globi totius, cardines in mari esse dicuntur.

31. PER HÆC ENIM JUDICAT POPULOS. Quænam sunt hæc? imbres immoderati, tonitrua, fulgura, venti, nubes, ceteræque tempestates cœli, quibus Deus calamitatem affert agris, & sterilitatem, itaque maleficos & sontes populos plectit. Item hæc sunt, moderati & tempestivi imbres, quibus fœcunditatem & annonæ copiam importat, unde multitudo hominum infinita satis alitur ac sustinetur.

32. IN MANIBUS ABSCONDIT LUCEM. Ea ambiguitate quinque aut sex vocum Hebraicarum, itemque ex eo quod multa apud Hebræos curta in dictione, quæ supplenda sint, nata est varietas & discrepantia interpretationum tum hujus versiculi, tum sequentis. Quare, cum noster interpres habeat etiam in Hebræo, unde expositionem suam tueatur; nec magis, quam quivis interpres recentior, divinet: non video, quamobrem minus illi fidem & auctoritatem adjungere debeamus, quam Vatablo, Mercero, Codureo, reliquis, qui se Hebraica sequi in interpretando, maximeque spectare profitentur. Sic ergo interpres noster: Habet Deus lucem in sua potestate, ita ut eam & claudat: cum lubet, & promat mortalibus, sive id certo & usitato, rerum ordine fiat, diesque nocti, nox diei succedat, aut longioribus intervallis ecliptica quædam obtingant, sive præter ordinem rerum dies obscurentur, luxque deficiat in solitis & prodigiosis luminis suppressionibus. Sic toto illo anno, quo Cæsar occisus est, sol teter ac luridus apparuit: & anno Christi 797. totos septemdecim dies horrenda caligo visa Constantinopoli est: paulo antequam Constantinus ab Irene matre oculis & vita privaretur, ut refert Theophanes, Cedrenus, & ceteri.

33. ANNUNTIAT DE EA. Mediis in tenebris, excisque tempestatibus significat amico suo adfuturam mox serenitatem, hanc illius in potestate fore, & qui delituit, ut fit, in locis cavis & abditis, prodire in lucem posse & emergere. Etenim per horrendas illas tempestates latere solent homines, & in specubus abdere sese; quibus dilapsis ascendunt, & comparent, seque dant in lucem.

EXPOSITIO Capitis XXXVII.

1. SUPER HOC EXPAVIT. *Pavorem Stoici definiunt metum mentem loco moventem*. Tullius IV. Tusc. 19. Pavore eos concutitur, salit, movetur omni statu.

2. AUDITE AUDITIONEM. Vel potius, audite audiendo, hoc est, attentissime audite. Vocem horribilem Dei, & quem ore sonitum ac fragorem edit. Hinc adeo omnes consentiunt interpretes tonitru & fulgus aliquot versibus significari.

3. SUBTER OMNES CŒLOS IPSE CONSIDERAT. infra cœlum, quaquaversus, vel dirigit fulmen, vel spectat & contemplatur. Si dirigit, ישרהו *iischreu*, legendum u ישר *iaschar*. si spectat & considerat, ישורהו *ieschureu*, a שור *schur*. Melius est & cum re conjunctius, ut speciatim Deus intelligatur moliri fulmen & dividere quodam modo mortalibus ac dispensare, quam ut universe dicatur idem curare res humanas, & habere rationem nostri.

4. POST EUM RUGIET SONITUS. Hic tonitru, ut modo fulgur: *Lumen illius*. *Voce magnitudinis suæ*: voce

5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.

6. Qui præcipit nivi ut descendat in terram, & hiemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ.

7. Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.

8. Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.

9. Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.

10. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.

11. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum.

12. Quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum:

13. Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocunque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.

14. Ausculta hæc Job: sta, & considera mirabilia Dei.

15. Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?

16. Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?

17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?

18. Tu

5. Miris namque modis Deus, insuetumque tonabit
Voce sua, locuples rerum, neque cognitus auctor.
6. Ille nivem in terras mandat descendere ab alto,

7. Atque hiemem, atque imbres validos. ille inter agrestum
Rumpit opus, clauditque manus, arcetque labore:
Nec sua pensa viros violentia turbinis atri
8. Agnovisse finit. Latebris fera forte repertis
Succedet fugiens, aut noto sistet in antro.
9. Fervida tempestas Austro prorumpet, & Arcto

10. Frigora. concrescit glacies, eademque liquescit,
Flante Deo, & late quam mox se turbida fundit.
11. Frumentum pluvias nubes suspirat: & illæ,
Aera per liquidum, commistas luce procellas
12. Circumagunt passim; quocunque magistra voluntas
Duxerit, in quoscunque Deus præceperit usus;

13. Sive tribus fuerit, seu non habitabilis ulli
Terra hominum, qua parte bonus præsto imperet ire.

14. Auribus hæc, Jobe, atque animis tu percipe tandem.
Siste gradum, variumque Dei, & mirabile lentus
15. Contemplator opus. Num scis quo tempore jussit
Rupta nube Deus pluvias diffundere lucem
16. Fulmineam? Num scis, nubes quo tramite currant?
Argumentum ingens rerum, & seges ampla sciendi.
17. Nec te animi fallit, ventoso ut vestis ab Austro
Tota calet, terras si quando turbine perflat.

18. Ar-

magna sua. Ut paulo post: *Imbri fortitudinis suæ*: imbri forti suo.

ET NON INVESTIGABITUR. Sententia videtur esse, ubi primum audierimus tonitru, nihil futurum causæ, quamobrem Deum investigemus. satis enim se prodiderit, manifestumque fecerit, voce illa sua magna. Nihil enim quidquam tam præsentiam divinam, quam tonitru declarat. Est in Hebræo aliud prorsus diversum: *Et non differt ea.* quasi præpropera celeritas fulminis notetur, cujus fulgura primos ad oculos, mox fragor ad aures perveniat. Apud LXX. *Non commutabit eos.* Quo loco adverte nihil esse adeo proprium & singulare vulgati interpretis, ut non idem vel in paraphrasi Chaldæa, vel in Theodotione, aut Aquila, aliisque, qui ex Hebræo profitentur bona se fide reddere, aut in doctore Hebræo aliquo insit. Hic istæ voces, quæ videntur esse solius nostri interpretis, sunt Symmachi tamen, ἐξιχνιασθῆναι, & S. Augustini, *non poterit investigari.* Quare aliud noster interpres legerit oportet in Hebræo, aliud LXX. atque nunc extat.

6. QUI PRÆCIPIT NIVI. Magis est in Hebræo figurata oratio & conformatio verbi, sententiæque immutatio illustrior. *Qui ad nivem, esto, inquit, in terra: ad pluviam, esto in terra.*

7. QUI IN MANU OMNIUM HOMINUM SIGNAT. Qui ingruente subito tempestate, prohibet homines opere; sive domo exire vetet, sive diffugere, ac se domum recipere cogat. Ita præter Hebræos Græci interpretantur. *Frigidus enim agricolam aliquando contraet imber. ac sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum. Fugere feræ, & mortalia corda per gentes humiles stravit pavor.* Item. *effusa si quando grandine nimbi præcipitant, omnis campis diffugit arator. dum pluit in terris. ut possint sole reducto exercere diem.*

UT SINGULI NOVERINT OPERA SUA. Facile ut quisque intelligat, vel quam parum ipse possit efficere, qui sic interpelletur, vel quantum possit Deus qui interpellet sic, & temporibus ab opere excludat. Prior expositio est LXX. interpretum ut suam quisque agnoscat imbecillitatem. cui, velit, nolit, cedendum tempestatibus. Itaque *signat Deus in manu hominum.* Vel hoc est, docuit Deus agricolas, pastores, nautas, ac certas significationes tempestatum dedit, ut manibus opus exerceant, aut ingruentes procellas devitent, cujusmodi sunt prognostica, de quibus Hesiodus, Aratus, Virgilius & alii. Vel illud est, tempestatum vices, metu feriatos habet homines ab operibus, & illorum manus velut sigillo clausas continet: ne opera sua recognoscant.

9. AB INTERIORIBUS. A meridie procellæ & turbines, a septentrione frigus. Interiora, signa sunt australia, in altera parte sphæræ ad antarcticum polum, quæ idcirco ignota nobis, & fugiunt oculos. Constanter autem tum cap. 18. v. 9. tum hic & Hebræus textus & LXX. & vulgatus interpres. Hebræus utrobique חדר *heder* LXX. Ταμιεῖα τοῦ νότου. interpres noster; interiora. ταμιεῖα vero thesauri sive conclavia secundum illud: *Qui profert ventos de thesauris suis.*

10. RURSUM LATISSIMÆ FUNDUNTUR AQUÆ. Dilatatio aquarum in fusione מוצק *mutsac*, a יצק *iatsac*, *fudit*, non a צוק *tsuc*, *arctavit*.

11. FRUMENTUM DESIDERAT NUBES. Non serenitas, non irrigatio defatigat nubem. ut alii plerique, sed frumentum a בר *bar*. Vide interpretes Hebraicarum vocum. Confirmat hanc interpretis nostri lectionem Symmachus, ita qui reddidit: ἀλλὰ καὶ καρπὸς ἐπιβρίθει νεφέλας. Quod additur, *desiderat*; vix convenit. Satius est dici, frugibus nubes incumbere. vel dum prosunt imbres, vel dum obsunt. Sunt qui arcum hic cœlestem exprimi velint.

NUBES SPARGUNT LUMEN SUUM. Fulgura. nam cum tonat, densari nubes, atque erumpere solent fulgura.

13. SIVE IN UNA TRIBU, SIVE IN TERRA SUA. Sive in una aliqua familia, nullo delectu: sive in terra speciatim, quam habet carissimam. Hebræus ut & Græci, שבט *schebbet*, pro flagello sumpserunt. Nam virgam significat & tribum, quia virga jurisdictionis est symbolum. Has, inquit, tempestates pro arbitrio suo dispensat Deus, sive ut puniat; quod in diluvio contigit: sive ut eam, cui favet, terram irriget ac fœcundet.

14. AUSCULTA HÆC JOB. Audientiam sibi facit, ut alias sæpe: & animus ad ea quæ restant, renovatur, attentioque excitatur.

15. NUMQUID SCIS. Interrogatio hæc densa & multiplex est negantis eum scire, & res illas cœlestes, & causas, & modum rerum. Quasi dicat: Nosti quid statuat de illis, quid fieri jubeat? ut modo lux & fulgor existat atque exprimatur e nubibus, modo aliud atque aliud?

16 MAGNAS ET PERFECTAS SCIENTIAS. Vide caput proxime superius. id clarius, quod est in Hebræo, *admiranda illius qui est perfectus scientiis.* quasi dicat conenine valde: Ignoras quæ Deus omni perfectus scientia novit, administrat, efficit.

17. Non-

18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.

19. Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris.

20. Quis narrabit ei quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabitur.

21. At nunc non vident lucem: subito aër cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.

22. Ab aquilone aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.

23. Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, & judicio, & justitia, & enarrari non potest.

24. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

18. Artifici tu forte Deo comes additus uni,
Atque opere in tanto consors, ex ære rigenti
Fusile molitus cœlum es, solidumque creasti.
19. Suggere tu porro: quid respondere decebit
Nos operum causas tantorum ortusque rogatos?
Ignari tenebris nos quippe involvimur atris.
20. Verba quis hæc autem fidus mea deferet illi
Nuncius? ipsum hominem rerum vis alta loquentem
21. Obruet. Ex oculis lux se clarissima nostris
Eripuit. nubes aer cogetur in udas;
Discutiant quas mox venti incurrentia flabra.
22. Aurea ab instabili venere Aquilone serena.
Ore verecundo, & paventem, dicere laudes
23. Egregias summi patris decet. illius altum,
Et forte, & justum, & non enarrabile numen
Haud ulli est nostrum digne agnovisse potestas.
24. Hunc adeo metuentque viri, propiusque tueri
Præsidens quæcunque sui sapientia nolet.

CAPUT XXXVIII.

Extremus hic est actus quasi tragicocomœdiæ, seu tertia pars dialogi & altercationum, in quo partes suas Deus, ut proxime Eliu, solus agit: nisi quod paululum quiddam Jobus interponit, ac se reum quodammodo confitetur, & dictorum pœnitere.

1 RESPONDENS autem Dominus Job de turbine, dixit:
2. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?

3. Ac-

1. ECce autem medio ventorum e turbine surgens,
His genitor Jobum compellat vocibus ultro.
2. Nam quis hic est, sermone rudi qui grandia sensa

3. De-

17. NONNE VESTIMENTA TUA. Supplendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. numquid scis, numquid nosti, ut vestimenta, &c. hoc Hebræis etiam, quam aut Græcis aut Latinis familiarius, ut aliqua suppleantur. In Hebræo ergo, quod vestimenta, supple, nosti, &c. nosti quomodo belle fiet tibi lenissimus auster & mitis: sic ut vestimenta tua calore tepescant.

18. TU FORSITAN CUM EO FABRICATUS ES CŒLOS. Variat interpres ironiam & interrogationem. Simplicius in Hebræo: *Extendisti cum ipso*. Ceterum cœli nomine aer, æther, orbes cœlestes, cœlum ultimum ipsum continentur. quorum firma est & perennis natura, sive solida hæc sit, sive secus. Ut frustra sint nostrates philosophi, qui inde aliquid sibi præsidii ad firmandas opiniones suas petunt. Ac verbum quidem Hebraicum רקע est expandere, unde רקיע *raciag*, expansum, quod *firmamentum* noster interpres reddidit. Græci στερέωμα. nam quod sequitur, *quasi ære fusi*; in Hebræo, *sicut speculum fusum*. cujus dicti est sententia, ab interprete nostro non abhorrens. olim specula fiebant ex ære fusili: ut illa mulierum specula, ex quibus labrum lavandis sacerdotibus Moyses fecisse dicitur. Duo igitur in cœlis notantur: alterum firmitas & perennitas, alterum pelluciditas.

19. OSTENDE NOBIS, QUID DICAMUS ILLI. Hæc tu cum scias, quæ ignoramus ipsi, doce nos, quid simus & quo modo Deo locuturi, si rerum tantarum causas ex nobis exquirat. Est hæc continuata huc usque & producta longe ironia.

20. QUIS NARRABIT EI, QUÆ LOQUOR? Non modo per tenebras, in quibus versamur, & ignorantiam rerum, non possumus habere cum Deo colloquium; sed ne suppetit quidem, qui se nobis interpretem, & sequestrum præbeat apud eum.

ETIAMSI LOCUTUS FUERIT HOMO, DEVORABITUR. Quod si quis tanti oris, tantique spiritus, audeat Deum aggredi & compellare oratione, non solum magnitudo illum rerum, sed multo magis auctoritas audientis & majestas absorbebit, atque opprimet, redigetque in nihilum.

21. AT NUNC NON VIDENT LUCEM. At nunc mortales ne satis quidem advertunt repentinam serenitatem, quemadmodum minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiant; & aer se in nubem induat, quam continuo ventus dissipet, isque a septentrione. Ostendit a simili Deum non posse comprehendi.

22. AB AQUILONE AURUM VENIT. Aquilo nimirum discutit caliginem, aera purgat, & lucem auream inducit. apud LXX. Græcos νέφη χρυσαυγοῦντα. apud Latinos & sol aureus, & ausi aura refulsit.

AD DEUM FORMIDOLOSA LAUDATIO. Ut tantarum auctor rerum Deus laudari non sine formidine possit.

23. DIGNE EUM INVENIRE NON POSSUMUS. Ad verbum in Hebræo: *Omnipotens: non invenimus eum. Magnus viribus & justitia: non eloquetur quis.* Sententia est: Omnipotentem alloqui intelligentia non possumus: fortem & justum non complecti oratione.

24. NON AUDEBUNT CONTEMPLARI. *Non videbit omnis sapiens.* Enallage numeri. mortales cum omnes metuent: nec sapientissimus quisque & cordatus attollet oculos coram.

EXPOSITIO Capitis XXXVIII.

1. DE TURBINE. Quem excitavit Deus derepente, tum ut præsentiam declararet suam, audientiam sibi faceret, reverentiam conciliaret; neque oculos modo perstringeret, sed feriret etiam aures: tum ut nubis opposita, & commotione lucis, ac fulgoris a divinitate, temperaret modum. Ita passim ex nube allocutus Deus Mosen, Eliam, Ezechielem, alios: itemque in nova lege Christi discipulos.

2. QUIS EST ISTE. Incertum est an Eliu perstringat Deus, an Jobum ipsum. Sed hunc credibilius est peti: quia Eliu postea non reprehenditur. Ita censent Olympiodorus & Julianus in catena Græca. Hoc deerat autem Jobi miseriis, ut præter sodales ternos, & quartum deinde reprehensorem & objurgatorem haberet Deum. quanquam erat hunc ipsum mox præconem & approbatorem habiturus. Sed quia nimis præfracte innocentiam defensitare suam videretur, ac sæpe divinum numen provocaret; ne subaccusare putaretur ejus providentiam, admonendus fuit, quantum polleret Deus cum viribus, tum sapientia. In quo tractat idem, quod Eliu, atque auget argumentum, ejusque quasi sententiæ subscribit. Ita ergo versum hunc secundum accipito. Quid istud est hominis, qui recte quidem animo sentit, sed animi sensa neque scienter eloquitur, neque clare. aliorsum enim, atque dicitur a Jobo, accipiunt sodales.

3. Accinge ficut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.

4. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?

6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus?

7. Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?

8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens:

9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?

10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.

11. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?

13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?

14. Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum:

15. Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.

16. Num-

3. Deterit involvens? mihi respondere toganti
Ne dubita, laxosque operi succinge futuro
4. More virum lumbos. Ubi eras, fundamina terræ
Quum jacerem? si quid nosti, si quid sapis, ede.
5. Quisve opus ad normam exegit, mensusque regendo est,
Quisve colorato rubricam ex fune tetendit,
6. Quo super innixæ, solida stant mole columnæ,
Quis fundo penitus demisit nexile saxum?
Quo latus hinc atque hinc duplex coit, angulus unde est?
7. Matutina meas una cum sidera laudes
Concinerent, plausumque Dei daret aurea proles.
8. Quis mare, prorumpit gravidæ dum matris ab alvo,
Exundatque foras; valvis & limine clausit?
9. Infusæ gracili tegerem cum nubis amictu
Per totum, circumque darem caligine nigra.
Non aliter quam cum pannis obvolvitur infans,
Fasciaque incingit cunis transversa jacentem.
10. Carceribus namque ipse meis, & limite certo
Finivi, & vectem oppofui, faucesque profundas,
11. Littoraque, & dixi, Venies huc usque, neque ultra
Procedes. hic te franges, fluctusque tumentes.

12. Nonne tuis, ex quo cœpisti ducere vitam,
Prima coegisti parere crepuscula jussis,
Monstrastique viam auroræ, croceumque cubile,
13. Et quatiens terræ tenuisti extrema, malosque

14. Excussisti infra, quorum in munusque, locumque
Gente nova fœtus alios, aliosque subinde
Sufficies, simulacra tui spirantia vultus?
Tam facile, quam vestis acu properabitur, & quam
Molle lutum in formas digitis curvatur habendo.
15. Et sua vis tumidos, & lux sua tota dolosos,
Te lucem rapiente, & vim frangente, relinquet.

16. Num

3. ACCINGE SICUT VIR LUMBOS TUOS. Age, virum te præbe, strenuus esto, compara te ad respondendum. qui enim se ad opus parant, accingunt illi se, seu præcingunt, sive succingunt. Ex quo illud Phædri: *Ex alticinctis unus atriensibus.* atrienses alticincti. vide hoc illud ex Evangelio: *Sint lumbi vestri præcincti.*

SICUT VIR. Non, opinor, aliquid magnum & virile hic a Jobo Deus fieri exigit: neque quidquam subest his vocibus majoris rei: sed cum alloquatur Deus hominem, sic ait: Para te ad respondendum, quo more vos soletis viri.

4. UBI ERAS, QUANDO PONEBAM FUNDAMENTA TERRÆ? Id est, nondum tunc natus eras, cum ego jacerem fundamentum terræ: multum aberat. Ea vox est longe se præferentis alteri re quapiam. Ego hoc ante novi, aut feci, quam tu natus es. Phædrus lib. v. fabula 9. *Tace, inquit: ante hoc novi, quam tu natus es. Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.*

5. QUIS TETENDIT SUPER EAM LINEAM. Vel universe: Quis dimensus est, ac descripsit, & designavit primum orbem terræ, ad fabricam & ædificationem? Vel speciatim: Quis in eo terræ quasi ædificio extruendo usus est regula, seu libella, seu linea ad longitudines, amussi sive perpendiculo ad altitudines, norma ad angulos? *Structuram enim ad normam & libellam fieri, & ad perpendiculum respondere oportet.* Plinius XXXVI. 22.

7. CUM ME LAUDARENT SIMUL. Est aliquid supplendum, ne manca sit & imperfecta sententia. Quis architectus aut faber terram molitus est & extruit, præter me, cui ædificanti laudem plurimam orbes tribuebant cœlestes, gratulabantur angeli & plausum dabant. Hactenus de terra. nunc de mari totidem versibus.

8. QUIS CONCLUSIT OSTIIS MARE. Id est, quis valvas & claustra objecit mari tum, cum nasceretur, & erumperet, atque alioquin in omnem terram redundaret. Itaque hic non ostia fluminum, quibus exeunt in mare; sed ostia maris, quibus clauditur, intelliguntur.

10. CIRCUMDEDI ILLUD TERMINIS MEIS. Non solum ita Hieronymus, verum etiam LXX. *ἔθεμην αὐτῇ ὅρια.* Cum tamen in Hebræo, *fregi*, seu *statui decretum.* Vide Sanctem Pagninum in lexico, qui, ut sæpe animadverti, præstat Vatablo, Mercero, Codurco, aliis.

12. NUMQUID POST ORTUM TUUM. Condita quidem antequam natus es, terra, & mare. Quid? post te natum quæ perfecta per te? an vero, cum quotidie sertus, ocius, luceat, præscripsisti diluculo, ut veniret? auroræ constituisti locum, unde tam varie se dissimulet in dies singulos oriretur?

13. ET TENUISTI CONCUTIENS. Tres versus consecuti, quid quaque die fiat, complectuntur.

TENUISTI. Ad tenendum, ut vel ad auroram, vel ad Jobum referatur, vel potius ad utrumque sic: tunc, luce ubique gentium momento diffusa, tenuisti extrema terrarum: & quodam quasi succussu improbos excussisti indidem, privastique luce, qua indigni sunt. Hoc facio, inquit Deus, per lucem deprehendo maleficos in scelere, eosque tollo de medio statim, ac primo mane, & cum luce inchoantes facinora: secundum illud: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ;* quoniam homines primo diluculo diurna opera solent disponere. At sanctus Thomas sensum hujus commatis divellit a superiori, & novum divinæ potentiæ specimen agnoscit in profligandis impiis vel a terræ motu & concussione.

14. RESTITUETUR UT LUTUM. Ipsa sibi terra restituitur lucis adventu, & mille varios induit colores, quos rebus nox atra abstulerat. quo modo lutum molle aut cera variatur impressis sigillo figuris; & quo modo vestis per se varia est, & una eademque induitur, exuitur, & alia atque alia mutatur, & deteritur conficiturque usu. Sic Ecclesiastæ 1. *Generatio abit, & generatio venit: terra autem in æternum stat.* Hebraice legitur: *Mutatur sicut lutum sigilli.* Noster autem sigillum pro conceptaculo sumpsisse videtur, quod Græci vocant σημαγεῖον, cui formæ imprimuntur. Stabit autem sicut vestimentum, quia usu consumitur. in Hebræo legitur, *stabunt*, quod ad homines refertur.

15. AUFERETUR AB IMPIIS. Multiplices ac variæ mutationes quotidie in terra accidunt, ipsa manente. sed hæc

16. Numquid ingressus es profunda maris, & in novissimis abyssi deambulasti?

17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?

18. Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia.

19. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit:

20. Ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.

21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noveras?

22. Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?

23. Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?

24. Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?

25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui,

26. Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur,

27. Ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes?

28. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?

29. De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cœlo quis genuit?

30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.

31. Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

32. Num-

16. Num maris intrasti penetrale, imoque tulisti

17. Intus iter fundo? Nigri tibi janua leti
Num patuit? num visa adytis cæca ostia longis?
18. Attendisti animos, quam sese dædala tellus
Porrigit in latum? si nosti, edissere cuncta:
19. Quæ luci domus, ac tenebris, habitataque sedes,

20. Quo teneas iter amborum, neque finibus unum-
Quodque suis tandem non recto tramite sistas.
21. Te, puto, tum solis notas sub lumen iturum,
Subductosque dies vivendi, & tempora habebas?
22. Num tibi compressæ fas usquam intrasse capaces
Thesauros nivis, aut thesauros grandinis usquam
23. Aspexisse fuit? nobis hæc arma parata,
Cum belli, pugnæque dies, cumque imminet hostis.
24. Qua spargit lucem, ac terris sol dividit æstum?

25. Quis longeque sonans docuit cœlo ire tonitru.
Et vacuos violentum imbrem laxavit in agros:
26. Invia completurus aquis, desertaque campi,
Atque solum virides fecundaturus in herbas:
27. Nullus ubi cultor terrarum, nullus ubi hospes?

28. Quis liquidos imbres pater, aut quis roris amœni

29. Produxit stillas? cujus venere sub auras
Ex utero, cœleste genus, glaciesque, geluque?
30. Saxorum instar, aquæ durescunt frigore molles,
Et summa immensi constringitur unda profundi.
31. Num tu summotas tenui discrimine septem
Pleiadas potes inter se conjungere. Contra
Arcturumque potes, comitesque abjungere stellas?

32. Num

hæc una e multis, quod improbis media in luce sua lux, hoc est, vita & vitæ omnis splendor & dignitas adimatur, potentibus & violentis infringatur robur, & ad plagam inferendam jam erectus.

16. NUNQUID INGRESSUS ES. Redit ad mare, & ad terram, de quibus supra proxime scripsit an penitus intrasti in mare profundum, ibique immensa altitudine inambulasti?

17. NUNQUID APERTÆ. Sicut ante de imo fundo maris, ita nunc de locis subterraneis & concavis, & sinu, & gremio, & visceribus terræ. quæ metaphoræ sunt apud Latinos, & *portæ mortis*, & *portæ umbræ mortis*, apud Hebræos

18. NUNQUID CONSIDERASTI LATITUDINEM TERRÆ. Sunt qui congerant huc, ad expositionem trium versiculorum, dierum noctiumque vicissitudines, longitudines, inæqualitates: quod nihil est necesse, neque ullo modo utile. Respondeat enim Jobus Deo interroganti, utrum isthæc sciat, se non ignorare quæ pleraque mortales sciunt. Sciscitatur igitur Deus utrum ignota omnibus, nota Jobus habeat: quamobrem hæc, quæ solis accessus & recessus cum terra quodammodo efficit, ita sint; & qua ratione utraque ab initio constituta & comparata in usus mortalium.

21. SCIEBAS TUNC QUOD NASCITURUS ESSES. Esto: non eras usquam tum, necdum natus eras, cum ego talia tantaque molirer atque efficerem: at saltem notas te nasciturum aliquando, diuque victurum? ne illud quidem.

22. NUMQUID INGRESSUS ES. De terra deque mari multa percunctatus Jobum Deus, num cœlestia & *meteora*, quæ dicuntur, 14. versibus secutis rogat quanta qualiave sint. quorum etiam difficilior sit investigatio, minusque in promptu intelligentia, quam terrenorum.

23. IN DIEM PUGNÆ. Quia grandinibus & istiusmodi telis nonnunquam contra hostes utitur. Vide Josue.

24. PER QUAM VIAM SPARGITUR LUX. Nolo idem dici hoc versu, quod vel 12. jam, vel 19. dictum sit de luce. Placet item dici aliquid consentaneum huic loco de nive & grandine, aut illis de imbre vehementi & sonoro tonitru. Quid hoc igitur est? Interim dum ningit aut grandinat, una parte cœli obducta nubibus; quo modo altera parte innubi sudum & serenitas est; adeoque claritas & calor? Quod habetur hic *æstus*, LXX. non admodum different, qui habent *austrum*. Est enim ventus humidus & calidior a meridie, seu ab australi plaga.

25. QUIS DEDIT VEHEMENTISSIMO IMBRI CURSUM. Quis ductus aquarum e cœlo fecit, easque alio atque alio derivavit ad utilitatem agrorum.

VIAM SONANTIS TONITRUI. Quid si, quoniam fulmen sinistrum aut dextrum, bonum aut malum auspicium plerique habebant, dicitur Deus efficere nutu suo, ut hac potius quam illa parte tonet, quod est monstrare, quam viam tonitrua teneant.

26. UT PLUERET SUPER TERRAM. Minime mirum, si ibi, ubi celebritas & frequentia hominum, minus nocet a cœlo siccitas. Nam rivos aquarum deducere a fonte, derivare flumina, scatebris arentia arva temperare humanus labor & industria potest. Loca autem inculta ac deserta, ubi homo nemo degit, etiam efficere, ne æstu & calore arescant, sterilia que sint omnino, sed ut belluis & feris atque avibus ne pabulum quidem & victum negent, divinæ providentiæ est.

28. QUIS EST PLUVIÆ PATER. Causas roris & imbrium, itidem ut ventorum se nosse philosophi putant, sed multa ab iis ignorari, quæ illuc pertineant, vel ex isto probabile est, quod non conveniat inter eos. Recte autem adscribitur Deo, cujus causam certam habemus nullam.

29. DE CUJUS UTERO EGRESSA EST GLACIES. Esse utiles in aliquam partem glaciem & gelu, ut merito profectæ a Deo videri possint, minime dubitamus, qui comparatam ad delicias & ad refrigerandum potum videmus.

30. IN SIMILITUDINEM LAPIDIS. Aquæ, jam non aquæ, quæ obduruerint, seque verterint in crystallum, ac non aquæ amplius, sed lapis omnino esse videantur, non ut glacies calore liquefacta & dilapsa diffunditur.

SUPERFICIES ABYSSI CONSTRINGITUR. Mare in summo ac totum forsan illud, quod ex eo glaciale appellant, quia conglaciat frigoribus, aquæ etiam fluminum, quæ nive pruinaque concrescunt.

31. NUNQUID CONJUNGERE. Simplicissima e multis, & verbis vulgati interpretis accommodatissima expositio

32. Numquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?

32. Num tu Luciferum certis educis in auras Temporibus, cœlumque immisso vespere condis?

33. Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?

33. Num seriem & varium nosti morem ætheris alti, Deducesque polum in terras, ratione putata?

34. Numquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?

34. Num pluvias, nebulæ dum pendent, voce vocabis, Teque super labens, vis magna sequetur aquarum?

35. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus.

35. Fulgura num mittes, necnon ibuntque, redibuntque Ocius, ac tibi se sistent, atque, Adsumus, uno

36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?

36. Ore frement? Quis cor humano in pectore sanum Addidit, aut cujus concessu, munere cujus Præsagam lucis tenet artem nuncius ales?

37. Quis enarrabit cœlorum rationem? & concentum cœli quis dormire faciet?

37. Quis cœli dicet motusque, orbesque, vicesque, Sopitisque graves concentus finiet astris?

38. Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur?

38. Arida quando prius, male pingui & pulvere sparsa, Post glebas tellus validas compacta ferebat?

39. Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis,

39. Num prædam proprio venabere marte leænæ, Et præda fulvos fœtus satiabis eadem,

40. Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur,

40. Ducentes noctem insidiis, cæcoque jacentes

41. Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

41. Membra specu? Solitam corvo quis præparat escam; Jejuni si quando Deum, siccique, vagique, Inclamant pulli, strepitantes gutture rauco?

C A- C A-

tio hæc est: Num tu congregandis aliquot stellis Pleiadas effeceris, quæ vere apparent, aut segregandis aliquos alio perdideris Arcturum, qui apparet autumno, ac dissiparit? Quo loco adverte duo. Primum, Pleiadas vere: Arcturum autumno oriri. Alterum, Pleiadas signum boreale: Arcturum signum australe esse. Ex quo videtur Deus dicere: Num tu ver efficere, num autumnum disperdere potes? Num tu idem meridiem, num septentrionem? Cui quod sequitur v. 32. consentaneum est: Num orientem facis? num occidentem?

NOMINA STELLARUM.

Hebr.	L X X.		Vulg.	
עש עיש	πλειάδας	ἀρκτοῦρος	Arcturus	Vesper
כסיל	ἕσπερος	ὠρίωνα	Orion	Arcturus
כימה	ἀρκτοῦρος	[illegible]	Hyades Pleiades,	Arcturus.
חדרי תמן	ταμεῖα νότου		interiora austri	
מזרות	μαζουρώθ		Lucifer	

Hæc stellarum nomina suppeditant nobis, Jobus c. IX. v. 9. c. XXXVIII. v. 32. 33. Esaias cap. XIII. v. 10. Amos c. V. versu 8.

Confer nunc interpretes LXX. cum vulgato. non modo differunt illi atque hic inter se in exponendis vocibus Hebraicis: sed ne constant quidem sibi utrique. ut alias aliter interpretentur eandem vocem LXX. alias aliter vulgatus. Hic tres Hebræas voces diversis duobus vocabulis singulas LXX. notant: noster etiam interpres unam tribus. Quæ omnia perspicere licet in triplici ordine vocum, quas e regione supra posui. Ex eo autem quod unam eandemque vocem Græci interpretes & Latinus modo hoc, modo illo verbo reddunt; verisimile fit interpretes non habere, quod pro certo reddant. Erant Hebræis sua sidera & constellationes, quæ aliis locis & temporibus cum parum notæ essent, Græci & Latini usi sunt astrorum suorum nominibus, quæ utcunque Hebræorum appellationibus & astris responderent.

MICANTES STELLAS PLEIADAS. Quod hic Hebræus sonat delicias Pleiadum sive Vergiliarum, interpres noster ad splendorem retulit. Atqui non sunt valde splendidæ. Harum quippe maxima, quæ & lucida appellatur, tertiæ non amplius est magnitudinis. Proinde delicias Pleiadum ad hoc pertinere credimus, quod magnas habent significationes, quodque præsertim ortu suo matutino veris delicias enunciant.

32. LUCIFERUM. Habent hic LXX. μαζουρώθ, qui retinent vocem Hebraicam. atque Hebraica quidem vox universe pro constellationibus a quibusdam accipitur, quod Aben Esra refellit. Rabbi Levi peculiarem quemdam asterismum intelligit ad meridiem, qui ibi, ubi Job erat, perbrevi spatio conspiceretur. Atque is forsan Canobus est in catena Græca ex Chrysostomo, quem Canem cœlestem volunt esse. Cum igitur ambigua dictu sit, noster interpres suo jure Luciferum exposuit.

SUPER FILIOS TERRÆ. Nihil est quod hanc lectionem juvet. ubique enim cum filiis ejus, id est, vel cum minoribus stellis, ut asterismus seu collectio quædam stellarum intelligatur; vel cum stellis quibuslibet aliis. nam Vesperus quasi stellarum greges educit, eisque præest.

33. NUMQUID NOSTI ORDINEM COELI. Hebraice חקות thucoth, statuta. LXX. τροπὰς vicissitudines, ut significet annuas tempestates. sunt efficientias cœli, & siderum, quos influxus appellant. nam Hebraicam vocem משטרו mistaro, quam noster rationem vertit, exponunt præfecturas: ut quandam in inferiora præfecturam cœlis attribuat. Pones, inquit, rationem ejus in terra: id est, describes in terra nobis cœlum, totamque ejus rationem & formam, & modum, seu efficientiæ, sive motus, expones mortalibus.

34. NUMQUID ELEVABIS IN NEBULA. An tolles vocem ad nubem, non precandi causa, sed ut jubeas. jussis autem tuis nubes obtemperat, magnamque vim aquarum effundat illico?

35. NUMQUID MITTES FULGURA. Est in fabulis præesse Jovem, summum deorum, fulmini, tum ob imperandi vim ac potestatem, tum ob diligentiam & celeritatem obtemperandi. Is ideo tonans, fulgens, fulminans dicitur. Quasi Deus mandata det fulminibus ad homines, & ea legare soleas ad hos, quæ deinde obeant ac renuncient legationem, seque sistant parata rursus ad novi muneris susceptionem.

36. QUIS POSUIT IN VISCERIBUS. Cum Deus subinde neget ab hominibus cœlestia effici ullo modo, neget satis cognosci; hic ait, si quid sapiant, aut horum intelligant homines, id per se ac numen suum intelligere: si quid gallus novit, qui partiendis cantu noctibus, videtur aliquid nosse; id auctore Deo ac magistro didicisse. LXX. hic non gallo datam intelligentiam, sed mulieribus artem texendi traditam, nescio unde edocti, sentiunt. de Babyloniis videlicet & Phrygionariis loquuntur. Itaque cum ex humanorum ingeniorum solertia & artificio divinam sapientiam colligis & illustras: tum vero ex gallorum sagacitate idipsum declarat, qui arcano quodam instinctu noctium præsertim intervalla partiuntur. Hebraica dictio Talmudistis & veteribus Rabbinis gallum gallinaceum significat. At recentiores Hebræi intellectum esse volunt.

37. QUIS ENARRABIT. Quis sapientiam Dei admirabilem in cœlorum structura satis explicare poterit?

CONCENTUM COELI QUIS DORMIRE FACIET. Hic nihil attinet sonorum concentum, qui secundum Pythagoram impulsu ac motu orbium cœlestium efficitur, suspicari, aut firmare. Satis est intelligi orbes cœlestes inter se concordes, ratos & status & concordes stellarum cursus intelligi. pro concentu isto & harmonia, sive ordine respon-

CAPUT XXXIX.

Videas hic hominum convinci inscitiam & imbecillitatem, qui tametsi domestica explorare utcunque possint, silvestria & ab oculis semota vestigare nequeunt.

1. NUMQUID nosti tempus partus ibicum in petris? vel parturientes cervas observasti?

2. Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?

3. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

4. Separantur filii earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.

5. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?

6. Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis.

7. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.

8. Cir-

1. NOsti quo pariant silvestres tempore capræ,
Aut in rupe cava, aut in culminibus desertis?
Vidisti in partum solventes viscera cervas?
2. Fas didicisse tibi, fuit & numerasse potestas,
Quot gestent uterum menses? qua pondera ventris
3. Luce levent? Nixus fœtæ incurvantur ad ægros.
Sic pariunt, sic rugitus ad sidera tollunt.
4. Depulsi catuli quamprimum lacte, virentes
In pastus tendunt ultro: nec deinde reverti
Ad matres meminere domum, & natalia lustra.
5. Esse sui juris quis vindex fecit onagrum?

6. Quis solvit vinclis? Solos habitare recessus
Huic egomet, sterilemque dedi salsugine terram,
Atque per incultas errare licentius oras.
7. Hic ubi clamosus tergo non instat agaso,
Ingentem strepitum & confusas despicit urbes.
Nec cœtus hominum, nec civica jura moratur.

8. Huc

ponsuque partium & competentia inter se, Hebræi utres malunt, ut de nubibus hic agatur: nam eadem vox & utres & nablia significat, quod genus est instrumenti musici. *Dormire* autem *faciet*, hoc est, componet, ordinabit, constantes, æquabiles, & consentientes efficiet, & cœli totius quasi statum collocabit.

38. QUANDO FUNDEBATUR PULVIS. Quis, quæ cœli totius forma fuerit ac descriptio, edisceret, interim dum solum duraretur disclusis aquis, & glebæ resolutæ ac portes solidarentur. In quo vides aliquid alludi ad primam mundi originem, ubi terra diremptis aquis apparuit arida. nam hic fundi pulverem, est opere fusorio formari. Vox Hebræa יצק *iatsac*, id valet. ut supra, speculum fusile.

39. NUMQUID CAPIES LEANÆ PRÆDAM. Hinc initium duci capitis ordinatius potuit. Siquidem agitur deinceps de animantibus, leris, cicuribus, volucribus capite secundo & tertio ab hoc. quod est omnium idemque argumentum. Tuum est suppeditare victum leum & leunculis, qui non parvo aluntur, quique se demittunt, latendi & insidiandi causa. Quasi Deus feras excitet in solitudine, atque agitet, quas leo excipiat insidiis.

41. QUIS PRÆPARAT CORVO ESCAM. Tui muneris est pullos corvorum pascere, qui se ipsi non possunt: quippe in nido atque implumes: ac præsertim destituti, ut solent, cura parentum; a quibus etiam propelluntur nido, & volare coguntur ante tempus.

EXPOSITIO Capitis XXXIX.

1. NUMQUID NOSTI. Proxime supra non præbere victum homines animantibus, quæ maxime indigeant, vel quod plurimi cibi sint, vel quod parare nondum & quærere possint. Multo minus adesse possunt ægre parentibus, quarum neque graviditates, neque entendi tempora & maturitatem norunt; quæ tamen facile casent ope hominum in pariendo.

PARTUS IBICUM. Ibices LXX. τραγελάφους vertunt. Sunt ex interpretibus, qui ibices rupicapras interpretentur ex Plinio, confundantque quos Plinius aperte distinguit, eo capite, quod est de semiferis animalibus lib. VIII. *Sunt*, inquit, *capreæ, sunt rupicapræ, sunt ibices.*

VEL PARTURIENTES CERVAS OBSERVASTI. De cervis earumque partu multa Aristoteles, in nono de hist. animal. c. V. Plinius lib. VIII. c. LXIV. Addunt alii cervas difficile parere, ideoque fragore & tonitru concussas, eniti facilius.

2. DINUMERASTI MENSES. Plinius lib. VIII. c. XXXII. *Octonis mensibus partus ferunt.* quod quamvis scitur, non continuo scitur, conceperint necne, & quo primum tempore, qua denique die parituræ sint.

3. INCURVANTUR AD FŒTUM. Cervæ quam non facili utantur utero, quantumque laborent in pariendo, plerique tradunt.

4. SEPARANTUR FILII EARUM. Hinnulos non modo non fovet atque educat sedulitas & custodia pastorum, ut agnos & capreolos; sed ne matres quidem illi curant valde. maturescunt enim quamprimum, & ab ortu recentes gradiuntur ad pastum, non reversuri ad matres. Aristoteles lib. VI. cap. XXIX de hist. animal. ἡ δ' αὔξησις ταχεῖα τῶν νεβρῶν. Hinnuli incrementum habent celerius. Eodem Hebræa quidem recidunt, sed significantiora sunt in hanc sententiam: Nihilominus hinnuli sani sunt & valentes; etiamsi cervæ laborent in enitendo plurimum, subque dio crescunt. Dictio hæc יחלמו *iachlemu*, duo significat, *separari* & *convalescere*. Quare suspicari posset aliquis vertisse nostrum interpretem, *separantur*. Sed non congruit, nisi quia ex eo quod roborantur hinnuli & grandescunt, consequens videtur separari a matribus: imo proditum est jam grandiores a parentibus abigi, ut sibi prospiciant: nisi forte prævenerint, & sponte jam a suis discesserint.

5. QUIS DIMISIT ONAGRUM LIBERUM. Quis effecit ut onager nasceretur quasi sui juris? ut libertate donatus, neque capistris aliave qua re haberetur vinctus? Huc afferri volunt onagrum, quasi indomitum, minimeque omnium tractabile animal: contra quam tamen Varro lib. II. de re rust. cap. VI. *Onagrus*, inquit, *e fero fit mansuetus facile, & e mansueto ferus nunquam.*

VINCULA EJUS. Est in Hebræo ערוד *gharud*, alia vox, atque פרא *pere*, *onager*. Sed interpres noster non male de bellua eadem accepit, ita si accipiatur: Quis onagrum vindicavit in libertatem? Quis ferum vinculis solvit? Et vero sequentia, etiam in Hebræo, agi tantum de uno ostendunt.

6. CUI DEDI IN SOLITUDINE DOMUM. Ferarum aliæ sævæ & immanes, aliæ quæ pascantur tantum, nullique noceant, sive solivagæ seu congregatæ: omnes solitudinem & latibula, & loca aspera atque inculta persequuntur, solum maxime, & sterile, & montuosum, & silvestre, vepribus dumisque obsitum.

7. CONTEMNIT MULTITUDINEM CIVITATIS. Onager non modo non reformidat celebritatem locorum, atque hominum frequentiam, sed aspernatur potius & rejicit. Ac tantum abest ut clamoribus & strepitu instantium sibi terreatur, ut ne attendat quidem, aut auribus accipiat. usque eo securum reddidit eum Deus, insita quasi indole ad latendum.

CLAMOREM EXACTORIS NON AUDIT. Vide cap. III. v. 18. dictum idem, quod instar esse proverbii videatur de eo, qui in tuto sit.

Vvv

8. Cer-

8. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.

9. Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te?

11. Numquid fiduciam habebis in magnitudine ejus, & derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

13. Penna struthionis similis est pennis herodii & accipitris.

14. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?

15. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

16. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laboravit, nullo timore cogente.

17. Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem ejus.

19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?

20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror.

21. Terram ungula fodit, exsultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Con-

8. Huc circumspiciens atque huc juga pascua montis
Ascensu superat, viridesque inquirit in herbas.
9. An tibi rhinoceros servitum obnoxius ibit
Sponte sua, cicuremque suum præsepe tenebit?
10. An vinctus loro & tua sub juga missus arabit?
An te pone sequens glebas confringet inertes

11. Valle humili? num tu partes defessus arandi
Committes deinceps illi, & tua pensa relinques,
Mole feri vasta, atque immani robore fretus?
12. Abfore nec credes, proventu cuncta fideli
Semina quin reddat, planum & convectet in æquor
13. Maturam messem. Quali secat aëra penna
Accipiter, fulicæque volant stagna humida circum,
Ipsa rapit tali terrarum per sola cursum
14. Struthio. Congesto tu forsitan ova fovebis
Pulvere, mater humi si quando abjecta reliquit,
15. Conculcantum hominum, conculcantumque ferarum
Immemor ah nimium, & vicinæ incauta ruinæ!
16. In sua duratur, ceu non sua, pignora, pectus
Immitis, frustraque laborans edidit ova;
Quippe dehinc quæ non animet, foveatque cubando.
17. Non tamen hoc gelidus suadet timor. at Deus omni
Destituit mente, atque instinctus non dedit ullos.
18. Quod si adversa fugæ res admonet, atque periclis
Ridet equum, attollens alas, equitemque sequentem.
19. Robur equo forti num tu robustior addes?
Num magis, hinnitu geminato e faucibus altis,
20. Terribilem facies? Num subsultare docebis
In numerum, gressusque pares glomerare locustis?
Gloria vero ingens, utraque ab nare pavores
21. Exspirare novos. Hujus fodit ungula terram,
Exsultatque animis audax, itque obvius hosti

22. Ar-

8. CIRCUMSPICIT MONTES. Non onagro tantum, sed generi animantium omni est a natura tributum, ut omnia quæcunque ad vivendum sint necessaria, inquirat & paret, ut pastum, ut latibula.

9. NUMQUID VOLET RHINOCEROS. Hebræus habet רים *rhem*, ex quo aliquid convenit rhinoceroti cum ea voce Hebraica, LXX. reddunt μονόκερως. Hieronymus, ut opinor, confundit. Plinius autem distinguit omnino, cum de rhinocerote lib. VIII. agat cap. XX. de monocerote cap. XXI. Itemque illum visum Pompeii magni ludis: hunc vivum capi non posse. Quo magis intelligi par est ipsum Jobi locum de monocerote qui cicurari non possit: quando ne vivus quidem unquam capiatur. Sententia est: Numquid unicornis sponte se & volens subjiciet tibi, mitis ac mansuetus? tua ad præsepia stabit, domestico pabulo illectus?

10. NUMQUID ALLIGABIS. Si minus pabulo proposito allicere potes, ut tibi serviat; an vi adiges ad arandum, ad occandum, ad ceteras agrestes operas præbendas?

11. NUMQUID FIDUCIAM HABEBIS. Quod boves opus faciunt una cum hominibus, magno utrique labore suo; satisne virium habere monocerotem putas, ut ei soli commissa, transferas in illum partes tuas, te vacuum & otiosum reddas?

12. NUMQUID CREDES ILLI. Sic intellige: Ea multis & magnis utilitatibus, quas unicornis præbet, quæri utrum speret uberem proventum fore, in messe, in trituta, in horreis.

13. PENNA STRUTHIONIS SIMILIS EST. Neque hic facile discedendum puto ab vulgato interprete, etsi ipse ab Hebraico contextu discedere videatur. Sed adducendus uterque, quoad fieri potest, in concordiam, &, quo id fiat, excogitandum aliquid. Hebraicus igitur ad verbum ita fere habet: *Penna struthionis sive struthionum, expansa & exsultans, nonne penna herodii & accipitris?* Hæc autem sententia est. Struthio tam avis est, quam herodios & accipiter, tamque propemodum pernaciter volat, quam hic & ille. Ibi enim Hebræi interrogare solent, ubi Latini narrant & affirmant maxime. In quo supplendum aliquid ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Vidisti, considerasti, satis intelligis, quomodo & per quem struthio ex animantium genere, partim terrestrium, partim volucrum, nihil concedat neque herodio neque accipitri, quibus geminis avibus volat nulla velocius. Pernicissimæ enim aves, quæ rapto vivunt, & ad prædam advolant undecunque. Confirmat & interpretationem meam, & cetera post de struthione dicta, Plinius lib. X. cap. statim primo. *Avium*, inquit, *grandissimi & pene bestiarum generis, struthiocameli Africi vel Æthiopes, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent, cetero non sunt volucres, nec a terra tolluntur.* Ad interpretandum & eliciendam veram istius loci sententiam non adjuvant interpretes LXX. qui Hebraicas voces nescio qua ratione retinuerint. Est qui factum putet ignoratione linguæ, ob eamque eam ab interpretibus LXX. versum Jobum neget, sed ab uno aliquo parum docto & intelligente viro. Nihil conferunt, ut dixi, Græci interpretes, sive alii, ad intelligentiam hujus obscurissimi versus, sed ex ipsis interpretum explanatoribus in catena Græca aliquid proficimus, licet ipsi multum cum LXX. quoque errent. Primum enim quo modo noster, *Asida*, herodium reddunt. Deinde hoc idem aiunt Aquilam fecisse prius, tum de accipitre quoque hæc meminerunt, etsi non eidem voci notionem istam subjiciant. Propius abest ab interprete nostro Augustinus, qui ita habeat: *Penna struthionis mista est alis herodionis & accipitris.*

14. QUANDO DERELINQUIT. Struthio fertur ova in Africæ & Æthiopiæ sabuletis abjicere, ubi calore solis excluduntur pulli.

15. OBLIVISCITUR. Id est, non intelligit, neque advertit ova se projicere conculcanda viatorum pedibus & ferarum: ova quippe sic posita exponuntur.

16. DURATUR AD FILIOS SUOS. Ita ἄστοργος est seu parum φιλόστοργος. Vide Ciceronem lib. VII. epist. 5. ad Attic. lib. III. de fin. 62. quo modo natura fiat ut feræ partus suos diligant, itaque educent, foveant, defendant.

FRUSTRA LABORAVIT, NULLO COGENTE TIMORE. Frustra ova edidit, quæ per tantam incuriam abjiciat, cum nullus eam metus, ut interdum alias animantes, eo adigat. Vel frustra ova peperit, quæ eis non metuat, neque caveat.

17. PRIVAVIT ENIM DEUS. Stolidum animal, stolidus ales struthio. Plinius: *non minor stoliditas in tanta reliqui*

22. Contemnit pavorem, nec cedit gladio.
23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.
24. Fervens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.
25. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah. procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?
27. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?
28. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.
29. Inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt.
30. Pulli ejus lambent sanguinem, & ubicunque cadaver fuerit, statim adest.
31. Et adjecit Dominus, & locutus est ad Job:
32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.
33. Respondens autem Job Domino, dixit:
34. Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum
35. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; & alterum, quibus ultra non addam.

22. Armato, temnitque metus, ferroque resistit.
23. Illum supra equitis pharetra instrepet, & levis hasta
24. Vibrabit, clypeusque. solum fervetque, fremitque
Effodiens, nec signa tubæ, curatve receptus.
25. Quin avida postquam aure bibit; vah, reddit acuto
Exsiliens hinnitu, & longe præscius ante
Occupat adventum belli, ac jam præcipit hostem
Naribus, hortatusque ducum, fremitusque sequentum.
26. Accipiterne tua mollem induit arte juventam
Plumarum, austrinis expandens solibus alas?
27. Aut jussis aquila usque tuis se tollet ad auras
Sublimem, & montis suspendet vertice nidum?
28. Illa habitat scopulis, præruptaque culmina supra
29. Rupis inaccessæ; campis unde ardua latis
Prospectum tenet, & longe sibi providet escam
30. Prædatrix. lambent fluidum pulli inde cruorem.
Continuo præsensit olens ubicunque cadaver,
31. Devolat in præceps. Dominus sic edidit ore,
Et super hæc, Jobum dictis instigat amaris.
32. Siccine qui certamen habet cum numine, palmas
Concedit faciles, primaque abscedit arena?
At quicunque Deum prior arguit, addere certe
33. Responsum debet. Jobus cui talia reddit.
34. Dixi ego pauca prius: quid respondebo vicissim?
35. Ora premam digito. quæ vellem indicta, profudi
Jam semel atque iterum. Verbum non amplius addam.

liqui corporis altitudine, cum colla frutice occultaverint, latere se existimantium.

18. CUM TEMPUS FUERIT. Id est, aliquando. Tria hic, quæ Plinius supra, Jobus innuit. quo modo alarum concussu & agitatione cursum adjuvet, velocitate equum, altitudine etiam sessorem struthiocamelus superet.

19. NUMQUID PRÆBEBIS. Quoniam proxime supra equi facta mentio est, de eo hic agit, alioquin ut videtur, non acturus. Digressionem esse argumento est, quod neque antea neque post de cicuribus bestiis, sed de feris verbum fecerit. Equum porro describit acrem, id est, idoneum ad rem militarem, minime quietum & placidum, pugnacem & belli ardentem studio, non fortem modo & animosum, sed vehementem quoque, qui magnos hinnitus edat faucibus, magnos naribus flatus, terram cavet ungula, fremat, effervescat.

20. NUMQUID SUSCITABIS. Cum equus vasta mole sit, agilitas nihilominus ejus tanta est, quanta locustarum. hoccine tu feceris? minime sane. at fecit Deus. Aliter, ac forsan melius: An tu equum agitabis tam facile, quam locustam, trepidam & fugacem bestiolam.

24. FERVENS ET FREMENS SORBET TERRAM. Cum ducit animam spiritu, eamque respirat rursum ac reddit, idque facit crebrius ac vehementius atque anhelat; videri potest exsorbere terram oris halitu. minus placet quod volunt quidam equum summa velocitate ferri currendo, exsilire summo impetu, & viam vorare. Potius enim quod tenetur, & reprimitur a cursu, indignatur, ac fodit terram, propeque exsorbet. Neque illi longius quidquam est, quam ut tubæ sonitum audiat, quod vix unquam futurum putat præ impatientia. Atque hæc sententia quoque est hujus dimidiati versiculi, *nec reputat tubæ sonare clangorem.* Veretur ne quod est, non sit; quod audit, non audiat. In Hebræo est aliquid significantius. Cum primum tuba insonat, vix satis sibi videtur audire.

25. UBI AUDIERIT BUCCINAM. Cum autem ingeminant tubæ, & fit quodammodo certior.

ODORATUR BELLUM. Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Iidem præsagiunt pugnam.* Et paulo post: *Non dubie intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* Hic Hebræa secuti, quamobrem *euge*, reddant, non, *vah*, retineant, haud video, cum sit eadem vis utriusque vocis.

26. NUMQUID PER SAPIENTIAM TUAM PLUMESCIT. An vero arte & industria tua accipiter vel plumas mutat identidem, cum veteres decidunt, novæ renascantur, ob eamque rem calidiora loca petit: vel volat tantummodo, & austrino soli opponit alas. Aves enim quamplurimæ impatientia frigoris vertunt solum, & migrant alio. Quis hoc illas docuit? aut cujus intelligentia reguntur?

27. NUMQUID AD PRÆCEPTUM TUUM. Mentionem aquilæ cum accipitris conjungit. Et vero; *Accipiter bellum*, ut inquit Plinius, *internecinum gerit cum aquila, cohærentesque sæpe prehenduntur.*

ELEVABITUR AQUILA. ὑψιπέτης, *altivolans*, *in arduis ponet nidum suum.* Plinius lib. X. c. III. *Nidificant in petris & arboribus.*

29. INDE CONTEMPLATUR ESCAM. Aquila, clarissima oculorum acie avis, præterea que & rapacissima & voracissima, ac maximi cibi. Plinius ibidem: *Unum par aquilarum*, inquit, *magno ad populandum tractu, ut satietur, indiget. Determinant ergo spatia, nec in proximo prædantur.*

30. UBICUNQUE CADAVER FUERIT. Advolant aquilæ ad cadavera simul atque ex alto deprehenderint. Sed quo modo deprehenderint? Utrum sagacitate narium, an oculorum perspicacia? utroque modo: hoc potius hic.

31. ET ADJECIT DOMINUS. Posteaquam late Deus & copiose de potestate infinita & singulari sua, deque providentia disseruisset, videtur paululum interquievisse, dum Jobus, si quid vellet, responderet. Cum autem is taceret, sermonem repetisse, & instituisse propius.

32. NUMQUID QUI CONTENDIT CUM DEO. Siccine vero qui descendit in certamen cum Deo, & experiri ausus est, recedit tam facile nunc, ac pedem refert ex prælio, & quiescit. Legit enim noster יסור *iasor*, a verbo סור *sur*, *recedere*: cum alii, qui legant aliud, aliter interpretentur.

34. QUI LEVITER LOCUTUS SUM. Ait se pœnitere Jobus ante dictorum. quominus responsurus est, aliudque præterea locuturus. Hebræa sonant, *vilis sum*, pro eo quod noster se levitatis in loquendo condemnat. Ceterum quid dixerit, quod dictum nolit, non est facile definire. nisi quod miserias, & communes hominum & proprias ac suas, gravius vehementiusque deploratit; etsi utcumque vere fecit: aut quod nimius in tuenda innocentia fuerit.

CAPUT XL.

Dedebat quidem Jobus manus, seque convictum fatebatur superiore tota oratione Dei, cum se daturum præterea ullum responsum negaret. Sed Deus tamen quasi ἐν. παῤῥησίας & fiducia sui ac juris, urget eundem locum exemplo duplici maximorum terræ ac maris & monstrosissimorum animantium, elephanti & balænæ, quorum naturam admirabilem vident omnes, admirabilitatis causas ignorant.

1. RESPONDENS autem Dominus Job de turbine, dixit:
2. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.
3. Numquid irritum facies judicium meum? & condemnabis me, ut tu justificeris?
4. Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?
5. Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.
6. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnes arrogantem humilia.
7. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.
8. Absconde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam.

9. Et

1. DEin Jobum Deus affatur caligine ab atra.
2. More hominum lumbos accingere, & ede pe- (tenti
3. Responsum. nos an judex damnabis iniqui
Judicii, quo tu rectus videare, probusque?
4. An, quantis Deus ipse, vales tu viribus? an tu
5. Voce tonas simili? Cultus assume decoros,
Inque pedes te tolle, & vestibus indue pulcris,
6. Ostentans humeros late: exitioque superbos
Sterne gravi, atque animos preme grandes, atque pudo-
7. Incute. Crimen ubi admissum est, ibi criminis adde (rem
Auctorem, subitisque merentem contere pœnis.
8. Ora, specu nigro penitus demersa nocentum
Obrue, & aggesto simul omnes pulvere conde.

9. Tum

EXPOSITIO CAPITIS XL.

3. NUNQUID IRRITUM FACIES. Quasi dicat: itane vero? me nihil aut parum judicare dixeris? aut injustitiæ condemnabis me, quo tu ipse justus videare? quasi aliter probare nulli innocentiam tuam queas.

4. ET SI. אִם *im*, habet utramque potestatem apud Hebræos, ut vel interrogationi serviat, vel conditionalis sit, quorum prius malo. An vero tibi est, sicut Deo, robur? an tam vehementer & tam horrendum intonas?

5. CIRCUMDA TIBI DECOREM. Esto sane celsus & erectus, lautius vestibus, omni ornatu decorus; præterea autem alios, quamvis elatos & superbos, & arrogantes, pone infra te, subjice tibi, proculca, obrue, sic ut nusquam prorsus appareant.

6. DISPERGE SUPERBOS IN FURORE TUO. Ordinatius hoc totum & valentius in Hebræo: *Disperge indignationes iræ tuæ. & vide omnem superbum, & humilia eum. Vide omnem superbum, & deprime eum.* Hæc earumdem repetitio vocum, vim, ut dixi, majorem habet.

9. ET EGO CONFITEBOR. Cum profligare ceteros, & perdere potueris: tum demum te tibi saluti esse posse confitebor.

10. ECCE. Cohærent inter se hæc & superiora, isto fere pacto. Nequaquam tuum est, mi homo, superbiam & arrogantiam contundere improborum: at meum est vero. Testes maximi terra marique & insolenti mole animantes duo, quorum ego robur & immanitatem facile domo, cum homo nemo possit nisi per me.

BEHEMOTH. Belluæ, numero multitudinis, quasi una multarum instar bellua. quam quis nulli magis animanti, quam elephanto, convenire videnr omnes, quæ hic dicuntur; consentiunt elephantum intelligi: quamvis aliis in locis sacrarum litterarum (occurrit enim sæpius ea vox) aliud sonet, atque aliter exponatur. Plerique sanctorum Patrum sub hoc vocabulo significari diabolum putant: qui sensus est allegoricus; quem non improbamus quidem, sed priorem anteponimus.

QUEM FECI TECUM. Quem feci itidem ac te, quem uno eodemque die, quem terræ incolam & civem quodammodo tuum, & cicurem, & tibi ad multa utilem: quem, etsi disparem condisione & expertem rationis, tamen ex cunctis animantibus unum, proxime naturali quadam prudentia & cognatione accedentem ad hominem, feci. Vide Tullium in epistola ad Marium prima libri septimi.

FOENUM QUASI BOS COMEDET. Facili victu ac valde parabili utitur, non carnivorum animal, ut leo & tigris. Qui si fuisset ita a me creatus, ea feritate, ea voracitate, & appetentia carnis; cum tanta mole præditus sit, non dubium quin animalia consumpturus omnia esset. Itaque placitum est mihi, ut herbis plantisque vesceretur.

11. FORTITUDO EJUS. Versu hoc & sequenti, de elephanti libidine agi, nullo modo placet. Primum, quod maxime pudicum animal sit, minime fœcundum. Deinde quod quæ membra hic putantur describi, genitale ac testes, ea sint in elephanto partim modica, partim occulta, & intra corpus abdita: non sit autem verisimile elephantum qua parte minus pollet, tantopere prædicari. Turres enim dorso impositæ & renibus elephanti, in quibus tres numero armati milites præter rectorem belluæ. Plinius lib. VIII. cap. IX. *Turres armatorum in hostes ferunt.* ἰσχὺς igitur sive robur elephanti in lumbis, quod sit ferendo oneri plurimo & gravissimo.

VIRTUS ILLIUS IN UMBILICO VENTRIS EJUS. ἡ δύναμις, sive virtus & facultas. Novimus quidem elephanti *durissimum dorso tergus, ventri molle.* non tamen mediocris fortasse ex eo virtus, quod, ut idem ait Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *ventres elephanto quatuor.*

12. STRINGIT CAUDAM SUAM QUASI CEDRUM. Non facile crediderim caudam hic proprie intelligi, quæ perparva elephanto est pro mole corporis, & nullis setis, nec magno usui. Audi Plinium natur. hist. lib. VIII. c. X. *Setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem præsidium abigendo tædio muscarum. sed cancellata cutis & invitans id genus animalium odore. Ergo cum extenti recepere examina, arctatis in rugas repente cancellis comprehensas enecant. hoc iis pro cauda, juba, villo est.* Multo etiam minus intelligendæ felix cauda videtur, propter ea quæ supra posui. Quid est reliquum, nisi ut promuscidem interpretemur, quæ pars est in elephanto maxime insignis, & in quam belle omnia, quæ hoc versu habemus, cadunt. nam quod sequitur, *nervi testiculorum ejus perplexi sunt*, aliter exponi potest ex Hebræo, nervi terroris ejus, id est, terribiles seu torti sive multiplices atque inter se implicati. Quam ad expositionem addas licet ex textu Jobi ἀχρῶς edito Londini: τὰ δὲ νεῦρα αὐτοῦ ὥσπερ σχοινία συμπέπλεκται. nervi ita inter se ut restes implexi. Id porro eo convenit magis, quia omnia isto pacto comparate dicentur, cauda ut cedrus, nervi ut funes, ossa ut fistulæ æris, cartilago ut laminæ ferreæ.

14. IPSE EST PRINCIPIUM VIARUM DEI. Vel est opus Dei primarium ac nobilissimum, vel opus, quo ad alia, sive magna, sive parva prolusit. En quibus initiis ad cetera processit educenda in lucem, & efformanda.

QUI FECIT EUM, APPLICABIT GLADIUM EJUS. Deus idem auctor & creator elephanti, idem, cum lubet, inter-

9. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.

10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet;

11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

12. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt.

13. Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.

16. Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.

17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.

18. Ecce, absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.

19. In oculis ejus quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus.

20. An extrahere poteris leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?

21. Num-

9. Tum vero ipse tuam fatear residere salutem
Te penes, auxilii non unquam ullius egentem.
10. Ecce, boum de more, elephas, quem tempore primum
Eduxi, quo te, dias in luminis auras;
Contentus facili victu stabulatur, & herba
Vescitur, & sicco satura ad præsepia fœno.
11. In lumbis olli generandi robur, & alvo
12. Sub media, caudam cedri scit more tigentem
Stringere: nervorum testes perplexa ligat vis.
13. Assimilant æs ossa cavum: mollisque sequaces
Cartilago refert lamnas, & ductile ferrum.
14. Primum opus ille Dei. Qui fecit, destruet idem,
15. Si volet. Huic herbas præbent juga celsa salubres:
Et genus omne greges ludent impune propinqui.
16. Deponit corpus viridi sub arundinis umbra
Secretus, somnoque rigat, liventia juxta
17. Stagna: tegunt salices, & inumbrant fronde jacentem.
18. Ecce tibi totam potabit fluminis undam
Inscius, & jam spe Jordanem absorbuit ipsum.
19. Hunc tamen, hunc hamo capiet, vivumque, videntem-
Et patulas sudibus nares transfiget acutis. (que:
20. Exiguis immanem hamis educere cetum
An poteris, lino, dum pendent ora, ligare?

21. Fi-

interfector. Homo nemo, primis quidem temporibus. hoc fere omnes. quid si illud amplius notatur, qui elephantum creavit, eundem docuisse, quemadmodum non caperetur tantum & domaretur, & jaculis peteretur eminus, verum etiam cominus feriretur gladio seu ense, ac perimeretur; cum nemo tanta magnitudine animal aggredi propius ausurus videretur? Elephantus ergo nobilissimum est opus Dei & quasi specimen molitionum illius: atque hic gladium illi suum applicabit, id est, efficiet ut perimatur, vel ab rhinocerote, quocum illi naturale bellum est, vel ab homine, ut Machab. VI. Remotius est, neque admodum convenit, quod quidam volunt, principatum quemdam belluarum datum elephanto; hoc enim gladii nomine jus summum & potestatem significari.

15. HUIC MONTES HERBAS FERUNT. Ex hoc versu apparet elephantum pasci, nec vivere rapto, nec vorare carnes. adeoque bestias agrestes, bestias omnes impune ac licenter versari in proximo, nec ab eo sibi metuere. Non abludit illud Plinii lib. VIII. cap. VII. *Ipsius animalis tanta narratur clementia contra minus valida, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens, nec nisi lacessiti noceant.*

16. SUB UMBRA DORMIT IN SECRETO CALAMI. Quomodo meridietur, aut pernoctet denique in arundinetis, in salicetis, propter fluvios, satis quoque Plinius eodem libro cap. X. demonstrat. *Gaudent amnibus maxime, & circa fluvios vagantur, cum alioquin nare propter magnitudinem corporis non possint.* Sumpsit autem ab Aristotele, qui & dixit concinnius in lib. IX. cap. XLVII. ἐν ᾗ τὸ ζῷον παραποτάμιον, ἢ ποτάμιον.

Ad rem pertinet, quod ut frigoris est elephantus impatiens, eamque ob causam in locis nascitur ac degit calidioribus, ita minime perferens est æstus & caloris: cujus quidem vitandi causa, tum se inter se crasso perfundant cœno, quod est eis longe gratissimum, ut Ælianus prodidit; tum umbracula arborum consectentur.

Sed convenientius est huic versiculo & sequenti, ut elephas ad arbores dicatur receptum habere dormiturus, iisque inniti. Ferunt enim hunc nonnisi rectum & stantem capere somnum solitum, nec jacere unquam aut cubare, quod surgere vix ac ne vix quidem posset. Quam in sententiam vide Diodorum Siculum lib. III. biblioth. hist. p. 161. & Ælianum lib. IV. cap. XXXI. quod idem facere Plinius ait machlin, sive aclin belluam quandam. de qua is lib. VIII. c. XV. *Machlin, inquit, haud dissimilem illi, sed nullo suffraginum flexu: ideoque non cubantem, sed acclivem arbori in somno, eaque incisa ad insidias, capi.*

18. ECCE ABSORBEBIT FLUVIUM. Maximi potus elephantum esse perspicitur ex Aristotele lib. VIII. de hist. animal. cap. XIX. qui etiam admetitur quodammodo suum illi diurnum potum. quod idem ab Aristotele Ælianus sumptum refert lib. XVII. c. VII.

ET NON MIRABITUR. In Hebræo, *nec properabit*, id est, exhauriet fluvium facile, nullo negotio, minimeque festinans, quasi per otium & commodo suo. Noster, *nec mirabitur*, id est, ebibet, nec novam sibi rem facere videbitur. *Il boira les fleuves entiers sans se presser & sans s'étonner.* Hic eadem vox יחפוז *iachpoz*, quæ versu 12. *stringit*, seu *movet*. Quare dici potest, nec movebitur: fluvium exhauriet, nec fiet ea re commotior, *sans s'ébranler, sans remuer ou s'empresser davantage.*

HABET FIDUCIAM QUOD INFLUAT. Confidit se siccaturum ore largo, ut poetice loquar id quod tam poeticum est, Jordanem fluvium. Jordanem autem pro quolibet fluvio sumpsit.

19. IN OCULIS EJUS QUASI HAMO CAPIET EUM. Nulla neque in Hebraico contextu, neque apud LXX. mentio de hamo. Itaque probabile est sumptum illud ex sequenti versu per similitudinem quandam facti ab iis, qui hic agi de captura elephantum putarent, quod longe secus esse cum Vatablo, cumque Mercero sentio. ut enim invictum animal marinum humana vi & industria proponitur; ita terrestre describi convenit, neque ea parte, qua aut infirmius est, ut oculis, aut valentius, ut proboscide, ab ullo capi. Sententia ergo hæc erit: Præ inexhausta & insatiabili aviditate bibendi, oculis pæne ipsis Jordanem ebibet. ex una parte immerget os ad oculos usque, ex altera ut seu promuscidem ad fundum usque immerget, sic ut nares oblædat quisquiliis quibusque ubiubi repertis. Hactenus de animali, quod in terra putatur maximum. Sequitur monstrum marinum, cui quod plurima tribuantur hic, quæ balænæ esse solius satis apparet; non temere nec leviter balæna creditur.

20. AN EXTRAHERE POTERIS LEVIATHAN HAMO. Cum ea vox reperiatur bis apud Jobum, bis in psalmis, semel apud Esaiam; ubique LXX. vertunt τὸν δράκοντα, præter quam semel apud Jobum: quo loco nihil mutant, sed voce utuntur Hebræa. Certum autem hic cetos, sive τὸ κῆτος, piscem marinum grandiorem aliquem intelligi ex nonnullis, cane, vitulo, bove, dracone, aliis marinis. Verisimilius balænam hic coloribus depingi suis pæne omnibus. Nam qui agi potius de dracone, quasi data occasione, conjicit, propterea quod proxime actum sit de elephanto; huic autem cum illo perpetuum & naturale bellum sit; male conjicit. Ferunt enim dissidere inter se naturali

odio

21. Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus?
22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?
23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum?
24. Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?
25. Concident eum amici, divident illum negotiatores.
26. Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium piscium capite illius?
27. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultro addas loqui?
28. Ecce, spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

21. Fibulam ages intra maxillam? stupea vincla
Naribus induces fissis, vincesque trahendo,
22. Ambiet & multa prece te, & mollissima dicet?
23. An pacis morem impones, & se tibi victus
Servitio dedet stabili, propriumque dicabit?
24. Scilicet illudes, ut avi, filoque revinctum
25. Ancillæ circumducent? ut munus, amicus,
Quod dederis, concidet? & emptam dividet acer
Institor ut mercem, multo quæ vænit ære?
26. An parva, & parvis fiscella piscibus apta,
Ingentem capite, atque ingentem corpore claudes?
27. Tantum absiste loqui, & dextram super injice capto.
Protinus experiere novæ certamina pugnæ.
28. Nec mora, spesque, manusque tuas frustrabitur, alte
Præcipitans, notoque palam se reddet in alveo.

CAPUT XLI.

De vasta & immani figura balænæ & ferocia institutus jam superiori capite sermo, isto absolvitur Monstrosissima autem & omnino inaudita quædam afferuntur, quæ nec in eam quidem belluam omnia cadere videantur.

1. NON quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?
2. Quis

1. NOn ego crudelis monstrum instigabo, petamve Auxilium. Quis enim mihi viso obsistere possit?
2. Quis

odio & pugnare solitos elephantum & draconem, non marinum hunc, sed terrestrem. Is porro piscis qualiscunque sit, leviathan dictus, ut nonnulli volunt, a squamarum nexu & cohæsione, cum לויתן *leviathan*, vox Hebraica sit ab adhærendo.

Hic primum & facile piscandi genus, ubi arundo sive calamus, linea seu seta, hamus sive uncus cum esca & illecebra adhibetur, quo pisces capiuntur singuli, nec plus uno semel, ac fere pisciculi parvi aut mediocres. Non enim majorum pondus ferat lenta ac tremula arundo, aut tenue linum. Itaque hujus est loci hæc sententia: An tu in horia aut ex litore, qua arte, quove modo extrahuntur mari vulgares & quotidiani pisces, magnum istum & immanem extrahis?

21. NUMQUID PONES CIRCULUM IN NARIBUS EJUS AUT ARMILLA. Non hic amplius agitur de hamo ad inescandos pisces & capiendos: id enim factum jam superiore versu: sed de modo, quo portes captos. An junceum circulum inseres in os, & juncea spina trajicies branchias, ut fieri solet in ferendis piscibus? Hanc Hebraicus textus suggerit expositionem, ubi juncus & spina habentur.

22. NUMQUID MULTIPLICABIT AD TE PRECES? An a te multum & blande vitam deprecabitur, atque ut se liberum dimittas?

23. NUMQUID FERIET TECUM PACTUM. Qui tradit se in servitutem alteri, vel ea lege facit ut manumittatur aliquando, vel, ita, ut ad libertatem nunquam perveniat. Hic deterioti conditione est servitutis, quanquam est quorundam sic tolerabilis conditio servientium, ut exire servitio nolint, ne siquidem libertas offeratur.

24. NUMQUID ILLUDES EI QUASI AVI. Quasi dicat: Cum balæna, credo, sic tanquam cum avicula ludes, aut vinctam permittes domesticis, cum qua ludant?

25. CONCIDENT EUM AMICI. Ex tanta mole partem amicis divides muneris loco, partem ceteris, quam divendant? vel: An facile poterunt piscatores illum tui capere & in frusta concidere?

26. NUMQUID IMPLEBIS SAGENAS. Duo piscandi alia genera. Ceu dicat: Si minus hamo capere tantum piscem potes: at sagena sive everriculo educes ad litus: at includes nassa.

27. PONE SUPER EUM MANUM TUAM. Manus injectio est vindicantis sibi rem, ac suam esse vociferantis. Noster interpres sententiam hanc secutus videtur: Aggredere sane piscem hunc. Si feceris, memento rem tibi futuram cum illo. tace modo. quæ locutio familiaris est, & usitata vulgo. *Taisez-vous seulement. laissez faire, ne vous mettez pas en peine Vous n'avez qu'à penser à vous bien défendre. Attendez-vous à avoir la guerre.* In contextu Hebraico aliud est quiddam: Nou addes meminisse prælii. cum sit infinitivus & imperativus modus idem.

Meminisse, memento sensus autem iste versiculi totius: Aude modo tantam belluæ molem adoriri. Si semel ausus sis, numquam tibi in mentem venerit iterum lacessere eamdem aut tentare bello; ita male actum tecum a primo fuerit.

28. ECCE SPES EJUS FRUSTRABITUR EUM. Res tota constat ac patet in Hebræo. Ecce si quis tangat, fallitur spe sua, nec balænæ quidquam nocet. contra, ad aspectum ejus nonne prosternitur? Quasi dicat: Tantum abest, ut qui tangit, lædat ac violet balænam, ut aspiciendo quoties aspicit, lædatur ipse, nec feræ conspectum sustinere queat. Non tanta perspicuitas est vulgati interpretis. rationem tamen & modum videor adinvenisse concordiæ. Ecce, balænam, si quis attingit manu, ipsa fallit hunc spe sua, nec prosternitur. an, etiam si quisquam, si omnes aspiciant oculis, prosternetur? multo id minus. non læditur tangendo: videndo lædetur? Itaque vulgatus interpres interroget oportet valde negando in hunc modum: *Ecce, &c.* & videntibus cunctis præcipitabitur? Qui invadit, nihil huic incommodat, immo periclitatur ipse: etiamne si aspiciant vel omnes, illud huic erit fraudi? minime vero gentium.

EXPOSITIO CAPITIS XLI.

1. NON QUASI CRUDELIS SUSCITABO EUM. In Hebræo est, *non crudelis, qui suscitabit illam*; facilis & expedita sententia, non est quisquam tanta feritate & audacia, qui excitet feritam hanc & formidolosam bestiam e somno. Aliter vero, atque nunc habetur, ut apparet, legit Hieronymus; sic, ut opinor, trajecta voce, litera immutata לא כ אכזר *lo ce aczar*, pro כי לא־אכזר *ci lo-aczar*, uti nunc est, & אעורנו *agburnu*, pro יעורנו *iagburnu*, *suscitabo*, pro *suscitabit*. Minime autem novum promiscue legi ab Hieronymo, ' in futuro quod est primæ personæ, & quod est tertiæ. ut cap. 21. v. 15. אקוב *acou*, ubi nunc יקום *iacum*. Jam quo modo reddidit Hieronymus, sic interpretor. Nolim quidem monstrum hoc maris dormiens, ut soler, inclementius excitare e somno instigandi causa aut exacerbandi in quemquam. Quid enim mihi metuam ab illo, cum mihi nemo præsenti resistere possit, nemini obnoxius sim, rerum omnium præpotens.

3. NON PARCAM EI. Nolim, ut dixi, expergefacere balænam irritando, sed neque mulcere velim feram verborum vi aut molli prece. Hi porro tres versiculi quasi *en parenthesi* inserti, aut admonent sane, quo tota res pertineat, præ Deo valentissima quæque nihil habere virium. divellunt Hebræi a superioribus versiculis duobus istum, & ita reddi possunt: *Non silebo membra ejus, nec verbum, id est negotium, virium ejus, nec gratiam dispositionis ejus.* Et tamen

2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt.

3. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

4. Quis revelabit faciem indumenti ejus? & in medium oris ejus quis intrabit?

5. Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.

6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.

7. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas:

8. Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.

9. Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi.

10. De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ.

11. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis.

12. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.

13. In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egestas.

14. Mem-

2. Quis me, quis donis hominum prævenit; & illi
Par referam? Quæ sol oriens, mediusque, cadensque
3. Aspicit, hæc mea sunt. Non blandior ore, manuque
Permulcebo ferum, verbisque precantibus utar.
4, 5. Quis rictum pandet diducta pelle? quis ora
Intrabit media, & portas irrumpet apertas?
It circum nudos arcto metus ordine dentes

6. Infrendens. Illi, scutum ceu fusile, corpus

7, 8. Condensis textum squammis: inserta coivit
Una uni, neque juncturis rima ulla; neque unquam
Aut vi discludas morsus aut arte tenaces.

9. Splendidus e cerebro, dum sternuit, assilit ignis.

10, 11. Bini oculi, surgens aurora. It lampas ab ore
Non una, & fumum spumosis naribus efflat,
Accensæ facis in morem, ferventis & ollæ.

12. Halitus incendit prunas, flammasque crepantes

13. Evomit os, robur collo insidet, oraque egestas

14. An-

tamen quod nostro interprete contenti quoquo modo simus. Nam, *verbum fortitudinum*, verbum est potens: & *preces dispositionis*, sunt preces dispositæ. estque credibile, *non parcam ei*, respondere verbis quoque Hebraicis.

4. QUIS REVELABIT FACIEM INDUMENTI EJUS. Redit ad propositum Deus, & ostendere pergit, balæna quid monstri sit. Indumentum ejus alii interpretantur mare, e quo balænam nemo extrahat, cum se toto oceano defendat, si suus illam hostis persequatur. Alii cutem intelligi volunt, quam detrahat nemo balænæ. est qui simpliciter vestem esse velit, quam nemo balænæ, quasi equo injectam adimat. equiso enim paraturus equum, si quid est super stragulæ, eo illum prius spoliat, quam frænum inferat in os, ephippia imponat, instratus omnino equus sit. Videtur simplicius & Hebraismo convenientius, si exponamus ita, facies indumenti, facies induta, sive os & caput indutum. Quis exuet balænam simplice capistro, sive cannabino, sive sparteo, ut habenas illi & frænum, ac lupatum injiciat? Est enim hoc quod sequitur, *in medium oris ejus intrabit*, diducet rictum vastum & immane inserto pollice, & frænare audebit.

5. PORTAS VULTUS EJUS QUIS APERIET? Oris ingens hiatus hic declaratur magis, utpote qui retro dentium ordine truculentus metuendusque sit. nam quod negant dentes esse balænis, ideoque agi de alio monstrorum marino genere placet; nihil dicunt. Satis enim est, id quo prehenditur cibus, & quasi commanducatur, pro dentibus esse; cum multa de iisdem dicantur translate. Sunt autem balænis virgæ prælongæ, ex ore interiori pendentes, eæque latæ, ac velut costæ utque eo continuæ, dum in villos desinant ac scindantur. iis balænæ arripiunt quidlibet, atque amplectuntur, & fovent, ac retinent diu, versantque impune ad arbitrium, ut fœtus suos etiam grandiores. sunt enim interdum virgæ ejusmodi longitudinis quindecim pedum, latitudine pollicari. Quid si venter iste est, quo exceptus Jonas est vivus ac spirans, atque ubi versatus est aliquandiu tuto? Audio certe, de isto qui non dubitent.

Hoc illud de dentibus sunt qui conferant in crocodilum, de quo Plinius lib. VIII. nat. hist. c. XXV. *Animal hoc unum superiore mobili maxilla imprimis morsum, alias terribile, pectinatim stipante se dentium serie.*

6. CORPUS ILLIUS QUASI SCUTA FUSILIA. Ea vox Hebraice גאוה *ghaavah*, *elatio*. supra cap. XXXIII. v. 17 redditur a LXX. πλῶμα. hic eandem Symmachus interpretatur σῶμα, ut est in catena. Quare non est cur ab interprete nostro facile discedatur, cui & LXX. favent, & ex Hebraico interpres sermone quasi adstipulatur. Corpus igitur illius ceti, robusta scutorum. in quo duplex Hebraismus. prior, corpus, scutum, id est, quasi scutum. posterior, robusta scutorum, id est, robusta scuta, seu robustissima. *Fusilia*, vox huic ista respondet, validis & firmis clypeis, ut est in Hebræo, & ut habent LXX. ἀσπίδες χάλκειαι, clypeis æreis. qui sunt ex metallo fuso & conflato aliquo clypei effecti. Non est autem dubium, quin hi sint firmiores, & ad repellendos ictus valentiores, quam qui constant ex corio.

COMPACTUM SQUAMIS SE PREMENTIBUS. Ad verbum, clausum sigillo arctissimo. Itaque noster non tam verbum verbo reddit, quam sententiam exprimit, cum piscem describat grandiorem. Quoniam autem suas huic ceto squamas attribuit, removere videtur & hoc quoque nomine ab isto loco balænam, quæ non jam squamis obducta, sed perpetuo corio obtecta sit, ut res ipsa declarat. Tegmen porro consertum hamis est ejusmodi, ut detexi possit, quomodo contextum est, atque ut hoc aer permeet. neutrum horum huic ceto convenit. usque adeo squamæ cohærent aliæ ex aliis aptæ, & omnes inter se nexæ & jugatæ sunt, quasi facta testudine, siquidem cum scutis conferuntur.

7. UNA UNI. Hebraice, vir fratri. Vide apud Mercerum, quæ sit Hebraismi istius ratio de serie quadam rerum uniusmodi, quarum altera cum superiore nexa, atque inde pendens.

9. STERNUTATIO EJUS SPLENDOR IGNIS. Commatis sequentibus quatuor, quæ sunt capitis, describuntur, os, nares, oculi. ex ore halitus, ignis, flamma. e naribus sternutatio, fumus. ex oculis scintillæ, radii, candor fortasse & rubor, quæ auroræ conveniunt. omnia ad terrorem comparata. *Sternutatio ejus.* Quoties sternuit, quod frequenter facit, ita sternuit vehementer, ut quasi in tonitru fulgetra quædam sit, vel quod cum aqua erumpente ac dispersa exiliant scintillæ, vel quod ipsa ad solem aqua resplendeat.

Ad balænas quod attinet, *ora*, inquit Plinius, *habent in frontibus: ideoque summa aqua natantes, in sublime nimbos efflant*, lib. IX. cap. VI. nat. hist. & cap. VII. *Hæc duo genera fistulis spirant, quæ ad pulmonem pertinent, balænis a fronte, delphinis a dorso.*

11. DE NARIBUS EJUS PROCEDIT FUMUS. Non dictum ὑπερβολικῶς. nec vero majus est quod hic affertur de fumo, quem balæna maximum exhalet fistula. Narrant piscatores ad Cantabricam oram maritimam, non procul ab urbe Baiona, nulla re magis balænas e longinquo deprehendi, quam indicio fumi, quo mare & cœlum, ibi, ubi nant, videantur quaquaversus & longe & late involvi: multoque id evenire magis, si qua jactu harpagonis, ut fit, vulneretur ad capturam.

13. IN COLLO EJUS MORABITUR. Hactenus de capite. nunc collum forte ceti, caro densa, cor durum, versiculis tribus. IN COLLO EJUS MORABITUR FORTITUDO. Quam sit robustum hoc animal, quamque indomitum, significat. subacta enim cervix, & submittere collum, ejus est qui jugum ferat, & sit subjectior, magisque obnoxius.

FACIEM EJUS PRÆCEDIT EGESTAS. In Hebræo, ante

14. Membra carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.

15. Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.

16. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.

17. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax:

18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.

19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.

20. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.

21. Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum.

22. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum unguenta bulliunt.

23. Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem.

24. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.

25. Om-

14. Antevolat. Membris aptissima membra cohærent:
Quæ super incurrens fulmen non sedibus ullum

15. Emoveat. Cor durum illi, ceu saxea moles,
Aut centum assiduis quæ tunditur ictibus incus.
16. Quod si se tulerit sursum; fortissima frigus
Invadet corda, atque alvum formidine solvent.
17. Si quis eum gladio percusserit, ille tueri
Se thorace dehinc frustra & conabitur hasta.
18. Namque aciem ferri, stramen ceu futile, & æra

19. Ceu putre despiciet lignum. Non vertere quisquam
Terga fugæ jaculo coget bonus, atque sagittis.
20. Et tuditem durum stipulæ levis instar habebit,
Et funda intortum silicem. Ridebit inanes
21. Hastarum incursus. Solis lux pressa jacebit
Sub pedibus, multoque viam sibi muniet auro:
22. Quale lutum in triviis. Mare fundo conciet imo.
Sicut ubi costis supposita calentis aeni
Virgea flamma furit, tum simplicis æstuat humor
Intus aquæ, aut pingues liquefiunt unguine ceræ.
23. A tergo lucere viam, & canescere fluctus

24. Spumantes videas. Nec sese æquaverit illi
Ulla virûm vis in terris, non ulla ferarum.
Qui gelidos natus, mirum, nescire timores.

25. Sci-

ante faciem ejus exilit mœror, id est, anteit mœror, quem præmittit, horribili edita strage, quocunque venerit. Idem apud LXX. ἔμπροσθεν αὐτοῦ τρέχει ἀπώλεια, antecedit eum clades, exitium, vastitas; non modo comitatur aut sequitur: usque eo bellua fertur infesta in omnes.

14. Membra carnium ejus. Citius dixerim, ut LXX. *carnes membrorum ejus*, seu corporis. Sed membra hic intellige frusta, seu particulas. cum mollis caro sit piscium, minimeque densa, & velut assulatim aut squamatim distincta, ut apparet in coctis piscibus maxime; tum illa ceti compacta sic est & cohærens stipatasque, ut distrahi nulla vi possit.

Mittet contra eum fulmina. In Hebræo est יצוק עליו *fortis in eo*. Quoniam autem יצק Hebraice est, *fudit*, ideo LXX. reddiderunt, καταχεεῖ ἐπ' αὐτόν. noster interpres, *mittet contra eum*. Quis? homo, adversarius, quivis. nam quod additur, *fulmina*, glossema puto seu explicationem rei, quæ irrepsit in contextum: in quo convenientius legitur in quibusdam codicibus, *flumina*, ut respondeat huic voci, *effundit*. nulla vis aquæ dissolvet tam cohærenter & continuatas inter se partes hujus ceti. Hic ubi legitur, *ad locum alium non ferentur*, supple, membra, non fulmina, aut flumina. non movebitur loco.

15. Cor ejus indurabitur tanquam lapis. Animantium quidem omnium fere cor molle: balænæ non idem. Vide quid sibi Plinius velit, cum lib XI. cap. XXXVII. ait: *Bruta existimantur animalium, quibus cor durum riget*.

Stringetur quasi malleatoris incus. Noster & LXX. exponunt potius quam vertunt. LXX. πέπηγεν, ἕστηκεν obduruit ut lapis, stat ut incus immota. In Hebræo concinnius est totum repetitione ejusdem vocis יצוק *iatsuc*. cor durum sicut lapis, & durum sicut meta, sive mola inferior. Eadem vox habetur quoque supra v. 13. ubi noster, *fortitudo*

16. Cum sublatus fuerit. Efferre se alte ex aqua convenit balænæ. quod si fecerit, fortissimos quosque metu percellet. Angelus appellat fortes & inclitos heroas, atque angelis æquales.

Territi purgabuntur. Sic exterriti purgabunt se, id est, expiabunt se rite, quo defungantur metu isto prorsus, neve quid incurrant mali. detestantur omen a se, & avertere conantur certis quibusdam sacris. Ab aliis video aliter hunc locum exponi, idque quatuor modis, quorum omnium mihi quidem minime placet is crassior & inverecundus, qui Rabbi Levi attribuitur, de exoneraturis ventrem præ consternatione & pavore. quo de modo ne cogitasse quidem interpretem nostrum satis constat; cum de angelis ipse habeat sermonem: in quos profecto ea necessitas naturæ non cadat. Dicere M. Tullium suppudet, quemadmodum cibi reliquiæ depellantur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus; ne quid haberet jucunditatis vel potius injucunditatis oratio: nos sententiam turpem eamdem in sacras literas sine causa necessaria inducemus?

17. Cum apprehenderit. His quoque versiculis quatuor unum & idem ostenditur, nulla contra tantum adversarium arma valitura, sive ad nocendum sint, sive ad tegendum comparata, sive ex ferro seu ex ære, sive cominus sive eminus.

Cum apprehenderit eum gladius. Sic ordinare versum placet. si cujus eum gladius appetierit, gladius dissiliet ictu. si cujus hasta seu telum, telum fuerit imbelle sine ictu. vicissim si invadat hostis & feriat, non suus illum thorax satis ab hostis petitionibus tuebitur.

Neque hasta. In Hebræo, *hasta profectionis*, id est telum missile, quod manu jacitur. contra, v. 20. *vibrantem hastam*. pro telo, quod manu non emittitur, & quod quis coruscat solum, & crispat concutiendo. non est autem una utrobique vox Hebraica.

19. Vir sagittarius. Hebraice, *filius arcus*. scitula elocutio, pro sagitta.

20. Malleum. Secutus noster interpres est Græcos in reddenda hac voce. nam Hebraica obscura. Scitur hoc quidem armorum esse genus, sed quale sit ignoratur: ideoque minus divinare possumus, quod isto tantum libro ea vox, neque amplius quam semel, habeatur.

21. 22. 23. Sub ipso erunt radii. Etiam Rabbini insignes duo, Selomoh & Chimi, solem, radios, aurum interpretantur. reliquum est, ut quam hæc sententiam habeant, conjectura eruamus: soli siquidem conjecturæ locus est. Quoties, inquit, cete hoc magnum sese in mare profundum penitus immergit, tanta vi & celeritate sua & motis hiatu facit, ut tria contingant. Primum, quidem lumen solis eo ad fundum usque pervadit, ut aurum sive arena fulgens quasi strata appareat. Deinde mare fundo ab imo exæstuat. Postremo pone sulcum lucentem & vestigium sui relinquit spuma canescentibus undis. Illustrat hunc locum mirifice illud poetarum principis VIII. lib.

Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat.
Pallida diis invisa, superque immane barathrum.
Cernatur, trepidentque immisso lumine manes.

Quare videtur magna quædam in alto tempestas, quam cetus præcipiti & violento impetu in fundum usque penetrans excitet atque commoveat.

24. Non est super terram potestas. Nulla ex aquatilibus & marinis bestia par huic ceto robore & viribus. atqui & plura numero & mole majora esse in mari, quam in terra animalia, Plinius auctor: causamque affert Aristoteles majorem humoris & vim & copiam.

Fac-

25. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

25. Scilicet, infra se rerum celsissima cuncta Aspicit, & dominos late est regnator in omnes.

CAPUT XLII.

Agnoscit tandem aliquando Jobus se inconsiderate locutum, qui nihilominus, immo fortasse vel ob hoc ipsum, quod de se tam ingenue fateretur, a Deo anteponitur amicis. hunc porro illis placat precibus ac sacrificiis. Jobi ad extremum omnia damna Deus ita sarciit, ut alterum tantum bonorum redderet.

1. RESPONDENS autem Job Domino, dixit:

2. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

3. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.

4. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi.

5. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.

6. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.

7. Post-

1, 2. TUm Domino Jobus. Te novimus omnia posse;

3. Te nescire nihil. nam quis te sanus operta Consilia & prudens celaverit? hinc ego demens Verba meos longe captus superantia feci.

4. Præbe aures, loquar, & responsum redde, rogabo.

5. Te video nunc his oculis: his te auribus ante

6. Audieram. Quare meque, & mea facta retracto Incusans. Tibi do pœnas, supra ipse volutus

7. Im-

FACTUS EST UT NULLUM TIMERET. Quem enim metuat, qui terrori sit omnibus? Atque ita res erat primis, credo, temporibus. Nunc sæculo isto, cum inventa primum sedes est, & quasi cubile, in quo balænæ habitent dimidiam partem anni; prætereaque istis belluis scateat is locus: minus difficile fuit nancisci prædam, & deligere ad ictum, & capere coactam unum in locum, quam dissipatam & palantem toto mari. Commorantur monstra hæc quamproxime polum septentrionalem. ibi, ubi dies perpetuus sex mensium, quod inprimis luce gaudeant. Post altero semestri spatio, quoniam tantundem imminet tenebrarum, vertunt solum, peregrinantur, & alio atque alio migrant, ac sæpe ad oram Cantabricam, ubi frequenter capiuntur, divertunt hæ belluæ. Vide patronum Burdegalensem de usu & consuetudinibus maris, in 4. Ad capturam nempe ejusmodi bestiarum coierunt societatem diversarum gentium ac nationum mercatores, in eoque quamplurimum lucri fecerunt.

25. OMNE SUBLIME VIDET. Id est, celsissima quæque despicit, & infra se posita intuetur. Aiunt hoc loco, & illo cap. XLI. v. 6. *Respiciens omnem arrogantem*, ראה *raha*, esse quoque despicere, non modo intueri: & vere dicitur. Sed noster hoc interpres parum curavit; credo quod utrobique satis contemptum ac despicientiam notent consequentia, hic, *ipse rex super universos*, illic, *humilia*.

IPSE EST REX SUPER UNIVERSOS FILIOS SUPERBIÆ. Id est, feris & immanibus belluis, ut leonibus, ut ursis, ut similibus, sive marinis seu terrestribus, vi ac robore plurimum præstat. Sunt præterea binæ voces hæ *filii superbiæ*, XXVIII. 8. ut Masora judicavit, ex quo alter alteri locus lucem afferat.

EXPOSITIO Capitis XLII.

2. SCIO QUIA OMNIA POTES. Interpres noster hic agi putat de divina & potestate & cognitione. Angustius plerique ex Hebræo de potentia solum divina. novi te posse omnia & te exequi, ac perficere quæcunque tibi venerint in mentem, cogitata tua omnia, sive simplicius res, quæ vel cogitationis vel verbi voce significantur.

3. QUIS EST ISTE QUI CELAT CONSILIUM ABSQUE SCIENTIA. Id est, ille ego sum, rudis & imperitus rerum divinarum, qui neque recte interpretor, nec satis explico, quo quidque consilio fiat a Deo, quem ad finem singula dirigantur. quasi Jobus dictum de se agnoscat nunc demum & fateatur illud, unde Deus initium duxit sermonis cap. XXXVIII. v. 2. *Quis est iste involvens sententias, sermonibus imperitis.* Tametsi videtur ibi contra Eliu dictum. Sunt autem utroque loco expressa omnia iisdem verbis, nisi quod illic est, *obscurat*, hic, *celat*, aut *abscondit*. ex quo appareat eamdem esse sententiam utriusque versiculi.

IDEO INSIPIENTER LOCUTUS. Cum mentem divinam, inquit, non admodum caperem, & res admirandas ac cœlestes, facere non potui, quin temere aliquid, vel multa potius effutirem.

4. AUDI, ET EGO LOQUAR. Rursum hic Jobus verba repetit, quibus usus Deus fuit cap. XXXVIII. v. 3. *Interrogabo te, & responde mihi.* eodemque modo verba ipse sua subjicit, quo proxime antea. Antea: Ego ille sum, qui per inscitiam reticeo, quæ tua sunt, o Deus, providentiæ: ideo insipienter locutus sum. Nunc: Contendebas a me, te ut audirem: audivi auribus: & quod amplius est, oculis video, cum me coram alloquare, idcirco ipse me reprehendo.

5. AUDITU AURIS. Partes quidem alternæ intelliguntur, audientis & loquentis; sed ita quasi discipuli & doctoris, ut ille roget, hic ad rogata respondeat: vicissim doctor sciscitetur, discipulus quæsitis persolvat.

NUNC AUTEM OCULUS MEUS VIDET TE. Non quod antea nihil viderit, nihil præter auditum habeat; sed quod omnia nunc planissime norit, quasi qui usurpet oculis.

6. IPSE ME REPREHENDO. Quod factum est a me, infectum volo: quod dictum, indictum. In hoc se ipse Jobus castigat, quod nimio plus videatur suam prædicasse innocentiam, deplorasse miserias, expostulasse, quod improbis viris prospere eveniant sæpe omnes res, existimasse denique de providentia divina aliter atque oportuit: vel potius mutat dictum aut revocat, quod obscurius de Deo locutus, amicis nonnihil loci dederit interpretandi malam in partem, atque secus ac sentires.

AGO PŒNITENTIAM. Id est, certum est agere. comparat enim se Jobus ad novas a sese pœnas exigendas. Neque putandum quas tum lueret, has hic intelligi quas voluntate sua se suscepturum profitetur. nam priores quidem etiam antequam verbum faceret, subibat.

IN FAVILLA ET CINERE. Argutius illi, qui, *in favilla*, domi atque ante focum; *in cinere*, foris atque in pulvere interpretantur. Melius, qui universe atque generatim volunt decrevisse Jobum jacere in lacrymis & sordibus, ac versari. Finem hic esse versuum monet Hieronymus in præfatione ad hunc librum priore: *Parvum autem comma, quod remanet, prosa oratione contexitur.* Porro multa & apud Jobum & alibi in sacris literis extare scripta versibus, etsi certum puto; tamen non usque adeo clarum & evidens, etiam Hieronymi temporibus apparet fuisse: quippe qui hoc probandum putaverit auctoritatibus Philonis, Josephi, Origenis, Cæsariensis Eusebii. Neque enim quisquam nunc sanus probaverit Flaccum nostrum, Pindarumve aut Alcæum

 &

7. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphas Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

8. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

9. Abierunt ergo, Eliphas Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos: & suscepit Dominus faciem Job.

10. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis

7. Immundos cineres. Hæc postquam mutua dicta
Inter se Jobusque diu, Dominusque dedere;
Aggreditur Dominus Themanum denique regem,
Et tali cum voce: Tuis iratus amicis,
Ac tibi sum. Recti nihil estis quippe locuti,
8 Quale mihi Jobus meus est. Vos illius ite
Proinde domum: & septem tauris, septemque litate
Arietibus. vobis ea parva piacula sunto.
Me prece placabit vobis, atque illius ergo,
Stultitiæ veniam vestræ dabo. qualia namque
Ille mihi servus; vos talia nulla locuti.

9. Sic ait. Abscedunt propere, & mandata facessunt,
Themanum rex ipse Eliphas, rex ipse Suites
Baldadus, Namaathque tenet qui fertile Sophar.
Multa incusantem sese, pacemque rogantem
10. Respexit Dominus Jobum jam mitior æquo
Lumine, proque suis orantem audivit amicis.

Hinc

& Sappho condidisse carmen, siquidem oculis pateat etiam minus intelligentium.

7. Postquam autem locutus est Dominus. Hic demum actus ultimus est, vel potius epilogus totius quasi fabulæ. Convertit sermonem Deus ad unum ex amicis Jobi, atque tres objurgat asperioribus verbis, seque illis iratissimum profitetur. De quarto silet, vel quia jam reprehensus sit cap. xxxviii. v. 2. vel quod a recto minus aberrarit. Peccarunt alii tres in sermone, partim quod falsa quædam disseruerint, partim quod rei propositæ nullo modo convenientia: durius in Jobum, erga Deum minus fortasse pie. alia aliter prava atque vitiosa quæ supra diversis locis adnotata sunt. Contra vero Jobus absolvitur non quod nihil omnino loci dederit ad reprehendendum, quippe quem Deus multis quoque antea verbis castigarit: sed quia vel in sua causa necessario, vel in maximis & gravissimis malis suis, ut excusandus sit dolor, locutus sit: vel quia commodius de Deo, gravius, veriusque senserit; vel quod illum denique antedictorum pœnituerit, sique de se pœnas voluntarias, præter quas jam sustineret, sumpserit. Utut est, ita comparatur cum amicis, ut anteponatur, isque & recte, ut par erat, locutus de numine divino fuisse existimetur, illi secus.

8. Sumite ergo vobis septem tauros. Magna profecto ista placabilitas & clementia; magna. Irascitur & succenset Deus amicis Jobi, quos tamen viam & rationem placandi sui docet. Vide Tullium de legibus: *Iram deorum donis ne placanto.* Ex magnitudine sacrificii petit non nemo magnitudinem delictorum, quæ amici Jobi admisissent.

Septem tauros et septem arietes. Holocaustum. minime id ex præscripto legis. neque enim aut hoc sacrificii genus ad expiationem sceleris lex præscribit, aut ad placandum sibi leniendumque numen iratum. Ex quo ista ante legem omnia contigisse opinantur. ² Vide hic Mercerum, qui non semel fallitur. nam quod eo numero victimæ offeruntur, quo in lege, res est minimi momenti.

Ite ad servum meum Job. Non hoc ita intelligi par est, quasi jam cœtu dimisso, & separatim a Jobo hos ejus amicos Deus alloquatur. Sed illo sensu: Convertite ad Jobum vos, & victimas illi vestras sistite. Hic adire jubentur Jobum, non quo reconcilientur cum illo quem violarint: satis enim superque est, si cum Deo redeant in gratiam, quem iratum habeant: sed ut gratiam ille suam apud Deum interponat, eo deprecatore utantur.

Offerte holocaustum pro vobis. Hic illi quamvis minime sacerdotes offerunt pro se sacrificium. quo fere pacto Jobus cap. 1. v. 5. pro liberis offerebat, nihilo magis, quam isti, sacerdos. quanquam & hic quoque eum obtulisse, creatum a Deo sacerdotem, & huic muneri præpositum, auctor est in catena Basilius.

Faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur. Id est, rationem habebo illius, & vestram culpam, vestram erga me injuriam remittam ei, atque condonabo. Hebræa eodem recidunt: *Ut non faciam vobiscum stultitiam*: ne durius agam vobiscum, quam modo cum Jobo egistis. si similis esse vestri velim, & respondere vestris in Jobum meritis; ita faciam. sed ne faciam, Jobus interpellabit, dabo hoc ejus pro vobis precibus. Convenientius, opinor, hic, נבלה *nebala*, *stultitia*, quam fœditas aut ignominia redditur. quæ vox usurpata quoque eodem sensu c. ii. v. 10. *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.*

9. Abierunt ergo. Facile apparet disputatores istos neque admodum contumaces fuisse, qui statim, quod imperatum esset, fecerint; neque superbos, qui supplicare Jobo, ejus ope, gratia, commendatione apud Deum uti non recusarint. Animadvertendum quoque Deum interdum & libentius & facilius dare aliquid & concedere aliorum precibus, quam ultro nobis nemine interposito tribuere.

Ite ad servum meum Job. Cum Deus amicis Jobi negotium dedit, Jobum ut adirent, una eademque opera Jobo quamdam quasi necessitatem imposuit ignoscendi eisdem, quidquid in sa nimia disputandi pertinacia peccassent, suique cum illis reconciliandi.

Orabit pro vobis. Quid hoc fuit, nisi orabit pro inimicis, sive pro amicis, quos habuit adversarios, & iniquos, & vituperatores acerbos. Itaque voluit Deus, qui ante utramque legem, veterem & novam, & scriptam, a Mose, & traditam a Christo, quod in hac præcipuum difficillimumque est, Jobus exequeretur etiam tum ac repræsentaret, de se male meritis quasi beneficium daret, non excusatos modo, sed & sibi commendatos haberet, itemque Deo commendaret.

10. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job. Ex Hebræo ad verbum, *restituit*, seu *redire facit captivitatem Job.* Cum eadem hic verba sint quæ & Deut. xxx. v. 3. *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam*; & psalmo lii. versu ultimo: *Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ*; & psalmo cxxvi. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*; & Sophoniæ ii. v. 7. *Avertat captivitatem eorum*: verisimile est eandem quoque sententiam esse. Hoc igitur versu significatur toto: E captivitate reduxit Deus Jobum in veterem statum, ac duplo etiam meliorem. Captivitas autem dicitur Jobi, quod permissus dæmoni, & quasi addictus a Deo erat. aut captivitas dicetur id totum, quod captum est, eique ademptum, quod reddit Deus plus vice simplici; seu mensura remetitur multo cumulatiore. Interpres noster abest, qui suspicatus sit conversum Deum ad Jobi quasi conversionem seu reversionem, quam pœnitentiam appellavit.

Et addidit Dominus. Non tantum Deus Jobo, quod ablatum est, reddidit magno cum fœnore, sed quasi sortem & caput congeminavit. Est illud Origenis in catena non inconcinnum, duplicatam Jobo mercedem iden fuisse, quod virtutem duplicatam exhibuisset ferendo: cum alioquin Deus nova in lege non duplum modo, verum etiam centuplum polliceatur se pro præmio daturum. Jam quomodo Jobus quod duplum esset bonorum omnium, receperit, auctore ac restitutore Deo, patebit ex singulis separatim. Dici potest universe rem totam intelligendam esse latius, neque ad vivum resecandam. Primum enim non statim ac momento temporis transacta omnia. Deinde neque servi pastores, neque liberi, ad vitam excitati, quo redderentur protinus, atque in manum traderentur. Tum armentorum greges non iidem ad herum reducti, quasi servati essent ad tempus, qui periisse putarentur: quod fuit doctorum ex Hebræis quorumdam commentum ac somnium. Postremo non ædes exædificatæ de ime-

cis suis. Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Job, duplicia.

11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti qui noverant eum prius: & comederunt cum eo panem in domo ejus, & moverunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.

12. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ.

13. Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ.

14. Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Casiam, & nomen tertiæ Cornu stibii.

15. Non

Hinc onerat donis illum, sortemque remensus
Et novat antiquam, & duplicato fœnore reddit.

11. Convenere virum cuncti fratresque, sororesque,
Atque alii, noti quondam: mensæque volentes
Accubuere pari. Capita inclinasse subinde
Solando juvat, & cladi indoluisse priori
Nunc etiam. Quisque ex auro digressus inaurem,
Quisque & ovem grato pro munere donat habere.

12. Tum Jobi primis impensius ultima fata
Ire secundatum Deus, & successibus auctum.
Nec longum in medio tempus: bis millia septem
Fœtarum stabula alta tenent: sex mille cameli:
Mille boum juga: mille vagæ per pascua asellæ.
13. Eduxit natos septem, ternasque puellas.
14. Olli prima Dies: est altera Cassia dicta:
Tertia conjuncto stibii de nomine Cornu.

15. His

integro, quibus item facta sit adjunctio alterius domus. Satis superque est ad veritatem rei, si Jobo creverint opes in duplum, unde sumptus in rem suam, quos commodum esset, faceret; aleret & augeret familiam; emptione & fœtura suppleret gregem; ruinas sarciret ædium, aut de integro, si commodum esset, instauraret.

11. VENERUNT AUTEM AD EUM. Explicatius LXX. *Audierunt.* Ἤκουσαν δὲ πάντες πάντα τὰ συμβεβηκότα αὐτῷ, καὶ ἦλθον πρὸς αὐτόν. Audierunt isti, quid tandem? non infortunium Jobi: notaor enim, qui desertum eum esse passi sunt: sed reducem fortunam, & statum, in quo repositus erat, florentem. Hic amicorum infidelitas notatur: adversis rebus summa solitudo ab iis, & derelictio, atque interdum oppugnatio: secundis rebus, frequentes adsunt, colunt assidue, una epulantur, commutant cum iis capita, munusculis prosequuntur. Sed hoc vulgare & tritum; illud peculiare & insignius, quod Olympiodorus observat in catena, usque eo ἀμνησίκακον, sive immemorem injuriarum Jobum fuisse, ut amicos revisenter benigne & comiter exceperit: non excluserit, ut fieri mos est: non liberalitatem repudiarit, neque facessere a se jusserit: contra hanc eorum officiosam sedulitatem & solatii loco acceperit, & beneficium Dei interpretatus sit.

OMNES FRATRES SUI ET SORORES. Idem ait Olympiodorus, cognationem totam, fratrum & sororum nomine, in sacris literis, solere appellari. Vide in apostolis, qui fratres nominantur.

ET MOVERUNT CAPUT SUPER EUM. Nulla motio capitis aut in Hebraico textu, ubi est, *commoti sunt*, ינודו *ianudu*: aut apud LXX. ubi habetur, ἐθαύμασαν ἐπὶ πᾶσιν, &c. Quæ dum inter se conveniunt isto pacto: Commoti sunt stupore & admiratione tot casuum, tantæ vicissitudinis malorum & bonorum, aut etiam commiseratione, tam recenti memoria malorum: quod nihil est aliud, quam συμπάσχειν, ac participes se fuisse doloris ostendere. Hoc ipsum interpres noster quasi gestu expressum declarat, ut cum amicis, consolandi causa, admovemus caput propius, aut cum amplexantur inter se, & collimant capita. Alia est igitur ac ferme contraria hujus loci sententia, atque illius in capite XVI. v. 5. *Moverem caput meum super vos.* Quem locum inde repete ad conferendum.

DEDERUNT UNUSQUISQUE OVEM UNAM. Vocem Hebraicam קשיטה *keschita*, interpres noster ibi, ubi usurpatur, satis constanter reddit, hic ovem. Gen. XXXIII. 19. agnum. Josue XXIV. 32. ovem novellam. reddiderunt alii nummum seu numisma: ob eam fortasse rem, quod olim cum proprie venditio & emptio non fieret, sed permutatio res altera pro altera dabatur tanquam pretium, aut potius non moneta tunc pretium rerum omnium, sed pecus esset. Unusquisque ergo ex amicis Jobi contulit quasi symbolam ad epulas: quæ res etsi levis & exigua per se videatur, pro multitudine tamen ejus amicorum non habenda mediocris. hoc utilitatis causa ad convivium: illud quod sequitur, honoris.

INAUREM AUREAM UNAM. Quæ vox est in Hebræo נזם varie vertitur, ut sit ornamentum frontis, aurium, narium, colli. Hoc quidem loco Aquila & Theodotio ἐνώτιον χρυσοῦν, inaurem auream, ut noster interpres, esse voluerunt. Symmachus vero ἐπίθεμα, ornamentum narium. LXX. τετράδραχμον χρυσοῦ καὶ ἀσήμου, auri infecti quiddam pondo quatuor drachmarum. quæ sunt, quantum interpretari licet, septemdecim libræ cum solidis duodecim. Ac fortasse τετράδραχμον hic nummi genus, ut alibi nummus Asiaticus, sive etiam Atticus. Cassius apud Tull. l. ep. art. 13. Plinius lib. XII. cap. XXXVII. *In oriente quidem & viris, aurum gestare eo loci, decus existimatur.*

12. DOMINUS AUTEM BENEDIXIT NOVISSIMIS JOB. Quæcunque Jobi fuerant prius, fortunavit ea Deus & auctiora fecit, danda fœcunditate animantibus ad pariendum, agris & pascuis ad alendum: ut is paucis mensibus, an annis, ad fortunas duplo majores perveneris: quæ quidem præmia illi virtutis, cum virtutis antea instrumenta fuissent, fuerunt.

ET FACTA SUNT EI QUATUORDECIM MILLIA. Proferuntur hæc exempli gratia, quæ duplicata sunt: ut ex iis planum fiat, quam bene subductis omnibus summa conveniat ad numerum in ceteris.

13. ET FUERUNT EI SEPTEM FILII ET TRES FILIÆ. Totidem rursum suscepit liberos, quot habuerat antea, rebus integris & florentibus. Nihil hic dupli nactus est. Atque orbitas quidem aut sterilitas numeranda in malis: liberi in parte felicitatis ponendi: sed ita demum, ut quasi justa multitudo sit, intraque modum stet. Satis enim constat, si numero plures æquo sint, rem imminui parentum domesticam & familiarem tot educandis & collocandis deinde; itemque suam cuique decrescere hereditatem isto incremento. Non igitur beatior Jobus, si tanto prole auctior fuisset; sed haud paulo minus locuples: nec patrimonium tam lautum tamque copiosum futurum fuisse; sed eo minus eventurum singulis, quo in plures partiretur. Verius hoc videtur mihi, quam illud argutius, quod Basilio tribuitur in catena, damnum quidem Jobum fecisse in multiplici & diverso pecore, in ædibus, in possessionibus reliquis, quæ interiissent funditus, omnique ex parte, ac nullum jam usum haberent: at vero suos ei liberos non perisse, sed in cœlum præivisse, exspectaturos parentem: satis superque fuisse, si pari numero liberi non tam in alterum sufficerentur locum, quam adjungerentur prioribus, qui superstites quodammodo adhuc viverent. Quid si Jobi ipsius liberi liberos etiam ipsi reliquerant? Certe grandis jam tum natu & provectus ætate Jobus erat: ipsius liberi sui juris, qui nec una cum patre habitarent amplius, & mutua inter se convivia celebrarent suæ quisque domi, quibus etiam conviviis non interesset pater. Ut facile sit suspicari ab iis jam uxores ductas, liberos susceptos.

14. ET VOCAVIT NOMEN UNIUS DIEM. Omnium fere gentium & omnium ætatum est opinio consentiens, ominosum quiddam in utramque partem extare in nominibus, quiddam suave & jucundum, quiddam splendidum & illustre. quod ne a divinis quidem literis videtur alienum, ubi impositiones interdum nominum, mutationes, interpretationes certo, ut apparet, consilio, neque nulla ratione fiunt. Filias appellat Jobus iis nominibus, quæ præstantem formam notent earum. Appellata prima est non proprie dies, sed a die quasi diana, aut dialis, quod hujus singularis & eximia pulcritudo cum diei ac lucis conferri possit. Alteri Casiæ nomen fuit, ab unguentis bene olentibus. Casia, ut ait Servius, herba suavissimi odoris, de qua fit unguentum, unde

ublicis

15. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum.

16. Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem: & mortuus est senex & plenus dierum.

15. His non ulla tribus forma, vultuque decoro
Terra pares tulit. Heredes cum fratribus esse
In partemque dedit natas pater ire bonorum.
16. Bis septem lustris, bis & addidit altera septem
Demum: quamque sua felix, tam prole suorum,
Venit ad extremos, quarta jam stirpe, nepotes:
Effœtus donec, plenisque gravissimus annis,
Concessit tumulo, & facili se morte resolvit.

oblitis nitor accersitur. Tertiam vocavit pater cornu stibii, sic tanquam myrothecium aut narthecium, unde fucata medicamenta ad candorem & ruborem promi magna copia possint. nam cornu vel pro pyxide & arcula, seu alabastro, ubi unguentum. vel pro magna vi & copia, ut Horatianum illud, *pleno copia cornu*. Quemadmodum est casiæ usus aliquis ad ornatum muliebrem psalmo XLV. ita stibii lib. IV. reg. c. IV. in qua voce reddenda constat vetus interpres sibi. nam eamdem vocem eodem modo hic & illic adhibuit. Jam nihil est, quod ideo putes alias filias Jobi pigmentis fucoque muliebri. hoc potius intelligi par est suam illis naturalem formam pro medicata facie & omni adventitio ornatu fuisse. quo fere modo, venusta mulier, Venus ipsa: lepida, merus lepos dicitur.

15. NON SUNT AUTEM INVENTÆ. Apte igitur ac merito hæc puellis imposita nomina, quæ essent formosissimæ inter suos, sive cives, sive populares. Vide esse honorem huic quoque bono, quod munere & concessu Dei obtingat mortalibus. Est illud quidem periculosum minimeque diuturnum, tum infestum pudicitiæ, tum vero quasi fragile & caducum, & ab ætate mutabile. Audi Apuleii præclare in eam rem dictum: *Formosus est? exspecta paulisper, & non erit.* Sed tamen id boni quodammodo consecratum videmus in Esthere, in Judita, in Abigail; sive quod iis Deus, singularis beneficii loco, formam præter ceteras dederit; sive quod hanc ipsæ in optimos usus converterint.

DEDITQUE EIS PATER SUUS. Hoc est, pater ex æquo divisit liberis, maribus & puellis bona præter morem. non ita in alteris tribus, quas vocarent fratres ad convivium, exsortes ipsas nec invitaturas vicissim. Causa discriminis nulla affertur. Suspicari licet, vel quod tanto ditior factus, eo facilius istud puellis indulsisse, vel quod obsequentiores se patri ac valde morigeras præberent, eas patrem remuneratum esse: denique ob quidvis potius, quam ut formæ præstanti dos responderet.

16. VIXIT AUTEM JOB POST HÆC. Post hæc, id est, posteaquam tot tantisque malis Jobus perfunctus sit. Quod LXX. diserte exprimunt, μετὰ τὴν πληγήν. Pervenisse Jobum ad summam senectutem, habemus vel in eo, quod centum quadraginta annos expleverit vivendo, etiam post miserias & naufragia fortunarum omnium. Sed quandiu vixerit anteà, sive in miseria, seu rebus integris, non ita facile divinamus. Hoc si fuerit simplum illius, hoc est tantumdem antea, quantum post vixerit; summa existit annorum ducentorum & octoginta, prope incredibilis. Si duplum hic, ut in ceteris fuit, erit tolerabilis ratio computi, septuaginta anni, in totum ducenti & decem. veruntamen si agendum conjectura est, ne hominem quidem septuagenarium, satis jam laborantem sponte sua & quasi fatiscentem annis, placet occupari tot calamitatibus atque ærumnis, quibus ferendis id ætatis homo vix par esse videatur. Malim ego hunc, in medio ætatis vel flore vel robore tanquam deprehensum, bonorum fecisse jacturam, corpus & vires amisisse, tetro & multiplici morbo languentem a morte propius abfuisse: quo potissimum tempore vigeret, resque tota plus haberet novitatis atque admirationis ut, exempli causa, annos natus ætatis quadraginta novem, in tot, talia, tantaque inciderit; qui annus vitæ est unus omnium perfectissimus; anno consequenti toto passus ea sit, quæ passus dicitur; ac demum lætum & florentem statum, tristissimo illo & calamitosissimo mutaverit.

VIDIT FILIOS, USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM. Quartum genus cum dicitur, non numerandum a Jobo primum genus, sed a Jobi filio. nihil enim novi, parentes superstites usque eo frui posteritate sua: sed rarius, si a se numerent, interesse posteris suis, ad quintum usque gradum ætatis.

COMMENTARII, ET METAPHRASIS POETICÆ IN LIBRUM JOB FINIS.



PETRO

PETRO SEGUERIO

GALLIARUM CANCELLARIO

FRANCISCUS VAVASSOR

E SOCIET. JESU.



COmmendat alios quidem pietas in Deum, alios beneficentia in homines, alios doctrina denique literarum: tu vero tres unus has animi virtutes majores, VIR ILLUSTRISSIME, *commendas. Qui intelligunt homines politici, tantum esse tibi ab regni negotiis otii, ut singularem in modum pietatem colas: desinunt arbitrari, politicæ rei male cum divina convenire. Qui opulenti advertunt, sive publice, quæ nemo nescit, sive privatim, quæ taceri vis, nullum te finem de singulis facere bene merendi: persuadere incipiunt sibi, habere nihil magnas opes neque majus neque melius, quam ut impertiri pluribus possint. Jam, præterquam quod in jurisprudentia, in memoria vetustatis, in naturæ, morum, publicarum rerum contemplatione, ceterisque gravioribus disciplinis atque artibus semper ita versatus sis, ut excelleres: qui te studiosi doctrinarum ne a Latinis quidem numeris alienum norunt; hanc humanioris literaturæ particulam habere coguntur in pretio, neque id totum ignobile continuo putare viri, quod primum discere pueri cœperunt. In quo isti tam errabant vehementer, quam tu & hic, & ubivis plurimum vides. Etenim si Marcus olim Tullius, patrii sermonis cupidissimus alioquin amator, audientibus Romanis popularibus, carmen non dubitavit anteferre Græcum Latino, quod illud legeretur in omnibus fere gentibus, hoc suis finibus, exiguis sane, contineretur: quo loco fore Latina par est apud nos, quæ haud paulo latius ævo nostro patent, quam Græca Tulliano? Et, si vernaculis, quemadmodum ajunt rythmis, quos in morem corruptela linguarum induxit, laus est sua tamen atque merces; si vilis gratia non est locutionis, quam tanta vicissitudo excipit, ut hesternos hodierni scriptores rideant, risum iidem crastinis debeant: quo nobis in honore princeps esse lingua debet, quæ licet intermortua dudum sit, imitatione veterum reviviscit identidem, tantoque felicius, quanto ab omni mutationis periculo securius, crescendo vires acquirit. Accipe igitur,* VIR ILLUSTRISSIME. *pro pietate eximia tua, sacrum; pro multiplici eruditione, Latinum ac poeticum; pro assiduis cum erga universos, tum in Ordinem nostrum meritis, debitum libellum. qui tibi si per se placet, sat amplus: sin minus, videri possit etiam placendi voluntate non ingratus. Fixæ Andegavorem Cal. Decemb.* CIↃ IↃ C XXXVII.

AD ERUDITUM LECTOREM.

IN hoc opuſculo parvo quid ſecutus ſim, te ſcire, LECTOR, intereſt utriuſque noſtrum: ne aut a me fruſtra exſpectes, quod præſtare nolui; aut immerito exigas, quod non debui. Propoſitum mihi fuit ab initio, has ut ſacras literas quam fideliſſime interpretarer: ideoque potius metaphraſim tibi, quam paraphraſim exhiberem. Ad eam rem Hebræa cum Græcis, cum Latinis utraque contuli. Hæc interdum tria poſui. Unum e tribus ſæpe feci. Nunquam vulgatam, quam appellant, editionem non reddidi. De meo ſi quid adjeci denique, nihil huc, niſi paululum quiddam vel nexus & copulæ cauſa, vel perſpicuitatis, adjiciendum putavi. Quo factum, ut, cum Latini interpretis ordinem, inter puncta, voces ipſas, quoad licuit, retinuerim; tum quodlibet, ut dicitur, comma, quamvis longum verbis, multiplexque ſententiis, uno verſu, alterove, aut ad ſummum tertio, plerumque incluſerim. Atque hoc quidem primum. Quid deinde? Latine loqui & poetice ſum conatus, hoc eſt, puritati dictionis inſervire ſtudui ſine humilitate, granditati, ſine tumore. Fuit vero præcipue cordi artificium omne vel peregrinum, vel juvenile, vel quoquo modo profanum excludere: ſic, ut videri mallem inornatus, dum facili munditia lautus forem; quam copioſus & abundans, ſi neque ſatis preſſus & aptus verbis, neque ſimplicitati rerum conſentaneus, aut omnino parum retinens decori eſſem. Hæc, erudite Lector, volui: ne forte ſis neſcius. Quid aſſecutus ſim, tuum, qui advertere & intelligere facile potes, judicium eſto.

Inter editas Dionyſii Petavii epiſtolas, omiſſa poſt vigeſimam nonam libri tertii epiſtola.

FRANCISCO VAVASSORI ſocietatis JESU.

Fixam Andegavorum.

NE in hujus epiſtolæ me ſine pœniteret, itidem ut te ſcribis, non Latine tecum egiſſe, hoc ipſum ſubinde inſtitui facere. Ita abs te ſimiles eliciam, quæ jamdudum conticeſcunt. Negotium, quod mihi per P. Dorizium mandaveras, curavi ſedule; &, ut ſpero, immo, ut jam ſcire debes, exitum res habebit. Tu fac modo, magno & erecto animo ſis, nec tibi τ̃ μακρῶν αὐλῶν tædium ſubrepat: quod præ te ferre videbare poſtremis tuis literis. Flagitium feceris, ſi id, quod oſtenbebas, tute tibi conſilii ceperis. Sed hæc μυστικώτερα, quæ coram una noſtra ſuburbana inambulatio plenius exequetur. *Jobus tuus hic conſenſu omnium approbatur*. ſed in moleſta & a Muſis aliena incidit tempora. Mihi ſi credis, tantiſper τὴν ποιητικὴν ſepones, & te lectioni Veterum eruditionique dabis. De novo declamatore gratulor, quem tibi commendo. Vale, mi Pater, & βραχυλογίαν noſtram, quam a me anguſtiæ temporis exprimunt, cave imitandam putes. Plurimum me tuis SS. SS. ac precibus commendo. Pariſiis x. Cal. Mart. CIƆ IƆ CXXXVIII.

FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS

E SOCIETATE JESU

COMMENTARIUS

IN

OSEAM PROPHETAM

ARGUMENTUM IN OSEE.

Coepit *res futuras Osee prædicere primum, Ozia rege Judæ. Qui si antea cœpisset, non jam esset perscriptum tantummodo*, in diebus Oziæ, Joathan &c; *sed* in diebus Amasiæ, Oziæ &c. *propterea quod Amasiæ Ozias successit, cujus etiam tempore Osee vaticinatus fuerit, si ante Oziam cœperit. Jam cum ex sacris constet literis Oziam inivisse principatum, cum jam Jeroboamus rex Israelis 27^m annum regnaret, sequitur ut non ante provectam eam ætatem regis, Osee cœperit. Jam quo Oziæ anno, quo Jeroboami, incertum, & Jeroboamus quidem regnavit annis uno & quadraginta, quo fit ut* 14. *annis una cum Ozia rege vixerit, quo annorum intervallo necesse fit Osee primo functum vaticinandi munere.*

Multo est incertius, quo usque processerit vel vivendo, vel vaticinando. Nam cum viginti novem annos Ezechias regnarit, quo postremum rege Osee fuit, divinare non est facile, primisne an ultimis illius regis temporibus excesserit e vita.

Quare quod ait Hieronymus, Osee etiam post captivitatem Israel vaticinatum, & tam vicinam quam præsentem & præteritam & denunciasse venturam & luxisse ingruentem & in emendationem Judæ retexuisse præterita, *gravis est quidem auctor: sed ipse, opinor, non habet auctorem: fieri siquidem potuit, ut ante annum Ezechiæ sextum desierit vivere, quo anno, ut idem ait, decem tribus quæ appellabantur Israel, captæ sunt à Salmanazar rege Chaldæorum & in montibus Medorum collocatæ.*

Osee porrò ex oppido Belemoth, quod est in tribu Issachar, cum ad omnes sæpe tribus & ambos populos sermonem habet, tum ad decem tribus præcipue, quarum servitutem perpetuam & exitium prænuntiat fore. Et quidem primo statim capite est informatio totius vaticinii; & brevis quædam rerum omnium comprehensio. Jubetur enim propheta Gomer Scortum in matrimonium ducere atque operam dare liberis. Ex ea tres suscepit: primogenito nomen Jezraelis filiæ, cujus misericordia non sit, *tertio*, non populi mei, *imposuit. Quæ nomina, ut fere alias semper, rem continent ac decla-*

declarant. Primum enim Israelitæ, quasi progenies Dei. Tum maximis delictis suis nullam misericordiam Dei consequentur; neque enim futurum est ut decem unquam tribus vindicentur in libertatem, cum contra duabus spes sit ut restituantur in integrum Deo miserante. Ad extremum tempus erit, cum omnes unius quasi capitis principatu & ditione, Christi tenebuntur.

IN CAPUT PRIMUM.

vs. 1. *N diebus Jeroboam.* Unus hic duntaxat appellatur rex Israelis, cum reges Judæ recenseantur quatuor. Causa afferri probabilior nulla potest, quam quod appellari debuerint primum reges quatuor, totum ut tempus notaretur, ac definiretur quo tempore vaticinatus Osee est. Nunc autem appellato Judæ rege uno, cum sex eum reliqui secuti quatuor illis respondeant diuturnitate regnandi, fuerintque reges Israelis præterea nulli; neque tot nominari necesse fuit, neque omnes. Quare cum dixit Osee *vaticinari cœpisse* Jeroboamo rege, ita dixit, quasi diceret, Jeroboamo rege & ceteris ad unum omnibus.

2. *Vade, sume tibi.* Quæri video, utrum objecta sit ea species Osee in somnis, imperaritque Deus, non ad præcepti observationem, sed ad rei cujuspiam alterius significationem & similitudinem. Non videtur dubium, quin Hieronymus existimet, adumbrata ista esse specie quadam, non revera gesta & perfecta. Nam in præfat. *Alioquin*, inquit, *si omnia quæ præcipiuntur ob causas ut in similitudinem fiant, vere facta contendimus*, &c. Tum paucis post verbis: *Si illud in typo, quia fieri non potuit, ergo & hoc in typo, quia si fiat, turpissimum est. Sed respondebis, Deo jubente nihil turpe est, & nos dicimus, nihil Deus præcipit, nisi quod honestum est: nec jubendo turpia, facit honesta, quæ turpia sunt. Sed quia scimus nihil Deum velle nisi quod honestum est, hoc præcipit quod honestum est.* Contra autem in commentario, versu isto secundo. *Nec culpandus*, inquit, *propheta; interim ut sequamur historiam, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit*, &c.

4. *Visitabo sanguinem Jezrael super domum Jehu.* Vel universe, ulciscar posteros Jehu propter idololatriam Israelitarum, qui horum regum exemplo & auctoritate peccarint. Et vero ita factum. Nam Zacharias, qui quartus a Jehu numeratur, illius ultimus familiæ fuit, translato ad alios regno. Quare quod quatuor ex eadem domo reges præfuerunt regali potestate Israeli, id in beneficii parte numerandum, ut hoc revera Jehu Deus in beneficii gratiæque loco concessit. quod privata tandem est ea regno familia, adscribendum sceleribus omnium illorum, qui idololatria sua non discesserint. Igitur *vindicabo sanguinem*, id est, pestem & exitium, quod scelus invexit; *Jezrael* id est, Israel.

Jam speciatim si quid hic alluditur, respectusque habetur ad Jezrael, alteram decem tribuum metropolim, in qua est Naboth interemptus, multo est iste locus difficilior, qui sic expediri nihilominus potest. Jehu ultus est necem Naboth Jezraelitæ, idque Dei jussu. Pœnas hujus cædis gravissimas dederunt, Achab, & liberi ejus omnes. Nihilominus ipse Jehu peccavit, quod plecti possint ac debeant ejus posteri. Ait igitur Dominus se renovaturum exemplum Jehu, & quemadmodum is supplicium sumpsit de Achabi tota domo, ita se pœnas repetiturum ab Jehu, familiaque illius. Quasi dicat; vindices & ultores meos, quos aliorum exemplo sapere oportuit, cum nihilo tamen meliores multis in rebus fuerint, ulciscar ipse, & eorum impietatem vindicabo.

Et quiescere faciam regnum Israel. Grave illud quidem, quod Osee prædicit fore ut omnis Jehu familia pereat tandem, priveturque regno, sed multo illud gravius quod regnum funditus eversum iri denunciat. Itaque evenit, quadraginta novem circiter post annis. A Zacharia enim Jeroboami filio, qui de stirpe Jehu ultimus rex Israelis fuit ad Osee nonum annum, quo anno decem sunt tribus abductæ in servitutem, quadraginta novem anni interfluxerunt.

5. *Et in illa die conteram arcum Israel.* Multam Israelitis cladem Assyrii attulerunt. *Primum enim*, inquit Hieronymus, *ceperunt Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, quæ erant trans Jordanem: & deinde multas civitates Samariæ, & deinde totam Nephtalim, ad extremum omnes reliquas tribus.*

In valle Jezrael. Non satis apparet, quomodo eo, qui notatur, loco fecerint Assurii prælium cum Israelitis, quos tum quidem continuerunt ac domuerunt, obsessa per tres annos Samaria, tandemque capta, sed nequaquam in valle Jezrael. Ad hujus expositionem atque intelligentiam loci repetere duo memoria oportet, alterum ex sacris literis, alterum à Sancto Hieronymo; prius, non abfuisse Jezraelem Samaria iter unius diei, siquidem ab altera urbe ad alteram iri eadem die, redirique posset. Patet hoc ex quarto regum libro cap. x. *Tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Jezrael.* Dabat Jehu videlicet has literas Jezraele ad Samaritanos, quibus ut se postridie illo ipso temporis articulo convenirent postulabat. Eo porro certos homines cum mitteret, venire oportuit Samariam, tum Samaria cives proficisci ac Jezraelem ad Jehu pervenire.

Posterius, Hieronymus tradit vallem Jezraelis patere in omnem partem quam latissime, atque

ad-

ad decem millia amplius passuum pertinere ac velut explicari. Hieronymus hic: *Supra diximus Jezraelem — fuisse metropolim regni Samariæ, prope quam sunt campi latissimi, & valles nimiæ vastitatis, quæ plus quam decem millium passibus tenditur.* Quo utroque positio verisimile est Israelitarum copias, sive quæ venirent auxilio, sive quæ ab obsessis emitterentur ad hostem repellendum fractas ibi, id est, in valle Jezrael, ac deletas fuisse, nec tamen procul ab urbe Samaria præliantes. Quanquam asserit quoque & plus quam probabile existimat. *In hac*, inquit, *commisso certamine, ab Assyriis cæsus est Israel.* Atque haud scio an illa tum cædes edita intelligatur, cum ad urbem antequam exercitum admoveret, pervagatus est omnem terram; & ascendens Samariam obsedit eam tribus annis. 4. Reg. 17. 5.

6. *Voca nomen ejus, absque misericordia.* Nomine eo Israel appellatur, quod significat fore, ut suam Deus misericordiam ei numquam posthac tribuat. Non tribuit vero, ut posterius dicitur, *Non addam ultra misereri*, quia regnum Israelis semel eversum, in antiquum statum non restituit; contraquam regno Judæ contigit, ut versu dicitur sequenti.

7. *Non salvabo eos in arcu*, &c. Cum id factum persæpe, ut viribus multo inferiores vincerent tamen Judæi: tum maxime, id quod hoc loco Osee prædicit; Judæi superiores discesserunt, occisis ab Angelo Dei jussu centum octoginta quinque millibus Assyriorum, qui Jerosolymam obsedissent. 4. Reg. 19. 32. Qua horribili strage suorum rex Sennacherib deterritus domum rediit, ibique immani liberorum parricidio periit.

9. *Voca nomen ejus, non populus meus.* Ut duo liberi priores unum idemque Israelis regnum, ita hic tertius filius, id quoque regnum, sed pro vario statu & conditione præsignificat. Erant enim Israelitæ primum quoddam quasi semen Dei, tum propter maleficia misetatione nulla divina sublevati, sed destituti omnino. Postremo quos Deus in numero suorum non haberet.

10. *Et erit numerus filiorum Israel.* Qui vertere solum coacti sunt, & alio deducti tanquam coloni, id est, decem tribus. creverunt nihilominus in immensam multitudinem, ibique, ubi magno numero degerent, fusi per orbem terrarum, ac dispersi, ac satis testificarentur se populum Dei nequaquam esse, qui tot opprimerentur malis, novam tandem legem Christi & imperium admittent, filiique Dei appellabuntur vel singillatim de tribus decem, vel universe de tribus duodecim, vel de Israelis & Judæ tribubus pariter & gentibus, qui omnes Abrahæ filii, non secundum carnem, sed secundum fidem & promissionem. Abrahamus enim pater est omnium credentium.

4. *Et congregabuntur filii Juda.* Quæ decem tribus semel ab aliis discesserunt, non convenient iterum, aut conjungentur, nec, quandiu integræ perstiterint, & quoquo modo florentes, nec postea quidem cum sub jugum & potestatem Assyriorum venerint. Quando igitur? Cum Christus venerit, quem sibi ex utraque parte ducem & principem constituent, cujus nutu & ditione tanquam capite membra copulata inter se & consociata contineantur. Neque vero aliud est tempus, quo tempore perfectum id, quod prædicitur, esse Judæi possint ostendere.

Consentiunt etiam interpretes non hic agi modo de Judæis, qui præficiant sibi ducem, sed etiam de gentibus, quæ idem quoque caput agnoscant ac venerentur. De quo nefas est homini quidem Christiano dubitare, cum Paulus ita interpretetur ad Rom. c. 9. 24. *Quos & vocavit nos, non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit:* Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, &c.

IN CAPUT II.

LÆTA fere semper tristibus ita miscere solent prophetæ, ut tristia primum denuncient, tum læta adpromittant fore. Fecit hoc utrumque Osee primo capite. idem secundo facit. Ad decimum enim quartum versum admonet & objurgat Israelem, sive Synagogam, quæ non tantum scortata sit, ac licentius, cum sui juris esset, vixerit, verum etiam fidem viro datam fefellerit, adulteriumque non unum commiserit.

1. *Dicite.* Compellantur duæ tribus, ut decem admoneant ne desperent, & ad officium redire compellant.

2. *Judicate matrem vestram.* Magna viri bonitas, magna fiducia causæ. permittit liberis judicium matris; neque dubitat quin eam, usque eo nocentem, condemnaturi sint.

3. *Ne forte exspoliem eam.* Mirandæ cujusdam est istud bonitatis ac clementiæ in viro, non scortationes ulcisci uxoris, non adulteria. Sed satis habere, si desistat: ac tantum si perseveret in flagitiis, pœnam minari. Pœna autem est, si quod dedit, auferat, & qui omnia dedit, omnia auferat pro jure suo. Mundo muliebri, videlicet, & omni suo ornatu spoliaturum & se nudaturum, tamque egentem rerum omnium & vacuam facturum, quam cum primum nasceretur fuit.

4. *Et filiorum illius non miserebor.* Ait se repetiturum pœnas materni flagitii etiam a liberis. cum secus olim fecerit in iis, ut Hieronymus observat, qui servitute liberati Ægyptiorum sunt. Interfectis enim parentibus non est solum ignotum liberis, sed iis etiam ingressus in promissam terram patuit.

5. *Vadam post amatores meos.* Vide Ezech. c. 16. 33. Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, &c. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum, in fornicationibus tuis, in eo enim quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.

Qui dant panes mihi. Est hoc non grati animi, sed stupidi, agnoscere ibi, ubi non est beneficium. Cujus vero fuit, quod a Deo uno acciperent, id acceptum idolis ferre.? Atqui fecerunt hoc sæpe Judæi, ut Diis fictis & commentitiis tribuerent eadem illa, quorum Deus auctor esset. Vide Jerem. 44. 17. *Sed facientes faciemus*, &c. Hieronymus-

nymus hic: *Vadam ad idola, quæ mihi & ad victum & ad vestitum necessaria præbuerunt.*

7. *Vadam, & revertar ad virum meum priorem.* Eo sunt adducti malis, ut illos vitæ prioris tædeat. παθήματα, μαθήματα. erudimur, videlicet, malis.

8. *Et hæc nescivit.* Responderit ista superioribus, *Qui dant panes mihi*, &c. Non cogitavit multo se plura & potiora a Deo, quam ab amatoribus habere suis, usque eo ingrata, ut aurum & argentum sibi concessum a Deo contra Deum converterit idolis faciendis.

Quæ fecerunt Baal. Multa hoc loco observanda veniunt & apud Hieronymum in vers. 16. & apud Servium in I. Aen. 1. Ex Hieronymo Baal esse dæmonem Sidoniorum, vel verius Babyloniorum. 2. Belum Assyriorum regem relatum in Deos, Hebraice בל *Bel* dici. 3. Hunc a Sidoniis & Phœnicibus appellari בעל. *eadem enim*, inquit, *inter* ב *&* ל *literas consonantes*, ע *vocalis litera ponitur, quæ juxta linguæ illius proprietatem nunc Beel, nunc Baal legitur.* Ex Servio, lingua Punica *Bal* Deum dici. 2. Apud Assyrios *Bel* dici quadam sacrorum ratione & Saturnum & Solem. 3. Assyrios Saturnum quem & Solem dicunt, Junonemque coluisse, quæ nomina etiam apud Afros postea culta sunt.

4. *Sumam frumentum meum in tempore suo.* Non modo Deus multis difficultatibus obseptum iter tenet improborum, eisque murum eunnbus objicit, ut retrogredi, velint nolint, cogantur, sed & eos omni privat agrorum fructu, & annona etiam tunc cum percepturi sunt & condituri sunt in horreum, quod est acerbius ad dolorem. Vide Hieronymum.

Liberabo lanam meam. Id est, adimam suam illis vestem. Erat enim illis usui lana, quam dederam, & quodammodo serviebat. Nunc quasi servitute liberabo, ab eoque usu tam turpi abstraham. Hieronymus: *Quæ omnia auferet Deus, ut qui ex copia datorem non senserant, sentiant ex inopia.*

10. *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus.* Hieronymus in LXX. quidem τὴν ἀκαθαρσίαν reddit *immunditiam*, ipse vero Hebraici contextus נַבְלֻתָהּ *vilitatem ejus*, interpretatur, per quam operata est turpitudinem. Quid si immunditia & sordes ejus hic notantur? His enim mulierculis, nihil immundius domi, nihil sordidius, quæ placere tamen student amatoribus vel munditia & cultu curaque corporis. Vide *Plautum* & *Terentium*. Significat igitur Deus se facturum ut ea displiceat maxime, quæ hoc agebat inprimis ut placeret.

Vir non eruet eam. Hebræorum more, *vir* pro quisquam. vel *vir non*, pro nemo. ut LXX. καὶ οὐδεὶς οὐ μὴ ἐξέληται. Nemo autem eruet, id est, nemo obstabit, quominus sic meritam puniam.

Et cessare faciam. Vere & proprie. in servitutem enim tradita Babyloniis non annuos dies festos paschæ, pentecostes, tabernaculorum, non menstruos, non cujusque hebdomadis agere potuit. Quod cum est grave cunctis, tum mulieribus odiosum, quas vacui & otiosi dies valde delectant. Vide Terentium.

12. *Et corrumpam vineam ejus, & ficum ejus.* Quæ duo habebat in deliciis, hæc illi Deus adimit, nec tantum quod ad præsentem fructum, ut supra versu 9°. cum frumenti & vini vim interverteret ipse, sibique sumeret, sed etiam in reliquum omne tempus, cum & vincta se eversurum & arbores pomiferas minetur Jure autem ac merito Deus hæc isti eripit, quæ Deo ipsa jam quodammodo eripuit, cum quidem ab ipso accepta, alteri per summam stoliditatem attribuat, immo vero sibi vindicet, quasi quæstum hunc corpore fecerit.

Ponam eam in saltum. Hieronymus hic: *Pro saltu quoque, quod Hebraice dicitur* יער LXX. *transtulerunt testimonium*, ר & ד *literarum falsi similitudine. Si enim pro* ר *legatur* ד, *testimonium dicitur: ita duntaxat, ut* י *litera non præcedat:* Quo ex loco Hieronymi licet intelligere, non tantum hunc LXX. interpretibus tribuere, quantum vulgo tribui solet, neque existimare, afflatos a Deo, & quasi θεοδιδάκτως reddidisse Hebraica Græce, qui errorem illis adscribit. nedum alios ab aliis separatim, iisdem prorsus verbis singulos omnia expressisse. Hæc autem loci sententia est ex Hieronymo: *Tunc nequaquam habebit arbores pomiferas, sed omnia vertentur in saltum.*

Comedet eam bestia agri. Consentaneum erat, ut qui saltus agerque communis effectus esset, depasceretur a pecore. In has multas & magnas calamitates, quarum fuit Osee prænuncius, Judæa incidit, neque ullam partem effugit prædictorum. *Eam*, inquit Hieronymus, *devoraverunt primum Assyrii atque Chaldæi, Medi, & Persæ, & Macedones: ad extremum sævissima laceravit bestia, Romanorum imperium.*

13. *Et visitabo super eam dies Baalim.* Mens est hæc ex sententia Hieronymi, ut illis diebus, quos festos & solennes nomine Baal ageret, pœnas Deo penderet. Quod non videtur necesse, cum satis sit dici; repetam ab impiis Judæis illorum dierum pœnas, quos colendis & venerandis unius Baal plurimis simulacris constitutos esse ac dedicatos voluerunt.

14. *Propter hoc, ecce ego*, &c. Non est ex interpretibus, qui nexum hunc & vinculum edisserat, ut qui ulciscitur tam multis malis, nunc propterea & lactet, & ducat in solitudinem, id est, bene illi facere incipiat. Potest forsan hic nodus sic dissolvi, quasi Deus dicat; Quia jam satis ultus sum Judæos, meque severum erga eos & vehementem præbui, ideo nunc placet cum iis agere remissius, eos quoquo modo allicere, seductos alloqui privatim & in animos influere.

15. *Et dabo eis vinitores ejus ex eodem loco.* Locus perdifficilis, qui sic à nobis commode, quantum existimare possumus, explanabitur. Ducam eos quidem in solitudinem, sed non ut in illam priorem desertam & inopem rerum omnium. jam enim ab ipsa solitudine vinitores illis sui & vineæ non deerunt. vallis quoque erit Achor, non quæ eos conturbet, ut hæc olim conturbavit (vide Jos. c. 7. v. 24. 25.) quod ipsa vocis significatio indicabat; verum quæ magnum habere animum, & spem bonam jubeat. Aliter Hieronymus exponit, ex eodem loco; vult enim Judæis ex sua gente dari vinitores. quæ ipsum ad Apostolos transfert, qui vineam, id est, Synagogam, sive quæ successit huic, Ecclesiam primi excoluerint.

Et canet ibi juxta dies juventutis suæ. Hebræi וְעָנְתָה LXX. ταπεινωθήσεται. Symmachus κακωθήσεται

ϑήσεται

θήσεται. Theodotio ἀποκριθήσεται. Aquila ὑπακούσει. Hieronymus ab Hebræo se τὸ ᾄδειν magis accepisse ait, atque esse, *præcinet*. Ceterorum autem expositiones, quamvis diversas, conciliat cum sua, apte quidem Theodotionis & Aquilæ, minus convenienter LXX. & Symmachi. Sententia est, fore, ut quemadmodum in ipso ex Ægypto discessu, Pharaone nequicquam insequente, immo deprehenso in medio mari, & submerso fluctibus, tum Moses carmen cecinit una cum viris, tum Maria soror cum mulieribus, exsultantes gaudio; ita ipsi gestiant lætitia & triumphent. Cum autem Maria præiret illis carmen, dicitur וַתַּעַן eadem voce, qua hic Osee usus est, adeoque eadem vocis potestate & significatu. Vide Exod xv.

16. *Vocabit me vir meus, & non vocabit me Baali*. Vera & unica expositio Hieronymi. Cum utroque sermone אישי & בעלי appelletur vir meus, sive maritus meus, tantum odi idolorum nomina, ut etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem & verbi similitudinem nequaquam velim dici, sed appellari me אישי magis, quam בעלי: ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, & virum nominans, idolum cogitet. Quæ tamen exponendi ratio vix habere locum potest in LXX, ubi legitur non Βααλεὶ, sed Βααλεῖμ.

18. *Et percutiam cum eis fœdus*. Ex pacto illo cum hominibus fœdera existent ista, ut neque infestis animantibus utantur, neque ipsæ inter se animantes ullas inimicitias exerceant, agnis cum lupo conveniat &c. ut Hieronymus edisserit; nec sit ullus amplius usus armorum; & summa sit securitas ad dormiendum.

19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum*. Enucleate & subtiliter Hieronymus triplicem desponsionem, quæ diversis temporibus tribus locum habuerit. *Primo*, inquit, *despondit eam in Abraham, sive in Ægypto, ut uxorem habeat sempiternam. Secundo in monte Sinai, daas ei pro sponsalibus legis justitiam atque judicium, & legi junctam misericordiam: ut quando peccaverit, tradatur captivitati: cum egerit pœnitentiam, revocetur in patriam, & misericordiam consequatur. — Novissime venit Dei filius, Dominus Jesus: quo crucifixo & a mortuis resurgente, desponsatur nequaquam in Legis justitia, sed in fide & gratia Evangelii*: ut cum *cognoverit unigenitum, cognoscat & patrem*. Idem Hieronymus duo quædam, quæ ad mores spectent, hic observat unum: *O quanta*, inquit, *clementia Dei! meretrix quæ cum multis amatoribus fornicata est, & ob hoc crimen bestiis tradita: postquam revertitur ad virum, nequaquam reconciliari ei dicitur, sed desponderi*. Alterum: *Vide quid sit inter Dei conjunctionem & hominum: homo cum uxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id est, non virginem. Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in virgines*.

21. *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram*. Non est in profanis scriptoribus, ac ne in poëtis quidem, quidquam, quo summa fertilitas terræ, frugumque ubertas & copia significantius exprimatur. Quasi enim cœlum Deo supplicaret, terra cœlo, fruges terræ, & quod cujusque est alius ab alio postularet, facit preces singulorum audiri, & rerum copiam suppeditari. Proxima sunt, sed longo intervallo proxima, quæ de Nilo agros fœcundante, poëta.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres:
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Tibull. Lib. 1. El. 8.

IN CAPUT III.

EST hic non de Tribubus decem, ut antea; nec de ducibus, sed de tota Judæorum multitudine sermo. Jubetur autem Osee iterum se conferre ad mulierem, non scortum, ut ducat uxorem, sed adulteram, ut abducat ab adulterio tantum.

1. *Dilectam amico*. Vel *dilectam amico*, רֵעַ a רָעָה *socium se, amicum præbere*. vel *diligentem mala* רַע a רָעַע *malam esse* quam alteram lectionem secuti sunt LXX. ἀγαπῶσαν πονηρά.

Sicut diligit Dominus filios Israel. Vetat hic locus dubitare, quin adultera hæc Synagogam repræsentet, quam Deus amet, a qua non redametur tamen, cum se totam ad falsos & inanes Deos converterit.

Diligunt vinacia uvarum. אֲשִׁישֵׁי Hieronymus reddit *vinacia*, qui sunt acini expresso ex uvis vino relicti, proque ipsa fæce sumi possunt. Recentes interpretes reddunt אֲשִׁישִׁים, *lagenas* LXX. πέμματα μετὰ σταφίδων, quæ idem Hieronymus interpretatur πόπανα, sive *placentas aut crustulas*, quæ idolis offerrentur. Atque hæc omnia idololatriæ cum tribuat, videtur tamen aliquid innuere aliud, qui dicat, *Pemmata*, quæ LXX. transtulerunt, & comeduntur cum uvis passis sive vinaciis, ut non jam libationes & epulæ sacrorum, sed gula & deliciæ notentur quod est iis magis consentaneum; qui lagenas quoque exponunt.

2. *Et fodi eam*. LXX. ἐμισθωσάμην. Si *fodi* sumitur, quasi de vinea dictum, puta, ut sæpe in prophetis. Si *conduxi*: est, pretium ei numeravit, quo ab adultero disjungeret, non quo sibi eam conditionem quæreret. ne, si quæstu & lucro duceretur, non haberet quo se solaretur, aut haberet quod inopiam excusaret.

Quindecim argenteis. Argenti nummis, id est, drachmis, aut denariis. idem enim fere tria hæc, argenti nummi, drachmæ, denarii valent, id est, octo quisque nostrates solidos. vide *Gavotum*.

Et coro hordei, & dimidio coro hordei. Corus triginta habebat modos, ex Ezechiele & Evangelio. vide Hieronymum. LXX. habent γομὸρ, in Hebræo לֶתֶךְ. LXX. dimidium eorum non habent, sed νέβελ οἴνου. quod interpretatur Hieronymus *mensuram plenam atque perfectam*. quanquam est hæc fortasse non tam vocis vera expositio, quam allegoria quædam a re ducta.

Sine causa hic mihi videntur laborare, qui Romanas nuptias, quæ per coemptionem fierent, transferunt ad Hebræos. dissimilia multa. quæ similia, omnium sunt gentium communia, ut uxor dotem afferat, maritus præter patrimonium dona conferat ad nuptias.

Quindecim argenteos. Hieronymus refert ad id quod quintadecima die illucescente mensis Nisan percussa sunt Ægyptiorum primogenita, & Israelis de Ægypto eductus est populus, ac in servitutem Dei mercede conductus. *Quadraginta* vero

quinque hordei modios eo vult pertinere, quod quadragesimo quinto die ad montem Sina pervenit populus &c.

3. *Dies multos exspectabis me.* Etsi compararit uxorem sibi pretio, ut non jam ea sit alterius, non parentum, non aliorum; significat tamen nondum proprie esse viri, sed in exspectatione futuram itidem ut vir in exspectatione fuit. Hoc ipsum satis clare exprimitur his verbis: *non fornicaberis, & non eris viro.* quod in Judæos, ut olim, ita nunc belle eadit. Abstinent illi quidem se ab idolorum impurissimo cultu: non tamen verum numen ac Messiam suum, ut par est, agnoscunt atque venerantur.

4. *Quia dies multos sedebunt filii Israel.* Nulla in prædictionibus sacrorum vatum reperietur, quam magis exitus comprobarit. Judæi Babylonicam servitutem 70 annorum censent prædici, quo tempore hæc illis omnia sacra deerant. Nos, qui hoc non negamus, verius illud esse affirmamus destitutionem Judaici populi significatam, qui principe & sacris careat etiam nunc tamdiu. Hic Hieronymus: *Post passionem Domini Salvatoris usque in præsentem diem, paulo minus quadringentesimus annus expletur.* qui a Christo nato non numerat, sed a passo. deinde exquirendum quo hæc tempore scripserit, ei ne conveniat nobiscum de annorum ratione.

Sine rege. Qui tum demum defecit, ut prædictum erat Gen. 49. cum venit Christus, & *Herodes* alienigena & proselytus suscepit imperium. *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniet cui repositum est: & ipse erit exspectatio gentium.*

Sine ephod & sine theraphim. אפוד Hebræis, ἐπωμίς LXX. id est, *superhumerale.* Aquilæ ἐπένδυμα. תרפים, proprie μορφώματα, *figura, simulacra,* quæ hoc loco Cherubin & Seraphim, sive alia templi ornamenta.

Pro eo utroque LXX. habent ἱερατείας & δήλων. Aquila φωτισμούς. quæ sunt ἐν λογίῳ, in rationali. ἀλήθεια καὶ φωτισμοί.

7. *Et post hæc revertentur.* Longo post intervallo resipiscent, & ad officium redibunt, & verum Deum, ejusque filium qui de stirpe David generatus sit, agnoscent ac venerabuntur. ut ista respondeant superioribus, *sine rege, sine principe pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum.* Hieronymus: *Cum eum viderint filii Israel, qui a suis fratribus denegatus est, in patris & sua majestate regnantem, pavebunt & stupebunt ad dominum, & ad bonum ejus. Bonum ejus* interpretatur filium. qui bonus filius de bono natus est patre. Vel etiam, *bona Domini:* Porro Hieronymus *capitulum* appellat, non ea, quæ nunc dicuntur, *capita*, in quæ divisus liber sit; sed versum unum, alterumve. Ut hic duo versus ita appellantur: *Præsens*, inquit, *capitulum, aliis Judæorum super Babylonica captivitate* &c. Infra versus 3[us]. *capitulum* ab eo nuncupatur. *Secundum LXX. interpretes hoc quod possumus &c. superiori capitulo coaptandum est.*

IN CAPUT IV.

Hactenus quid peccarint, quid sustinuerint pœnarum, ut se ad Deum retulerint & in gratiam cum eo redierint tum decem, tum duæ tribus. nunc Osee se ad Israel, id est, ad decem tribus convertit a quibus Deus pœnas exegit multorum & magnorum scelerum, non incognita causa.

1. *Quia judicium Domino cum habitatoribus terræ.* Quasi dicat: videte ut Deus agat cum mortalibus non vi, sed judicio. Non enim est quidquam loci veritati, neque misericordiæ, neque notitiæ Dei.

2. *Maledictum, & mendacium, & homicidium.* Opponit Hieronymus veritati mendacium: misericordiæ maledictum, homicidium, furtum, adulterium & recte. Verum non satis apparet, quomodo scientiæ Dei potissimum opponat id quod sequitur, *Sanguis sanguinem tetigit.*

Sanguis sanguinem tetigit. Aliud ex alio peccarunt. ita enim Hieronymus exponit. *Sanguis sanguinem tetigit, sive sanguinem sanguini miscuerunt* (ita LXX.) *ut augerent peccata peccatis, & novis vetera cumularent.* Ex quo intelligitur, sanguine, non cædem aut vulnera, sed quodvis scelus notari. Sanguinem porro admisceri sanguini, est, scelus scelere cumulari, ut constans & perennis improbitas sit. Quare autem scientiæ Dei perpetuitas ista scelerum adversetur, hæc causa est forsan, quod ejusmodi scelera, quæ alia nectantur ex aliis, contracta sint per cogitatam malitiam atque inveteratam; non excidant imprudentibus, aut suscipiantur imbecillitate.

3. *Propter hoc lugebit terra.* Neglectus Deus hanc tantam efficiet vastitatem. In bestia agri, & in volucre cœli. damnum facient in animantibus & avibus ipsi homines. quæ cum antea animantes avesque magna ad victus hominum copia suppeterent, deficient ad extremum, & desiderabuntur.

Pisces maris congregabuntur. Palantes pisces ac sparsi varias litorum oras destituent vel, *colligentur*, id est, auferentur, ac redigentur, ad interitum, aut ad paucos. LXX. ἐκλείψουσιν.

Hic Hieronymus memorat quæ loca suo tempore, quam deserta, inculta, & relicta essent. quam magna ab omni genere rerum in agris atque in oppidis solitudo. *Hoc*, inquit, *qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannonias, omnemque terram, quæ a Propontide & Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, & probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere.*

4. *Verumtamen unusquisque non judicet.* Locus obscurior, qui in hanc sententiam accipi possit. Etsi multa populus admiserit reprehensione & pœnis digna, nemo tamen se judicem ac disceptatorem & objurgatorem præbeat. frustra enim fecerit; cum populus ei nihilo secus sit contradicturus, quam sacerdoti solet. tanta est hominum impudentia, tanta pervicacitas.

Populus tuus sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti. Id est, populus tuus contradicit Sacerdoti. quæ locutio in sacris literis frequens.

5. *Et*

5. *Et corruet hodie, & corruet etiam propheta tecum.* Quod hæc sit indocilis plebecula, nec se sinat quidem admoneri, corruet certo & præsenti exitio. eritque etiam eadem ruina prophetarum. Vel, hodie, est, luce palam, & media die, quod insignius est ad gravitatem casus, etiam media luce offendere ac labi. Cui respondet quasi e regione, *Nocte tacere feci matrem tuam.* Servitus igitur & suprema calamitas indicatur, in quam Israelitæ sive decem tribus inciderunt. Quo quidem tempore, nullus illis propheta, qui aut vera moneret, aut falso palparet & spe futuri male lactaret, fuit. Hieronymus *Quandiu*, inquit, *non sunt captæ decem tribus habuerunt & Heliam prophetam, & Helisæum, & ceteros filios prophetarum, qui prophetaverunt in Samaria. Unde & Amos propheta, qui de tribu Juda erat, & de viculo Thecuæ, cogitur redire ad patriam suam, ne in alieno regno & Samaria prophetaret.*

Nocte tacere feci matrem tuam. Synagoga oppressis rebus obmutuit, & elinguis reddita est. non auditus populus, non Sacerdos, privati sunt Sacerdotio in perpetuum, & merito. quia nec populus audiebat Sacerdotem, nec Sacerdos Deum. Quod quisque fecit, patitur, &c.

7. *Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt.* Non est verisimile, quod Hieronymus ait, suam quemque sibi aram struxisse. *Quot homines habuit Israel, tot aras exstruxit dæmonibus.* probabilius, neminem in tanta multitudine insontem & idololatriæ expertem fuisse.

8. *Peccata populi mei comedent*, &c. Id est, facile patientur Sacerdotes populum ut velit vivere, nec modo ejus in plurimis & gravissimis sceleribus connivebunt, & tacite ferent dicta & facta omnia; sed etiam assentientur errantibus & delinquentibus, atque applaudent.

9. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* Idem utrisque supplicium paratum est, & impendet exitium.

Visitabo super eum vias ejus, & cogitationes illius reddam ei. Hieronymus de factis deque cogitatis exponit, quæ pariter Deus vindicat. *non solum enim*, inquit, *opus, sed & cogitatio mali operis pœnas luet.* Æque est probabile, recasurum in caput ejus quod meditaretur, proque modo & ratione maleficiorum subiturum genera pœnarum quæ respondeant.

10. *Et comedent & non saturabuntur.* Infinitæ & inexplebiles cupiditates.

Fornicati sunt, & non cessaverunt. lassata libido & non satiata.

Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Id est, prætermittendo officio, & jussis divinis non exsequendis.

12. *Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei.* Babyloniorum ritum usurpavit, & barbara superstitione adhibuit genus divinationis, quod ῥαβδομαντίαν sive βελομαντίαν Hieronymus ait appellari. quod quale fuerit, ex hoc loco, & multo melius ex Ezech. c. 21. v. 21. atque ex Hieronymi in utrumque locum commentariis discitur.

Spiritus enim fornicationum decepit eos. Quia semel se a Deo disjunxerant, per summam impietatem, usque eo sua illos idololatria infatuavit, ut peregrinis se ritibus contaminarent. Porro ne quis dubitet quin scortationis nomine idololatria notetur, Hieremias cap. 3. apertissime declarat, tum v. 6°. *abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi*, tum v. 9, *Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.*

13. *Super capita montium sacrificabant.* vide 3. Reg. cap. 3. v. 2. ubi Salomon jucundus acceptusque Deo, excepto quod in excelsis immolaret. *Attamen populus immolabat in excelsis. non enim ædificatum erat templum nomini Domini, usque in diem illum.*

In loco edito & excelso fana constitui solita a gentibus, luci sacrati. Judæis autem lex erat ut loco a Deo constituto, nusquam præterea sacra facerent. item alia illa, quæ erant gentium, exscinderent. Deuter. c. 12. v. 2. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. — lucos igne comburite*, &c.

Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. E scortatione illa parentum & maritorum, nascentur uxorum & filiarum impuritates. Impune faciunt ipsæ adversus suos, quæ in Deum illi prius fecerant. Hieronymus: *ut quod filii & uxor vero parenti fecerant & marito, hoc in liberis suis, & uxoribus sentiant, & ex proprio dolore intelligant dolorem Dei: qui in tantum iratus est, ut nequaquam percutiat delinquentes.* Idem: *Grandis offensa est, postquam peccaveris, iram Domini non mereri.*

14. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ.* Pœnæ loco interminatur, se pœnas non repetiturum, sed permissurum istos suæ quemque libidini quo nullum majus supplicium, cum nulla spes emendationis proposita esse videatur. Quæ apud Ædilem meretrices professæ erant, impune meretriciam faciebant. *Tacitus* II. Ann. *Nam Vistilia prætoria familia genita, licentiam stupri apud Æediles vulgaverat:* more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii redebant.

Quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum effeminatis sacrificabant. Simplex est hæc & aperta expositio: sua erunt liberis & uxoribus impunita flagitia, quod parentes & viri una multum sint cum meretricibus, ut sacra etiam cum iis celebrent, usque eo habent omnia cum illis communia: & faciebant id alioquin alienigenæ mulieres, quibuscum Judæi consuescerent, ut eos ad sacra sua pertraherent. Num. 25. 2. *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum.* Verum quia & Hebraica vox קדשות ambigua, quæ *consecratas* significet, ut etiam libidini alterius devotæ atque addictæ intelligantur, & LXX. τετελεσμένας habent, interpretes coguntur suspicari Sacerdotes hic feminas, & antistitas intelligi de quibus lib. 3. Reg. c. 15. v. 12.

Multa hoc loco turbantur apud Hieronymum, ac primum falsum videtur esse, quod de Gallis Cybeles sacerdotibus scriptum reliquit: *Hi sunt*, inquit, *quos hodie Romæ*, matri non Deorum *sed dæmoniorum servientes, Gallos vocant: eo quod de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Atys (quem eunuchum Dea meretrix fecerat) Sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum*

gentis homines effeminantur : ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia. At Ovidius fabulis in primis doctus non modo causam non affert istam, quamobrem Sacerdotes magnæ Matris, ut vocant, virilitate priventur, sed etiam negat hoc ad Gallos homines ullo modo pertinere.

Cur igitur Gallos, qui se excidêre, vocamus,
Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celænas,
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis : qui bibit inde, furit.

Adde quod hæc Hieronymi fabula sua sponte concidit. illa enim sive initia, & mysteria, sive sacra Idæa magnæ Matris, sacra Græca fuerunt, ad quæ nihil pertinuit opera Gallorum notione hominum. Quare Cybele, Attis eviratus, cum sociis eodem furore instinctus nihil prorsus ad nationem, quæ isto nomine appelletur. Est igitur aliud, quod *Catullus* habet,

Agite, ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul,

&

Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.

2°. Adjungit Hieronymus : *Sciendum quod in præsente* קדשות *meretrices, ἱερείας, id est, Sacerdotes Priapo mancipatas vocee.* quod non convenit cum iis quæ proxime dixit. ibi enim *effeminatos* vertit : nunc altero genere Sacerdotes feminas hic vocari ait. nisi forte mutet genus ut illi mutarunt.

3°. Est & illud ibi apud Hieronymum : *In aliis locis viros exsectos libidine*, cadesim *legimus, Esaia dicente* c. 3. v. 4. *καὶ ἐμπαῖκται κατακυριεύσουσιν αὐτῶν id est, & illusores dominabuntur eorum, pro quo in Hebræo scriptum est : &* קדשים dominabuntur eorum, *quod nos in effeminatos vertimus.* Quo loco videndum num *Cedasim* legi oporteat. Deinde apud Esaiam non re habetur קדשים, sed תעלולים ut ipse ibidem in comment. agnoscit Hieronymus. In versum enim hunc : *Et effeminati dominabuntur eis : pro quo*, inquit, in Hebræo *scriptum est* תעלולים Quare aliud hic, aliud illic Hieronymus loquitur.

Clausula interpretationis Hieronymi præclara hæc est ad mores : *Quando videris peccatorem divitiis affluere, jactare se potentia, sanitate gaudere, delectari conjuge, corona circumdari liberorum, & impleri illud quod scriptum est. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur : dicito in illo comminationem prophetæ esse completam :* Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint.

Populus non intelligens vapulabit. Populus qui dum peccaret, quid ageret, nunquam satis attendit, afficietur malis, quibus erudietur. ita enim exponit Hieronymus : *hoc*, inquit, *significat quod vapulet in captivitate & diversis afficiatur plagis : ut per dolorem recipiat disciplinam.*

Apud LXX. pro, *vapulabit*, est, adhærebat meretrici, quod Hieronymus advertit, neque curat aut conciliare cum Hebræo, aut per se interpretari. Quamquam interdum utrumque facit, modo hoc, modo illud, ut in sequenti versu.

15. *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda.* Quasi dicat ; si per summam imprudentiam & ignorationem rerum decem deliquerunt tribus, & a Deo vero atque uno aversiores, cœtibus se meretricum adjunxerunt : cavete idem peccetis, duæ tribus. Hic Hieronymus interpretatur avaritiam & sacrilegium Israelitarum, quasi sacerdotia & sacra reliqua habuerint quæstui. *ita ut*, inquit, *quicunque impleret manum vel suam, vel regis, offerendo & dando ei munera, sacerdos fieret excelsorum.*

Nolite ingredi in Galgala. Locus celebris & propter iterum circumcisos ibi Judæos, & propter unctum Saulem regem. quid sibi Hieronymus vult cum ait: *Ex quo tempore religionis adversæ, in loco celebri error inolevit?* Dixerat paulo ante : *populus secunda circumcisione purgatus est:* Nunc ait, *Ex illo tempore errorem religionis adversæ* (circumcisioni, scilicet) *inolevisse*, id est, incircumcisos seu gentes idola statuisse ibi & coluisse, ubi maxime religio vera culta esset.

Neque ascenderitis in Bethaven. Hieronymus: *quæ quondam vocabatur Bethel: quia postquam aurei ibi vituli positi sunt ab Hieroboam filio Nabath : non* domus Dei appellatur, *sed* domus idoli. *Pro qua miror cur* LXX. *domum ὀν interpretati sunt, nisi forte errore consueto pro* ו *vau litera media, quæ* א *&* ו *literis ex utraque parte vallatur,* י *jod quæ sola differt magnitudine putaverunt.* Quo loco quid velit Hieronymus non satis constat, cum ait LXX. interpretatos fuisse *domum*, *ὤν*. videtur enim varietas exponendi nata e varietate punctorum, sive litera ו sive י legatur. imo *ὤν* illud potius extiterit ex hac voce און, quam ex illa אין

Neque juraveritis, vivit Dominus. Hieronymus : *Nolo per os vestrum nominis mei fieri mentionem quod idolorum recordatione pollutum est.* Quasi Osee dicat : sua quisque juret per numina. vos, idola qui colitis, jurate per idola ne profanum faciatis usurpando nomen meum. Ex quo apparet honorem Deo haberi jurejurando, quem recusat Deus & detestatur a se, si impius habere velit.

16. *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Bos femina, quæ taurum sequitur errabunda ejus vestigia premit, itaque declinat a recta via. ad eundem modum decem tribus a duabus, a Deoque aberrarunt. LXX. *παροιστρῶσαν* reddiderunt, id est, *æstro percussam.* quæ furore amens feratur, subtrahat cervicem, & excutiat jugum

Nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. Qui populus furore bacchabatur prius, ut vacca indomita, nunc ut agnus versabitur in latifundiis. quo loco servitus apud Assyrios, & dispersio populi per latissimam Medorum terram, & subactio tanquam gregis notatur.

17. *Particeps Idolorum Ephraim.* Nemo melius exponere voces latinas potest, quam ipse, cujus ex sunt, Hieronymus. Is participem amicum interpretatur. *Quia*, inquit, *Ephraim semel idolorum amicus & particeps est, dimitte eum.* Idem, *Ephraim*, inquit, *de qua tribu fuit Hieroboam, filius Nabath, qui primus aureos vitulos in Bethel, Dunque constituit, rex est decem tribuum.* Apud Hieronymum semel, est *constanter ac perpetuo*, sine intermissione, aut mutatione. Hoc loco tertio & quartum utitur

ista

ista voce in eam sententiam : *Ephraim semel idolorum amicus*, &c. *Illi semel idolis serviunt — & quotidie fornicantur*, &c. *Ephraim — semel amicus est dæmonum.*

Separatum est convivium eorum. Dimitte eos, quorum est a tuo sejunctus cibus. Sive, si me audis, noli cum iis diutius religione & numinis cultu conjungi, quibuscum nihil habes in victu & consuetudine commune.

Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. Hieronymus : *id est, reges dilexerunt ignominiam afferre populo* : id est, vitio principum, infelix populus suscepit cultum idolorum : quorum immundus spiritus ligavit Israelem in alis suis, & eum libere volitare non patitur. Confundentur igitur in sacrificiis suis, & ignominiam principum in sua confusione suscipient.

Habent hic LXX. quod in Hebraico non habetur, ᾑρέτισε Χαναναίους. quod Hieronymus sic interpretatur, ut dicat tantum studium habuisse Israelem in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananæos, id est, Ethnicos, sed ad imitationem sui eos provocaverit erroris. Hic Hieronymus existimat hæreticos idololatris deteriores. *Eodem*, inquit, *sensu referri potest ad hæreticos : quorum spurca plerique hæreticorum & nefanda confinxerant, habeantque immunda sacrificia, ut idololatria inferior sit.* Miror autem Hieronymo curæ non potius fuisse, ut cum LXX. conciliaret Hebraicum textum, aut causam redderet tantæ varietatis, quam ut id interpretaretur separatim ac per se.

IN CAPUT V.

1\. AUdite hæc Sacerdotes, & attendite domus Israel, &c. Compellantur eo, quo fuerant apud Judæos, loco & ordine, Sacerdotes, populus, rex, qui omnes culpæ sint proximi. Rex induxit multitudinem in scelus. paruit populus, id quod non debuit. Sacerdotes, falsi illi quidem ac minime legitimi, quia non de tribu Levi, constituti sunt a rege, neque nefas hoc dissuaserunt, cujus pars ipsi magna essent, neque ab idololatria & ceteris flagitiis dehortati sunt.

Quia vobis judicium est. Vocantur in judicium, non ut causam dicant, quid enim excusent, aut defendant? Sed ut audiant, cur hostibus tradantur.

Laqueus facti estis speculationi. Proprie illud ad Sacerdotes & principes pertinet, qui a Deo collocati sint in specula, ut communi saluti prospicerent. nunc autem non speculatores ad salutem, sed insidiatores se præbuerunt ad prædam, qui populum non reduxerint errantem, sed in fraudem induxerint. Nempe, loci & gradus excelsioris, quem obtinebant, opportunitate usi sunt, ut circumvenirent populum, hoc est enim *tendere plagas in monte Thabor*. Hieronymus : *Est Thabor mons in Galilæa situs in campestribus, rotundus atque sublimis & ex omni parte finitur æqualiter quem & hic & in Hieremia LXX. Ἰταβύριον transtulerunt in quo aves laqueis capi solent.*

2\. *Et victimas declinastis in profundum.* Hieronymus : *Prohibuerunt & reges, & Sacerdotes ire populum ad templum Hierusalem : idcirco in profundum victimas declinasse dicuntur.* Aversæ & abductæ alio victimæ.

Ad verbum in Hebraico וְשַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ *Et immolare declinantes profundaverunt.* Alii aliter interpretantur, & meo judicio divinant omnes. quod si facere licet, mea hæc conjectura est : Ab immolando refugientes, petierunt domos profundas & abstrusas. quasi hoc velit, Cum in monte positi sint, acturi excubias, (ubi sacra etiam facere possint, nam in monte Sion fieri lege debet) descendunt in ima loca, & valles, ubi degant, & cessent a sacris.

Et ego eruditor omnium eorum. Proxime appellavit Sacerdotes, populum, reges, & excitavit ad audiendum. *Audite*, inquit, &c. nunc se doctorem omnium & magistrum fore significat. quasi dicat : audite omnes; docebo omnes, vel docere possum omnes.

3\. *Ego scio Ephraim &c.* Novi enim & Ephraim, id est, Hieroboam, & reliquos secutos eum reges, qui pari se scelere ac flagitio obstrinxerunt, & Israel, id est, decem tribuum populum, qui regum culpa & exemplo quasi contage infectus est.

4\. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum.* Quanquam videor frustra velle mihi fieri audientiam : supervacanea quoque est omnis disciplina. Non enim cogitationem salutis ullam & pœnitentiæ suscipient. Invasit enim mentes & excæcat spiritus fornicationis, neque, ut illos Dominus, ita illi Dominum norunt.

5\. *Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus.* Hieronymus. *Quicquid fecit Israel vel superbe agens &c. respondebit in facie ejus : ut non abeat impunitus, sed humilietur ejus contumelia.* Quid si est, sentietur arrogantia, aut scelus pœna ipsa, ut responsat durus cibus palato. *Leur méchanceté se fera sentir à eux-mêmes. respondebit*, hic, apparebit ex pœna quale & quantum maleficium sit.

Et Israel, id est, populus, *& Ephraim*, id est, reges, *ruent in iniquitate sua.* Aliquid mihi videtur significantius, quam quod putatur vulgo. plerique enim sic interpretantur, ut sit, *ruere* aliquem *in iniquitate sua*, nihil aliud, quam dare pœnas sceleris, aut ob scelus. Illud est, scilicet, amplius, cum quis intercipitur in ipso crimine, & pœna occupat eum atque opprimit, neque claudo, ut dicitur, sequitur pede.

Ruet etiam Juda cum eis. Par duas tribus supplicium manet in pari scelere idololatriæ.

6\. *In gregibus suis & in armentis suis* Divinum Numen idololatria violatum hostiis placare nitentur & majoribus & minoribus. frustra id tamen, quia non se iis leniet, a quibus recedentibus & ipse discessit.

7\. *Filios alienos genuerunt.* Hieronymus. *Filios alienos qui in idolorum errore generati sunt, sive quos ducentes per ignem idolis consecrarunt. — prævaricati sunt enim in Domino :* quia fornicantes cum idolis non Deo filios genuerunt, sed dæmonibus. alii filios alienos, ex uxore non justa. non enim per legem ducere poterant uxores alienigenas.

Nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. Instat jam clades, non modo appropinquat. paucis diebus, non mensibus, & ipsi peribunt & *partes eorum*, id est, cleri & possessiones, quas in divisionem terræ ad mensuram funiculi susceperunt. Hieronymo est sensus : *per singulos menses hostis adveniet & cuncta vastabit.*

Hoc

Hoc loco conjungit Hieronymus & comparat res Hebræorum cum Græcis & Romanis, ait enim *Sub rege Phacee qui regnabat decem tribubus, venisse Teglathphalasar regem Assyriorum, & magnam partem populi Samariæ in Assyrios transtulisse: quo tempore apud Græcos secundus annus primæ Olympiadis fuit, & apud Latinos* (necdum Roma condita fuit) *Albæ vicesimo anno Amulius imperabat, quem postea Romulus regno pepulit.*

Observandnm hic, id est, versu 7°. Hieronymum finem facere libri primi commentariorum in Osee, ducere initium libri secundi a versu 8°. Unde colligitur, non eodem tum modo prorsus secta capita librorum sacrorum fuisse, ut nunc sunt apud Latinos. neque enim, credo, a medio capite librum inchoasset commentariorum.

In proœmio Hieronymi sic habetur: *Amasinios ac Rabirios nostri temporis, qui de Græcis bonis, Latina faciunt non bona, & homines eloquentissimos ipsi elingues transferunt.* Quem locum *Marianus Victorius* Reatinus, Episcopus Amerinus, sic emendat ut legendum putet *Amasios* pro *Amasinios*, deinde Amasim nescio quem interpretatur maximum prædonem apud Herodotum, lib. 1°. qui Deorum etiam sententiis damnatus sit. Tum *Rabirium* illum ipsum esse vult, quem Tullius perduellionis reum in judicio defenderit. Male utrumque, quod intellexisset Victorius, si attendisset, quid Cicero, de quo loquitur, in hanc sententiam habeat. Mihi enim certum est eo Hieronymum respexisse, ubi Cicero lib. 1. Acad. quæst. n. 5°. *didicisti*, inquit, *non posse nos Amafani*, (aliter Amafinii) *aut Rabirii similes esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant.* Tum paulo post: *Jam vero physica — possem scribere ita plane ut Amafanius.* De quo utroque & similibus illud, opinor, ejusdem Tullii accipi oportet lib. 1. Tusc. quæst. n. 6. *In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi jam esse Latini libri dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. fieri autem potest* &c. *Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt.* Et lib. 4. num. 6°. *Cum interim illis silentibus. C.* Amafanius extitit: cujus *libris editis, commota multitudo contulit se ad eandem potissimum disciplinam.* &c. lib. 15. Epist. Cassius ad Ciceronem; *Ipse Epicurus, a quo omnes Catii & Amafinii, mali verborum interpretes proficiscuntur*, dicit.

Hæc eram commentatus, cum adverti ab *Nicolao* quodam *Montano* in variis lectionibus ad 1um. Tomum, Victorium reprehensum de Amafinio, deque Rabirio. Sed est reprehendendus ipse in eo, quod, *Lavinios*, pro, *Rabirios*, reponendum esse duxerit. Satis enim ex Tulliana superiori oratione intelligitur, nomeo huic loco illud convenire, & Rabirium fuisse ex ineptis istis & plebeiis & rusticis scriptoribus aliquem, itidem ut Amafinium.

8. *Clangite buccina in Gabaa.* Quasi præcones facite audientiam mihi, & indicite silentium, ut qui circumquaque sunt, exaudiant, quæ dicturus sum. Dicn vobis, *Ephraim in desolatione erit.* Affert hic Hieronymus quid inter *tubam & buccinam* intersit. *Clara*, inquit, *buccina & tuba personate; quarum buccina pastoralis est, & cornu recurvo efficitur: unde & proprie* שופר *Græce*, κερατινὴ appellatur. *Tuba autem de ære efficitur, vel argento, qua in bellis & in solemnitatibus concrepabant.* Gabaa & Rama, duæ in tribu Benjamin, vicinæ inter se civitates; hæc in septimo lapide a Hierosolymis sita, & quam rex Israel occupare conatus est, ut exitum & introitum clauderet tribui Judæ. 3. reg. 15.

Ululate in Bethaven. Plus mnlto exigit ab urbe hac, quam a superioribus duabus exigit. Hieronymus: *Super Bethaven — non clangore & sonitu, sed ululatu opus est, quia vicina captivitas est. Post tergum tuum, Benjamin.* Bethaven a tergo Benjamin, quia ubi tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim hæc urbs condita est. *Pro eo quod transtulimus nos, post tergum tuum Benjamin,* LXX. *verterunt, mente motus est Benjamin. Semper* ἔκστασιν *id est, mentis excessum, Benjamin viro ecclesiastico aptantes.*

Occurrit hic perdifficile aliquid Hieronymum, ubi habet: *Quidam Bethaven, juxta* LXX. *qui dixerunt* domus ὢν, *civitatem solis, interpretati sunt: & solem justitiæ Christum dicentes, urbem illius Ecclesiam esse voluerunt.* Quid hoc est, quod quidam ex interpretatione LXX. traxerunt? quid enim similitudinis aut convenientiæ inter *domum* ὢν, & *civitatem solis*? Quare magna mihi suspicio est, legi domum ὢρ ut sit בית אור *domus luminis*, seu *solis*, non autem, בית און. Videndum autem nunquidnam iste locus possit exponi ex alio, qui supra tractatur ab eodem Hieronymo, aut ille alius ex isto. [On *nomen est urbis quæ Græce* Ἡλιόπολις *in Ægypto vocabatur.*]

Ephraim in desolatione erit. Et regnum Israel & regia domus tota vexabitur, diripietur, evertetur.

In die correptionis in tribubus Israel ostendi fidem. Quo die Deus corripuit scelera Israelitarum, & vindicavit, eo die fidem conciliavit prophetis suis, eorumque prædicta comprobavit eventu.

10. *Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum. Facti sunt quasi assumentes*, id est, assumpserunt. Sententia hæc est: Vicini Israelitarum reges Juda adeo non doluerunt vicem miserorum aut eos consolati sunt, aut ut ad veri Numinis cultum redirent hortati sunt, ut cladem eam & ruinam converterint in rem suam, continuarint possessiones suas finitimis agris adjuratione facta, & regnare latius cœperint.

Super eos effundam quasi aquam iram meam. Hieronymus: *Super ipsos principes Juda venient Babylonii, & ita eos quasi aquæ impetus occupabunt non suis viribus, sed indignatione mea.* Nimirum iis, qui ex alienis malis creverint, Deus imminentem quoque cladem & quasi conversionem fortunarum denunciat, quasi non diu potituri sint parto per nefas.

Quod adjungit Hieronymus, potest esse usui ad informandos mores, ad temperandam gestientem & nimiam vel lætitiam vel gloriationem bonorum: *Dicit quoque & ad principes Juda, hoc est, Ecclesiæ, quod non debeant exsultare, & hæreticorum perditionem suam salutem æstimare: sed potius plangere quod illi perierint. Unde & Apostolus Paulus docet Ecclesiasticos viros, ne glorientur super fractione Judaicorum ramorum, sed potius timeant, ne*

&

& ipsi frangantur. Et in alio loco : Quis, *ait*, scandalizatur, & ego non uror? *Alioquin super tales principes, qui in aliorum miseriis gloriantur, & idcirco se stare putant, si alii corruant, effundet Dominus quasi aquam iram suam.*

11. *Calumniam patiens est Ephraim.* Israelitæ merito suo maximo vexati sunt, neque injuria illis facta ulla est, neque oppressi aut circumventi judicio sunt. quia tamen permissi sunt potestati hominum etiam pejorum, calumniam dicuntur ferre, & eadere causa ac discedere inferiores. Afflicti vero & violati sunt ab Assyriis, primum a Phul, deinde a Teglatphalasar, postea a Salmanasar, nequioribus quidem ipsis, sed tam n vindicibus atque ultoribus justis neglecti Numinis. quamvis imprudentes atque aliud agentes, immo etiam ulciscentes vicem suam, per summam injuriam judicium exereeant.

12. *Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Juda.* *Tinea* confectrix & consumptrix vestium : *caries* lignorum, non subito, ut Hieronymus observat, sed sensim ac pedetentim. quod in Deum, vindicem & punitorem tardum maleficiorum belle quadrat. dat enim sontibus locum resipiscendi. ad sanitatem ut redeant invitat. ipsi interim dum scelera sceleribus cumulant, thesaurizant sibi iram in die iræ. Est hæc etiam observatio Hieronymi, Deum dici certo consilio, & signate putredinem domui Juda, non regno Juda. *Primus*, inquit, *consumptus est Ephraim & Israel: deinde secuta est & domus Juda, sed domus ejus. alioquin reservabatur de genere Juda, cui repositum fuit*, Et ipse erat exspectatio gentium.

13. *Et vidit Ephraim languorem suum, & Judas vinculum suum.* Non usque eo obstupuit Israel aut malis induruit, ut non sentiret quam male sibi esset, aut medicinam non quæreret dolorum. Judas quoque sensu vinculum suum, advertit, quod ignorare non potuit, se in servitute esse. *Vinculum* etiam Hieronymus interpretatur *conjurationem* & ad illud tempus refert, *quando Rasin & Phacee multa de tribu Juda hominum millia vastaverunt. quod frustra Judas adversus reges duos non Dei, sed Assyriorum auxilium flagitarit.* 4. Reg. 16.

Abiit Ephraim ad Assur, & misit, &c. Sub rege Manahem Israel Assyriis dona transmisit. Judas, sub rege Achaz, præsidium flagitavit.

Ultorem. Hieronymus : *ubi*, inquit, LXX. *posuerunt Iarib.* At qui nunc exstant sive Sixtiani codices, sive alii, ut apud Vatablum, & Vecheliani habent ἰαρείμ. Apud Hebræos autem ירב ultorem significat & judicem. *Id*, inquit Hieronymus, *ostendit nomen Gedeonis, quem cum cultores Baal expeterent ad supplicium, eo quod lucum Baal arasque evertisset, respondit pater : ulciscatur se Baal,* aut judicet eum Baal. *& appellatus est*, inquit ירבעל, *ulciscatur se Baal.* VI. Jud. 32.

Vinculum. מזור reddit Hieronymus *vinculum*, secutus Aquilam, qui interpretatus est ἐπίδεσιν sive συνδεσμόν. Apte autem singula : *sanare languorem, solvere vinculum.*

14 *Quoniam ego quasi leæna Ephraim.* Causa quamobrem vanum & inutile sit omne hominum auxilium Deo contra stante, hæc affertur, quod se tunc Deus, cum spes in hominibus & præsidium collocatur, leænam & leonem præbeat adversus eos, id est, fortem & severum, qui moleste ferat aliunde quam a se aliquid opis exspectari. LXX. *pantherem* sunt pro leæna interpretati, quod Hebraice dicitur שחל. Ad hæc etiam Hieronymus. *Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. ut per illud imminens regno Samariæ Regis exitium per hoc valida & quasi fera vis Chaldæorum ostendatur. Ego ego capiam.* In eadem pergit metaphora non hic modo, ut Hieronymus monet, sed consequenti etiam versiculo, quasi dicat : Ibo venatum, prædam capiam, quam nemo mihi auferat e manibus, referam & reportabo domum, nec insectari, & exagitare, & prædari desistam, donec deficiatis ipsi, & ad me ultro recurratis.

15. *Vadens revertar ad locum meum.* Aliter hanc particulam versus, atque ego jam exposui, Hieronymus interpretatur. vult enim Deum minari & denunciare Hebræis duo. primum se eos prædæ instar abrepturum ac direpturum. deinde posito habitu formaque & leonis & leænæ, rediturum ad se, nec jam amplius per se sæviturum; sed neglecturum res humanas, & permissurum hostibus eos, quos antea tueretur ac defenderet, donec omni ope humana sua & spe destituti mortales perfugium ad divinum numen habeant.

IN CAPUT VI.

1. IN *tribulatione sua mane consurgent ad me.* A quo defecerant prosperis rebus, ad eum confugient, iniquis & perditis temporibus suis, ab eo opem petent, idque quam primum, quasi sua eos calamitas excitarit ad auxilium implorandum.

Venite & revertamur ad Dominum. Est hæc velut μίμησις, inducitur enim qui habetur sermo a calamitosis illis confugientibus ad Deum, & cohortantibus inter se

Curabit nos. Hieronymus : *Pro eo quod nos diximus*, curabit, *omnes simpliciter transtulerunt*, μοτώσει. *Proprie autem* μότα *appellantur linteola, quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, & extrahant purulentias : artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, & per dolorem reddere sanitatem.*

2. *Vivificabit nos post duos dies.* Satis diserte significatur triduum mortis Christi, quoque modo tertia die revicturus sit, nosque una excitaturus jam mortuos. Excitati porro vivemus, ipso præsente; qui a nobis si abesset, taceremus. neque ignorabimus vindicem nostrum, imo sequemur, & magis ac magis agnoscemus. Hieronymus præter hoc quod omnium est alia duo affert quæ Judæos spectant. *His sermonibus*, inquit, *explicatur illud, quod sæpe jam admonuimus, & Israelem & Judam, id est, decem & duas tribus, tunc unum habituros esse pastorem & regem David, cum crediderint in Dominum resurgentem : frustraque Judæi mille annorum sibi somnia pollicentur, cum salus universorum die tertio repromissa sit, quo dominus ab inferis resurrexit.* Quod Hieronymus affirmavit Judæos frustra futuros, qui mille post annis venturum sibi Messiam pollicerentur, id nos quam verum sit nunc intelligimus, quamque falsi sint exspectatione sua Judæi.

3. *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.*

Notatur quoque tempus, quo a morte rediit ad vitam.

Veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ. Commodum nobis Deus veniet, tum primis temporibus, tum novissimis, quasi qui nullo unquam tempore defuturus sit. *Imber temporaneus*, qui primo quoque tempore decidit, id est, mense Octobri, apud Judæos, statim semente facta. non vero dicitur *tempestivus* perinde quasi serotinus sit *intempestivus*: sicuti nec imber ipse serotinus proprie serus aut tardus est, cum tempori decidat. Est igitur primus & ultimus, qui uterque suo & idoneo tempore decidat. ultimus maturis jam segetibus & quasi falcem exspectantibus, Martio mense apud Judæos, יורה & מלקוש, Res autem optatissima Judæis, quibus agri a Deo concessi; itaque cultura imperata, imber opportunus. Hunc autem promisit Deus se daturum cœlo, quotiescunque erit opus: futurum autem identidem opus significat quoque, si quidem ager, quem se ait illis assignaturum esse, non est de genere agrorum Ægypti, quos non æquæ pluviæ irrigent, sed Nili, quæ redundent, & obliment segetes. Deut. xi. 10. & 14.

4. *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi Juda?* Quasi Deus dicat, nihil se amplius tegni utrinsque causa posse facere sua in illos, quamvis immerentes omnia summa merita contulisse.

Misericordia vestra, quasi nubes matutina. Id est, quæ me vestri misericordia tenuit diu, tandem evanuit ut matutina nubes, aut ut ros matutinus exaruit. Mihi videre videor catenas, quibus constringentur cives, Babyloncmque abducentur. Adest enim jam servitus, & impendet ab Assyriis.

5. *Propter hoc dolavi in prophetis.* Ne postetius diceretis hæc vobis non prædicta mala fuisse ad evitandum, *scalpellum, ignes, cauteria protuli*, inquit Hieronymus, id est, vexavi vos per prophetas, & verbis gravissimis denunciavi futura mala, vosque occidi sæpe monendo.

Judicia tua quasi lux egredientur. Quæ ego singula feci eo consilio, ut luce clarius appareat judicii, quod datum est in vos, æquitas, quamque merito animadvertatur in omnes. Videtur autem locus hic non abludere ab illo, misericordia quasi nubes matutina &c. ut misericordia velut nube discussa, & siccato rore matutino, lux judicii quædam & severitatis oriatur.

6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium. dolavi — occidi.* Interminatus sum mala, eos ut deterrerem a sceleribus, & miserarer resipiscentes, malui me vicem eorum miserari, quam eos mihi victimas immolare, me ab iis cognosci, quam donari muneribus. videndum amplius, quæ sit hujus sententia loci: *misericordiam volui.*

7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Hieronymus: *Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat, pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent: Et, ibi, hoc est, in paradiso, omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricantis Adam*

8 *Galaad civitas operantium idolum.* Galaad urbs trans Jordanem in possessione tribus Gad, quæ & habitabatur a sacerdotibus, & ipsa fugitivorum civitas fuit. In ea idolum consecratum est. Quanto autem celebrior & majoris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata; tanto trans Jordanem habitanti Israel principium majus idololatriæ & malorum omnium fuit: ut qui primi peccaverant, primi ab Assyriis caperentur.

Supplantata sanguine. In Rabboth Galaad unctus est in regem Jehu qui sanguinem sanguini miscuit & Achab subvertit domum, & ante solis ortum acervos capitum filiorum ejus jussit statui. 4. reg. 9. 10. Hæc illa provincia latrociniis & cædibus infamis. ut sacerdotes similiter dicantur facere ac latrones, qui viatoribus insidiantur. dividenda vox, & legendum sic, *supplantas a sanguine*, pro eo, quod est, supplantata & עֲקֻבָּה in Hebræo quidem est מִדָּם *a Sanguine:* nam fuso cruore lubricus locus supplantat & quasi dejicit ingredientem iterque ibi habentem. Quanquam Hieronymus videtur revera transtulisse, *supplantata*, quod ipsa vox Hebræa sonat. Addit Hieronymus ex Hebræo hominic, de quo quæsierat: *Galaad quæ operatur idolum, & supplantata est sanguine, quod Sacerdotum impietatem secuta sit, & latrociniis vacet ac sanguini.*

9. *Et quasi fauces virorum latronum.* Prædatrix illa civitas quæ sit sanguinem & vorat quasi faucibus fortunas & opes prætereuntium. hæc duo species faucibus tribuuntur. Et hoc aliud forsan significatur, Galaad oppidum esse quasi fauces & angustias loci, unde impetum latrones & incursus faciunt, & quo receptum habent.

Particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem. Galaad civitas particeps & consors Sacerdotum in insidiis & cædibus. quas autem insidias, quas cædes fecerint sacerdotes ait se Hieronymus ab Hebræo accepisse. *Sacerdotes*, inquit, *Bethel, imo fanatici Bethaven, temporibus Paschæ, & Pentecostes, & Scenopegiæ; quando per Sichem quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hierosolymam, ubi solum licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus: ut magis vitulos aureos in Dan & in Bethaven, quam in Hierosolymis & in templo adorarent Deum.* Difficultas in Hebræo est, ubi legitur, *interficientium Sichem*, quod Hieronymus. explicandi causa, ut sæpe, reddidit, *pergentes de Sichem.*

10. *In domo Israel vidi horrendum.* Hoc primum horribile per se, vero Numine neglecto, falsa & inania simulacra venerari. horribile deinde Hieroboamum principem virum id facere, ac firmare velle tyrannidem impietate, imo religionem religione evertere. postremo horribile tot tribus tam subito a sacris paternis & avitis discessisse, & uni alicui novo idololatriæ auctori ac suasori manus dedisse, non restitisse quemquam, non reclamasse.

11. *Sed & Juda pone messem tibi, cum convertero &c.* Locus quoque perdifficilis, cujus ne clara quidem satis expositio apud Hieronymum: *Tu quoque*, inquit, *præpara tibi segetes ut metantur. non multo enim post tempore duceris captivus in Babylonem, & messionis tuæ tempus adveniet: cumque te Chaldæi messuerint, convertam rursum captivitatem populi mei, & sub Cyro rege Persarum, & Artaxerxe reducam populum meum.* Non satis cohæret quomodo messis propediem futura copuletur cum liberatione a servitute, quæ sequetur diu post. quasi dicatur, persuade tibi, o Juda, te vastatum

iri,

iri, cum a servitate liberareris. Alia est hæc interpretatio probabilior, tametsi non vera forsan. *Sed & Juda pone messem tibi* &c. Ne vero Juda, ne te in calamitate & miseria Israelitarum immunem putaris: Statue messem tibi tum primum futuram, non futuram prius, quam te reduxero, in integrumque restituero. Verumtamen falsum videtur, quo ex tempore hæc Osee loqueretur vastitatem fore ad id usque dum servire desinat Chaldæis.

IN CAPUT VII.

1. *CUm sanare vellem Israel* &c. Multa quidem & gravia, diversis temporibus, Israel ipse sibi vulnera imposuit, cum in idololatriam incidit sponte sua. Et hæc Deus sanavit identidem, sanabatque, cum subito ecce tibi exortus est de tribu Ephraim Hieroboamus, qui defectioni idololatriam & impietatem adjungeret, vitulis ex auro factis. cujus exemplo & auctoritate populus idem peccavit per summam improbitatem.

Operati sunt (& rex, & populus) *mendacium*, id est, *idolum. Fur ingressus est.* Omni via & ratione clam, palam, insidiis, vi, intus, foris, rex populum aggressus est & oppugnavit. sive primo insinuavit se furtim, post autem prædatus est & miseram plebem exspoliavit; divino, scilicet, auxilio.

2. *Et ne forte dicant in cordibus suis* &c. Interpretatur ita Hieronymus, ut peccata patrum intelligantur quæ liberi luant: quasi dicat, Ne forte dicant se dare pœnas ob maleficia suorum, non ob sua. Potest etiam in hanc partem accipi: Ne dicant in se vindicari scelera pristina, quæ jam Deus ignoverat: illi nunc ipsum delinquunt, me præsente & inspectante, & in mediis excogitatis criminibus versantur.

3. *In malitia sua lætificaverunt regem* &c. Perverso obsequio suo voluptatem & lætitiam attulerunt regi. jucunditati quoque fuerunt populi ceteris ducibus.

4. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.* Qui regi sunt & ductoribus obsecuti in tam fœda causa, adulterati sunt, iisque se dederunt, ut clibanus se coquenti, & ignem injicienti quodammodo præbet.

Quievit paululum civitas a commistione fermenti. Videtur significare Hieroboamum initio non institisse vehementius, ubi paucis quibusdam suasit idololatriam ac persuasit: sed hos quasi fermento jam intumescentes, cum ceteris vim deinde suam & mentem communicasse.

5. *Dies regis nostri.* Hunc sermonem habet vulgus stolidum. Locus iste perobscurus ab Hieronymo explanatur, ex mente Hebræorum & doctrina per manus tradita deinceps. In quo se ait facere audacter magis, quam scienter, ac fide Hebræorum & periculo, quæ loquatur loqui. Vociferatur igitur populus ac tumultuatur, & desipit nimio gaudio; cum dicat: Hic dies est, quem festum nobis Hieroboamus instituit: hunc agimus, hunc celeberrimum & lætissimum habemus, hunc religione Deorum nostrorum consecramus, id est, aureorum vitulorum.

Cœperunt principes furere a vino. Scelerate dicta impotentis populi non modo non cohibuerunt principes & optimates, sed in eandem insaniam inciderunt.

Extendit manum suam cum illusoribus. Hieroboamus, nimirum horum omnium non inscius, quippe qui satis adverteret hos populi animorum sensus & commotiones, principes quoque impotes mentis sic tanquam a vino, præbuit iis assensum facile, qui vanis sibi laudibus illuderent.

6. *Quia applicaverunt quasi clibanum cor suum*, &c. Regi se vicissim utrique præbuerunt, quasi clibanum igni accendendos, ejusque insidiis succubuerunt. Pergit Hieronymus: *postquam misit ignem in clibanum cordis eorum, & vidit eos furere, & nullum esse qui suæ resisteret voluntati*; tota nocte dormivit, *id est, securus fuit: versatus in tenebris est, dum illi coquerentur, & impietatis panem efficerent. Unde postea surrexit mane, & scelerum suorum flammam aperta ostendit insania.*

7. *Omnes calefacti sunt*, &c. Hieronymus: *Quid plura? omnes quasi clibanus idololatriæ igne calefacti sunt, & devoraverunt judices suos*, ut etiam *qui bonus esse potuerat per naturam & religionis Domini recordans, videns principes & populum vitulis subditos, & illos putare Deos, etiam ipse à scelere devoraretur.* Postremo eandem omnes ordine reges viam putaverunt impietatis, atque iniverunt.

Devoraverunt judices suos. Id est, ardentiores fuerunt, sive ardentiore studio cultum falsorum Numinum semel sibi propositum amplexi sunt, quam ipsi magistratus ac principes, qui proposuerant, aut quo ipsi incendio deflagrabant, eodem optimates inflammarunt ac perusserunt.

Omnes reges eorum ceciderunt; non est qui clamet in eis ad me: Hieronymus *ambulaverunt in via Hieroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israël, & nullus inventus est, qui desertis idolis reverteretur ad Deum.*

8. *Ephraim in populis ipse commiscebatur.* Regnum decem tribuum nulla re nunc differt a ceteris regnis; cum Israelitæ ceteris antea gentibus longe præstarent.

Factus est subcinericius panis, qui non reversatur. Interpretatur Hieronymus; *fieri subcinericium panem qui non reversatur*, Israelitas non agere pœnitentiam. Existimaverim probabilius intelligi subitam & præcipitem ruinam Israelitarum, qui quasi placenta quæ subitario & tumultuario quodam modo coquitur, sine fermento, nec versatur, vorari quamprimum solet.

9. *Comederunt alieni robur ejus.* Assyrii & Chaldæi everterunt viribus eum & fortunis.

Et ipse nescivit. Magni stuporis hoc fuit imminui & frangi viribus, nec sentire tamen. consenescere atque inveterascere, cumque ceteri canos advertant, eum, in quo sint, solum nescire.

10. *Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus.* In quo tandem superbia? Quod se isti supra ceteras nationes efferant, nec tam Deo, quam copiis suis confidant. In quo abjectio & humilitas? In servitute, quam servient, & ceteris malis, quibus prementur.

In facie ejus. Non multo post tempore, inquit Hieronymus, sed nunc & in præsenti.

11. *Et factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor.* Cum aves cunctæ facile inescan-

tur & illiciuntur, tum columbæ maxime illicio decipiuntur, vel ad immigrandum alio, vel ut capiantur. Notantur incautæ & improvidæ mentes Israelitarum, qui aliquid sibi opis ac præsidii constitutum putarint frustra in Ægyptiis. Nihil enim isti Israelitis auxiliati, nec eo minus in servitutem hos Assyrii abduxerunt. Petiisse autem ab Ægyptiis auxilium tum Israelitas, tum Judæos intelligitur variis ex locis, ac præcipue ex capite 36. Isaiæ, v. 6. Hieronymus: *prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione, stultitia nominatur.*

12. *Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum.* Quasi dicat; Ne illos tunc quidem desinam persequi & exagitare, cum solum verterint. ibi etiam incident in casses meos, nec effugient, ne si in cœlum se avium instar volatu extulerint.

Cædam illos secundum auditionem cœtus eorum. Hieronymus: *Sicut juncto consilio omnes idola fabricati sunt, ita me irato omnes vastabuntur.* Clarius exponi potest isto modo: Ut lubenter aures præbuerunt Hieroboamo, eique sunt assensi, cum de idololatria suaderet, ita cædentur a me, & merita pœna afficientur.

Quæri facit Hieronymus, cur Ephraim non aliis avibus, sed columbæ comparatus sit; responderque avibus ceteris prolem curæ esse, ut ab omni incursu hostium, accipitris, corvi, colubri, quoad possunt, defendant, nidum circumvolitent, & huc & illuc ferantur, ac se parentes gerant vel querendo ac dolendo, vel contra invadendo. Solam columbam pullorum, si ablati sint, nullo teneri desiderio, nihil dolere ea jactura. Similiter facere Ephraim, *quod vastatum per partes populum non sentiat, sed negligens sit salutis suæ.*

13. *Væ eis, quoniam recesserunt a me.* Duo hic apud Hieronymum observare licet, 1.um hunc omissa communi & sua interpretatione ex Hebræo exponere versus, ut LXX. reddiderunt. Sic enim hoc loco ait: *Et cæderem in auditu angustiæ;* cum ipse reddiderit; *cædam — secundum auditionem cœtus eorum.* Deinde ab ipso editionem Græcam aliquam vocari vulgatam. *Porro*, inquit, *in editione vulgata dupliciter legimus; quidam enim codices habent δῆλοι εἰσὶν — alii δειλαῖοι εἰσὶν*, &c.

Quod autem a Deo resilierint sponte sua, omnis eos infelicitas excepit. LXX. ἀπεπήδησαν.

Vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. In Hebræo est שׁד לָהֶם *vastatio eis.* Proxime dixit, *væ eis, quoniam recesserunt a me.* nunc, *vastatio eis, quia prævaricati sunt in me*, ut, *væ* illud prius universe dictum sit, hoc posterius singillatim. *vastatio* autem vel fuit, vel, quod est magis proprium vaticinii, erit.

Ego redemi eos. Eripuit eos Deus ex servitute quam tot jam annos serviebant in Ægypto.

Et ipsi locuti sunt contra me mendacia. Non modo liberatorem & ejus in se beneficium tale ac tantum non agnoverunt, sed etiam falsis Numinibus acceptum retulerunt: cum dicerent; *Hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* Potest etiam ita accipi quasi dicatur, eos, si quando in bello superiores discesserint id opibus humanis tribuisse, aut auxilio vel Ægyptiorum, vel Assyriorum: cum contra quicquid victoriæ fuit, referri oportuerit ad Deum tanquam auctorem.

14. *Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis.* Hieronymus: *In idololatriæ fornicationibus volutabantur.* Quæ mihi expositio minus placet, quam si dicamus, Hebræos, malis & calamitatibus oppressos, non habuisse perfugium ad Deum, sed inclinata ululantique voce clamores & ejulatus domi ac de nocte edidisse.

Super triticum & vinum ruminabant. Nihil aliud nisi cibum & potum agitabant animo. quæ causa fuit cur parum de Deo aut nihil admodum cogitarent, imo etiam ab eo discederent. aliud LXX. videntur sibi velle, aliud & Hebræi.

15. *Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum.* A se ait Hebræos habere duo, quibus abutantur contra se, doctrinam & robur. ut, quod possunt, nefarie de Deo cogitent.

16. *Reversi sunt, ut essent absque jugo.* Ita edisserit Hieronymus, ut in veterem statum redierint, quo statu nulla lege, nullo jure tenerentur, ante Abrahamum primo, post etiam ante Mosem in magna licentia & impunitate rerum omnium viverent. Itaque non legit עָל per Camets, ut doctus aliquis apud Vatablum, non עַל per patach, ut Buxtorfius, sed עֹל quod est jugum. Sententia est ejusmodi: libertatis avidi hoc egerunt iterum iterumque, ut divinum a se ac cervicibus suis jugum dejicerent. ruunt effrenati & præcipites, quasi aperto campo potiti. Verum cum Domini jugum excuterent seque liberos ac sui juris putarent, missi sunt sub jugum Assyriorum, nulla spe proposita libertatis. Quare *facti sunt quasi arcus dolosus.* Sua illos mens & cogitationes, & consilia fefellerunt. *Arcus* autem *dolosus* vel communi epitheto dicitur, quod eminus vulnus incautis inferat, & longe remotos occupet, ut de sagitta habetur apud Poetam:

Hic jaculo bonus hic longe fallente sagitta:

vel peculiari & loci proprio, ut arcus dolosus sit is, e quo sagitta fugiat imprudenti jaculatore; fallit enim arcus, si vel recta non fertur sagitta, neque collineat qui jaculatur, vel etiam si in ipsum jaculatorem convertitur. *Cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ.* Optimates, a quibus est populus impulsus in fraudem, ferro tollentur, propter impotentiam dictorum suorum. quæ vero dicta eorum, nisi illa impia, cum auro & vitulis ex auro nomen tribuerunt divinitatis? Cum ita quoque locuti sunt: *Isti sunt dii tui Israeli.* Exod. 16. &c. 32.

Ista est subsannatio eorum in terra Ægypti. Fecerunt hoc idem, in Ægypto cum versarentur, ut neglecto vero Deo, ficta numina colerent impia religione.

IN CAPUT VIII.

1. *IN gutture tuo sit tuba.* Deus ita Osee compellat: contende voce, quantum poteris, & persona quasi tuba, aquilam facturam impetum in ædes Domini, &c.

Quasi aquila super domum Domini. Aquilam Hieronymus Nabuchodonosorem, domum Domini Hierosolymam interpretatur. ut hæc oratio pertineat jam ad duas tribus, de quibus identidem meminit, etiam hoc capite v. 14. *Et oblitus est Israel,*

Iſrael, &c. *& Judas multiplicavit urbes munitas.* Præſignificatur autem excidio urbis ac templi, & vaſtatio ſervituſque populi, & præda ac rapinæ ducis, qui ut aquila involet in eſcam magna vi, & comprehendat unguibus, & comminuat, & veſcatur.

2. *Me invocabunt, Deus meus, cognovimus te Iſrael.* Quaſi dicat. A me auxilium petent, ſeque ea notis meis eſſe dicent, quo magis me æquo & benevolo utantur.

3. *Projecit Iſrael bonum.* Hieronymus: *Quomodo vocamini Iſrael, cum Iſrael projecerit bonum, id eſt, dominum ſuum, a quo appellatus eſt Iſrael.*

4. *Ipſi regnaverunt, & non ex me.* Me invito & repugnante, regem ſibi conſtitui voluerunt.

Principes extiterunt, & non cognovi. Aiunt illi quidem. *cognovimus te Iſrael.* Contra vero dico, non cognovi vos, qui principes eſtis, & principatum a me extorſiſtis.

Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola. Quomodo noſſem homines, qui, quicquid dicant, ita me ignorant, ut auro ſuo argentoque numen ac divinitatem tribuant.

Ut interirent. Aurum & argentum verterunt in idola, non *ut interirent*, ſed quia verterunt, ideo interierunt verterunt igitur, ita ut interireut. conſecutio hæc eſt, eventuſque, non cauſa, quam ſpectarent.

5. *Projectus eſt vitulus tuus, Samaria.* In Hebraico eſt זנח *rejecit.* qua voce eſt uſus quoque verſu 3°. *Projecit Iſrael bonum.* ea quo tribus modis exponi licet. Projecit vitulum tuum Deus, Samaria. Projectus eſt vitulus tuus, Samaria; à Deo, videlicet. Sed hæc explicandi ratio altera eſt eadem prope atque prima. *Projice vitulum tuum Samaria.* cum iiſdem literis conſtet imperandi modus, quibus præteritum tempus Explicationem hanc tertiam LXX. ſecuti ſunt, qui verterunt ἀπόῤῥιψον. quo loco videtur Hieronymus legiſſe quoque ἀπότριψαι: cum dicat; *cohortatur habitatores ejus — ut projiciat vitulos, ſuper quot iratus eſt Deus:* ſive ἀποτρίψεται, id eſt, deficeet, ut quos multo tempore coluerat, paulatim *deficet* & *emundet.*

Iratus eſt furor meus in eos: uſquequo non poterunt emundari? Merito me iratum habent, qui nondum peccare deſiſtant. quouſque tandem jacebunt & volutabuntur in cœno ac ſordibus idololatriæ? Quaſi qui emergere tam longo intervallo non poſſint.

6. *Quia ex Iſrael & ipſe eſt.* Non eſt hoc numen cœleſti profectum origine ad vos, ſed ſumptum de medio, fabricatum a vobis, adeoque nullo modo numen, neque habendum pro numine Hieronymus exponit, eos non ab aliis vitulum gentibus accepiſſe, ut Baal, & Aſtaroth a Sidoniis, ut Chamos a Moabitis, ut Moloch ab Ammonitis. fabricatos fuiſſe ipſos idola ſibi, vitulos duos; imitatos quidem Ægyptiorum morem, qui ἄπιν & μνεῦιν colerent.

Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samaria. Vitulus Samariæ erit fragmenta, ſeu contritiones שְׁבָבִים a שבב in *fragmentum* id eſt, frangetur & comminuetur, ſignum illud aureum figura & forma juvenci fabricatum. Apud Eſaiam c. 59. ubi Hieronymus aranearum telas reddidit, non eſt ea vox Hebræa, quæ hic legitur. Sunt apud Hieronymum difficilia intellectu duo. primum quod ait ab Hebræo didiciſſe ſe שְׁבָבִים proprie nominari *aranearum fila per aerem volantia*: quæ dum videntur, intereunt, & in atomos, atque in nihilum diſſolvuntur. deinde quod habet, in Hebraico ſcriptum eſſe שבבים per ' penultimam literam, non, ut quidam falſo putant, שבבום per ו.

7 *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent.* Significat præclara metaphora, nihil eis proceſſurum ex ſententia, nullum eos fructum ac præmium laborum percepturos. Qui ventum terræ tanquam ſemen mandarit, quid aliud præter tempeſtatem ac turbinem, meſſis loco ac tempore exſpectet. ἀνεμόφθορα porro dicuntur quæ medullam non habent, ἐντεριώνην.

Culmus ſtans non eſt in eo. Eſt culmi ſtare, cum geniculatus ſit, eoque ſeges erecta, quaſi aſſurgat in ſpicam. Calamitas autem iſta proprie eſt, cum grando aut alia tempeſtas culmum affligit ac percellit.

Germen non faciet farinam. Frumenta dum molentur, nihil reddent farinæ, aut medullæ candidioris. omnia furfur erunt.

Quod & ſi fecerit, alieni comedent eam. En ſumma calamitas, ſerere, metere, molere non ſibi, ſed alienis.

8. *Devoratus eſt Iſrael.* Videtur id intelligi de eo, quod proxime dixit, *alieni comedent eam.* quaſi dicat, Extranei bona & opes diſſipabunt. Et vero jam diſſiparunt. Dictum ea conſuetudine qua dicitur quis aliquem comeſſe, cum ejus fortunas & bona abſumit. Plautus Menæchmis. *Sine modo venire ſalvum, quem abſentem comes,* &c.

Nunc factus es in nationibus quaſi vas immundum. Iſrael ceteris antea nationibus longe præſtabat, & in honore ac pretio erat, apud omnes. nunc eo nihil eſt vilius neque contemtius, nec vas quidem immundum, & ad uſus fœdos comparatum. Hieronymus: *Immundum vas, ſive inutile Hebrai matulam vocant, quo,* &c. Quo id tempore Judæis verius, quam poſt Chriſtum paſſum ad noſtrum uſque tempus, contigit, ut abjectiſſimi & deſpicatiſſimi mortalium eſſent, minoriſque, quam vas quodque immundiſſimum fierent, & cunctis peræque nationibus ſorderent?

9. *Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur.* Haberi ludibrio & deſpectui Iſraelem argumento eſt, quod capti ſunt ab Aſſyriis, atque in ſervitutem ducti.

Onager ſolitarius ſibi. Captivorum hic ſtatus & conditio eſt, ſoli ſunt & ea magna ſuorum frequentia ſublati, & in ſolitudine, montibus, opinor, Medorum collocati.

Ephraim. Videndum amplius, utrum ea vox annectenda ſit ſuperioribus, *Onager ſolitarius ſibi, Ephraim*, an adjungenda ad ſequentia, *Ephraim munera dederunt amatoribus,* &c.

Munera dederunt amatoribus. Qui miſit Iſrael nuncios ad regem Ægypti, ab eoque auxilium contra regem Aſſyriorum petiit, ut omni ſe onere tributorum liberaret; credibile quoque eſt miſiſſe munera, & horum ſibi amicitiam & gratiam conciliaſſe donis. 4. Reg. 17. 4.

Quod vero ait munera amatoribus data, quaſi

 ien

rem indignam notat, cum factum contra oportuerit. Ac videtur idem, quod Ezechiel manifesto significat, velle cap. 16. *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes amatoribus tuis, & e contrario factum est in te.*

10. *Sed & cum mercede conduxerint nationes.* Quasi dicat, omni modo & via præsidium sibi contra hostes pararunt. nec donis tantum muneribusque dandis devinxerunt nationes sibi aliquot vicinas, sed etiam pretio ac mercede opem ab eis & auxilium pacti sunt.

Nunc congregabo eos, & quiescent paulisper &c. Hieronymus non videtur sibi hic constare. primum enim, *Congregabuntur*, inquit, *ad pugnam, & victi pariter abducentur. Et — paulisper beneficium consequentur, ut non solvant stipendia regi & principibus, donec perveniant in Assyrios, ubi nequaquam tributa, & stipendia dabunt ut liberi, sed redigentur in ultimam servitutem.* Paulo post, *Ducti*, ait, *in captivitatem, cessabunt paulisper ab onere regis & principis.* Convenientius est ut dicatur: Colligent ipsi se & in unum conducent copias ad resistendum. quo interim spatio paulum respirabunt, liberi a tributo, quod modo conferrent.

11. *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum.* Fana exstructa, aræ positæ, idola fabricata, idque in Dan & in Bethel. In aliis præterea locis fana exædificata fuisse intelligimus ex lib. 3. Reg. cap. 13. 32. *Contra altare, quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ.* Sensus ergo iste hujus loci est. fons & origo malorum omnium, perversa atque impia religio Israelis, qui deliquit, propterea quod aras excitavit loco non suo, eoque gravius deliquit, quo plures aras excitavit. ut sacra illi pro sceleris cumulo fuerint. Quamplurima numero altaria quomodo exstruxerint, monet quoque Hieronymus. *An non contemptus Dei est, quando me jubente, ut unum in Hierusalem esset altare, per omnes montes & colles idola fabricati sunt, quibus irritarent dominum?* Quinetiam nullum neque jam parvum, neque tam magnum locum fuisse, in quo non excitassent Israelitæ fana, satis constat ex 4°. Reg. c. 17. v. 9. 10.

12. *Scribam ei multiplices leges meas.* Ingeram rursum eis leges, quas dederam prius per Moysen, si forte non jam negligant neque ad se pertinere non putent, ut olim fecerunt.

13. *Hostias offerent, immolabunt carnes & comedent.* In sacris, quæ facient mihi, immolabunt hostias non mea, sed sua causa. Id enim duntaxar spectant, ut epulentur. hanc esse sententiam loci vox ista significat. nihil enim attinebat dicere istos comesturos in sacrificiis, quæ facerent, nisi voluisset indicare, hoc illis maxime propositum fuisse. quæ causa est quamobrem Deo grata non sint futura. Hieronymus: *nec suscipiet hostias Dominus, quas non illi, sed suo ventri immolaverunt & gutturi.*

Nunc recordabitur iniquitates eorum, & visitabit peccata eorum. Statuit Hieronymus inter ἀνομίαν sive ἀδικίαν, & ἁμαρτίαν discrimen, quod *iniquitas* ante legem, *peccatum* sit post legem. Item inter, *recordari* & *visitare*, ut illud sit meminisse modo, hoc ulcisci. fore autem, ut iniquitates recordetur, peccata vindicet. Quanquam paulo post aliud quiddam videtur Hieronymus dicere, quod & per se difficile est ad intelligendum & forsan non verum, nisi leniatur interpretando. *Iniquitates*, inquit, *id est, ἀνομίαι & ἀδικίαι vocantur, quas ante baptismum commisimus, & quæ nobis in baptismate sunt dimissæ. Peccata autem quæ post baptismum egimus. Quæ omnia imputabuntur hæreticis: ut & veteres iniquitates, & nova eis peccata reddantur.*

Ipsi in Ægyptum convertentur. Vel auxilii contra hostes petendi causa, vel studio & impietate, quod eosdem colant falsos deos, quos, in Ægypto cum essent, venerarentur, ἄπιν & μνεῦιν. *oblitus est enim Israel* &c. vel denique in fuga, cum ab Assyriis vastitas, & direptio, & servitus intentaretur. verisimile quippe est cum alii occiderentur, alii captivi ducerentur, alios in fugam se contulisse, habuisseque ad Ægyptios receptum.

14. *Et oblitus est Israel factoris sui.* Magna illa oblivio & sui, & veri numinis, divinitatem aliis & cultum tribuisse. Hieronymus: *totos colles, & montes, & umbrosas arbores, Baal & Astaroth, & aliis idolis consecrans. Et Judas multiplicavit urbes munitas.* Vidit Judas Israelis facinora, & vindicata vidit neque tamen idem non peccavit; & munivit oppida complura, & in iis præsidia suæ defensionis constituit, quem Deo niti potius oportuit, nihil humanis istis viribus confidere. *Et mittam ignem in civitates ejus, & devorabit ædes illius.* Quasi dicat: suum illi asylum ac perfugium, quo fretus peccat audacius & liberius, adimam, manu mea deflagrabit incendio. quæ minæ soli Judæ proponuntur. Sunt tamen qui idem quoque Israeli intentatum supplicium existiment, ut quia dictum est supra, *Israel ædificavit delubra, Judas multiplicavit urbes*, minetur Deus se hujus urbes, illius delubra inflammaturum. Certe negotium facessit, quod in Hebraico non est idem genus pronominis possessivi in utraque voce. Nam עָרָיו sonat virile genus, אַרְמְנֹתֶיהָ femininum. ex quo Ribera alterum ad Israelem genere masculino Hebraice expressum, alterum ad Judam, qui est alterius generis in Hebræo, refert. Sed id tamen videtur totum argutius.

Apud Hieronymum in commentariis scribitur: *devoraturum βάρεις ejus, id est, magnas & in modum turrium ædificatas domos.* Ex quo mihi est suspicio Hieronymum eam legisse vocem apud LXX, aut apud alios Græcos. quid enim verbum hoc ipse protulisset, quod interpretaretur deinde?

Adjungitur & ab Hieronymo, *Quod juxta* LXX. *interpretes legimus, & in Assyriis immunda comederunt, in Hebraico non haberi, & iccirco obelo prænotandum esse.* Quibus ex verbis perspicitur, id quod alio loco Hieronymus declarat, quis obeli usus apud Origenem fuerit in libris sacris; esse, nempe, illud apud LXX. quod in Hebræo desideretur. non tamen continuo notari isto modo, ut expungatur, cum Hieronymus ipse non contemnat id, nec gravetur exponere. Idem certe Hieronymus Epist. 89. ad Augustinum, *ubicunque*, inquit, *virgulæ, id est, obeli sunt, significatur, quod Septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo.*

IN CAPUT IX.

1. NOli lætari Israel &c. Cave putes idem tibi licere vel expedire, quod ceteris gentibus, aut causam tibi eandem esse lætandi. alia est tua, alia est illarum ratio & conditio. recessisti a Deo, quem noras, illæ nequaquam recesserunt a Deo, cujus notitiam nullam habebant. Hieronymus: *Aliter nesciens Deum, aliter punitur recedens a Deo. Dilexisti mercedem super omnes areas tritici.* Quia modo dixit, *fornicatus es a Deo tuo*, cum de idololatria ageret, pergit in eadem translatione, *dilexisti mercedem*, id est, pretium scortationis illius tuæ idque prætulisti lucrum areis omnibus tritici, sive copiis omnibus, quasi tibi Deus affatim largiretur, cum illum venerarere, ut par erat, & coleres. Alio quodam modo *Hieronymus* exponit: *Mercedem*, inquit, *fornicationis tuæ, areas multas & torcularia reputasti, ut rerum omnium abundantia fruereris.*

2. *Area & torcular non pascet eos.* Non reddet area triticum, non præla oleum, non vitis respondebit exspectationi vinitoris, aut dominorum. Prædicitur sterilitas futura agrorum, & inopia annonæ ac fames. Ita porro, ut prædictum, accidit, Achabo rege Israel, & Helia propheta. quo tempore fames, quæ tum fuit gravissima, ad infanda quædam & inhumana matres impulit. 4. reg 6. In hanc quidem sententiam Hieronymus, sed falsus opinione sua. non enim tanta penuria sub Helia, sed sub Elisæo propheta contigit.

3. *Non habitabunt in terra Domini.* Non sedem illi tantummodo & patriæ solum amittent, quod ipsum est miserum, sed domicilio & terra migrare cogentur, in qua erant a Deo collocati. neque vertent solum, ut exsules, aut ut coloni deducentur, sed pertrahentur captivi, & in servitutem abducentur.

Reversus est Ephraim in Ægyptum. Est illud triste ac luctuosum, cogi ad veteres hostes confugere, quo novis hostibus resistas, aut ab illis salutem petere, ne intereas ab his aut damnum accipeas. Vide vs. 13. superioris capitis.

Et in Assyriis pollutum comedit. Polluta hæc vel idolothyta sunt, ut Hieronymus exponit, vel alia ciborum genera, a quibus lex jubet abstinere.

4. *Non libabunt Domino vinum.* Cum in Chaldæa templo carerent atque altari, justo, dico, & legitimo, non jam Domino vinum libabant, sed idolis. & si libabant, cum quidem omnia sacra promiscua haberent, non placebant Deo, cui non sacrificabant uni, ut oportuit.

Sacrificia eorum quasi panis lugentium. Polluta & immunda sacrificia, ut eorum convivia & sacra sunt, qui suos lugent. Duo erant, quæ miscebantur, epulum funebre & sacrum. Hieronymus: *Non est licitum de sacrificiis comedere lugentium, & si comederit, immundum fiet, quod licite oblatum est. Lugentium cœnas Græci περίδειπνα vocant: nos* parentalia *possumus dicere, ab eo quod parentibus mortuis immolentur. Et non solum qui obtulerit, sed etiam qui comederit, de hujusmodi cibis immundus erit.*

Quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit &c. Immolant victimas non Domino, neque enim per legem licet alieno & peregrino loco: sed sibi quodammodo, & gulæ, id est, epulandi causa. In Hebræo aliud videtur significari לְנַפְשָׁם *pro anima ipsorum.* quasi velit, quæ pro se facient sacra, proque anima aut salute sua, non erunt accepta Deo.

5. *Quid facietis in die solemni.* Diem solennem & festum Domini Hieronymus interpretatur id tempus, quo tempore Israelitas Deus tradit in servitutem Assyriis, ac per hos injurias suas ulciscitur & persequitur. Quasi dicat, quid tum fiet vobis, quum Chaldæos in vos vindices nefariorum & manifestorum scelerum vestrorum immisero. Perstat in eadem expositione infra. *Pro die solenni Aquila interpretatus est*, tempus. *Ex quo manifestum est, non festum diem sonare, sed tempus retributionis. Statim enim sequitur:* Venerunt dies ultionis, venerunt dies retributionis tuæ. Simplicius & huic loco convenientius est, si sic interpretemur: Ubi dies venerint, quos agere festos ac solemnes Hierosolymis antea mos erat, quid fiet a vobis in Chaldæa, cum hostibus servietis, aut in Ægypto, cum eo vos ex clade patria receperitis?

6. *Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit eos*, &c. Dum Assyrii & Chaldæi diriperent opes Israelitarum, & corporibus vincula injicerent, non defuerunt qui elaberentur e manibus & fuga sibi consulerent. dissipatos excipiet Ægyptus, & quasi recolliget, nunquam redituros in patriam. *Memphis* enim *sepeliet eos. quæ urbs*, inquit Hieronymus, *eo tempore erat metropolis Ægypti, antequam Alexandria, quæ prius appellabatur* נא ab Alexandro Macedone, & magnitudinem urbis, & nomen acciperet. Convenit hic quidem versus decem tribubus, ex quibus alii alio pars in Ægyptum diffugit. Sed multo id melius forsan de tribu Juda accipitur, cum reliquum in Judæa vulgus propter interfectum Godoliam, sibi a Chaldæis metueret, in Ægyptumque male fugeret. Vide Reg 4. cap. 25 & Jerem. cap. 4. vs. 6.

Desiderabile argentum eorum. Hic Hieronymus ut consequenti versu, & 13. ut sæpe alias, LXX. interpretes falsitatis & erroris coarguit. *Quod in* LXX *dicitur, sepeliet eos Machmas: in Hebræo non habetur: sed* מַחְמַד *quod appellatur desiderabile. Ex quo perspicuum est falsos eos esse similitudine literarum* ד & ר: *& pro* Machmad, *quod omnes* desiderabile *transtulerunt, putasse* Machmas *Ægypti civitatem.* Quo loco aliquid apud Hieronymum vitii est, quomodo enim fieri potest ut LXX. similitudo deceperit literarum daleth & resch, si *Machmas* legerunt, ubi resch nullum habetur? Corrigi ergo oportet locum, & legi ד & ז apud Hieronymum: sicut enim ו *litera* similis est quodammodo literis י & ז: ita ד littera habet aliquid simile cum ר & ז.

Urtica hereditabit. Id est, magnificas & pretiosas villas, instructas & ornatas infelices herbæ, ut urtica, occupabunt. atque ubi prius ædes & palatia, lappæ subibunt, spinæ, & similis stirpium asperitas, quæ derelictum & vastum & incultum tamdiu solum indicat.

7. *Scitote Israel stultum prophetam.* Hic Hieronymus erraſſe, ut solent, similitudine literarum LXX. vult. *Et in hoc loco*, inquit, *error est solitus Ubi enim nos interpretati sumus*, Scitote Israel, *hoc est, Israelita, & in Hebraico legitur* ידעו: LXX. *transtulerunt*, καὶ κακωθήσεται. *id est*, & affligetur: ד *literam* ו *putantes, & pro* ר *legentes quorum alterum* scienti-

tiam, *alterum* afflictionem *vel* malitiam *sonat.* ידע *autem reddi debet*, scient. Hieronymus mutavit interpretando & tempus & personam. Neque dici potest, quod Ribera dixit, legisse Hieronymum ידעו & scitote, ut est in Psalmo 4. vs. 4. nam ita legisse LXX. Hieronymus ait, quos reprehendit. Sententia est, agnosce Israel te, qui es, stultum & amentem vatem, cum falsa & inania vaticinatus sis, bene tibi promiseris, adversa omnia evenerint.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ. Cæcus & amens, o Israel, ferebaris in sceleribus, ita multa peccasti. quare non mirum si vaticinando quoque, multum insanisti. Hieronymus; *Pro amentia, id est, μανίᾳ, Aquila vertit ἐγκότησιν: quam nos vel iracundiam, vel memoriam doloris in Latino possumus dicere.*

8. *Speculator Ephraim, cum Deo meo: propheta.* collocatus in speculis princeps, sive rex Israelis, qui caveat populo, & videat, ne quid populus detrimenti capiat, cumque admoneat officii, aut deerrantem in viam reducat. Item qui prophetam agat instinctu divino, & prædicat calamitates futuras. Vide Ezech. 3. 17.

Laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus. Qui consulere commodis debuit populorum princeps jubendo, monendo, hortando, is illis est fraudi & exitio, eosque velut laqueo irretitos præcipites undique agit.

Insania in domo Dei ejus. Illaqueatus populus stulta & inani specie pietatis. insania in domo Dei, id est, idolum, sive vitulus aureus in Bethel.

9. *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa.* Vox hic eadem usurpatur, quæ est c. 5. vs. 2. adhibita, העמיקו. Demiserunt se penitus, & abjecerunt in profundum. Non illi minus peccarunt eligendo rege Hieroboamo, statuendis falsorum numinum & venerandis simulacris, quam eum vel in Gabaa uxori Levitæ vitium intulerunt ac mortem, Jud. 19. vel de Gabaa regem sibi Saulem sumpserunt.

Prudens & gravis observatio Hieronymi hoc non est a nobis silentio prætereunda. *Veteres*, inquit, *scrutans historias, invenire non possum scidisse Ecclesiam, & de Domo Domini populos seduxisse, præter eos qui Sacerdotes a Deo positi fuerant & prophetæ, id est, speculatores.*

10. *Quasi uvas in deserto inveni Israel.* Nihil gratius accidere potest viatori esurienti, aut sitienti, quam si uvæ in inculto & derelicto solo, id est, ibi, ubi reperiri non soleant, reperiantur tamen. Item nihil videtur jucundius pomis & natura sua mitibus & primum maturis. In maxima solitudine & inopia hominum, qui verum Numen vel nossent, vel observarent, tantæ jucunditati Deo fuit populus olim Hebræus, tantæ fuerunt Abrahamus, Isaacus, Jacobus.

Ipsi autem intraverunt ad Beelphegor. Qui mihi primo placebant, quos amabam tum suo, tum majorum suorum nomine, ii alieni a me & aversi ad pudendum Numen se contulerunt. Vide Num. 25. Israelitæ primum libidini se dediderunt, qui scorta duxerint peregrina, deinde servierunt gulæ, post impietati atque idololatriæ, qui ad sacrificia invitati a scortis interfuerint, comederint, adoraverint Deos, quos hæc ipsa scorta venerarentur. *Initiatusque est Israel Beelphegor.* Hieronymus: *Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare.* Denique interpretatur Beelphegor *idolum tentigines habens in ore, id est in summitate pellem*, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.

Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Hieronymus: *ut propter quod recesserant a Deo, illud colerent.*

11. *Ephraim quasi avis avolavit.* Decem tribus migrarunt quam celerrime, & in alias terras deportatæ sunt.

Gloria eorum a partu, & ab utero, & a conceptu. Vel repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *avolavit Ephraim*, avolavit quoque ejus, sive civium gloria ab eorum partu, id est, liberos nepotesque destituit. vel, gloriantur illi quidem numero & multitudine suorum, præque se contemnunt duas tribus, quid enim duæ ad decem?

12. *Quod & si enutrierint filios.* Quasi dicat: Non illi educabunt, non suscipient liberos; quod si susceperint atque educaverint, cum hi processerint ætate, magnamque spem & exspectationem concitarint suis parentibus, delebuntur me objiciente hostibus. Orbi parentes & ipsi, me destituente, ferent infortunium.

Cum recessero ab eis. בשורי *in recedendo me.* At LXX. & Theodotio ἡ σάρξ μου ἐξ αὐτῶν qui legisse videntur, ut Hieronymus recte divinat, בשרי expuncto ו. Hic multi multa contra Judæos, quod hunc locum corruperint, quasi faveret Christianis, Deumque hominem futurum assereret. Alii pro Judæis quoque non pauca. Judæos ego neque accuso, neque purgo. Tantum dico Hieronymum, qui testimonia quædam a Judæis prætermissa esse, vel corrupta dicat, nullum hic crimen in Judæos conferre, nihil in illis reprehendere.

Apud Hieronymum hæc videntur pugnantia. Ait enim Epistola 89. ad Augustinum. *Ego enim non tam vetera abolere conatus sum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in Latinum transtuli, quam ea testimonia, quæ a Judæis prætermissa sunt vel corrupta, proferre in medium: ut scirent nostri, quid Hebraica veritas contineret.* Cui Augustinus rescripsit Epist. 98. *De interpretatione tua jam mihi persuasisti. Quæ utilitate scripturas volueris transferre de Hebræis: ut, scilicet, ea, quæ a Judæis prætermissa vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed insinuare digneris, peto, a quibus Judæis.* &c.

Rursum in Esaiam c. 6. Excæca cor populi ejus. *Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Origenem,* &c.

Affirmat supra Judæorum fraude ac dolo aliqua corrupta & depravata esse. Hic proxime negat prorsus falsi aliquid Judæos affinxisse. Repugnantia hæc omnis tollitur, si attendamus agi priore loco de Græcis codicibus, in quibus, vitium est interpretum, qui vel omiserint, vel mutarint nonnulla, quæ in Hebræis essent: posteriore loco sermonem esse de codicibus Hebraicis, qui integri sint, nec a quoquam adulterati. Quanquam tenuis adhuc residet scrupulus; Si Judæi interpretes fidem non præstiterunt in Græce reddendis ex Hebræo sacris libris, quomodo ostendi possit, eosdem bona fide versatos in tractandis Hebræis ipsis, nec eo quidquam vitii aut labis invexisse?

13. *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine.* Apud Hieronymum quædam corrupta.

LXX.

LXX. ut ait Hieronymus, legerunt ציד id est *venationem*, sive *capturam*, *putantes ob literarum similitudinem non esse* ר sed ד Aquila & Symmachus & Theodotio צור *petram durissimam*, id est, silicem. Legit ipse Hieronymus צר quæ Tyrus dicitur. Tyrus situ est cum munito, tum præclaro ad aspectum. Ephraim antea nihilo munitior erat, nihilo pulcrior & beatior. qui nunc exercitum atque omnes suos educet in hostem, sed ad certissimam cædem. Hieronymus: *Multi*, inquit, *hoc capitulum ad Asaelis tempora referunt, qui obsedit Samariam & longo tempore afflixit fame ut levius arbitrentur obsessi gladio perire quam media.* 4 Reg. 13.

14. *Da eis, Domine: quid dabis eis? da eis vulvam sine filiis, & ubera arentia.* Erat in parte felicitatis, maxime apud Judæos, πολυτεκνίᾳ. prætetea gloriabantur decem tribus numero & multitudine populorum. Optat a Deo, ut hanc illis superbiæ occasionem præcidat, imprecaturque ut matres neque pariant liberos, neque educent. Est autem suspensionis certa ratio & forma: quasi dubitaret, nec cito veniret in mentem quid optaret potissimum. aut animo secum exigeret aliquandiu, ut gravissimum quidque imprecaretur illis.

15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal.* Quasi dicat: Non nunc primum peccant, odique eos. sed jam inde ex quo me invito & dissuadente regem sibi in Galgal Saulem unxerunt. 1. Reg. 10. Galgala idololatriæ locus est.

De domo mea ejiciam eos. Sedem, nomen, prophetas amittent, non ulli ad eos sic tanquam ad populum Dei, Prophetæ mittentur amplius; neque immisti nationibus ceteris Israelitæ appellabuntur, terraque ea migrabunt in quam Deus eos introduxit.

Non addam ut diligam eos: omnes principes eorum recedentes. Contendit Hieronymus, quod Deus ait se pulsurum eos domo sua, minime ad regnum Juda referri posse. propterea quod neutrum horum eis conveniat. non prius: Hierosolymam enim reducti sunt. non posterius: justi, videlicet, reges David, Asa, Josaphat, Ezechias, Josias.

Percussus est Ephraim, &c Nullos illi ex se fructus efferent, tum quod eorum penitus radix exaruit, tum quod percussi sunt, quasi trunco & corpore.

16. *Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Erant quidem tum Judæi vagi, cum in servitutem alii alio abriperentur. Sed tum maxime errare cœperunt & vitam inopem vagamque persequi, ex quo mortem Christo intulerunt, pulsique templo, altaribus, civitate, nihil proprie suum habuerunt.

IN CAPUT X.

1. VItis frondosn Israel. Duplici est modo Hieronymus interpretatus. 1. Qui fructus respondet viti nimium frondosæ, id est, aut nullus aut exiguus, idem fuit Israelis, qui numero quidem abundavit, sed fructus nullos edidit. 2. Quantum vitis propaginum & flagellorum multitudine quasi circumfluxit, tantum fructuum tulit. par fuit Israel qui omni copia præditus fuit, quandiu verum ac velut patrium, Deum coluit. Hieronymus: *Pro vite frondosa Aquila interpretatus est* ἔνυδρον, *quam nos* aquosam *vel* ἐξοινον *possumus dicere, eo quod vini perdat saporem: Symmachus* ὑλομανοῦσαν, *quæ tota in frondibus creverit.*

Idem ait luxuriem esse quamdam foliorum in vinibus, quæ putatæ non sint. *Vites*, inquit, *quæ putatæ a vinitore non fuerint, in flagella frondesque luxuriant, & humorem quem debuerant in vina mutare, vana frondium & foliorum ambitione disperdunt.* Amputandæ videlicet & circumcidendæ vites primum. deinde manibus intertegendæ frondes & carpendæ, tum stringendæ comæ, tum brachia tondenda, ut poeta præcipit.

Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, &c. Hieronymus: *abundantiam fructuum vertit in offensæ multitudinem: ut quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria, & abundantiam terræ numero vinceret idolorum.*

Accommodata est vel ad hoc tempus observatio Hieronymi in hunc locum. *Hæreticorum*, inquit, *terra fœcunda est, qui a Deo acumen sensus & ingenii percipientes, ut bona naturæ in Dei cultum verterent, fecerunt sibi ex his idola. Nullus enim potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, & habet dona naturæ, quæ a Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus. Talis Bardesanes, cujus etiam Philosophi admirantur ingenium.*

2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Erat initio Israelitarum summa conspiratio & concordia, vel in impietate sua. Nunc quia cœperunt inter se dissidere, erit discotdiarum, qui solet esse, exitus, universus imperii & civium interitus. Concinna est, neque omnino improbabilis quæ ab Hieronymo Hebræorum fabula appellatur, tandiu res integras & utcunque florentes fuisse Israelitarum, quandiu cum rege populus consensit, id est, communes Deos, communem cultum religionis & impietatem habuerunt. aliquid enim populus excusare tunc poterat, id se exemplo & auctoritate principis facere. Ubi autem rex illis obtigit is, qui ad meliora cœperat ex parte converti, Osee, iidemque fuerunt, qui antea, dispari rege, tunc ex amplo statu conciderunt, eversique sunt funditus, cum nulla esset excusatio peccati.

Ipse confringet simulacra eorum, &c. Hostis, sive Deus per hostem communibus incendiis & bonorum direptionibus, non aris parcet, non statuis Immo vero comminuentur simulacra, despoliabuntur aræ. quod hæc profana verius, quam sacra reliquarum rerum depopulationem attulerint.

3 *Quia nunc dicent, non est rex nobis: non enim timemus.* Propediem cum regno privabimur rege Osee, quia Domino vero regi nequaquam, ut par erat, obtemperavimus. Etiam tunc autem regno sublato, si rex maneret, quid prodesset nobis, nihil adjuvante, imo adversante Domino?

4. *Loquimini verba visionis inutilis.* Hebræa sonant pro varietate punctorum, vel *loquuti sunt*, ut passim nunc posita videmus, דִּבְּרוּ vel ut poni possunt, atque ut legisse videtur Hierooymus, *loquimini* דַּבְּרוּ in Pihel, seu דָּבְרוּ in Cal. Item quod sequitur, verba, דְּבָרִים non est in regimine. ex

 quo

quo apparet Hieronymum vel legisse דָּבָר vel reddidisse *visiones inutiles.* Atque hoc est, quam illud, probabilius, cum numero legatur plurali אָלוֹת ut *visionum* fuerit non *visionis* reddendum.

Visionis inutilis. Omnes extra Hieronymum, interpretantur *dejurium falsum* & *mendax*, sive ad verbum, *jurando*, aut *dejerando mendaciter.* Sequitur, *feriens fœdus.* quod etiam ad verbum exprimitur, *feriendo fœdus* כרות ברית Itaque omisso hic tantisper Hieronymo, hæc potior videtur sententia esse & expositio. *Dixerunt ac dejerarunt falsum*, sive dictum suum exsecrationibus devinxerunt vanis & inutilibus & feriendo fœdere sanxerunt.

Et germinabit quasi amaritudo, &c. Tametsi læta omnia & prospera polliceamini vobis, aut sic futura Prophetæ adpromittant, tamen nihil nisi judicium, sive supplicium, & infelicitas proveniet. proveniet autem sicut herbæ nocentes ac venenatæ, idque in agro arato & culto.

Hic finem Hieronymus facit sui in Osee Prophetam secundi commentarii. & tertio affingit proœmium. Ex quo firmari conjectura potest, quam fecimus cap. 5. vs. 7. non olim Hieronymi temporibus, ut nostris nunc, divisa & distributa fuisse videri capita; proptereaquod initium commentariorum Hieronymus ducturus videretur ab initio capitis alicujus unius, non ut hic & illic fecit, ab capite jam cœpto.

5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* Tria hic spectanda, quæ sacris in literis usum habent & plurimum & insignem. 1. Ægyptiis Apin, Mnevim, Serapin, Osirin, id est, excellentem & certis quibusdam notis nobilem bovem summo in honore fuisse, proque Deo habitum ab iis & singulari solitum coli religione. Id cum ex aliis scriptoribus passim, tum ex Herodoto lib. 2. & Ammiano Marcellino liquet. 2. Hebræos vix eductos ex Ægypto, ac tam immani servitute liberatos, quod in Ægypto non fecerant, facere cœpisse, ut bovem sive vitulum ex auro fabricarentur sibi, quem colerent. Exodi 32. vs. 4. Quo loco observa non vitulum totum, sed vituli caput modo fictum ex auro & conflatum quod multis locis Hieronymus habet, quasi de eo nullo modo dubitet. Alii alios locos indicant, hic luculentus, de quo nemo, in cap. 48. Esaiæ vs. 5. *Caput bovis Ægypti desiderasti, dicens: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Lactantius lib. 4. vs. 10. *Aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt.*

3. Longo intervallo eandem impietatem & cultum vituli aurei Israelitas retulisse, lib 3. reg. cap. 12. v. 28. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite ultra ascendere in Hierusalem: Ecce dii tui Israel qui te eduxerunt*, &c. Quibus verbis admoneri potuerint, si sani essent, de impietate avita. totidem enim illi verbis: *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

Ad hunc locum quod attinet, cum dicitur, *vaccas*, attende genus, numerum, ætatem promiscue ac nullo discrimine haberi. ac vaccas quidem usurpari cum Hieronymo existimaverim per contemptum atque irrisionem, perinde quasi Israel non solum vitulos Deos, sed etiam vaccas Deas coleret. Deinde numerus est multitudinis pro singulari ut cum sæpe alias, tum 3. reg. 12. 32. *Et ascendens altare similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.* Unus enim ibi in ea urbe constitutus & propositus ad venerandum vitulus. Jam quod ætatis habita nulla sit ratio, ne scriptores quidem alii retinent discrimen, quod Varro in bubulo genere ponit.

Luxit super eum populus ejus. Mutatio est numeri; cum enim proxime dixisset, *Vaccas Bethaven*, nunc *super eum*, id est, super unam e vaccis, vel super vitulum aureum. Quorsum autem luxit populus? respondetur vs. 6. quia muneri, præter cetera, missus est vitulus aureus regi Assyriorum. Hieronymus, *legimus*, inquit, *in regum volumine, regem Israel Manahen, regi Assyriorum Phul mille argenti talenta misisse, ut esset manus ejus cum eo, id est ut ei præberet auxilium: inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos esse directos.* Traditum ait quiddam ab Hebræis, quod si aliunde constaret nobis, aut quoquo modo firmaretur, magnam lucem afferret huic loco, *Aeditui ejus super eum exsultaverunt*, &c. *Prodiderunt autem Hebræi vitulos aureos a sacerdotibus furto esse sublatos, & pro his æneos, & deauratos repositos*, &c. Sententia & expositio communis est hæc: In vastitate & direptione Samariæ ablata simulacra, & ea præsertim quæ pretii alicujus essent, delata ad regem Assyriorum, ut vituli aurei, quæ præda belli foret. Hanc jacturam atque damnum cum luxit populus, tum antistites sacrorum, qui illis antea simulacris gloriarentur atque exsultarent.

6. *Munus regi ultori.* Hieronymus: *Pro Jarib in præsenti loco Symmachus interpretatus est ὑπερμαχοῦντι, id est, præsuli & defensori.* Vide caput v. vs. 13.

Confusio Ephraim capiet, &c. Infamiæ suæ pudebit tum principes, tum multitudinem: principes, quod inventores idolorum & duces fuerint ad impietatem; populum, quod obtemperassent male imperantibus.

7. *Transire fecit Samaria regem suum.* נִדְמֶה *Succisus est.* Est in bibliis Hebraicis Pagnini & Vatabli participium masculinum. cum videatur legendum potius in fœminino נִדְמָה quia Samaria nomen est urbis ac provinciæ. Habuit in vertendo Hieronymus rationem *spumæ*, quæ transeat, sive illico evanescat. *Pro Spuma*, inquit Hieronymus, LXX. *& Theodotio φρύγανον, id est, cremium, transtulerunt: aridas, scilicet, herbas, siccaque virgulta, quæ camino & incendio præparantur. Symmachus posuit ἀνάζεμα, volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, & in spumam bullasque surgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant.*

8. *Et disperdentur excelsa idoli* בָּמוֹת loca edita, quibus in locis fana, aræ, simulacra. *Idolum* אָוֶן apud LXX. ὤν.

Lappa & tribulus ascendet super aras eorum. Ingentes sine dubio ruinæ, ubi nihil ne parietinarum quidem reliquum: asperæ herbæ & agrestes occupant omnia nec ullus sacris locis & religiosis altaribus cultus.

Dicent montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos. Ad utrumque Hieronymus refert, ad excidium Hierosolymitanum, atque ad supremum il-

illum judicii diem, quanquam ad illud potius. quod Dominus in ultimo tempore captivitatis Judaicæ dicit esse complendum. Quicquid ergo nunc contra decem tribus, sive contra omnem dicitur Israel, sciamus *τυπικῶς* etiam ad totum populum posse transferri: ut quando Romani ceperint Hierusalem, & subverterint templum: sive cum judicii dies venerit (ut alii suspicantur) dicant magno horrore metuentes, *operite nos*, montibus: & collibus, *cadite super nos:* mori magis optantes, quam cernere quæ afferunt mortem.

9. *Ex diebus Gabaa peccavit Israel.* Mirum quo ex' die facinus præclarum fecerunt, notari eorum maleficium & scelus. Ulti sunt illi quidem stuprum uxori Levitæ per insignem violentiam illatum. & recte. Sed eosdem, qui sunt ulti injuriam suam, ulcisci prius oportuit divinam. Quam tandem? idololatriam Michæ, & matris, 17. Judic. 4. quod crimen primo unius familiæ fuit, tum totius tribus Dan, idque diuturnum, tamque diu, quandiu domus Dei hæsit in Silo. Judic. 18.

Quanquam ne illud quidem bene ab iis factum, quod bene fecerunt. *dolore* enim *maritali*, ut Hieronymus loquitur, prosiluerunt ad pugnam.

Ibi steterunt: Hieronymus: *Hic stetit Israel: ibi suum repressit gradum, ne ultra ambularet in viis Domini.*

Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. Hieronymus: *Non eos comprehendet propter Gabaa prælium, sive captivitas, sicut ipsi putant: ibi enim bene fecerunt, ut persequerentur filios iniquitatis. Sed corripiam* &c.

10. *Juxta desiderium meum corripiam eos* &c. *Corripiam*, inquit, *eos, atque erudiam tota mei animi voluntate, & congregabo adversus illos populorum multitudinem. Corripientur propter duas iniquitates suas.* Tripliciter Hieronymus exponit. duas fecerunt iniquitates, vindicando hominem, & Dei sui injuriam negligendo. Sive duas iniquitates: quia primum peccaverunt in idolis Michæ: secundo in vitulis Hieroboam: vel certe duos vitulos Samariæ in Dan & Bethel, possumus duas iniquitates appellare. De quibus & Hieremias loquitur: *Duo pessima fecit populus meus.*

11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Videtur sumpta occasio metaphoræ & similitudinis ab eo, quod modo dictum est vs. 5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* quasi dicat: vaccas coluit Ephraim, quæ & ipsa vitula, quod lasciviat, & luxuriet, & vituletur, id est, temere gestiat: docta non modo ferre laborem improbum, sed etiam amare. *Tritura* autem ex eo est quod solcant aream terere, & ferreos orbes super acervos segetum trahere, ut paleæ a tritico separentur, ut docet Hieronymus.

Et ego transivi super pulcritudinem colli ejus. עָבַרְתִּי Notat Hieronymus verbum hoc Hebraicum mali semper aliquid, præsertim cum a Deo usurpetur, significare. *Ego transivi* &c. *crassas*, inquit, *& tumentes cervices Ephraim subegi, & eam jugum ferre jussi, quæ trituram amaret.*

Et ascendam super Ephraim. Subjiciam ipse mihi, & super incumbam interim dum arabit Judas, & Jacob sibi confringet sulcos. hæc, quæ metaphorica tota sunt, istam habere sententiam, quam fere subjicit Hieronymus, possunt. *Ephraim, sive decem tribus recusant imperium sive ferre jugum nolunt legis, subibunt tamen quanquam invitæ.* Juda, id est, duæ tribus scindent arva vomere, & in sulcos reclinabunt terram. Jacob, duodecim tribus, rastris glebas frangent, terramque comminuent. Quasi ita dicat; Ephraim jugi expers & impatiens, quippe qui arbitratu suo vivant, cum a lege divina discesserint Judas, cum legem ac templum retinuerit, sponte sua navabit operam. omnes denique incumbent labori, & vertent, ac mollient præparabuntque agros ad serendum.

Arabit Judas. Hieronymus: *In Hebraico legitur* יחרוש *per* ׳ *primam literam, quam* LXX. ו *putantes, interpretati sunt, & tacebo.* Hic miror Hieronymum illud ipsum LXX. interpretum, quod vitiosum existimet, tamen explicare conari, aut curare.

12. *Seminate vobis in justitia*, &c. Significavit modo fore ut duodecim tribus quasi conjunctis viribus pararent omnia ad sationem nunc hortatur id ut faciant, *serant in justitia*, id est, in lege; *metant in misericordia*, id est, in gratia Evangelii, tum *innovent* sibi læta *novalia*, id est, etiam tum cum fructus præsentis anni percipiunt & condunt, cogitent & curent, provideant reliqua in annum venientem.

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit &c. Sunt serendi tempora, sunt metendi. Est certa quædam etiam opportunitas novalium, sive agrorum, qui non arantur quotannis, sed altero quoque anno novantur & iterantur. Cum moneat & hortetur, hæc ut fiant quæ suo quæque tempore fieri oportet, tum adjungit quod tempus maxime idoneum futurum sit ad quærendum Deum, tempus autem idoneum est, cum venerit Christus & servator, qui docebit vos justitiam, quam nunc speratis in lege: *finis enim legis Christus est, ad justitiam omni operanti bonum.*

13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis.* Hieronymus. *Nunc quoque in Hebræo scriptum est* חרשתם, *quod nos vertimus*, arastis, *pro quo* LXX. *transtulerunt*, quid reticetis: *simili errore quo supra, silentium pro oratione interpretantes.* Sententia est: præceperam ac mandaram ut recte atque ordine seu tempori spargeretis semen, messem faceretis. Omnia contra fecistis, nam impietas vobis pro aratione, pro messe iniquitas, pro fruge & comestione falsitas ac mendacium fuit.

Confisus es in viis tuis, & in multitudine fortium tuorum. Quam vitæ viam & rationem Ephraim tenuit, nisi impietatis & idololatriæ? quæ multitudo fortium, nisi robur exercitus? utroque nitebatur, & magnopere confidebat Ephraim, non veri nominis, sicuti debuit, auxilio.

14. *Consurget tumultus in populo tuo.* Trepidatio & tumultus orietur inter cives, ingruente hoste, & adoriente. evertentur opera munitionesque urbis.

Sicut vastatus est Salmana a domo ejus. Talem ac tantam Ephraim calamitatem accipiet, qualem quantamque Salmana rex Madianitarum accepit ab Gedeone: eo enim prælio cæsa primum centum viginti millia hostium, deinde quindecim quoque millia perierunt. Judic. 8. 10. Fuit porro tanta consternatio virorum ut mutuis se vulneribus peterent atque interimerent. *Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant, fugientes* &c. Jud. 7. 22.

Apud Hieronymum hoc loco alia videntur pugnantia, alia falsa, alia obscura ac prope inexplicabilia. Hæc parum cohærent: *Sic vastabuntur*, quomodo *vastatus est atque conterritus Salmana* &c. Tum: *ut quomodo Salmana interfecit filios coram matribus* &c *idem vastatus, seu deletus prælio dicitur & vastator seu deletor, nisi vere dictum putamus & convenienter, quatenus trecentis numero Hebræis Madianitas persequentibus, ipsi per fugam in se incurrerent, seque præcipites ac furiosi conficerent, cæcitate & insania divinitus injecta.* Illud falsum: *Legimus in Judicum libro, loquente Gedeone ad principem Madian: Quomodo absque liberis fecit gladius tuus* &c. Habentur enim 1. Reg. 15. non Jud. libro, quæ Samuelis sunt ad Agag, non Gedeonis ad Salmana. Vera ista duo, alterum ex Jud. libro, fratres Gedeonis interemptos a Salmana; alterum ex Osee matrem necatam ac allisam.

Una cum liberis. Hæc perobscura, & quod reddidit Hieronymus, *a domo ejus qui vindicavit Baal*, cum in Hebræo sit בֵּית אַרְבֵאל & quod in commentatio dixit, *vastatus est, ut in Hebræo continetur ab* ארבאל *idipsum significante, quod & Hierobaal, sed breviori disertiorique sermone.* Primum ergo nihil mutandum puto in Latina interpretatione, sive in hac voce (*vastatus est*) sive in illa (*qui vindicavit*) in Hebræo est כְּשֹׁר quod reddi potest non in agendi tantum, sed etiam in patiendi modo, & *sicut vastare Salmana*, & *sicut vastitas Salmanæ*. Deinde Gedeon dictus est *Hierobaal*, non quod Baal ultus sit aut punierit evertenda ara, succidendo luco, sed ex eo, quod cum posceretur ad pœnas, tanquam reus impietatis & sacrilegii, pater ejus responderit, *ulciscatur se aut vindicet de eo Baal* יָרֶב בּוֹ הַבַּעַל. Ex iis igitur vocibus ducta est hæc יְרֻבַּעַל quæ sonat quidem *vindicans Baal*, aut *qui vindicat*, aut *qui vindicavit Baal*, sed eo significatu qui non cadat in Gedeonem. non enim appellatur Gedeon, *Hierobaal* quod vindicet Baal, seu ejus injurias persequatur vindex, sed quod Pater Gedeonis dixerit, *ulciscatur se*, si potest, Baal.

15. *Sic fecit vobis Bethel.* Qualem se Arbehel præstitit adversus Salmanam, talem se Bethel, in qua vitulum aureum posuistis, & estis venerati Ægyptios Deos, præbebit vobis, id est, vestrum ulciscetur scelus: locus ille vobis erit exitio, propter admissa ibidem a vobis scelera.

Ab undecimo versu ad hunc usque locum perdifficilia esse omnia, quæ vix Interpres expediat, Hieronymus censet. *Locus iste*, inquit, *imo omnia, quæ hoc capitulum sequuntur, magnis obscuritatibus involuta sunt.* Tum ad versum 15. *Evasimus utcunque de confragosis locis.*

IN CAPUT XI.

1. *Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel.* Quam parum diuturnum ac stabile regnum sit Israelitarum exponit altero quasi simili. antea quidem contulerat cum spuma. nunc simile esse crepusculo lucis statuit, quo nihil brevius ac velut fugacius.

Quia puer Israel & dilexi eum. Etsi Hieronymus ita reddit, ut causa afferri aliqua videatur, aliter tamen interpretatur. quasi dicat: Jam inde ab initio etiam tunc cum puer esset, & serviret in Ægypto, misi qui vocaret in libertatem sic tanquam filium meum, cui parentis loco essem.

Ex Ægypto vocavi filium meum. Celebri isto Osee loco Matthæus utitur, ut commorationem in Ægypto Christi, ex eoque loco reditum confirmet, & a vate præditum ostendat cap. 2. 14. *Qui consurgens, accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: & erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.* Qui sensus etsi allegoricus sit, vim tamen habet ad probandum. esse autem allegoricum non historicum sensum intelligitur ex eo, quod Hieronymus dicat: *Ea quæ τυπικῶς præcedunt in aliis, juxta veritatem & adimpletionem referantur ad Christum. ut vocatus puer Israel sit typus vocati quoque ex Ægypto Christi pueri.* Et confirmatur ex eo quod adjungit Hieronymus: *quod Apostolum in duobus montibus Sina & Sion, & in Sara & Agar fecisse cognovimus. hæc autem facta dicuntur per allegoriam.* Vide hic Hieronymum de typo. Hunc locum ipsum Hieronymus ingerit lectoribus identidem, quo doceat quam necesse fuerit ex Hebræo transferri sacras literas in Latinum, quamque non omnia LXX. complexi sint Græce vertendo, cum iste apud eos locus, quo Matthæus utitur tanquam firmamento, nusquam exstet.

2. *Vocaverunt eos, sic abierunt a facie eorum.* Misi Moysen & Aaron, qui vocarent ex Ægypto Israelem, & ad cultum veri numinis traducerent. ipsi vero ex Ægypto egressi quidem, non tamen paruerunt monentibus, sed alio se averterunt, nihiloque minus se idolis & simulacris inanibus dediderunt. bis autem in eo peccarunt, & inter viam atque in solitudine, cum Beelphegor colere ac venerari instituerunt, & in terra, in qua sedem stabilem ac domicilium certum habere cœperunt. Cum Baal primum sub Achab rege Israel, 3. Reg. 16. post & Astaroth, & alia adorarunt idola.

3. *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Ego non illis modo Pater fui, sed altor etiam & educator, qui amplexus ulnis sum ac gestavi & fovi sinu. Illi autem persimiles puerorum infantium ne hoc quidem senserunt, quantæ mihi curæ essent quæ mea erga se officia & merita constarent. Sed quæ tandem hæc officia, aut quo loco, quove tempore collocata? Tunc cum iter ingressi per sola & deserta loca, neque lux illis per noctem, neque umbra per æstum, neque cibaria in solitudine defuerunt. Quæ quidem officia sunt hac ipsa jam explicata metaphora, qua nunc Osee utitur, Deuter. 1. *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulasti, donec venires ad locum istum.*

4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* Cum Aquila & Symmachus & LXX, & Theodotio, pro *Adam*, *homines* transtulerint, recte exponitur, humane agam cum illis, pelliciam eos, & obstringam mihi vinculis amoris arctissimis.

Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum. Demam jugum eis cunctarum circumquaque nationum. neque enim vincentur ab ulla, aut mittentur sub jugum. Quod additur, *super maxillas*

eorum,

eorum, ideo additur, quia impeditiores boves jugo imposito, neque facile pabulum capiunt juncti inter se. Quamobrem non est necesse dici morem hunc fuisse cum jugum cervicibus imponeretur, una præfigi ora capistris. ac ne id quidem necessarium est ad intelligentiam hujus loci, *Non alligabis os bovi trituranti.* Satis est enim intelligi, tum solere capistrati boves, ubi periculum esset, ne quid inter arandum depascerent, ut in tritura, aut si inter arbores vineasque ararent. Itaque Plinius lib. 18. cap. 19. *Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistrari boves oportet, ne germinum tenera decerpant. Declinavit* porro *ad eum ut vesceretur*, id est, demisit manna in deserto quo vescerentur. Hieronymus præter alia hic, præclare illud: *Dedi eis esum corporis mei: ipse & cibus & conviva.*

5. *Non revertetur in terram Ægypti.* Etsi maxime cupiat, non licebit ei reverti in Ægyptum. cupit autem, vel auxilii petendi causa, vel quo mitior sibi sit servitus & tolerabilior. Non assequetur tamen, ne hoc quidem, ut Ægyptiis iterum pareat, sed subigetur ab Assyriis & in ditionem eorum ac potestatem redigetur, idque merito suo, quia hunc nondum pœnituit admissorum.

6. *Cœpit gladius in civitatibus ejus.* Quasi dicat: Non agri modo vastabuntur, non evertentur villæ, non externa tantum loca minimeque munita patebunt injuriæ atque incursioni hostium; sed mediis in urbibus versabuntur gladii. nec agricolæ tantum & rustici tollentur ferro, sed omnis præterea flos & robur hominum urbanorum. Hieronymus interpretatur electos & principes sive robur exercitus, & capita & consilia eorum.

7. *Et populus meus pendebit ad reditum meum.* Multitudo vi & consilio suorum destituta, pendebit exspectatione reditus ad se mei. Sed frustra jugum enim, idque perpetuum & populo & principibus viris imponetur.

8. *Quomodo dabo te Ephraim.* Affectus Dei in utramque se partem versantis, qui velut invitus & coactus in Israelitas animadvertat. Sententia planior interpunctione fiet. *Quomodo dabo te Ephraim? protegam te? Israel, quomodo dabo te? Sicut Adama ponam te, ut Seboim?* Quomodo accipiam te Israel? utrum salvam te conservabo, an perdam, ut urbes duas, quas incendio & flamma delevi? Hieronymus reddidit אֲמַגֶּנְךָ *protegam te*, quo modo & Aquila & LXX. verterunt. exponit tamen aliter atque a se discedit, ut interdum facit, & Symmachi *ἐκδώσω σε*, Theodotionis *ἀφοπλίσω σε* secutus, *auferam*, inquit, *a te scutum, quo te ante protexeram. Et hic sensus magis convenit Domino comminanti.*

Qui reddiderunt ex Hebræis Latina Pagninus & Vatablus, & alii, reddiderunt, *eradam te*, ut revera vox sonat אמגנך ab radice מגן Quod si, *protegam te*, significari vis, demendum מ fuit, & scribendum אגנך, ab radice גנן. Itaque nihil Ribera dicit, cum tueri conatur Hieronymi interpretationem illam, *protegam te*, eo quod מָגֵן *scutum* significet. Est ita quidem, sed non ut ab eo ducendum sit אמגנך verum אגנך.

Sicut Adama — ut Seboim. Duæ ex quinque urbibus, quæ delapso igni cœlitus conflagrarint, quarum habes nomina Genesis c. 10.

Est observatio hic Hieronymi, ubi contra Judam dicitur, *Sodomam & Gomorram* usurpari: ubi contra Ephraim, *Adama & Seboim.* ex quo conjecturam facit Sodomam & Gomorram principes fuisse in peccato, & Adama & Seboim earum exempla sectatas. Quod ut concedatur, non satis apparet quid id ad rem pertineat. neque enim, credo, duæ tribus, quæ manserunt in lege & officio, nocentiores tribubus decem.

Conversum est in me cor meum. Statim atque deliberare secum cœpit, & exigere qua Israelitas pœna affecturus sit, commovetur animo, & quasi corpore perhorrescit. pœnitet illum dicti & consiliorum.

9. *Non faciam furorem iræ meæ*, &c. Negat se iracundiæ & furori suo serviturum, aut Ephraim deleturum funditus.

Quoniam Deus ego & non homo. Deus optimus maximus. cujus nihil habet nec potentia majus quam ut possit, nec bonitas melius, quam ut velit servare omnes. præsertim qui se salvos volunt. Non sic homo agit cum homine, cui nihil magis est adversarium, quam homo. Hieronymus: *homo ad hoc punit, ut perdat: Deus ad hoc corripit, ut emendet.*

In medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. Plures hic sententiæ, quam capita, sive plures expositiones, quam expositores. Hieronymus tres affert: *Non sum unus de his, qui in urbibus habitant: qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam*, &c. *Possumus & aliter dicere: quia primus Cain*, &c. *Hebræi ex persona Dei ita edisserunt: Non te derelinquam: non ibo ad aliam gentem, nec ingrediar alteram civitatem.* Simpliciter dici ita potest; commorabor in medio tui qui me sanctum locus intimus decet, quasi res sanctissima, eroque tibi sanctus, nec migrabo alio, nusquam abero.

10. *Post Dominum ambulabunt.* Ut se Deus una multum fore cum Israelitis pollicetur, ita illi ab eo non discedent, sectabuntur invitantem & prosequentem beneficiis.

Quasi leo rugiet. Non se beneficum modo, sed etiam formidolosum præbebit mortalibus. Hieronymus: *Natura leonum esse dicitur, ut cum infremuerint & rugierint, omnia animantia contremiscant & fixo gradu se movere non possint.*

Formidabunt filii maris. Hieronymus: *Verbum* Maim *quod per tres literas scribitur* מים; *si legatur* מַיִם *aquas significat*, *si* מִיָּם *de mari* intelligitur. *Filios maris* interpretor remotissimos quosque populos, qui Christum ubi vocem instar leonis misit, exaudierint, cujus potentiam reveriti sint, qui ab oriente, ab occidente, a reliquis orbis terrarum partibus convolarint atque ut aves fuerint in nido quoque suo collocati a Domino.

11. *Et volabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum.* Convertentur & redibunt ad Dominum vocantem. Unde, nisi ex eo loco, in quem se receperant, aut quo vi abducti erant? Quemadmodum igitur, certo anni tempore, ab Assyriis, aliæ aves ex Ægypto migrant, ita Israelitæ indidem evolabunt. Atque haud scio an ad hunc locum pertineat quod sacræ fuerint Syris columbæ. Tibullus, Lib. 1. Eleg. VIII. 17. 18.

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

12. *Circumdedit me in negatione Ephraim.* Ephraim regia tribus, & domus Israel, id est ceteræ tribus ex decem, cum se verum Deum colere profiterentur, idola quoque colebant undique, adeoque verum numen negabant. Contra autem duæ tribus, quæ templum, legem, prophetas haberent, servarentque præcepta, in Dei cultu & testimoniis versabantur, *cumque sanctis*, i. e. patriarchis, prophetis, aliis Dei cultoribus manebant in fide. Pro eo, quod redditur, *testis descendit*, recentiores reddunt, *adhuc dominatur*, quæ varietas ex sola varietate punctorum nascitur. Vide Hieronymum & Riberam.

Tradunt hic Hebræi, quod Hieronymus, ut solet, fabulam appellat. In ipso discessu ex Ægypto Israelitarum, cum ex altera parte mons impenderet, ex altera rubrum mare versaretur ante oculos, a tergo Pharaonis exercitus premeret, desperantibus salutem tribubus ceteris, solum Judam fidenter ingressum in mare, ac secutum ducem & quasi præeuntem Deum.

IN CAPUT XII.

1. E*Phraim pascit ventum.* Frustra sunt Israelitæ, sive decem tribus, dupliciter, primo quod se firmum ac stabile fœdus icisse cum Assyriis existiment: deinde quod se quoque ab Ægyptiis iniisse gratiam donis dandis putent. Ac Manaen quidem rex Israelis, dedit Phul, regi Assyriorum, dona; sive tributa persolvit quo is auxilio sibi ad retinendum firmandumque regnum esset, ita lib. IV. Reg. c. 15. Sed nusquam exstat, quod habet Hieronymus, aliquid cum opis ab Ægyptiis postulasse. Fecit hoc Osee, lib. IV. Reg. c. 17. qui miserit ad Sua regem Ægypti, quo se tributo, quod penderet quotannis Assyriorum regi, liberaret.

Pascit ventum Ephraim, quo ovis modo pascit pratum; hoc est, pascitur vento speque se inani sustentat, aut oblectat: non autem, ut ait non nemo, ventum agit pastum, sicuti dux gregis pascit oves: neque sicuti proverbio dicitur, littus arare.

Sequitur æstum. Vel idem est quod antea; pascit se vento & æstu, vento urente & æstuoso: vel, ad meridiem se convertit auxilii petendi causa a sitis ad Austrinam partem regibus & populis.

Tota die mendacium & vastitatem multiplicat. Id est, totos dies nihil, nisi vana quædam & inania, falsa spe inductus, agitat, sibique pollicetur. Item *vastitatem*; hoc est, perniciem sibi & exitium parat, accersit, & attrahit, atque accumulat; sive fœdus cum hostibus feriat, seu vicinos officiis & muneribus devincire tentet, & mercibus mutandis.

Oleum in Ægyptum ferebat. Interpretatur Hieronymus, munera Ægyptiis missa; licet nonnulli, ut ait, aliud sentiant, velintque eo potius importatum venale oleum, quod quidem oleum nequaquam in Ægypto gignatur, & cujus terra Samariæ fertilissima sit ejusque pretiosissimi.

2. *Judicium ergo Domini cum Juda.* Hic propheta duas tribus alloquitur, aitque fore ut Deus contendat & expostulet cum Juda quoque; pœnis autem ira ut meretur afficiat utrumque populum. *visitatio enim super Jacob*, non Judam modo, sed Israelem etiam significat: quippe cum uterque sit ex æquo progenies Jacob, in utrumque collata sint beneficia, quæ posterius recenset. Videtur hoc loco Hieronymus habuisse Judæ rationem solius, exclusisse alias tribus, quasi non eodem ex semine ortas, quod illa regia tribus fuerit, ex qua Messias. Verius omnes hic spectavi, quæ communem habeant parentem Jacob, qui Judam genuerit & fratres ejus.

Juxta vias ejus, & juxta adinventiones ejus. Est hoc argutius Hieronymi, quam ipse soleat, aut vox ferre videatur: *qui non tantum*, inquit, *fortuito errore deceptus de humana concidit fragilitate, sed inquisivit & adinvenit in quibus peccaret & rueret.* Illa vero vox & Hebraica & Latina satis frequens in sacris literis, quæ tamen peccatum simpliciter, non excogitatum malitiosius & meditatum significet.

3. *In utero supplantavit fratrem suum.* Revocat illis in memoriam beneficia, quæ in Jacobum communem omnium tribuum parentem Deus contulerit: quo magis appareat, quam se ingratos posteri præbuerint, qui beneficum & benignum Numen violarint tam sæpe, tamque diu. In utero autem supplantavit fratrem suum, hoc est, etiam tunc cum nasceretur, tenuit manu calcaneum fratris sui. quod erat insigne futurum ut revera Jacob Esaü fratrem supplantaret, quod quidem bis fecit, & cum jus primum nati coemit edulibus, & cum benedictionem paternam intervertit. Eadem porro vox Hebraica עקב usurpata tribus locis, etsi primum supplantatio, non supplantatio proprie fuerit, sed signum modo supplantationum duarum, quæ sunt secutæ. Ac Hieronymus quidem in beneficiorum divinorum numero reponit: quod Jacobus fratrem calce prehenderit nascendo, perinde quasi jam tum illum fratri Deus prætulerit. Sed non video quamobrem is antepositus sit, qui post fratrem, licet gemellus, exierit in lucem, nisi quod eum, quem æquare conaretur & consequi apprehenso calce, deinceps omni modo præventurus esset.

In fortitudine sua directus est cum Angelo. Id est, pari fortitudine commissus, compositus, æquatus cum Deo est, directus contra Deum. ita reddit Hieronymus, qui שר hic legit. Verum qui legunt & hic & consequenti versu שרה, ita exponunt; *principem se gessit cum Deo. principem*, inquam, *se gessit cum Deo.* Quid si, cum duæ sint voces, ita partite dicatur, viribus æquis congressus cum Deo est: majoribus cum Angelo. vel, cum Angelo pari robore, etiam majori?

4. *Et invaluit ad Angelum.* Hoc illud est ἔτυμον Israelis, *fortis contra Deum*, *præpollens Deo*, quod habetur Gen. 32. v. 28. Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Quo modo LXX. quoque verterunt: ἴσχυσε πρὸς Θεόν. Ex quo sequitur complures olim hallucinatos, quibus Israel *vir Deum videns* expositus

situs sit, ipsumque Hieronymum oblitum fuisse sui, qui hoc idem aliquot locis quasi aliud agens, dixerit.

Confortatus est. Corroboratus, scilicet, est Jacobus ex eo, quod ipsi Angelus, quasi volens nolens, benedixit, alioquin eum in lucta non dimissuro, nisi hoc ab illo boni extorqueret, sive ut præmium victoriæ, sive ut solatium vulneris, quod ab Angelo in femore acceperat.

Flevit & rogavit eum. Hanc benedictionem non modo prece magna ab Angelo, sed etiam, non sine lacrimis petiit. Habent LXX. *Fleverunt & rogaverunt me. in domo ὤν invenerunt me.* quæ cum Hieronymus affert, legi ait *in editione vulgata*: ut LXX. editionem vulgatam appellet. Itaque videndum, ubi aliis in locis utitur iisdem verbis editionis vulgatæ, num idem velit, an aliam editionem aliquam, eamque Latinam, notet.

In Bethel invenit eum. Bis in Bethel Jacob invenit Deum. primum cum parentum consilio & suasu, jussuque, in Mesopotamiam se recepit, tum ut fratris vitaret iracundiam & insidias, tum ut sibi peregre uxorem quæreret, junctam jam sibi materno sanguine, non duceret alienigenam. Inter viam, cum iret, offendit Deum, a quo multa ipsi prædicta, multa promissa. Atque hæc c. 28. Gen. Deinde aliquot post annis in reditu, Deum quoque invenit ibidem, & audivit, cum se alloqueretur & plurima moneret. Ita c. 35. Gen. Hieronymus intelligi hunc versum putat de itione & fuga Jacob in terram Haran. alii, & quidem verisimilius de reditu ejusdem in eum, unde antea discesserat locum. Persuadet mentio de lucta cum Angelo, quæ antecessit. Item locus ipse Genesis 35. capitis clarior est, quam ut dubitandum videatur quin ita accipi debeat. *Locutus est Deus ad Jacob: surge & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi*, & quæ sequuntur.

Ibi locutus est nobiscum. Ubi? in Bethel. quæ locutus est? *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt.* Tum subjicit: *Surgite & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.*

5. *Et Dominus Deus exercituum.* Quæ Deus tum locutus est Jacobo, quæ ejus causa agit, quæ de nepotibus in patre meritus est; horum memoria retinetur a posteris. hoc est illis monimentum sempiternum. Angustius interpretatur Hieronymus: *ex quo*, inquit, *tempore usque ad præsens, nominis ejus, quod illi ab Angelo & a Deo impositum est, memoria perseverat.*

6. *Et tu ad Deum tuum converteris.* Quæ cum ita se habeant, cum Deus tot beneficiis obstrinxerit sibi Jacobum, fidem suam Jacobus obstrinxerit Deo, communis vestrûm omnium parens: quin tu Israel, ac tu Juda, ad Deum converteris? Age, justus esto, esto misericors: tum vero in Deo omni tempore speres licebit.

7. *Chanaan, in manu ejus statera dolosa.* Hebraismus, *Chanaan, in manu ejus*; pro *in manu Chanaan* Chanaan autem recte redditum ab Hieronymo cæterisque interpretibus antiquis video, non *mercator* ut a novis. Vere enim animadvertit, quicumque animadvertit nusquam in sacris literis accipi כנען *Chanaan* pro mercatore, sed כנעני *Chananæum*. Vel unus locus Ezech. 17. 4. indicat Chananeos esse quidem mercatores, sed, hanc vocem *Chananæos*, non esse eandem atque illam *mercatores*. Hic ad decem tribus sermo convertitur. quo quidem sermone has Propheta avaritiæ, idololatriæ, præfidentis contumaciæ coarguit atque condemnat. Sensus hujus versiculi est; Ephraim, non jam Israelita pius ac probus ex semine Jacob; sed revera Chanaan improbus & fraudulentus. Quasi dicat: populus iste totus Chananæus est, cujus terram habitat, affinitatem expetivit sibi, mores refert. Amarius dictum: o vere Chanaan: neque enim Jacob, neque Israel, neque Juda, neque Ephraim. Sicuti illud poetæ: *o vere Phrygiæ; neque enim Phryges.* Animadvertit etiam Rupertus subtilius, hoc loco Jacob conferri per oppositionem cum posteris, quasi ille ex Jacob dictus Israel sit ob pietatem & fortitudinem, hi Chanaan ex sceleribus jure optimo vocentur.

In manu ejus statera dolosa. Pondera falsa, majora, majora, minora, æqua, iniqua, parva. Ea conditione merx venit, ut illis ponderibus traderetur. Si quis commodasset pondera falsa, ut venditor emptori merces adpenderet. Oleum, quod emisset adhibitis iniquis ponderibus si accepisset, emptor circumscriptus a venditore ponderibus minoribus esset. Leges Hebræis latas videmus in Pentateucho: quemadmodum & quam sæpe his legibus non pareatur, passim ostendunt Prophetæ, qui admonent, & arguunt, & objurgant eos, a quibus parum observentur. ut illud de iniquis ponderibus non adhibendis. lex enim Levitici 19. vs. 36. *Statera*, inquit, *justa, & æqua pondera.* Sed illud peculiare de trutina. hic universe de fraudatione quavis intelligi puto, Chananæos omni ratione fraudulentos & fallaces: hoc idem facere Israelitas istorum exemplo inductos, & imitatione eruditos.

Calumniam dilexit. Hoc est, non tantum fraudat homines contrahendis rationibus, sed libenter quoque facit, ut nimia potentia opprimat imbecillos.

8. *Et dixit Ephraim: Veruntamen.* Ita Ephraim rapax & avarus, gloriatus inducitur, qui sibi rem malis artibus quæsierit. Sed ut ut est; sive honeste parta bona mihi sunt, sive improbe dives sum. Hieronymus; *Non refert unde possideam, dummodo possideam. Quibuscunque rationibus opes pararo, bene mihi erit.* A quo non abludit illud Pisonis Tulliani: *Nummus interea mihi neglectis vehiculis triumphalibus, domi manet, & manebit.* Quæ est oratio omne sibi præsidium vitæ, omne decus ponentis in pecunia.

Inveni idolum mihi. LXX. εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ. mihi ipse requiem inveni, parta mihi per me requies. Recte tamen ex Hebræo, און idolum, id est, aurum, qui mihi Deus sit. Est illud avari gratulantis sibi & applaudentis, qui magno labore & sudore quæsitam rem invenerit, pecunias ingentes coegerit & coacervarit, minime alterius indigeat, omnia quæ tenet ac possidet, sicut propria sua esse, atque a se haberi velit.

Omnes labores mei non invenient mihi, &c. Est sensus, inquit Hieronymus, *quidquid peccavero, si habuero divitias, ab his qui meo indigent auxilio, mihi non pote-*

poterit imputari. Divitum enim amici multi, qui conniveant in sceleribus, malum bonum dicant, assententur omnia. Fert etiam Hebraica lingua, expers varietatis casuum in declinando, ut exponi ita possit: In laboribus meis, sive in opibus labore meo partis, non invenient, id qui curant, scilicet, aut qui mea facta contemplantur attentius, non invenient, inquam, quod reprehendant. Usque autem eo stupidi potentiores, *quorum oculos*, ut Hieronymus ait, *semel divitiarum non dicam fulgor, sed cæcitas occuparit.* ut sese & expertes malorum omnium futuros putent, & bonis omnibus præditos esse, ob eam rem quia opulenti sint: tantum argento atque auro tribuunt!

9. *Et ego Dominus tuus ex terra Ægypti.* Quæ quamvis tam perverse sentias, & loquare; plus in divitiis momenti, quam in divini numinis cultu ponas: tamen ego vindex & assertor salutis tuæ jam inde ex quo eduxi te salvum & incolumem ex Ægypto, servitute, quam Pharaoni servites, liberavi; etiamnunc non committam ut omnino desertum te esse patiar, si modo ad me & ad officium tuum redieris. Efficiam vero, ut ne vertas solum exsilii causa, ut istic, ubi es, commorere, atque habites, & festos dies patrios ac solemnes agas.

Sicut in diebus festivitatis. Facile est, quem festum diem vocet, intelligere, scenopegiam, sive tabernaculorum, qui in septimum mensem, & mensis decimum quintum diem incidat. is porro dies, quanta celebritate ageretur, & quam ob causam, declaratur Levitici 23. vs. 42. *Mense septimo, festa celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus.* &c. Item Deuter. 16. vs. 13. *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies.* Sed hæc ita institui comparatio potest. Quemadmodum olim Majores vestri, statim ab egressu ex Ægypto, me duce & auspice collocarunt diversis locis tabernacula, & in iis manserunt tuto; ad cujus rei memoriam recolendam præscriptus est vobis quotannis dies: ita operam dabo, ut degatis securi in patria, hos dies festos, veteribus beneficiis meis debitos, reddatis ut antea, & duplici nomine agitetis. renovabo merita antiqua & cumulabo novis, liberator quondam vester & sospitator.

10. *Et locutus sum super Prophetas.* Inter beneficia quæ Deus in Hebræos contulit, hoc longe maximum commemorat quod dederit Prophetas illis per quos admonuerit officii, & ad pœnitentiam provocarit: Ego idem, inquit, qui a cervicibus vestris jugum servile dejeci, idem doctor & magister Prophetarum vos per eos, institutos a me & afflatos allocutus sum: illi mysteria vobis mea aperuerunt, oracula fuderunt. Auditæ voces divinæ, visa objecta sæpe divinitus dormienti, vigilanti, præsignificationes quoquomodo datæ rerum futurarum, Christi adventus, mores, acta, vita, mors, cetera ejusdem antea longe ostensa & declarata per Prophetas, hic intelliguntur generatim & confuse. Neque est, mea quidem sententia, quod interpretes laborent, & diffideant alii ab aliis, cum vocem geminam exponunt, *in manu Prophetarum*, hoc enim quam simplex, tam verum videtur, quotiescunque vox ea duplex usurpatur, intelligi ea, quæ dicuntur aut fiunt, per Prophetas, sive opera & interventu Prophetarum, sive adhibitis illis & interpositis, administris, vicariis, legatis, idque afflatu & instinctu peculiari quodam Dei. Quod autem se Deus ait assimilatum a Prophetis, intellige vel variis expressum similibus rerum, ut patris, ut regis, ut amici, ut pastoris, item ut ursi, ut leonis, vel figuris & simulacris præmonstratum, quæ antecesserint.

11. *Si Galaad, idolum; ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes.* Quid loci Galaad, quid Galgal, nosse prius oportet, quam exquirere, quæ sit sententia versiculi, propter concisam brevitatem difficillimi. Galaad quidem trans Jordanem civitas, idololatria & perversitate religionis insignis. Galgal, cis Jordanem, non dispari impietate, illa in regno decem tribuum tunc: hæc sub imperio duarum tribuum, quæ appellabantur Juda. rursum Galaad ob situm loci exposita incursibus Assyriorum, & direptioni tradita propemodum. Capta enim primum inter alias ab Assyriis, & eversa. 4°. reg. cap. 15. Galgal vero, sive Galgala, transmittentibus Jordanem statim obvia, nec procul a periculo propter viciniam, si quid offensionis Galaad accipiat. Jam sensus est: Si Galaad idolum habet frustra, quippe quæ civitas nihil profectura sit, impietate sua, immo prima acceptura cladem: frustra quoque Galgal erit boves adorans, nec ullum fructum feret religionis impiæ. Aliter tamen res accipi potest ex Hebræa voce, quæ non tantum significet idolum, sed etiam, nihil, aut quod nihili est: isto modo, Si Galaad nihil est, sive in nihilum recidit, quid Galgal erit, par ei falsa atque impia religione civitas? Illud videntur sibi LXX. voluisse, qui transtulerunt, si non Galaad est, id est, si periit, si non stat amplius, si nullus est is locus, is civis; nullus erit Galgal, occidet, delebitur, uterque merito suo, & propter eamdem impietatem.

Bobus immolantes. Hieronymo Galgal, eo loco, *quicunque idola colunt, non boves Diis immolant, sed bobus offerunt sacrificia, imitantes errorem Samariæ.* Cui dicto subjicit: Ergo & decem tribus & duæ pari idololatriæ errore deceptæ sunt. Ibidem animadvertit Hieronymus LXX. verbi similitudine atque ambiguitate deceptos, legisse שרים, transtulisse ἄρχοντες, pro quo Hebræus שורים habeat, ipse transtulerit, *bobus.*

Nam & altaria eorum &c. Hoc est, evertentur aræ, facta demolitione rudera occupabunt solum. tum purgabitur locus, ibique arabitur, ut vestigium nullum reliquum sit contaminatæ & impuræ superstitionis. Hæc a captivitate brevi futura imminet excisio, quam Osee denunciat. Hic attende, quomodo גלים Hieronymus θῖνες interpretetur *acervos* exstructos lapidum, & arenarum. Porro in Hebræo cum sit, *immolarunt*, nihil vetat, quominus dicamus אשר relativum hic, ut sæpe fit Hebræorum more, omitti ac subintelligi: ut ita oratio struatur; *frustra erant in Galgal qui bobus immolarunt*, nec sit necesse dici, verba pro participiis usurpari.

12. *Fugit Jacob in regionem Syriæ.* Cœperat aliquid narrare Propheta de beneficiis, quæ Deus in Jacobum contulisset: nunc, posteaquam ab eo Sermone digressus est, redit eodem, & ejus in Mesopotamiam fugam, fraterni odii vitandi causa

com-

commemorat. Eo namque loci admonitu parentum atque etiam jussu se ad avunculum Labanum receperat. Syriæ namque nomine uno censentur multæ magnæque provinciæ, Palæstina, Phœnice, Cœlesyria, Syria Damasci, Ituræa, Trachonitis, Mesopotamia: ab Ægypto usque ad Cappadociam, aque mari ad Euphratem.

Servivit Israel in uxorem. Non temere est quod idem Jacob, nunc Israel mutato nomine appelletur. Qui enim primum Jacob, Israel dictus postea quam vicit Angelum. Ante quod paulo tempus apud Laban avunculum servierat septem annis, totidemque alteris, pro utraque Labani filia, Rachele & Lea. idque proptie, ut ipse profitetur; quicunque illi animus ab initio fuerit. Profitetur enim ipse se duarum causa operam præstitisse avunculo. Ad Labanum; *Ego*, inquit, *per quatuordecim annos, in domo tua servivi tibi pro filiabus*. Gen. 31. vs. 41. Quod hic habetur Israel *servivisse*, & *servavisse*, primum nihil est lusus in nomine, apud Hebræos, neque apud Græcos, deinde non est hæc res isto loco diversa, servire & servare, quasi locarit operam suam Israel avunculo, partim ut pasceret greges & armenta, partim ut aliter ei famularetur. una eademque opera sibi pactus est, primum Rachelem, deinde Liam: cum contra pro mercede Liam primum, Rachelem deinde, quam sibi initio desponderat pater, in matrimonium duxerit.

13. *In Propheta autem.* De Israele cum peregre serviret, quid meritus sit Deus admoniti sumus: nunc patri liberos conjungit, quoque modo illos Deus servitute solverit, & injustis oneribus per Mosen, a quo educti sint ex Ægypto, attingit.

14. *Ad iracundiam me provocavit.* Quasi dicat: cum tot tantaque a Deo profecta sint officia, in majores Ephraim, totamque nationem Hebræorum, en quam Deo gratiam retulerit ipse Ephraim. movit ei stomachum sceleribus suis, & amariorem fecit, qui propensus sua sponte ad lenitatem esset.

Et sanguis ejus. Itaque qui perituturus est, ipse sibi fuerit exitio: & qui probro Deo fuit, cum ei palam & aperte parere recusaret, is probro sibimet erit. Si quid Ephraim mali accidat, ne illud Deo adscribat, ne prædicenti Prophetæ: assignet sibi potius: hujus mali culpam omnem sustinebit. Habent aliquid persimile sacri codices. Matt. 27. *Sanguis ejus super nos.* Si quid in cæde Christi mali sit, causæ nihil dicimus, quin id in nos, & posteros nostros redundet. 2. Reg. vs. 16. *Sanguis tuus super caput tuum*: quod Saulem cecidisti, quod cæsus es, culpa tua est, qui scelus tuum edideris, & agnoveris.

Opprobrium illius restituet ei. Ephraim infamavit nomen Domini, cum Dominum malefactis violavit suis, cum animantes, ut Deos, coluit, cum alia in se scelera admisit: præbuit enim causam alienigenis contemnendi veri Numinis, ei obtrectandi, parum honorifice de eo sentiendi & loquendi, quem sui non colant, neque venerentur, neque dubitent provocare injuriis suis. Isto plane modo dedecori est Ephraim Domino suo: sed in caput ejus recidet tantum dedecus: afficietur ignominiis omnibus: nec injuria, qui probrum ipse intulit vindici libertatis suæ & salutis.

IN CAPUT XIII.

SUAM Israeli idololatriam Propheta objicit & veterem, hoc est, jam inde ab initio defectionis ab duabus tribubus, & multiplicem; quippe qui Deos alienos, ut Baal idolum Sidoniorum, asciverit sibi, & suos quoque sibi conflarit, utrosque coluerit. Templum, altare, sacerdotes, Baal, hoc uno ista tria nomine dicta.

1. *Loquente Ephraim.* Ephraim Hieronymus interpretatur Jeroboamum filium Naboth de tribu Ephraim, qui tribules suos & alios ex aliis novem tribubus cum alloqueretur, & hortaretur ad sese sequendum, ad novos ritus, ad novam religionem inducendam, hos magnus aliquis cepit horror, nec ausi sunt tamen voluntati regis ac principum resistere: pro Numine habuerunt Baal, Numen exterarum gentium, in eoque perseverarunt quoad vixerunt. Sic enim videtur exponendum, *deliquit & mortuus est*, quasi dicatur, mortuus in peccato est.

2. *Et nunc addiderunt ad peccandum.* Significat nequiores factos majoribus posteros, qui non solum idola alienigenarum, ut sese dabant in vicinia, venerati sint: sed etiam dedita opera conflarint argentum ut in metallo effingerent Deos, qui Dii toti factitii essent, nihilque aliud, quam opus artificum, idque ex argento, quod Dominus dederat, contra ipsum Dominum: quæ res indignissima.

His ipsi dicunt. Qui? quibus? Sacerdotes & principes populo: vel, omnes inter se, alii aliis dicunt. Immolate homines. adorare vitulos; summa impietas. immolare homines; summa inhumanitas. immolare homines vitulis; cum vituli Deo immolentur; quæ amentia, quis furor, quid non denique barbaræ superstitionis, quâ se tamen Judæi obligarunt, ut ipse Psalmo 105. 37. David docet. *Immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Jam vero quam illud tetrum & immane facinus sit, declarat orator qui illud in Gallos confert. *His*, inquit, *quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant? ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsum prius scelere violarint. Quis enim ignorat eos usque ad hanc diem, retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?*

In Hebræo nunc ad verbum, *immolantes hominem*, sive *immolatores hominis*. est enim זֹבְחֵי in regimine. Quare non fuit, quamobrem Symmachus ita interpungeret, ut interpunxisse Hieronymus dixit: *Immolate: homines vitulos adorent.* quasi illud velit: Sacrificate idolis: rationale animal homines, adorent vitulos muta animantia. Sed verisimile legisse olim Hebræos, זִבְחוּ id est immolate. Quid si, quomodo vertit Pagninus, אָדָם *immolate: quisque vitulos adoret*, ita hoc exponatur?

3. *Idcirco erunt quasi nubes matutina.* Quidquid est Israelitis boni & prosperi, breve, fugax, caducum

ducum existimandum est, ob eorum inpietatem. Hanc porro levitatem & inconstantiam fortunæ quatuor similibus illustrat, *nube matutina*, *rore*, *pulvere*, *fumo*. nube, quam sol ipso statim exortu suo discutit; rore, qui primo mane exsiccatur; pulvere, quem excitat turbo e planiore loco & dispergit; fumo, qui e camino erumpat. quæ omnia manent minime diu ac subito dilabuntur.

4. *Ego autem Dominus Deus tuus.* Ex quo te, inquit, ex dominatu & tyrannide Pharaonis in libertatem vindicavi: vel potius ea re quia te vindicavi, satis intelligis Deum me unum esse, nec alium, me præter liberatorem, tibi auxilio, tibi saluti fore.

5. *Ego cognovi te in deserto.* Parum fuit Deo eduxisse media ex Ægypto Israelem, nisi se ducem quoque præberet itineris per deserta & arida loca, commeatum & viaticum suppeditaret, ubi ciborum & aquæ & aliarum omnium rerum penuria. Est hoc eos cognovisse, quibus esse nulli noti potuerunt in tam vasta solitudine, tamque longis erroribus viarum, qui subvenirent populo peregrinanti. Redigit igitur eis in memoriam, quomodo suis illos miseris temporibus juverit, ut consuetudinem suam, benevolentiam, liberalitatem, beneficentiam eis præstiterit.

6. *Juxta pascua sua.* Ad intelligentiam hujus loci repetendum necessario memoria est, quod Deus olim per Mosen Israeli præscripsit, Deut. 6. vs. 12. *Cum comederis & saturatus fueris: cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis.* Hic enim Israel prope iisdem verbis dicitur fecisse, quod facere lex planissime vetabat, ne qua illum Dei oblivio caperet. Quod habetur, *juxta*, non sic interpretandum puto ut Vatablus exposuit. Cum ventum est ad læta & fœcunda pascua: sed illo potius modo: pro ubertate soli, quod nacti sunt, proque copia, quas possident, explerunt se ac saturarunt, & in genus omne voluptatum ingurgitarunt: tum elatiores facti, tum negligentiores divini Numinis, aut prorsus obliti.

7. *Et ego ero eis quasi leæna.* Denunciat quam acerbas & graves pœnas sumpturus sit scelerum de Israelitis: non enim mitiorem futurum in animadvertendo, quam sævissimæ quæque bestiæ, panther, pardus, ursa, leo, quævis alia fera, sive infestas, fame dominante habeant vias; seu prole amissa, incurrant inraptorem impetumque faciant. Hic LXX. שַׁחַל non leænam, sed pantherem reddunt, ubi Hieronymus ex interpretatione verbi, *panther*, inquit, *tam nomen bestiæ, quam omnis bestia accipi potest: ut quidquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscat.* Sed vide aliquid supra cap. 5. vs. 14. distinctius: ut panthera per Assyrios regnum Samariæ subito evertendum velocitate noret, leo regnum Juda per Chaldæos vexandum fortitudine ostendat.

8. *Ursa raptis catulis.* Cum Hebræus tribus in locis idem habeat de urso cui sua sublata proles sit, recte vulgatus toties interpretatus est, ursa raptis catulis, LXX. bis idem reddidit. neque enim ea cura parvulorum mares tangit, sed ursas feminas 2. Reg. 17. Proverb. 17. 12. Hic 13. 17. LXX. autem non orbatam prole ursam, sed indigentem cibi ἀπορουμένην habent, & fame quoque sit ursa ferocior. Sed hoc ursorum etiam est, & commune bestiis omnibus, non solum feris. Jam quæ Hieronymus reddidit, *interiora jecoris eorum*, interpretatur ipse *eorum universa vitalia*: pro eodem sunt intestina, viscera, cor, jecur, septum istorum.

Bestia agri. Ait se illis non futurum modo ursam, pardum, leonem, sed quantum est ferarum agrestium. Ac ne forte putent se usuros hostibus solis Assyriis aut Ægyptiis, quorum potestati & viribus quicquid mali patiantur, assignent: sic habeant, Dominum quoque ipsis fortem adversarium fore, nec minus gravem quam terras & immanes belluas.

9. *Perditio tua, Israel.* Si quid cladis accipias quod profecto accipies; tua unius culpa est: tu tibi exitium crearis. tibi adscribito. Tantummodo in me auxilium tuum omnem humanam opem excludit; neque Ægyptios, neque Assyrios auxilio, sed unum fore Deum qui adjuvet; non continuo tamen cessantes & inertes, ac nihil pro se & salute sua agentes.

10. *Ubi est rex tuus?* Ubinam, inquit, num rex ille, quem tibi tantopere depoposcisti? 1. Reg. cap. 8. vs. 5. 19. quem ducem & actorem bellorum tuorum fore putares, ad idque dari efflagitares, qui jus nobis dicat universis & singulis; quo more vivunt ceteræ nationes, earumque res administrantur. Is vero te nunc salvum præstet, si potest etiam in oppidis tuis, ubi ne tuto quidem sis, cum ibi maxime te tutum esse oportuit.

11. *Dabo tibi regem in furore meo.* Invitus & repugnans, & cedens postulatis, & iratus vecordi populo concessit, quod tamen minus ei utile & commodum esse intelligeret. Saulem igitur illis regem præposuit nimis cupide petentibus. Item ut sibi Jeroboamum imponerent, permisit. tum vero regem abstuli, Sedeciam, videlicet, duabus; Oseam decem tribubus. quod utrumque stomachans, & indigne ferens tum impii tum ingrati populi stuporem & amentiam feci.

13. *Colligata est iniquitas Ephraim.* Colligata nequaquam excidunt aut diffluunt: abscondita servantur. Deus probe meminit quæ peccavit Israel: mandavit memoriæ: reservat ad pœnam aliquando sumendam. Et vero pœna ea sequetur.

3. *Dolores parturientis venient ei.* Hoc est, tam certæ, ac suo tempore, tamque graves pœnæ, quam solent esse parturientis. Extremam captivitatem intellige, & servitutem, in quam adductus totus Israel est, & quæ regnum funditus Israeliticum concidit.

Ipse filius non sapiens. Ephraim, sive Israel insipiens. quippe qui neque malis resistet, & succumbet adversariis: dum sui atterentur cladibus, & quasi abortione peribunt. Hæc enim, quæ hic dicitur contritio, tum calamitas & ex calamitate dolor intelligi potest, tum dies parturitionis & malum non solum quod mater sentit enitendo, sed etiam quod nascendo patitur ipse partus. Ac LXX. quidem sapientem filium dicunt, sed eodem sensu, quia, ut animadvertit Hieronymus, per ironiam dicunt.

14. *De manu mortis liberabo eos.* Cum intolerandum dolorem dixerit Israelis, cui ferendo par non

non fit, se tamen significat liberaturum Israelitas a morte. Quanquam non singillatim hi soli, sed omnes universe liberandi a Christo Domino ac ne liberandi quidem Israelitæ a malo servitutis, quod semel incurrerint. non enim futurum est, ut illud eorum regnum de integro instauretur: sed omnes omnino liberandi a morte, atque ab inferno, per Christum, qui morti etiam & inferno asperioribus verbis insultet. Porro se usque eo communem omnium liberatorem a morte futurum affirmat, ut & illud ingeminet: *de manu mortis*, de morte, liberabo eos, redimam eas; & quod multo valentius est, se mortem mortis fore denunciet, & morsum sepulcri, hoc est, prædam repetiturum ex inferni faucibus, qui omnia devoret. Hic autem habendum pro certo primum, agi & de resurrectione Christi, quæ fuit olim, & de nostra omnium, quæ futura est aliquando; prætereaque de Christi descensu ad inferos, unde educti aliquot, qui ad tempus ibi consisterunt. Hieronymus, *Liberavit*, inquit, omnes *Dominus, & redemit in passione crucis & effusione sanguinis sui, quando anima ejus descendit in infernum, & caro ejus non vidit corruptionem.* Paulo post: *Mors est qua anima separatur a corpore. Infernus, locus in quo animæ recluduntur, sive in refrigerio, sive in pœnis, pro qualitate meritorum.* Denique: *quod Paulus in resurrectionem interpretatus est Domini, nos aliter interpretari nec possumus, nec audemus.* Sed de loco, quem hinc Paulus sumpsit, taceo, in quo habetur, *ubi est mors victoria tua.* Tantum admoneo falli interpretes, qui dicant, *ero*, &, *ubi*, eadem Hebraica voce, אֱהִי, significari אהי enim ehi, *ero*; איה aije, *ubi*, significat. Quare Paulus una cum LXX. legit fortasse per metathesin אהי pro איה sed utrumque tamen non est unum & idem: quanquam Mayro videatur secus, qui eandem vocem & in adverbiis, & in futuro verbi היה reponat.

Consolatio abscondita est ab oculis meis. Nova hinc sententia, nimirum, nascitur: Est meus hic minime quidem consolabilis dolor, qui fratres cernam, clarissima inter se nomina, morte sejungi.

Adducet urentem ventum. Cum hæc metaphorica aut tropologica omnia sint, non miror si alius alio trahat interpretando. Sed mirum, hic Hieronymum sic argutari, non illum esse ventum qui venerit e deserto, domumque Jobi funditus everterit, propterea quod hic a Domino adductus a Domino ventus sit, illic venerit voluntate sua. Atqui hic disertis etiam verbis in Hebræo dicitur venisse, non autem, quo modo vertit Hieronymus, *adductus a Domino fuisse.* Sed quo se cunque modo & hoc & alia habeant, videtur istius esse loci sententia. Eripiet e morte Deus & ex miserrimo Israelem statu restituet in integrum etiamsi in illum, Assyrios immiserit, tanquam ventum Australem, qui urat, exsiccet, vastet, pretiosissima quæque ejus diripiat.

IN CAPUT XIV.

1. *Pereat Samaria.* Quod Hieronymus in imperandi modo, vel potius, in optandi, ut ipse se interpretatur, convertit, id Hebræus in tempore futuro extulit, & recte intelligitur, quomodo vates fore prænunciet, quod revera futurum est. Peribit Samaria: ferro tollentur cives: parvuli saxo elidentur: fœtæ gravidæ secabuntur mediæ: quæ mala crudelis & ferox & impotens victoria afferre aliquando solet. Samaria, regnum Israelis, cujus regni primum sedes in urbe Sichem, quam in monte Ephraim Jeroboamus exstruxit, deinde Samariam translata fuit 3. Reg. 12. 25. & 16. 24.

2. *Convertere Israel.* Admonet & hortatur Israelem, ut ne sibi tamen ipse desperet, qui corruerit sceleribus suis: dummodo ad Deum suum revertatur a quo discesserit.

Tollite vobiscum verba. Interpretatur Hieronymus verba preces & delictorum confessionem, quæ afferre secum Deus jubet eum qui ad se convertatur. Sunt autem hæc verba maxime pœnitentis: *Omnem aufer iniquitatem*, ad quintum usque versum, *Sanabo contritiones eorum.* Facit igitur ita loquentem eum, quem vehementer admissorum pœniteat: Culpam a nobis Deus omnem nostram remove: Accipe nos, quos feceris, atque ita ut feceris bonos, omni malo depulso.

Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Id est, laudes, confessionem delicti, gratiarum actionem, quæ redduntur ore, quæque sunt pro victimis, & hostiæ acceptiores Deo, & magis decora quam vituli, aliæque animantes. vel, id quod est tanto melius, quanto simplicius, quæ vota fecimus solvemus, juvencos.

4. *Assur non salvabit nos.* Pergit in sermone, quem affingere cœpit Israelitis Propheta, hortaturque & monet, ut palam aperiant non jam se amplius aut Assyriorum, aut Ægyptiorum copiis confidere neque dicturos posthac, quod nefas est dictu, *Dii nostri opera manuum nostrarum.*

Misereberis ejus qui in te est pupilli. Quasi dicat, tutorem futurum Israeli Deum, in quo Israel inclinatis & afflictis rebus recumbat.

5. *Sanabo contritiones eorum.* Simul atque pœnituit Israelem admissorum, verbisque testatus est, quam valde doleret ob ante actam vitam; ait se Deus quæ confracta sunt in iis & contrita, id est, mala eorum & incommoda persanaturum. Quod intelligi debet cum de liberatione ex servitute non una, tum multo magis de jugo servili depulso peccatorum, & adventu primo Christi in terras, quo tempore multi ad Christum conversi ex Judæis; & ante Christi reditum extremum in terras quo se tempore omnis Israel convertet se ad Deum & recipiet.

Diligam eos spontanee. Id est, ultro & prior, & nullo provocatus eorum amore ac beneficio gratiam ei & benevolentiam præstabo. Hieronymus: *Qui prius irascebar eis, propter peccata quæ fecerant; tunc miserebor, propter clementiam meam.*

Aversus est furor meus ab eis. Desii furere adversus Israelem. Valde more hominum dictum, qui furere & bacchari solent.

6. *Ero quasi ros.* Quoniam in Palæstina imbres æstivi aut nulli, aut rari, ideoque major æstus & siccitas, ait se illis Deus futurum pro rore, ad fœcunditatem terris dandam. Fit autem Deus credentium causa, alibi lumen, via, veritas, panis, vinea, ignis, pastor, agnus, janua, ver-

nus, & cetera; ita hic *ros*, qui refrigeret, irriget, molliat, laxet, aperiat denique, & vegetet.

Ero, quasi ros Israeli. Israel in dandi casu, ut habent LXX. ἔσομαι ὡς δρόσος τῷ Ἰσραήλ, & Hebræa innuunt, in quibus est articulus tertii casus לְיִשְׂרָאֵל.

Germinabit quasi lilium. Plinius lib. XXI. cap. 5. *Lilio nihil est fœcundius, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos.*

Erumpet radix ejus, ut Libani. Id est, ut arborum quæ in Libano monte, quæ & altissimas radices egerint, & patulis diffusæ ramis, opacent locum, & fructus edant uberes, & suavitates afflent odorum. Hæc cum spectantur in arboribus præcipue, quæ repetenda potius ex Libano, patrio monte, quam aliunde peregre.

7. *Erit quasi oliva gloria ejus.* Non cum arboribus tantum lætis in speciem, sed etiam cum uberibus ad fructum Israelem comparat. Porro & cedros olentes, sive odoratas esse, & frequentes ac densas in Libano monte nasci, quam longe patet; patet autem mille quingentis stadiis, constat inter omnes. Jam ex Plinio: *& cedrus montes amat, & est in Syria laudatissima.*


8. *Convertentur sedentes in umbra ejus.* Id est, recipient se ad Dominum, & venient fessum in illius umbra, a quo solo tegentur, cum aliud non possint habere perfugium. Vivent autem delicate & molliter in summa abundantia rerum, & propagabuntur instar vitis Libani, quæ se longe lateque diffundit, & cujus vinum gratissimum, de quo suave est vel meminisse.

9. *Ephraim, quid mihi ultra idola.* Cum Ephraim pœnituerit impietatis suæ, dicet, videlicet: quid attinet posthac, ut antea, venerari idola? Tum Deus, Ad me, inquit, supplex accedet, me implorabit: ego me sinam exorari, & regam euntem, & recta ducam, & tuto, ut abies sit neque trunco rectior, neque tectior frondibus. Abies, nimirum, fœcundissima frondibus. Plinius lib. XVI. c. 10. *Abies folio pinnato densa, ut imbres non admittat.* Quæ huc interpretes afferunt de abiete, deque junipero, minus conveniunt cum eo quod Plinius tradit, utriusque arboris umbram gravem esse, sive noxiam.

Ex me fructus tuus inventus est. Hieronymus: *Hæc juniperus sub umbra sua quiescentibus dat fruges, & non solum dormientibus requiem & sedentibus, sed & saturitatem vescentibus præbet.* Arbor eris & virens, & umbrosa, & fructifera, idque opera mea. Quasi dicat, non committam, ut fructus in te desideretur, cum viriditate & umbra foliorum non careas.

10. *Quis sapiens, & intelliget ista?* Clausula hæc obscuritatem notat vaticiniorum, quæ Osee edidit: hæc ut nemo, quam voles sapiens, intelligentia assequatur: vix capiat quisquam esse vias Domini rectas, in quibus ambulent probi sine ulla prolapsione, offendant autem improbi & vitio suo corruant.

F I N I S.



FRAN-

FRANCISCI
VAVASSORIS
E SOCIETATE JESU
OPERA POETICA
OMNIA,
Nunc primum in unum corpus collecta.

ILLUSTRISSIMO VIRO

FRANCISCO SUBLET DE NOYERS

BARONI DE DANGU,

REGI CHRISTIANISSIMO
ab intimis Arcanis & Consiliis, &c.

FRANCISCUS VAVASSOR
E SOCIETATE JESU.



I cui, *Vir illustrissime*, Christi miracula, studio qualicunque meo elaborata, offerri pro more ac dedicari oportuit; ipse fatebere, ex cunctis eum mihi deligendum fuisse potissimum, qui mira item facinora ederet, neque vita moribusque ab immortalibus & divinis Servatoris actis aberraret. Habet admirationem, quomodo nunc vivitur, ita se Deo ac Principi natum arbitrari, ut cetera pro nihilo omnia ducantur. Prodigii simile est, inter plurimas & amplas atque etiam justas faciendæ rei occasiones, non fieri nummo velle ditiorem. Rarum opus & in summa laude ponendum, e regum donis & muneribus accipere nonnihil, ne regia liberalitas respui videatur; idipsum in regios usus, publicosque sumptus totum convertere, ne quid accipiatur. Qui vero liberos opibus & copiis nullis augeat, cum maximis possit, sed partim Deo devoveat, partim devotos, si Deus velit, non nolit; qui suis amicissimis ne tum quidem se gratificari putet, cum fluxa hæc & caduca fortunæ bona, quibus uti pauci norunt, abuti nemo non potest, vel danda caret, vel largiatur ipse; cujus esse tandem nisi singularis cujusdam, ac pæne cœlestis viri dicam? Jam si quis non modo quæ jucunda sunt, denegarit naturæ universa, verum etiam subeundis assiduis pro Rege proque patria sese laboribus confecerit; victu, somno, quietibus ceteris vix utatur; non valetudinis rationem ducat, non incolumitatis; huic eidem denique non sit vita, ut ajunt, vitalis; nonne is ea facit, quæ reliqui mortales mirari facilius possint, quam æmulari? Quid ista, quanti videntur, exæquari dignitate cum summis; facilitate & obsequio descendere ad infimos? versari in lucem atque oculis regum, præpotentisque regni; captare solitudinem, latebras, honorum fugam, præstantiæ cujusvis humanæ contemptionem & despicientiam? Quid? politicen cum incorrupta religione? quid? belli ac togæ consilia cum sincera pietate conjunxisse? Adeo ut neque moles negotiorum abstraheret a contemplatione mentis, neque tur-

ba obſtreperet tranquillitati, neque varietas miſceret ordinem, neque viciſſitudo interpellaret conſtantiam. His accedat licet, quod, cum eximiæ tot virtutes emineant foras & in publicum velut erumpant, cumque multo plures ac nihilo minores, ſed in vulgus ignotæ, colantur intrinſecus; tamen memorari de ſe prorſus vir tantus nolit; marmoribus, templis, ſepulcris, reliquis ædificiis atque operibus, perpetuum elogiorum atque inſcriptionum ſilentium indicat, & quamcunque nominis prædicationem ſui, mortis inſtar putet. Quæ cum ſint omnia omni admiratione majora, tum valde, mea ſententia, opportuna accidunt, ut, ſi quem unum tot animi bonis inſtructum atque ornatum nactus eſſem, ei, quæ tam belle expreſſa moribus haberet, admiranda Chriſti facta conſecrarem: præſertim ſi idem in eum Ordinem, cujus ego pars minima ſum, non jam, ſicut plerique non infideles amici, clam bene animatus, ſed aperte prolixus, liberalis, atque effuſus, noſtrique fautor inſignis foret. Utrum tu ſis ejuſmodi, *Vir illuſtriſſime*, qualem ſupra deſcripſi, mirificum hominem, ac tam multiplici genere laudis excellentem, non debet, quæ moderatio tua eſt, eſſe tuum judicium: neque velim proprie eſſe meum. Quidquid es, me tacente, res geſtæ tuæ ſatis loquuntur, tota Gallia ſenſit, exteræ gentes audierunt, poſteritas recordabitur. Hoc dicó tantum, in quo ſi erro, dabis hanc veniam mihi, ut cum ſapientiſſimis quibuſque ac virtutum tuarum non ignaris errem, tibi nos uni præter ceteros inſcribenda Chriſti miracula exiſtimaſſe.

DE EODEM
ELEGIA.

Barbara, ſi qua fides, priſcis habitavit in annis
Ruſticitas fuſa regia tecta coma. (quod
Nondum ullæ inſidiæ, nondum perjuria, nec
Pone ſubornato vulnus ab hoſte venit,
At vis, & feritas, & aperto prælia campo,
Et Nemeſis totos ebria cæde dies,
At ſcelus omne aderat, niſi quod nox adjuvat atra,
Vel fera dira ſuo felle, vel herba ſuo.
Quippe gerebatur tacitis res nulla venenis,
Nec metus abdebat ſacta nec ulla pudor.
Tale regit vaſto imperium Polyphemus in antro;
Si tamen imperii, quod regat, inſtar habet.
Nil apud hunc vinclis naturæ, aut ſegibus æquum;
Et ratio morem ſubdita ſola gerit.
Exuperat robur; prudentia deficit. unum
Scilicet in tanto corpore lumen erat.
Aſt ubi placatis violentia tegibus hæſit,
Sceptraque jam cultus dedidicere feros:
Vis aſtu mutata rudis; ſubiere nocendi
Quas mille occultas repperit aula vias.
Blanditiæ primo, & facili aſſentatio vultu;
Figere docta manus oſcula, docta pedes.
Tum circa ſolium invidia, & quæ plurima partu
Suſpicio mendax æmula monſtra dedit.
Hinc ſectæ, & partes, ac belli furta togæque,
Tantaque nox, ſtygio condita quanta lacu,
Juſtitia excedens terris tunc pallia liquit,
Ad ſummum fugeret cum revocata patrem.
His ſtudio ſeſe proceres texere latendi,
Omnis & ars tegum diſſimulare fuit
Sic Ithacæ magnus parvæ moderator Ulyſſes,
Sive domi, ſeu cum terra aliena tenet.
Decepit natas in carmina blanda puellas
Cautior. eſt Circe victa, doloque dolus.
Fruſtra illi thalamos objecit dia Calypſo:
Fruſtra alias alii, quas valuere, moras.
Ille tamen, pudeat, non bello clarus & armis;
Et, ſit quæ pacis præmia, fraude tulit.
Digerit hæc atque hæc celeri dum tempora curſu
Saturnus, faſtis regna notatque ſuis;
Vim regum injuſtam vidit rex æquus, & artes:
Non tulit, ac terris talia vèrba dedit.
Nec, Polypheme, places, nec, ſis licet ultor, Ulyſſe.
Eſte hinc, barbaries, calliditaſque, procul.
At non illud erat crimen, me rege, nec illud.
Aurea non ullum ſæcla tulere neſas.
Ac neque durabit ferri improba longius ætas,
Rurſus & ex auro tempora dicta fluent.
Nora loquor: venit ecce, venit labentibus annis,
Mutata referat qui mea regna vice.
Rex erit is Francis. Eris huic, SUBLETE, Miniſter.
Dixit, & ad mores ſat putat eſſe bonos.
Ex illo Virtus domina regnavit in aula:
Virtutem aſſidue Fors comitata ducem eſt.
Præbebitque, ſemel tantis auctoribus uſa,
Poſtmodo ſucceſſus utraque Diva ſuas.
Cum tamen egregiis poſſent nihil addere factis
Seu Rex imperio, ſive Miniſter ope:
Aula, vale, dicunt; Et tellus, adjicit alter.
Ille domo ſeſe condidit, iſte polo.

A D

AD
LECTOREM.

ERUNT fortasse, Lector, qui hujus argumenti sententiæque delectum culpent in eo, quod alterutrum mihi committendum fuit e duobus, ut vel fidem violarem, quam divinis rebus debeo, vel artem negligerem, quam pangendis versibus profiteor. Si indulseris, inquient, variæ inventioni, peccabis contra fidem: si nudam veritatem retinueris, contra poeticen. Equidem, utut sit de altero, quod videro posterius, diffiteri quin has literas fideliter tractaverim, nec possum, nec jus est; postquam nexum omnem miraculorum inter se, qui mihi nasci poterat de nihilo, marte meo, ne quid alienum & peregrinum introducerem, prudens exclusi. Eadem moderatio me adduxit, ut circumciderem & amputarem, quæ pertinebant ad mores, quæque ad mysteria: illa, quod infinita; hæc, licet pauca; utraque, cum arbitraria essent, valdeque ex variis hominum ac sæpius contrariis opinionibus penderent. Fuit quoque pudoris ac reverentiæ, ubi nodus incidit judice dignus, aut occasio se dedit afferendi nonnihil domo ac privato e penu, ita solvisse dubia, illustrasse obscura, appendisse non annumerasse verba, reliquas interpretis egisse partes, ut non plus æquo quid adjicere libuerit, nihil miscere aut novare, parum affirmare, sed judicium sustinere, & quamlibet controversiam in breves commentarios integram reservare. Salva fides est. Quis interim multiplici inventioni locus? Hic ego de me obliviscar, de re loquar: nec quid fecerim, sed quid facere potuerim, prædicabo. Quid vetuit argumento nobili & scriptione dignissimo ἐπεισόδια, περιπετείας, digressiones, τοπογραφίας, similia, προσωποποιίας, aliaque inventu tam præclara, quam non difficilia affingere; dummodo raro, dum paucis, dum loco & e re nata, dum per se probabiliter, neque ipsius materiæ veritati repugnanter? An historico, cujus est dos aut una, aut præcipua, verum loqui, conceditur, ut principia & causas eventorum nonnunquam depromat ex suo sensu, morales sententias obtrudat, conciones inducat, directas, obliquas: Poeta ubique magna quadam licentia usus & propria, alias semper liberalis & magnificus, tenuem de suo symbolam, in res sacras, uberes illas quidem suapte natura, sed inopia scriptorum jejunas, necdum satis latinis literis illustratas, conferre prohibebitur? Age, ipsa tractandi via, modusque, positio & situs aliarum rerum, aliarum omissio; num ea sunt ejusmodi, quæ debeant in repertis solerter, ingenioseque, numerari? Quæ singula tamen ita vati permitto nostro, si prior illi & antiquior fides sit adventitiis omnibus commentis, eaque præscriptio teneatur, ut quales istæ cunque sunt festivitates, condiant cibos, non famem expleant legentis. Atenim fabula poetæ necessaria plane est. ais: si negem, quo me modo convinces, utrum exemplo, an auctoritate, an ratione? Exemplo. Ergo Aratus, & Lucretius nusquam; Hesiodus, & Virgilius longe optima sui parte non poetæ? Auctoritate. Quæ potior, quam Aristotelis? hunc audi, κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν, οὐδὲν ἧττον ποιητής ἐστι· τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι, οἷα ἂν εἰκὸς γενέσθαι, καὶ δυνατὰ γενέσθαι, καθ' ὃ ἐκεῖνος αὐτῶν ποιητής ἐστι. *Quod si, inquit, contigerit ut Poeta, quæ facta revera sunt, tractet, nihilo minus poeta est. Ex iis enim quæ facta sunt, nihil vetat esse quædam ejusmodi, qualia verisimile sit fieri, ac fieri posse, quo ille nomine horum poeta est.* Sed ratio persuadet. Quæ? Hæc, opinor, quod quælibet poesis comparari cum debeat ad voluptatem, conficta per jocum, animique gratia excogitata argumenta, novitate rerum, magnitudine, copia, varietate suspendunt hominum mentes & rapiunt, ac multiplicem in modum recreant. At si tantundem opportunitatum, aut multo plus natura aliquando, resque nonnullæ gestæ pariunt ex sese, mutuato nullo aliunde fuco; quid mereas, ut falsitate ac mendaciunculis animos retinere malis, qui veritate potueris? cum præsertim quæ ficta & commentitia delectant, ob id maxime delectent, quia veri similitudinem gerant. Adde quod, si principem ingenii ac doctrinæ Philosophum, eundemque poeticæ artis scriptorem sequimur, poema vitæ depellit errores, tranquillat perturbationes animi, mores informat; non modo auribus, levissimæque omnium cupiditati voluptatis inservit. Quo magis credibile est veritate poetam quasi subnixum ita demum pervenire posse, quo contendat. Sed hæc hactenus fere de operis materia. Nunc quæ forma sit ejusdem, quæ poetica supellex, quæ veneres, deliciæve, si quæ tamen sunt, a me indicari vix decuit: brevi epistola non potuit. Nolui quoque. De istis enim malo te, Lector, tibi quidvis ex ipsa lectione credere, quam, si sponte tua non cognoris, ex ore meo aut cujusquam, honorifice sentire. Nam quod Θεουργικὰ sive Theurgica inscripsi, mihi propositum fuit non tam imitari vel titulo Maronem, qui Georgica perfectum opus nominavit, quam assequi Dionysium, qui Christi primo acta omnia, deinde miracula θεουργίας insignite dixit. Quinetiam animadversum video Maximo hæc Dionysii verba interpretanti, ἔστι τῆς θεολογίας ἡ θεουργία συγκεφαλαίωσις, ab eo vocari τὴν παλαιὰν γραφὴν, θεολογίαν· τὴν δὲ καινὴν, θεουργίαν. Cave porro putes miraculis Theurgicon appellationem ideo convenire solum, quod hæc a Deo fierent; sed multo magis, quia, cum testarentur divinitatem, Deum quodammodo facerent. Tantum est. Vale atque salve.

THEURGICON,

SIVE DE

MIRACULIS CHRISTI,

LIBER PRIMUS.

MAJOR ut humanis divinas ſenſerit artes
Morborum vis dura, malique ex funere leti
In ſua felices remearint corpora vitæ,
Utque orci domino ac populis infracta po-
Utque novas leges mutatus ceperit orbis (teſtas,
Natura mirante, canam. Mihi carminis auctor
Hujus erit, tantarum auctor certiſſime rerum.
Tu vatem duc, Chriſte, tuum per quæ ire ſolebas
Nobilitans factis loca grandibus; heu loca dudum
Regnata, & ſævo male deſolata tyranno!
Sic armis repetat ſacram mea Gallia Bethlen,
Sic natale ſolum tibi vindicet, ac pia fata
Impleat, & meritis vatum præſagia magnis.
Audimur: curru medius ſtat temo parato.
Ante rotas hic alituum rex, inde ferarum,
Torvaque, juncta viro, generoſi forma juvenci,
Diſſimili quamvis natura, atque impare cultu,
Succeſſere jugo, & concordia fræna tulere.
Quatuor ingentes quiſque ocyus explicat alas.
His ibat, tum ſola, citis invecta quadrigis,
Certa fides ſacrorum, & operti conſcia veri.
Diva mihi partem in ſolio, ſedemque reſervat.
Invitatque manu, carumque attollit alumnum:
Illa quidem formoſa; ſed os nox integit umbris.
Scandentem Phœbi a terra chorus adjuvat omnis;
Mox ſequitur. Currum Aoniæ per inane ſorores
Impellunt, lætæ officiis, operamque magiſtro
Dant mihi, nec veteres renuunt dediſcere nugas.
Interea, mora nulla, volat vi concitus axis
Longe humiles ſupra terras, Neptuniaque alta.
Jamque Palæſtinis impoſtæ montibus arces,
Jordaniſque biceps, Solymorumque aurea tecta,
Ceu quondam, nunc congeſtis cæmenta ruinis
Apparent, veterumque agnoſco ſtrata viarum.
Nec me nequicquam cœlo ſublimis ab alto
Aſpectat ſua per veſtigia Chriſtus euntem.
Plaudite, io! Superi, ſeu quos tranſmiſit Olympo
Indigetes tellus, ſeu quos levis æthere librat
Spiritus aligeros, & cingite fronde poetam.

PRIMUM

Ex capite Joannis ſecundo.

1. ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Jeſu ibi.

2. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus, ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.

4. Et dicit ei Jeſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.

5. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.

7. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum.

8. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte architriclino: Et tulerunt.

9. Ut autem guſtavit architriclinus aquam

AQUA VINUM FACTA.

1. SOlennes epulas, & connubialia feſta
Forte Canæ pacto Galilæi fœdere cives
(vocatus,
2. Dum celebrant, cœtuſque ineunt; cum matre
Et ſociis, facilis Chriſtus conviva recumbit.
3. Poſtquam autem pateris ſe quiſque benignius hoſ-
Plurimus invitat, paullumque per atria gliſcit (pes
Non inconceſſo moderata licentia luxu;
Defeciſſe cados, exhauſtaque pocula Mater
Perſenſit prior, atque in Natum lumine verſo,
4. Deſit, ait, vinum miſeris. Nec plura. Sed ille,
Quid tibi potandi penuria, quid mihi curæ,
O mulier? non me ulla meum miracula tempus
Poſcit adhuc, necdum magnum Patriſque, meumque
Numen eget dia populis virtute probari.
5. Tum Genitrix, Mandata, viri, non ſecius, inquit,
Si qua dabit, celerate. Dedit mollitus, & urnas
6. (Ingentes urnas, ingenti ex caute cavatas,
Bis ternas, binis unam terniſve metretis
Quamque pares, natas tergendi in corporis uſum
More loci, adque ſacros ibi ritus forte repertas)
7. Dulcis aquæ impleri ſumma tenus imperat ora
Per ſamulos; ſamulis venturi conſcius iiſdem, (inde
8. Ite, ait, & quod aquæ veſtrum eſt, noſtrumque ſub-
Quidquid erit, guſtandum epuli deferte Magiſtro.
Vix ea dicta: novo, ſcires audiſſe, rubeſcit
Vultu aqua; Lenæum, jam non aqua, ſpirat odorem.
9. Ergo dapis lautæ inſtructor, ſummuſque bibendi
Ar-

quam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

10. Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ; & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

Arbiter, ore merum & primis ut faucibus hausit,
Quo non ulla merum præstantius educat uva;
Ignarus tantorum operum; neque enim prius imo
Siccatos norat calices, non dolia fundo,
Inque locum puteis suffectam e jugibus undam;
Accivit sponsum, ac præfecti talia præsens,
10. Heus, infit, misero quid vis tibi? promere mensis
Optima mos primis, deterrima vina secundis;
Uvidus, & jamjamque satur conviva palato
Dum torpente negat dulci dignoscere amarum,
Copiaque exsurdat subtilem larga saporem.
Ipse merum contra generosum ac lene reservas
Hactenus, extremosque premis male parcus in usus.
11. Cui conjux, Ne me incautum, neu dicito avarum.
En tibi qui puteis & aquas hausere ministri,
Et qui hinc vina Deus, certe Deus, optima fecit.
Nos fruimur factis, & inempti nectaris haustu.

II.

Ex capite Marci primo.

21. ET ingrediuntur Capharnaum: & statim Sabbatis ingressus in Synagogam, docebat eos.

22. Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.

23. Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo & exclamavit.

24. dicens: Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene: Venisti perdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

26. Et discerpens (*a*) eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

ARREPTITIUS LIBERATUS.

21. PAndebat, quoties terris lux septima fulget,
Res Patris æterni Natus, populosque docebat.

22. Aure bibunt avida vocem & cœlestia dicta,
Attonitique stupent animis insueta loquentem.
Quippe potens fandi patrios legum ille magistros
Ante omnes longe doctis sermonibus ibat.
23. Æde sacra & cœtu in magno matrumque virumque
Vir fuit, immundi quem vis inferna tyranni
Intus percit agens, vexatque io corpore corpus.
Hic Christi aspectu primo commotus, & ardens
Horrendum clamorem in causa per atria volvit.
24. Quid tantum admisi, vir Nazarene, quid io te?
Quid tibi sævitiæ mecum est, quem sternere turpi
Exitio venisti, & clade onerare suprema
Tot jam actum fessumque malis? At novimus omnes,
Qui sis, quodve genus, quo tendas, onde profectus.
25. Tu soboles, tu sancta Dei, tu. dicere Jesus
Plura vetat, miscetque minas, &, Comprime, fatur,
Impurum os, exique, ac non tua desere membra.
26. Ille fugam quærens pariter, pariterque recusans
Distorquet miserom magis, atque incondita clamat.
Jam rapuit, jam vi medias projecit in ædes,
Ac tandem sano insanus de corpore cessit.
Namque suo solidæ durarunt robore vires,
Quod stupeas, actique alienis motibus artus,
Innocui superesse dehinc scivere labori
Indigno. Nec fas hominem læsisse volenti
Iosessori hominum, non summæ vulneris ullum
Impressisse cuti signom, aut vestigia morbi.
27. It cunctis per membra pavor, vix deinde refecti
Inter se aspiciunt animis, ac dicere mussant:
Nam quid id est dictive, aiunt, factive, quod acer,
Vique soa pollens, atque imperiosus, Averni
Corporibus jubet humanis excedere cives;
Excedunt, nec jussa moras ingentia norunt?
28. Ex illo in vulgus late crebrescere rumor,
Et merita ferri vicinas laude per oras
Resque, reique auctor tantæ, ac soper astra locari.

(*a*) *Lucæ cap. 4. vs. 35.* Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

III.

Ex capite Lucæ quarto.

38. SUrgens autem Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

39. Et stans super illam, (a) imperavit febri: & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.

40. Cum autem sol occidisset, omnes (b) qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

PETRI SOCRUS FEBRI, ALII ALITER ÆGRI.

38. INde pedem sociis Christus comitantibus effert
Impiger, & Petri tecto se paupere condit.
Illic difficili languebat tabida febre
Cara socrus, thalamoque, æstu suadente, jacebat.
Declarant morbum comites, precibusque salutem
39. Exposcunt miseræ. Quam primo a limine Christus
Ut vidit, lecti accedens ad strata, cubantis
Ora super stetit inflexa cervice, manuque
Erexit prensam, & verbo febri innuit uno.
Audiit imperium febris grave. deserit ægram;
Ægra torum. Hæc plantis insistit protinus imis,
Et graditur. Christus dapibus sociique paratis
Accubuere. pia Socrus queis arte reponit,
Qua potis, officiosa vices, mensisque ministrat,
Fracta modo imbelli morbo, nunc firma receptis
Viribus, & meritis persolvit fercula tantis.
40. Succedunt umbræ interea, & sol conditur undis.
Ægrorum numerus desertis undique tectis,
Excussisque toro molli artubus, affluit omnis
Confertim Petri ad sedes, & limina complent.
Totam adeo videas nudari civibus urbem
Effusam, tectique intra vicina receptam.
Obscenæ facies adstant, torvæque videri
Morborum omnigenûm. Suppressa morbus ab alvo,
Morbus ab oblæsis pulmonibus, ac mala tussis,
Et laterum dolor, & defectus cordis anheli,
Nec non lethargus somnos imitatus inertes.
Haud absunt noctes vigilatæ, haud pallida tabes,
Torminaque, intercusque, atque articularius omnis.
Centum præterea tetræ sine nomine pestes,
Queis frustra quæsitæ artes, cedantque magistri
Hippocrates Cous, post Pergameusque Galenus.
Ac nova nil, quanquam non decedentia priscis,
Subveniant inventa, omnisque hic cesset Apollo.
Verum ubi in aspectum Christi venere, gravesque
Eminus advertere manus; haud fit mora, vertunt
Morbi terga fugæ, metuentes pollice tangi.
Sed non & fugisse valent, quin ante medentis
Quisque ferat dextram, & divinos sentiat ictus.
Ex numero tanto non quisquam intactus adibat,
Nec quisquam numero ex tanto non sanus abibat.
Non morbi huic alii se coram impune tulissent,
Sive patris quos ira polo summittit, & imis
Incumbunt terris; seu quos parit æger & ipse,
Vitales nebulis haustus vitiantibus, aer;
Seu quæ immaturas accersunt vulnera mortes,
Bella per, & strages. ita præsens advenit ultro
Corporibus Deus affectis & blanda manus vis.

IV.

Ex capite Lucæ quinto.

1. FActum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2. Et

MAGNA VIS CAPTA PISCIUM.

1. AUditura avidis convenerat auribus ingens
Christum turba virûm, piscosi ad fluminis oram
Dum sedet, ac sola secum meditatur arena
Digna Deo. Sedenim quid agat, quave arte ruentes
Summoveat, propiusque vetet se inferre catervas?
Hinc illum pleno Genesar præterfluit amni
Proximus. incingitque vadis violentius illinc
Unda urget populorum, & quantum audire laborat,
Tanto audit minus imprudens obstatque loquenti.

2. Ad

(a) *Marci cap.* 1. *vs.* 31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus. (b) *Marci ibidem*, *vs.* 33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lavabant retia.

2. Ad ripam geminæ stant cymbæ. egressus apertos
Piscator casses refluentibus abluit undis.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.

3. Harum unam Petri, facili, quæ proxima, saltu
Invadit, paullumque rogat deducere terra.
Tum vero e parva secretus puppe docebat,
Ipse sedens, stantem propter stagna humida turbam.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

4. Mox finem ut fecit, Petrum respexit, &, Ultra
Duc, ait, atque amni devolvite rete profundo
Tuque, tuique, & vos venturæ accingite prædæ.
5Cui Petrus, o hominum quantum est, rerumque magister,
Noctem operi totam, totamque impendimus artem;
Tot nihil impensis actum. Verum, omnia nobis
Tu quoniam major præstas eventa, vocasque
Intermissum ad opus, sortes tentare diurnas
Nil, te auctore, moror, nec lina expandere rursum.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

6. Dixerat. Et jam expansa manu lina obvia nabant.
Extemplo se sponte sua, mirabile dictu,
Squamigerûm in casses exercitus induit ingens.
Velle capi, & Domino credas parere: neque una
Tot traxisse viri valeant, tot retia ferre:
Quippe plagæ cœptæ disrumpi, & nexile filum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pæne mergerentur.

7. Forte manus steterat sociorum in litore sicco
Piscatrix, sive otia agit, seu tempora captat,
Aut reficit detrita, aut purgat sordida lina.
Ergo vocant in partem operis, nutuque loquaci
Significant longe, ripam non inscia pubes
Liquit & auxilio volat, ac se commodat ultro
Invalidis. juncto attollunt dehinc retia nisu
Una omnes. Tum pars educere retibus agmen
Captivum, pars impositum stipare carinis.
Interea proles undis erepta natantum,
Multa levi saltu, squamoso tergore multa
Nequicquam trepidat, nequicquam lubrica fallit. (nec
Namque trahunt, retrahuntque: ratem præda ubere do-
Totam implent utramque. gravi utraque pondere nutat,
Et gemit, & crebram, tantum non mersa, paludem

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant:

8, 9. Accipit hinc atque hinc. Stupuere ingentia muti
Monstra metu, quique auxilio cum lintre subissent,
Quique prius Petrum comites, Christumque secuti.
Præcipue admirans Petrus, motusque periclo,
Hac cum voce, pedes se Christo abjecit ad imos.
O Domine, o longe hinc esto mihi tantaque dona
Parce aliis, tutoque frui sine paupere cymba.
Ille ego namque reus, sequitur quem pœna, petitque
Unda animam vilem, neque de te digna merentem.
Tum Christus dextra pavidum, & sermone benigno
Sublevat, atque animos promissis ditibus implet.

10. Similiter autem Jacobum & Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

10 Solve, o Petre, metus. pisces non jam amplius alta
Excipies a puppe: homines piscabere, & artem
Arte tua nostram mutabis, & altera fila.
Hic tibi erit labor, hæc melioris præmia jactus.
11. Sic ait. Inde omnes, ubi subductæque carinæ,
Et pisces glaucum expositi jacuere per ulnam,
Continuo linquunt vigili parta ante labore,
Resque patrum, parvumque larem dare nomina Christo,
Signa & inops cogi gaudet sub tanta juventus.

V.

Ex capite Matthæi octavo.

2 ET ecce leprosus veniens, adorabat (*a*) eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

PURGATUS LEPROSUS.

2. ECce viri maculis candentibus horrida lepra
Corpus arat totum, & vivos subsidit in artus
Ah, penitus, vitiumque cavis adeo ossibus infert.

(*a*) *Marci cap.* 1. *vs.* 40. Et genu flexo dixit ei. *Luc.* 5. *vs.* 12. procidens in faciem.

3. Et extendens (b) Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.

4. Et ait (c) illi Jesus: Vide, nemini dixeris: Sed vade, ostende te Sacerdoti, (d) & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

Ille ubi conspexit Christum procul, oraque supplex
Cum genibus demisit, in hæc tum verba precatur:
Christe, potes purum, si vis, me reddere lepræ.
3. Oranti Christus, propiusque adstare timenti
Atque manum extendit miseras, atque attigit, atque,
Esto purus, ait, lepræ, volo. Jusserat; omnis
Jussu exempta lues tanto membra integra liquit
4. Ocyus. Hinc sanum dimittit, & increpat acti
Ore minas, abigens longe, edicitque severus:
Es voti compos; rem tu celare memento.
Quin prius i, summo & coram te siste sacrorum
Custodi. fer rite volens solennia dona
His te procures. hæc justa piacula sunto,
Quinque olim chartis divini prodita Mosei.
Sic oumen testare meum: sic impia dicta,
Quæ jacta in me alias, quæ post jacienda, refelle.

V I.

Ex capite Lucæ quinto.

17. ET factum est in una dierum, & ipse sedebat docens Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni (a) castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

18. Et ecce viri (b) portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt super tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.

20. Quorum fidem ut vidit, dixit: (d) Homo remittuntur tibi peccata tua.

21. Et

PARALYTICUS TECTO INTROMISSUS.

17. ERgo nulla quies operum tibi, Christe, nec expers
(Invitet tempusque licet cessare, locusque)
Parva laboris erit magni domus? illa freqoentes
Interios populos non jam capit; & super arctis
Vestibulum longe exclusos a postibus arcet.
Namque hominum ex omni confluxerat ordine in unum
Turba ingens, limenque hospes novus omne tenebat,
Seu, Galilæe, tuas habitat qui plurimus arces,
Seu, Judææ, tuas, Solymorumque ardua tecta.
Hos inter nota docturus grandia Christus
Sede sedet; proceres legis sedere periti.
Conticuere omnes. divino ex ore loquentis
Flumina eunt verborum, & non imitabile robur.
Tempore quanquam illo medicas non segnius ægris
Ipse potestates vocis, dextramque salubrem
Coram adhibet bonus, & morbos levat arte paterna.
18. Huc tum forte gravis nervis languentibus æger
Subvehitur, toto prostratus membra cubili.
Quatuor impositos humeris, lectumque, virumque
Corpora gestabant servorum, onerique timebant.
Ast ubi in optatæ ventum est confinia sedis,
Portantum stat par gemioum, deponit amicum
Pondus humi, propiusque fores explorat, & omnem
Accessum tentans, hac ægrum quærit, & illac
Intro inferre domum, si qua statuisse sub ipsos
Aspectus queat, & Christo obtrusisse medenri.
Nequiequam. longe denso media agmine turba
Dividit, humana non vi rumpenda; neque ulli
Aut virtus ante, aut animus fert cedere retro.
19. Ecce autem (qoid non solers penuria rebus
Suggeris extremis?) mens quatuor incidit una
Haud temnenda viris. Scandunt fastigia summa
Ædis inaccessæ, nudatique imbrice tecti
Limitem agunt vastum. subito dedit ore fenestra
Lucem insperatam: patuere a vertice claro
Cuncta intus. cœlum deprensus suspicit hospes.
Nec mora, sublimem spondam ægrotantis, & ipsum
Connixi rapiunt, &, qua via pervia, mittunt.
Funibus it tortis depressum pondus: & ecce
Aote oculos Christi medium stat & ora sedentis.
20. Quos postquam tantum moliti, fidere tantum
Prospexit; conversus in hunc, Fideotior esto.
Admissis, o nate, tuis ignoscitur, inquit.

21. Cum

(b) *Marc.* 16. *vs.* 41. Jesus autem misertus ejus. (c) *Marc.* 16. *vs.* 43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum. (d) *Marc.* 16. *vs.* 44. Principi Sacerdotum.
(a) *Marc. cap.* 2. *vs.* 2. Convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam. (b) *Ibid. vs.* 3. qui a quatuor portabatur. (c) *Ibid. vs.* 4. nudaverunt tectum ubi erat, & patefacientes. (d) *Matt. cap.* 9. *vs.* 2. confide, fili.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?

24. Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum suam, magnificans Deum.

26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: (*e*) Quia vidimus mirabilia hodie.

21. Cum secum taciti proceres, Quis numinis iste,
Quidve struit contemptor, & impia verba profano
Ore jacit? Cui fas homines absolvere noxæ?
Scilicet hæc summi juris Deus arbiter unus
Jura tenet nutu, & se fontibus ipse remittit.
22. Ollis (sensit enim tacita sic mente locutos)
Reddit pauca palam Christus: Cur volvitis imo
23. Corde nefas? veniane reos operosius ulla est,
An captos membris subita donare salute?
24. Ac ne non hominis mortali ex sanguine creti
Esse putes aliquis, sua fonti ignoscere facta,
Hoc tibi erit manifestum, ingens, en accipe, signum.
Heus, ægrote, citus, tibi dico, surge; cubile
Ipse tuum, ipse tuas hinc te aufer denique in ædes.
25. Tantum effatus; & in verbo robustior æger
Corripit ex stratis corpus, sublataque collo
Strata subit, pedibusque domum sic deinde revertens,
Qua via fert, meritum numen magno ore sonabat.
26. Omnia spectabant omnes, reverentia cepit
Mista metu attonitos animos: nec dicere laudes
Egregias cessant, nec laudibus addere grates.
Heu quianam sæclis redeunt miracula nostris
Nunc quoque post tanto? Quid quod nil tale parentes
Nec nostri meminere, oculis nec vidimus ipsi?
Gratia magna Deo, fas qui mortalibus ægris
Immortale dedit; morbis imponere legem
Indomitis, sævis; vulnus letale medendo
Vincere, & in longum properantia ducere fata.

VII.

Ex capite Lucæ sexto.

6. FActum est autem & in alio Sabbato, ut intraret in Synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida.

7. Observabant autem Scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret: ut invenirent, unde accusarent eum.

8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus; Interrogo vos, (*a*) si licet Sabbatis bene facere, an male; animam salvam facere, an perdere?

RESTITUTA MANUS.

6. SEptima jam roseos Aurora ostenderat ortus,
Sacra, precesque pias referens, atque otia genti
Isacidum pubem Christus pro more docebat
Undique collectam tecto, cellisque sacratis.
Hic & egens sanari aderat, cui dextra lacerto
Mortua de vivo pendebat, inutile pondus.
Namque manum fugiens exsuccam liquerat humor
Vitalis, digitosque gelu stringebat inertes.
7. Interea observans oculis procerum excubat ordo,
Instituat si forte ægris depellere morbos
Tum quoque, nec solita Christus sibi temperet arte.
Obliqua invidia, & stimulis gens acta nefandis
Quippe ardet falsi nancisci criminis ansas:
Demens; nulla Deo quæ nesciat abdita cæci
Sensa animi. Quin majorem furere orsa furorem,
Provocat, &, festa liceat num luce mederi,
Fraude mala tentans petit, invitatque petendo.
8. At Christus mancum, propior cui forte sedebat,
Aggreditur primum dictis, atque excitat ultro:
Surge loco: in medium procede videndus; & illie
9. Sta pedibus. Mox Isacios subito ipse reversus
Ad proceres, Vos o consulti legis, & æqui,
Dicite, ait: rectene licet per sancta secusne
Sabbata agi? miseros servare, an tollere? At ollis
Ora pudor clausit: nec vocibus hiscere contra
Ausi ullis convicti. onerat quos insuper istis:
Quem numero e vestro, festis peritura diebus,
Cui cadat in foveam præceps ovis, ocyus ire
Religio vetet auxilio, & subducere morti?

10. Et

Ast

(*e*) *Ibid. vs.* 8. glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. *Marc.* 2. *vs.* 12. Quia nunquam sic vidimus.

(*a*) *Marc. cap.* 3. *vs.* 3. At illi tacebant. *Matt. cap.* 12. *vs.* 11. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? 12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere.

10. Et circumspectis (*b*) omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta (*c*) est manus ejus.

Ast quantum pecudum una genus super eminet omne
Gens hominum? Ergo vacat sacros non vilibus actis
Exercere dies, operique instare, merendo.
10. Hæc ubi dicta; oculos prudens huc torsit & illuc;
Dum responsa, manusque darent, si forte dedissent.
Inde super cæcisque animis, refugisque doceri
Aversa ratione, coquunt dolor, itaque amantem.
Nec minus hoc, hominem placabilis aspicit ægrum,
Ae, Protende manum, fatur. Protendit; Et illa
Ante immota situ ignavo, nunc mobilis usus
Induitur veteres, sibi reddita, vimque priorem:
Atque suis deinceps vicibus, nil compare læva,
Fungitur, inferior; nec robore cedit, & arte.

VIII.

Ex capite Lucæ septimo.

2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus; qui illi erat pretiosus.

3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus.

4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes: Quia dignus est ut hoc illi præstes?

5. Diligit enim gentem nostram: & Synagogam ipse ædificavit nobis.

6. Jesus (*a*) autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres.

7. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed die verbo, & sanabitur puer meus.

8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit, & servo meo, fae hoc, & facit.

9. Quo audito Jesus miratus est: & conversus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel (*b*) tantam fidem inveni.

10. Et

CENTURIONIS SERVUS PARALYTICUS.

2. ADvena ductor erat, cui centum in bella merebant
Ausonidæ, numero nomen lucratus ab isto,
Et solo hoc notus de nomine: sat sua quanquam
Notum illum, præcone Deo, facit ardua virtus.
Huic dilectus hero servus, periturus inerti
Decumbit morbo, & nervis mala dura solutis
Ingeminant, viresque ægra sub morte relinquunt.
3. Audierat fama Isaeias vulgante per urbes
Virtutes, Christumque, & vitæ summa necisque
Arbitria. ire rogat, servo exorare salutem
Longævos populi proceres opus ocyus illi
4. Instabant. adeunt, precibus Christum omnibus orant:
Christe veni; famulum vicina à morte fidelem
Assere hero. veniam hanc omnes te poscimus unam.
5. Da, si dignus eo est, nostram si fortis amicus
Et gentem fovet, & genti pius inclyta dona
Contulit in commune, sacras exstruxit & arces.
6. Christus ad hæc, Coram ipse adero, coram ipse me-
Jamque iisdem non segnis iter comitantibus ibat. (debor.
Apparet vicina domus; certi unde profecti
Accurrunt contra, & Christo, Tu parce labori,
Parce iter ulterius non utile tendere, clamant.
Ipse adeo belli nos ductor, amicus amicos,
Summisit prudens, sua qui tibi dicta feramus:
Non ego sum, cujus succedas ædibus hospes,
7. Dignus, ait. quin ut loquerer tibi, teque ut adirem,
Haud equidem merui; nec eram, me judice, tanti.
Dic modo: cum dicto morbo fugiente valescet
Exspes, depositus, jam morti obnoxius æger.
8 Nam mihi & alterius sub nutu vivitur, & me
Impiger observat miles, celeresque ministri.
Si quem allego procul, si quem advoco; protinus alter
Miles, & alter eunt. Si quid fieri impero; factum
Dant famuli, & jussus numquam frustrantur heriles.
9. Admirans vultu obverso, turbamque sequentum
Respiciens, tales Christus dat pectore voces.
Non mihi, non patrias, testor, non ulla per oras
Tanta inventa fides. Hæc vero oracula sunto,
Quæ prædico mali vobis non futilis augur.
Aurora populi longe, Hesperiaque relicta,
Extremis aderunt peregrini a partibus anni.
Abramo comites juncti, Isaacoque, Jacoboque,
Aula in Cœlestum, plenis longo ordine mensis
Accumbent convivæ, & multo a sole coruscas

Ex-

(*b*) *Marc. cap.* 3. *vs.* 4. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini. (*c*) *Matt. cap.* 12. *vs.* 13. Et restituta est sanitati sicut altera.

(*a*) *Matt. cap.* 8. *vs.* 7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum. (*b*) *Matt. cap.* 16. *vs.* 11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriense, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum: 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. 13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

Externi sedes habitabunt. regia proles
Exheres, ejecta, cavis damnata tenebris,
Perpetuum interea mœrebit, & exiget ævum,
Luctus ubi, & gelidis frendentes dentibus iræ.
At vos ite domum. quantum mihi credidit ille,
10. Tantum habeat. Dixit: non vox, non hora fefellit.
His dictis effecta salus in tempore, & ægrum,
Qui missi primum Christo, qui deinde, jacentem
Ante toro, sanum ac stantem offendêre reversi.

IX.

Ex capite Lucæ septimo.

11. ET factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa,

12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

14. Et accessit & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.

15. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.

16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam.

17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

FILIUS VIDUÆ REVOCATUS AD VITAM.

11. FOrte Naimæam se Christus agebat in urbem,
Plurima quem medium bona plebs, ac mista suo-
Fida cohors habet, & juxta vestigia figit. (tum

12. Jamque propinquabat portis, cum filius iisdem
In patrium effertur præreptus morte sepulcrum,
Filius, heu, miseræ spes matris, & unica proles,
Lucinam mater quæ non experta secundam.
Et nunc illa quidem nato, prius orba marito,
Amissa infelix vitæ omnia præmia luget.
Hanc multi affinesque sui, civesque secuti
Vadentem, ac cineri supremo justa ferentem,
Exsequias comitantur, & ordine funera curant.
13. Ergo in solennem, qua se tulit obvia, pompam
Incidit, & viduos Christus miseratus amores,
Pelle, parens, nati lacrymas, succlamat, & infert
14. Se propius, mollique manu sublime pheretrum
Tangit. eo tangente, oneri qui colla ministri
Subdiderant, fortesque viam, gnavique secabant,
Consistunt immoti. hinc magna voce profatur:
15. Eia iterum, o juvenis, jubeo hoc te, vive. revixit,
Perfunctus jam morte una, & post fata superstes.
Inde sedet, loquiturque, ac munere vescitur auræ.
Unigenæ vitam, unigenam sic, Christe, parenti
Das porro esse suæ proprium, solatia luctus
16. Magna brevis. Simul hoc: simul ingens terror; & omnes
Effusi tantæ festa ad præconia laudis.
Exoritur vates nos inter clarus, ab alto
Delapsus Deus ecce, Deus sua munera terris
Portat, & ad caram visit post denique pubem.
Talem plebs lætum ingeminans pæana canebat.
17. Diditus hic tota sermo regione. per ora
Natus iit genitore Deo, & processit honorem
In summum, patrio fama subvectus Olympo.

X.

Ex capite Matthæi duodecimo.

22. TUnc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.

ARREPTITIUS, ISQUE CÆCUS ET MUTUS.

22. TArtareus correptum hominem possederat hostis:
Non impune quidem; nec membra illæsa subibat.
Offundit geminis tenebratum obscenus amator
Noctem oculis geminam, linguæque intercipit usum.
Quod poterat, vitia hæc inter vir tetra gemebat.
Adduxere viæ ignarum, nec voce valentem
Rebus opem petere afflictis, Christoque dedere.
At non hanc speciem tulit amplius. hoste fugato
Vindicat, & pœnis crudelibus eximit artus.
Reddita lux oculis, & vinclis lingua soluta.
Nec pedibus prætentat iter, nec dextera, ut ante,
Explorat trepido vestigia cæca, regitve.
Jamque sui compos, liquidaque, ad singula, mente

Obſtupet intentus, capiturque colore locorum,
Et legere adverſos, reminiſci & gaudet, amicos.
Præcipue agnoſcit Chriſti per talia numen
Haud dubium, & grates arguto ex ore profundit.

23. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt filius David?

23. Attonitæ his longum monſtris hærere catervæ,
Inter ſeque loqui, ſcitarique, unde, quis eſſet.
Hiccine jamdudum promiſſus, ſæpe petitus,
Jeſſæi magna major de ſtirpe, futurus
Et nobis decori, & nobis, orbique ſaluti?



THEUR-

THEURGICON,

SIVE DE

MIRACULIS CHRISTI,

LIBER SECUNDUS.

X I.

Ex capite Marci quarto.

35. ET ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus (a) contra.

36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo.

37. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur (b) navis.

38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: (c) & excitant eum, & dicunt illi: Magister, (d) non ad te pertinet, quia perimus?

39. Et exsurgens (e) comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: & facta est tranquillitas magna.

40. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

SEDATA TEMPESTAS.

35. PErfectis rebus, cœtuque ex more soluto (tem
Vesper erat. Christum nave accepere volen-
Unanimes socii, & celeres vexere per undas.
Solverat: &, Cursum, quo ripa adversa voca-
36. Transmittamus, ait. Naves se protinus addunt (bit,
Huic aliæ socias. Jamque omnes brachia remis
Intendunt, vastamque parant innare paludem.
Nec longa in medio mora, cum se Christus ad altam
Seduxit puppim, & trunco, qui forte repertus,
Imposuit caput arboreo, somnosque petivit.
37 Arripuit tempus placidæ insidiosa quietis
Tempestas, non ausa, Deo vigilante, cieri.
Namque velut duris excussa & libera frænis
Sævit atrox. ortum unde capit, quo sidere vires,
Ambiguum: cœlo venti infremuere sereno:
Movit inexcitum tacitis se sedibus ultro
Flumen aquæ. quod lucis erat super, occidit: ac mox
Turbo ratem quatit, atque immissis amnibus implet,
Atque operit: nec deinde undam capit unda sequentem.
Ante oculos mors ipsa. vocat sua corpora gurges,
Gurges hians immane, & fati adaperta vorago.
38. Nec miseris spes ulla, nec ars. super una malorum
Effugia, hinc manibus Christum, hinc pulsare querelis
Sicut erat, sola qua puppis sede recondit,
Effultum ligno informi, somnoque jacentem.
Mergimur, heu, Christe, exclamant, heu, mergimur.
Interea stertis; nec nostra pericula curæ, (at tu
Nec tibi sunt nostri gemitus? Quin respicis ipse
Dulce tuum caput, & tecum nos subtrahis undis.
Surge, veni, fer opem. Circum omnes talibus instant.
39. Ille nihil motus, paullatim attollit in altum
Se cubitum, atque oculos intorquet lumine blando:
Quis metus iste, viri? vel quo fiducia cessit
Vestra mei? Hoc dicens consurgit; nec minus acri
Voce Notos, stagnique furentes increpat æstus:
Ac super his, Et tu unda sile, & vos ponite venti.
Quo jussu tumor omnis & omnis flatus in auras
Vanuit. arridet spumis sub inanibus æquor.
40. Obstupuere animis cuncti, versique timores
In melius; quos & rabies terrebat aquarum,
Magna viri virtus, & jussa haud irrita terrent.
Quis vir hic est (si forte viri ac non numinis illa
Vis fuit) imperiis cujus bruta omnia parent,
Ventique, fluviique, & turbida stagna procellis?
Talibus inter se dictis miracula nautæ
Dum celebrant, cursu propior fit ripa secundo.

X I I.

(a) *Luce cap.* 8. *vs.* 22. Transfretemus trans stagnum. (b) *Ibid. vs.* 23. Et navigantibus illis obdormivit. (c) *Matt. cap.* 8. *vs.* 24 ita ut navicula operiretur fluctibus. *Luc. cap.* 8. *vs.* 23. & complebantur, & periclitabantur. (d) *Matt. cap.* 8. *vs.* 25. Domine, salva nos perimus. (e) *Matt. cap.* 8. *vs.* 6. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis.

XII.

Ex capite Marci quinto.

1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.

2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.

3. Qui domicilium (*a*) habebat in monumentis, (*b*) & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare:

4. Quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare.

5. Et semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus.

6. Videns autem Jesum a longe, cucurrit, & adoravit eum:

7. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jesu fili Dei altissimi? (*c*) adjuro te per Deum, ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine.

9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret (*d*) extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem (*e*) grex porcorum magnus, pascens.

12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.

14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi sunt (*f*) videre quid esset factum:

15. Et veniunt ad Jesum, & vident (*g*) illum, qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.

16. Et

DÆMONES ABACTI ET IN SUES PERMISSI INGREDI.

1 CUm sociis Christus Gadarenæ advertitur oræ
2. At subito egresso, contraque a litore eunti
Exsanguis forma atra viri, metuendaque visu
Occurrit, toto penitus cui corpore miscet
Seque, suasque addit stygiis emissa latebris
3. Mens furias. Non ille domos, non passus amictus;
Nudus membra, fores tumulorum & concava saxa
Concelebrat; longe unde vias infestus in omnes
Prosilit observans, & euntibus imminet hostis.
4. Sed neque eum quisquam vi dura, non pede vinctum,
Non dextra domet, aut septis includat ahenis;
Quin manicas succussu, obstantiaque omnia rumpat,
Et deserta capessat, & altis montibus erret.
5. Haud solus patet imprudens in damna viator.
Ipse sibi infensus clamoribus ilia tendit
Tartareis, saxi concidit & ictibus artus.
6. Isque ubi progressus Christum, divinaque vidit
Ora procul; volat, & genibus prostratus adorat.
7,8 Cui Christus, Decede, hominem, mens improba, linque.
Sic adeo insistens iterumque, iterumque jubebat.
Ille autem, Nostræ quæ tanta injuria fraudis,
Nate Deo? quid nobiscum tibi, fare, negotî?
Cur pœnas damus ante diem? cur sontibus ultor
Immaturus ades? Quod te per grande parentis
Obtestor numen, sævire in tempore differ,
9. Quærenti nomen, legionem me licet, inquit,
Appelles, atque ex vero mihi nomina ponas:
Nos numerus quippe, & magni sumus agminis instar,
Tænarii fratres tot in uno corpore agentes.
10. Quos ne, damnatæ si qua est ea gratia genti,
Oramus, ne præcipites in sola relega
Infernæ antra domus, neu præsens vertere terræ
Coge solum, atque alias externos quærere sedes.
Quod si tantum odium nostri, si pellere certum est;
11, 12. At permitte sues (pascebant corpora juxta
Multa suum montem summum & declivia montis)
Intrare immundos, latebris & vilibus abdi.

13. Invidet hospitibus Christus non talia fœdis
Hospitia. Humano cedentes corpore migrant
Actutum in pecudes. Digressu haud segnior illo
Ecce, gregem totum, bis mille, a vertice montis,
Setigeros, in subjectum fert impetus æquor.
Demersi posuere animas sub gurgite, & alto
Sternitur unda lacu, turbantque cadavera densa.
14. Diffugere metu pastores. nuncius implet
Agrestumque domos, magnamque celerrimus urbem.
Damna recognoscunt populi sua, & undique cives,
Undique sub ripam effusi venere coloni.
Aspiciunt. spumæ albentes, unda horrida setis,
Unda luto. hæc inter nabant ingentia terga.
15. Post Christum, post & Christi invenere sedentem
Ante pedes, quem sæva prius dementia notum
Fecerat, & sana nunc mente, & vestibus artus

16. In-

(*a*) *Luc. cap.* 8. *vs.* 27. Et vestimento non induebatur, neque in domo manebat. (*b*) *Matt. cap.* 8. *vs.* 28. Sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. (*c*) *Ibid. vs.* 29. Venisti huc ante tempus torquere nos. (*d*) *Luc. cap.* 8. *vs.* 31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. (*e*) *Ibid. vs.* 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte. (*f*) *Matt. cap.* 8. *vs.* 34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu. (*g*) *Luc. cap.* 8. *vs.* 35. Et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus.

16. Et narraverunt illis, qui videraot, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum.

18. Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo:

19. Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.

20. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes mirabantur.

21. Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, coovenit turba (b) multa ad eum, & erat circa mare.

16. Indutum primis. Nec turbam audire pigebat
(Spectatrix quæ Christi operum & oon inscia turba)
Multa super legione truci, super & grege multa
Narrantem, & miros gaudentem evolvere casus.
17. Hoste tamen stygio magis extimuere potentem
Christum omnes: Christum, proh gens ingrata salutis!
Dimittunt, orantque suis absistere terris.
18. At non promeriti tanti sic immemor æger.
Namque paranti abitum, stagnumque iterare, ferebat
Sponte preces, comitem in casus se admitteret omnes.
19 Reppulit huoc, quamvis non aspernanda rogantem,
Venturi Christus prudens, & sistere jussit:
Vise domum, atque tuis i nuocius, & mea magna
Facta refer. meritum in primis narrare memento
Immortale Dei. quali re ex hoste recepi,
Et quot per pecudum servatus funera vivas.
20. Dixerat. ille decem, populis mirantibus, urbes,
Ostentans mentem sano cum corpore sanam,
Ibat, & insigni benefactum laude ferebat.
21. Transversæ interea Christus vada oota remensus
Applicuit ripæ: solitis ubi plausibus illum
Excipit oppetiens dudum gratissima turba.

XIII.

Ex capite Marci quinto.

22. ET venit quidam de Archisynagogis (a) nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea (b) in extremis est, veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

24. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25. Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim.

26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis: & erogaverat omnia sua, oec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.

27. Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum (c) ejus:

28. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: & sensit corpore quia sanata esset a plaga.

30. Et

MULIER PROFLUVIO SANGUINIS LABORANS.

22. DUx saeri priocepsque chori, dum sedula rite
Concilium pietas, divinaque sabbata cogunt,
Pro nata mulrum ecce pater venit anxius ægra,
23. Atque his se tremulis Christo cum vocibus offert,
Supplicitet tristis, genibusque affusus, & hærens:
Nata mihi est; quanquam quid ego hæc loquor? ah, fuit
Filia: namque domi patientem extrema reliqui; (inquit,
Et jam fata illam fors, morbus & hauserit atrox:
Unica, quam decimus modo ceperat annus, & alter
A decimo. tu, Christe, veni, atque impone potentem
Ipse manum. sit nulla licet spes, ægra valebit.
24. Vix ea fatus erat. coosurgit Christus ab ima
Sede, ducemque sequens monstrata ad limina tendit.
Calcem calce terit, lateri latus apprimit ingens
Qui numerus stipat comitum, & studiosius ambit.
25. His, urget qua turba viam densissima, raptim
Infert se mediam, furto rata fallere & astu
Femina, profluvium tetri cui sanguinis acre
Bissenos vitam infestam jam fecerat anoos.
26. Illa quidem, non ulli operæ, non sumptibus ullis
Dum parcit, totam io medicas exhauserat artes
Prodiga rem; non finem ideo, oon nacta levamen
Restantis morbi, & fastidia longa ferentis.
Nec satis: experta est ubi multa, & passa medendo;
Ventris proluvies incruduit atra, malumque
Irritante manu, vario & lenimine crevit.
27. Ergo clam fore se, tactuque auferre salutem
Furtivo confisa, & plebem inserta per arctam
Pone subit, tacitoque hæc secum corde volutat:
28. O mihi fas Christi extremam si tangere vestem,

29. Certa salus. Tetigit. medio, mirabile, cursu
Suppressus sanguis, primaque exaruit, atrum
Flumen agens venis, ab origine purpureus fons.
Inde gravi hæsuros per viscera fæce cruores
Erasit fluor, & saniem; ac deferbuit æstu.

 Tum

(b) *Ibid vs.* 40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba. erant enim omnes exspectantes eum.
(a) *Luc. cap.* 8. *vs.* 41. Et ipse princeps Synagogæ erat.
(b) *Ibid. vs.* 42. quia unica filia erat ei fere annorum duodecim; & hæc moriebatur. (c) *Matt. cap.* 9. *vs.* 20. & tetigit fimbriam vestimenti ejus.

30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat: Quis tetigit (d) vestimenta mea?

31. Et dicebant (e) ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. Mulier (f) vero timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, & esto sana a plaga tua.

Tum primum solito contracta potentius alvus,
Fusa diu. mulier subitam haud incerta salutem
30. Corpore persentit toto. Neque nescit a se
Vim medicam Christus scatebris manasse benignis.
Respicit, & populum compella voce sequentem:
Quis me, quis tetigit vestem? Cuncti ore frementes
31 Cuncta negant. Cui tum socii: Premit undique turba, &
Pæne solo affligit: tangentem, Christe, requiris
Scilicet. Hic dicto Christus se obfirmat eodem:
At me aliquis, novi, tetigit. de corpore quippe
32. Major iit virtus. Et sic effatus, agebat
Circum oculos, furem eliceret sicunde dolosam.
33. Illa autem audacis facti sibi conscia, nec sat
Delituisse potens, pudefactaque fraude retecta,
Processit, confessa ream. tum volvitur imos
Ante pedes, Christumque orat conterrita pacem.
Ipsa sui indicium commissi deinde peregit:
Quid venit; quibus insidiis vestem attigit; & quam
Expressit tactu arcano præsentia morbi
Auxilia; ut fortem dominati in membra medelam
34. Senserit. Huic Christus: Fiducia ne tua fecit,
O nata, incolumem. Sic tu hac virtute fruare,
Inque dies crescas: sic ædes pace revisas.
Vive, vale, hoc nunquam posthac non libera morbo.

XIV.

Ex capite Marci quinto.

35. ADhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est, quid ultra vexas Magistrum?

36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere: tantummodo crede. (a)

37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi, & vidit tumultum, (b) & flentes & ejulantes multum.

39. Et ingressus ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur, ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge.

42. Et confestim surrexit puella, (c) & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno.

43. Et

FILIA JAIRI MORTUA.

35. NOndum finis erat: procurrens nuncius affert,
Heu, patri gnatæ funus: Nec tu esse magistro
Ultra perge gravis, nec tu, inquit, vana lacesse
Auxilia hinc longe. tibi enim, tibi filia vixit.
36. O Pater, o casu nequicquam exterrite tanto.
Christus ait, dictisque virum solatur amicis,
Non metus, immota pigeat nec te omnia contra
Stare fide. seu vixit, erit tibi filia salva,
37. Seu morbo decumbit adhuc. Venere petitum
Interea ad limen: quo plebem limine, & ipsos
Exclusos comites liquit. tres legit ab omni
Præcipuos numero, qui se intra tecta sequantur,
Et te, Petre, nec non cum fratre Jacobum.
Ingreditur sic ipse: suas sic ducit in ædes
Corda metuque pater suspensus, speque futuri.
38. Intus pars lacrymas fundunt, pars arte canora
Sollicitant, verosque imitatur tibia planctus.
39. Continuo, Quid turba, quid illætabile murmur
Vult? ait. Hinc alio & vestras auferte querelas,
Et vos, o populi. somno, non morte sepulta
40. Virgo jacet. Risu pubes ea verba protervo
Excepit, nimium veræ certissima mortis
Nec minus hos totis acer penetralibus omnes
Exegit. Patrem adscitis matremque puellæ
Adjungit sociis, secumque sub intima testes,
Corpus ubi jacet exanimum, conclavia ducit.
41. Virginis inde manu prensa, Virgo, impero, surge.
42. Hæc tantum Christus, repetit frigentia membra
Spiritus, atque animæ concalfacit igneus ardor.
Nec mora, surrexit rediviva, toroque puella

Exi-

(d) *Luc. cap.* 8. *vs.* 45. Quis est qui me tetigit? (e) *Ibid.* Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant, Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis. Quis me tetigit? Et dixit Jesus tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse. (f) *Ibid. vs.* 47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

(a) *Luc. cap.* 8. *vs.* 50. Et salva erit. (b) *Matt. cap.* 9. *vs.* 23. Et vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. (c) *Luc cap.* 8. *vs.* 55. Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo.

43. Et præcepit illis vehementer, ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare. (d)

Exiluit, nitens fortes, vacuo æquore, gressus.
Hinc solitum Christus vitæ præbere tuendæ,
Qnam dederat, victum admonuit: seu talia monstrat
Ex longo collecta fames: seu nota reposcunt
Præsidia accisæ morboque & funere vires.
Sive haud ulla magis, quam vis testatur edendi
Et reducem vitam, & perfectæ munia vitæ
43. Perculit insueta novitas ab imagine mentes
Ignaras: vixque aspectu sibi credula primo
Lumina. Tum sanxit taciturna silentia Christus.
Nequicquam. sparsa est insignis gloria facti,
Perque humiles pernix villas, perque oppida venit.

X V.

Ex capite Matthæi nono.

27. ET transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili David.

28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel.

CÆCI DUO. ARREPTITIUS, IDEMQUE MUTUS.

27. INde viri Christum gemini sensere migrantem,
Luminibus capti, & tenrantes cuspide gressum.
Ecce cavos orbes (fœdum ac miserabile visu)
Ostentant oculorum, & magna voce sequuntur,
Immiscentque preces: o regum maxime sanguis,
28. O nostri miserere. Domum jam venerat. ollis
Ingressis, Dare, quam petitis, me posse salutem
Creditis? Ambo uno conclamant, Credimus, ore.
29. Ille manu facili permulcens lumina, fiant
30. Quæ petitis, dixit, quæ creditis. ocyus almam
Hausit lucem oculis, hausta & gavisus uterque est.
31. Tum minitans, Me, Christus ait, ne prodite. At illi
Digressi pariterque malum, pariterque medentem
Sparsere, & tota in vulgus regione dedere. (fert
32. Hinc alium ex aliis bona plebs commendat, & of-
Nec sat opem validum sibi poscere, nec minus ægrum:
Ereptum est cui posse loqui; quem vendicat orci
Incola, & oppressum stimulis agit intus Avernis.
Ast ubi præsentis rabido data copia Christi;
33. Pellitur infelix alienis sedibus hospes,
Haud mora, & in vocem mutus, gratesque resolvit
Ora pias. nec qui stat plurimus, omnia cernens,
Mirari populus, neque verba hæc fundere cessat:
Quem patriæ videt ora parem? quem prisca tulerunt
Sæcula? quæ tantis certent facta inclyta factis?

X V I.

Ex capite Joannis quarto.

46. VEnit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.

49. Di-

REGULI SANATUS FILIUS.

46. HUc, ubi mutari latices putealibus undis
Læneos dedit, & mensis succurrit egenis,
Judæa rursum Christus patria arva relicta
Venerat, inque Canæ remearat notior urbem.
47. Audiit adventumque viri dominator amœni
Capharis, & famam, & pulsis facta inclyta morbis.
Filius huic, strato febris quem dira tenebat,
Jam fletus misero patri, jam morte propinqua
Flendus adhuc, major ni visque Deusque resistat.
Quare adit & multa prece Christum, & visere ad ægrum,
Atque malo, superabat enim, coramque mederi
Acturumque orat, fugientem & sistere vitam.
48. Christus ad hæc gentem increpitans tardamque, re-
Difficilem, Nil nempe mihi, nil creditis, inquit. (gique
Nulla fides, nisi quam vi oculis subjecta malignis

49. Pro-

(d) *Matt. cap. 9. vs. 26.* Et exiit fama hæc in universam terram illam.

49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.

49. Prodigia extuderint, Immo hoc age, suscipit ardens
Caphareus rector, mecum & descende, domumque
Ipse subi, ipse neci velox occurre futuræ,
50. Præque veni. Christus festini vota parentis
Transcendit bonus, & verbis sic fatur amicis:
Vade, tuus hospes tibi vivit gnatus. At ille
It dicto fidens, & secum numen adorans,
Securus nati atque sui, gratusque salutis.
51. Jamque iter urgebat medium; turba obvia longe
Spectari servorum, & contra tendere gressum.
Quam metuo, patrias præcox ne nuncius aures
Impellat, morboque viri quid tristius afflcut!
Verum animis spes major agit, spem comprobat ingens
Exitus, atque fidem promissi muneris implet.
Namque procul celeres studio certante ministri,
Vivit io, clamant, nobis gratare, tibique,
O Here, vivit io sospes carissima proles.
52. Tum Genitor, quando vis corpore morbida cessit,
Dicite? ait; quæ lux? quæ tempora prima salutis?
Cui referunt: Hesterna dies, atque hora dici
Septima erat, febris puerum importuna reliquit.
53. Nunc repeto, exclamat, memitique. hoc scilicet il-
Tempus erat, cum promissis ingentibus auctus (lud
Accepique, dedique fidem; cum deinde reflexi
Certus iter: dictis respondent omnia Christi.
Ergo pium deinceps numen materque, paterque
Agnovit venerans: fatis ereptus acerbis
Hoc natus facit; hoc vernarum cetera pubes.

XVII.

Ex capite Joannis quinto.

1. POst hæc erat festus dies Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.

2. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.

4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descend t.

8. Di-

ÆGER AD PISCINAM.

1. FEsta dies aderat, solvebantque annua vota
Isacidæ. Solymas contendit Christus ad arces.
2. Hic, qua parte subit sparsurum sanguine cæso
Fumantes aras pecus, & compellitur urbi,
Collectum labris piscina capacibus amnem
Servat iners. patrio cives cognomine dicunt
Bethsaidam; morbos quoniam depellere felix.
Porticibus cinctam quinis spatia ampla coronant.
3. Subter mœrentum, & morbo tentante dolentum
Multiplici, turba ad ripam conferta jacebat.
Queis titubant fracti gressus, queis lumina adempta;
Languor habet quos, & depascitur arida tabes.
Observant, latices dum pigros enthea virtus
Turbet agens, medicetque occulte, & numine firmet.
4. Intus uti ad thermas terra undam viribus auget,
Miscens sulphura viva, salutiferumque bitumen,
Namque Dei, certo delapsus tempore, præpes
Nuncius exercebat aquas, motuque ciebat
Vivifico. motis qui protinus occupat uti
Primus aquis, corpusque lacu mersare salubri;
Convaluit: præsens illi medicina malorum est;
Quæ mala cumque artus agitent inimica, ruantque.
5. Ecce autem medicas suspirat languidus undas
Stramineo e thalamo; propius vix namque potestas
Affectare viam datur, aut insistere plantis.
Jamque æstas ter dena ægrum, bis jamque quaterna
6. Viderat: auxilii Christus persensit egere
Semianimem dudum, & longinqui tempora morbi
Agnovit reputans. Quem deinde hac voce, futuri
7. Ignarum, alloquitur: Fieri vis sanus? At ille,
Vocem corde trahens nec non suspiria ab imo,
Haud equidem, dixit, nolim: sed posse negatur.
Nam mihi nec, motæ primum qui me inferat undæ,
Suppetit adjutor, nec tantæ in corpore vires.

Ipse

Ipse ego dum venio, longa est mora, præripit alter
Descensumque, vicesque meas, atque omnia solus
Præsidia invadit morbi, & consumit habendo.
Sic me alias alius, dum fluctibus imminet, æger
Transit, & imbelles nisus frustratur euntis.

8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

8. Cui Christus: Consurge, subi cervice grabatum,
9. Et gradere. Extemplo membris cum viribus amplis
Venit prima salus; humeroque jacentia utroque
Strata onerat. dehinc firma levis vestigia fixit.
10. Occurrunt contra Isacidæ, & sermone morantur
(Septima erat tum forte dies, operumque sedebant
Immunes populi) Lux est hæc sacra, Deoque
Omnia sunt operata: sacra tibi luce cubile
Transportare nefas. Tali arguit ore profanum
Turba soluta operum, cœptisque avertere tentat.
11. Ille nihil dubitans, nec passu tardior uno,
Parcite, ait. sanum qui me mihi reddidit, idem
12. Ire jubet, thalamumque humeris auferre. Quis autem,
Quis tibi opus, pergunt, facere imperat, ac tua tecum
Intempestiva coram vehere omnia luce?
13. Hæsit ad hæc: ignorat enim nomenque, virumque.
Ille loco, turbam meditans celare frequentem,
Moverat, aspectuque celer subduxerat ora.
14. Post hominem media inventum testudine templi
Invadit Christus dictis, atque admonet ultro:
En tibi condonata salus. At desine plura,
Ne commissa luas graviore novissima pœna.
15. Agnovit vocem sibi conscius, oraque tanta.
Ergo abit, ac passim in medium, quo strata jubente
Liquerit, a morbo qui se servaverit ægrum,
Mox lætus profert, & Jesum civibus edit.

XVIII.

Ex capite Marci sexto.

30. ET convenientes Apostoli ad Jesum, renunciaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.

31. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum (a) seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt (b) illuc, & prævenerunt eos.

MULTIPLICATUS PANIS.

30. COnvenere citi Christum de more sodales.
Queis monstris fecere fidem, quæ jura dedere,
Quasve viris leges, memorant. Hæc talia post-
Audiit, & caram merita ob præclara probavit (quam
31. Complexus pubem: Mecum, fidissima, dixit,
Turba, veni, paullumque artus furare labori,
Paullum animos, veteres & jam oblivíscere curas.
Secreti notum collem ac deserta petamus.
32. Sic fatus, clam, se, numero comitante suorum,
Litus ad occultum, quo fert via devia, ducit.
Ultro quippe meat, citroque, ac plurima turbat
Adventor gravis, & tranquillæ tempora mensæ
Reddi obstat, viresque novas arcessere victu,
Solarive famem. Proinde urbibus ire relictis
Est animus fluvio, qua sese ignotior aufert
Circuitus terris; tum navem appellere furtim.
33. At non plebem avidam & miracula magna sequen-
Discessus latuit præceps. comperta per undas (tem
Cymba vehi, & placido curvam legere æquore ripam.
Fusi ergo cunctis cives ex urbibus adsunt.
Pars iter ingressi pedibus per nota viarum
Antevolant, longeque locum accessere priores.
Est locus, undoso Genesar prælabitur amni,
Bethsaidam, murosque inter de nomine dictos
Tiberii, nullo tecto locus, hospite nullo.
Partem collis habet, partem plano æquora campo:
Sed par segnities, incultique otia ruris.

(a) *Luc. cap. 9. vs.* 10. In locum desertum, qui est Bethsaidæ. *Joan. cap. 6. vs.* 1. Trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. (b) *Joan. Ibid. vs.* 2. Quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

34. Et (c) exiens vidit turbam multam Jesus: & misertus est super eos, (d) quia erant sicut oves non habentes pastorem: & cœpit illos docere multa.

34. Huc Christus fertur, religatque a litore protam
Gramineo. tantus steriles concursus ad oras
Cernentem movet, ac pietas festina virorum.
Interea saxi tacitus dum summa tenebat,
Subsedere ima cunctantes valle catervæ,
Ceteraque affluxit, tarda cum ætate, juventus.
Descendit miseratus, opisque advertit egentes,
Ceu pastore vagum nullo pecus. inde docere
Multa super regno cœlestum, multa mederi
Incipit, & rudibus totum se tradere, & ægris.

35. Et cum jam multa hora fieret, (e) accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

35. Et jam devexo procedit vesper Olympo.
Ecce instant comites, adeuntque hac voce magistrum:
Ut locus hic frugum sit inops; effluxerit hora
Impransis, nosti; utque doment jejunia ventrem.

36 Dimitte illos, ut euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent.

36. Turbam ergo pagos dimitte & compita circum
Ire, licet fessam, & pretio sibi quærere victum.

37. Et respondens ait illis: (f) Date illi vos manducare. (g) Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

37. Quin vos, o socii (quid longius attinet ire?)
Sufficitis feræ properanda viatica pubi?
Sic Christus. cui tum sociis ex omnibus unus:
En quini geminis panes cum piscibus: intra
Hoc solum stat tota penus. ni forte parare
Ære escam, & turbæ libeat convivia tantæ.
Atque alius, Quin imus, ait, nummisque coempta
Bis centum plenis oneramus fercula mensis?

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. (h)

38. Talia dum dubitant ignari, lumine obibat
Jamdudum turbam immensam: neque grandia Christus,
Conscius ipse sui, non sese in facta parabat.
Ante juvat mentem ambiguam explorare Philippi,
Resque etiam atque etiam quærendo prodere egenas.
Dic age, dic, illis sumptus unde auctor alendis
Extricare jubes, ac tu quoque consule prudens
In medium. Ille virûm reputans densam agmine summam,
Non bis centenus Cererem denarius, inquit,
Solverit in capita exignam, non tenuia frusta.
Aggerat hæc Petri dulcis germanus, & infit:
In pueris est cui panes cocta ordea quinos
Conflavere, duo cui pisces pera recondit.
Sed quanta hæc autem populis tot portio, fessis
Deque via, deque esurie, quos & mala longi
Temporis, inclinante die, jam tædia vincant?

39. Præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.

39. His ut quæsitis socios expertus, & ire
In varia ancipites Christus responsa coegit;
Tandem victor ait: Fidi, mea cura, sodales,
Quidquid id annonæ est, ea quantula copia cumque,
Promite, & huc rerum securi afferte mearum.

40. Et discubuerunt in partes, per centenos, & quinquagenos.

40. Non minus ac jussi faciunt. hinc & sua velox
Jussa implet viridi projectum in gramine vulgus.
Quinquaginta una partim, centum ordine partim
Compositi in turmas, perventum ad millia donec
Quina virûm. namque hoc numero conviva, puellas
Innuptas supra, & pueros, matresque, nurusque,
Affuerat, mollique toro consederat herbæ:

41. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus.

41. Post ubi quinque manu panes, binasque natantes
Extulit, ac tota medius spectante corona
Suspiciens altum cœlum, parvam omine magno
Lustravitque dapem, dixitque potentia verba;
Distringit, diffracta suis exporrigit: olli
In tot jejunas partiti frustula turbas.
O seges, o felix opulento copia cornu,

42. Et

O

(c) *Ibid. vs.* 3. Subit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. (d) *Matt. cap.* 14 *vs.* 14. & curavit languidos eorum (e) *Ibid. vs.* 15. Vespere autem facto. *Luc. cap.* 9. *vs.* 12. Dies autem cœperat declinare. (f) *Matt. cap.* 14. *vs.* 16. Non habent necesse ire: date illis vos manducare. (g) *Luc. cap.* 9. *vs.* 13. At illi dixerunt: Non sunt nobis plusquam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. (h) *Joan. cap.* 6. *vs.* 5. dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid inter tantos.

42. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. (*i*)

43. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. (*k*)

O mensæ fœcundæ indeficientibus escis!
In manibus Christi, in manibus crevere virorum,
Et qui dividerent, & qui divisa comessent,
Inque herba, inque cavis crevere alimenta canistris.
42. Ipsi adeo dentes, os ipsum plenius auctus
Sensit adoratos, & mansis gliscere mansa.
Interea sterilis miratur non sua tellus
Dona: patet pisces, quos non eduxerat amni,
Miratur Jordanus, & omnibus assonat undis.
43. Postquam pulsa fames, & edendi expleta cupido;
Quamprimum facile, pereant ne fragmina, dextra
Sublegite, & pandis congestum in lancibus ite;
Christus ait. dicto gaudent parere sodales.
Jam Cereris numerò ex parvo, pisciſque minore
Implent bissenas mensis restantia corbes.

XIX.

Ex capite Matthæi decimo quinto.

22. ET statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, (*a*) donec dimitteret turbas.

23. Et dimissa turba, (*b*) ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: (*c*) erat enim contrarius ventus.

25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum.

JESUS AMBULANS LACUM.

22. HIs actis rursum ad fines stagno ire remenso
Capharcos jubet, & parvæ præmittit ad oram
23. Bethsaidæ lectos comites. cœtum ipse frequentem
Solvit, & invitum sua quemque in tecta remittit.
Namque suum rapere altorem, regemque creatum
Ardebant merita prius insignire corona.
Hoc metuens, votique memor pro more, precisque
Solvendæ, furtim se avertit, & ardua montis
In deserta jugo properat, neque cernitur ulli.
24. Nox ruit interea, & cœlum subtexitur umbris.
Hic, ubi vasta palus late Jordane refuso,
Cymba vagum per iter deprensa, tepentibus Austris
Dat latus, & gelidis Aquilonibus. hac vice nutant
Omnia. remigium motu alternante laborat.
Jamque sub extremum noctis; quo tempore quartus
Excubitor succedit, & ordine mœnia servat;
Adverso dudum luctatæ in gurgite tunsæ
Quatuor haud egere ratem plus millia ad undam,
Aut lævos strinxere sinus, ita flamina crebra
Rejiciunt, dubioque amfractu circumflectunt.
25. Tunc Christus (neque enim comites, fidissima corda,
Ultra passus amor vano indulgere labori)
Per tenebras propria se clatus luce videndum
Præbuit. ille pedum nisus stagna humida supra
Ponebat durante vado, & suspensus agebat,
Jam puppi propior, jam proræ, ac præpete cursu
Aut transire parans navem, aut transire paranti
26. Assimilis. Quem de celsis nautæ undique transtris
Ut videre, lacus sicco pede terga prementem;
Umbra, umbra, exclamant, formæque volucris imago.
Tum manibus remi excussi; perque ora supremus
27. Pallor iit. Christus respectat, & arduus adstans,
Nullum hic, o socii, simulacrum: absistite, dixit,
Terreri, & nunquam mentitis fidite verbis.
28. Ipse ego sum. Vocem hanc agnoscit Petrus, & infit,
Si, Christe, es, da tuto ad te mihi tramite supra
29. Ire undas. I, Christus ait. Dicto ocyus alta
Desilit a puppi. rectum excepere quietis
Agmina vorticibus subter famulantia aquarum;

(*i*) *Joan. cap. 6. vs.* 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. (*k*) *Matt. cap.* 14 *vs.* 21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

(*a*) *Marc. cap. 6. vs.* 45. Trans fretum ad Bethsaidam.

(*b*) *Joan. cap. 6. vs.* 15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. (*c*) *Marc. cap. 6. vs.* 48. Et videns eos laborantes in remigando. *Joan.* 6. *vs.* 18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit dicens, Domine, salvum me fac.

31. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

32. Et cum ascendissent in naviculam cessavit (e) ventus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Vere filius Dei es.

Concretasque gravi stravérunt frigore crustas.
Insistit solido calcans impune: neque unda,
Ceu toneat terras, tingit vestigia summa.
30. Jamque celer magis, & successu audacior ipso,
Ibat inoffensis victor per lubrica plantis.
Perge o mente pari, tua quo fiducia te fert,
Perge. Sed infelix ventos crebrescere sensit,
Et timuit mergi subito incipit, ac, Pereo, inquit,
31. Heu, pereo. serva pereuntem, Christe. tetendit
Christus dextram habilem, & sorbentibus extulit undis,
Increpitans, atque hæc haud satu mollia culpans,
Cur tibi non constas? cur tu formidine cœpta,
O dictis diffise meis, corrumpis, & hæres,
32. Jam mediumque retexis opus? Simul ambo feruntur
Innocui ad navem, & lætis junguntur amicis:
Siccus per totum Christus; sed Petrus in ima
Veste fluens, nec adhuc terrore solutus inani.
33. Continuo venti cecidit vis. Navita tantis
Attonitus monstris, & curvo poplite supplex,
O, quem te memoremus! ait: namque haud tibi nostra
Stirps de stirpe; Dei tu vera atque unica proles.
Vix hæc ediderat, spatio cum dissita longo
A portu, navis portum, mora nulla, prehendit.

XX.

Ex capite Matthæi decimo quinto.

FILIA MULIERIS CANANÆÆ.

21. ET egressus inde Jesus, secessit (a) in partes Tyri & Sidonis.

22. Et ecce mulier Cananæa (b) a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.

25. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.

26. Qui respondens ait: (c) Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt

21. Inde Tyri terras venit ac Sidonis, ibique
Insinuat furtim, & tectis sese occulit imis,
Discere ne quis eum, neu quis convisere possit.
At celare Deum haud ullæ valuere latebræ.
22. Prodiderat jam fama. novis a finibus ecce
Barbaricis imbuta sacris, Phœnissa, Syroque
Mixta genus, Christo audito matrona venire
Audet in aspectum, sedisque irrumpere limen.
Heu, male vexabat natam scelerata potestas
Inferni prædonis, & alto in corde furebat.
Tum sic prosterni, genibusque orare voluta:
Filia erat mihi, Christe, ferox quem vendicat hostis.
Pelle loco: mihi redde meam: ac miserere benignus
Ambarum. potes ipse: & non indigna precatur
Dilecto supplex veniens pro pignore mater.
23. Dixerat. Avertit toto se corpore Christus
Dissimulans, visusque preces sprevisse tacendo.
Inde palam tectis cessit, seque abstulit ingens.
Nec minus hæc precibus socios tentabat. Et illi
His Christum aggressi faciles: Dimitte, molestis
Insequitur quæ nos clamoribus, ac ferit aures
Jamdudum, neu tu maternos falle vocatus.
24. Quos sic castigat dictis, atque erudit ultro:
Missus ego Isacidum balantes ire receptum
Amissas. gregibus mea nullis cura laborat
Præterea. caput hoc mandati & summa paterni.
25. Agnovere Deum socii, & mysteria rerum.
At non sic mater: solam quæ mœsta repulsam
Audiit, inceptisque hæret non segnior iisdem.
26. Congeminatque preces. Christus cui talia demum:
Ante explere famem natos sine. debita natis
Dona almæ Cereris nec jus subducere, nec fas,
27. Et præbere pudet canibus. Tum protinus illa:
Accipio, dictumque tuum tibi, Christe, repono.
Sum

(d) *Joan. cap. 16. vs. 19.* Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri. *Marc. cap. 6. vs. 48.* venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos. (e) *Joan. cap 6. vs. 21.* Et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.


(a) *Marc. cap. 7. vs. 24.* Et ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. (b) *Ibid vs. 25.* Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus. 26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. (c) *Ibid. vs. 27.* Sine prius saturari filios.

cadunt de mensa dominorum (*d*) suorum.

28. Tunc respondens Jesus, ait illi: (*e*) O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. (*f*)

Sum canis, o, fateor: neque ego uti hac sorte recusem.
At saturis jacta ex mensis, semesaque frusta
Natorum, & domini quæ vilia crustula lauti,
Sublegere est canibus licitum, subterque comesse.
Et matri, & natæ per te, non amplius oro,
Hoc liceat. dixit, terræque immobilis hæsit,
28. Christus ad hæc; miratur enim mentemque animum-
Magna petis, mulier: credis majora, fidesque (que:
Quam mihi das, quæ tu poscis me munera vincit.
At tibi pro tantaque fide, tantisque petitis,
Et facio rata vota, & nunc jam nuncio facta:
Hoc quoque ne dubita, neu gressum ad limina differ,
Filia ubi te salva manet. Sic definit ore.
Illa, fide Christi, ingreditur, sedesque revisit
Certa suas. natæ prægustat mente salutem.
Nata sui secura, toroque affixa jacebat.
Non adimit somnos, nec, ceu prius, otia rumpit
Cetera, quippe fuga turpi dare versa coactus
Terga hostis, nigraque dolens se condere Averno.

(*d*) *Ibid. vs.* 28. Sub mensa de micis puerorum. (*e*) *Ibid. vs.* 29. Propter hunc sermonem, vade, exiit dæmonium a filia tua. (*f*) *Ibid. vs.* 30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.



THEUR-

THEURGICON,

SIVE DE

MIRACULIS CHRISTI,

LIBER TERTIUS.

XXI.

Ex capite Marci septimo.

31. ET iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & exspuens, tetigit linguam ejus:

34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:

37. Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

SURDUS ET MUTUS.

31. POst Tyrios fines liquit, Sidona profectus (tu
Per mediam, evaditque celer quo mœnia trac-
Dena superbificas ostentant vertice turres,
Ac sospes tandem Galilæis redditur oris,
Mollis ubi ripa, & Chenerethi flumina noti.
32. Auribus interea captum, linguaque trahebant,
Atque manus ægro medicas adhibere rogabant,
33. Exemit paullum turbæ, seorsumque prehendit,
Ac teretes digitos mox Christus adegit in aures
Arte nova, linguamque salivis spargit amaris,
34. Inde oculos cœlo attollens, seu numina poscat
Magna Patris, seu quod mentem mortalia tangant,
Ingemit, &, Posthac capiendis vocibus, aures,
Reddendis, dixit, pateatis vocibus, ora.
35. Talibus extersæque aures, relevataque vincla
Hærentis linguæ, ac se frustra in verba moventis.
Et nunc illa sonos dulces presso ore figurat
Mobilis. auditur tantarum in munere laudum.
Experiens sese, atque moram sermone rependens,
Grata viri virtus. Et jam facundia major
Viribus aucta Dei. Tibi primum serviat, inquit,
Quem propter mihi vox conceditur, ac tua magna
Facta canat, meritosque obnoxia solvat honores. (stus
36. Hæc, & plura tamen, quanquam haud indebita, Chri-
Non sinit: huncque loqui, spectantumque agmina circum
37. Grande vetat facinus. Frustra namque asper in om-
Quam magis indicit taciturna silentia cœtum, (nem
Tam magis omnis eum pervulgat, & omnia cœtus:
Arentem ut linguam digito colliverit udo,
Molle spuens; digitum utrique ut demiserit auri;
Et gemitus, & miscuerit non noxia verba,
Suspiciens altum cœlum. tu singula recte:
Tu surdas aures purgas, tu muta resolvis
Omnipotens ora, & nullis non annuis ægris.
Tali inter sese miracula carmine dicunt.

XXII.

Ex capite Marci octavo.

22. ET veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24. Et

CÆCUS BETHSAIDÆ.

22. POstquam Bethsaidæ perventum in mœnia parvæ
Sede virum externa, geminum cui lumen ademp-
Bisseni tradunt Christo medicare sodales, (tum,
Hortanturque manu contingere. Debita sed non,
Urbs infida, tibi tanti spectacula facti.
23. Seduxit cæcum, palma complexus, & urgens
Christus iter cunctantis, ab altis mœnibus usque
Avertit secretum, &, quæ loca sola, petivit.
Hic roseo spuit ore oculos, & nota medentum

Im-

Imposita mulcens simulat collytio dextra.
Ac prior, Ecquidnam cernis, rogat. Ille repente:

24. Et aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.

24. Ecce procul, cerno, ecce viri capita ardua tollunt.
Plurima ceu vulſis penitus radicibus arbos
Sponte ſua incedat, ramoſaque brachia tendat.

25. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus: & cœpit videre. & reſtitutus eſt ita ut clare videret omnia.

25. Comperit (ignoretquid enim Deus?) obſita denſa
Lumina nocte, & abeſſe operi faſtigia tanto.
Sollicitare manu rurſum, ac detergere ab omni
Parte, diemque oculis, & rerum aperire colores.
Qualia erant, clara apparent nuda omnia luce.
Ergo expers cæcus caligine, & omnibus umbris,
Aſpectat læto ore diem, læto ore medentem,
Cum ſputoque manum validam, fomentaque caſta.
Ipſe vito ſolem inſuetum, viſuſque receptos

26. Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

26. Gratatur Chriſtus. tum greſſum in tecta referre
Imperat, & ſecum tacite ſua munera habere,
Audiat ingrati ne quis temere incola vici.
I duce, ait, nullo. Quod ſe via ſi dat eodem,
Aut animus fert, unde pedem modo feceris, ire;
Divina immeritis prodas cave civibus acta.

XXIII.

Ex capite Matthæi decimo ſeptimo.

1. ET poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem (*a*) excelſum ſeorſum:

TRANSFIGURATIO CHRISTI.

1. JAm ſextus roſeum Titan exegerat alma
Luce diem: aerii montis petit ardua natus
Ipſe Deo Deus, atque, hominum dum corde tu-
Curatumque ſilent, Patri meditatur amicas (multus,
Ferre preces, longiſque vacare per otia votis.
Huic comites Petrus, &, dulci cum fratre, Jacobus
Soli ivere. Sopor molles quibus irrigat undas
Mox, & ſubſtrata projectos mulcet in herba.
Nunc animis uſus, nunc Pindi in carmina totis
Parnaſſi e jugis. plena mihi voce canendus,
Chriſte, venis. vatem graviori percute thyrſo:
Percute, & hoc acres ſtimulos ſub pectore verte.
Me picturato ſtellas deducere cœlo,
Me cœli propius terris oſtendere regem
Et juvat, & ſpretis fas immortale caducis
Mente ſequi. Vos hæc facietis maxima Chriſto,
Pierides. vos hæc debetis maxima Chriſto,
Chriſto, cujus amor docuit me primus utrumque
Jordanis caput, ac palmis monſtravit Idumen
Conſpicuam, & Libani ſemper frondentis honores.
Tum nulli per trita prius veſtigia duxit
Ardentem ſtudio Cœleſtum, ſacraque, Muſæ,
A teneris veſtra, a teneris tua, Chriſte, ferentem.
Poſtquam res hominum, patriæque in commoda egenæ
Æterno æquævus genitori filius egit
Impenſam, quam longa, diem; & cum ſole labores
Decurſi, laſſiſque operum meta ultima venit:
Nox precibus votiſque ſubit vigilanda perennis:
Divinis noctem vacat indefeſſus, & aſtra
It contra obtutu tacito, tranſque aera vectus
Quærit, & invento fruitur Patre, ſeque viciſſim
Dat dono Patri non inferiore fruendus.

2. Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies (*b*) ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus (*c*) facta ſunt alba ſicut nix.

2. Ecce novum, & nullis non admirabile terris
Prodigium: faciem totus mutatur & ora,
Jamque diu forma præſtans ſuperoſque, viroſque
Ante omnes, forma fit ſe præſtantior alter.
Mella fluunt labris. ſtant utraque tempora luce
Purpurea. ex oculis blandus micat acribus ardor.
Ridebant malis, ridebant fronte lepores:

3. Et

Au-

(*a*) *Luc. cap. 9 vſ.* 28. Aſcendit in montem ut oraret. (*b*) *Ibid. vſ.* 19. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera. (*c*) *Marci cap. 9. vſ.* 2. Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.

3. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias (*d*) cum eo loquentes.

Augustumque supercilium, fastuque remotum
Temperies regit æqua: nitent a vertice fusi
Sponte sua melius crines per lactea colla.
Quid reliqui vultus decus exequar? aurea cuncta,
Lumine cuncta superba suo. Quam fulgidus, æstus
Accendit cum sol medios: fugit æthere turpis
Umbra, soloque; ignes latuere a sole minores:
Uni ignes latuere; tenet nam cetera lumen.
Nec jam tot veneres ora intra sola. renident
Adverso tinctæ vicinæ lucis ab auro,
Atque super niveum vestes duxere colorem.
Non sic infector naturam imitatur, & arte
Candorem assimilat nivis; emendatque per ignem,
Mentirique docet peregrinos vellera fucos.
Ergo nihil Christu Christum, nil vestis habere
Vestem ipsam credas. in terris totus Olympus;
Et nati in vultu totus pater. æthere qualem
In medio, æternæ spectandum civibus aulæ
Gloria non vacuo sublimis vertice præbet.
Tantum quo possis hominem dignoscere, restat
Prima hominis facies, & notæ consona imago
Partem aliquam, atque oculis non inficianda suorum.
3. Ecce autem dextraque latus, lævaque tegentes;
Hinc duo saxa manu, leges incisa Tonantis,
Ostentans Moscus; elusa hinc morte, superstes
Nunc etiam, senior, bigisque invectus Olympum
Vivus adhuc, primamque trahens in corpore vitam.
Ambo prælustres animis, virtutibus ambo,
Et gerere ampla pares, & respondere futura.
Hic luce ardebat radianti, & cornibus igneis:
Sicut ubi alloquio longum dignatus, & usu
Cœlituum, visoque recens a numine venit.
Huic pellis corpus medium circumdata obibat
In zonam. Sed par exæquat gloria frontis,
Humanoque decus manus respondet utrique,
Alter & alterius forma, nec honore recedit
Inferior. laudes Deus ambas temperat idem.
Illi inter sese commutant plurima verba.
Præcipue inducto morituri funere Regis
Fata extrema canunt, pulcramque in stipite mortem.
Vos, Solymæ, testes. tu millibus, advena, centum
Testis eris: non læta oculos spectacula pascent.
Quod fecere nefas, hoc sustinuere tueri
Crudeles. Cum tu, o sanguis nosterque, Deique,
Interea tristes suspenso corpore pœnas
Persolvis cunctorum, & crimina plecteris insons:
Nec te verberibus, nec acuta cuspide dumis,
Non clavis, sævoque negas post funera ferro.
Heu amor! heu promissa fides, majoraque magna
Dona fide! Patris exoras, dulcissime, pacem,
Numinis & læsi placas mortalibus iram,
Morte tua vitas pactus, veniamque reorum.
Talia deflebant divino carmine vates.
Quo magis his Christus se, tanti tota doloris
Materies, aperit, tenerosque in vulnera amores
Exstimulat. Fulgorne oculos percusserit acer,
An vocis sonus impulerit miserabilis aures,
Incertum somnus socios, tenebræque relinquunt.
Apparent pictæ facies. duo corpora vatum
Magna. Sed ipse humeris Christus conspectior altis,
Amborum in medio, conspectior oris honore.
Hic placet, hunc digitis signant, hunc pectore toto
Posthabitis ardent aliis, defixaque in unum
Lumina, nec pulcro meminere absistere vultu.

4. Re- 4. Sed

(*d*) *Luc. cap. 9. vs.* 31. Visi in majestate: & dicebant excessum ejus. quem completurus erat in Jerusalem. 32. Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo. 33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ (e) unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. (f) Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

7. Et accessit Jesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum.

9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. (g)

4. Sed non idcirco Petrus non Mosea sensit
Conturbare loco gradientem, abitumque parare:
Jamque pium comitem discessu vertere terga.
Insequitur dictis: o sistite, quove tenetis,
Curve iter hinc alio? Sic sic juvat usque morari,
Et decet, ac tanti est sic tecum vivere, Christe.
Quin tria nos tribus aptamus tentoria vobis,
Hoc solum quoniam vitai ad commoda restat?
Hic Mosei, hic socio, tibi passis hic quoque velis
Tendemus; male sub dio si regia degit
Majestas soliorum, & tanti gloria sceptri.
5. Talia jactanti (neque enim mens, linguave menti
Competit) objectis nubes intercipit alis
Illustres heroum animas, & longius aufert;
Parte tamen non ex omni: namque aurea nubes
Pellucet, proditque viros, cernique per umbram
Exhibet, inclusos male cæcæ nubis amictu,
Infringens ardorem, & lucida tela retundens.
Interea fremitu misceri densior aer
Incipit, ac raros sonus aridus ire meatus.
Vox tandem extremam vi perscidit incita nubem
Ingens, & celeres ruit haud confusa per auras.
Hic mea progenies, magnum patris incrementum.
Hic idem dilectus, & hoc oblector eodem.
Quo sine nil gratum. quem propter amabitur olim,
Quantum non primis mihi cara vigebat in annis,
Gens exosa virum vos huic parere loquenti,
Et capite hinc Divum, si qua est fiducia, vitam,
6. Attonitæ hoc sociis aures sermone; comæque
Diriguere; petunt proni formidine terram.
7. Advolat extemplo, lapsisque supervenit, & jam
Instat voce, manu Christus: Consurgite membris,
O socii, tristique metus secludite corde.
8. Dixerat. atque ab humo nitens attollit. At illi
Suspiciunt veterem in Christum migrasse figuram.
Restabat decori insueto, formæque fugaci,
Ambobusque viris. Terrarum illi orbe relicto
Quisque suas sedes; exutum numen & ore est.
9. At socii memores saxi de vertice cedunt,
Invitis pedibus licet, ac spectata regustant
Nunc, interque viam. summo quos multa magister
Patre super, cœloque super multa edocet ultro.
Nec non quid faciat superos: quo munere surgat
Corpus humo, vinclisque animo societur ahenis;
Ut non ulla dies, non vis levet amplius ulla.
Cur artus demum consumpta morte renatos
Vindicet, indigetemque sibi transcribat Olympus
Totum hominem, & vitæ melioris dotibus auctum.
Plurima præterea sæcli monumenta futuri,
Eventusque, virosque, ac spes dat discere longas,
Et fortunati cœlum non mobile mundi,
Argumentum ingens, mansuraque gaudia dictat.
Sed premere interea, visisque silentia fida
Auditisque jubet præstare: brevissima donec
(Tres intra tumulum soles, tres denique noctes;
Quamquam hos non totos, quamquam has non denique totas)
Fata obeat, revocetque iterum se lucis in auras.
Partem olli advertunt: partem nox atra recondit
Dictorum. tacito quæ secum corde volutant,
Suspensi, quid jussa velint, quid meta silendi
Limite circumscripta suo; quæ vita, peractis
Partibus hic vitæ, rursum vivenda supersit
Corpoream in molem rediturо, & membra sepulta.

(e) *Marci cap. 9 vs. 5.* Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. (f) *Luc. cap. 9. vs. 34.* Et timuerunt, intrantibus illis in nubem. (g) *Marci cap. 9. vs. 9.* Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cum a mortuis resurrexerit.

XXIV.

Ex capite Marci nono.

13. ET veniens (*a*) ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis.

14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est & expaverunt, & accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16. Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum (*b*) ad te, habentem spiritum (*c*) mutum:

17. Qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: (*d*) & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18. Qui respondens eis, dixit: ô generatio incredula, (*e*) quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans.

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia:

21. Et frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet. Sed si quid potes adjuva nos misertus nostri.

22. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.

24. Et

LUNATICUS.

13. AD socios, planum campi devenit ad æquor.
Plurima eos circum cingebat turba virorum.
Exagitant primi Isacidum, & quæsita lacessunt
Per dubia. His mistus pudor & dolor ora colorat.
Et fors devictis cessissent partibus ultro
Indecores, ni tu maturus, Christe, sub ipsum
Venisses pugnæ certamen, opemque tulisses.
14. Adventu subito populus, populique magistri
Oppressi stupuere omnes. Hi muta pudore
Ora tenent. Hic Christum aliis festinus omissis
Concursu magno petit, & clamore salutat.
Discipuli imbelles gaudent Doctore recepto.
15. Tum Christus: Quæ tanta animis discordia surgit,
O proceres, aut cur commota hæc intuor ora?
Deprensi sensere, nec ulla hic dicta dedere.
16, 17. Ast aliquis circum e populo, Mihi filius, inquit,
Unicus, heu, miseri spes tota & cura parentis!
Hunc postquam, incertæ captans vaga tempora lunæ,
Vi magna genitor pallentis corripit Orci,
Cui ditum scelus, & sceleris nox conscia cordi;
Fit mutus, fit clamosus, mox & caput altum
Parietibus duris, saxove illisus acuto,
Dentibus infrendet, spumas agit, oraque torquet.
Consequitur maciês informis, & ossibus hæret
Vix is, sic habito vix hostis corpore cedit.
Cesserit; exsanguem, & laniatum membra relinquit.
Illum ego commisique tuis, morbique levamen
Oravi juveni, atque hostem de sede fugari.
Hostis vicit atrox, morbi inclementia vicit.
Nec vos ipse, viri, arguerim: voluistis; & arti
Nil intentatum: verum ars frustrata volentes.
Tu major; tibi nos æquum est debere salutem,
Difficilesque fugas. nati miserere, patrisque. (omnes
18 His pater ad Christum. his deinde usus Christus ad
Vocibus: o hominum gens prava, atque inscia flecti,
Quo me hic usque finam! quo vos hic usque docebo
Indociles? quando invenient miracula dignam
Quando verba fidem? Vos huc non secius ægrum
19. Sistite. Ducebant. respexit Christus. Et illum
Spiritus ecce quatit violentior. ore moventur
Albentes fluctus spumarum; ac volvitur artus
Inconstanter, & in nitendo fessus anhelat,
Nequicquam magna vulgi trepidante corona.
20. Hic genitorem adstans scitari talia Christus:
Quamdudum his agitur furiis, quotve improba perfert
Monstra dies, da tu genitor, neu supprime verum.
Sic Christus, sic deinde pater mœstissimus infit:
Væ miserum a puero rex sævi invasit Averni,
Quasque vides, pœnis exercet, & improbus urit.
21. Sæpe etiam medios, conatus perdere, in ignes,
Sæpe in aquas dedit, & leto circumtulit omni.
22. Tu mihi, tu fer opem, si quam potes. Ille repente:
Tuque mihi adde fidem, si quam potes, omnia læta
Audentem sperare manent. certissima rerum
Nil non exorat, nil non fiducia confert.
23. His œstito genitor meliori percitus, altum
Suspirat; sic & lacrimis conclamat obortis:
Credo equidem: da constanti, si forte labasco,

Stare

(*a*) *Luc. cap.* 9. *vs.* 37. Descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. (*b*) *Ibid vs.* 38 Respice in filium meum, quia unicus est mihi. (*c*) *Matt. cap.* 17 *vs.* 14. Miserere filio meo, quia lunaticus est. (*d*) *Luc. cap.* 9. *vs.* 39. Et vix discedit, dilanians eum. (*e*) *Matt. cap.* 17. *vs.* 16 Et perversa.

24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.

25. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est.

26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, *(f)* & surrexit.

27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis: *(g)* Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.

Stare fide, & cœptis nascentibus adjice robur.
Consurgunt cuncti studiis, vulgusque tuendi
Affluit eventus magis ac magis undique amore.
24. Fulmineus voces, hæc cernens, Christus amaras
Intendit, quibus & tellus, quibus intremit æther:
I, qui audire vetas, & mutua reddere dicta,
Auribus obstructis, atque oribus: i, fuge, quo te
Tartara tetra vocant, ac non rediture facesse.
25. Talibus increscit tumido dolor: angit & ipse
Hoc juvenem magis, & discessum ulciscitur amens,
Qua potis, innectitque moras. Exinde coactus
Cum clamore fugit magno, atque absconditur umbris.
Par cadit exanimi juvenis: jamque horrida pallum
Tot mala, tumor erat fato cecidisse supremo.
26. At non sermonem hunc Christus crebrescere sivit
Longius. it dextram juncturus, & allevat ipsum
Mole gravem, graviterque solo forti impete pressum.
Excutitur somno, letique a limine surgit.
Accipit innocuum pater, integrumque salutis.
Hinc casus subitos, & facta insueta tuentes
Mirantur populi, stupor urget ferreus ora.
27. Venerat interea Christus jam septa domorum.
Cui comites sensus ausi deponere in aurem
Arcanos tum primum: Hunc nos extrudere toti
Connixi imperio: cur hæsit pristina virtus?
Dic age namque alios alias sanavimus ægros,
Et nostris stygii cesserunt vocibus hostes:
Corda feri quamquam, atque invicti viribus hostes.
28. Sic orsi. at placido Christus sic pectore contra:
Ne vero ostendi noxam, ne quærite, vestram,
O socii. ignavas minuit fiducia mentes
Firma parum, ne vis constet sibi tota, sed hostes
Exsuperent virtute truci, timidisque resistant.
Cernitis, assurgat vestitus olentibus herbis
Quantus apex Libani, quanta super arbore crescat?
Cernitis, ut vasto Carmelus vertice in auras,
In mare procurrat vasto, & dominetur utroque?
En etiam ipse Thabor, ad vos unde ante profecti
Venimus huc, oculis quem nunc usurpo propinquum,
Qua teneat se mole, atque arduus aera vincat.
Supremum medii. medium vix cernimus imi.
Et mons ille quidem quantum declivis in orbem,
In summo tantum per plana extenditur æquor.
At cui par fuerit grano fiducia nostri,
Par tenui grano fert aspera quale sinapis:
Per mea, per patris sanctissima numina juro;
Jusserit; in sedes alias a culmine montes
Migrabunt, totique solum natale relinquent;
Interea dum fixæ hærent radicibus iisdem
Cedrique, platanique, & odoriferæ cyparissi.
Jusserit; omnia erunt obnoxia, & audiet omnis
Natura; ac rerum nulla impermissa potestas;
Non superis, non vis imis dominantior ulla.
Adde quod emissas inferno a limine Diras
Hoc genus, infernum in limen jejunia sola
Compingunt, castæque preces, ac reddita vota.
Cominus his pugnatur, & his modo vincitur armis.

XXV.

Ex capite Matthæi decimo septimo.

23. ET cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad

DIDRACHMA IN PISCIS ORE.

23. CAphareas venere arces, ubi triste quotannis
Vectigal gravis exercet mercede redemptor.

In

(f) Ibid. vs. 17. Et curatus est puer ex illa hora. *Luc. cap.* 9. *vs.* 43. Et sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. *(g) Matt. cap.* 17. *vs.* 19. Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24. Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus. Ergo liberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

In caput hic duplices consuetus cogere nummos,
Petrum adit, &, Christo oum sit mos pendere, quærit.
24. Annuit haud animi dubius eui Petrus; & inde
Se recipit tecto. intrantem penetralia Christus
Occupat his: Quæ, Petre, animo sententia constat?
Fare age. mos regum pueris numerare tributum,
An pressis ditione, & sub juga gentibus actis?
25. Sorte hac, Petrus ait, gentes, & lege tenentur.
Tum Christus: Soboles immunis regia quippe est.
26. Ne tamen officium ignari causentur omissum,
Neu male perversos exempla innoxia tangant;
I, pete vicinam misto Jordane paludem;
Demitte illecebris medicatos dulcibus hamos,
Et calamo grassare, ac mutas falle natantes.
Nec labor: hærebit dapibus quæ prima dolosis
Capta, volens parvas adaperto fundet ab ore
In pretium, quas poscor, opes. his ordine solves
Meque memor, teque ipse super. Sic deinde locutus
Ex aliis alios monitus sermone serebat.
At Petrus adducta prædatus arundine piscem,
Ignotum, ingentem, squamis fulgentibus aureum,
Versabatque manu jamdudum, & lumine obibat.
Inde parat ventrem, si fors quid ventre lateret,
Acto rimari penitus sub viscera cultro.
Ac prius æs uncis suspendens morsibus escam
Dum levat, & piscem; digitumque interserit oti;
Æs aliud, faciem dispar, nec mollius offert
Sese ultro, implevitque manum, sequiturque trahentem.
Nummus erat, nomen Romani inscriptus & ora
Cæsaris, externique gerens insignia sceptri.
Ergo fidem, censu invento, Christique, suamque
Liberat hinc, atque hinc piscem sub tecta reportat.
O felix, o ante alios, quos flumina, pisces,
Gurgite sub salso quos educat Amphitrite!
Sed neque, si qua fides veri, concesseris unus
Omnibus, incerto cepit quos agmine Petrus
Nuper, quosque brevi capiet post tempore certos
Piscator, monstrante Deo. Nunc solvitur a te,
Debebat quodcumque Deus. tu justa rependis,
Tu capitis pretium tanti. Si cogitet omnis
Grande tuum nomen versura solvere facta.
Dives opum quamquam, tibi conturbaverit orbis.
En erit, ut centum, tali pro munere, vates
In laudes totidem ora tuas, vocemque resolvant!
Secernant terræ, secernant civibus undæ,
Te supra omne vehant, quod circum est! En erit unquam,
Cum te ego Pierios non ultimus inter alumnos
Transcribam superis, cœlique in templa reponam!
Jamque tibi, qua ver aries pulcherrimus intrat,
Floribus instratam, & viridanti gramine sedem
Dispexi, pulsæque hyemis post terga paravi,
Decedent per me cœlestes, fabula pisces.
Ipse manu impellam, & justa plus parte movebo:
Inque locum tua signa, poli de vertice, victor
Substituam. hic justu tibi serviet omnibus undis
Urna meo. extremum hic claudes felicius annum.
Sed nimis interea, nimis altum incude sub ipsa
Crescit opus; Musæo avidi dum cuncta lepore
Imbuimus, vatumque omnes consumimus arcas.

X X V I.

Ex capite Joannis nono.

1. ET præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate:

2. Et

CÆCIGENUS.

1. A Templo, lecta sociorum, o Christe, caterva,
Ibas, nec nullis mendicum ante ostia segnem
Observas oculis, celsique crepidine saxi.

At

2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

3. Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.

7. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, &

At non mendico Christum aspectare vicissim,
Pro dolor, aut quidquam visu dignoscere rerum
Est licitum, inde adeo primo nam cassus ab ortu
Luminibus geminis oculorum, usuque tuendi,
Perpetuam in vita ducebat paupere noctem.
Nota mali cunctis ratio. quæ causa, requirunt
2. Tunc socii: Quis quid meruit, æcine parentes,
An cæcus, quod cæcum alvus materna profudit?

3. Neutri, inquit, nec vana animis hæc fingite vestris,
O socii. nihil ad pœnas aut hic dedit, aut hi
Causæ unquam. Summissa Deo opportuna probando
Materies, atque hos quæsita incommoda in usus.
Ac neque proveniunt hominum dura omnia culpa,
Nec jam inde a cunis, aut usque parentis ab alvo.
Non flore in tenero, viridis cum ver agit ætas,
Fessave sub vitæ decursum corpora seræ,
Suscipiunt sine mente Dei, sine numine morbos.
Ipse patet melius morbis Deus; ægraque nullo
Si qua salus fuceo, nullis reparabitur herbis.
Successu tali virtus spectata medentis
Transit in exemplum, & specimen manifestius edit.
4. Has adeo ingressum patriæ res laudis & artis
Me tractare juvat, me jussa facessere patris.
Dumque favet lux alma, diem sub sole necesse est
Exercere. hominum tristes opus omne tenebræ
Mox aderunt, quæ summoveant. exclusus iniquo
Tempore, pauperiem cessator ferre patique
Angustam versis cogetur in otia curis.
5. Sum mihi, sum terris lumen, dum vivo; neque ullæ
Succedent soli emerito, me lumine, noctes.
Hic mihi ducetur vitæ modus, hoc ego velox
Per spatium, leti præscripta ad candida curram,
Factaque signabunt calcem majora supremam.
6. Hæc ubi dicta: labris collecto humore sub ipsis
Conspuravit humum. tum pingui molle saliva
Diluit ecce lutum fingens, primaque retractat
Sæpe manu celer, atque oculos linit inde tepentes.
7. Scis, inquit; nec fando tuas nihil accidit aures,
Ut pede fons celeri largas argenteus undas
Evolvat Siloe, piscinamque integret amni,
Plebs ubi ponere amat sordes, ac nare juventus
Hic celebres thermas & clausa require fluenta.
Huc abolere oculos, medicatum eradere limum
Perge memor lymphis. Vix dixerat, avolat ille:
Nec quidquam via cæca, locique inscitia tardat.
Et jam jussa facit: monstratas cernuus haurit
Fontis aquas sacri, perque ora fluentia ducit,
Pollice detergens, & crassæ tegmine lanæ.
Cum polus aurata subito pulcherrimus æthra,
Omniparens Juveni tellus, ac dædala rerum
Apparet natura, & solis amabile lumen.
8. Jamque suis oculis, mundi jam luce receptis
Corporibus, notas, duce nullo, atque indice, sedes
Venerat. agnovit vix hunc vicinia, & hæret
Addubitans, alioque habitu, male fluctuat, oris.
Nam quis hic est? an qui victum, qua strata viarum
Æstu operum fervent pariter, pariterque virorum,
Saxea sede sedens, turbam poscebat euntem?
9. Pars ajunt; pars esse negant; tantum ora, genasque
Confessi non dissimilem. Sic reddita fallunt
Lumina deceptos, & inobservabilis error.
10. 11. Tum vero his Cæcus dictis pertendere contra:
Ne dubitate, viri, neu qua diffidite visis.
Ipse ego sum. quem vos cæcum spectastis, & ipsi
Donatum stipe munifica pavistis egentem.

& dixit mihi : Vade ad natatotia Siloe, & lava. Et abii, lavi. & video.

12. Et dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus.

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, & lavit, & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

19 Et interrogaverunt eos dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:

21. Quomodo autem nunc videat, nescimus : aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos? jam enim conspiraverant Judæi, ut si qui eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei : Da gloriam Deo. nos scimus quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, ne-

Et nunc, quod terras oculis contemplor, & astra,
Astra invisa, nec ante ullo mihi cognita sensu,
Illius hoc, Jesum dicunt quem nomine, totum est.
Ille luto facili contingens lumina, Puros
Quos Siloe latices piscinæ inducit inerti,
I, pete, dixit, & his infectas elue sordes.
Pareo; conclusum venio loturus ad amnem.
Ut lavi, ut vidi, ut me nox improba liquit.
12. Talibus attoniti factis, ac laude fideli
Experti, & præ se testis memorata ferentis,
Auctorem exquirunt, quove is concesserit. At se
Abstulerat consulto, & pulsis ore tenebris
Cæcum hominem, novitate vaga, clarisque repertis
Fugerat abstractum, atque oculis errantibus actum.
13. Ergo hunc ad proceres avidi duxere superbos.
Illi istum extemplo scitati mente maligna,
Audivere eadem: versum tellure subacta
Putre lutum digitis: sputo lita lumina dulci:
Et super infusos non parco flumine fontes.
14, 15, 16. Quorum pars; ut forte die medicamina
Miscuerat festa, & nubem discusserat atram (Christus
Ex oculis; sic ore fremit: Pia sabbata quisquis
Polluit, aut medica soles facit arte profanos
Solennes; haud ille Deo genitore creatus
Sponte venit terras; aut cœlo missus ab alto;
Se ferat hunc, tantoque licet dignetur honore.
Pars pugnat contra dictis: Cui talia fonti
Edere facta datum est? unde hæc permissa potestas
Enthea morborum, & medicinæ gratia tantæ?
Haud dubium virtutis opus. Sic denique scindunt
Se pròceres sensa in contraria murmure rauco,
17. Tum vero ad Cæcum referunt: Ede, o bone, mentem
Ipse tuam, & quæ nunc animo sententia constet.
Quem tu rere virum, per quem lux reddita cœli est
Aurea post tanto, & terrarum apparuit orbis?
Queis breviter pro re, Semper mihi maximus ille
Dicetur vates, & erit mihi maximus, inquit.
18. At non hoc illi Isacidæ, nec credere lucis
Expertem longæ hæc venisse in tempora vitæ.
Stat geminos Juvenis quamprimum audire parentes
19. His super; O verum ne nos celate rogati,
Quando in confesso nullum scelus : hiccine vester
Sanguis, & a primis cæcus natalibus idem?
Aut si ille est, quo nunc visus auctore recepit?
20. Talibus urgebant. Maturi hæc deinde parentes:
Novimus haud prolem ambiguam, neque rursus apertas
Nescimus cæcum cœli prodisse sub auras.
21. At quis nunc auctor cæco, quæ causa videndi,
Ignotum. par quæsitis jam grandior ætas,
Responsisque; ultro doceat vos ipse, sciensque,

22. Quidquid id est. Nec plura, modum posuere, locuti.
Quippe tulit partem non dissimulare voluntas;
Sollicitus suasit partem timor abdere veri.
Fœdere jam pacto convenerat, extera si quem
Religio Christo, & pietas ignota volentem
Junxisset, cœtu hunc, & parte arcere sacrorum.
23. Hoc metuens, odii causando semina acerbi,
In teneros nati dicturi impunius annos
Derivabat uterque parens, nec tuta premebat.
24 Rursum ergo accitum Juvenem per singula versant:
Fare age, te cœlo per quidquid numinis alto,
Per quæ religio terris, & conscia veri
Mens usquam, obtestamur; ades, factumque reclude.
Nota viri improbitas: frustra hic imponere tendas.
25. Cæcigenus: Pravum, quem vos clamatis, & esse
Nil

nescio unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.

30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos:

31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?

37. Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.

38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.

Nil moror, ignoroque, nec ultra dicta refello.
Jam tum cæcus eram, cum primum nascor. At ille,
Ingrata melius natura, & viscere matris,
Adspectum dedit, atque in luminis extulit auras.
Hoc novi, hoc res est, meaque hoc ego lumina testor.
26. Illi autem: Quæ te auxilio via, quis modus artis
27. Eripuit tenebris? Pertæsus talia Cæcus:
Quid dictis eadem juvat usque retexere, & usque,
Quidve audire, super tristes ut foverit ungens
Parca oculos terra, & felicis rore salivæ;
Mox detergi alus quos & mandaverit undis?
Vultis & huic operam dociles navare magistro?
28. Accensi dictis proceres ita fantur amaris:
Sint capiti illa tuo, quæ tu mala dicis, & is te
Scilicet erudiat. doctorem agnoscimus unum
Te, Moseu, potiorem, ipsis tu patribus olim,
29. Ipse Deus tibi flammanti de monte locutus.
Hujus at obscurum genus, & domus, actaque vita,
Unde, & quid terris irrepserit advena nostris.
30. Ollis sedato respondit pectore Cæcus:
Non equidem inficior: miror magis: undique vobis
Unus homo, o proceres, & stirpe ignotus, & actis,
Labem oculis tot jam concretam exemerit annos?
Sanarit mista, sanarit simplice lympha?
31. At facili Deus aure preces, ac vota piorum
Admittit, nec se negat observantibus æqui.
Et sonti ille quidem non exorabilis ulli.
32. Cui licuit tantum in morbos? fœcunda tulerunt
Sæcula quæ talem, quæve audivere, medentem?
33. Nec potis humana quisquam hoc ope, nec potis iste
Non auctore Deo. Presso hic obmutuit ore.
34. Exarsere iræ tumidis, ac talia reddunt:
Nempe ex colluvie scelerum tu natus, & inter
Eductus meritas, deperdita lumina, pœnas,
Nos doceas? Vix hæc: pepulerunt limine toto
Præcipitem, & tectis procul exegere superbis.
I tamen, obduraque animis, & vince ferendo,
O felix ignominiæ. jamque hora propinquat,
Dedecus hoc pretio cum tu solabere magno.
35. Ecce venit: summi proles fœcunda Tonantis
Ejectum, &, partes quod agit, causamque patroni
Intrepidus, gratumque audet præstare clientem,
Audierat rabidi passum ludibria cœtus.
Quem sic alloquitur deinde, atque ita conscius infit:
Agnoscis natumque Deo, numenque fateris?
36. Cæcus ad hæc: Quis is est, quem fassum agnoscere suades?
37. Da tu nosse prius. Nec Christus plura moratur:
His oculis, quo te donavit munere, eundem
Et vidisse datum est, & sum qui te alloquor idem.
38 Continuo, Agnosco, fateor, tibi credulus, inquit,
Ac supplex cadit, & sanctum sibi numen adorat.

XXVII.

Ex capite Lucæ decimo tertio.

10. ERat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

12. Quam

MULIER INCURVA.

10. ECce rudes populos (cœtum lux undique sacra
Excierat) studiis & sensu Christus honesti
11. Imbuit. At Ditis correpta furoribus ægris
Femina ducebat longam per tædia vitam.
Jam ter senæ hiemes, totidemque ex ordine messes
Videre obtusis contractam viribus artus.
Namque caput nec tollere humo, nec sufficit alto
Cœlo ferre oculos. cervix inflexa, humerique.
Lilia ceu cum vere novo, floresque rosarum,
Aut

Aut jam flava seges, falcem exspectantibus arvis,
Intempestivo vel sole, vel imbre gravantut.
Hanc adeo morbi faciem rex repperit orci,
Immisitque hominum generi. quippe impius ex quo
Ter styge, ter præceps Acheronte immersus in imo,
Sensit, & amissas inuit gens altera sedes;
Conspicuam speciem, ac celsi decus invidet oris,
Heu miser! & quemquam vel cœlo attollere vultus,
Exulat unde, furit, prælato infensus honori.

12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.

13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

12, 13. Ergo solo aspexit demissam lumina, & ad se
Christus deinde vocat, palmasque imponir utrasque,
Ac, Te languot iners, non jam tuus, inquit, omisit.
Illa leves actutum oculos, se major, & ora
Extulit, atque polo tandem lætata reperto est.
Inde Dei dicit landes, pars maxima laudum
Ipsa, & divinis sese memor inserit actis.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebar turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

14. Viderat augusti Princeps hæc singula cœtus
Quod tantum Christo festa ceu luce licere
Indignatus, ait turbam conversus in omnem:
Ecce dies, populi, decurrunt ordine seni:
Fas omne est senis operi incubuisse diebus:
Dicite curandis hos, & consumite, morbis.
At sacram, at solam, sequitur quæ septima, lucem
Ne temerate. vacent, servis, armenta, quietis,
Si quis honos legi, & dominis eadem otia sunto.

15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, & ducir adaquare?

15. Dixerat. & paucis Chtistus sie dicta secutus:
O fictor fandi, fictor perverse nefandi,
Quæ cui religio stabula ad suprema ligatos
Exsolvisse, die hac, viuclis asinumve, bovemve,
Et pastos potum egisse a præsepibus altis?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati.

16. At quam Tænareus constrictam perdomat hostis
Bis denos annos Abramitida, bisque quaternos,
Scilicet his vetuit solvi lux septima vinclis?
Dic age, quæ tandem invidia est animalia muta,
Et genus humanum officiis dignarier æquis?

17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.

17. Sic memorat. presso tenuerunt verba palato
Infensi proceres, monstrat pudot, oraque mœsti
Dejecere solo, & malis traxere ruborem.
Tangitur at contra subita dulcedine vulgus,
Quoque magis Christi se facta in grandia virtus
Explicat, attonitas pertentant gaudia mentes
Hoc magis, & juvenum crebrescit plausus in auras.

XXVIII.

Ex capite Lucæ decimo quarto.

1. ET factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato, manducare panem, & ipsi observabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?

4 Ar

HYDROPICUS.

1. ACcitu primi Isacidum, legumque magistri,
In pingues Christus mensas, conviviaque ibat,
Non timidus fictos inter discumbere amicos.
Lux erat indicta pet gentem festa quiete.
Insidias proceres explorant omnia circum
Facta viri, si forte operi pia tempora dedat
Haud licito, & migret divini fœdera Mosei.
Marmoream ante domum, cedroque ex limina, & ante,
Successit gradiens foribus quam Christus apertis;
2. Hic æger, quam pat, conferta mole, valenti,
Tam nullis, miserum, defectus viribus adstat.
Fecerat in ventrem late non sobrius hydrops
Crescere, distendens male sano viscera pingui.
Viscera fœta sonant non deficientibus undis.
Ut cum tympana tenta, manusque exercita pulsu:
Dant strepitum plagæ, & tauri cava terga rigescunt.
Interea fauces sitis arida torret anhelas.
3. Protinus hanc Christus rem consulit, atque ita fatur:
Dicite; quandoquidem jus respondere petenti
Vestrum est, o proceres, jurique imponere morem;

An

An qua jussam operum nobis aurora quietem
Luce refert, miseris merito succurritur ægris?
An cui certa dies vacat inconcessa medenti,
Tempore quo non ulla avidi danr otia morbi?

4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

4. Responsis consulra carent: racuere: pudorque
Obstruit os, vix quamquam animis retinentibus iram,
Inde manu forum ut medica tractavit; ibi alte
Depressus tumor, atque amnis siccatus abundans,
Per cæcas lympha dilapsa intercute caulas.
Hinc membris vires rediere, & pallidus albor
Vanuit. instigat cunctantes corpore gressus,
Tum suus exhausto ventri modus. omnia justa;
Et femora, & paribus crura incumbentia suris.

5. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?

5. Ergo abit, at voce hæc Christus super increpat acri;
Cui non ferre manum propior jactura periclo
Suadeat, & sacra quamprimum educere luce;
Forte sub effossas, gressu fallente, lacunas
Si bos torva pedem, segnisve impegit asellus?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

6. Mussabat tacita invidia genus omne superbum
Convictum procerum; nec erat contra hiscere virrus.

XXIX.

Ex capite Lucæ decimo septimo.

11. ET factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe:

13. Et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, cum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit.

DECEM LEPROSI.

11. IT Christus Galilæa celer trans arva, malamque
Ingreditur Samariam, Solymas qua tendit ad arces.

12. Jamque in conspectu, magnique ante ostia pagi,
Ecce viri, quos tetra lues resperserat albo:
Depressæque cavis papulæ per turpia membra.
Et nudi capita alta quidem, sed fronte sub ipsa,
Ora adoperta levi linum velabat amictu.
Non intermixti fundunt se vertice cani.
Bis quini solos, dissuta in veste, per agros,
13. Mœnibus exclusi, & tectorum limine agebant.
Tum longe (neque enim scelerati infamia morbi,
Aut quæ culpa suis contagibus omnia carpit,
Passa magis conferre pedem) sic voce precantur:
Christe, fave, nostrumque aufer medicando laborem.
Quantus is est, haud ille tuæ certaverit arti:
Nec rudis invictis disces succurrere morbis.
14. Audiit omnipotens atque ore hæc fatur amio
Ite modo, ac mystis, juvenes, vos sistire vestris.
Jamque ibant: infecta viris lepra inter eundum
Eluitur; maculis, nituerunt corpora, nullis.
Nec latuit præsens ægros fortuna malorum.
15. Præcipue, patria quem gente eduxit, & urbe
Impia conspicuum Samaris pietate, salutem
Sensit, & immensas concepit pectore grates.
Nec requies, quin rumpat iter, jam tramire longo
Ille quidem progressus, & in vestigia flectat
16. Se sua. Tum Christo procumbens cernuus æquas
Muneribos laudes tantis, ac verba rependit
Magnifica, & meritis ingentem ad sidera tollit.
17. Ad quem sic Christus, spectantemque omnia cœtum!
Num me bis quini morbum evasere medente?
18. Nunc ubi ter terni? De tot non immemor unus
Advena persolvit grates. pars cetera debet,
Infelix animorum, & munere cæca recenti.
19. Tu melior consurge: omnes fiducia constans
Explevit numeros, ac te tibi reddidit omnem.
Hæc ait. ast alios alius jam morbus babebat
Horridus, infamis, quo non præsentior alter
Ducere in ignavos lethæa oblivia sensus.
Clausi oculi, muta ora, pedum vis nutat, hebet mens:
Solæ inhiant, donisque manus panduntur avaræ:
Usque adeo vilis benefacti gratia magni est.

XXX.

29. ET egredientibus (*a*) illis ab Jerico, secuta est eum turba multa:

30. Et ecce duo cæci sedentes (*b*) secus viam, audierunt (*c*) quia Jesus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Jesus, & vocavit eos, (*d*) & ait: Quid vultis ut faciam vobis?


33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. (*e*) Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

CÆCI DUO JERICHUNTIS.

29. INfert se muris propius Jerichuntis amœnæ
Magna Dei soboles. comes affectatur euntem
30. Plurimus. At duplices iter obsedere viarum,
Queis vitam tolerare stipe, ingratisque petitis,
Pannosi, intenduntque avidas gradientibus aures.
Aures: namque oculis cœli aspectabile lumen
Occiderat, tenebrisque horrebat pupula cæcis.
Ergo pedum ad sonitum exciti, quæ turba requirunt,
Quodve iter, & ferre hac Christum vestigia discunt.
Tum vero immensis clamoribus; Edite claro
Sanguine Jessidæ, nostri miseresce; sequuntur,
Et Jesum ingeminant: retulerunt compita Jesum.
Hoc fremitu percussi animos, & sedibus omnes
31. Effusi. increpitat pia turba, malumque minatur,
Ni strepitum ponant dementem, & cetera pateant.
At non ullius miseros violentia vicit,
Quin totam vel cæci urbem, quam longa, secuti
Lustrarent, ingenti & opem clamore rogarent:
Tam magis obnixi mœstas urgere querelas,
Quam magis & mœstis vetiti indulgere querelis.
32. Egressus donec Christus Jerichunta superbam,
Nec cæcis tamen in luctus cessantibus atros,
Constitit, atque ambo placida ad se voce vocavit.
Prosiliunt. levior posito Timæus amictu
Antevolat. quos sic dictis compellat amicis:
Quæ vobis optata, viri? quid credere tantum.
33. Aut de me sperare dedi? Tum protinus illi,
Ut pateant visus, dixere, & splendidus orbis,
Tu facito, atque oculos lux & color intret apertos.
34. Annuit his Christus miserans, aciesque reclusit
Tactibus affrictas blandis, & pollice puro.
Ite, ait: hæc vobis fiducia vestra saluti est.
Pro quo se Christo socios junxere, ducemque
Hunc illum legére, ducis, quem propter, egentes
Nullius, nulla fulcibant arbore gressum.

(*a*) *Luc. cap.* 18. *vs.* 35. Cum appropinquaret Jericho. (*b*) *Ibid.* Sedebat secus viam, mendicans. (*c*) *Ibid.* 36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. (*d*) *Marc. cap.* 10. *vs.* 50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. (*e*) *Ibid. vs.* 52. Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit.



THEUR-

THEURGICON,

SIVE DE

MIRACULIS CHRISTI,

LIBER QUARTUS.

XXXI.

Ex capite Joannis undecimo.

1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus.

2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur)

3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.

6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7. Dein-

LAZARUS A MORTUIS EXCITATUS.

1. Invidiam supra, sortemque volubilis ævi, (do.
Restat adhuc series mihi rerum,& clauditur or-
Extremum hunc operi da respondere laborem,
Christe,tuo. Thalamum, morbo superante,pre-
Lazarus, & duri carpebant membra dolores. (mebat
Incertum, spe summa salus qua pendeat ægri,
Quove metu, ventura dies quid denique portet.
Bethania in parva, Solymæ prope mœnia magnæ,
Huic sedes erat, & laxis domus ædibus alta.
Germanæ studiis fratrem certantibus ambæ
Affixæ resovent stratis, curantque jacentem.
Dilecti ante alios tres Christo: mutuus & queis
Vivit amor, meritasque vices rependit amanti.
Præcipue ardebat dulcem soror utraque Christum:
Sedula Martha, pioque indulgens Magdala fletu.
Altera in hospitium vigilantior: altera parvis
Aptior officiis, largaque tenere salute.
Quas non blanditias castæ dixere puellæ?
Quas non blanditias castæ fecere puellæ
2. Quondam illi? Hæc liquidos capiti affundebat odores
Pyxide ab effracta super, & candenti alabastro.
Inde aggressa pedes fragranti perpluit imbre;
Dum subit a tergo, & sternit prope corpore terram.
Mox eadem passis siccabat crinibus, & mox
Siccatis mille ingeminans dabat oscula plantis.
Ast illam lautæ videas in fercula mensæ
Huc passim atque illuc oneratis lancibus ire
Promptam, indignantem, soli quod Magdala Christo,
Obsequio incumbens, studiisque haud utilis oti
Hæreret, neque se in partem male lenta juvaret.
Sollicitum interea castigat amarior ore
Christus opus; cui longa piæ bonus otia vitæ
Præponit, dulcesque moras, placidamque quietem
Orantum veniam, & prolixa ad vota sedentum.
3. His fretæ, & caro trepidæ pro fratre sorores,
Dum curæ ancipites, nec spes exstincta futuri,
Misere ad Christum, & ferri mandata dedere.
Illi, Jordanis trans flumina, perque sonantem
Bethabaram, longo cita venit epistola cursu,
Et pulla in veste, & lacrymis suffusa decoris:
En tibi dilectus morbo tentatur. Et extra
Pagina præterea, nihil intra pura sonabat.
4, 5. Quamquam pauca, Dei soboles hæc audiit alti,
Tum sic ore loqui, & luctus his pellere dictis:
Non ea vis morbi, letum immedicabilis ægro
Quæ pariat; sed quam natique patrisque sequetur
Fama Dei, in majus qua se auspice gloria tollet.
6. Dixit: nec gressus inde imperterritus egit.
Jamque dies, alterque dies successit: & ecce,

7. O

7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.

7. O socii, Judæa, inquit, rursum arva petamus.

8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?

8. Cui memores, & adhuc trepida formidine mœsti:
Te modo præcipiti saxorum grandine & armis
Isacidæ ad pœnam furiati corda petebant;
Solaque subduxit leto fuga. rursus eisdem
Non refugis, rerum oblitus, te offerre periclis?

9. Respondit Jesus. Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

9. Quæ contra graviter fata est fata numine proles:
Num sua bissenis stat cuique volucribus horis
Vecta dies, spatiumque dati decurritur ævi?
Tempore quo mortes liceat superesse per omnes,
Nec te interpellent properantes funera morbi
Res gerere, & fungi præfixæ munere vitæ.
Currit inoffensum multa de luce viator
Tutus iter. lumen præpandens ætherius sol

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

10. Adjuvat. Ire viam sin apparat ille tenebris;
Hei quod in offenso est, perque avia lubricus errat!
Dicta die lex est, noctisque: Patrisque voluntas
Omne mihi fatum; nihil unde caduca terendo
Tempora delibrent, aut vis adversa potentum.
Sic ait, & dictis post paullum hæc insuper addit:

11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.

11. Noster amor, Socii, justissima cura sororum,
Lazarus in somnos abiit gravis. illum ego inerti
Strato excire paro, & sub rectum tendo cubantis.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.

12. Sic Christus. Sic bisseni, pia turba, sodales:
Si placidam morbi vis importuna quietem
Non adimit, fessosque sopor suus irrigat artus;
Tuta salus, frustra & valiturum, jamque valentem
Convenias, gratisque ingrata pericula lustres.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est:

13, 14. Christus (sensit enim non intellecta locutus)
Somnus, ait, dulcem, sed ferreus, urget amicum,
Clausaque, si cesso, vis nec divina resistit
Major, in æternam riguerunt lumina noctem.

15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum.

15. O bene quod præsens venturo occurrere leto
Fugi, præsentisque malum curare negavi!
Grandius hinc mihi surget opus, majoraque vestram
Argumenta fidem elicient. Ergo ocyus illum
Visamus licet, &, quo poscit vita, vocemus.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

16. Hic Thomas, Didymum Graii vertêre vocantes:
Haud nobis iter infestum propiore periclo,
Obnixis contra, & tendentibus ulla potestas
Dissuadere: sequi ad letum nihil obstat euntem.
Quin imus socii comitesque, unaque perimus.

17. Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.)

17, 18. Cum venit, emensum Titan quater egerat orbem,
Ex quo terra gravis tumulati corpus amici
Exanimum, tristique elatum funere habebat.

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

19. Nec non & tectis, Solymorum ex urbe, relictis,
Isacidum jam primi aderant, luctusque recentes
Mœrentum abstergunt fraterna morte sororum.

20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

20. Obvia demisso cui se Martha obtulit ore,
Tunc, eum, loce procul, tecto interiore sedebat
Magdala mœsta, piasque dabat solantibus aures.

21. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic; frater meus non fuisset mortuus:

21. Martha prior: Præsto, Christe, hic, coramque fuisses;
Viveret, heu, telo confossus mortis acuto

22. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

22. Frater adhuc. Sed non animo spes excidit omnis
Tu natus, mihi certa fides, quæcumque rogata
Patrem exorabis, nec, si quid mente cupitum,
Ulla discedes turpis, mœstusve repulsa.

23. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus.

23. Talia dicta dabat. reddit cui talia Christus:
Hine desiderium longe tibi fratris adempti,

24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

24. Martha soror, rursum infernis qui surget ab umbris.
Surget, ait: longo sedenim post tempore surget,
Sol ubi non alias rediturus lumina terris
Dividet, æternumque vale, vale, inquiet, orbis.

25. Di- Tem-

25. Dixit ei Jesus. Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam etiam si mortuus fuerit, vivet:

26. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit cito, & venit ad eum:

30. Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum.

34. Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus est Jesus.

36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei.

39. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

40. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me?

42. Ego autem sciebam quia semper me audis,

Tempore quo, jam nunc vivæ, tum lumine cassæ
Ætherio, surgemus, & altera nos quoque vita
Excipiet reduces, nullum exstinguenda per ævum.
25. Atque ita responsum soboles dedit alma Tonantis:
Non hic cunctando frustror tua gaudia, nec te
Callidus incertas elusam differo in horas.
26. Vita ego sum, per me vita & datur. ac mihi certam
Adjunxit quicumque fidem, si morte peremptus,
Continuo vivet: Si vivit; nulla neque unquam
Mors dabit exitio, nec longior atteret ætas.
27. Hoc mihi credis? Et hoc, excepit candida Virgo,
Credo equidem, nec me impellit sententia præceps,
Esse satum mihi prisca fides te numine numen,
Composito in terras stellanti ex arce profectum.
28. Dixerat. inde adiit caram sub tecta sororem.
Aurem ad secretam fatur, Christique vocantis
29. Nunciat adventum. Sede hæc rebusque relictis,
Non oblita sui, medio in sermone, decorique
Illa quidem, potuit quamvis oblita videri,
Exsilit, & Solymis se Christo a civibus affert.
30. Hic, ubi Martha tulit medio sese obvia calle,
Substiterat Christus, parvi extra mœnia vici
31. Magdalin opperiens. Quam sede exire domoque
Festinam proceres, cœptosque relinquere cœtus
Ut videre, viæ sese accinxere, secuti
In lacrymas iterum ad tumulum, sic rentur, euntem.
32. Tum procumbit humi prostrata, & talibus infit:
Coram utinam præsto tu nobis, Christe, fuisses!
Viveret, heu, telo confossus mortis acuto
Frater adhuc. Atque hic multum lacrimas gemitumque
Externata animi verba inter talia fundit.
33. Isacidæ proceres lacrymis gemituque sequuntur.
At luctu infremuit tanto, doluitque dolore
34. Unus cunctorum Christus qua sede quiescat
Compositus, tumulum & præsens agnoscere quærit.
Nec mora, monstrantes iter æquis passibus urget.
35. Immaduere genæ fletu, & confessus amantem est.
36. Tum quidam: En illi quanto dilectus amore,
Vos lacrimæ testes, imoque a pectore questus.
37. Atque alius: Cui cæcigeno sua reddere virtus
Lumina, non eadem morituri occurrere morbo?
38. Talia jactabant. Casu concussus amici,
Dat fremitum ingentem, & persentit corde dolores
Humanos, mentemque Dei mortalia tangunt.
Interea ad tumulum ventum est, & concava saxa,
Feralesque specus. præstruxerat obice fauces
39. Dura silex. quam post ubi trudi sede lacertis
Imperat adductis, & saxea limina tolli:
Paullum his Martha soror dictis cunctata resistit:
Exanimum fratris corpus ne quære tueri:
Jam quartum complexa diem tellus tenet, & jam
40. Tetro manat odore gravis. Cum talia Christus:
Accipe quæ memorata prius, meliusque animo hauri.
Spes si fida tibi, verbis subscribere nostris
Ni refugis, patris summi facta inclyta nosse,
Natum nosse licet non inferiora gerentem
41. Sustulit inde oculos cœlo cum voce nitentes:
Sancte parens, qui nunc audisti, semper & audis
In non cassa tuum me numen vota vocantem,
Ore ago conceptas æternum pectore grates,
42. Hic primum, nec more meo. neque enim nova per te

 Ulla

audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti.

43. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras.

44. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire.

45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum.

Ulla mihi venia eſt, aut pax inopina; nec ante
Auditum, precibus te non concedere noſtris.
Quo magis agnoſcat ſpectatrix turba creatum,
Qua me ſtirpe tuli, patriiſque ex æthere miſſum
Imperiis, doceantque rudes miracula ſenſus;
Te pater appello, & numen commune laceſſo.
43. Talibus affatus patrem, demiſit aperto.
Divinos tumulo vultus, juvenemque ſepultum
Clamore ingenti, ſed non ſemel amplius, urget.
Huc ades, & procede foras, o Lazare, dixit.
44. Audiit & ſaxum, & ſaxo non mollior orcus.
Audivere imo Manes Acheronte repoſti.
Hinc feretrum tepido reddit calefacta ſub auras
Membra ſinu, juveniſque cavo ſe marmore promit,
Sicut erat, totos tæniis circumdatus artus.
Longa manus, mirum, longa impedit inſtita plantas:
Ingreditur tamen, & certus veſtigia figit.
Nec capiti deerant ſua vincla. obnubit amictu
Ora levi linum, atque oculis lux ſe abdit opertis.
Continuo juveni vittas, & torta levari
Vellera, permittique ſibi jubet. Ocyus ille
Chriſtum adit, & genibus ſupplex advolvitur imis.
45. Plurimus aſpectu perculſus convena tanto,
Haud animi pendet, rebus ſe teſte peractis,
Amplius, aut differre fidem valet: o Deus, inquit,
Certe, o digna Deo ſoboles, digna acta parente.
At fratrem amplexæ revocatum a morte ſorores,
Arcte hærent, longumque bibunt per mutua amorem
Oſcula: divellique negent, ni gaudia cernens
Juſta licet, dirimat cœtus, nexuſque reſolvat.
Præcipue memores magni præſentia Chriſti
Admonuit, grateſque Deo perſolvere ſuaſit.

XXXII.

Ex capite Marci undecimo.

12. ET alia die cum exirent a Bethania, (a) eſuriit.

13. Cumque vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit ſi quid forte inveniret in ea. & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.

14. Et reſpondens dixit ei: Jam (b) non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebant (c) diſcipuli ejus. &c.

20. Et cum mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

21. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.

17. Et

AREFACTA FICUS.

12. FOrte ſuburbana Solymas ſe turſus ad arces
Bethania primo Chriſtus cum ſole ferebat,
Jam tum dura fames, & amor ſtimulavit edendi;
13. Cum ſubito fici foliis motantibus arbos
Viſa procul, lætos ſpondent quæ plurima fructus
Nunc etiam. Acceſſit cupidus, fors poma levarent
Si quæ inventa famem. Sed frondes omnia, rami
Omnia erant: fœtus pendebant arbore nulli.
Pinguibus hoc ficis alienum ſcilicet anni
Tempus, & a verno menſis qui Marte, negabat.
14. Ergo luxuria foliorum eluſus inani.
Ingratum diris ſtirpem devovit, & ævo
Damnavit ſterili, ac male verba precantia dixit:
Sic pereas, ſic non aliud, non iſtud & edas.
Nec dulci fœtu ipſe tuo, viridante neque umbra
Gaudeat eſuriens, uſtuſve a ſole viator.
Evenere. malum furtim radicibus altis
Inſinuat virus, contactuque intima carpit.
Nec jam alit aut tellus, aut Juppiter imbribus auget.
Defluxere ultro non moto ſtipite frondes:
Sternitur omne natatque ſolum: folia arida ſubter
Intempeſtiva marcent cumulata ruina.
20. Poſtera lux venit. comitantibus ecce recenti
Mane eadem ſociis arbor, nec, ut ante, videri.
Mirantur viſu ſubito: miratur & ipſe
21. In primis Petrus. ſubiere heſterna repente
Dicta animo, & fruſtra quæſiti ex arbore fructus.

Quæ

(a) *Matt. cap.* 21. *vſ.* 18. Mane autem revertens in civitatem eſuriit. (b) *Ibid. vſ.* 19. Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. (c) *Ibid.* Et areſacta eſt continuo ficulnea.

Quæ devota tibi diris, exaruit arbos
En, ait, & Christo monstrabat inutile lignum,
Nudatos ramos atque obvia brachia vento,
Imbribus aut exposita malis lugere putares.
Cortice lugebat, fibris lugebat & imis.
Non ita, frondosum vulcania ficubi pestis
Decussit sylvis, aut frigidus annus honorem.

22. Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei.

22. Tum monet ignaros arrepto tempore Christus:
Fidi estote Dei. votum impetrabile multa
Omne fide, nec parta manent non præmia vobis
Hæc, atque his majora; eadem perculserit acri
Spes modo thyrso animos fortes, invictaque corda.

23. Amen dico vobis, (d) quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat; fiet ei.

23. Adjuro numenque meum, numenque paternum,
Et quidquid veri est, & veri quidquid amicum:
Si non dispari nutans fiducia gressu
Claudicet, aut cuiquam formidine pulsa recedat;
Haud erit huic promptum viles modo perdere ficos.
Idem etiam montem hunc, oleæ cui nomen, & umbram
Fœcundæ fecere, premat si vocibus istis;
Cede loco sublimis, & imum effunde sub æquor
Sponte tua avulsum dura ab radice cacumen;
Pareat, ac secum totas immergat olivas,
Undam undæ allidens, saxisque natantia saxa.

XXXIII.

Ex capite Joannis decimo octavo.

3. JUdas ergo cum accepisset cohortem, & a Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

CHRISTUS PATIENS.

3. AT furiis Solymæ surrexerat omnis Avernis.
Christum ad supplicium crudeli fraude petebant.
Ipse inter primos mentito proditor ore
Dux sceleris. sequiturque cohors, longoque sequuntur
Servitio Isacidum durati ad sæva ministri.
Stipitibus duris in nodum, & torre præusto
Armati incedunt. fero stat mucro paratus
Stricta acie. pingues nocturna ad lumina tædas
Præcurrant alii, & tacitis per tuta tenebris.
Commonstrant iter, atque hostem dignoscere longe.

4. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?

4. Parte alia Christus venturi haud inscius agmen
Videtat adversum, certusque occumbere adibat.

5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.

5. Ac prior, Heus, quem vultis? ait. Cui, Quærimus, ajunt,
Nazarena aluit quem Jesum terra. Sed ille:

6. Ut ergo dixit eis? Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

6. Ipse ego sum. Vix hæc: atque ingens terror, & omnes,
Extrema ceu morte, animis nec robore constant.
Pars proni in vultus, pars & cecidere supini.
Hi dum terga fugæ nudant, hos dum impete recto
Occupat aversos vis tetræ affligere major.
Arma armis confusa ruunt, mistusque viro vir.

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.

7. Et ni vox eadem, quæ perculit, exciat alte;
Lapsa gravi casu, & sternentia corpora terram,
Lethæo æternum jaceant devincta sopore.
Ergo iterum propior Christus, Quem quæritis, inquit.
Nazarenum illi demissa reddere Jesum
Voce humiles, gelidæque inter confinia mortis

8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum.

8. Vix tuti. Quos, inceptis mora ne qua pararis,
Instigat, rursum se fassus, & ore lacessit:

Ex capite Matthæi vigesimo sexto.

50. TUnc accesserunt & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt (a) eum.
51. Et ecce unus (b) ex his qui erant

50. En ego sum. dixi. Tandem ausi incurrere contra
Præcipites, densis & circum amplectier armis.
51. Non tulit hæc ira Petrus actus, & ense recluso
Vi-

(d) *Ibid. vs.* 21. Non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis.

(a) *Luc cap.* 22. *vs.* 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? (b) *Joan. cap* 18. *vs.* 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit Pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

erant cum Jesu; extendens manum exemit gladium suum, & percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jesus: (c) converte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, (d) quia sic oportet fieri? (e)

Vicinum invitans obliquo lumine Christum,
Vis, bone, te gladio defensum & cuspide demus.
Dixerat, atque aurem verba inter talia Malcho
Conspicit abscissam Christus, dextraque cruorem
Parte comæ, nudumque inhonesto vulnere tempus.
52. Tum Petro: Sine bella viris, queis bella gerenda;
Et sua mucronem condat vagina. Neque armis,
Nec vi tempus eget. Stricto rem cernere ferro
Qui fidunt, animas ferro sub vindice reddent.
53. An precibus non evaleam superare parentem,
Qui cœlo ferat auxilium; legioque cohortes
Structa mihi in densas plusquam bissena merebit?
54. Qui sua constabit, prædictis debita vatum,
Ac veri non vana fides? bonus ecce propinat
Pocula blanda pater: sitienti præripis ori,
Et jam poturum prohibes? Sed desine velle,
Neu contende Deo, cui jus parere, piumque est.
Vix hæc ediderat, cum arreptam protinus aurem
Instauratque manu medica, sedique reponit.
Esse putes lævam hanc, aut dextram vulnere læsam
Numquam alias. ictus ita prodit nulla cicatrix.
At non ille minus cum milite vincula duro
Injiciunt Christo, captumque per ultima ducunt
Supplicia. o populi, o gentes, & quidquid ubique
Orbe virûm toto est, qua se infimus explicat aer.

Ex capite Matthæi vigesimo septimo.

45. A Sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt.

52. Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

45. Ipse nefas, nullis licet auctus sensibus, alto
Persensit Titan cœlo, erubuitque tueri.
Olli ferrugo texit caput, atraque curru
Vestis iit refugo; lacrimasque dedere jugales.
Terra adeo tenebris tres omnis inhorruit horas;
Passa die noctem media, & dispendia lucis.
51. Tempore quamquam illo lugubribus omnia sumptis
Sublatum immiti communem funere regem
Flebant. Golgolthæ hinc sedes, atque inde Sionis
Respondent subitos ima ab radice tremores
Iidem pertentant terrarum cetera, & iidem
Percurrunt altum cœlum cum murmure motus.
52. Dissiluisse etiam vulgo durissima saxa
Certa fides. Veli in partes se nobile textum
Sponte duas scidit a summo, & perduxit ad imum.
Urbis opus magnæ templum audiit: audiit & quem
Urbs longe tectis habitata frequentibus arcet.
Mortua quineriam, tumulis quæ plurima mœstis
Sacra tegebat humus, vivis cessantibus, ultro
Corpora se in lucem tollunt, fletura peremptum
Morte Deum, & cineri inferias missura supremo.

Ex capite Joannis decimo nono.

34. U Nus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.

34. Nec nihil est, quod jam exstincto de corpore Christi
Sanguineos latices specus alti vulneris egit.
Impulerat lateri sceleratam ferreus hastam;
Heu, miles, nec cæca pudor dare vulnera cæso.
Quid, qui præsentes de fonte secutus eodem
Humor aquæ in populos celer exilit? O ubi Virgo,
Virgo parens, carique, fuit dum vita, sodales!
O qui cœlestes pateris cum sanguine lymphas
Suscipiat, vetet ingrata vilescere terra!
Forsan & hunc geminum, ne qua sibi parte periret,
Succincti nimbo Aligeri, & candente pruina,
Collegere imbrem, cœloque tulere. Sed imos

(c) *Luc. cap.* 22. *vs.* 51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. (d) *Joan. cap.* 18. *vs.* 11. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? (e) *Luc. cap.* 22. *vs.* 51. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

Gesta latent quoniam superûm, piceaque tenemur
Nube viri; pressa est pietas & gloria facti.

XXXIV.

Ex capite Marci decimo sexto.

1. ET cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem (a) ab ostio monumenti?

4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

6. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus (b) ubi posuerunt eum.

CHRISTUS REVIVISCENS.

1. AT matutinæ pacto se tempore agebant
Magdalaque, & Cleopæ conjux, conjuxque Cu-
Atque aliæ matrum, stratis quas excutit altis (sæi,
Summa dies. quamquam infusis magna urbe tenebris
2. Nec lux illud erat, neque nox, sed quale flagrantes
Ante ortus dubium Titan agit æthere tempus.
Nec mora, portatur bene olentis copia nardi,
Myrrhaque mista aloë. quo tingant unguine Christum,
Instaurentque viro exsequias, ac rite parentent.
3. Est Solyma egressis hortus, molesque sepulcri
Saxea, ubi positum properato funere corpus.
Signavere oculis memores factum ante, locumque.
Huc gressus tendunt, seque inter, talia versant:
Ecquis erit, tumuli qui saxum a faucibus ingens
4. Vi devolvat! Et interea matura ruebat
Clara luce dies; infernis Christus ab umbris
Cum nece devicta, spoliisque superbus Averni,
Funereas repetit sedes, & corpus amicum,
Frigore perfusum leti, rigidumque, superne
Ad partes vocat, & consortem indulget honorem.
Continuo accensi sensus; capite excubat alto
Firma, vigil ratio; postquam icto fœdere rursum
Vitales animæ nodos in corpore vinxit.
Nec jam illi terreni artus, mortaliaque ora.
Indicio est, tumulo quod non gravis exsilit imo
Protinus, ac sedes inapertas commeat extra,
Atque impune: nec ulla notis impressa morantur
Signa, nec excubias armati militis horret.
Exierat. magno tellus trepidare tumultu
Incipit, & paribus juvenis subito adstitit alis,
Illorum de gente, Dei quos summa ministros
Vis agit in terras, aut cœlo devocat alto,
Obsequio vigiles, nulloque a corpore tardos.
Ore micat fulgur, circumque ingentia membra
Intactas stola longa nives candore lacessit.
Ergo manu foribus saxum dejecit apertis.
Obtinet hoc, operique suo super insidet ingens.
At late stupefacta gravi custodia casu
Sternitur, & tenui exsanguis discrimine leti est.
Arma procul tantum manibus delapsa jacebant.
Inde ubi collecta vires cum mente receptæ;
Tecta urbemque fuga diversa per arva satelles
Et petit, & vacuo trepidat servare sepulcro,
Ignarus licet, ac tantis male conscius actis.
5. Parte alia ut matres aditus videre patentes;
Progressæ tumuli septa intra prima, sedentem
Advertunt saxo juvenem, & formidine nutant.
6. Ille: Licet mœstis animos exsolvere curis;
Nazarenæ, inquit, vobis telluris alumnus
Quæritur, affixusque cruci, quem morte secuta
Deinde suus tumulus latebris sub rupis habebat.
At surrexit, abest, sua nec promissa fefellit.
Jamque subite, locumque oculis cognoscite inanem.

(a) *Matt. cap.* 28. *vs.* 2. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum: 3. erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix. 4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. (b) *Luc. cap.* 24. *vs.* 3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. Dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

Dixerat. & cupidas ſpelæo inducit opaco.
Cernere erat tenuem unde cavum ſub caute reciſa.
Corpus ibi nullum. dicas; ſuit: ordine cuncta;
Hic ſaxum, hic ſindon, hic & ſudaria ſeorſum,
Collectique ſinus, ſupra prius ora fluentes.
Tum vero incertis animi & pendentibus ecce
Ætheria geminus de ſede ſupervenit ales.
Forma utrique decens, habituſque imitata viriles:
Et veſtem incendit fulgor. Quo lumina viſo
Femineus dejecta, ſoloque infixa gerebat
Pulſo corde metus. Sic increpat alter, & infit:
Quid vivum exanimos inter, letoque jacentes
Quæritis, abſentem & reparata luce beatum?

7. Sed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

7. Nec venit in mentem, quos, dum Galilæa tenerent
Oppida adhue, monitus dedit, & præſagia rerum;
Eſſet ut in fatis nati, patriaque ſederet
Lege ratum, ad pœnas inſontem ſontibus ultro
Addici, fixumque alta trabe ponere vitam;
Tertia lux ſuperis redivivum donec in oris
Siſteret. Ergo domum celeres hæc dicta referte
Diſcipulis, Petro in primis, hunc vivere Chriſtum
More novo, & magnum veniſſe ſub ætheris axem:
Poſtmodo quem dabitur Galilæa viſere terra,
Jam præeuntem etiam, & montis juga nota petentem.
Credite; certa fides, nec vatum neſcia nobis.

XXXV.

Ex capite Joannis vigeſimo.

MAGDALENÆ CHRISTUS APPARENS.

11. MAria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum:

11. SPeluncæ ante fores ac limine Magdala primo
Conſtitit, & triſti lacrimas demiſit amore.
Exin prona caput, facileſque immiſſa per antrum
Cæcum oculos, ſi qua Chriſtus latet, introſpexit.

12. Et vidit duos angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.

12. Corpus vitæ exſors nullum, duo corpora cernit
Divorum Aligerûm niveis in veſtibus ambo
Conſpecti, tumuli diverſa parte, ſedebant
Hinc atque hinc, ubi perque pedes modo Chriſtus huma-

13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.

13. Perque caput jacuit. Tum blandis vocibus unus: (tus,
Quæ, mulier, flendi, aut tanti tibi cauſa doloris?
Illa ſub hæc: Domini ſublatum, & ſede repoſtum
Neſcio qua lateat corpus, longumque requiro.

14. Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt.

14. Dixit, & avertens celeri cervice, gemenſque,
A tergo ſtantem reſpexit neſcia Jeſum.
Neſcia: namque is ſe cultorem ſecerat horti,
Sedulus in raſtris, & agreſti ignotus amictu,
Oſtentanſque manus duras, ſqualentiaque ora;
Ceu mereat mercedem opera, vel qui ſerat, illic
Conducta tellure, modumque exerceat agri.

15. Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.

15. Tum ſic incautam alloquitur: Quid fundis inanes,
O mulier, fletus? quem quæris? At illa: Doceto,
O Domine, ipſe locum, ſi quo tu dulce tuliſti
Depoſitum: atque humeris, nec erit labor, una ſubibo.

16. Dicit ei Jeſus: Maria. Converſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.)

16. Hic Chriſtus (neque enim abſcondi furto amplius ullo
Paſſus amor) nota ſucclamat voce, Maria,
Et redit ad ſeſe, atque Dei tandem exerit ora.
Rettulit hæc ſubito nota quoque voce, Magiſter.

17. Dicit ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.

17. Ac ſupplex ibat genibus date brachia circum;
Cum Chriſtus demiſſam, & in oſcula dulcia pronam
Rejicit his dictis: Propius contingere parce.
Me demum ad patrios, aderit jam tempus, honores
Admiſſum, & cœli invectum fulgentia templa,
Affectu melius tanges, ac pectore puro.
Aut cœli ſi longa mora eſt, tetigiſſe licebit,
Ne propera, hic etiam, certo quem tempore veſtris

18. Ve-

Nota,

Nota, redonandum patri, lux auferet oris.
Quod nunc instat, age interea, & carissima fratres
Pectora vise meos: mandata hæc ultima perfer:
Me superis ad communem patremque, Deumque,
O Socii, refero, præcoque sequentibus altum
Certus iter. dixit. dicto parere parabat,

18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

18. Nuncia visorum, & Christi ventura Maria
Discipulis, ac spes instauratura priores.

XXXVI.

Ex capite Lucæ vigesimo quarto.

VIATORIBUS CHRISTUS APPARENS.

13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

15. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis:

16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?

13. Ecce die egressi Solymorum a mœnibus illo
Discipuli curas gemini laxare, decemque
Milliarus ibant, parvamque Emaunta petebant

14. Multa illis virtus Christi, multæque recursant
Isacidum furiæ. crux, clavi, lancea in ore
Omnia sunt, exstincto omnis de numine sermo.
15. Hos gressu irrepens Christus per plana silenti
Jungebat sensim incautos, ac pone subibat.
Sed prius antiquo summos decore exuit artus
Membrorum, & notas faciem, vestemque reliquit.
Fit festa remeans peregrinus ab urbe viator.
Indiscreta sono vox, ac mutatus euntis
Gressus ab assueto, fictique in corpore gestus.
Sic fallunt nova cuncta virique errore, Deique.
16. Adde quod obducta caligo tuentibus hæret
Circum nube, habitus ne quis dignoscat, & ora,
Sed lateat falsa totum sub imagine numen.
Ergo ambos inter, sese, haud ignarus agendi,
Inservit, confertque gradum, dehinc talia fatur.
17. Quis vobis nunc sermo, viri, & quæ tristis in ore

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo:

20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.

22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.

23. Et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

18. Cura sedet? Cui tum Cleopas (nam gloria nomen
Fecerat huic) Ergo externis novus advena ab oris,
Concursu populi, atque effusæ sedibus urbis
Ingenti, ignoras solus tu publica gesta?
19. Ille refert: Quæ gesta? Illi sic deinde locuti
Excepere: Tulit quæ Nazarenus Iesus:
Verborum cui lingua potens, atque inclita factis
Dextera. spectatus superis, spectatus & imis
Vi valida, rigidique pius servator honesti.
20. Ut proceres morti immeritum addixere nefandæ,
Utque sacerdotum summi. quem stipite fixo
Corpore libratum recto; passisque lacertis,
Hinc atque hinc pendentem infelix sustulit arbor
21. At nobis accensa diu spes læta, futurum
Hunc olim auxilio, qui res ac sceptra referret
Abramidum in melius, libertatemque beatam
Assereret pretio. Nunc tertia lux abit, ex quo
Ille fuit, secum & moriens solatia nostra
Abstulit, heu, superas numquam rediturus in auras.
22. Plurima quamquam animos audita & visa fatigant,
In partesque trahunt varias. Ex urbe puellæ
Indigenæ ferale viri accessere sepulcrum,
Matura jam luce, & rebus sole retectis.
Lustravere. patent, nullo, vacua omnia ubique,
Corpore, sive intra positum, seu quæritur extra.
23. Quin etiam visos cœlesti ex agmine cives,
Qui memorent modo mortis eum, letique potitum
Vivere nunc, aliosque dehinc superesse per annos,
Cum fremitu terrarum, atque applaudentibus auris.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

24. Hæc adeo narrata viri de gente profecti
Explorant, dictisque fidem mulieribus unum
Adstruit os cunctorum: hic sedem adstare relictam;
Hic & pro foribus saxum; nunc ante, locoque
Emotum: at corpus nusquam apparere sepulti.

25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!

25. Talia dicta dabant; Christus cum talibus infit:
O vos, o sanis homines male sensibus! o gens
Cunctatrix, quæ tot vertentibus edita sæclis
Per vates consulta pios acceredere differs.

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

27. Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

26. Nonne fuit pœnas Christo prius ille per omnes,
Insontemque dedisse animam: atque invadere partum
27. Hac mercede decus? Sic orsus, ad ultima rerum,
Antiqua patrios deducit origine fastos.
Mosea legiferum, & montes responsa per igneos
Reddita; post alios referebat in ordine vates,
Quæ de se, & quoties divino ex ore locuti,
Obscuri interpres, certusque per invia ductor.

28. Et appropinquaverunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire.

28. Jamque adventabant propius, notamque subibant,
Mirantes, Emaunta; aliud cum Christus, & ultra
Tendere visus iter, prudensque imitatur euntem

29. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.

29. Longius. Ast illum invitant, blandaque morantur
Voce; Mane nobiscum, ajunt, lux ultima quando
Præcipitat, serusque accendit lumina vesper.
Hæc fati, vicere. manu sub rustica prensum
Ducunt tecta; toroque super discumbitur alto.

30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.

30. Hinc lances mensis, & lancibus admovet ultro
Quisque manus. Cererem Christus, cui rite precatur
31. Fausta prius, frangit, convivis præbet. Et ecce
Luminibus nubes, caligantesque serena
Discussæ ex toto radiorum luce tenebræ.
Agnoscunt simul ora; simul vanescit, & acres
Deprensus Deus ipse fuga frustratur ocellos.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

32. Illi inhiant fugienti, & longum voce requirunt.
Primaque jam redeunt: Num corda incensa loquentis
Flammato sermone, viam dum carperet unà,
Et legum nodos sanctarum interprete lingua
Solveret, atque adytis vulgaret sacra reclusis?
Sic memorant avidi; cæcum dum quisque fatetur:
Multaque se incusat, qui non agnoverit ante
Indiciis operum manifestum, & numine tanto.

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant.

33. Nec requies, Solymas hoc illo tempore sacras
Quin repetat nocturnus, iter per cæca viarum
Ingrediens, certusque sodalibus auctor uterque
Advolet undenis, & nuncia læta reportet.

XXXVII.

Ex capite Lucæ vigesimo quarto.

33. Invenerunt congregatos (a) undecim, & eos qui cum illis erant.

DISCIPULIS CHRISTUS APPARENS.

33. Nocte domi prima, trabibus collecta sub iisdem
Tota manus sociûm, penetrali in sede recumbit.
Illa sibi infensos, Christo quod & usa magistro,
Et conjuncta duci in partes, ac signa secuta,
Iracidum primos, ac vulgi mobilis iras
Permetuens, tacito se limine vectibus intus
Sepserat obtentis, secretaque tecta fovebat.

34. Dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

34. 35. Interea vario fallunt sermone timores:
Nunc qualem peregre se Christus euntibus addit;

36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.

36. Nunc Petro quando visus. Quibus ecce repente
Insperatus adest, mediusque supervenit, ac tum
Quina gerens, seu quæ accepit pes vulnera uterque,

37. Con- Seu

(a) Joan. cap. 20. vs. 19. Cum ergo sero esset die illo, una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum.

37. Conturbati vero & conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus (b) & pedes.

41. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.

43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

XXXVIII.

Ex capite Joannis vigesimo.

24. THomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.

25. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus; & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.

28. Re-

Seu quæ deinde manus, & quod stillante rubebat
Sanguine adhuc lateri persosso, cetera sanus.
Occupat his: Salvete, Ego sum, & secludite tristes
Corde metus, Socii, ac victorem discite leti.
37. Umbram illi, & tenuem, mentito corpore, vitam,
Turbantur, vidisse rati, longeque silescunt.
38. Tum Christus: Nam quæ vos cura infida trementes
Sollicitat, frustraque animos per plurima versat?
39. Supplicia aspicite, atque immitis vulnera gentis.
In promptu palmæ, plantæ, latus. En ego vester
Christus, in hoc totos defigite corpore vultus.
Explorate manu super, atque agnoscite habendo.
At non ulla umbris, succove aut sanguine fœta
Membra; neque ad tactum tractantibus ossa resistunt.
40. Et simul his dictis latus ostentabat, & imas
Avulso clavo plantas. manus utraque sese
Indicat ipsa, paresque exponit saucia plagas.
41. Ast illis, cunctantur adhuc dum pectore sensus,
Dumque stupent, gaudentque simul variantia corda,
Est, ait, unde epuler, meque agnoscatis edentem
More meo saltem, & vitalem vivere vitam?
42. Ergo alacres, jamjamque sui magis, obvia cuique
Parco inventa penu, quæ rustica copia, promunt,
Nondum melle favum presso, piscisque relictam
43. Partem assi. queis ille avido, non indigus, ore
Vescitur, humanosque audet descendere ad usus.
Quin & relliquias sublegit sedulus, & mox
Reddidit hospitibus notus conviva beatis.

THOMÆ CHRISTUS APPARENS.

24. HOc aliis Thomas divisus tempore tectis
25. Forte aberat. Socii ingressus ac dulcia Christi
Alloquia, & victu lætatum simplice narrant.
Ille his, At numquam vobis ego credulus, inquit,
Talia nec temere quisquam persuadeat auctor;
Non, nisi clavorum morsus vidisse cruentos,
Ac penitus digito subiisse foramina longo
Sit mihi fas, laterique manum inseruisse, cadantque
Vulnera sub sensus, & non obducta cicatrix.
26. Ex illo bis quarta diem mortalibus almum
Aurora extulerat. Socii se rursus opaca
Sede tegunt, solique domum formidine servant,
Non dare se populis ausi, non credere luci.
Inter quos parili Thomas discrimine inaudax
Nunc aderat: cum se pleno, mirabile, Christus
Numine, per medios, & noto illustrior infert.
Non sonitum sensere pedum, neque conscius aures
Advertit trepidas arguto a limine stridor.
Ostia quippe patent intranti nulla, silentque,
Ceu prius, immoto tranquilli cardine postes.
Apparet medio consessu, & voce salutat
27. Omnes; alloquitur sed Thomam ex omnibus unum:
Huc oculos, Thoma, huc digitos. totum, aspice, numen
Se tibi mortali violatum vulnere pandit.
In palmas inquire, pedum vestigia tenta,
Trans ubi fit luci mediis via libera clavis,
Tum lateri, qua plaga avido descendit hiatu,
Abde manum; totum perage, & cognosce latebram
Cuspidis Ausoniæ. Posthac mihi crede locuto
Expertus, neu promissis diffide futuris.

28. Agno-

(b) *Ibid. vs.* 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus.

28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

29. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

18. Agnovit vocem, ac duplicato poplite supplex
Procubuit Thomas exterritus, &, Meus, inquit,
O Deus, o Dominus. stupor ingens cetera pressit.
29. At non abstinuit Christus, monitisque pepercit:
Vidisti coram me Thoma; hæc credere causa est.
Felices operum, non viso qui mihi certam
Adjunxere fidem. dixitque, & tecta reliquit.

XXXIX.

Ex capite Joannis vigesimo primo.

1. POstea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt.

4. Mane autem facto stetit Jesus in litore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est.

5. Dixit ergo eis Jesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete; & invenietis. Miserunt ergo; & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.

8. Alii autem discipuli navigio venerunt, (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.

9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.

10. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.

12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et

PISCANTIBUS CHRISTUS APPARENS.

1,2 COnveniunt sedem Thomas, ac Petrus in unam,
Nathanaëlque, duo Zebedæo patre, duoque
Præterea, quos fama annis obscura recondit.
His, ut erat piscosum olim Jordanis ad amnem
Ars, pauperque domus, victis qua flumina ripis
Excurrunt in latum, agili conscendere cymba
Fert animus stagna alta, dolumque innectere rhombis.
3. Nec mora, piscatu invigilant, totamque fatigant
Noctem, operi intenti. Sedenim male tempore longo
Respondet fessis labor: inter retia prædæ
Quippe nihil venit; & studio pascuntur inani.
4. Astra polo interea cecidere, atque extulit ortus
Postera lux primos radiis. stat litore Christus,
Ac se offert piscantum oculis, neque noscitur ulli.
Emptor erat; vestem assimilans emptoris, & ora.
Et fors dum pretiis auferre obsonia quærit,
Æra manu crepat, & texto mantilia lino.
Tum sonat emptorem quoque vox & verba loquentis.
5. Ac procul, Heus, inquit, pueri, monstrate, capaces
Si qua intus peræ venalia condita servant.
Ore, Nihil, mœsto effati, siluere, neque ultra
Jactum infelicem, totque irrita retia questi.
6. At Christus: Ne vos pigeat, qua dextera monstrat,
Tendere fune cavo, atque intactam cingere partem.
Eveniet. dixit. Fecundas piscibus oras
Jam populant, jam lina manu fluitantia certant
Tollere aquis; frustra: gravat ingens turba natantum
Pondere, destituunt non æquæ ad talia vires.
7. Hic Christo juvenis magno dilectus amore,
Christus, ait Petro, Christus. sine numine tanto
Non hæc proveniunt. fortunam agnosco priorem,
Piscatusque Deo non unos auspice faustos.
Audierat: tunicam injecit (tum nudus agebat)
Aptavitque humeris Petrus, atque in veste recincta
Emicuit saltu, & præceps se credidit undis.
8. Ast alios (neque enim portu via longa reducto
Dividit) urgentes crebris vada turbida remis
Appulit ipsa ratis viridi, qua proxima, terræ.
Captivos pisces & longum rete trahebant.
9. Egressi ardentes prunas in litore cernunt.
Torretur positus piscis super. addita juxta
10. Frusta laboratæ Cereris. Quos Christus ad omnes:
Protrahite in commune, viri, & conjungite nostro,
Piscibus e vestris pisces. Sic fatur. & altam
11. Ex terra in navim Petrus exsilit. humida lina
Incumbit, sociis simul adnitentibus, imo
Eruere e fundo, siccæque advertit arenæ.
Ter decies quinos numeres, tresque insuper, ipsis
Aggestos maculis, ingentia corpora, pisces.
Suffecere oneri tanto, mirabile monstrum,
Linea vincla, plagæ, turbamque irrupta natantem
Agminis inclusit squamosi angusta sagena.
12. Inde toro Christus viridanti ut considet herbæ,
In-

Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est.

X L.

Ex capite Lucæ vigesimo quarto.

50. EDuxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.

Invitat socios bonus, & partitur in omnes
Hinc Cererem, hinc flamma pisces torrente subactos.
Vescitur in ripa læta dilecta juventus.
At non præsentem interea fiducia cuiquam
Compellare virum, notum licet, ac genus ipsum
Scitari, aut nomen, ritu agnoscentis amici.

CHRISTUS ASCENDENS COELUM.

50. VEstibat montem felix oleaster amœnum
Plurimus; unde loco nomen, qui desuper arces
Prospectat Solymas, atque arduus imminet urbi.
Huc Christus socios, ac te, sanctissima Mater,
Dulcia digressu facturus verba supremo,
Ducit, & ex tumuli medius sic aggere cœpit.
O mihi plus ipsa dilecti luce sodales,
Extrema, nec jam moriens, quos alloquor hora,
Non ego vos posthac per duros mille labores,
Consortes operum, per mille pericula ducam.
Flumina non circum toties comitabor euntes
Piscosi Jordanis, & alveo stagna profundo.
Nec villas mecum, nec mecum errabitis urbes,
Quas Galilæa gerit, quas & Judæa, nec inter,
Quos peragrare datur, media Samaritide, fines.
Ipse abeo, quo res poscunt vestræque, meæque,
Et genitor. Vestri vobis permissa potestas:
Soli eritis. Nec parva ideo discrimina restant.
Herodes non unus erit, non Pontius unus
Pilatus. vobis Judas se plurimus addet.
Namque gravis piceam, qua sese maxima tellus
Tendit, agens noctem, pellendus finibus error.
Debellanda dehinc scelerum quæ pristina terris
Incubuit malesuada cohors, quæque arma lacessit
Impia: placandusque Deo virtutibus orbis
Ignotis. Cum vos profugos in rebus acerbis
Quæ latebræ interea, aut quod non celaverit antrum?
Quis captos non carcer, iniquus & hauserit ensis?
Ite, animæ illustres, non segnius, ite per orbem
Terrarum, & nomen per gentes didite nostrum.
Pandite res alto cœlo, & caligine tectas
Multæ nobis adhuc, populosque arcana docete
Magna rudes, quæ me profit didicisse magistro.
Cumque profanum hominum vulgus lustralibus undis
Tinxeritis, meliorque viris jam vita renatis
Constiterit; dabitur veteres sarcire ruinas
Lapsorum Superum, & vacuo succedere cœlo.
Vidistis, quæ vos inter miracula gessi?
Artificesque manus, vitæque potentia verba?
His ipsis perfuncta, opera ad majora recurret,
Vestra ingens virtus: & me vicisse volentem
Fas fuerit. Nec vos exterrear, acre quod ipse
Agmen aget Pluton, & sæviet omnis Avernus.
Contra, quodque virûm conjunget bella propago;
Usque adeo totis turbabitur undique terris.
Me licet accipiat summoti regia cœli
Quamprimum; haud longe vobis ero, milite muros
Qui nullo tuar, & defendam civibus hostem.
Nostri oculis, moneo, solis jactura dolebit:
Tantum non vultus, præsentiaque ora tueri
Quippe dabo, & missas, ceu quondam, audire loquelas.
Quin pretio vel sic absentis damna rependam
Ingenti ipse locis aderò omnibus unus, & omnes
Visam hominum, invisus tenui sub imagine, cœtus.
Atque his non alias metas, non tempora rerum
Pono alia, annoso quam quæ mundo addita, vel quæ

51. Et Du-

51. Et factum eſt, dum benediceret illis: receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum.

Ex capite primo Actuum.

9. ET cum hæc dixiſſet, videntibus illis, elevatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis.

11. Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

12. Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam, a monte qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter.

Durando' explebit ſeries ventura nepotum.
Jamque valete. feror levibus, queis debeor, auris
Actutum, & patrio, nuſquam non veſter, Olympo.
51, 9. Dixerat, & totis matrem complectitur ulnis.
Inde petit Petrum dextra, lævaque Jacobum,
Et juvenem, quo non vivo ſibi carior alter.
Poſt alios, fortem Thomam, fortemque Philippum.
Omnes ſollicitos, oculis lacrimantibus omnes,
Gaudia mœſtitiamque inter. nec reddere quiſquam
Dicta, ſed ex imo ſingultus corde ciere.
Reſponſant nemora, & ramis mons pulſus olivæ.
Quæ poſtquam duplices, toto quo corpore tendet
Mox victor, palmas ſupera ad convexa tetendit,
Reſpectatque ſuos, dehinc cunctis proſpera dicit.
Dum dicit, ſublimis abit, ſenſimque ſupinas
Abſcondit valles, tum ſaxea culmina; & arces
Diſcedunt turritæ, atque ardua tecta domorum.
10. At Socii liquidum per iter ſe ſponte ferentem,
Quantum acie poſſunt oculi ſervare, ſequuntur:
Mortales donec viſus evincere ſummum
Aera deficiunt. ſimul acto cærula tractu
Subjicitur pedibus nubes ſcandentis, & omnem
Invidet aſpectum. Nec adhuc in nube morari
Non juvat, & raptos nodeunde exquirere vultus:
11. Cum ſe oculis gemini denſa inter nubila fratres,
Formoſi, aligeri, candenti in veſte, tulerunt.
Quorum unus, Cives Galilææ ex finibus orti,
Quis modus, inquit, erit? quo vos decet uſque tueri
Venturum, ceu non venturum, & numine vobis
Præſentem, ceu non præſentem, ad ſingula Jeſum?
Hic, qualem, quantumque, altum per inane, ſecuti
Luminibus tacitis, cœlo ſpectaſtis euntem,
Se referet terræ, & mundi jam forte peracta
(Ne dubitate, fidem dictis dedit ipſe, dabitque)
Dicere jus veniet, finemque imponere rebus.
12. Hæc fatus; rapido tolluntur ad æthera niſu.
Sic erit. aſtriferi incipiet quo tempore cœli
Machina, tellurique igneſcere, & æquora ponti
Fumoſi abſument Vulcano epota vapores.
Tunc & primævi fortuna iterabitur orbis
Clade gravi, antiquumque chaos tunc exitus idem.
Multa virûm celeri ingenio perfecta manebit,
Multa manu. primo concedent omnia Olympo,
Æterno, ingenti, ſe immota mole tenenti.
Reſtabit ſuperis quæ ſedes unica Divis.

HAS triſtes inter naturæ, operumque ruinas,
Aſcræi ſenis, ac longe florentis Homeri
Occiderint monimenta, & quos vitaverat olim,
Tunc Maro pertulerit fatis pejoribus ignes.
Te, mellite Catulle, feros, te, docte Properti,
Egerit in cineres cum culto flamma Tibullo.
Naſoni nec profuerit grave condere carmen
Heroum, non obfuerit rude linquere carmen.
Incomptos, comptos dederit ſors æqua labores
Exitio, & formas poſtremum verterit omnes.
Sola, tot ex ſcriptis, leto indignante, ſuperſtes
Æternum (ſcio: materies ſic te tua poſcit;
Atque extrema ſibi hæc Chriſtus miracula debet)
Muſa VAVASSURI ſervabere, tempore & igni
Major, & ipſa tuum mox ſervatura poetam.

THEURGICON FINIS.

UNUS OMNIUM LIBRORUM CONSPECTUS.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

ELEGIARUM
LIBER.

ELEGIA I.

Ad Ludovicum XIII. Regem Christianissimum, Rupellæ, urbis invictæ, victorem.

Urbs ea, quod mulctetur demolitione murorum, sortem dolet suam: quod id auctoritate & imperio fiat summi Regis, dolorem suum consolatur.



EI mihi, quod vexant arces sua fata, domosque!
Ipsa quod & saxis mors, trabibusque venit!
Fundamenta, solo radicibus acta profundis,
Credideram nullo turbine posse quati.
Spes erat & nullis obnoxia stare ruinis,
Quæ feriant celsum vertice tecta polum.
Sæpe, veni, dixi; sæpe, aspice, quisquis es, hostis:
Invenies toto fortius orbe nihil.
Cingimur exstructæ ter & amplius aggere terræ:
Nec minus alta cavo limite fossa favet.
Me sibi connubio junxit Neptunus, & undam
Dotales gremio prodigus egit opes.
Nunc neque saxa inter, neque ligna natantia noscor,
Infelix! portu naufraga pene meo.
En muri, turresque jacent, postesque revulsi
Cardine, cumque sua ferrea claustra sera.
Vosque, meæ vires, & plumbum, & sulphur, & ignes,
Fœtaque missilibus machina multa globis,
Aut nullos, aut deinde alios abiistis in usus:
Cessatum e solitis bella ciere locis.
Hæc loca vis clausi quatit ignea pulveris intus,
Mole gravi casus præcipitante suos.
Adjuvant hinc operis præstantia major, & illinc
Materies longo spissa, tenaxque situ.
Partibus alternis saltem si laberer, esset
Solamen tanti lenta ruina mali.
Integra subsidunt primo semel impete saxa:
Compages nullo fragmine tota cadit.
Insolitam stragem miserans admurmurat aura,
Ingemit & nostris terra gravata malis.
Illa ego dura silex flector, naturaque planctus
Imperat, & forti victa dolore fleo.
Non ita, cum nido si prolem amiserit, exul,
Orbaque flet noctem, flet philomela diem.
Nec sic incisis reptans Jovis armiger alis,
Irritus ad cœlum corpore tentat iter.
At non excidium dederat sperare futurum
Hæresis, & causæ factio amica meæ.
Vos semel o verum falsi mihi dicite, vates:
Hæccine promissæ pars ditionis erat?
Debueram præ longe aliis urbs urbibus ire,
Illæsumque novi corporis esse caput.
Cur quæ perpetuum viridis cedrus efflat odorem,
Transit in obscœnas sulphure tincta faces?
Cur, nemoris magni quæ maxima gloria, pinus,
Vilis in ignoto flumine cymba natat?
Fecissent animos utinam neque mœnia tantos,
Nec qui natura firmus & arte locus.
Tuta forem, pelago si non vicina fuissem;
Spesque peregrinæ nulla subisset opis;
Advena nec classis sedisset litore nostro:
Heu classis ventis non reditura suis!
Immodico fractæ, quis credat? robore vires:
Deterior multo facta medente salus.
Et posthac vetus omnis honos vilescet: & urbi
Mœnia si nomen dant sua, vicus ero.
Vicus ero, vel portus iners, & inutilis armis,
Aut statio fessæ non bene fida rati.
Seu terra ingruerit, sive æquore prædo, patebunt
Incustoditi, præda parata, lares,
Nec dabitur vallo, neque me defendere fossa,
Nec fragili errantes sistere sepe feras.
Adde quod impresso per rudera cultor aratro.
Ibit, &, hic arces, hic fora, dicet, erant.
Ipse quoque insultans nascenti in gramine pastor
Per mea non mundas compita pascet oves.
Nempe vicem referent læsi, memoresque, propinquis
Quæ damna intulerit plurima miles agris.
Et longo ut circum circaque suburbia tractu
Sævierit ferro, sævieritque face.
Me miseram! quam sunt fatis distantia fata,
Et caret exemplo sors prope nostra suo!
Olim ad Cadmeas modulante Amphione Thebas,
Indigesta, ut erant, saxa, coiisse ferunt.
Te mandante, loco muri, LODOICE, fatiscunt,
Et cadit auritus sub tua jussa lapis.
Quid quod ab inspecto clypeatæ umbone Minervæ
Durati in silices obriguere viri?
Lenta mihi adverso, liquefactaque mœnia rege,
Mollis ut opposito cera sub igne, fluunt.
Quod si fas veterum casus componere nostris,
Jamque, aliis alias si tolerata, fero.
Sic gemino frustra ponto defensa, Corinthus
Arsit inextinctis, ære liquente, rogis.
Tanta Syracusiam belli mora contudit urbem,
Cum Latius Siculas frangeret ultor opes.
Haud alias unquam turrita Numantia pœnas;
Haud alias tellus Afra subacta luit.

At

At bene fucceffit, dignus quod contigit hoftis:
Eft aliquid tanto vindice ferre jugum.
Te victore, notam vitæ, LODOICE, levabo:
Fors erit & lucrum, te capiente, capi.
Nec queror, o fuperi: tanti eft, fi fata tulerunt
Ut caderem, veftro fuccubuiffe pari.
Si pereo, periiffe juvat cœleftibus armis:
Mortales in me nil potuere manus.
Damna placent. quanquam o! fed vanis parco que-
Parco meos contra bella movere Deos. (relis;
Dura quidem patimur, fateor: fed debita dudum
Supplicia, & fractam vix fatis ulta fidem.
Vos, culpæ focii; vos oppida confcia, lætor
Perfidiam exemplo dedidiciffe meo.
Nec me flere mei, neu mœnia quærite, cives:
Ambitiofa Jovis fulmine tacta ruunt.

ELEGIA II.

Ludovico Borbonio Duci Anguiano,

Minerva Bituricenfis victoriam ad Rupem regiam gratulatur.

AUDIVI medios tulerit quis te ardor in hoftes,
Quotque trophæa tibi parta, quibufque modis.
Sum lætata quidem, fed non mirata Minerva:
Debebas monitis talia, nate, meis.
Illa ego, fex alui quæ te, fovique per annos,
Plus & matre tibi, plus quoque patre fui:
Quid, nifi mortalem docui contemnere vitam,
Inque decus duta, qua datur, ire via?
Quo tibi, clamabam, cenfus, atque oppida, & ar-
Vicinis & ager continuatus agris; (ces,
Aut quo Borbonio de ftemmate nomina patris,
Et non materna ftirpe pigendus honos;
Si neque te victor fuper auri tollis acervos,
Nec geminæ quidquam nobilitatis habes?
Quippe tuum nihil eft nec opum, nec laudis avorum,
Si tua non facias moribus ifta tuis.
Quin etiam languet, titulis obnoxia prifcis,
Gloria, &, in partes fecta tot una, perit.
Ergo, quod unius fit opus, molire, nec alter
Dividua confors præmia laude petat.
Dulcia fac rigidis cedant, fac utile honefto,
Ac tibi fit vita jufque, piumque prius.
Noftra duplex dos eft: hinc nominor utraque Pal-
Sim licet unius filia tota patris. (las,
Prima quidem ftudiis ducatur mitibus ætas:
Sed feta, quod fupereft, prælia tempus agat.
Arma decent proceres: funt arma & principe digna.
Regius his nomen fanguis oportet emat.
Hæc, & plura. Nec, his & pluribus ufa, quievi:
Me datus es nymphis conciliante tribus. (res.
Cumque darem, tenerum, dixi, commendo, foro-
Quis fcit, an hæc pretium non leve cura feret.
Scimus: & hic pueri fpondet decora omnia fanguis,
Et genus ingenio vincet ab ipfe fuo.
Ingenuas animum nymphæ excoluere per artes,
Quæque fuum aggreffæ, majus ut effet, opus.
Una dedit fandi leges, ac noffe, quod olim
Græcia, quod Latio Roma locuta fono.
Altera ad eloquium formavit, & aurea dicta.
Illa duos annos vindicat, illa duos.
Nota tibi interea vatum myfteria, cum tu,
Ingredior quo nunc, ingrederere pede.
Tertia fub Sophiæ veneranda facraria duxit,
Teque diu voluit non minus effe fuum
Nec nihil ante domi didicifti vix puer infans:
Nec nihil a ludo doctior, atque joco.
Præcipue, teftis prifcarum, & nuncia rerum,
Hiftoria exemplis erudit ufque bonis.
Extera mille tenes & mille domeftica facta:
Jamque tepet pulcro pectus ab igne tuum.
Illa tibi (memini; decimus te ceperat annus)
Fratrem atavi magno plenius ore canit.
Hic Anghianus erat, quem nomine reddis, & idem
Junior, hac ævi quem quoque parte refers.
Tuque tuo, ille fuo regi cognominis: & vos
Sitis, ait, geftis, o precor, ambo pares.
Quoque magis fieret, devicta fub Alpibus imis
Bella docet: gratos excipis aure fonos.
Lege fub unius fluerent cum Rhenus, Iberque,
Cæfare per populos fceptra tenente duos:
Ibat condenfum terdenis millibus agmen,
Itala Tyrrhena quo vocat ora tuba.
Gallorum ftabant viginti millia contra,
Proque decem ductor millibus unus erat.
Non favit natura loci: præceperat hoftis
Molle, parum clivo præcipitante, jugum.
Adde quod, e fociis conjuncta ferentibus arma,
Deficit, & gelido pars labat acta metu.
Fraudi erat hoc etiam, longo triviffe labore
Membra, tet & nocti conferuiffe diem.
Fulmineus contra juvenis, tamen, inquit, eamus;
Cetera funt nobis fi mala, caufa bona eft.
Nec defunt animi, tribus & certabimus unus
Quamlibet expertis tiro, puerque viris.
Nam neque vel numero virtus cenfenda, vel annis;
Nec folet ingenio cedere victa loci.
His dictis eventa fidem fecere: cruentam
Pars melior vafta cæde momordit humum.
Pars capta eft: pedibus pars exiguiffima debet,
Quod rediit cladis nuncia prima fuæ.
Hinc Padus, hinc Alpes ftragem mirantur: & hor-
Et pudor Infubres, fed magis horror habet. (ror,
Sic ea narrabat: quæ quo te exempla moverent,
Magnanimi ftimulos addidit umbra ducis.
Hæc faciens, cœpi tantum; vita invida liquit.
Cetera, cognatus, perfice, fanguis, ait.
Audifti: hæferunt imis infixa medullis,
Et minor his ætas attulit una moram.
Namque ubi maturæ vires, ac robur adultum
Tempore, & ad belli gloria traxit opus;
Cui dubium, fumptis quid Mars tuus egerit armis,
Quotque fugæ dederis corpora, quotque neci?
Regia fcit Rupes: non inficiatur Iberus.
Victus & hic ductu, libera & illa tuo.
Scilicet auctoris non ullius indiga virtus,
Æmula cui certet, parque reponat, amat.
Quod de fratre atavi memorari fæpius audis,
Hic fubit illius facta referre tuis.
Omnia conveniunt, præterque & nomen & annos,
Et genus, hoftis, ei qui fuit ante, tibi eft.
Tu quoque non æquis congreffus viribus impar:
Tu quoque non ufus commoditate loci.
Aggrederifque, moræ impatiens: aggreffus & ille.
Ultimus arma tenes: ultimus arma tenet.
Ille equitem, peditemque ruit dux militis inftar:
Tuque pericla, pari munere, nulla fugis.
Incertum, vulnus tulerit: quo ferret, abunde

Fecir, honoratas exciperetque notas.
Crus tibi perstrictum, quantum sat dicere viso
Vulnere, sic felix, o bone, sempet eas.
Neve tuo sese jactaret sanguine quisquam;
Plaga licet, uullo plaga cruore fuit.
Duravit geminos lorica fidelis in ictus,
Et totidem intrepidus vulnera sensit equus.
Denique se paribus victoria præbuit alis:
Hostiles ambo, castra tenetis, opes:
Captivumque agmen, captivasque ordine vestes,
Armaque cum præda quæ graviora levi.
O quam multa virum densantur funera, quamque
Rara, pedum effugio, si tamen ulla, salus.
Hic duplici cornu certatum; hic corpote toto.
Nulla cohors pugna, nullaque turma vacat.
Sed quid prisca sequor, seu jam mihi carmine dicta,
Seu quæ post longus sit meminisse labor?
Ecce tuus ducibus duo flet de quattuor hostis,
Dedecori puduit quos superesse suo.
Tertius extremo, primo in certamine quartus,
Non nisi præcipiti sospes uterque fuga.
Cetera quis nescit concordia? diffidet unum:
Fers primum ad laudes, huic ubi meta, gradum.
Tu modo te regi serves, patriæque, tuisque,
Grandiaque ætatem ferre trophæa sciant.
Ahne hostem propius tangas, tangaris ab hoste,
Anxia quam mater, sponsa, sororque velit!
Ah tibi ne ferrum per densa pericla ruenti
Non jam degustet crura, sed intus eat!
Nec facit, ut timeam, nihil hinc se venditet, hostis;
Neve sibi curas imputet ille meas.
O decus, o sæcli juvenis laus maxima nostri,
Tu mihi curarum, tu mihi causa metus.
Cur meritis sortem exsuperas, virtutibus annos?
Cur tot avos animi nobilitate premis?
Quid juvenem per te sentit se Gallia? quid se
Sanguine cognato rex puer esse virum?
Si generi mores, fortunaque moribus impar;
Ingenio cultus si minor, arsque foret;
Nec tantum auderes, nec staret pectore robur:
Ipsa minore forem Pallas, alumne, metu.
Nunc erit in te uno quæ non jactura timenda?
Quot bona nou misere prodigat una dies?
Ergo inhibe remos, moderatius utere ventis,
Sique metu me vis parcere, parce tibi.
Sed quid ago? cur quam nostra impulit æquor in altum,
De mediis revocat cursibus aura ratem?
Pæne meos monitus, & fortia dicta retexo,
Utque minus, quæso, strenuus esse velis.
Cumque bene inceptis invirent omnia laudem,
Dissuasu in pejus jam licet ire meo.
I tamen, i contra. cautum est per Gallica fata,
Sollicitet ne quis pectora nostra timor.
Nec minus es rerum prudens, quam fortis, & acer;
Nec magis est frænum, quam tibi calcar opus.
Omnia prætereunt annos tua; dumque juventa est,
Robore vir, sensu nosceris esse senex.
Vive quidem longum, si vis artesque, decusque
Vivere: si male vis hostibus esse, vale.
Nec, mihi rescribas, opto. Sat nuncius a te
Alter abhinc hostis cæsus, & alter erit.
Lux propera, tibi ne tardæ convicia fiant:
Invidiæ fias ne rea, fama veni.
Idque ita: si nullo læsa est victoria fastu,
Omnis & auctori palma relata Deo.

ELEGIA III.

In Franciscum Subletum Nolerium, regi Christianissimo a secretioribus mandatis.

Eum jus summum colere sine inhumanitate, prudentiam sine dolo malo.

BARBARA, si qua fides, priscis habitavit in annis
Rusticitas fusa regia tecta coma.
Tunc ibi nec mala fraus, nec erant perjuria, nec quod
Insidiis tacito vulnus ab hoste venit.
At vis, & feritas, & aperto prælia campo,
Et Nemesis totos ebria cæde dies:
At scelus omne aderat, nisi quod nox adjuvat atra,
Vel fera dira suo felle, vel herba suo.
Quippe gerebatur cæcis res nulla venenis,
Nec metus abdebat, facta nec ulla pudor.
Tale regit vasto imperium Polyphemus in antro:
Si tamen imperii, quod regat, instar habet.
Nil apud hunc vinclis naturæ, aut legibus æquum:
Et ratio morem subdita sola gerit.
Exsuperat robur: prudentia deficit. Unum
Scilicet in tanto corpore lumen erat.
Ast ubi placatis violentia regibus hæsit:
Sceptraque jam cultus dedidicere feros:
Vis astu mutata rudis: subiere, nocendi
Quas mille arcanas repperit aula vias.
O quoties, & quos dedit assentatio vultus
Fingere? quæ lætis oscula, quotque genis?
Quid, palpare manu? quid, sterni corpore toto?
Perdere & in miseras quid bona verba preces?
Nec livor procul a folio, nec quæ nova monstra
Suspicio partu, credulitasque tulit.
Hinc sectæ, & partes, ac belli furta togæque,
Tantaque nox, stygio condita quanta lacu.
Namque Themis terris excedens pallia liquit,
Ad summum fugeret cum revocata patrem.
His & se proceres studio texere latendi,
Omnis & ars regum dissimulare fuit.
Sic Ithacæ magnus parvæ moderator Ulysses,
Sive domi, seu cum terra aliena tenet.
Decepit natas in carmina blanda puellas,
Cautior. est Circe victa, doloque dolus.
Frustra illi thalamos objecit dia Calypso:
Frustra alias alii, quas valuere, moras.
Ille tamen, pudeat, non bello clarus & armis:
Et, si quæ pacis præmia, fraude tulit.
Digerit hæc atque hæc lento dum tempora cursu
Saturnus, fastis regna notatque suis;
Vim regum injustam rex aspicit æquus, & artes:
Non tulit, ac terris talia verba dedit.
Nec, Polypheme, places, nec, sis licet ultor, Ulysse.
Este hinc, barbaries, calliditasque, procul.
At non illud erat crimen, me rege, nec illud:
Aurea non ullum sæcla tulere nefas.
Ac neque durabit ferri improba longius ætas,
Rursus & ex auro tempora dicta fluent.
Nota loquor: venit ecce, venit labentibus annis,
Mutata referat qui mea regna vice.
Rex erit is Gallis, eris huic, Sublete, minister.
Dixit, & ad mores sat putat esse bonos.
Ex illo virtus domina regnavit in aula:
Virtutem assidue sors comitata ducem est.

Præ-

Præbebitque, ſemel tantis auctoribus uſa,
Poſtmodo ſucceſſus utraque Diva ſuos.

ELEGIA IV.

Supremæ Pariſiorum Curiæ.

Thalia juris dicendi fines gratulatur ampliſſimos.

GALLIA qua late ſe pandit, & aurea ſulgent
Lilia, jus amplum, ſumme Senatus, habes.
Judice te dubias gaudent componere lites
Sive ſuas Ligeris, Sequana ſive ſuas.
Lento Arari quoties Rhodanus male convenit acer,
Ad tua diſcordes juſſa ſerenat aquas.
Litigat & duris ſi quando Arvernia alumnis,
Concidit ante tuos jus aditura pedes.
Hoc faciunt qui nunc Morinorum in ſedibus hoſpes,
Et qui de campi nomine nomen habet.
Nec, tradat Latias quamvis Aurelia leges,
Et Biturix: alia vivere lege velint. (que,
Quid te, Iculiſma vetus? quid Pictonas, Andegavoſ-
Aut quid Cænomanos, Vindocinoſque loquar?
Et quos amplecti longa eſt mora pluribus, & quos
Excludunt vinctis plectra ſevera modis.
Bleſæ regales, ac frumentaria tellus
Carnutum, & mercis dives, agrique Turo;
Cinctaque centenis regina Lutetia nymphis
Inter & urbanas prima colenda Deas;
Vos ab adorato petitis conſulta ſenatu,
Summa quibus rerum ſtatque caditque ſalus.
Ergo aliis ſupplex provincia bina, vel una,
Vel minor his etiam, tota nec una, venit:
O quibus explicuit ſe finibus, ample ſenatus,
Sors tua, & ad laudes area quanta patet?
Quot cuncti populos, totidem complecteris unus,
Integraque ex geminis partibus una tua eſt.
Nec mirum, ſi dimidiam ſe Gallia præbet,
Inferior meritis Gallia tota tuis.
Quid, qui regnum intra ſibi te legere, vel extra,
Sive duces, ſeu qui, nomina priſca, pares?
Quid, quæ ſummotis peregrino gentibus orbe,
Jura ſecuturis ſponte petita dabas?
Tempore non alio majeſtas advena regum
Decretis rediit ſæpe ſuperba tuis.
Quis ſcit, an externis tua mox Themis imperet oris,
Tendat & ad titulos ambitioſa novos?
Certe pulcra tuis adjecta Arteſia rebus,
Spem jubet auguſti longius ire fori.
Sic habet, o proceres; vobis acquiritur armis,
Qui melius veſtra Belga regatur ope.
Credite: nec fallunt muſas ventura, nec ipſæ
Fallimus inſignes arte togaque viros.
Plura locuturæ Phœbus mihi, quo ruis? inquit,
Ah nimium ſortis neſcia muſa tuæ?
Nec numeris fas eſt tenuare ingentia parvis:
Nec, niſi juſta, probat carmina diva Themis.
Grande pares tollant onus hoc, geſtentque Camenæ,
Tu, vel creſce, vel, es quæ pede curta, ſile.

ELEGIA V.

Nicolao Borbonio, optimo & poetæ, & amico.

Honorarius tumulus.

O Mihi tot longos tractari, Muſa, per annos
Deſita, jamque procul juſſa valere, redi.
Sæpe ergo vivorum juravi facta ſilere:
Sæpe loqui noſtris nil, niſi ſacra, modis.
Nec mutor: ſacer eſt vates, & mortuus. Huic me
Juſta, licet ſerus, ſolvere juſſit amor.
Ille novem vixit ſanctiſſima cura ſororum,
Proh dolor! ille tuum vixit, Apollo, decus.
Magnæ illi Latii reſeratæ totius artes,
Hauſtaque de plenis Attica mella favis.
Dumque graves lingua cantus utraque ſonaret,
Callimachum nobis, Virgiliumque dedit.
Longe illi veſanus erat cum matre Cupido,
Luderet obſcenis qui mala furta jocis.
Nec niger ullius perſtringere nomen adegit
Livor, & immeritam rodere dente cutem.
Sed neque, carminibus quamvis jocus omnis abeſſet,
Cum pueroque Venus, ruſtica muſa fuit.
Nec nervis caruere ſales, nec acumine nervi;
In nullum quamvis ſtrinxerit arma caput.
Ars, dociles te per numeros, venerandaque teſtor
Per ſacra, quid vates non habet ille tuum?
Te patiens operum, & doctis, labor, addite curis
Dic, rogo, quid vates non habet ille tuum?
Aptus, ut inventis primum felicibus ordo,
Dignaque verborum copia rebus erat;
Sedula munditiis, & cultu intenta ſevero,
Aſſidue cœptum lima polibat opus.
Incudemque dies & nox tundebat eamdem.
Ah toties vati nox vigilata meo!
Scilicet in ſtudium morbus ſe verterat acer:
Capta nec ulla oculis, mente nec ulla quies.
Utque frequens corpus partes inſomne per omnes,
Verſabat tacito ſic ſua ſenſa toro.
Nec contentus erat ſe judice; ſæpe minorum
Non faſtiditam grandior urſit opem.
Carmina ſæpe mihi recitavit inedita coram,
Judicii expertus libera verba mei.
Contra ego me caro committere certus amico
Quid dubitem, aut gratam ſollicitare vicem?
Et mea Borbonius Chriſti mira acta relegit,
Et mihi tot Jobi carmine fleta mala.
Arbiter his, monitorque fuit, cenſorque libellis:
Nugarum hoc videor vindice habere minus.
Par alii officium, memini, ſenſere poetæ,
Et ſibi de tanta ſedulitate placent,
Gratanturque ſuas, quas fecerit ille, lituras;
Multaque adhuc ſimili pagina laude tumet.
Nempe erat is, cui non fruſtra confidere quiſquam,
Judicio mores æquiparante, velit.
Ipſe viri candor, procul invidiaque, doliſque;
Quamlibet evaluit demeruiſſe fidem.
Cujus ita ingenio certans prudentia, ut arti
Par labor, ut junctus cum gravitate lepos.
Ergo profana caput violavit Parca ſacratum,
Surdaque divinis cantibus una fuit?
Vivit avarus, iners, & luxurioſus, & excors,
Cuique boni non eſt umbra, piluſque viri?

Vivit, doctrinas qui quas ignorat, & odit,
  Nec facit ingenuas unius assis opes?
Occidit antistes claræ celeberrimus artis,
  Doctriuæ probitas æmula cujus erat.
Occidit innocuis operata industria Musis,
  Qua specimen nullum Gallia majus habet.
Haud de te, Natura, tamen, plenissima cum tu
  Bis septem huic dederis vivere lustra, queror.
Et felix sat morte sua est, cui deinde tueri
  Ereptum patriæ turpia damna suæ.
Quod pretium ex studio (sileantur cetera) honesto
  Percipit, eque suis culta Minerva libris?
Ecquis honos Phœbo? meritis quæ digna Camœnis
  Præmia? quis vati plausus, ut ante, datur?
Sarmata uos, Ovidi, quondam tuus hostis, & idem,
  Ah pudet! in nostra sævus adortus humo est.
Antraque Ronsardo dilecta, hortosque nemusque
  Vertere sacrilegæ sustinuere manus.
Nec tectis, Portæ, tuis ignoscitur. hoc &
  Barbariæ ignotum nomen, & illud erat.
Quin etiam Phœbum circum & sua templa sederi
  Sensimus, & Musas pæne perire fame.
Indignosque ideo calamum convertere in usus:
  Præla, typos linguæ prostituisse malæ.
Felle sales tristi suffundere: crimina chartis
  Illinere, & probri, qua licet, omne genus.
Atque incompositis ulcisci versibus hostes,
  Atque ignava stylo bella movere rudi.
Spondeat infaustis quis jam meliora poetis,
  Et fore, quo debent, quoque fuere loco?
Denique quid speres, temnit si scire Latine,
  Dediscit patrio Gallus & ore loqui?
At tu, fortuna dum nos luctamur iniqua,
  Nec studia ingratus sublevat ulla favor,
Utere sorte tua, vates divine: beatos
  Exige sidereis cantibus usque dies.
Assiduo neque enim sine cantu vivitur istic.
  Non aliud cœli fungitur ales opus.
Carminibusque sciunt præbere silentia Divi:
  Carminibus pretium dicere scitque Deus.
Cumque, choro immistus Superûm, de numine lau-
  Dixeris, humanas adde, juvaque preces. (des
Ac de me, veteres ubi commendabis amicos,
  Ne sile, &, Hic vates, dic, & amicus erat.

ELEGIA VI.

Ad Claudium Memmium Avauxium Gallici Regni Administrum, & summum regii ærarii Præfectum.

Nulla re carmen, nisi laudibus bene emi.

OMNIA sunt auro, Memmi. venalia. carmen
  Excipe. sola bonum laus bene carmen emit.
Nec sibi Odysseam pretio mercetur Ulysses,
  Nec paret Iliadem Græcia tota sibi.
Nec sat Cæsarei pensent Æneida nummi;
  Conferat immensas victus ut orbis opes.
Quæ cecinit, *Marcellus erit*, tuba mœsta Maronis,
  Maxima, sed meritis dona minora tulit.
Ah male, qui Cilicis dixit pretiosa poetæ,
  Prendere quæ volucres scripta, ferasque docent.
Quæque docent, quibus insidiis iu retia pisces,
  Quo veniant melius flumine, quoque mari.
Fac totidem expensos, fuerint quot carmina, num-
  (mos:
  Crede mihi, merces non tamen æqua fuit.
Vilis & argenti, vilis præ versibus auri
  Copia, & ad numeros æs grave summa levis.
Aonios laus una potest æquare labores.
  Nulla, vel hæc Clario laurea digna Deo,
Hanc & felici plus Attica Pallas oliva
  Diligit, hanc myrto plus Cytherea sua.
Huic & Mnemosyue cedros divina perennes
  Posthabet, & Musæ, matre mouente, novem.
Quippe, aliis quæ dat, poscit sibi præmia vates.
  Ingenium his opibus, venaque dives eget.
Exercent inter se auimi commercia. nil hic
  Corporis est: partes mens agit una duas.
Hæc fundit carmen: fundit pro carmine laudes
  Hæc eadem, & censu vendit emitque suo.
Adde quod, in nobis vivat cum purior ignis,
  Quem Deus, accensis sensibus intus, alat;
Aut Deus, aut natura, Dei quam spiritus afflet:
  Hunc prope laus clara ventilat usque face.
Me doctore, dehinc falsum dediscite, Graii,
  Neu date vos veris nomina ficta bonis.
Fabula, Parnassus: nugæ, Permessidos unda:
  Et nihil est, ales Bellerophontis equus.
Laus volat; & sacris it apertum magna poetis
  Flumina, conspicuos trans juga celsa vehit.
Est edera, est viridis laus circum tempora laurus,
  Qnodlibet est vatum pectora numen agens. (ta.
Necmodo laus homines: rerum movet optima cunc-
  Nec modo laus: species laudis, & umbra movet.
Cernis? habet passam volucris Junonia caudam:
  Non cernis? pictum contrahit illa decus.
Dura cavis sessor manibus si pectora plaudit;
  Ipse suas laudes, aspice, sentit equus.
Horrescunt cervice jubæ: ferit ungula terram:
  Responsat patulis naribus: ore fremit.
Tanguntur pecudes, tanguntur laude volucres.
  Delphinas mediis laus sua tangit aquis.
Hanc, fidicen, cantas, gratus quam piscis amavit,
  Squamea vecturus cum tibi terga daret.
Quid, pulcram dici cœlo si se audiat alto
  Luna, magis uoctes luceat illa suas.
Quid, pulcrum dici cœlo si se audiat alto
  Titan, det longos, det sine nube dies.
Ipsum adeo cœlum, si vox ea venerit illuc,
  Et sese humano senserit ore cani;
Gestiat, & prono resalutans vertice terram.
  Inclinet placitis corpora magna sonis:
Inter & esse suis optet multumque, diuque
  Laudibus, & plausu jam propiore frui.
Præconemque suum, possit modo, munere donet,
  Præbeat &, superos inter & astra, locum.
Sic quoque magnanimos sibi emit laus blanda poe-
  Gaudet & ingenuo libera Musa lucro. (tas,
Scis, Memmi, scis ipse: neque est te doctior alter
  Hoc pretium uumeris dicere grande novis.
Quamquam, ubi res poscunt, arcæ non parcere nosti
  Prodigus: & Musis hac quoque parte places.
Seu pietas, animusque movet cœlestia gratus
  Numina: sive aliquid munera laudis habent.
Dicere te versu vates meliore vicissim,
  Quantum Phœbeæ vis valet artis, amant:
Tractantem te pacis opus, te seria regum,
  Atque aliis clarum dotibus, atque suis.
Ut venias Graios inter, Latiosque poetas
  Arbiter: assurgat cœtus uterque tibi.
Utque suas fasces submittat voce loquenti

Ro-

Roma vetus, ſcriptis plaudat & alma tuis.
Hoc Bavari vates, hoc & dixere Poloni.
Vox hoſtilis idem, vox peregrina ſonat.
Nec fœcunda pares non nutrit Gallia alumnos,
Hæc valeant doctis qui ceciniſſe modis.
Nos penes & Baldi, tantum faſtidia deſint,
Et quos cærulea Viſtula fovit aqua.
Longinquiſque licet faveat plus Sequana Muſis
Invidus, hic, verum quod fateatur, habet.
Ad te, magna Deûm merces, Diva ipſa revertor,
Quæ celebres tecum tollis ad aſtra viros.
Huc adſis, laus Diva: ſuas ſeu Memmius ædes,
Seu ſua ſacravit, quod reor, ora tibi?
Qua geminis Themis, & Pitho ſedere labellis,
Sedit & a vero quæ Dea nomen habet.
Nam dare ſi ſatagit, te qui male poſſidet in ſe;
Quantalibet fuerit, gratia vilis erit.
Aut tribuit ſi fama loquax, ſi vulgus ineptum;
Nil tua, ſint quamvis mellea, dona moror.
Nec minus, unde adſis, refert, quam quove locorum,
Curve, verecundi plena ruboris, eas.
Sis merita, & nunquam ſis affectata: placebis.
Te duplici hac ad me lege venire velim.

ELEGIA VII.

Ejuſdem Claudii Memmii Avauxii Funus Politice ducit.

Galli, Germani, Poloni, Sueci, Dani, Veneti concelebrant: cui Poeta epitaphium adjungit.

Ergo damus vates decus immortale canendo,
Muſaque facta mori grandia laude vetat:
Nec tamen heroum producere tempora vitæ
Poſſumus, aut minima ſiſtere fata mora.
Non Helicon ægris, Pindus non educat herbas:
Pegaſeæ ad morbos non facit humor aquæ.
Credita quæ clauſis animas excire ſepulcris,
Haud ſatis in Parcas carmina juris habent.
Ah Phœbo dilecte jaces, dilecte Camœnis!
Nec ſervare Deus, nec potuere Deæ!
Stares nunc etiam nos inter vivus, Avauxi,
Si vis, quæ vatum debuit eſſe, foret.
Quamquam ea non ſolos triſtiſſima fata poëtas
Tangunt. eſt patriæ publicus iſte dolor.
De nihilo non eſt, altas quod Sequana ripas
Exiit, uberibus plenior amnis aquis;
Quodque mader nimio jam dudum Gallia ab imbre:
Non tenuit lacrimas illa, nec ille ſuas.
Externis & erunt populis hæc damna dolori,
Planget & ad noſtros ultima terra modos.
Eſſe ſuam cladem prope totus ſentiet Orbis,
Convenietque frequens, inferiaſque dabit.
Ecce venit paſſis Germania fœda capillis,
Ore dat & gemitus oon ſimulante pios.
Mira fides, inquit; Galli prudentia mira:
Otia ſunt hujus dulcia noſtra labor.
Jam Veneti, candor fuit, aiunt, dignus amari:
Jam Dani, placuit Gallicus iſte lepos.
Hic quoque, juncta diu nobis ſocialibus armis
Suecia, pars noſtri fida doloris, adeſt.
Sauromatæ pompa mœſti gradiuotur eadem,
Hei mihi, non quales vidimus ante viros:
Cum lætos ageret per compita noſtra triumphos,
Auro conſpicuus divite multus eques.
Tot celebrant funus proceres. At ducit, & ante
Fletibus it tepidos Nympha rigata ſinus:
Imperiis quæ Nympha præeſt, & civibus: illi
Nomen ab hac aptum Græcia voce dedit.
Quæ ſit firma licet, rapto turbatur alumno
Anxia, conſiliis deficiturque ſuis.
Pars quota, Memmiadæ, veſtra eſt io funere tanto,
Cujus ad exequias Gallia tota venit,
Et cui dant operam diverſo ex orbe profecti,
Concordes querulis Diique, Deæque ſonis?
Majores patruo tamen amiſiſtis in uno:
Retulerat veſtræ maxima quæque domus,
Virtutes, celſis animos & honoribus æquos,
Fecundaſque artes, ingeniumque capax.
Præcipue amplexus prono ſtudioſa favore eſt
Pectora, cultores, docta Minerva, tuos.
Ultimus, in cœtu quem clarus Avauxius iſto,
Ipſe caput cœtus, annumeraret, eram.
Ergo, ſive tibi vates ſum viſus, Avauxi,
Atque aliquid nugas es ratus eſſe meas;
Seu decurſa mihi pede liberiore probaſti,
Et placuit Pitho quantulacumque mea:
Juſta tuo orator tulerim cum dona ſepulcro;
Noſtra Thalia ſuum jungat oportet opus,
Ac, tua celavit quæ rara modeſtia quandam,
Suppleat, & verbis ipſe loquare meis.
Heus aliquis, marmor date purum, carmen & auro
Scribite, poſteritas quod diuturna legat.

EPITAPHIUM.

Ille ego, qui cenſus vici virtute paternos,
Vici & honoratæ munera cuncta togæ,
Deque meo magnus, nullique ſecundus avorum,
Fortunæ potui qui faber eſſe meæ.
Nunc jaceo, pacis toties & ſuaſor, & actor:
Nunc fit, credo equidem, noſter oliva cinis.
Surgit humo felix arbos: hinc omine læto
Pendebunt mutæ, Martia ſigna, tubæ.
Me patria & civis, longinquus & advena amavit,
Et cuicumque odio non fuit ipſa quies.
Quo minus eſt dubium, quin hic conſentiat hoſtis,
Et mihi, quod mea gens, rite precetur idem:
Poſtque meos ſacra Manes quam ſparſerit unda,
Sit, dicat Gallus, pax tibi, dicat Iber.

ELEGIA VIII.

Nicolao Fuquetio Regio in ſupremo Senatu Procuratori, & ſummo Gallici ærarii Præfecto, in Franciſci, maximi natu Filii, nondum quadrimi, immaturum interitum.

Excellentes præter modum pueros fere non eſſe vitales.

Est verum? ſtolidi nec fallit opinio vulgi?
Nec ſemper timidæ vana loquuntur anus?
Occidet: ingenio nimium puer eminet alto.
Occidet: ingenii vitaque luxque brevis.
Talia præſago populi verſantur in ore,
Heu nimis eventu vera fatenda ſuo!
Scilicet egregiis data lex duriſſima rebus,

Finem

Finem habeant primo tempore quæque suum.
Aspice, quæ purum violæ jaculantur odorem:
Unicus his ætas maxima mensis erit.
Jamque recens natæ pallent cito morte futura.
Seu friget, teneras, seu calet aura, necat.
Nec spatio vivunt flores majore rosarum:
Certet in his quamvis junctus odore color.
Vere novo cantat (cantu quid dulcius illo est?)
Luscinia, æstivos mox tacitura dies
Inde sub extremum vitam, puto, finiet æstum:
Finiet & vivam nulla videbit hiems.
Te quoque, blande puer, mors ævi in limine primo,
Quamlibet eximium, barbara falce petit.
Non fuit invidiæ corpusque, animusque ferendæ.
Usque adeo gemina dote valere nocet.
Nondum puberta. plenis advenerat annis,
Lanugo teneras vestieratque genas.
Non ætas ea, qua solitus dignoscere primum,
Ipse sui compos fasque nefasque puer.
Annis adde tribus septenos ordine menses:
Pro dolor! ætatis summa erat ista tuæ.
At mihi te, qua specto animo, qua corpore cumque,
Sæpe probant juvenem plurima, sæpe virum.
Quæ non infantis majora ætate fuerunt?
Vix oculi faciant, res sibi & ipsa fidem.
Forma sine arte decens, matrisque simillima formæ,
Candida, cum modico mista rubore nitet.
Cernis, ut invitet diducto basia rictu
Os minimum, & pressis detque feratque labris?
En cervix, facilesque comæ, vittæque comarum.
Sic se, sic humeros, sic tulit ille manus.
Non aliam virgo speciem sibi nubilis optet:
Non aliam natæ mater inesse suæ.
Sed nil forma movet (quid enim minus utile tanta est
In puero?) quamvis hæc quoque tanta movet.
Clara animi facies, & pulcro pulcrior ore,
Quas habet illecebras cognita, quasque faces?
Hei mihi, quam vultu puer hic fit amabilis isto,
Et superat longe seque, paresque suos!
Ut semel aut oculis rem quamque, aut auribus hau-
Credes? hoc puero condidicisse fuit. (sit;
Quin etiam ingenium felix nova sensa loquenti
Suggerit, & nulli dicta, vel acta prius.
Unde puer doctus? traxit quo fonte? quis auctor?
Dixit, & obstupuit conscia sæpe domus.
Quid quod is ingenio quantum bonus, indole tan-
Magnanima, & morum nobilitate placet? (tum
Quas non blanditias & notis dixit amicis,
Et fecit? quæ non oscula cuique dedit?
Quin, iram si quis simulaverat arte jocosam,
Lenibat veris pectora ficta modis.
Dictaque miscebat plusquam pro tempore salsa:
Dicta, ubi simplicibus nil puerile jocis.
O quoties, tantæ stupefactus imagine laudis,
Hic aliquis, tempus per breve vivet, ait?
Ante diem matura, licet sapor optimus illis,
Integra non præstes, salvaque poma diu.
Illa manus celeres vel in arbore tacta sequuntur:
Vel temere, & nullo succutiente, cadunt.
Ipse ego; namque pii vates ventura videmus
Certius, & nobis non leve numen inest;
Non vivet, monui: nimis hic ardenter amatur.
Vix est, ut nimius non sua perdat amor.
Non vivet soboles, quo vivere dignior, inquam:
Quæ victura, minus si meruisset, erat
Scit patruus, fato mors quem cita mersit acerbo.
Cur? quia spem de se, clarus & ipse, dabat.
Ingenio vidi post se cum linqueret omnes,
Nullum deinde bonis artibus isse parem.
De te, FUCQUETI, quid non timuere parentes?
Quæ non pro puero vota precesque suo?
Ingenio nati nimio metuebat uterque:
Ingenium nati cura utriusque fuit.
Ponebas primos studiis in mitibus annos,
Sum memor, & Clarii gloria montis eras:
Hic quoque te Sophiæ nodi tenuere, tuoque
Gordius Æmathium sensit in ore ducem.
Quantus eras, a mente vigor, non corpore venit:
Robore mens vasto, debile corpus erat.
Tum neque per vires sat respondere labori,
Nec poteras animo sufficere ipse tuo.
Et graciles artus, habitusque tenerrimus oris,
Parvaque vox justo non caruere metu.
Durasti tamen hinc ad tempora plena superstes,
Publica servavit quem sibi jure salus.
Servet & o longum, quantumque merebere de se,
Servet, & officiis grata sit illa tuis.
At non heu! nato fugientes contigit annos
Prendere, & ad patriæ commoda ferre suæ.
Non bona nancisci, sedesque implere paternas,
Non gemino clarum tollere honore caput.
Emoritur, vix egressus trieteride prima,
Et fati, mirum, præscius ipse sui.
Sæpe suburbano nutrix gestavit in horto:
Fessa suum nuper rejiciebat onus.
Immo age fer, nutrix: postremum hac ibitur, inquit.
Non ero dehinc ulnis sarcina dura tuis.
Sic fuit: optatæ vates certissimus urbi
Redditur: hinc domino villa fit orba suo.
Ecce aliud, quo non ullum divinius, omen:
Somnia cum febri non nisi læta videt.
Et jam siderea festivus inambulat aula:
Et jam cœlituum cum grege serta legit.
Denique per dulcem caperet quæ gaudia somnum,
Astra, polus, numen gaudia semper erant.
Ergo brevi moriens post tempore, clamat: adestis,
Cerno ego vos, Superi, quoque vocatis, eo.
Dixerat: & mala mors, seu somnus clauserit ora;
Ultima tum puero voxque, sonusque fuit.
Et pater has durus spes non suspiret ademptas?
Et lacrimis mater parcat avara suis?
Non alter tacite, non dicat & altera secum?
Primus hic est nostri fructus, amorque tori.
Sancte puer, cum sis felix, ubicumque locorum es;
Ex te ne possit quis miser esse, veta.
Deme tuis totos, diment quos tempora, luctus.
Sin minus, ex aliqua parte repente leva.
Dic te, si quid id est, doluisse dolore tuorum:
Dic te respectu nil doluisse tui.
Sum situs hic infans. affirmo; nullum ego sensi
Morte, parens nisi quod flevit uterque, malum.
Sistite jam lacrimas, vult natus, sistite vestras:
Ultimaque exstincto dono, sed apta: date.
Hic nihil aut sertis, quæ fecerit humida fletus,
Aut est unguentis ad sacra busta, loci.
Terra regit minimam; gaudet pars optima cœlo,
Lætitiæ plaudi quæ cupit usque suæ.
Absolvitque odiis fatum puer, invidiaque
Exonerat superos, qui rapuere, Deos.
Ergo pone, pater, lugubria non bene sumpta.
Sit quam veste procul, tam tibi mente dolor,
Et si forte licet, sed non licet, optima mater,
Can-

Candida pro pulla sumito vela toga.
Quod licet, ac satis est, taciti gaudete parentes,
Hanc vestram nulli non doluisse vicem.
Cetera tu felix domus, hoc defungere casu,
Impendent rebus si qua sinistra bonis.
Atque aliquo si quis placandus funere livor,
Hostia placarit sanguine parva pio.
Dii faciant, nil deinde fleas, jacturaque tandem
Sit puer annorum maxima vestra trium.

Semper de illius (*Alfii Flavi*) ingenio Cestius & prædicavit & timuit. Aiebat tam immature magnum ingenium non esse vitale.

SENECA *lib.* I. *controver.* I.

Observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem; & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam: ne videlicet ultra, quam homini datum est, nostra provehantur.

QUINTIL. *lib.* VI. *Inst. Orat. in proœmio.*

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

MARTIALIS *lib.* VI. *epigram.* 29.

ELEGIA IX.

Jacobi Sirmondi e Societate Jesu longævitas.

Ad perpetuam Viri de Literis, de Gallia, deque tota re Christiana benemeriti memoriam.

ESTE procul fletus oculis, atque ore querelæ,
Planctus & e tunso pectore nullus eat.
Exulat exequiis prope mors, & morbus ab istis,
Atque habet hic minimum Parca severa loci.
Nil neque vi lenta nunc, aut languore dolendum;
Nil neque vi subita venit, & ante diem.
Scilicet annorum & vitæ sunt omnia plena:
Pars ævi meritis nec vacat ulla suis.
Complerat bis lustra novem SIRMONDUS, & annos
Addiderat, cumuli jam vice, pæne duos.
Non tamen hinc pes tardus erat, non curva senecta,
Non partes sensus deseruere suas.
Nec sic auris hebes, nec sic os vocis egenum,
Ut non illa suum præstet, & illud, opus.
Lumina in officio, nunquam non certa, fuere:
Tot, toties, longis lumina fixa libris.
Sola senem capitis reverentia prodidit albi:
Ab solis ætas conspicienda comis.
Etsi canities animi, non corporis index,
Iste fuit sophiæ vultus, & iste color.
Quin morbo, dum vita stetit, modo languit uno:
Tu semel affectum, lectule parve, tenes.
Nec minus ipsa suas mens sana in corpore sano,
Supremum, peragit, tempus ad usque, vices.
Æqua sibi imparibus prudentia constat in annis,
Et manet ingenii, qui fuit ante, vigor.
Ætatis non ulla potens dispendia sentit
Eloquium, dulci nec fluit ore minus.
At magnum prius eloquium dulci ore fluebat:
Sensus erat prudens, ingeniumque sagax.
I, mala credulitas: oblivio nigra, facesse:
Nil tibi cum docto est, nil tibi cumque sene.
Mens meminit, quæcumque semel percepit: & usu
Condidicit longo tardior esse fides.
Dimicuere duæ pulcro certamine Nymphæ,
Utraque certa comes, certior utra foret.
Prospera dum vegetos artus præbebat Hygia,
Mens bona judicii vimque, aciemque dedit.
Sed bona mens victrix: ægrum comitata jacentem
Victa retro morbi cessit Hygia metu. (est.
Hactenus extento duravit vividus ævo;
Is fuit: hæc facies corporis; hæc animi.
Quid si sacra suum venerabitur ossa sepulcrum,
Et metuet longo terra nocere situ?
Corpus & ætatem feret, integrumque superstes
Haud erit exigua postmodo parte cinis?
Certe anima in cœlum pennis volat apta decoris,
Vincet & humanos, quotquot iere, dies.
Est, magni solium juxta venerabile patris,
Clara per effectus Diva Juventa bonos.
Huic, ubi quis fato superas evectus ad oras,
Ætheriæ subiit limina prima domus:
Afflatas animis vicino a corpore sordes
Est labor, & senium pellere cura grave:
Cura novos tersis annos inducere rugis.
Inde decens habitus mentibus, inde nitor.
Ipsa senem prensum, factumque hac arte recentem,
Judicis ante pedes sistit, & ora Dei.
Ille modum discit meritorum, & præmia taxat,
Perpetuos cœtus, perpetuamque domum.
Nec mora, sacrorum SIRMONDUS ad atria patrum,
Certum, divina sub duce, tendit iter.
Digna loco facies, quem si tueare propinquum,
Plenius hic, possis dicere, numen inest.
Venerat. Agnoscunt proceres doctique piique,
Et medium denso constituere choro.
Additus Arvernis Præsul Sidonius ingens,
Additus Aureliis & Theodulphus agris.
Et qui, Ticinum, tibi curam impendit eandem
Providus antistes, quique, Vienna tibi.
Huic ab avo ductum est, a nodo nomen & illi
Ausonium: patrio Gallus uterque solo.
Quique gregem pastor Remensem Hincmarus age-
Quique Moguntinas Maurus agebat oves. (bat,
Gotfridusque, Petrusque, dedit cui Cella vocari,
Radbertusque, choris tres tribus ante duces.
Multi præterea, dura sed voce, sonoque,
Vix habiles dici carmine, Musa, tuo.
Præcipue sacris olim de rebus habentes
Concilium Franci, nomina magna, viri.
Hos, aliosque inter, primævum robur adeptos
Scriptores, scriptis te reparante tuis,
Innocuos, SIRMONDE, dies, & libera morbo,
Tristibus & curis, tempora lætus agis.
Hic nulla tibi longævo licet esse senecta,
Mortis & excluso ducere fata metu.
Nec jam augere tuos nostris optabimus annos:
Optati nuper summa erat ista mei.
O pater! o usu multum mihi cognite denso!
O & dilectum bis tria lustra caput!

Te quoties didici doctore, quid alma vetustas,
Et sacra quid vellent, quidque profana sibi?
In nummis quoties ævum tecum omne relegi,
Et quot Roma duces, Græcia quotque tulit?
Nec mihi, Francorum qui jura, vel acta referret,
In terris auctor certior ullus erat.
Vincta tibi interdum recitavi, sæpe soluta,
Quæ meus informi cuderat arte labor.
Nec mihi sedulitas unquam tua blanda negavit,
Seu peterem audiri plurima, sive legi.
Sæpe & eras monitor dulcis, censorque benignus,
Dicere sique licet, sæpe probator eras.
Non ego pangebam, te judice, carmen ineptum,
Musa videbatur nec tibi nostra rudis.
Et quæ scribebam, scribebam verba decenter,
Essent quæ numeris verba soluta suis.
Ergo meis talem gereres cum rebus amicum,
Qualis vel nobis nemo, vel alter adest;
Cumque tibi officiis devinctus grandibus essem,
Spes neque solvendi nominis ulla foret:
Quod poteram, nostris vitam tibi crescere ab an-
Orabam, & longos longius ire dies, (nis
Fallor? an impensa diuturnus vixeris ista,
Audierintque pias numina grata preces,
Ac tibi contigerit, Parcis subscribere jussis,
Pacta meo vili sanguine, longa salus?
Quominus id votis nunc, ut prius, omnibus op-
Efficitur vestri conditione loci. (tem,
Talia nec curas, æterna sorte beatus:
Nec vitæ alterius tam levis urit amor.
Hic tamen inveni, te quatenus ipse perennem
Efficiam, & manes qua morer arte tuos:
Quoque modo nostris, licet absens, sensibus adstes,
Et mihi parte tui sis meliore super.
Sic faciam: nobis a te quæcumque relicta
Virtutum memori pignora corde colam:
Quamque diu vivam, vivent. Infixa medullis
Semper erit nostris mentis imago piæ.
Excidet ingenuus non ullo tempore candor,
Et sermo, & doctis seria mista jocis.
Sæpe animo repetam: Sic ille humana ferebat;
Sic veniam læsus, sic benefacta dabat.
Nec mores rigidos in se, & peccare timentes,
Nec cor in cunctos mite, perire sinam.
Hæc ego. namque alii recolent sat clara reperta
Ingenii, aut cultu prisca refecta novo:
Totaque in has laudes præsens consentiet ætas:
Hoc decus a sera posteritate feres.
Nunc, ne quando oculis pereas, vel corpore nostris,
Effigiem referet picta tabella tuam.
In medio placida stabis qua fronte fuisti,
Quaque pudor cerni, si videatur, amet.
Hinc doctrina latus, facundia proteget illinc.
Relligio vittæ cinget honore caput.
Circumaderunt, quorum in lucem monimenta dedi-
Jamdudum media nocte sepulta, Patres. (sti,
Adjiciam titulum: *Lux istis fulget ab isto:*
Ducta mea scribet quem tua penna manu.
Scribet: & in nullos, posthac sacra, serviet usus,
Hanc operam domino denique functa suo.
Æternum æternæ pendebit fixa tabellæ:
Fiet cum fama sic anus ipsa tua.

ELEGIA X.

Petro Puteano, Regiæ Bibliothecæ Custodi ac Præsidi, Literatorum erga Literatos officiosissimo.

Justa funeris ubique & omni genere scriptorum, merito fieri.

Ad Jacobum Puteanum Fratrem.

QUÆ fratri monumenta tuo, JACOBE, peregi,
Perlege, sed siccis perlege pauca genis.
Non ego vos nostro sejungam carmine fratres,
Copula quos potior sanguine junxit amor.
Complexus meritis terrarum ingentibus orbem,
Angusta situs est hic Puteanus humo.
Multa viro debent Germanus, Belga, Britannus:
Tu quoque vix solvas nomina, Galle, tua.
Nec nihil Ausonius benefacti civis ab illo,
Nec nihil Hispanus, sit licet hostis, habet.
Denique quisquis erat, seu doctus, sive paratus
Discere, munificam sensit amicus opem.
Ipsi adeo de se manes sensere merentem,
Curavit libris quos superesse suis.
Namque per hunc tot scripta manu nituere, suum-
Regia servavit bibliotheca decus. (que
Pro quibus officiis, toto jam plurimus auctor
Elysio, grates fundit ab ore pias:
Et, quæcumque ibi sint, si sunt modo, flumina Le-
Certat inoblita mente referre vicem. (thes
Historicus, vates, orator, quisque suetum
Fecit opus: nullis gratia muta modis.
Laudibus innumeris resonant loca læta silentum:
Plausus & a doctis Manibus usque datur.
I nunc. officium ne redde, ingrate, supremum,
Cui sua non umbræ solvere justa negent.

ELEGIA XI.

Dionysio Petavio Societatis Jesu, viro undecunque Doctissimo, Encyclopædiæ funus.

Pro anniversario munere exequiarum.

SIVE tuo bis sex in luctu, magne PETAVI,
Seu satis est menses ponere lege decem:
Non sumus infames: plenum te luximus annum:
Reddita sunt lacrimis tempora justa suis.
Quamque diu nati mutata veste parentem
Flere solent, dulcem casta puella virum;
Flevimus: & tantum non vulsi a vertice crines:
Pectora nec scissa veste cruenta patent.
Plus tamen indulsi misero confusus amori,
Quam quibus ante suus virque parensque perit.
Annus abit: necdum vocis fuit ulla potestas;
Perque cava inclusus sæviit ossa dolor.
Carmina non lacrimas interrupere fluentes:
Non solata gravis nænia triste malum.
Haud aliter mutus, quam morte PETAVIUS atra;
Haud aliter, tumuli quam lapis ipse, fui.
Utque lapis tumuli mutus, tamen imbre madescit,
Velle pias flendi visus obire vices:
Sic, stupor obstrueret mihi cum perfrigidus ora,
Ex

Ex oculis tepidæ decidit humor aquæ.
Hactenus: & pressis dolor hæsit faucibus ingens:
Verbaque sunt gemitus nulla secuta meos.
Ah leviter mœstus, cui funere lingua recenti
Libera, damna potest & sua voce queri!
Qui loquitur, dolet ille minus. pars magna malorum,
Interius tacito condita corde premi.
Ejiciunt quæ se verbis, aut teste levantur,
Multiplicant vires nempe retenta suas.
Nunc, quoniam longo flendi nos deficit usu
Fletus, & est voci tempore facta via;
Tentemus, si tarda sacræ post otia Musæ
Forte pares tantis luctibus esse queant;
Atque viro tumulum, sed non statuamus inanem.
Ille suis adsit plenus, ut ante, bonis.
Aut si corpus abest, oppressum pondere terræ;
Huc animus cœlo tendat ab usque suo.
Effigies certe docti veneranda PETAVI
Ponatur veris, sicubi visa, notis.
Non fuit hæc marmor, non cera, aut picta tabella;
Non & ab inciso ducta figura typo.
Aut illæ simulant vultum fallaciter artes:
Aut corpus referunt, solaque membra viri.
Sed neque mortalis quisquam, nec; qualia vates
Numina habent, hujus numen imago fuit.
Non Pallas, non Mercurius, non Phœbus Apollo,
Non comes Aonidum Gratia terna novem.
Diva fuit, cunctis quæ præsidet artibus una:
ENCYCLION Graio nomine Roma vocat.
Illa vago curru, magni per devia cœli,
Per maris abstrusas vecta, solique plagas.
Quamlibet immensum doctrinæ conficit orbem,
Atque in se numeris omnibus apta redit.
Annulus ut, gemma qui divite clausus, & auro;
Ut cinctura rosis mille corona caput.
Mensibus utque suis anni revolubilis ætas:
Aurea ut a supero ducta catena Jove;
Ducta ad humum, cœloque viros tractura, ferasque
Obnixi contra stent fera virque licet.
Vis animi vasta est: labor indefessus: & acre
Ingenium: docta cetera digna Dea.
Nec modo, quas perhibent, septem complectitur ar-
Omne sibi studii vindicat omnis opus. (tes:
Huic nescire nefas, & quæ natura recondit,
Et fovet occulto quæ Deus ipse sinu.
Non illam fugiunt summotum inventa virorum,
Quæque dies nato quotquot ab orbe tulit.
Novit & Hebræis fluxit quod fontibus, & quod
Edidit uberibus Græcia læta satis.
Quodque retractando melius fecere Latini:
Quodque aliis docuit plurima lingua sonis.
En tua quæ spirans facies, & viva, PETAVI:
Omnia eras magnæ par, similisque Deæ.
Quid loquor, heu! non hæc vivit, non spirat imago:
Et Dea (quis credat?) funere magna jacet.
Seu tecum vixit; tibi noluit esse superstes:
Seu per te; tecum debuit illa mori.
Debuit, & fecit, terrasque exosa reliquit,
Et patrio cessit non reditura polo.
Pace mihi, docti, vestra fas dicere verum:
Doctrinæ fuit hic quod modo corpus, abest.
Pars umbram sequimur: pars & retinemus amictum:
Felix, cui solidi portio trunca boni.
Ergo parentemus mœsti Divæque, viroque:
Extremum junctos munus honestet idem.
Doctrinæ, vitæque fuit suus orbis utrique:
Et suus exequiis annuus orbis eat.
Ite pari gressu, communis pompa: tenete
Quisque sibi puram, sed sine luce, facem.
Fixa polo, toties tanti deducta magistri
Vocibus, obscurent lumen & astra suum.
Tu, Saturne gravis, solito cunctantius erta:
Et tu deficias, & tua, Phœbe, soror.
Quos non explicuit Solis, Lunæque labores?
Queis non digessit tempora fluxa modis?
Tum pullo velata Fides sacra dogmata portet,
Pro dolor! a domino manca relicta suo.
Inde toga Graii scriptores pallia mutent,
Ausonio docti grandius ore loqui.
Post alii doleant aliter, justisque paternis
Rite vacent orbi, pignora cara, libri.
Seu quos esse dedit numerorum lege solutos:
Seu quibus adstrinxit vincula certa pedum.
Quosque suos doctæ non infitientur Athenæ:
Quosque sibi Larium, Romaque prisca velit.
Nec mora sit solvi in lacrimas: dein urere dona
Thurea: dein facili spargere serta manu.
Nos querula, vates dicemus voce: Supremum
Tu Dea, tu vatum vir decus omne, vale.
Unus erit tumulus satis una in morte duobus.
Ornabit tumuli laus satis una duos.
Et quia doctrinam vincis virtute, PETAVI;
Addetur titulis maximus iste tuis.
Hic artes, linguæ, pietas. Quæ singula forsan
Sunt alibi: nullo tantaque, totque loco.


ELEGIA XII.

Ad clarissimum virum Franciscum Ogerium, de fratris obitu Caroli Ogerii.

Amicos poetæ mori quamprimum omnes: suam illis præstantiam, rarasque dotes esse detrimento, & causam afferre, cur citius moriantur.

O FRANCISCE, mei dulcissime frater amici,
Torsit atrox lenta quem modo Parca nece,
Quid fore te nobis deinceps profiteris ami-
Fraternamque paras velle subire vicem? (cum,
Et pensare, gravi patimur quæ damna ruina,
Affectusque pari mente fovere pares?
Desine: neu quæras a me, ceu frater, amari;
Neu me, ceu frater, tu quoque amare velis.
Si nescis, amor est noster fatalis: &, omen
Unde habet, incertum; triste sed omen habet.
Magno emimur viles, nimis & constamus amati.
Me miserum! quisquis diligit, inde perit.
Aspice, quot paucis perierunt corpora in annis,
Nuper amicitiæ fœdere juncta meæ.
Sunt elegi testes, quos horum ducere jussi
Funera, & imparibus flere subinde modis.
Heu mihi, quam veros ea verti carmina in usus!
A gemitu per me quam bene nomen habent!
Assidue cum læti aliis cantentur amores;
Est mihi pro cantu quid, nisi mœstus amor?
Quid, nisi crudeles Divi, crudeliaque astra,
Terra, mare, ad questus Tartara surda meos?
Et modo cum toto moriebar totus amico:
Et modo dimidia parte superstes eram.
Materies pridem una, trium colus atra sororum,
Filaque, & abscindens Atropos omne caput.
Nec satis est factum, neque luximus omnia cara.
Nullo, Balsaci, carmine dicte, jaces.

Quamvis & fidos non ultimus inter amicos,
 Dignus &, in scriptis qui legerere meis.
Nempe sumus fessi, lugubria sæpe canendo.
 Mens hebet, a tumuli segnis, inersque situ.
Quæ se celatam cupiat sua tristia damna,
 Si liceat: presso, quod licet, ore tacet.
Et proprio vel sic conatur abesse dolori,
 Quaque potest, quærit non meminisse sui.
Haud tamen indictum versu te, *CAROLE*, nostro,
 Nec merita manes laude carere sinam.
Quem potius vatum memorem? Quis plura locutus
 Funera? tot campos misit in Elysios?
Utque frequens justos exstinctis solvit honores,
 Et lacrimis cineres diluit usque suis;
Constitit in vivos ita certo fortis amicus
 Pectore, carminibus demeruitque novis.
Hunc illaudatum tamen, indecoremque relictum,
 Pierides, vestrum crimen, Apollo, tuum est.
At non ille sua Phœbo, Musisque pudendus
 Arte: nec ingenii vena maligna fuit.
Quin etiam historici cumulavit laude poëtam,
 Gessit & eventu munus utrumque pari.
Fingendique licet bonus assuetudine vates,
 Non minus hoc certa rettulit acta fide.
Nunc quoque, fraternis proles quæ posthuma curis
 Exit, opus dignum nonne parente suo?
Quamquam vita placet scriptis magis omnibus una:
 In patriam pietas gratior, inque Deum.
Sint procul, empta malis, ut fit, suffragia laudum
 Artibus: auctori displicuere meo.
Hic certum tibi, simplicitas non rustica, templum:
 Ara stetit, candor Gallice, certa tibi.
Visque animi morbo major longoque, gravique:
 Morsque diu siccis proxima visa genis.
Fallor? an hos cœlum mores, atque hæc bona terris
 Invidet, atque ad se non diuturna rapit?
Invidet: hæc causa est, superas cur raptus in oras
 Carolus: hic meus est crimine liber amor.
Ac neque amicorum quisquam mihi læsus amando:
 Orbus, & infelix, sed sine labe, fui.
Si quia eis nocuit, fraudi bona magna fuere:
 Invidiam Superum quod meruere, jacent.
Nec sub lege alia raris conceditur uti,
 Quam brevis ut repetat mox sua dona dies.
Eximiis igitur fratrem quod dotibus æquas,
 Hoc, Francisce, mali est: hac tibi parte time.
Me securus ames; impune licebit ameris:
 Invideant terris dum mala fata nihil.
Nec noster peccabit amor: peccaveris in te,
 Clarior, & titulis invidiose tuis.



H E-

HEROICORUM LIBER.

Υ Π Α Π Α Ν Τ Η,

SIVE

O C C U R S U S

MARIÆ, SIMEONIS, ET ANNÆ,

HIEROSOLYMIS, IN TEMPLO.

Pro ſodalibus purificantis ſe Mariæ. CIϽ IϽϽ. XXXII.



ERIÆ nubes, pluviique palatia cœli,
Deſtillate ſolo ſterili, & ſitientibus arvis
Lætificos rores, & amicum ſtirpibus imbrem.
Tuque adeo, tu digna utero geſtare futurum
Servatorem hominum, fecundum concipe ſemen
Sidereæ prolis, caſtoque enitere partu,
Virgo, Deum. Deus ipſe veni, patriumque relinquens
Æthera, more novo jam nunc aſſueſce videri,
Voraque, & orantum coram tractabilis audi
Permiſtas lacrimiſque preces, lacrimaſque querelis.
Certe debueram; tua ſic promiſſa ferebant
Magna nimis; non ante mori, quam lumina vitæ
Aſpiceres. Et jam revolutis orbibus orbes
Præcipitant annorum, & lcto juncta ſenectus.
Sed me deprenſum telluſque tremore dehiſcens
Sub pedibus, cœlique optem ſpirabilis aura
Deſtituat, morteſque animam per mille profundam?
Mortes aut ferro, aut properatas ignibus atris;
Ante, fides, quam te prodo, & tua caſtra relinquo.
Talibus his ægrum Simeo ſolatur amorem,
Obdurans. Titan denos quater extulit ortus,
Ex quo, cœlo humilis terras mutare jacentes,
Externumque habitare larem rex ætheris alti
Cœperat, inſuetaque viri ſe oſtendere forma.
Impigra linquebat luſtralem rite receſſum
Virgo parens, tenueſque locos, ubi paupere recto,
Parietibus male fida, notoque obnoxia, & imbri,
Vagitus primos excepit ruſtica Bethle,
Infantemque Deum. Vale, ait, cariſſima ſedes,
Atque olidum ſtabulaſſe tuum ad præſepe memento
Regem hominum. Dignas nunc ſi negat invida grates
Pauperies: non tu poſthac fraudabere quæſtu
Officii; neque te natum cum matre pigebit
Dignatam hoſpitio, tectumque ſolumque dediſſe;
Nec bona promeriti vaneſcet gratia tanti.
En erit illa dies, clara cum laude fereris:
Cum populum ex omni circum regione fluentem
Aſpicies, gelidumque Scythen, Parthoſque, Arabaſque
Primi aderunt Graiorum, & Tybridis accola Tuſci,
Afer atrox, & adhuc ignoro nomine quartus
Orbis: & extremus Sina, extremuſque, Britannus;
Hic ſole Heſperio, ſole iſte profectus Eoo;
Sacra catervatim tua ſeſe ad limina ſiſtet
Cernuus, impreſſoque ſuper venerabitur ore.
Præcipue ſuperum, Galli, gens inclyta cultu,
Pro te claſſe ruent, pro te quoque bella movebunt;
Mahometemque ferum & coeuntem in cornua lunam
Comminuent, victoque alacres Oriente redibunt,
Tempora per, cincti palmis felicis Idumes,
Perque humeros. Simul hæc dicens, ſimul excipit ulnis
Infantem tenerum; neque enim concredere tantum
Poſſit onus cuiquam; & caro cum conjuge conjux
Tendit iter, Solymæ qua longe exſtantia monſtrant
Culmina. Eam circum diverſicoloribus alis
Ibat ovans cœleſtum acies. triplici ordine terni
Ductores: ſocii tet centum quemque ſecuti.
Ecce, polo nuper lapſus qui venit ab alto,
Nuncius, & matrem, manſura virgine, dixit;
Agmen agit medium Gabriel, hæretque puellæ
Notior, & denſo latus urget milite cuſtos.
Pone ſubit Raphael, forti cum pube, proculque
Conſulit a tergo, meritæ pars ultima pompæ.
Quo duce gaudebat Tobias, rerumque, locorum-
Ignarus puer, & connubia caſta petebat, (que
Sollicitis mœſtæ reſonant plangoribus ædes
Interea, abſentemque parens ſuſpirat uterque,
Neſcius. Ante alios Michael fortiſſimus omnes
Emicat, inſignis palmis victricibus Heros.
Hic conjuratos ſupremum æquare Tonantem
Infidos fratres, ſolioque inſidere eodem,
Detruſitque polo, & tenebroſam ſub Styga merſit;
Tormenti genus, extremos ſine honore jacentes.
Præterea aligeri comites ſine nomine centum,
Omnes ſtellati, niveis in veſtibus omnes,
Sponte aderant, ductuque ſuo, nec ſigna profeſſi
Certa leves. Medios inter pulcherrima virgo
Eminet incedens. Qualis de nocte ſerena,
Cornibus aut cœptis, aut plena argentea luce,
Luna polo late rutilar, quam mille coronant
Hinc atque hinc glomerati ignes: aſt illa nitenti
Exſuperat facie, & majoribus officit aſtris.
Talis erat virgo: talem ſeſe ore ferebat

Splendida; cœlicolasque habitu prævertitur omnes,
Sola prole minor; cœlo quæ divite quamvis,
Nuda, & inops, & egens mortalibus advenit ægris;
Osque homini & cultum similis, fletusque doloresque
Ætatisque vices, miseræ contagia vitæ
Induerit patiens, & numen corpore opacet:
At suppressa tamen crasso velamine, longe
Majestas apparet, & inter noscitur umbras.
Nocte velut densa, rerum cum mersa tenebris
Turba latet, subitoque color eoit omnis in atrum,
Sole abeunte, chăos; multo carbunculus exstat
Conspicuus magis, & nativa in loce refulget.
Ergo iter inceptum, gressu non simplice, pergit
Casta parens, complexa Deum: quam passibus æquis
Vix sequitur natu conjux, & robore major.
Nec vero gnato, gnatique gravantur iniquo
Pondere non fortes humeri. Quin ipse laboris
In partem venit, &, parvo dum corpore nitens,
Pæne sua se sponte tenet; supposta ferentis
Clam reficit membra, & tacitus vim viribus addit.
Quia dicam, quod amica novi clementia cœli,
Atque æstas non mense suo, luxque aurea, euntem
Adjuvat, impellitque gradum? Mirabile visu,
Nubila jam cafura folo, medio aere pendent
Injussa: & venti gravius spirare verentur.
Sicut ubi summo suspendit in æquore nidos,
Aera, aquamque inter, Thetidi gratissima mater
Alcyonum; nec flare Noti, nec surgere fluctus
Ausi usquam: tremulis sternit mare fetibus undas.
Ecce autem, toto furatus ab agmine sese,
Pennatorum unus comitum præcesserat ultro
Antevolans, ævoque gravem Simeona monebat,
Optatam venisse diem, qua numine dudum
Promisso, vultuque frui propiore daretur.
Proinde cito, ad portas, templique ingentia claustra,
Obvius occurrat venienti, & pronus adoret.
Exin accelerans alio, quo spiritus illum
Acer agit, magnique urgent mandata parentis,
Evolat. Anna fuit, qua religiosior ulla
Non erat Isacidum: seu multos condere soles,
Impastam, & servare ultro jejunia longa;
Sive juvat templa assiduam celebrare, neque unquam
Noctes atque dies, absistere limine sacro.
Inde diu cœlebs, primi post fata mariti;
Etsi annis viget, atque integro flore juventæ est;
In nova connubia, atque in tædas ire secundas
Abnuerat, curasque omnes sacraverat aris,
Cœlituum cultrix. Meritis pro talibus, olli
Præsagam inspirat mentem Deus, inque tueri
Eventus rerum dedit, ac præsciscere longe.
Maturæ quales studio florente puellæ,
Queis viridem, & tugis intactam agitare senectam,
Venturumque acres oculos intendere in ævum,
Concessum fatis, canerent quæ carmine pulcro:
Divinas artes, & soles numina longos
Æqua Dei, salva pro virginitate, tulerunt.
Illo forte die memoranda caordia gentis
Isaciæ, casusque graves, longumque laborem;
Et circum deserta vagis erroribus acta,
Sidonia pingebat acu, lenique Minerva,
Usum in tectorum, & privatæ sedis honores;
Privatæ: nam dona tholis, templive dicare
Parietibus, ritus patrii simulacra vetabant
Spirantum quondam, & vitali luce fruentum.
Parte una limbus, postremæque ambitus oræ,
Abramidum seriem veterum longo ordine monstrat:
Crudeles patrem sublatum brachia ad ictus.
Tum gnatum pecoris, camporumque ubere ditem.
Te quoque, te paribus congressum, Jacobe, lacertis
Cœlicolum regi, & restantem a vulnere claudum.
Ille per astutam genitricem, & provida furta
Insinuans, animos, ac vota novissima patris
Præripuit, rebusque heres successit opimis
Inferior: frater lentis correptus amore
Indigno, fortem eximiam, & natalia jura
Cedit inops animi, sylvisque inglorius errat.
Illie, dura decem fractas per vulnera gentes
Cernere erat, regemque malis cessare coactum.
Tum pede transmissum sicco mare: mersa sequentum
Arma, & equos, currusque, & corpora trita rotarum
Axe gravi. Terram interea, litusque renebat
Pubes Isacidum, & festum pæana sonabat.
In medio, cui virga manu, cui cornua fronte,
Ut quondam, Moses auroque, & murice fulget.
Jura dabat, legesque sacras, ut, singula mater
Tempora sub partus, sobolem si forte virilem
Sustulerit, patrique recens accreverit heres,
Quadraginta ipsos degat penetralibus imis
Tecta dies, summoque pedem ne limine rollat:
Sin mulier similem prolem sibi lucis in auras,
Femineamque dedit; tum sedibus hæreat iisdem
Opperiens, aurora quater vigesima donec
Affuerit bigis, solemque induxerit orbi.
Materies discernit opus: bombyce rubescit
Pars potior Tyrio: patriam pars cetera lanam
Vilior, ac fili admittit subtemina inepti.
Multa adetat passim puerorum, multa parentum
Turba, nec absimilis facturo sacra sacerdos.
Hic visa infrendens taurus propiore securi:
Hic cum farre pio maculosæ colla columbæ:
Turtur & hic, longas ducens cum compare voces
In gemitus: agnique suo de vellere texti.
Tale manu pensum properantem repperit ales
Æthetius, dictisque intentam avertit amicis:
Nam quæ longa moram faciunt exorsa tapetum,
Anna parens, aut quo perducis inutile textum?
Non prius advertes mentem, qui se advena portis
Inferat, insuetoque paret succedere templo,
A patria procul, & solio stellantis Olympi.
Nec vos, aut vestras major fastidiat arces?
Vade age, & hinc, magnam ad matrem, te denique perfer
Obvia, progeniemque ipsam venerare precando.
Dixit: deinde alis paribus se rollit in altum
Ocius ea oculis, sociumque recurrit ad agmen.
At vero subito visu, missisque superne
Obstupuit monitis, notavitque optima mater,
Addubitans, quid fata velint; quo nuncius ales,
Curve vocet; quis cœlituum novus ingruat hospes,
Mox ubi composuit sese, trepidosque tumultus,
Indulsitque animo spatium, requiemque labori,
Divini redière haustus in pristina, visque
Præscia venturi, longo ceu forte sopore
Experrecta, viam, fatorum, imosque recessus
Admonuit veri, &, quæ sint ea numina, dixit.
Tum demum abrepti tacita dulcedine sensus

Ex-

Exsiliunt, solvitque natantia corda voluptas.
Effugit memor, atque opera imperfecta reliquit.
Cum venit, adversa virgo de parte subibat,
Et natum, & nati pretium inter brachia portans;
Natum majorem, majori & luce micantem.
Quem procul ut vidit, solito plus acta furore,
Continuo. Deus ecce, Deus, cui marmora ponti,
Æternumque genus Divum, & mortalia parent.
Hic vir hic est, cœlo toties promissus ab alto,
Edere quem virgo genitrix, quem femina circum
Debuerat dare. Non alium clarissima vatum
Tot decora, æquarum partum cecinere parenti,
Venturum auxilio Judææ, & rebus egenis.
Ipsum illum cupiere patres, votisque vocarunt
Omnibus incassum: nos ardebamus eundem.
Ah pietas! ah blandus amor! quondam ora tegebat
Nube cava, ac terris se non, nisi tela per ipsa,
Perque ignes dabat, & portenta infesta, videndum.
At jam nunc hominum, perituram vivere vitam,
In medio; membrorum artus aptare caducos
Immortali animo, nostroque a sanguine nasci
Sustinuit. Sed nec, miserorum more, ciere
Erubuit turpes lacrimas: nec frigora, & æstus
Mille pati, nobis comes, atque incommoda mille.
Hinc adeo æterni partiri numinis ævum
Incipiet, variosque gradus distinguere vitæ
Alma parens, numeroque Deum comprendet & annis.
Ergo agite, impubes pueri, matresque, virique,
Et juvenum chorus, expressa sub imagine numen
Protinus agnoscamus, & ima ad genua ruamus
Suppliciter; summum, ac minimum, quod possumus, hoc est.
Vocibus his accita, frequens sine more caterva;
Seu rerum suasit novitas, studiumque tuendi;
Sive quod ætheriis allapsus spiritus oris,
Acer, agens, animos jam tum, sensusque movebat;
Undique circumfusa premit. Dejecta seniles
Anna oculos sensim adventat: tum dissita passu
Consistit, tacitoque salutem immurmurat ore,
Prona solo: nam voce loqui majore, gradumque
Moliri propius, vultusque & lumina sursum
Ferre, verecundus prohibet pudor, ac bona mentis
Relligio, infirmique memor reverentia sexus.
At non hic contra valuit Simeona tenere
Ulla avidum pietas, ac visi numinis horror.
Namque super serus veniens, tardante senecta,
Repebat, multoque locum clamore petebat.
Scissi omnes cessere retro, mediamque dedere
Sponte viam. Ut primum juxta stetit obvius, ardens,
Cœlestem palma puerum suscepit utraque,
Applicuitque sinu stringens, atque oscula crebra
Libavit, longoque amplexus tempore inhæsit.
Tum reddit matri, vocemque in fata resolvit.
Parve puer, non te nascentem debita cepit
Regia; non stratum prima ad cunabula molle
Subter iit. Sed nec porro meliore potiri
Sorte datur, nec spe solari adversa futuri.
Infans dura quidem pateris: graviora manent te
Deinde virum. Crescent anni, crescentque dolores.
Signum eris, omnipotens genitor quod, & ardua virtus
Sublime extulerit terris. Contra omnia tela
Diriget, intentoque fremens jaculabitur arcu
Impietas, atque invidia, & crudelis Erinnys,
Nec satur aut odium vindictæ, aut crimina falsi.
Ecce sub obscurum noctis, verba ore ministret
Lenia per causam dat hero, perque oscula prodit.
Hastati circumsistunt, ac ferrea collo
Intendunt vincla, &, manibus post terga retortis,
Per nive torrentes undas, per scrupea saxa,
Perque aspros raptant sentes, membra ægra trahentem.
Inde aliud super, atque aliud lustrare tribunal
Insontem, & pravi sub judicis ora venire,
Arbitriumque pati: quem plebs insana superbis
Terrificat dictis, & nomen personat altum
Cæsaris. O tellus! O æquora conscia ponti!
O vigiles astrorum ignes! Succincta lacertos,
Et sortita vices, in non violabile corpus
Insiliet præceps, & torto verbere cædet
Turma ferox. Omnis repetitis consonat aer
Ictibus: absistunt virgarum fragmina: inundat
Sanguine, dissultatque solum. Sylva, horrida sylva
Spinarum, geminum umbrabit cum vertice tempus.
Perpetui intrabunt dumi caput, & super actum
Vi magna, pungens cerebro tenus ibit acumen.
Adde latus mucrone haustum, plagamque reductis
Cælibus inflictam, & sceleratos militis ausus.
Adde manusque, pedesque, gravi quos stipite pressos,
Idem transadigit clavus teres, alligat idem.
Desinet agnosci informis, nec tum amplius ulla
Restabit species: cruor undique, & undique vulnus:
Et dira, heu, lacerum pendebit ab arbore funus.
Quid turpes ignominias, graveolentia centum
Sputa, alapas, & arundinei ludibria sceptri,
Præpositumque reum, & suspensum utrinque latronem?
Certatim illudet miles. rex impius albo
Induet, & risus captabit veste profanos
Insultans. vulgus linguis effræne lacesset
Emorientem etiam, supremaque verba loquentem.
Quis tibi tunc, mulier, demum, cum talia cernes,
Sensus erit? quisve alta dolor præcordia figet
Improbus; horrendum cum tu, & deforme cadaver
Supplicis, natumque parens a cæde recentem
Accipies gremio, & stillantia vulnera terges,
Perducens miseras longe vestesque, manusque,
Ore superposito? Conanti dicere plura,
Obstruit indignas, arctato gutture, fauces
Cum sonitu singultus, & ilia concutit ima;
Unde tremor membris veniens, ac debile frigus.
Occurrunt comites lapsuro, & corpora densi
Opponunt. trepido miscetur murmure templum.
At non concussa hoc monitu, neque territa virgo
Venturis, media sic interfata querela est.
Sancte senex, atque hæc servate in tristia nobis,
Non sine mente Dei, sine numine, sæcla superstes;
Quæ tu mœsta canis divino ex ore futura,
Omnia præcepi jam nuper, & ante peregi
Mecum animo. Gravis inde adeo speranda malorum
Tempestas quæcunque fuit, cum vagiit infans,
Et nudo posuit saxo caput, & sacra fusus
Membra Deus, frigusque tulit, cultrosque secantes.
Quare hinc tolle pios questus: tum deinde dolore
Parce dolore meo. nil deprecor ipsa pericli,
Non tormenta, cruces. Nec fas: an gratior ulla
Sit mihi, quaque minus jactari sorte tecusem,
Quam quæ, care puer, mea magna, & sola voluptas,
Te comitemque, ducemque, malis fortuna fatigat?
Sic virgo: at contra Simeo, postquam ore recepit
Dul-

Dulcem animam, populis circum hæc mirantibus addit.

Ille quidem exitio multis erit; ille saluti:
Hoc potius: nec sternere iter dubitabit Olympo,
Seque ducem præbere: nec irritus excidet ausis.
Quippe triumphata manes Styge visct, opimam
Victor agens prædam; tum lumine vestiet artus
Ætherio, & terris referet formosior ora.
Denique post tanto reducem, cœli ardua supra,
Excipiet pater, ac Divum plaudente caterva,
Dextra consortem regnorum in sede locabit.
Sed quid ego hic autem teque, & tua vota, precesque,
Quidve moror, viso in terris jam numine, vitam?
Nunc o, nunc famulum, rerum custosque, parensque
Componi da pace bona, divina fecundum
Fata tua, & nunquam mentitæ oracula linguæ.
Namque laboranti populo, miserisque parata
Regibus alma salus, longinquis defluit astris
Huc demum in terras. O gaudia! vidimus ipsi
His oculis, geminique etiam tetigere lacerti.
Munere quo, cæca pressæ caligine gentes
Tum primum sensere diem, tuaque inclyta pubes
Et Libano decus, & cedris sublimibus æquat.

His dictis pressit vocem: nec deinde moratus
Membra diu, tenuis vitæ calor expiravit,
Alta petens. Qualis fati prænuncius ales,
Eridani ripis, limosove amne Caystri;
Effetos morbus si letifer aggravat annos;
Attollit sese, atque ægra sub morte, receptis
Viribus obnixus, non illætabile carmen
Ingeminat; donec fauces que, animæque fatiscunt,
Vitaque cum cantu fugit exhalata per auras.

SIMEO, ex promisso divino, ad CHRISTI usque adventum in orbem terræ, superstes.

NULLA lux Phœbo, radiisve tanta,
Quanta se magni facies Tonantis,
Quanta majestas aperit supremæ
Civibus aulæ.
Fixus obtutu tacitusque in uno,
Cœlitum pendet numerus: neque ulla,
Præter hanc, rerum, speciosa quamvis,
Ridet imago.
Hoc, procul terræ tenebris & umbra,
Gens virum, notos amat ante soles,
Lucidum cœli jubar, irretortis
Figere ocellis.
Quin & aspectu Deus acquievit
Hac suo felix tenus, & sequentes
Abnuat prudens alia per annos
Sorte beari.
O senex longa satiate vita,
Hoc, superjectis licet involutum
Fasciis, præsens propiore signas
Lumine numen.
Hunc patrem rerum, dominumque, circum
Cingis, implexisque foves lacertis:
Pectori pectus juvat admovere, &
Oribus ora.
Laxius stringunt ederæ sequaces
Arborum truncos, & amica tecta.
Laxius dulci sua juncta vitis
Hæret in ulmo.
Atqui in extremam tibi prona metam,
Sæva lux tantum decus invidebat:
Sed potens vitæ Deus, ac dierum
Summus habenas
Arbiter pressit, tenuitque præceps
Mobili curru fugiente fatum, &
Ante promissos dedit ire ad usus
Tardius ævum.
Nunc licet pace in placida quiescas,
Et modum optatis, faciasque vitæ:
Post datur terris nihil aut tenere, aut
Visere majus.

ANNÆ vaticinium de futuris MARIÆ sodalitiis.

VIRGINES ceras bene feriati
Dextera cœtus præeunte gestent.
Non apum cedet meliorem in usum
Arsque, laborque.
Ecce cum parvos genitrix penates,
Sponsus & linquit comes: ipsa templo
Dia jam proles avet, ac paternis
Sistier aris.
Se tulit, dono superum superstes,
Obviam felix Simeon, & Annæ
Se tulit centum viridis senecta
Vix minor annis.
Quæ simul matrem, puerumque vidit
Aureum; Terrasne polus petivit,
An solum cœlo remigravit, inquit,
Sede relicta?
Nosco, jam nosco: Deus iste, virque,
Iste, si nescis, meditatur, o plebs,
Ire calcatum simulacra Divum, &
Impia sacra.
Huic virum primum scelus expiandi
Credidit partes pater. Ille jussa
Magna, Josephi patiens haberi
Filius, instat.
Ergo avi, numen puer, i fecunda,
Intimum quo vos adytum superbi
Supplices templi vocat, atque pura in
Veste sacerdos.
Divites vellus grave sumptuosos;
Te duæ solvent gemitum cientes
Turtures primum, totidem aut columbæ,
Non sine parvo
Ære: quod cœlum stupeat, quod æquor,
Bruta quod tellus, superumve quidquid,
Quidquid & late cohibetur imum
Orbe profundo
En erit, si quid tuor in futurum,
Carcere inclusam tenebrisve, cum tu
Erues gentem, pretio redemptam
Non ita vili.
Mille per spinas, fluidum cruorem,
Mille per virgæ crepitantis ictus,
Totque per mortes, dabis immerentem
Denique vitam.
Hauries crudum hunc oculis dolorem,
Mater, o mater! nec eris malorum
Parva pars. Læti sed & ista fructus
Damna rependent.
Te sequens, una sobole minorem,
Cuncta certatim celebrabit ætas:

Cre-

Crebraque e lævi venerata ponet
Marmore templa.
Servitus exin nova surget: annos
Simplices, puri scelerum, sodales,
Unica centum potiore vinclis
Voce, dicabunt.
Non magistratus ita consulares,
Non ebur sedis, neque grande sceptri
Ambiit pondus, Latiæve quisquam
Jura securis:
Ut tuos olim pueri placentes
Appetent cultus; prece demereri
Gratiam ut multa sataget virenti
Flore juventus.
Mille descendet generosa ad imas
Offici partes: sacra, per laborem
Annuum, & festas sine fine luces,
Munera obibit.
Invicem blando teneram fovebis
Mater affectu. mala dura vitæ
Nemo, nec fortes metuet subire
Mortis iniquas.
Non enim, si poscit opem, cavere
Abnues mœsto facilis clienti:
Erubescendam neque, te Tonantis
Matre, repulsam
Auferet supplex: sed amica pendet,
Qui prius voti reus, ille compos,
Dona, vel plenas adolebit aris
Thuris acerras.
Tuque, divinæ date vir maritæ,
Dulce jam nato cane, dulce ride,
Et, manu cunas quatiente, blandos
Elice somnos.
Dormit? hinc longe cave ferre gressum.
Est vigil? gressu propior citato
Advola custos. Erit huic honos, &
Gratia curæ.
Annuit risu puer ominato,
Quem, latus cingens, superum sequuta
Turma, concordi rata verba plausu
Esse dedere.
Hæc parens autem pia, non opino
Visu, & oraclis stupefacta vatum,
Condit intra se, memori & volutat
Sedula corde.

S. D. N.

URBANI VIII.

PONTIFICIS MAXIMI

LAUDATIO.

Cum inter Reges, Christianissimum & Catholicum, egisset de pace: primum anno 1625. per Franciscum Barberinum, Cardinalem & Legatum a Latere: deinde anno 1630. per Julium Mazarinum, Internuncium.

SERMONES alii, & doctæ monimenta Camœ-
Laudabunt, lususque tuos. Ego pacis amicæ (næ
Auctorem, & miseris arcentem prælia regnis
Te dicam, ac tecum mores, Urbane, vetustos,
Et sanctam Petro non longe a principe Romam,
Qualis erat. Tu, qui diademate tempora cinctus
Ter circum, jus in terras, Erebumque, polumque
Haud leve dante Deo, fulges, super&, quod ubique est,
Tolleris omne caput; peregrinum admitte poetam,
Neve pedum prohibe tibi ad oscula serpere Musas,
Et septemgeminis humiles advolvier aris,
Sacraque votivos ad limina fundere cantus.
Ille animi præstans, atque insuperabile robur
Corde gerit, quisquis bella inter fortia regum
Scit medius, pacisque tenax, flagrante tumultu,
Ipse sibi servare fidem, nullique beatam
Addixit, pretio venalis & ære, quietem. (bum
Hoc primam e numero laudem, nomenque super-
Maffæi mens magna tulit. Non cæca furentem
Ambitio trahit in partes: neque livor iniquus
Felicem contra stimulat: neque avara vicissim
Conciliat sitis, & summotum excludit egentem.
Quippe sibi votis prudens audacibus ultro
Temperat, & justo spes limite cogit iniquas.
Visque procul, fraudesque vacant: nec aperta moventur
Bella, nec armorum tituli obtenduntur inanes
Insidiis. Qualem cœli in regione suprema
Temperiem regnare ferunt, quam nulla fatigant
Fluminaque, pluviæque, & lætæ grandine nubes.
Impacatæ hyemes subter: circumque, supraque
Alta quies. Quin pulveream signaverit Ossæ
Si quis humum radio, aut nemorosi culmina Olympi;
Certa fides, impressa manent simulacra notarum
Æternum, sulcique abolescunt turbine nullo.
Haud aliter bellis misceri, interque venire
Dissidio adjutor regum cavet, ac magis uni
Posthabitis vindex aliis incumbere causæ.
Argumentum ingens, & non imitabile vulgo
Insolitæ virtutis opus. Quis factus amussim
Ad rigidam, aut trutinæ libratus lancibus æquis,
Stare loco, & partem didicit non vergere in ullam
Aut odii nutu, aut violenti pondere amoris?
Nonne vides, Latii in circo, vel ad Elidis amnem,
Ut sæpe ignota venienti a stirpe, neque ante
Viso homini palmam annuimus, sequimurque secundo
Murmure, præque aliis unum certantibus ire
Malumus, & summas victorem tangere metas?
Quid quod, si qua fides Graiis, Latiisque Camœnis,
Diffidet, immunis belli, gens alma Deorum
Ipsa sibi interdum, ac vota in contraria fertur,
Mortalesque iras, mortaliaque adjuvat arma?
Et Turno sua Juno fuit, fuit & sua magno
Æneæ Venus. Auxilio Tritonia Pallas
Grajorum venit populis: Neptunus eosdem
Fovit. At infensus contra tendebat Apollo,
Agmen agens Troum, & fidenres arce catervas.
Maffæus mores alios, meliora secutus
Exempla, ingentes animos, dextramque coercet,
Et conjuratis populorum absistit ab armis,
Hoste vacans. Non ille tamen, non ille laborum
Securus damnive, sedens intra aurea tecta,
Explorat spectator iners, quid utramque reservet
Mobilis in partem fortuna, quid exitus anceps
Bellorum velit, & dubiis Mars cogitet armis.
Romulidum ductor, specula Nero tutus ab alta
Pascat crudeles oculos patriæ igne, fumumque

Proſpectet ſcelus, & Romæ fumantia tecta.
Interea belli medius, paciſve ſequeſter,
Maffæus tædas, &, quos non ſuſcitat, ignes
Reſtinguet, legeſque viris, & jura reducet.
Aſpice, uti juvenis, patruo non degener Heros,
Sollicitum maturet iter: jam pervolet Alpes
Fervidus aerias; jam nubigenam Pyrenen
Propter eat dextra, & portu ſuccedat Ibero:
Tum populis placitam ambobus prætendat olivam.
Talis avo quondam Cyllenius ab Jove miſſus
Tranat iter liquidum, & radiantes concutit alas.
Nec prius ire viam toties, totieſque redire
Abſiſtit, quam fœderibus per mutua junctis,
Aut pacem, aut belli placida intervalla reportet.
Quid loquar, ut reges, & euntem in prælia totis
Viribus Europam tantoque abſterruit auſu,
Compreſſitque nefas? Ter denis millibus ibant
Taurinæ gentes, & longis Teutones armis,
Rhætique, Allobrogeſque, &, quæ pars maxima belli,
Fortis Iber, Siculique, & Parthenopæa juventus.
Parte alia Auſoniæ fines, & pinguia rura,
Succeſſuque ferox, effractoque objice, inundat
Vis cita Gallorum, queis ſe, duriſſima bello
Pectora, qui ſcopulos, qui Telinas convalles,
Qui devexa habitant pendentibus oppida tectis,
Adjungunt ſocios. Nec defuit Adria portu
A Veneto, circum brevibus qui compita lembis
Vectatur, placideque ſuas adremigat ædes.
Præcipue, tres in pagos partita decemque,
Helvetia infrenes ad pugnam emiſit alumnos.
Infecunda quidem, nec miti accommoda Baccho,
Nec vi dives opum, aut Cerealis munere glebæ;
Sed cultrix fidei tellus, ac prodiga mater
Bellantum, regumque domos & ſceptra tuentum.
Jamque tot excitæ miſeranda in vulnera gentes
Sponte ruunt. Gallus, calidis aſſultibus audax,
Turbat agens, hoſtemque vocat. Cunctator Iberus
It tamen, &, Gallum contra, ſe mole ſua fert;
Aut jam ferre videtur, & intra caſtra laceſſit.
Nec mora, & abjectis, concurrere cominus, haſtis,
Et miſcere manus nudus furit enſis; & inſtat
Prælia, nec vallo Mavors foſſave tenetur,
Evadat quin ſupra acies, & præpete ſaltu
Emicet in medias. Ah ſe ne ſanguine turpent
Cognato proceres! ah tot ne millia fruſtra
Intereant! uno in certamine concidat orbis!
Hoc metuens, odio, ſtrictiſque ſupervenit armis
Communis pater, & diſſenſu tendere amaro
Progeniem caram porro vetat. Hinc tibi prima,
Mazarine, ſeges, venturæ & ſemina laudis.
Tu medios inter cuneos, atque agmina currens,
Hoc agis: hoc voluit ſublatus pileus alte:
Et pro voce manus pugnam protenſa diremit.
Ocius abſtinuere: cadunt denſiſſima tela
De manibus: pulſuſque loco furor iraque ceſſit.
Et nunc colla petunt, hoſtes modo, nunc & amici
Brachia circumdant, longiſque amplexibus hærent.
Feciſſentque utinam deinceps! Verum invida, credo,
Fata obſtant, hominumque Deus non æquus acerbis
Criminibus. Bonus interea non ſegnius inſtar,
Qua datur, Urbanus male firmum adſtringere fœdus.
Scilicet hos animos, & amantes otia regum
Pontifices, hujus poſcit ſibi temporis ætas.
Namque olim dum res arctæ, crudiſque tyrannorum
Oppreſſæ imperiis, intra privata latebant
Tecta inopes, pretiique locum mors dira tenebat:
Sat fuit hoc certe, nimiumque, mala omnia contra
Durare, & vitæ ſuperare adverſa ferendo.
Hæ metæ victori: hoc & certantibus æquor.
Non alios, cum prima fides, Chriſtique caleret
Sanguis adhuc, tenerique arderent mentibus ignes,
Crediderim Petri ſolioque, & ſede capaci
Conſediſſe patres, longo quos ordine deinceps
Pœnæ omnes preſſere, enſiſque ſatellitis hauſit.
His, ſuper indignas noctes, durumque cubile,
Egelidos potus lympharum, & ſimplicis herbæ
Victum infelicem, & villoſis tegmina pannis;
Diverſa hoſpitia, & penetrales quærere cryptas
Sollicitus labor incubuit, vitamque tueri
Parietibus cæcis, latebroſique objice ſaxi.
Poſtquam autem indulſit rebus Deus otia feſſis,
Arboreaſque cruces gemmis mutavit, & auro:
Paupere pro cultu, tetri pro carceris antro,
Uſus opum variarum, & opimo copia cornu,
Oppidaque, & gentes, & latifundia & horti,
Centum arces, centum vicina palatia cœlo
Succeſſere. Datum eſt plus poſſe, ut plura rependant,
Et pia paciferis compenſent præmia curis.
Ex illo amplecti populos, ac mite parentum
Imperium exercere boni, mollique minores
Regum animas gremio, ceu pignora cara, fovere.
Tum, pavido ſi quando ferox diſcordia motu
Inceſſit, mulcere iras, inimicaque rurſum
Pectora conciliare, & vinclis nectere amoris,
Ac ſeſe medios venienti opponere bello.
Hoc erat, a primis quod jam cultiſſimus annis,
Ad ſummum placidos mores & ſuavia dicta
Addidit imperium, venturique omine magno
Proluſit; dum cuncta unus ſuffragia ferret
Maffæus, pacemque animis diſcordibus altam,
Inſcius ipſe, daret. Conclave intrare verendum
Sit mihi fas, ac ferre patrum ſecreta per auras.
Ibat purpureus ſtudia in diverſa ſenatus
Haud motu exiguo, nec conſpirare poteſtas
Quem numero ex omni ſuprema ad culmina rite
Tollat, & huic totas rerum committat habenas.
Mox ubi Maffæi proponi nomen, & amplo
Rumor conſeſſu levis increbreſcere cœpit:
Continuo pietaſque viri, ſenſuſque ſagaces,
Inconcuſſa fides, vigil experientia, in ipſis
Cuncta fuere oculis. Maffæum perſonat omnis
Purpura: Maffæo ceſſat diſcordia in uno
Gallique, Hiſpanique, & ſi quid grandius iſtis
Nominibus vel Roma colit, vel ſuſpicit orbis.
His ingens, Urbane pater, virtutibus, ingens
His ſignis, tu bella veta, tu conſule doctis
Artibus, exhauſtæque malis fac otia terræ.
Sic tibi in obſequium pugnax Germania tandem
Conveniat, Suecique truces, Sic ipſe Britannus,
Jam melior, cultus quamprimum inſtauret avitos.
Sic o, ſic Latios pariter pia Gallia ubique
Tota colat faſces, nec ſe tibi dividat uni,
Jam regem confeſſa ſuum. Romæque, tuuſque
Tunc, alio quamvis, ſtudia ad majora vocatus,
Mente ferar; vates non dedignabor haberi,
Gallicaque Auſoniis inſcribam lilia templis.

IDEA

IDEA THEOLOGI

UNDECUNQUE PERFECTISSIMI.

Cum scriptor nobilis theologiam, aliquot voluminibus explicatam, edere instituisset.

Anno Chtisti M. DC. XXXIII.

SUNT, qnibus innumeras studium eit errare per artes:
Facundo nunc ore loqui: nunc cogere verba
In numerum: tum difficiles implectere nodos,
Inque vicem implexos responso exsolvere acuto.
Rerum ortus alii rimari, & semina curant:
Queis pugnent elementa modis unde arduus æther
Nec coeat simul hinc atque hinc; nec rursus apertis
Objicibus, sese per longum effundat inane.
Et quidam, fluctus quæ causa arcana matinos
Exciat, & placida quam mox in sede reponat,
Quærit inexpletum cupiens, & summa fangat,
Imaque cum mediis naturamque excutit omnem;
Quo pelagi alternos cœlestibus imputet æstus.
Me vero primum felix ante omnia Olympi,
Non alio a teneris correptum ardore sciendi,
Accipiat domus, & superosque, Deumque recludat.
Hic juvat exutas male commoda corpora mentes,
Indeprensa solo, vestigia cernere veri,
Nocte procul tenebrisque: juvat penetrare recessus
Lucis inaccessæ, & secreto numine pasci.
Scilicet intactos haurire e fonte liquores,
Quam nos vita diu mortalis, & infima tellus,
Sole sub insueto, & peregrinis detinet oris,
Nec cordi est, nec posse datur. Gravat improba moles,
Et rivis augere sitim languentibus, haustuque
Indigno, per stagna adigit, per pigra fluenta,
Irritare animam, potus melioris egentem.
Ah potius cœlo terras mutare jacentes,
Et vitam hanc, mortis liceat mercede pacisci
Continuo! Sin, has ne possim inscendere sedes,
Corporis obstat adhuc pondus grave, fataque certus
Fixa regens tenor, & longum cunctata senectus:
Pagina me sacra interea, me docta vetustas,
Flosque parrum lectus juvet, & quicnnque, relictis
Artibus, in tenui quarum est & gloria, & usus,
Divinæ curam, ac vitam impendere Minervæ.
Ante alios, solo priscis scriptoribus ævo
Inferior, placeat Thaumantius, imaque rerum,
Sollicitam veri mentem, in penetralia ducat.
Ille neque in tenebras sese brevitatis amore
Induit, aut lectorem avidum per longa moratur
Tædia circuitus, divortiaque arcta locorum:
Nec culpa eloquii res, ævi more prioris,
Deterit, aut pretium rerum deformat habendo,
Incultus, partemve ullam tenuisse decori
Nescius. En, si quæ, ancipiti perplexa meatu,
Objecere moras, & inextricabilis angit
Materies; facilis non secius omnia supra
Sermo fluit, nec fallaci divertitur usquam
Effugio. Quid, qui mistus intermicat ordo
Aureus, obscuris quæ lux nitet addita rebus?
Principio solio sistit, pedibusque Tonantis,
Felices animas, cœlesti & lumine donat.
Munere quo caligo, oculos circum acta trementes,
Deinde fugit; viresque acies acquirit, & ante
Figit inaspectum numen; tum numine in ipso,
Conspicuam gaudet seriem deprendere rerum.
Post autem sequitur memorans, & in ordine pandit,
Quonam cœlituum motu chorus, & quibus alis
Terrarum petat ima; dehinc super arduus auras
Emicet, ac cœli sese in convexa receptet,
Tramitibus medium arcanis emensus inane:
Ut tenues sine lingua animæ, sine corpore, blandas
Sermonum exercere vices, commercia nota,
Mente sciant sola, mentisve interprete nutu.
His adjungit opus, quo non divinius ullum;
Ut cepisti hominum vitam, Deus, inque dolores
Venisti, & sortes ævi mortalis iniquas;
Nec puduit terras habitare, & vilia tecta:
Tantus amor nostri, & reparandæ gloria gentis.
Tum docet, informi monstrum exitiale creatum
Nocte, Nefas. Hinc jura viris dat sancta, Fidemque
Gaudentem latebris, & luctificam Metanœam.
Præcipue ostentat, quam cœlo Gratia pulcre
Eniteat veniens: quibus acta canalibus ultro
Depluat in mentes, secundoque augeat imbre.
Cetera quid memorem, vigili quæ plurima cura
Rettulit in melius, vel partu effudit amœno
Ingenii, & sæclis dedit inclarescere nostris?
Quid non, Roma, illi; quid non debetis, Athenæ?
Novimus Hebræis vix intellecta peritis
Hunc quoque callentem, linguæque oracula sanctæ.
Quin patriis etiam scriptis se Gallia sensit
Tentatam; inviditque recens sua verba Lyceum.
Jamque suis inclusa, prius vaga tempora, fastis,
Atque annos ducta in memores, veterum acta parentum
Dant dudum, æternumque dabunt per secula nomen.
Nec vero muta hæc, quamvis sit numine dextro
Ætatem latura, viri respondeat unquam
Charta satis meritis. Vos o, turba inclyta, testor,
Turba frequens, qui ter duodenos cunque per annos
Regnantem audistis cathedris, & lene docentem,
Mulcentemque animos. Quali pater agmine fertur
Sequana, per tacitum labens, qui parte viarum
Qua fluat, incertum est; sesene evolvat in æquor,
An retro sacrum relegat caput, unde recenti
Fonte salit, primo exiguus: quippe unda tuentum
Indiscreta oculos, & amicus decipit error.
Ergo scribendi dotes, dotesque loquendi,
Thaumanti, libasse tuas, atque inde coronam
Contentus duplicem vinxisse, per omnia vates
Ire negat monimenta sequens vitæque, piæque
Indolis, & lauro plusquam Parnasside dignas
Virtutes: sive ipse sibi diffidit, & arti;
Sive vetas, laudum impatiens; seu rebus in amplis
Fandi inopes, suadent, præeuntque silentia Musæ.

DELPHINO GALLICO

DELPHINI

MARINUS ET COELESTIS

XENIA

Ambo vitalem, ut infans crefcat, ille humorem, hic calorem.

Cum Ludovicus XIV. *Rex Galliæ nunc, menfem ætatis quartum nondum exceffiffet,* *Cal. Jan.* M. DC. XXXIX.

Cresce, puer Delphine, urgent matrifque, patrifque
Dum ftudia, & tardos nimium cuncta increpat annos
Gallia, fertque tibi lætis pia rite Calendis
Dona memor. Sed qui liquido nas æquore, Delphin,
Quique polo, Delphin, fulges, nihil artis opumve;
Si tu humore queas, fi tu prodeffe calore;
Infantis teneri membris crefcentibus addes?
Nec nomen commune tribus, nec regia tanget,
Tam dudum vittis evincta tenacibus artus,
Flenfque, jacenfque, & iners, cunifque affixa poteftas
Implorantis opem, fefeque in bella dolentis,
In pacem ceffare? Mari fquamofus ab alto,
Dum loquor, emergit Delphinus, & oftia nando
Sequanica invadens, adverfo flumine tendit:
San-germane, tuas donec perlabitur oras.
Huc, ubi perque tubos multus, perque ærea labra
Fons fugit, & pretio naturam vincit, & arte;
Nacta diem fudum, fragrantibus intulit hortis,
Regalem geftans moderatrix femina alumnum.
Illa rudem foli ignoto confueffe docebat
Paulatim, & lenes cœli durabat ad auras.
Cui Delphin, magno furtim falientis ab amni
In fcatebras digreffus aquæ, fontefque fecutus
Interiore cavo, ac per apertum deinde volutus,
It contra, & jam tum vocali hæc incipit ore.
Frater, ait, Delphin frater, quem Gallica regem
Arva manent olim, & gemini pars optima ponti,
Quique extra pontus terras, quique alluit intra;
Crefce: caput ne poft gravet, invalidofque lacertos
Aurea majeftas diadematis, aurea fceptri;
Neu veniat, ceu fæpe, humeris haud fortibus impar,
Armorumque, togæque labor, non cetera tegni
Pondera, & incerti, queis aula obnoxia, cafus.
Non ego te puerum plebeiæ ferpere prolis
More diu, nec fpes in longum ducere noftras;
Non & contracto male parvum corpore, magnis
Regnantem terris, regnantem civibus optem,
Jam juvenem, jam deinde virum. Sua portio patri
Commoda membrorum; membris modus omnibus æquus
Competit: hunc quam mente animi, atque ingentibus aufis,
Corpore tam, geftuque, habituque referre memento.
Qua facere id poffis, quaque ocius; accipe munus
Æquoreum, &, regem donec cœleftis inungat
Te liquor, augendis humorem fetibus aptum
Combibe, maternis qui te tibi reddat ab ulnis,
Afferat inque virum, cunarum carcere rupto,
Et fucci totos, & fanguinis, impleat artus.
Ætates namque humor alit juvenumque, virumque:
Quamque diu vefci conceffum humore fenectæ eft,
Tam valet illa diu, gaudetque fuperftite vita.
Quo fine, & infantum videas vacua offa medullis,
Decolor os macie, pendentem ignavius alvum;
Et longum torpere fitu corpufcula eodem
Languida, & in veram non unquam affurgere molem.
Hoc magis huic operi mentem, fidiffima nutrix;
Seu nutrix, feu cari oneris gerula anxia, five
Quæ tu cunque caves puero vigil; adjice mentem
Huic operi; humorem hunc fervaque, augeque juvando:
Ac tantum folitas, neque enim labor, exere vires.
Principio corpus, facito, cum fternis amatum,
Nec natet in cunis, nec vitta anguftior urat:
Hic; ftrictis ne fe infinuet non artubus humor:
Illic; plus nimio crefcant ne membra foluta
Neu vaga libertas diftorqueat. Hæc ubi: motu
Perge levi alternans cunarum, accerfere fomnos,
Humentes fomnos: atque auribus ingere carmen.
Inque vicem gremio fefe, expertectus, & ulnis
Inferat, & niveo fine flumine proluat ora.
Ah bene, fi pendens inhiet multumque, diuque
Uberibus mammarum, & lacti indulgeat infans
Largius, ac partem, contentus parte, refundat,
Non avido tenuiffe capax quantum haufèrit ore!
Hinc fat ali manifefta fides: hinc glifcere paftu
Innato magis, & diffundi in membra vigorem.
Quippe facit patiens operum, & bello utile corpus,
Exundans, vita unde fluit, bona copia lactis.
Frumenti idcirco florem tibi lacteus amnis
Diluat, & mifto quæ pinguia lacte parentur:
Et liquidis incumbe, & parce arentibus efcis:
Et Cererem cocta, & potus imitare, farina.
Talia me præcepta tuis, tibi tradere dona
Luna jubet, venerande puer; feu Luna vocari,
Seu mavult Lucina, mari quæ præfidet alto,
Quæque ortus rerum, quæque incrementa tuetur.
Sic valeas, fic & crefcas, ingentia & ingens
Facta geras. Dixit: cum dicto, afpergine falfa
Luftravit puerum, & medicato contigit imbri,
Frigus ob infuetum nictantem, & fuave trementem.
Vifus ibi æquoreum Delphinem agnofcere Delphin
Regius, & manibus velle, & fermone morari;
Nequicquam: nec vincla finunt, nec fufficit ætas.
Quod potuit, rifit, blandoque intorfit ocellos
Lumine, & ad grates vultum dejecit. At ille
Abdiderat jam fonte caput, jam fluminis alveo
Nabat ovans, rurfumque falum natale petebat.
Tum puerum complexa quies, folito arctior, ire
Offa per, & nervos, & fetas fanguine venas,
Extenfumque artus, & molem corporis auctum.
Inde domum multa, ne quid grave, luce reportant,
Et vefpertinæ deceditur ocius auræ.
Ecce autem feftia radiabat ab ignibus aula,
Quos inter lanitiffe volens; fed prodidit aureis
Candida lux fquamis; it Delphin, fede refixua
Stel-

Stelligera, eandamque per alta palatia ducit.
Ipsa sub ora dehinc pueri, bene fidus amicum
Consedit veniens, & lumine circumfulsit.
Continuo vox audiri per regia tecta.
Salve o Francorum jampridem, o debite votis
Cœlituum: sanguis Lodoici, & maxima cura;
Seu qui nonus erat; seu nunc qui tertius addit
A decimo, & factis terras illustribus implet.
Hoc age & ante, viam quam tu mediteris olympo,
Indigetesque sequaris avos; quam Gallica cernas
Sceptra heres, nostrum meliori & nomine mutes,
Et ponas Delphinum, & agas ex ordine regem;
Linque humiles eunas, lectique jacentia strata
Pelle pede, & reges proceta mole verendos
Æquipara procerus, & hos, ign. bile vulgus
Quiqui humeris ivere supra, & capita alta tulere:
Aut, cœli genus, Heroas, queis omnia magna,
Redde solo, & Divis vel sic ne eede superbis.
Saltem sive patri propior, seu forte paterno
Responsurus avo es, neque te juvat altius ire;
Quidquid eris; nam te nec justo curta minorem
Dedecoret species, nec vim natura, modumque
Invideat crescendi, & fraudet partibus æquis:
Quamvis Pipinum miretur Gallia parvum,
Iratoque parem jactet pugnaîle leoni;
Ipse tuam actutum, tibi quam sors cunque paratam
Destinat, aut major spondet Deus, arripe formam.
En egomet vires, frustra tardantibus annis,
Maturabo ultro, sopitosque insuper ignes
Humanos, cœli, instigans eumulabo, calore.
Utile corporibus vivis calor, utile vitæ.
Quæque vigent, quæque ingenuis stant sensibus
apta,
Provida queis animo tatio excubat, igneus intus
Ardor pascit agens, casuraque sponte, retentat.
Quod si deinde gradus certant ætatis adultæ
Scandere; vi non æque alia nituntur in altum.
Et dubites mecum hæc partiri ingentia pensa,
Alma nurus, sanctoque operam navare calori?
Eia hanc tu flammam, tu, Vesta impensius omni,
Præsta & inextinctam, & concessis artibus auge.
Quæ ratio, quam nec simplex via; protinus aures
Huc patulas dictis, mentemque appelle; docebo,
Incipiens, rictus quoniam diducit honestos
Risus, & obstructum purgat jecur, imaque tendit
Ilia: eant manibus Charites per mutua nexis,
Os circum, malasque hilari dulcedine pingant
Impubes, edico. Latus sua gaudia utrumque
Titillent, placidique sequantur pectore motus.
Dulcibus exciti illecebris, & imagine rerum.
Quare ipsa & ride. & ridendo effusa lacesse
Luminibus tremulis: atque oscula præripe centum:
Atque omnes dic blanditias, dominumque, ducemque.
Aut regem, aut aliud, fracta assentare loquela
Appellans, &, quos puero potes, excute risus.
Sed neque flere veto; quis commoda fletibus ulla
Imputet effusis? nec vocem intendere questu.
Multum adeo exercent vagitus corpus acuti
Scilicet, ac solers tarde crescentis alumni
Segnitiem lacrimis natura tepentibus urget.
Sive supervacuum, stillanti impune cerebro,
Humorem extundit calor, & depascitur idem.
Sive prius siccis oculis qui lentus agebat,
Sollicito augescit motu, & se ventilat ignis:
Indicio est os turgidulum, & rubicunda labella,
Quique genis micat absistens ex mollibus ardor.
Seu validi nisus tollendæ vocis ab ima
Usque alvo, tenues aditus, angustaque laxant
Pectoris; atque repens membris subit æmula virtus.
Non aliter, quam qui ascensu vix ardua montis
Connixus superat; animam si forte repressit,
Atque illum in summum majus rapit impete robur.
Quid dicam, imbelli stringens ut frigore cogat
Membra quies, eademque labor calefacta resolvat?
Ergo insta infanti jamdudum, & lene fatiga
Ætatem, quantum sat erit perferre, tenellam.
Fer, refer, huc, atque huc, facilem: sedeatve,
cubetve,
Mox gremium teneat, collo mox hæreat alto.
Hinc una, hinc vicibus ludos facite ambo: jocisque
Exercete diem, & nutus conferte loquaces,
Et rixas interserite, & componite pacem
At nec matre quidem jacuit gestante, laborum
Intra uterum imprudens, nec nullo exercitus egit
More novem menses. Quid, cum pia ferret ad
urbem
Mater iter, superumque frequens accederet aras?
Quid, cum invecta levi raperet media æquora curru.
Venantumque inter longinquis cursibus esset,
Spectatrix; hortum pedes aut spatiata per amplum,
Falleret, ab gravido, quæ plurima tædia, ventre?
Nec nulla interea est adoperti gratia vultus
Flebilibus crustis: non, si hæc caput undique cingat
Ægra lues, totoque insistens corpore regnet;
Displiceat sane: nec secius oscula nato
Da, genitrix; quanquam os scabra rubigine lædes;
Vix & nosse tuum poteris. Verum excoquet æstu
Omne calor vitium; malus exsudabit & humor,
Ne dubita; & magis inde cutis curata nitescet.
Quin pueros etiam tentaverit ignea febris:
Contemplator; agunt parvi non ocius unquam
Membra alte, non liberius crura ardua tollunt:
Crescendique moras distentis rumpit inertes
Flammea vis nervis. Peccant nec enim omnia
morbi:
Atque aliquam important ægris per damna salutem
Æstusque, horroresque, & largo flumine sudor.
Non tamen hac mercede velim te crescere tanta,
Care puer: tenerum a duris defende periclis,
O Deus: o, nato calidas avertite febres,
Quosque colit genitor, Superi, quosque optima
mater.
Hæc vigilanda tibi, quæ nunc regale tueris
Depositum: his potior non ulla industria certet:
Corpus humo victrix parvum sic denique tolles.
Ne majora dehinc, ne pluria quære moneri;
Quid faciens crescat puer, aut quem vita calorem
Exigat, aut vitæ cultum calor; unde micantes
Diditus in venas, & quam vim acquirat alendo.
Tu modo communes curas, communiaque olli
Officia imperti: nec sueto parce labori,
Nec contende nimis: neque vulgi tere profani,
Arte alia fetus, alia grandescere regum.
Quo magis, æqualem plebi te corpore, princeps,
Olim animo anniti decet, ac præcellere factis.
Jamque vale, astrorum qui me tibi primus ab astris
Sol misit, cœlo remeare, atque inde serenum
Admonet os, quanquam hibernis, ostendere terris.
Dixerat: atque facem puero injicit. Altius illa
Ad vivum pertecht, & ossa sub intima venit.
Munere quo primum bis lævum sternuit infans.

Accepere omen matres, & conscia turba.
Tum duplicant spe vota: strepit domus aurea, & omnis
Aula, puer cresce, ingeminat: levis assonat aer:
Respondant sylvæ, & vicinus Sequana, cresce.
O ego crescenti si quid conferre poeta
Arte queam, Delphine, tibi; Permessi de lympha
Si quid eges; teneris aut si calor utilis annis,
Phœbeus calor: haud equidem totamque Aganippen
Abnuerim, totosque impendere Apollinis ignes.
At non ulla ex his puero incrementa. Juvare
Atque virum, atque senem, postquam maturior ætas
Induerit robur, patremque æquaveris actis,
Mox poterunt, famaque decus sacrare perenni.
Tunc erit, undanti fluet agmine cum tibi Cyrrha,
Cyrrhaque, Parnassusque biceps; cum Phœbus amabit
Ipse tuis, Phœbique chorus sudare triumphis.
Hinc vero canere incipiam, patriæque, tuusque;
Namque mihi faciles sic promisere Camœnæ;
Censeri dignus vates: nec nostra, sequensve
Præripiet palmam hanc ætas. Par ibit Ulyssi
Mœonio mihi carmen, & Ilias altera surget,
Inque novam chartæ bis sex Æneida current.

DE NUPTIIS
THEODORI ET IRENES.

Fictorum nominum interpretatio.

NICE. Victoria.
DICÆUS. Ludovicus XIII. nuper rex Galliæ.
SOSANDRA. Anna, regina Galliæ.
THEODORUS. Ludovicus XIV. rex Galliæ.
POLYMETES. Julius Mazarinus, Cardinalis.
ÆETION. Leopoldus, Imperator.
EURYMEDON. Philippus IV. rex Hispaniæ.
LEUCOTHEA. Elisabetha, nuper Regina Hispaniæ.
IRENE. Maria Theresia, Philippi & Elisabethæ filia.
ANTINOUS. Ludovicus Mendezius, de Haro.
BASILISSA. Christina, Dux Sabaudiæ.
MELITE CYPRIS. Margarita, Christinæ filia.
PHERASPIS. Ranutius, Dux Parmensis.
ALBIA. Henrica, Mariæ Henricæ, Britann. Reginæ, filia.
VASTONIDES. Gastonis, Ducis Aurelianensis, filia.

PRIMA PARS.

I. Laborantis ex amore Nices Theodoro filio, hanc Sosandra mater uxorem dare cogitat. Plurimi vir consilii Polymetes dissuadet. Idem facit, Sosandræ olim conjux, Dicæus; nunc et visus in somnis: simulque auctor est, ut filio proximam genere, & ex stirpe commum puellam despondeat. Ea admonitio, quia patere latius, atque ad plures eodem gradu consanguineas pertinere visa est; minus intelligitur.

Regnanti Theodoro, & jam tot bella per orbem
Vincenti, nondum vigesima verteiat æstas.
Militia ille gravi, Martisque laboribus æger;
Par licet antiquis humeros Heroibus altos,
Et pectus latum similis, robustaque terga;
Æger, & afflictus, morbo superante, jacebat,
Vitæ inter gelidique hærens confinia leti.
Assidua, & vitio cœli violenta, solique,
Febris erat, duplexque eadem. Venæ altera pulsu
Cognita inæquali, & sanabilis arte medentum.
Alterius norat vim duram nemo, neque ortum;
Nemo potis noram curare salubribus herbis.
Sola parens: quæ non maternæ pervia curæ?
Observans longo morbum deprenderat usu:
Instabatque manu medica, & fomenta parabat.
Namque prior solo grassata in corpore febris:
Posterior penitus mentem subit, ac face torret.
Huic est nomen amor, trans ipsas usque medullas
Qui furit, & juvenem duplicato incendit ab æstu.
Ecce hominum Nice pulcherrima Nympha, Deumque,
Cui magnum, Superi quoniam dant vincere, Cœlum,
Esse patrem; quam magna ideo tellure creatam,
Quod sit ipsi & sedes, & causa, & præmia belli,
Matre ferunt. Virgo; quæ nunquam non paret ire
Ulterius; suspensa pedem, vigil excubat, unum.
Quæ ferat huc illuc se, circum castra, volatu,
Circum acies bello instructas, intra oppida & extra;
Explicitas humeris gestat quatientibus alas.
Atque aliæ inducunt terris ignava puellæ
Otia, queis miseri languent dulcedine amantes,
Hinc rebus non mens habilis, non utile corpus,
Si quis amat. Cessant cito magna incepta: neque ullis
Consiliis operum locus est, nec fortibus ausis.
Usque adeo emollit vires, animosque Cupido.
At Nice contra ad durum generosa laborem
Impellit: neque dat membris requiescere, si quem
Cepit amore sui; nec luxu tempus inerti
Perdere; non ludo, non indulgere choreis.
Gloria namque comes stimulis hinc acribus urget:
Hinc Bellona tuba assidue circumsonat aures.
Ergo inde a primis Theodoro adjungitur annis
Armipotens Nice: cunis communibus hæsit,
Nata simul: crescens, studiis adolevit in iisdem.
Hunc amat æqualem, nec non ambitque fovetque
Officiis: varias quæ plectere docta corollas,
Ipsa gerens palmam ac laurum, & diademate cincta,
Cingit, & ex sertis juvenem immortalibus ornat.
Nec minus hanc Theodorus amat, cui militat omni
Obsequio, & dudum per mille pericula servit:
Ac sese, & fortes populos, quibus imperat, & vim
Largam impendit opum, & regni prædivitis uber;
Quodcunque est uber, quæcunque opulentia regni.
Quid restat, nisi mox justa ut connubia fiant
Rite, pares inter, communi & sidere natos:
Concilietque duos, & amanti dulcis amantem,
Dissolvenda die non ullo, copula jungat?

Ni-

Nimirum has, nati non inscia mater amorum,
Jampridem Sosandra faces, thalamosque jugales
Secum mente agitat. Specie magnisque movetur
Nominibus. Tuba, signa, cohors, tentoria, & arces
Ante oculos: currus, captivi, præda, triumphi.
Suave, gravi bello, tendentibus undique turmis
Nequicquam adversum, fines proferre superbi
Imperii: victis dare vitam, aut tollere, totis
Gentibus, & late rerumque hominumque potiri.
Urget præterea, graviter jam sæpius æger,
Filius, & nulla pereundi prole periclum,
Nullus & in regnum de principe principis heres.
Quanquam dura animo succurrunt plurima contra.
Quæ socrus morosa ferat fastidia Nymphæ:
Cum possit non ista parem, non ferre secundum,
Nec, nisi quem sternatque solo, calcetque jacentem;
Vimque sibi invictis, omnes super, arroget armis?
Quis conjux autem sumptus in bella perennes,
Queis ea tam cives miseros, quam conficit hostes;
Sat toleret: modici cum sæpe impendia belli
Exsuperent fructus longe, & spolia omnia vincant?
Hos animi dubios inter dum fluctuat æstus;
In curam magis illa tamen propensa priorem:
Ilicet ad fidum Polymetem more referre
Cuncta suo: incertis quæ sit sententia tædis,
Differat, &, si quid visum consultius, addat.
Ille animi præsens, & regibus auctor agendi
Strenuus, ex æquo princeps bellique togæque
Consiliis, rerumque fide spectatus & usu:
Quem fortuna modis exercuit utraque miris.
Sed, quia dux virtus, pulsoque modestia fastu,
Adfuerat; longe adversam sors prospera vicit:
Victa quoque invidia est, & numine vindice rupta.
Ipse viro pater, extrema jam in morte, Dicæus,
Sosandra natum dederat sub matre regendum,
Quinquennem, neque dum maturum rebus agendis.
Ac tum etiam regis, longo post tempore, adulti
Auspiciis, præses regni, custosque salutis,
Haud facilem navi clavum fluitante tenebat,
In puppique sedens, rerum tractabat habenas.
Ergo is Sosandræ sic ad consulta parentis.
Si, regina, jubes, fiat, si consulis, audi;
Quæ gravis, heu! tardas docet experientia mentes.
Nympha potens Nice illa quidem, quæ jura subactis
Det populis, secumque ferat pro dote triumphos.
Sed levis ex se eadem quam sit, fiatve subinde,
Fortunæ adjungat quæ se, tradatque regendam,
Tergaque, ut hæc, aliis mox vertat amicis;
Nonne vides? ut se vinclo sociare jugali
Haud velit, haud possit cuiquam liberrima virgo:
Si nubat, factura malo divortia more
Sæpius, & sponsis probrum allatura relictis?
Nam quid id est, anceps quod dicitur alea belli,
Alternæque vices, & Mars communis, & æquus
Sorti utrique pater? Sapientum nempe notata
Vocibus, arguitur Divæ inconstantia fallax,
Hinc alio quæ se nobis & reddit, & aufert,
Præpetibus pennis levis, ac mutatur in horas,
Nunc comes & socia armorum, nunc transfuga & hostis.
Nec longe repetenda fides certissima dicti.
Faverit illa licet Theodoro, bella gerenti,
Et nostrum annuerit nobis in tempore Martem:
Non tamen interdum causam non liquit amicam
Perfida, & averso se corpore tradidit hosti.
Nonne fuit, cum structa acie, sub prælia prima,
Victores nos jam, & castris prædaque potitos
Proderet, ac versa premeret vice denique victos?
Nonne fuit, longa ducem in obsidione moratum
Cum fugeret, turmas & frustraretur hiantes?
Et muri tamen effracti: portæque patebant.
Quare age, dum fas est, & quantum possumus, omni
Officio & cultu, Nicem foveamus amicam.
Sed neque nupturam, neque nos constanter amantem
Speremus. Nihil hic credi sapientia certa est.
Nec deerunt, regina, nurus e sanguine claro
Heroum, pro censu habeant quæ regna paterno:
Corpore quam pulchro, tam scitæ moribus, atque
Indole: quas ultro matres offerre paratæ
Aut tibi sint, aut tu ipsa prior felicius optes.
Gallia, ne dubita, multas dabit; Itala tellus:
Et fors, quam Nice, dabit ipse fidelior hostis.
Quis scit, an Hesperiæ regnator maximus aulæ,
Qui nunc odit, amet posthac? prece flagitet a te,
Et generos emat Indorum sibi montibus aureis?
Dixerat. Advertit monitus Sosandra salubres
Protinus, augurioque animos recreata secundo,
Spes avide arrectis non cassas auribus hausit.
Et jam Diva minus Nice placet, atque abit omnis
Paulatim ex oculis. Surgit nova pectore cura:
Et genitrix pro nato alios meditatur amores.
Non erat, umbriferi media plus parte peracta
Curriculi; votis mentem cum plena diurnis,
Membra toro regina dedit, placidæque quieti;
Ac tandem primos carpebat corpore somnos.
Huic tum visa, polo facies delapsa Dicæi
Conjugis, in tales actutum erumpere voces.
Nos equidem, conjux, cœlesti sede receptas,
Felicesque, tamen non omnis cura salutis
Deseruit vestræ. Memini natique, tuique,
O dulcis conjux: & adhuc mea Gallia cordi
Tota mihi est, armis nuper quam fortibus auxi,
Consiliis pare, Polymetes quæ tibi solers
Optima dat: Nicem gnato ucu junge, trophæis
Insignem quamvis, terraque marique potentem.
Quam sit nulla fides, constantia nulla puellæ:
Novimus, experti: nec, quæ ferat omina secum,
Ignorare datum, atque omnes vitare ruinas.
Et sensit sua cum victis incommoda victor.
Sed neque, si Nicen, inconstantesque Hymenæos
Reppuleris; thalamis aliam tibi quære remotis
Continuo: procul externus torus omnis abesto.
Quæ generis nostri est, communi & origine fluxit;
Parta nurus nobis, & conjux debita nato.
Fata volunt: jubet immoti Deus ordinis auctor:
Nec, cœlo nisi facta, facit connubia tellus.
Sic ait: & superis se reddidit ocius oris.
Hoc visum mater nulli Sosandra, nec ipsi
Nato effata quidem: Polymetes audiit unus.
Pacem & bella regi per fida silentia dudum
Quippe vident, res & melius cessisse tegendo.
Interea nec fata sequi, nec scire recusant,
Si quid fatorum interpres Prudentia dictet,
Et bona Mens quocunque, Salus & publica, tendat.
Tres has rebus habent comitesque ducesque gerendis.

PARS

PARS ALTERA.

II. Irene filiam Eurymedon, quam ex priori conjuge Leucothea susceperat, nuptum dare parat Æetioni cognato: idque de publici consilii sententia, atque ex omnium civium voluntate. Sola hæret virgo, invita & repugnans, neque quidquam, nisi jussu atque imperio patris, factura. Hujus mater Leucothea Eurymedonti suadet in quiete, ut, aliis relictis, ei duntaxat filiam collocet in matrimonium, qui maxime cognatus sit, & ex stirpe communi oriundus. Quod ille falso de Æetione dictum, interpretatur: confecissetque nuptias statim, nisi oblatum ex improviso augurium deterruisset. Aquila columbam, sublimem raptam, toto aere aliquandiu circumferens, cogitur tandem liberam a se dimittere.

TALIA dum curat genialis fœdera lecti,
Anxia pro nato, mater Sosandra, nurumque
Orbe sibi toto circumspicit: ecce laborat
Magnus idem Eurymedon, studiisque ardentibus instat,
Si qua potest, juveni egregio dignisque Hymenæis
Natam dilectam dare nuptum, ac jungere fœdus.
Irene fuit: ante alias formosior omnes,
Seu quas littoreo dives Tagus irrigat auro;
Ausonium seu quæ Tybrim, seu flumina Rheni
Quæ violenta bibunt; aut quas tu, Sequana pulcher,
Cycneo lavis eximias candore puellas.
Lumina sic flagrant: suavis color enitet ore:
Et, quæ Seres alunt, imitantur vellera crines.
Æetion petit hanc Heros; certisque maritam
Auspiciis miro sibi jungi ardebat amore.
Ac non ille quidem specie lenissimus oris:
Corpore nec longo, nec nigris blandus ocellis:
Indole sed magna, jucundi damna decoris,
Solertique animo, & multa virtute rependit.
Is, Thracas juxta, flumenque binominis Istri,
Finitimum spirat generoso pectore Martem,
Induit & Martis vultus truculentior omnes.
Talem illum gravis Eurymedon non nolle putatur
Pro genero. Favet in primis, quæ regia conjux,
Huic cognata. Omnis procerum ordo impellit eodem
Conspirans. Quid enim? ambobus non convenit unum
Et genus, & nomen, veteri quos stemmate signat
Austria? Qui certo coeant si fœdere secum;
Quid, nisi fonte duo rivi capiuntur eodem
Rursus, & in primo gaudent miscerier ortu?
Nempe agitur res summa, salus & publica gentis.
Namque ferunt; horum quamvis domus inclyta regum
Creverit externis immensum affinibus, & mox
Venerit imperium in magnum, & successerit heres:
Ne tamen obrepat sceptris alienus avitis
Nunc dominus, neu per partes distracta vicissim,
Solvatur vasti moles & machina regni;
Reges, atque satos cognato sanguine regum,
Inter se solitos connubia nota pacisci,
Spesque tori angustis includere finibus amplas.
Præcipue antiquæ visum Eurymedonta movebat
Conjugis, huic pulcram Irenen quæ pulcra crearat:
Et jam marmoreo concessit morte sepulcro.
Illa, soror Galli, mansit dum vita, Dicæi,
Extera transierat thalamis in regna, suæque
Et studia, & mores mutarat, verbaque gentis.
Leucotheam patrium retinebat nomen, & alta,
Unde sata est, regum se nobilitate ferebat.
Ergo viri ante oculos in somnis constitit uxor.
Visus ibi Eurymedon vultum agnovisse loquentis,
Et vocem: monitis cum talibus impulit aures.
Nos equidem, conjux, cœlesti sede receptas,
Felicesque, tamen non omnis cura salutis
Deseruit vestræ. Memini nataque tuique,
O dulcis conjux: quæque olim infixa medullis,
Hæret adhuc, memori nec Iberia pectore cessit.
Consiliis pare, quæ nunc tibi, gnara futuri,
Optima do; quæ nec rerum bonus improbet auctor
Antinoüs. Marti gnatam ne junge cruento:
Imperitet licet hic terris, atque æquore late.
Quam sit nulla salus bello, quid prælia peccent,
Novimus: ipse vides: agri, urbes, regna loquuntur,
Totque hominum facies, tot desolata locorum.
Sed neque, cum Geticas Martem ablegaris in oras,
Idcirco stirpem peregrinam, orbemque remotum,
Unde procus veniat nostra ad connubia supplex,
Sollicites. Generis vir nostri, & sanguine cretus
Communi, gener hic natam sibi noster habeto.
Fata volunt: jubet immoti Deus ordinis auctor:
Nec, cœlo nisi facta, facit connubia tellus.
Hæc ubi Leucothea; ad superas procul avolat arces,
Atque ignem post se ætherium, post se astra relinquit.
Excutitur somno Eurymedon, genibusque volutus:
Accipio dictum, conjux o sancta: monemur,
Quæ facimus, faciamus, ait. Nec quæritur istis
Interpres. Jam nunc consanguinitate propinquus
Æetion nobis; thalamique propinquior idem
Fœdere post; junctis, finem bello afferet, armis.
Dixit, & hoc, ne quis vanum aut muliebre putaret,
Tunc aperit visum nulli: celavit & ipsam
Ireneo, &, cui sensus committeret omnes
Arcanos, dulcem Antinoum. Nec segnius urget
Cœptum opus, & quo se, falso licet, augurat haustu
Numinis æterni, ac jussis cœlestibus, actum.
Assensere omnes populusque, patresque volenti.
Matres, atque nurus voces ad sidera jactant
Lætitia. hoc faciunt nupturæ quæque puellæ.
Ter quoque blanda suo plaudit nunc regia more.
Et jam dicta dies; dos pacta: instructa supellex:
Mutua dona data: & tantum non ducitur uxor.
Sola domi cunctis virgo properantibus hæret,
Dudum immota loco. Nec ei sat certa voluntas:
Nec loquitur tamen: inferior seu sexus, & ætas;
Seu pudor, & patris reverentia comprimit ora:
Seu vis intus agit studia ad contraria major.
Quin etiam conata diu, Volo, dicere; Nolo,
Dixit: & invito maduerunt lumina fletu:
Crebraque tergentem vultus suspiria produnt:
Mœsta palam doce, macieque professa dolorem,
Non venit in dubium tandem, quin pectore toto,
Dum fugit hos, alios furtim suspiret amores.
O quoties, Galla nutrix de gente, Melæno,
Quam dederat mater natæ pia, vidit alumnam;
Cum,

Cum, per longa domo spatia interiore, moveret
Forte gradum, atque oculis pictos Heroas, & ora
Primorum juvenum, & regali stirpe potentum,
Perlegeret; totam, procul Æetione relicto,
Aversam, cupido Theodorum figere visu?
Hæc ipsum quoties, nullus dum testis, obivit
Luminibus tacitis, accinctum in bella; diuque
Oris purpurei decus admirata, comasque,
Et multa circum crista volitante galerum;
Præsentemque velut præsens affata, salutem
Plurimam, & impressis dedit oscula mille tabellis?
  Sive velit tamen, Irenæ; seu nolit, eundum.
Regia formosi subito linquenda Madriti
Mœnia, natalisque domus, sedesque paternæ.
Quodque oculis doleat, patriæ radentur amata
Littora maternæ, Theodori & Gallia regnum.
Tum, qua deinde datur, quamque est via longa, molestam
Per maris ac terræ veniendum abrupta Viennam.
At miseræ, bona Juno, mora succurre puellæ
Saltem aliqua. Placido tu, Diva Lubentia, vultu,
Qua sine nil concors, nec firmum Hymenæus habebit;
Da vel nolle patrem, vel natam hunc velle maritum:
Nolle patrem potius. Faciles vota ecce precantis
Audivere Deæ. Cœlo namque omen ab alto,
Improvisum, ingens, rem turbat, & excutit omne
Consilium regi, & connubia cœpta moratur.
  Graminea in ripa, magni prope flumen Iberi,
Pascebant variæ collo splendente columbæ
Turmatim, dulces & aquas a margine primo
Libabant leviter, pennasque subinde movebant
Expansæ ad solem. rubra Jovis ales ab æthra
Devolat, ima petens, rapido celer impete, & unam,
Formosam ante alias, grege de pascente, columbam,
Quæ maculis passim lita fulvis, cetera candens,
Sublimem rapuit, pedibusque innexuit uncis
Arctior, & toto circumtulit aere monstrans.
Nec rostro interea, mirum, nec sævir ungue.
Quin & adulanti similis, similisque monenti,
Dat plausum geminis, insuetam & mitigat, alis.
Jamque vehebatur sursum, jam præda deorsum;
Supra & Pyrenen, supra qua desinit ipsa
Pyrene, propiorque mari est brevis insula, & amnis:
Cum subito densæ, facta ceu nube, volucres,
Phasidos inter quas de nomine plurimus ales,
Communem invadunt hostem, numeroque fatigant,
Assidueque premunt: donec vi victus, & ipsa,
Cui metuens parcit, sese extricante columba,
Carum onus abjecit non sponte, alioque refugit.
Fit strepitus cœlo volucrum. Stridentibus alis
A tergo pars velle sequi: pars gutture rauco
Sistere motam aciem, & tuti dare signa receptus.
Conveniunt: rediens sonat omnis turba per auras
Agminis aligeri, sociamque ex hoste reducit.
Ast illæsa columba, citis & libera pennis,
Terra ubi parva jacet, parvo quæ cingitur amni,
Lapsa venit. Tenui rostro, lætabile visu,
Implicitæ myrto ramum gestabat olivæ.

TERTIA PARS.

III. Basilissa cum multis nominibus, tum ex vatis oraculo, Theodorum, Melitæ sive Cypridis filiæ, conjugem expetit. Ad eam rem itur, longo & æquali utrinque locorum intervallo, in colloquium aliquot dierum. Visa virgo Theodoro non displicet. Has Sosandra nuptias videtur non nolle. Palam laudant universi conditionem. Sed quid facias? Et invitatus ad solemnes epulas Hymenæus, desideratur: & consilium de nuptiis Polymetes minus ac minus probare incipit. Rem denique totam disturbat tum legatus ab Eurymedonte, qui generum sibi Theodorum pacisci velit publica pace: tum a Pheraspide nuncius, qui Meliten, petitam jam uxorem, nisi forte nubat Theodoro, enixius petat. Accedit eodem, quod editum Basilissæ oraculum, atque unius errore literæ male acceptum, verissime Polymetes, & secundum Pheraspidem interpretatur.

PARTE alia, Alpinis in montibus, unde jacentes
Hinc atque hinc populos nutu Basilissa virili
Nympha regit, pulcras & fulget Oreadas inter
Pulcrior; eximiam servabat sedula natam
Hæc Cypris, hæc Melite, gemino cognomine gaudens.
Cyprum atavi tenuere: premit nunc barbarus hostis.
Ipsa refert teneris ceras & liquida mella
Moribus, ac totum dulcedine vincit Hymettum.
Quæ si non habitu, præstantique oris honore,
Par penitus matri respondet: at indole magna;
At comi sese ingenio, & candore tuetur
Simplice; commendatque probos solertia mores.
Virgo tot ex animi dignissima dotibus amplis,
Munere cui Divum, pro conjuge regius Heros
Contingat, faciatque pari quam prole parentem.
Idcirco hanc mater Theodoro destinat uni
Jamdudum: nunc & maturis copulet annis,
Si visum Sosandræ, & fert ita corde voluntas.
Nec, fortem supra, votum ambitione laborat.
Promisisse fidem, superat dum vita, Dicæus
Fertur, & hinc natum jam consecrasse sorori.
Adde, quod ascriptis bene longi in fœdera belli,
Et sociis operum, non hæc indebita merces
Impensæ, & fidei, consumptorumque laborum.
  Sed patriæ quid ad hæc sortes, oracula Divum
Sancta; quid interpres; rediens quid nuncius affert?
Spectat ubi aerias cœlum vicinius Alpes;
Qua tu parte putes, & dorso, & vertice montis,
Fulciri convexa poli, ac se jungere terræ;
Est specus arcta, cavo exili, non undique major,
Corpore quam quantum suus occupat incola, seu stet,
Seu jaceat: neque enim sedem non incolit hospes,
Quamlibet exiguam, atque astris cœloque propinquam.
Hic senior vates, alius cui deinde subibit
Atque alius, domini suffectus ut ipse prioris
In munus, curasque: pio nec deficit unquam
Hospite parva domus, nec cultu numinis. Et jam
Tempore ab immenso series longissima vatum.
Inde, habitant quicunque Alpes cis transque nivosas,
Finitimi ventura petunt: quid Dia Pronœa
Aut jubeat sperare, aut post crudele minetur.

Sed neque longinquus peregrino ex orbe viator
Fatidicas, interdum adiens, non conſulit arces
In dubiis, aut cæca minus perplexaque diſcit.
Religio miranda loci. Si qui, omnia magna
Credere difficiles animis, vel inania rerum
Scire avidi, ſanctum poſcunt oracula vatem:
Aut ſilet, aut vario ludens ulciſcitur ore
Flexiloquus, meritaque viros ambage moratur.
Sin pietas, ſtudiumque movet divina ſequendi
Conſilia, & tales tangit mens credula curas:
Admonet, ac veri nunquam fruſtratur egentes.
Miſerat huc, vatum Baſiliſſa haud inſcia, natæ
Connubio thalamiſque ſuper, reſponſa petitum:
Nil inconſulto moliri numine Divum
Auſa, nec humanis, mulier pia, fidere rebus.
Et nunc, ex reditu portet quid nuncius, audit.
Ille: Domus limen vix, o Baſiliſſa, verendum
Attigeram, vix ore tuo verbiſque rogaram;
Opportuna leves cum vox emiſſa per auras
Ex adytis, magnoque audiri viſa fragore:
Palma tuæ certa eſt gnatæ, ſunt lilia certa.
Nec plura his vates: queis & nihil amplius addo.
Mater at exclamans lætum: Clara omnia: dixit.
Agnoſco Superos Superum nec ſermo, neque alta
Mens latet. Hæc Gallum quin prodant lilia regem;
Quin palmam hanc monita addicant cœleſtia natæ,
Quis dubitat? Sic fata, ſimul per ſeque, ſuoſque,
Et procul, & coram, parat expugnare precando
Natum una, & matrem: nec ſponſam offerre marito
Turpe putat, Divum auſpiciis, ſupplexque venire
Soſandræ, Theodoro, & ſi quod nomen amicum
Præterea, aut ulla regum favet intimus aula.
Ergo iter antiquam Lugdunum protinus urbem
Dirigitur. Media eſt, quæ ſe via præbet utrinque.
Taurino, multa procerum Baſiliſſa caterva,
Plana per, & ſalebras, perque ardua ſaxa, niveſque,
Læta, nec obſtat hyems, dulci cum Cypride venit.
Proſequitur votis Theodorum triſtis euntem,
Et celerem reditum votis Lutetia poſcit.
Indivulſa comes nati, Soſandra tetendit,
Qua brevius datur ire via, & pervenit eodem.
Congreſſu juvenis primo placet ecce puellæ
Ante omnes: juveni non diſplicet ipſa viciſſim.
Nec, ceu ſæpe, bonam minuit præſentia famam.
Amplexæ inter ſe matres ſermonibus ambæ
Conſumpſere diem: quam quæque experta procel-
Jucunde, & caſus vitæ retulere priores. (lam,
Tum ſpes deinde ſuas, & fata arcana ſuorum
Adjiciunt: Baſiliſſa pias ſuper omnia ſortes;
Quid tibi, quid natæ vates promiſerit auctor;
Quam non immerito, duce tanto atque auſpice, poſcat
Pro genero, regis ſoror ipſa, & filia, regem.
Nox epulis venit interea celebranda, choriſque.
Indigetes, ſponſis portantes dona futuris,
Solenne ad feſtum Dii confluxere, Deæque.
Turpis abeſt, ut debet, Eris: ſed rurſus, adeſſe
Quem decuit præſentem ultro, ac ſe ſiſtere coram,
Sæpe petitus, abeſt Hymenæus, ſæpe vocatus;
Nec venit heu! cœlo longum exſpectatus ab alto,
Qui thalamis auſpex præſit, fautorque paratis;
Dumque leves ineunt hinc rex, hinc virgo choreas,
Saltantes regat, & palmas conjungat amantum.
Scilicet hoc unum communia gaudia turbat:
Hoc minus uno hilares, ſua quiſque in tecta, recedunt;
Multa ſuper tanto rogitantes, multa rogati,
Omine; & ad molles portant inſomnia lectos.
Poſtera regales pulſarat luce feneſtras
Jam matura dies, terraque retexerat orbem.
Soſandræ ſedem tacite, & ſecreta petivit,
Nocte vigil tota, Polymetes; ac prior olli:
Quid facimus jamdudum? ut amor pellatur amore,
Neu Theodorum habeat miſerum amplius inclita Nice;
Huic blandam, regina, paras ſupponere Cyprin,
Atque optare nurum, & potiores jungere tædas.
Num minus antiquam Nicen armatus amabit,
Et bellum Theodorus agens, & prælia miſcens,
Vincendi ſtudio, laudumque cupidine ductus?
Quid ſi etiam, uxorem juvenis cum duxerit illam,
Hujus creſcat amor? Nos bellum geſſimus unis
Viribus, & gerimus: communi Marte, triumphi
Communes: & adhuc conjuncti præmia belli
Indiviſa manent. Thalami ſit fœdere Cypris
Junctior: in Nicen Theodori accendet amorem
Hoc magis atque magis; nec bello finis & armis,
Nec pacis fuerit poſthac ſpes ulla futuræ.
Talia dicenti, nec fruſtra plura volenti
Dicere, ab Heſperiis extemplo intervenit oris
Orator, regis miſſu Eurymedontis, & alta
Admitti, magnis de rebus, in atria poſcit.
Audierat, Theodorum inter Meliteneque, parari,
Conciliante, totos, utraque parente, jugales,
Eurymedon. Quæ ſi priſcis nova fœdera nectant,
Eventuſque habeat coram res cœpta ſecundos:
Ipſe, ſuis gnatam Irenen quam ſtirpe propinquis
Nubere fata jubent, cum jam Æetiona recuſet,
Cui tradet pater, aut quorum connubia poſcet
Et ſe digna fatis, nec matre indigna puellæ?
Nempe ducem tali nonne Æetiona repellunt
Connubio, quæ prædam aquilæ extorſere volucres?
Nonne ducem trepidæ fugit inſtar virgo columbæ,
Germanas aquila turmas ad ſigna vocantem?
Præterea pacem ſi fas ſperare futuram,
Si ſtabilem, æternam: quæ vincla tenacia tantæ
Pacis erunt? Nam quæ pax facta prioribus annis,
Nec ſtetit illa diu, deeſſent quod talia fulcra;
Nec fructus ſolitos, nec dulcia pinguis olivæ
Dona tulit, ſuccos virides, gratumque ſaporem.
Adde ſatiſcentes populos ſub pondere belli,
Exhauſtas & opes, & jam ſtipendia pridem
Militiæ non ulla. Novos his adde rebelles,
Oppidaque, & lati divulſa a corpore regni
Membra tot, ac tantis majora pericla ruinis.
Nec nihil invalidum jam robur tangit, & ætas
Jam ſenior: curis tenuata atque ægra vetuſtis
Prima valetudo. Contra ſunt omnia in hoſte:
Anni florentes; robuſtum corpus; & audax
Vis animi; & miris ſucceſſibus aucta poteſtas.
Fœdera cum populis, cum regibus; æra, virique,
Rebus & in lætis numeroſi, ut ſemper, amici.
Denique ſit poſitis Gallo pax utilis armis:
Hac ſibi opus, regniſque ſuis, & gentibus eſſe
Fœdere vel belli, vel ſtirpe ac ſanguine junctis.
Talibus Eurymedon ſtimulis impulſus & æſtu;
Ac, ne præreptos alius ſibi tollat honores,
Permetuens; pacem, tum primum legibus æquis,
Et generum, quavis empturus dote, petebat.
Cauſa gravis pacis, ſpecies & honeſta, rogandæ,
Natæ connubium: rurſus memorare decorum,
Nomine ſub pacis, de nata, & utrumque paciſci.

His


His Sosandra libens cupidas accommodat aures.
Quippe aliis tot de thalamis, invita, dolensque,
Dudum audit; belloque nurum sperare nec ausa,
Nec prensare volens, prece Divos omnia poscit.
Cura super tamen una animo, tristissima cura:
Matrem amat, & natam; Basilissam, Cyprida: & urit
Ah nimium ambarum præsentia: nec videt usquam,
Nec satis extundit, qua re promissa, fidemque
Liberet, aut quanam, vatum prædicta piorum,
Cœlestesque datos monitus, ratione refutet.
Atque ea divisis dum partibus omnia pendent,
Candidaque hinc Alpe Theodorum, hinc poscit Iberis:
Exoritur gemina dominator ab arce Pheraspis;
Aggressusque fide sibi devincire marita
Dilectam Meliten nuper, nil cessat, & ambit
Nunc etiam, mittitque preces. Et cedit honore
Ille quidem Theodoto: at nulli certus amanti
Cedere præterea, perstat se ferre secundum,
Rivalis minor uno, & tanta conjuge dignus:
Multaque vota facit Superis, haud irrita vota.
Namque omni melior Polymetes vate, rogatus
Nunquam hominum frustra fatis super, atque Deorum,
Suetus & implexos rerum dissolvere nodos
Consilio, & multa secreti numinis arte;
Hoc erat, hoc, inquit, nisi mens me læva fefellit,
Quod bonus ex antro vates respondit: & error
Non fuit hic vocis. peccavit nuncius aure,
Unaque mollito decepit litera verbo.
Nempe suo tunc cum Parmam pleno ore sonaret
Consultus vates, & Cyprin certa manere
Lilia cum Parma: se palmam audire putavit
Aut animo vagus, aut obtusæ nuncius auris;
An quia, qui cupiunt, sibi visa faventia fingunt?
Atqui etiam scuto sua lilia gestat, & arma
Parmensis Dux Galla, domus insigne paternæ.
Dixerat. assensu valido se clamor in auras
Nobilium tollit comitum, doctæque coronæ.
Excipiunt plausu bona verba, faventque repertis.
Ex illo haud dubium, Melitequin debita conjux,
Fatalisque, Duci, manifesto numine, cedat.

PARS QUARTA.

Exclusis antea duabus, quinque nunc puellis, sola Irene habita est idonea, quam Theodorus ducat uxorem. Commissum negotium præstantissimorum duumvirum arbitrio, Polymetis & Antinoi, qui ambo ex compacto, in desertam & ab interventoribus remotam insulam conveniunt, multaque, multis de tranquillitate publica actionibus, coram conferunt inter se. Summa hæc fuit. Antinous de pace, tanquam de re maxime principi necessaria suo, contentius agere, Polymetes pro Irene ac nuptiis, tanquam pro re suo maxime principi optata, instare vehementius: eoque Theodori & Irenes cognationem geminam, quasi fatalem, interpretando referre. Ita demum res ad exitum perductæ duæ, post hominum memoriam maximæ, auctoritate atque opera summi rerum transactoris & administri Polymetis.

ERGO Lugduno rex & regina relicto (amni,
Ad Luparam, toto quam Sequana prænatat
Integris remeant rebus. Sosandra soluta
Relligione gravi, nullique obnoxia vatum
Responso, curas alias, nova corde volutat
Consilia, & secum, Polymete interprete, quærit,
Quo, data per somnum, cari mandata Dicæi
Percipiat, serverque modo; quam sanguine junctam
Ante, nurum legat, atque iterum sibi fœdere nectat,
Et stabilem Theodoro uni despondeat unam.
Sicut ubi in paucis cui præstantissima gemmis
Quæritur: is, quanquam delectus copia longos
Rara adimat, tamen unius bona plurima gemmæ,
Quæ perpendat, habet; molem, pondusque, coloremque,
Atque a luce decus: simul & conferre laborat
Inter se varias; &, quam cui præferat, hæret,
Sardonychem lævi beryllo, an jaspida achatæ.
Sex innuptæ animo excellunt & corpore Nymphæ:
Quarum quinque suo dulci nunc Gallica tellus
Educat in gremio; sibi servat Iberica sextam.
Omnes regali, cognato sanguine & omnes.
Albia candidula est, & longa, & recta puella.
Hanc nocet infidæ scelerata injuria gentis,
Pro Superi! impunita diu. Vallonidas ornat
Plurima dos, patris in primis decora alta sorores.
Grandior uni, aliis justo minor officit ætas,
Et jungi prohibet nexu impare. Nulla profecto,
Harum nulla feret dotali munere pacem.
Auctius hoste etiam bellum Albia fecerit uno.
Sola pari superest possit quæ nubere sorte,
Irene Theodoro, omnesque explere beati
Conjugii numeros, belloque imponere finem.
Scilicet est tanti virgo, quam propter, & arma,
Et crudele odium reges, iramque relinquant.
Est quoque pax tanti, quæ pignore perstet amoris
Firma rato, & populis jugi ferat ubere fructus,
Ad seros & eat, suscepta prole, nepotes.
Haud mora, mandatis regum communibus, itur
Consilium in magnum: rerum commissa duobus
Summa. datum imperium summum. cœlestia secum
Fert memor augusti Polymetes visa Dicæi,
Leucotheæ Antinous; quæ, tum sibi prodita primum,
Credidit Eurymedon. Populorum hæc fata duorum,
Et geminæ prolis, matrumque arcana, patrumque.
Parva, sub extremis Pyrenes finibus, amne
Circumcincta brevi; peregrina voce Bidessam
Appellant amnem; plano jacet insula campo.
Nulli culta prius tellus, habitatave sedes:
Oceano sed sacra patri, quam jungit amœno
Littore, bisque die refluentibus alluit undis,
Auget & infuso jejunum flumen ab æstu.
Hic, ubi cessat obex montis, via panditur inter
Ingentes populos: terris commune propinquis
Stat limen, nulloque movendus terminus ævo.
Ambo ex composito, fatisque volentibus, illuc
Delecti proceres, pacis tædæque sequestri,
Quamprimum gemino acturi de fœdere, in unum
Conveniunt. Longo interea per Bellica tractu
Arva, per Insubres Italos, per castra, per arces
Vis ubi erat gravior belli, & quo tempore Mavors
Sævibat; dux & miles cessare jubentur;
Nec tuba dat claros sonitus, nec tympana raucos.
Arma situ ignavo, tectis suspensa, quiescunt,
Queis impune rudes adnectat aranea telas,

Hæreat & fœdus pulvis rubigine tristi.
Pax ea prima, quies certis indicta diebus
Militiæ, & vetitis bellandi pausa catervis.
Quod spatium Marti Nice indignata perire;
Bellatrix Nice, & Theodori maxima fautrix;
Deserit hunc, tota ceu segnem æstate, fugitque
Gallorum resides animos atque otia longe
Detestans, pennisque alio convertitur actis:
Æetion, te, magne, petens; tibi pulchra, triumphos,
Dona ferens; &, quod Theodorum mordeat, urgens
In Suecos aquilas, & Gallæ gentis amicos.
Non minus his contra Polymetes fortis, & acer
Antinous, clari nullo consorte laboris,
Quod nunc instat, agunt, & jus scrutantur, & æquum,
Dicta retundentes dictis, fallique caventes.
Antinous: Cupit Eurymedon pacem, inquit, amatque.
Et Theodorus, ait Polymetes, optat & ardet
Irenen Pacem Eurymedon, ante omnia pacem;
Subjicit Antinous. Polymetes reddit: Et ipse
Irenen Theodorus, & hanc magis omnibus unam.
At verbi quæ tanta mora est? Duo fœdera sunto.
Alterum & alterius sponsor capiatur, & obses
Mutuus. ambiguum, prior hæc sit, an illa: relinquas.
Conveniunt: regum mens una, & certa voluntas.
Sed quia, quæ terra exercet, connubia fiunt
Ante polo, pax & donum est a numine Divum;
Quid jubeant Superi, quo vergant fata, requirunt.
Antinous: Cœlo huc alto delapsa columba
Signum est pacis, ait: cicur hæc, & blanda volucris
Ante alias. Et idem, Polymetes excipit, hoc est
Conjugii signum: concors & casta columba.
Atqui hæc paciferæ ramum ore gerebat olivæ.
Hæc myrti ramum, Veneri quæ sacra, gerebat.
Quid, quod visa virum in somnis dilecta monere
Leucothea, ut generum communi ex sanguine quærat
Ipse sibi? Quid, quod caræ mandata Dicæus
Uxori hæc eadem, communi ex sanguine quærat
Ipsa nurum, dedit in somnis? At somnia late
Tanta patent, ait Antinous. Sunt sanguine utroque
Clari orti juvenes, sunt formosæque puellæ.
Immo animos, inquit Polymetes, decipit error
Hic aliquis: paucis nec vana, adverte, docebo.
Sosandræ Eurymedon frater, fraterque Dicæus
Leucotheæ, vicibus factis junxere sorores
Connubio: puerum parit illa, hæc deinde puellam.
Una adeo Irene communis sanguis, & unus
Communis Theodorus: & hic bis jungitur illi:
Cognatique ambo sociantur utrimque, parentum
Per geminos nexus. Aliorum proxima quamvis,
Alterutro consanguinitas caret unica nodo
Rerum certa fides, atque hæc sententia visis
Cœlitum. haud alia complentur somnia lege.
Talibus inter se sanxerunt fœdera dictis
Unanimes regum divina mente ministri.
Composita Hispani Gallis ita pace dedere
Egregiam Ireneo. ita pax obvenit utrisque.
Irenen Theodorus, & hunc habet illa vicissim.
Nobile par, toto quo non conjunctius orbe
Sol videt, auspiciisque foves, Hymenæe, fecundis.
Sequana cui plausum curvo dat flumine: Iberus
Responsat, Tybrisque procul, maria omnia, & amnes.



FRAN-

FRANCISCI VAVASSORIS E SOCIET. JESU EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMUS.

I.

De MARIA *virgine ac Dei matre, quæ filium ex lege siclis aliquot redemit.*

QUid facis, o genitrix? Parvo licet aurea constet
Progenies, nimias prodiga pendis opes.
Quid magis est matrum, quam quod pepercre? quis autem,
More peregrinæ, jam sua, mercis, emat?
Adde, quod omne suum cœlo tibi cessit ab alto
Jus pater, inque suas te jubet ire vices.
Nunc & tota tuum domus est onus, & tua tota est,
Unius soboles quæ fuit ante Dei.
Talibus argueram. Respondit talia virgo.
Virgo: sed &, salva virginitate, parens.
Merx, ait, hæc neque cara nimis, nec cautio frustra:
Est tanti gemino stringere jure fidem.
Quis scit, an exiguo sententia tempore vertat
Non æquum populis criminibusque Deum?
Aut an deceptus media plus parte sacerdos,
Protinus a pactis quærat abire suis?
Ne dator acceptum repetat, ne venditor emptum:
Esse meum dono præstat, & ære meum.

II.

Πρὸς τὴν ἁγίαν Θεοτόκον, τὴν ἑαυτῆς παῖδα διὰ σίκλων ὀλίγων λυτρώσασαν.

ΟΥ σύ γε δωτίνην θεὸν ἐκ πατρὸς, ἀπερείσιόν τε
Δεξαμένη, καθαρῶν ἐκ λαγόνων ἔτεκες;
Πῶς οὖν, ἀλλοτρίην ἅτε νῦν ὕπερ, ὦνον ἔθηκας;
Τίς δ' ἐν χερσὶν ἑὸν κτῆμα φέρων πρίατο;
Ὣς ἄν τις πάθοι. ὣς δ' αὐτῷ παρθένος εἶπε·
Οὔ μοι δῶρον ἁπλῶς ἤρκεσε τοῦτον ἔχειν.
Δείδια γὰρ, θνητῶν κακίῃ ἐπ' ἄμετρον ἐλαύνῃ,
Χωόμενος, γνώμην· μὴ μεταθεῖτο πατήρ.
Οὐκοῦν ἀμφοτέρωθεν ἐμοὶ ξυνδῆσαι ἄρειον
Ὠνῇ τ' ἠδὲ δόσει ἔμπεδον ὥστε μένειν·

III.

De solemni ritu cereorum.

ESse quid hoc dicam, quod, ceu nox incubet atra,
Collucet media plurima tæda die?
Nempe novus, Grajo posuit certamina more,
Et posuit Grajo præmia more, puer.
Meta, poli: stadium, tellus. solemne juventus,
Cepit ubi vitæ lampada, currit iter.

IV.

Εἰς τὴν ἁγίαν λαμπαδηφορίαν.

ΚΑΙΝΟΝ θέαμα, καὶ γέλωτος ἄξιον,
Φαίη τις ἴσως ἄϊδρις εἰς ἡμᾶς ὁρῶν.
Πῶς γὰρ μεσούσης ἡμέρας φῶς ἅπτετε,
Πυρσοὺς φέροντες δεξιῇσι κείνους;
Πρὸς τοῦτο δ' ἡμεῖς. οὐκ ἐτὸς δρῶμεν τόδε.
Καινὸς παρ' ἡμᾶς ἦλθ' ἀγώνων θέτης,
Πεμφθεὶς ἄνωθεν· ὥστε νῦν σπουδῇ μάλα
Δεῖ λαμπαδηδρομοῦντας ἐς τὸν αἰθέρα.

V.

In illud, videns civitatem, flevit. *ex Luca cap.* XIX. *vers.* 41.

FLet perdenda, videt Solymæ dum mœnia, Christus.
Perdita flevisset: debuit ante mori.

VI.

Τὸ αὐτὸ ἑλληνιστί.

ΕΚΛΑΕ τὴν Σολύμων Χριστὸς μέλλουσαν ἐρεί-
πειν.
Πῶς ἐρειποῦσαν ἔμελλ'; ὤφελε πρὶν θανέειν.

VII.

In illud Πυκτεύω, pugillo: *ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα*, contundo, & lividum reddo corpus meum, *ex Paulo 1. ad Cor. cap. IX. 1.*

VICTOR pancratio, pugnis concisus, ab uno
  Rettulerat mitis ora cruenta modis.
Non illum famuli, non agnovere parentes:
  Dedidicit frater, dedidicitque soror.
Consulitur speculum: fallebat, herumque negabat.
  Ille suos vultus nesciit esse suos.
Non homo sum, clamat: plusquam vir prælia gessi:
  Enthea, quæ vicit, debuit esse manus.
O ego sic mutet, tali mercede: suique,
  Membra per ipse animus perdita, victor eat!
Ignotus mihi sim. Satis est, ex corpore nullo
  Me sibi si norint numina pæne parem.

VIII.

Εἰς τὴν τῶν εὐχῶν τελῶν ἀνανέωσιν.

ΩΣ Λίβυς, Ηρακλῆς πάλης ἐς ἀγῶνα καταςὰς,
  Ανταῖος, καὶ γῆν μητέρα κυσάμενος,
Εξαπίνης ἀνόρουσε, μένος καὶ θυμὸν ἐγείρων,
  Ηδὲ νέον ςαδίης ἦρχε παλαισμοσύνης.
Ως ἄρα δαιμονίου τε βίῃ καὶ χερσὶν ἀάπτοις
  Θρησκευτὴς ἐθέλων ἔμμεναι αὐτόθεν,
Μητρὶ ἐῇ προσφὺς, καὶ τρίπλακα δεσμὸν ὑπελθὼν,
  Πλῆσε πάλιν μένεος ςῆθος ἀπειρεσίου.

IX.

Idem Latine.

ANTÆUS pugna Alcidæ congressus iniqua;
  Oscula dum matri dat tibi, terra, suæ;
Inde animum viresque trahit, subitoque resurgens,
  Integet ad luctam bellaque cœpta redit.
Haud aliter Stygios, pietatis alumnus, in hostes,
  Fortior assumptis viribus, ire parat.
Ut matri applicuit sese, ac ter junctus adhæsit:
  Immenso pectus robore grande replet.

X.

RUPELLA,

excisis mœnibus, salvo portu.

PERCULIT insanas justi vis fulminis arces:
  Significant placidum cetera salva Jovem.
Præcipue intactum cœlesti litus ab igne,
  Naufragio monstrat spem superesse meo.
Spe quoque plus superest: & opes, & vita, relictæ.
  Fallor, an & major clade fit ipsa salus?
Optatis tellus pariter respondet, & unda:
  Et me securam pars jubet esse duplex.
Hinc sum, sicut eram, fortis: sum fortior illinc.
  In melius versas quis neget ista vices?
Portus in integro est, ac se, velut ante, tuetur.
  Est mihi pro muris Gallia tota meis.

XI.

Ad LUDOVICUM XIII. *Galliæ Regem, omni virtutum genere ornatissimum.*

QUo gressum, Lodoice, cunque flectis,
Virtutum sequitur cohors, & ambit:
Tuoque arctius illa Cardinale,
Tuisque arctius illa purpuratis.
Seu multo leporem cane, & citato
Cervum quadrupede otiosus urges:
Seu curas coquis inquietus acres,
Et totas animo capaciore
Versas Ausoniamque, Galliamque:
Seu Britannica gens, Iberque, cornu
Paulatim tibi deprimunt superbum;
Gallorumque grave ista & iste robur
In dies magis ac magis pavescunt:
Castimonia, liberalitasque,
Fasque, &, præcipue unde amas vocari,
Jus, æqua populis datum statera,
Et cultus superum, & fides avita,
Et, quæ gloria, dosque parca regum,
Nullo prosperitas modesta fastu,
Fortunam docilis pati beatam;
Hæc cordi tibi sunt, & hæc honori.
Quod rectum veteres sophi, quod æquum,
Quod sanxere pium severioris
Jampridem sacra scita disciplinæ;
Quo nostrum caret, & sequens carebit
Ævum: hoc moribus exhibesque factis.
Non unquam Lodoicus esse cessas:
Non usquam Lodoicus esse cessas.
Honestum colis omne feriatus:
Honestum colis omne & occupatus.
Nocturnus colis, & colis diurnus.
Quo gressum, Lodoice, cunque flectis,
Virtutum sequitur cohors, & ambit.

XII.

HENRICUS, *Dux Mommorencius, Tolosæ affectus morte, in ædibus publicis eruditus: quo loco Henrici IV. Galliæ Regis statua visitur ex marmore.*

Scriptore incerto Latini carminis.

ANTE patris statuam, nati implacabilis ira,
  Occubui, indigna morte, manuque cadens.
Illorum ingemuit neuter, mea fata videndo.
  Ora patris, nati pectora, marmor erant.

XIII.

Τὸ αὐτὸ ἑλληνιστὶ, κατὰ λέξιν.

ΑΝΤΑ πατρὸς ξοάνοιο, χόλῳ δ᾽ ἄρα παιδὸς ἀνοίκτου,
  Χειρί τε καὶ θανάτῳ δυσπρεπέεσσι πέσον.
Οὐδέτερος ςενάχιζεν, ἐμὴν εἰς μοῖραν ἰδόντες.
  Ὄσσε πατρὸς, παιδὸς ςήθεα, λᾶας ἔσαν.

XIV.

Ad CAROLUM A PORTA *Melleraeum, missu & nomine Regis, Comitiorum Aremoricæ Præsidem.*

Cum scholas Societatis JESU Rhedonenses inviseret, anno 1635.

TE fortes æquare manu, sensuque sagaces,
  Constantique patrum secla referre fide:
Testis erit præsens, indexque nepotibus, ætas:
  Æqua parum magnis sit licet illa viris.
Nil potuit præstare supra, nil debuit infra:
  Richelii e claro sanguine, dicet, erat.

XV.

FRANCISCUS SUBLETUS, Regi Christianissimo ab intimis consiliis & arcanis, discessum impetrat e regia.

SUBLETUS tumidæ fastus cum sperneret aulæ,
Mandaretque abiens res sibi habere suas:
Aula, vale: tibi coram a me nil defuit, inquit:
Utiliore absens juvero forsan ope.
Consiliis poteris multorum doctior esse.
Exemplo fies fortior ipsa meo.

XVI.

Vera ejusdem effigies.

ASPICE, ut in gemino prudentia lumine regnet?
In geminis bonitas regnet amica genis?
Aspice, ut hinc humilem tollat mens ardua frontem?
Inde supercilium grande modella premat?
I: virtutem oculis nulli defende videri.
Quatuor unius cernere in ore licet.

XVII.

Idem SUBLETUS ex aula; paulo post e vita LUDOVICUS XIII. discedit.

CUM super egregiis possent nihil addere factis,
Seu rex imperio, sive minister ope:
Aula, vale, dicunt: Et tellus, adjicit alter.
Ille domo sese condidit: iste polo.

XVIII.

Typographia regia Parisiensis PETRO SEGUERIO, Galliæ Cancellario.

ILLA ego languebam, morti vicina futuræ,
Quæ vitæ dederam tot monumenta meæ.
Nunc vivo, valeo, spero. Tu, magne Segueri,
An Phœbi soboles, Phœbus an ipse facit?
Vita, valetudo, spes &, quæ vincit utrumque,
Munera sunt Divis hæc tria digna tribus.
Auspice Subletus Lodoico cœpit, & auxit:
Tu cumulas. Divum quis neget esse trium?
Sunt Divum jam facta: dehinc meliora peractis,
Quæ sperare jubes, plurima, cujus erunt?

XIX.

Typographia de se.

CANDIDA charta, nigerque liquor, prælumque, typique,
Artificumque operam dat mihi docta manus.
Quatuor eduxi forma præstante puellas.
Ultima perfectos mittit ab ore sonos.
Litera prima mihi paritur; tum syllaba; mox &
Dictio; quæque trium est quarta loquela soror.
Hinc nati innumeri. pars est sine nomine. pars est
Postuma. pars spuria est. & genus omne, liber.

XX.

De MARIA, serenissima Poloniæ Regina, Typographia Luparensis.

HÆC fecere mihi, generosa Polonia, nomen,
Quæ colo Valesiæ regia tecta domus.
Hæc ad vos regem bello misere superbum;
Et, memini, tanto robore gratus erat.
Fata sed, heu! lætis non sat constantia rebus,
Quem dederant, avida mox rapuere manu.
It tamen hinc avibus potior regina secundis,
Æternumque novo fœdere pignus erit.
Ne mirere brevi reginam rege perennem.
Anna dat hanc vobis: hunc Catharina dabat.

XXI.

CHRISTINÆ, serenissimæ Suecorum Reginæ, regiam Parisiensem Typographiam invisenti, ipsa Typographia.

EXCLAMANT, mores; exclamant, tempora dudum,
Prisca putant rebus qui potiora suis:
Urbs me regali dum maxima sede fovebit;
Non alio melius deprecer esse loco.
Maxima dum laribus viset Regina sub iisdem;
Non alio ulterius digner honore frui.
Quam vives, Christina, diu, quis prisca requirat?
Nil vererum titulos, nil moror acta, patrum.
Nil gemo. Posteritas quæ te ventura carebit,
O mores, atque, o tempora, sæpe gemet.

XXII.

In Biblia Parisina MICHAELIS JAII, hominis Galli, multo Antuerpiadis PHILIPPI II. Hispaniæ Regis præstantiora.

DUM pugnaret Iber totum Rex bella per orbem,
Ille solo victor maximus, ille mari:
Ne proceres parte ex omni non vinceret omnes,
Immenso sacros edidit ære libros.
Verum ubi Rex Regi Gallus par venit Ibero,
Et docuit justa plus vice posse pati:
Privati didicere; neque hæc modo gloria Regum:
Forsan & in populo, qui superabit, erit.
Haud mora, centenis Gallorum e millibus unus
Suscipit auspiciis bella, geritque suis.
Jam meus est sat victor, ait, Rex Marte: gerenda
Res mihi Palladiis artibus ampla venit:
Experiar. Dixit, censusque effusus avitos,
Sacra dedit cultu nobiliore legi.
Confer: Rex ferro, privatus dimicat auro.
Dat geminas hostis victus utrique manus.

XXIII.

De proscriptis judicum sententia Bibliothecis.

Julius Cæsar Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare destinabat. Suet. in Jul.

PUBLICET innumeros Cæsar, si vita superfit;
Publicat innumeros Curia nostra libros.
Et dubites, quin plus jam Curia Cæsare præstet?
Hic animo facinus destinat: illa facit.

XXIV.

In Posthumum, scriptorem obscurum.

Ex Plutarcho, de Aristotele, in vita Alexandri.

SCRIPTA Stagirites se doctis edere solis,
Edi cum Macedo Rex quereretur, ait
Non tibi jam doctis, scriptor nebulose: sed acri
Sole

Sole opus est, tenebras qui fuget usque tuas.
Interpres sit Mercurius : divinet Apollo.
Oedipodes sphingi non satis ipse tuæ est.
Nec tua Tiresias ullus secreta recludet:
Nullus & ambages Dædalus arte reget.
At quæ cæca piæ fundebant fata Sibyllæ,
Inter nos vates, qui referaret, erat.
Cedat Aristoteles ergo tibi. Quippe volebat
Lectores homines, Posthume ; tuque Deos.

XXV.

In Æolum, ventosum promissorem.

ÆOLE, dic verum : tibi constas? an mihi? an ulli?
Tu promissa facis plurima : nulla facis.

XXVI.

In Hectora, divitem avarum, aqua intercute laborantem.

HECTORIS arca tumet nummis : tumet alvus & undis :
Et gemit illa suo pondere, & illa suo.
Dii bene, quod morbi respondent moribus ægris.
Hic & opes & aquas, plenus utroque, sitit.

XXVII.

In eundem, etiam articulari morbo ægrum.

CHIRAGRA cum podagra ditem vexabat avarum.
Neutra virum potuit perdere: perdit hydrops.
Et merito. liquor hunc, fluidus per membra, resolvit
Quem rigidis densus strinxerat articulis.

XXVIII.

HENRICO MEMMIO, *Præsidi infulato, una cum aliquot aliis, constituendæ paci publicæ operam danti, anno 1649.*

GERMANOS Gallis, Gallos placabat Iberis
Ille tuæ frater gloria rara domus.
Tu placare sibi Gallos, amplissime Memmi,
Et stabili inter se jungere pace paras.
Quanto id majus opus? Quantum, sit Gallia consequana, Rhene, tibi præstat; Ibere, tibi. (cors,

XXIX.

Vers d'une Dame, sur la mort de son mari.

LE cœur gros de soupirs, les yeux noyez de larmes,
Plus triste que la mort, dont je sens les alarmes;
Jusque dans le tombeau je vous suis, cher Epoux.
Comme je vous aimai d'une amour sans seconde;
Comme je vous louai d'un langage assez doux:
Pour ne plus rien aimer, ni rien louër au monde;
J'ensevelis mon cœur, & ma plume avec vous.

XXX.

Idem Latine.

Poetria in luctu mariti.

ALTO corde gemens, & fletibus humida largis
Tristior horribili pallidiorque nece,
Ad miserum boni te conjux sequor usque sepulcrum:
Et placet hic nostram te quoque nosse fidem.
Tu mihi præcipuo semper dilectus amore;
Tu mihi sat culto carmine dictus eras.
Quo neque amem quamquam posthac, nec laudibus ornem;
Condo lubens tumulo cor calamumque tuo.

XXXI.

IN REGEM CHRISTIANISSIMUM.

Quid secutus, & victor, & juvenis, fecerit pacem, ac se nuptiis alligarit.

CUM victor bellis, Lodoice, ex omnibus ires,
Et sequerentur iter certa trophæa tuum;
Quæ te pax juvenem, dulcedine blanda, retraxit?
Aut quis tam grata compede vinxit hymen?
Neutrum, inquit: non ulla Venus, non otia frangunt
Et si quis, patriæ me superavit amor.
Utile pax populis : est utile regius heres.
Non mihi; pax populo servit hymenque meo.
Immo, ego jam magnos tulerim cum marte triumphos;
Major ab extorta pace triumphus erit.
Maxima restabat palma hæc mihi, quærere dignam
Matre nurum, sponsam conjuge: præbet hymen.

XXXII.

REGINA CHRISTIANISSIMA.

Alias persæpe summo loco, & eximia pulcritudine puellas, causam fuisse belli: se libenter esse pacis.

PUGNARUNT pro pulcra Helena multumque diuque
Hinc Graii totis viribus, inde Phryges.
Opposuit Turnum Æneæ Lavinia pulcra,
Et populos pro se movit in arma duos.
Formosæ fuerint aliæ causa improba belli:
Sors & forma juvat me mea; pacis ego.

XXXIII.

AD REGINAM MATREM.

Rex, antequam nasceretur, exspectatus annis viginti quatuor. Pax, antequam fieret, totidem annis exspectata.

ANNA, quid est, ibar quod jam vigesima messis,
Quartaque; cum soboles edita prima tibi est?
Quid totidem rursum pacem exspectavimus annos?
Cur eadem gemini, cur mora tanta, boni?
Nempe duplex tuus est æqualis partus: ab illo,
Regis; ab hoc, regni diceris esse parens.

XXXIV.

A LA REINE MERE DU ROI,
la même Epigramme par M. CORNEILLE.

DURANT *vingt & quatre ans nous souhaitions de toi*
Le Prince, qu'enfin tu nous donnes:
Durant vingt & quatre ans nous souhaitons du Roi
La Paix, qu'enfin ta main ajoûte à ses couronnes.
Il falloit même tems, & d'aussi longs souhaits,
Pour ces deux surprenans effets,
Qui derobent ton nom aux rigueurs de la Parque.

Ta

Ta gloire de tous deux reçoit pareil éclat :
L'un t'a faite en nos jours mere d'un grand Monar- (que,
Et l'autre de tout son Etat.

XXXV.

Ad eandem in idem argumentum : cur diu regia proles; pax æque diu expetita sit.

PERFICIANT pauci vulgaria pignora menses:
Inclyta stirps annis pluribus omnis eget.
Rex & pax, tuus o mater, par fœtus, & ingens.
Sic fuit & longum tempus utrique, & idem.

XXXVI.

JUL. MAZARINUS & LOD. DE HARO, *pacis inter Galliam & Hispaniam soli duo confectores.*

BELLUM mille duces : unus modo gessit, & alter
Pacem. Quis tamen huic præferat illud opus?
Pax est mente; manu gestum est & robore bellum.
Tu, bellum, paci cede : manus, capiti.

XXXVII.

De nihilo plerosque disceptare mortales : JULIO Cardinali MAZARINO auctore, facile convenire omnia.

MOME, veni & ride : de dextra, deque sinistra
Ambitio rixas & fera bella movet.
Mome, veni & ride : lis est de limine primo.
Hic socium cubito submovet : ille suum.
Mome, veni & ride : quando, qua sede sedendum,
Ordine quo, longa est constituisse mora.
Res cito conveniunt, ubi pacis Julius auctor.
Est nihil hoc, quod agas; Mome, facesse; loco.

XXXVIII.

LUDOVICO XIV. MARIA TERESIA, *Regis Catholici filia, Cardinale* MAZARINO *conciliante, nupsit.*

FECISTI, Juli, bellum modo : post quoque pacem.
Nunc facis augusti fœdera sancta tori.
Cognatis venia, & nubendi justa potestas
Quæritur : hoc facias denique restat opus.

XXXIX.

Au Cardinal MAZARIN, *sur la paix, & le mariage du Roi, par M.* QUATR'HOMMES, *Conseiller à la Cour des Aides.*

MINISTRE le plus grand qui se verra jamais,
Ce mariage heureux, dont vous seellez la paix,
Plairoit encore plus qu'il ne fait à la France,
Si vous en donniez la dispense.

XL.

Idem Latine.

FOEDERA conjugii, pacis queis fœdera firmas,
Juli, inter magnos gloria prima viros,
Gratum opus est Gallis. Cognati sanguinis idem
Vincla leva : fuerit gratius illud opus.

XLI.

De JUL. *Cardinale* MAZARINO *vaticinium.*

MAXIME confector belli, qui regna quieta,
Una complexus plurima pace, facis;
Munere pro tanto quas non tibi dicere grates
Tota paret tellus, quamque referre vicem?
Gallia te summum, simul optat Iberia, patrem:
Nec renuit dominum libera Roma suum.
Eugenius fies, Clemens, Felixve, Leove;
Aut, tua quod melius fata loquatur, eris.
Mutabis nomen : sed non mutaveris illam,
Quam regum curam, quam populique geris.
Quanquam & idem nomen tibi tum servare licebit;
Quoque modo nunc es, Julius esse potes.
Cæsar Alexandro successerit : arbiter orbis
Ille suo summus tempore, & ille suo.

XLII.

Pax facta in perbrevi insula, & minimo terræ angulo.

ILLE Syracosiæ custos clarissimus arcis,
Frustratus Latios arte moraque duces,
Promisit terræ moturum immobile pondus,
Unum aliud nactus si foret ipse solum.
Quæ potior res est? orbemne agitare quietum;
An fixo instabilem composuisse loco?
Nec fecit prius illud opus tamen iste : negatum
Posse fidem tantis addere pollicitis.
Et præstas hoc posterius, fortissime Juli;
Et plus, quo tibi ad id vis minus esse loci.
Nil fuit in terra satis huic, terram unde moveret:
Terram ut componas, angulus ipse sat est.

XLIII.

Ad insulam a Phasianis dictam, in quam Reges ac Reginæ, & summi duo Regum Administri, una convenerunt.

NAM quid in immenso te vilius, insula, mundo est;
Seu tua te tellus, seu magis unda juvat?
Te non ulla minor Neptuno emergit utroque
Insula : fluminеis non minor exit aquis.
Te parvus facit amnis, aqua breviore coercens:
Exilis reflui te maris unda facit.
In te nullæ domus : non hospes, & incola degit.
Et, puto, non ullum per tua rura pecus.
Solæ habitant loca sola, nec est cicur ulla, volucres,
Et circum ripas, udaque saxa, volant.
Vixdum etiam humana nomen tibi voce repertum:
Vix aliquid, picto restat in orbe, loci.
Insula, da veniam : nam quid te rursus in orbe
Nobilius toto est? insula, da veniam.
Protegit hinc te monte suo vicina Pyrene :
Ipse suo Oceanus te fovet inde mari.
Tu limes Gallis positus, tu limes Iberis :
Dividis & gentes, jungis & una, duas.
Dumque negant aditum montes in proxima regna
Hinc atque hinc; facili tramite pandis iter.
Nec decori non est, peregrinis plurima ab oris,
Quod tibi, neglecto Phaside, venit avis.
Sed quid ego hæc autem, te digna, indigna, recordor?

Quid

Quid probra, quid laudes dicere pergo tuas?
Insula sis vilis, sis nobilis: es sacra certe.
Hic sacer est, ubi tot Dii coiere, locus.

XLIV.

Ex conditionibus pacis centum viginti quatuor, una duntaxat est de conjugio.

DIc age, cur pacem lex plurima sancit amicam;
Unica conjugium lex jubet esse ratum?
Ardua nempe Deum res est cohibere furentem:
Res facilis mitem conciliare Deam.
Mars bene plus centum nodis religatur aenis:
Sat thalami nodo simplice vincta Venus.

XLV.

In Pyrenæi radicibus, XI. Cal. Julias, sub ortum solis, anno 1660. terræ motus horribilis factus.

PAce suas facta sedes repetebat Iberus:
Auctior & Gallus conjuge deinde suas.
Ecce Pyrenæi, limes communis utrique,
Horrificis montes contremuere modis.
Hic aliquis, nutu connubia regia, dixit,
Et pacis firmant omine pacta bono.
Regibus assurgunt; curvantur vertice; adorant;
Alter ait; comites, qua datur, ire volunt.
Tertius, exiliunt, inquit, plauduntque, fremuntque,
Signaque lætitiæ dant manifesta suæ.
At Natura, parens cunctarum & conscia rerum,
Tale nihil tanti est causa tremoris, ait.
Complanere licet, subsidasque, alta Pyrene:
Limite non eget hic Gallus Iberque tuo.
Utraque gens una est, juncto bis fœdere: & unus,
Cum duo sint reges, rex, prope dixit, erit.

XLVI.

Ad inquirentem sæpius, qua ætate poeta sit. anno Ch. 1661. VI. Id. Decemb.

DIsce, meæ qui sæpe rogas de tempore vitæ:
Nec me crede parum, nec nimis esse senem.
Pone viros inter potius numerando senesque:
Meque senem juvenum dic, juvenemque senum.
Nil minuo: innuptæ faciunt plerumque puellæ.
Nil addo: faciunt hoc aliquando senes.
Vixero si sæclum hoc, annos non vixero centum:
Hoc sæclum est, annos exime quinque, meum.

XLVII.

Votum Cælitibus pro contemptu mortis.

CUm sæclo prope cœpta mihi est: prope desinat ætas
Cum sæclo. hic ævi stet mihi meta dati.
Obtigerit spatium non convenientius ullum:
Debetur fatis sors ea, credo, meis.
Mecum nata, tegens pellis caput omine fausto,
Aut hoc, aut nullum vaticinata bonum est.
Quanquam ego nil metuo, Superi: nil turpiter opto.
Non poterit deinceps vita fuisse brevis.
Si tamen, ut volo me, vultis sic esse beatum:
Et vitam & mortem ferre perinde, date.

XLVIII.

In divitem avarum.

Juxta illud S. Pauli v. ad Eph. Avarus qui est idolorum servus.

TOt decies paucis qui centum millia in annis
Corrogat, & pariter sacra, profana, rapit;
Qui nihil in vita gratis fecitve tulitve;
Si qua dedit, lucro qui sua dona dedit;
Qui fas elusit, qui jura, cupidine habendi;
Qui fregit nulla religione fidem;
Cui populi, & reges, & magnum quidquid ubique,
Fama, decus, minimo vilius ære fuit:
Esse putas atheum? Falsum est, ac turpiter erras.
Quos arca nummos, hos habet ille Deos.

XLIX.

In Verrem expilatorem Siciliæ.

VEndidit infami sceleratus prædo sub hasta,
Sacra, magistratus, publica jura, fidem.
Cuncta novum non est Verrem venalia habere:
Emptores Siculos tot reperisse, novum est.

L.

In credulitatem veterum Gallorum.

Ex illo Martialis: Et tumidus Galla credulitate fruar.

JUs sacrum hospitii nihil hostes prodere miror,
Vindictæ quibus est dira cupido suæ.
Quanquam jura duas inter se mutua partes,
Tunc quoque, cum bellum est, non violanda, tenent.
Sed tamen hospitium nihil hostes prodere miror:
Sæpius his Gallos miror habere fidem.

LI.

In malum dispensatorem pecuniæ publicæ.

SCylla mari non sola fuit, non sola Charybdis,
Quæ patulo mersas ore voraret opes.
Hæc quoque sunt terræ, sua sunt duo naufraga monstra:
Repperit in patrio Gallus utrumque solo.
Aut si non utrumque: capax satis una vorago,
Unaque par vobis, Scylla, Charybdis, erat.
Quinetiam barathro est & gurgite tetrior omni,
Et vincit Syrtes improbitate duas.
Scilicet illa nocent solis venientibus ad se:
Helluo & hic cunctos, & nociturus, adit.

LII.

Julius Cæsar ex uno duntaxat oppido Galliæ, quinquaginta tria millia civium vendidit & pretium recepit. lib. 2. de bello Gall.

QUantum habuit Galli Cæsar, proh, Julius auri!
Ex una immensas urbe redegit opes.
Turpis avarities magis hunc, quam gloria, torsit:
Ambitio dulci victa superba lucro est.
Jucundæ, tristis populorum sectio, palmæ:
Et direpta, fuit Gallia præda placens.

Aut

Aut folus, Cæfar, Gallorum prædo fuiffes:
Aut, qui poft fuerint, maximus ante fores.

LIII.

Ad Sophronium, qui divitiis avari renunciet hæreditati.

CUM tibi non uni dives legarit avarus,
Quid refugis partem folus adire tuam?
An quia teftator modicum tibi morte reliquit?
At decies centum millia tota dedit.
An quia te contra cumulavit largius æquo?
At multis multo, quam tibi, plura dedit.
Dic igitur verum. cur, te celante, putemus
Plus aliquid magni forte latere mali?
Audio: fat loqueris tacitus: te denique clamas.
Ditior alterius tefpuis effe bonis.

LIV.

Ad LUD. HENR. LOMENIUM, *Briennæ Comitem, Regi Chriftianiffimo ab actis & fecretis.*

PRÆSTANTISSIME tu virum Lomeni,
Quotquot ftirpe bona bonas & artes
Ornant; artibus & bonis abunde
Ornantur; gemino decore clari:
Quid me carmina pofcis ufque & ufque,
Sic tanquam ipfe domi otiofus effem,
Effes nec fatis occupatus ipfe
Regum confiliis, domi forifque,
Permultis, Superi! per & moleftis?
Annos plus minus ante ter novenos,
Duro, ut patruus, increpavit ore
Me Petavius; ille literarum
Lux magna & decus elegantiorum,
Fons cujuflibet eruditionis;
Atque aurem mihi vellit, admonenfque
Ut deponerem opus, levefque nugas
Iftorum, quibus eft nihil negoti;
Me tempus ftudiis laboriofis,
Et doctæ dare perpulit Minervæ;
Nullis me voluit vacare Mufis.
Atqui haud fecius, inquies, relati
Sunt verfus tibi plufculi in volumen,
Diverfique modis, fubinde & annis.
Agnofco, fateor. reo, beati
Manes, parcite: parce, mi Petavi.
Feci hoc flagitium fcelufque tantum:
Et feciffe piget pudetque tantum.
Hinc a me, numeri, exulate pofthac
Omnes, inque malam citi rem abite.
Odi carmina, non amo poetas:
Vobifcum mihi nil volo effe utrifque.
Non fi maxima, fæpe quæ rogavi,
Mufæ, numina, me rogent viciffim.
Non fi, præfidium decufque noftrum,
Apollo, merita exprobrans vetufta,
Ingratum vocet ufquequaque alumnum.
Quare, fis licet, o Lomeni, in omnes
Et fummos valide potens & imos;
Quanquam nobilis es fupra eruditum,
Ac fupra quoque nobilem eruditus;
Oris, quod decet hunc & hunc, diferti:
Nil molli egeris allocutione,
Nil dura egeris allocutione,
Sacro a vate fonum exprimes nec ullum.
At o vis fubita! o furor renafcens!
Spontis namque fuæ poeta non eft:
Quæ me blanda alio trahit poteftas?
Aut quæ gratia flectit obftinatum?
Lomeni, tua, qui precando cogis.
Pofcis carmina me. Dabo: dedi jam.
Hos tibi hendecafyllabos habeto:
Qui, faftu abfque, tuam benignitatem,
Nec non obfequium, mora abfque, noftrum,
Plus uno pariter loco loquantur,
Plus fæclo pariter loquantur uno.

LV.

Effigies LUDOVICI XIV. *una omnium veriffima, P. Mignardi pictoris eximii manu.*

REX vultu, Mignarde, doce, quid cogitat ifto?
Eft vultus? tanti fpiritus aune viri?
Umbræ, prudentis; moderati figna, receffus:
Mens in eo, quod plus eminet, alta patet.
Quod fi tantum animi fimulato fpirat ab ore:
Quid, rogo, non animo fpirat & ipfe fuo?

LVI.

DELPHINUS, *formæ dignitate patri, venuftate matri, par ac fimilis.*

Hunc, paucorum dierum infantem, Bellebrunus pictor nobilis pinxit.

EXPRIMERE infantem pictor Delphina parabat.
Non oculos valuit pingere: fomnus erat.
Poft redit, aggreffufque novos iterare colores,
Nil potuit: fletus tum puer ore dabat.
Offendit tremulo falientem denique rifu:
Rifus pingendis non favet ifte genis.
Quid faceret? Pater urgebat materque. tueri
Non uno gnatum geftit uterque loco.
Adfuit ipfe fuo pictori, & reddidit infans,
Aut vifus tales reddere voce fonos.
Vane, quid affectas me tam cito pingere, pictor:
Cum faciem toties mutet & ora puer?
Forma patris generofa, mihi eft; matrifque venufta.
Has formas, me vis pingere, junge duas.

Cum pulcritudinis duo genera fint, quorum in altero venuftas fit, in altero dignitas: venuftatem, muliebrem ducere debemus: dignitatem, virilem. Cic. 1. de off. 130.

LVII.

Imitation de la même Epigramme fur le portrait de Monfeigneur le DAUPHIN.

Par Monfieur QUATR'HOMMES, Confeiller à la Cour des Aides.

POUR *donner au public le portrait du Dauphin,*
Baubrun avoit deja les pinceaux à la main.
Mais l'enfant s'endormit: il differa l'ouvrage.
Penfant à fon reveil reprendre ce deffein,
Il trouva que les pleurs terniffoient fon beau teint,
Et qu'enfuite un doux ris parut fur fon vifage.
Dans ces airs differens qu'on ne peut imiter,
Baubrun fe rebutoit, & vouloit tout quiter;

Quand le Dauphin sembla lui dire:
Peintre, ne t'étonnes point tant:
On ne peut bien peindre un enfant,
Qui ne fait que dormir, que pleurer, ou que rire.
Mais par quelque admirable trait,
Joins la majesté de mon pere,
Aux rares beautez de ma mere:
Tu feras au vrai mon portrait.

L V I I I.

Ad LUDOVICUM XIV. *communem Delphini & patriæ patrem.*

AT bene, cum primis quod, Rex, nihil esse ministris
Vis tibi: tu melius res agis ipse tuas.
Si tamen adjutor, si regi optandus amicus:
Hæc duo, Delphinum, qui tibi præstet, habes.
Tunc nihil abscedet gazis regalibus: & tunc
Ditabunt populos millia multa tuos.
Quid divisa loquor? Gnato cum sis pater idem
Et patriæ: vobis arca erit una tribus.

L I X.

REX CHRISTIANISSIMUS *equestri decursione capita gigantum ferro petit.*

Delphinus partem habere ludicro in certamine per ætatem non potuit.

TERRIGENUM petit Altitonans capita hirta gigantum:
Dii tres cognato pro Jove bella gerunt.
Venit & adjutor dextra validissimus heros:
Heros, Cœlicolis qui quoque gaudet avis.
Cur non Alcides succurrit & ipse parenti?
Infans in cunis tunc, & inermis erat.
Nondum humeri poterant villosi terga leonis,
Nec tenues clavæ pondera ferre manus.
Ac, digitis angues quamvis elidere posset,
Angues objecit nulla noverca suos.
O longe veteri præstantior Hercule noster,
Vel primus timuit cui gravis esse labor!

L X.

In effigiem GUILL. LAMONII, *Senatus Principis, sculptam a Rob. Nantelio; & epistolam ad eundem, conscriptam a P. Gabr. Cossartio.*

QUAM te viva duplex effingit imago, Lamoni!
Ille stilo præstans auctor, & ille suo est.
Sed quantum ars artem, mutam vocalis, it ante:
Judicio tantum vincis utrumque meo.

L X I.

In Lamonianum villæ inferioris fontem.

LAUDABUNT alii fontem scatebrasque poetam
Nec laus infulsæ, nec decet usus, aquæ.
Ipse loci dominus fons est & juris & æqui.
Rivus par fonti, gnarus uterque, duplex.
Hunc fontem, hos rivos vates impune canemus;
Salvo, Phœbe, tuo munere; Bacche, tuo.
Exhilarent hortos, fœcundent Naiades agros:
Quæ mihi lympha merum temperet, Aonidum est.
Fallor? an Aonia est quæ lympha Lamonia? Sic est
Plurimus ex isto fonte poeta bibit.

L X I I.

De eodem fonte.

FONTE magis tibi villa placet, quam vite, Lamoni.
Divido sic: lympham laudo, merumque bibo.

L X I I I.

AD REGEM CHRISTIANISSIMUM *Dunkerca recepta.*

CEPISTI Dunkercam, & emis. Quæ gloria major?
Hoc est consilii; roboris illud opus.
Bello cepisti: captam, potiente Britanno,
Quo parte ex omni libera fiat, emis.
Ne pigeat pacti, Lodoice: est emptio felix.
Civis habet magnum venditus ipse lucrum.
De populis ne perge tamen sic velle mereri:
Hoc orbis pretio scilicet esse tuus.

L X I V.

Ad eundem, in idem argumentum.

BIS capta est, semel empta, tuis Dunkerca metallis:
Et dubites triplici dicere jure tuam?
Ipsa sui juris facta est quoque: tutior una
Et melior gaudet religione frui.
Vincebas reges ferro: nunc vincis & auro.
Tunc tibi vilis erat res tua: cara Dei est,
Cum tantis, tantos, ob id, hostes viceris armis:
Quod, quo, cur vincas, quid tibi testat adhuc?

L X V.

De eodem argumento.

ASPICE Dunkercam, toties hostilibus armis
Quæ mutat dominos victa subinde novos.
Sæpius una quidem, sed dispare vincitur hoste:
Ille suam vendit, liberat ille suam.
O quot passa vices, bellorum præda duorum!
Quando emitur demum, redditur ipsa sibi.

L X V I.

Ad urbem ROMAM, *in idem argumentum.*

TRADI urbem invisis doluisti, Roma, Britannis,
Et rea judicio est Gallia facta tuo.
Nequicquam; sat erat pietati fœdere cautum:
Salva fides, dominis talibus, omnis erat.
Nunc, quoniam multo Dunkerca rependitur auro,
Et domino mutat sub potiore jugum:
Roma, vide quid agas, quæ sit constantia factis,
Quæ tua vox, animi quis tibi sensus erit.
Si non continuo festos accenderis ignes,
Vicerit & medium multa lucerna diem;
Si non Gallorum regi grataberis: & nunc
Invidia est, verus nec fuit ante dolor.
Sed neque te livor tangit, vereque dolebas:
Mater es, & nati gloria tota, tua est.

LXVII

L X V I I.

Ad Christianissimum Regem, *filio jam & filia auctum.*

O Bene Rex auctus prima, bene prole secunda,
Quem vocet, ut gnatus, sic quoque gnata, (patrem.
Sola mares solos agnoscit Gallia reges:
Sceptrum etiam Hispano femina more tenet.
Qui Gallis jam tegnet, habes. Quæ regnet Iberis,
Cum mulier possit, nata puella tibi est.

L X V I I I.

Ad eundem, in idem argumentum.

Qui regni est, Lodoice, puer successor & heres,
Non tibi, sed populis nascitur ille tuis.
Lenta, quietis amans, blanda, & formosa puella
Vix patris est: matri nascitur illa suæ.
Fallor ego: hic patri natus tibi partus uterque.
Mas artes belli; femina pacis alet.
Nempe Minerva soror Martem, fraterque Minervam
Mars juvat: hic patrem jactat, & illa, Jovem.

L X I X.

Ad eundem, in idem.

Filia nata tibi, Lodoice, urbs ecce paratur;
Unica, reginis dos satis ampla tribus.
Sit soboles numerosa: bene est. dum tanta quotannis
Proveniant deinceps oppida, totque, patri.

L X X.

Ad Mariam Terestam, Galliæ Reginam.

Dent alii matri solatia: gratulor ipse,
Quod tibi post natum nata puella marem est.
Destinat hunc solis Regem sors provida Gallis:
Reginam cuivis destinat hanc populo.

L X X I.

Ad eandem.

Ah male, solantur qui te, Regina, parentem,
Femina ceu nullo sit numeranda loco:
Hanc tu Patre suo metire, hanc fratre puellam.
Quanti est, si tales sit paritura duos?
Hanc specta ex avia, perpende ex Matre puellam:
Quanti est, si tales sit paritura duas?
Sed bene, solantur qui te, Regina, parentem:
Quatuor his nil par edere & ipsa potes.
Quid tamen hic solari opus est? Gratemur oportet:
Plus nulla in sexu mater utroque dedit.

L X X I I.

De apibus, cum fuci violas fugerent in horto.

Ore premens fucus violas libabat: abegi.
Flos quid ad ignavum pertinet ille pecus?
Duc, apis, hinc succos, & odoro vescere rore,
Et cape delicias, quas tibi servo, tuas.
Vespæ, crabrones, fuci dant tetra venena:
Dulcia das plenis condita mella favis.
Pascant ergo tuos urtica & carduus hostes:
Hortus alat violis te volo, deinde rosis.

L X X I I I.

Flos aurei mali fragrantissimus.

Aurea mala trahunt simili cognomen ab auro:
Flos, cui sit nullus par odor, unde trahet?

L X X I V.

Fraga in lacte.

Illa quidem referunt quas suxi in matre papillas:
Sed vincunt succo lac, puto, fraga suo.
Lac alat infantem, det crescere, roboret artus:
Vester, fraga, sapor plus mihi lacte placet.
Post tamen, ut lacti materno habeatis honorem,
Lacti ego vos, quod edam, mixta subesse volo.

L X X V.

Fraga etiam cum vino.

Non bene sanguineo lac admisceтur Iaccho
Candens: Fraga, rubor vester utrumque decet.
Lac & corrumpit vini, vinumque saporem
Lactis: Fraga, sapor vester utrumque juvat.
Lac albere nimis, vinumque rubere videmus?
Diluitis: medius temperat ecce color.
Lac quoque dulce nimis? vinum nimis est quoque forte?
Dulcius hoc per vos, fortius illud erit.

L X X V I.

Annæ Elisabethæ *Regis Christianissimi filiæ, tumulus.*

Vixit mensem unum, dies XI. *horas* XIV.

Cur nimium infantem, vates, canis? Audiet æther.
Audiit: invidit: rapta puella fuit.

L X X V I I.

Τὸ αὐτὸ ἑλληνιστὶ μεταφρασθέν.

Τί πλὴ κόρην μάλα δὴ θρυλλεῖς; αἰθὴρ δ' ἄρ' ἀκούσει.
Ἤκουσε. φθονέει. ἥρπασε τηλόθι κούρην.

L X X V I I I.

De eadem in cœlum statim recepta.

Dignam homines sceptro, qui te videre, putarunt:
Cœlicolæ dignam, qui tapuere, polo.
Vindicat hæc merito sibi gens; & vindicat illa.
Jure pares ambæ: fortior una fuit.

L X X I X.

Ejusdem apotheosis & votum pro Fratre.

I vates, dominæ regnum portende puellæ:
Quid regnum ad superas, quas tenet illa, plagas?

Osten-

Oſtendit terris tantum natura : tulerunt
 Aſtra ſibi, atque ſuis inſeruere choris.
Excipit hanc Hebe, vicina ut forte reperta eſt:
 Saturnus curva tum propè falce fuit.
Quos nova Diva Deos ut vidit, lumina flexit
 Blandius, & tales fudit ab ore preces.
Dii, ſi juſta rogo, concedite; namque poteſtis;
 Hæc pro fratre facit quæ pia vota ſoror.
Duraſſem certum, ſiviſſent fata, per ævum:
 Ille ſuos annos vivat, itemque meos.
Do ſit ut ille diu juvenis : tunc reddidit Hebe.
 Saturnuſque : Dio do ſit ut ille ſenex.
Munera Dii firmant omnes: Sit frater, & addunt,
 Tam multum vivax, quam ſoror ante parum.

L X X X.

Au Roi, ſur la mort de Madame, fille de France.

Roi, l'exemple des Rois, mettez-vous en repos.
 De toute vôtre force au beſoin raſſemblée
Recevez ce grand coup, qui vient mal à propos
Se mêler au bonheur dont la France eſt comblée.
 Le deuil n'eſt pas pour vous : & l'ame des Heros
Eſt une region malaiſément troublée
De ces noires vapeurs de ſoupirs, de ſanglots,
Dont on voit icy bas la Nature accablée.
 Cependant il eſt vrai que vous avez pleuré:
Au travers du Heros l'homme s'eſt declaré.
Hauteur ni fermeté n'ont pû vous en défendre.
 Vous êtes magnanime, & grand, & genereux.
Mais on ne ſçavoit pas que vous fuſſiez ſi tendre.
Quel treſor n'eſt-ce point pour tous les malheureux?

L X X X I.

Idem Latine;

Ad Regem Christianissimum *de luctu filiæ.*

Magnorum ſpecimen Regum, tranquillus & eſto,
 Et tota vires collige mente tuas:
Fatorumque graves primum excipe fortiter ictus,
 Tot regni lætis quæ male miſta bonis.
Non lugere, tuum eſt; heroum corda, procellis
 Semper inacceſſus turbinibuſque locus.
Longe alio dolor, & mœror, ſuſpiria & ægra,
 Queis natura malis obruta languet, eunt.
Hic tamen, o heros, fleviſti, hominemque probaſti.
 Vis animi tepidas nulla repreſſit aquas.
Notus eras fortis : quo ſis tener uſque, latebas.
 Quæ non hinc miſeris ſpeſque ſaluſque viris?

L X X X I I.

In obitum Joannis Bollandi *e Societ.* Jesu, *qui acta Cælitum collegit in unum ac recenſuit.*

Hujus laboribus ex eadem Soc. ſuccedunt Godefridus Henſchenius, Daniel Papebrochius.

De ſcriptore ſuo Divi certamen habebant,
 Tempora quæ vitæ, quam diuturna, darent.
Pars major ſalvum in terris ſupereſſe volebat
 Longius, ut cœptum perſequeretur opus.
Pars minor ad ſuprema poli convexa vocabat,
 Ut caperet ſcriptis præmia digna ſuis.
Finiit hanc litem ſummi Concordia patris
 Filia, ſic placidos quæ dedit ore ſonos.
Juſta viro, Superi, merces jam debita, cœlum eſt.
 Si pergat, quid, ei quod tribuamus, erit?
At ſi deſiſtat, ſi quædam infecta relinquat;
 Nonne ſat unius mox duo munus agent?

L X X X I I I.

Ad Philippum Labbeum *e Soc.* Jesu *poſtremum Conciliorum Editorem.*

Est labor, in vita ſemel evolviſſe legendo,
 Conciliis patres quæ ſtatuere ſuis.
Quanto majus opus, concludere corpus in unum,
 Tot ſæclis ac tot diſſita membra locis?
Quid? qui ſupplevit male curta, & trita refecit?
 Quid? lucem obſcuris qui tulit atque diem?
Quique novo chartas veteres ornavit amictu?
 Quique dedit cultu commodiore legi?
Quique retractato potuit bis terque labori
 Extremam abſolvens impoſuiſſe manum?
Ecce gradus laudum tot ſunt, Labbee, tuarum.
 Quæ feciſſe, tuum eſt; vix numerare meum eſt.
Quantus honos manet has vigiles quæ gratia curas?
 Quod pretium a ſera poſteritate feres?
Sæclis, Conciliis, decus immortale dediſti:
 Quam, niſi det quod das, reddet utrumque vicem?

L X X X I V.

Ad Furium Leonem, linguis diverſis inſtituentem ſcholas.

Tecta paras, Furi Leo, quatuor hoſpita linguis.
 Nonne, quod es, potuit lingua vel una loqui?
Quo ſis conſilio, qua vi dominatus ubique,
 Furius, ipſa probe vox monet; ipſa, Leo.
Sed neque plus voce eſt, quam linguis quatuor uſis.
 Te notum partes quatuor orbis habent.

L X X X V.

In fronte domus hoſpitalis, quam homo rapax & avarus exſtruxit

Has Matho mendicis fecit juſtiſſimus ædes;
 Hos & mendicos fecerat ante Matho.

L X X X V I.

Ad Pomponium Dextrum.

In illud Valerii Maximi lib. iv. c. 8. *Liberalitatis duo ſunt maxime probabiles fontes: verum judicium, & honeſta benevolentia. Nam cum ab his oritur, tum demum ei ratio conſtat.*

Si tu ſortito, Pomponi, dona dediſti:
 Talia, fortunæ, non tua, dona reor.
Si tu delectu, ſed non ſapiente, dediſti:
 Nec tua, fortunæ nec minus, eſſe reor.
Ah quantum, vitio dandi, virtutis ademptum eſt!
 Quot perimit laudes ſors tibi cæca tuas!
Sedulus & ſolers & doctus pendere, & æquus
 Debuit ex merito reſque homineſque ſuo.
Ac dare prompta quidem eſt, ſed non temeraria virtus.

Quæ

Quæ mihi das, peto des: non peto projicias.
Sparsisti casu quas & discrimine nullo,
Perdis: non habeo: non habet ullus opes.
Nec datur, incauto pera quod decidit ima:
Vilis id amissum forte repertor habet.

LXXXVII.

Ad Faustum Pollionem.

In illud M. Tullii, II. de off. num. 61. *Debemus in deligendis idoneis judicium & diligentiam adhibere. Nam præclare Ennius: Benefacta male locata, malefacta arbitror.*

DIONIS, indignis, studiorum præmia dantur:
Nec fuit eximios prateriisse pudor.
Prodigus es tu, Fauste, quidem: sed pejor avaro est,
Per quem fit donis gratia nulla tuis.
Accepere, dolent: nihil accepere, queruntur:
Pars, quia cum doctis; pars, quia cum rudibus.

LXXXVIII.

Ad Septimium Largum.

Ex illo Titi imperatoris, apud Suetonium: *Amici, diem perdidi.*

MAXIMUS ille diem, quo nil donaverat ulli,
Perdebat, Latio rector in orbe, Titus.
Quanto plus damni, temere omnibus omnia dando,
Large, facis? Pereunt dona, diesque, tibi.

LXXXIX.

Ad eundem promiscue erga diversos confusque liberalem.

DAS mihi, das rudibus, nec me distinguis ab istis:
Dissimilesque, pari conditione sumus.
Inveni contra, qui te distinguere possim:
Accipio donum, respuo judicium.

XC.

Poeta numinis donorum, nec viri ullius principis liberalitati obnoxius.

GRATIA Cœlitibus: procerum nil debeo gazis.
Ipse mihi sum rex: ipse poeta mihi.
Cum turba qui me confundat, nolo datorem:
Nolo, mihi multos qui putet esse pares.

EPIGRAMMATUM
LIBER SECUNDUS.

I.

Societas JESU *Venetiis, ope & gratia* ALEXANDRI VII. *summi Pontificis, in integrum restituta.*


UGANEIS aberat jamdudum finibus exul,
Juncta sodalitio fida caterva pio.
Nec modus exilio est, nec jus aliquando reduci.
Exorant tantas præmia nulla moras.
Nil magnæ valuere preces, nil gratia regum:
Quamvis nec regum gratia vilis erat.
Irrita pontifices habuerunt vota supremos:
Pontificum quamvis maxima cura fuit.
Quin sibi, dux, patres, gens omnis dura negabat,
De re decretis jussa tacere suis.
Et tacuit. jam lustra fere bis quinque peracta:
Nec patrio insontes non caruere solo.
Tantæ molis erat dissolvere gesta senatus
Vindicis, offensæ nec meminisse suæ.
Sive Themis contra, seu fatum staret iniquum:
Seu mala sors densas necteret usque plagas.
Ast ubi summum apicem, Chisi bone, nactus honorum es:
Digna novo præstas nomine, digna loco.
Gordius hic nodus. quæ vincula tanta secaret,
Fortis Alexandri debuit esse manus.

II.

In JOAN. PAUL. OLIVAM, *Generalem Societ.* JESU: *cum solo capite pictus esset.*

HIC solum os magni, spectator, cernis Olivæ.
Plus ne quære: animi robur in ore vides.

III.

Τὸ αὐτὸ ἐξελληνιζόμενον.

ΕΝθάδ' ὁρᾷς ἴσως, μεγάλου στόμα μοῦνον Ὀλίβα.
Μὴ θέλε πλεῖον· ὁρᾷς τοῦ μένος ἐν στόματι.

IV.

Ad Joannem, cui Maria Jesum ostendit dormientem venerabundo ac supplici.

Raphael Urbinas pinxit. Franc. Polliacus sculpsit.

QUID mater natum velo tibi monstrat aperto?
Visus, adhuc alvo cum tegeretur, erat.
A te visus erat, cum tu tegereris & alvo:
Nec geminus vetuit nosse parentis obex.
Coram ibi, cum nosses, salisti corpore toto:
Hic tendis junctas ad pia vota manus.
Quid, quod adorasti flexo tum poplite numen?
Hoc facis: hic infans ora precantis habes.
Audiit a primo conceptu Christus: & audit,
Dormiat in cunis nunc licet ille suis.

Sis

Sis ubivis supplex, ubivis venerare jacentem:
Ipse potest nullo non Deus esse loco.

V.

Effigies Christi vulgo dicta, Ecce homo.

Carol. Brunus pinxit. Ægid. Rosseletius sculpsit.

ARTE valet pictor, pictorem sculptor adæquat:
Illum vincis & hunc, Christe, dolore tuo.
Ecce homo, dicemus, qui talia fecit, uterque:
Talia, dicemus, qui tulit, ecce Deus.

VI.

In pictam effigiem Mariæ virginis Deique matris, quam Archiepiscopus Avenionensium Annæ Galliarum Reginæ dono dedit.

Pinxit primum Capuccius.

QUID spiret matrona gravis, formosaque virgo,
Quæ te, Diva, refert picta tabella, refert.
Non alio cerni in terris Sapientia vultu;
Gratia non alio, de tribus una, velit.
O Deus! o Natura parens! Conceditur Arti,
Divinum attingat tam prope pictor opus?
Spectator, moneo, caute venerare Mariam:
Non hoc vera loco femina; picta modo est.
Si dubitas, dedit hanc qui magno in munere præsul,
Scit satis: Anna, fuit cui data, dicet idem.
Quin opifex licet hic ægre se noscat, & hic se
Vicerit; ipse suam non neget esse manum.
Quam pulcra & sapiens sit Diva, Capuccius arte:
Sana per hanc, quantum polleat, Anna, doces.

VII.

In eandem expressam imaginem.

CUJUS habet scriptum pictoris pagina nomen,
Pingenda erravit virgine sæpe manus.
Huic bene successit tandem. miratur & hæret:
Tam similis primo visa tabella typo.
Est meus, est, inquit; trivi duxique colores;
Hic labor: ars Divæ tota sed ista meæ est.
Adjuvit bona Diva vicem nostramque suamque:
Nec me nec de se falsa referre tulit.
Quo non usque placet verum tibi, candida virgo;
Cui vel imago tui non, nisi vera, placet?

VIII.

In S. URSULAM *& socias undecies mille virgines.*

URSULA sprevit opes, formam, connubia, sceptrum:
Spreverunt sociæ quæ sua cuique bona.
At, Superi, quot erant? Decies plus mille puellæ:
Et sua spreverunt omnia, quotquot erant.
Hæc, ceu ficta, negas? Nunc fiunt: vera fatere.
Talia totque frequens, hac duce, virgo facit.

IX.

In effigiem S. URSULÆ *acu pictam ab Ursulinis.*

Suburbio Parisiensi Jacobæo.

PINXIT acu docta: sed doctius, Ursula, pingit,
Moribus effingens te tua turba suis.
Serica, lana, color, fallunt: vita omnia vere
Exhibet. historia est: ante poesis erat.

X.

In pictam imaginem A. B. D. L. perillustris matronæ.

HAC prope sum facie. Juno, Pallasque, Venusque
Cedant, cumque Helena tu, Pari, cede tua.
Nil mihi, nil metuo formæ, te judice, nostræ:
Et potes iratas non habuisse Deas.
Nec tener invideat rosea cervice Cupido:
Nec minus hoc tua te, si sapit, uxor amet.
Dant palmam faciles Divi: quid deinde recuses?
Das tu: mortalis quid mihi deinde neget?
Sic homines & cœlicolas: hoc amplius; ipsa
Me supero; & picta sum minor in tabula.

XI.

ANNÆ COLLINÆ, *spectatæ & probatæ feminæ, effigies, quam C. Brunus, multi nominis pictor, imperfectam reliquit.*

FALLERIS, hic veram pingi qui dixeris Annam:
Corpore multa; animo cuncta, minora vides.
Et sum, pulcra licet, tabula imperfecta. reliquit,
Diffidens arti, me rude pictor opus.
Bis rude: respondet neque enim pictura duobus,
Nec satis artifici, nec satis archetypo.

XII.

In imaginem Nantolianam FRANCISCI GUENALTII, *Reginæ Galliarum Medici primarii.*

NON ista Hippocratis facies, non ista Galeni:
Ingenium, unius cernis in ore, trium.

Τὸ αὐτὸ τῷ αὐτῷ μέτρῳ.

ΜΗΤΕ μὲν Ἱπποκράτης τόδε τὸ στόμα, μήτε Γαληνοῦ·
Ἀλλὰ τριῶν λεύσσεις νῦν, ἑνὸς ἐν στόματι.

XIV.

Ad HENRICUM LUDOVICUM HABERTUM MOMMORIUM *libellorum supplicum Magistrum.*

Solutum eum & facilem in scribendis epigrammatis, nec minus argutum esse.

QUID sonat hoc vatis: *Facile est epigrammata belle
Scribere; sed librum scribere difficile est.*
An, quia compositus liber est epigrammate multo;
Scri-

Scribere non iidem, plurima, pauca, valent?
Aut quia felicis labor est, epigramma venustum:
Casus & hic laudem, pæneque solus, habet?
Tu potes Hispanum falsi convincere vatem,
Mommori, facto diluis ista tuo.
Bella facis, cum vis, epigrammata; multaque, cum vis:
Ac neque te labor hic, nec labor ille gravat.
Non sibi sors partem, fatum non arrogat, ullam:
Tota est arbitrii libera vena tui.
Scribe parum, multum; raro, vel scribe frequenter:
Feceris ingenii, nec minus artis, opus.
Sint mihi, sint multis operosa negotia, carmen:
Carmen, ut est ludus, sic tibi ludus erit.
Et miscere sales, & acumine pungere nosti:
Sæpe minus salsi, vi sine sæpe sumus.
Pagina nil peccat, densis virtutibus imples
Cuncta: boni patimur quisque malique vices.
Esto aliis aliud liber, atque epigramma, poetis
Denique: res duplex, res tamen una tibi est.

X V.

Ad PAULUM BLANDUSTUM *divet jam senior ægrotans.*

ÆGER qui valeam, suspirans sæpe requiris.
Non mihi sedulitas officiosa placet.
Si neque sim locuples, senio nec pressus iniquo;
Suspecta hæc fuerit sollicitudo minus.
Paule, tuum de me, quicunque est, mitte dolorem:
Neu timeas, heres non potes esse meus.

X V I.

Ad EMERICUM BIGOTIUM, *clarum & insignem virum.*

Cum sibi mitti postularet a poetis ad divulgandum, quos quisque versus suos maxime probaret.

NIL agis, e nostris tibis vis quicunque libellis,
Carmina, quæ mihi sint optima visa, dari.
Nam modo præ cunctis longissima quæque probantur:
Et modo, quod brevius stringitur, illud amo.
Nunc & prima placent: nunc sunt magis ultima cordi.
Plus hæc cura recens; plus vetus illa juvat.
Sæpe alias oculis fastidio cuncta superbis,
Quæ cupido amplector mox foveoque sinu.
Denique lector idem quam raro judicat omnis,
Judiciis raro tam quoque consto meis.
Da mihi, quod carmen præponant omnibus omnes:
Da, quod præponam semper & ipse: dabo.

X V I I.

De violis inter urticas enatis.

VERE novo nuper violas dum forte legebam;
Circum erat urticæ copia densa malæ.
Subtimui: sed nil cupido gravis herba nocebat.
Tangitur illæsa sæpius ista manu.
Urticis, violæ, tactus, puto, mollior ut sit,
Hic datis: hic una sit date suavis odor.
Aspera quæ vobis mitescit planta propinquis,
Cur non hac oleat proximitate bene?

X V I I I.

Ad ÆGIDIUM MENAGIUM, *dotibus potissimum quatuor illustrem.*

TE doctum, largum, vacuum fastuque doloque,
Menagi, quibus es notior, esse volunt.
Nec nego, nec fateor: vero sunt quippe minora,
Plus scio, plus oculis denique credo meis.

X I X.

De horologio pulvereo metamorphosis.

PAR fuerat quondam Phrygiarum dulce sororum,
Quæ soboles uno nata gemella fatu.
His eadem species, habitusque simillimus oris,
Et color, & forma cetera membra pari.
Vix aliquis fratrum discreverit: errat in illis,
Anxius atque idem lætus, uterque parens.
Ut possint aliquo tamen internoscere signo,
Neu fallant natæ, ceu foret una, duæ:
Sedem cuique suam diversa parte dedere:
Pervia dividuo pariete bina domus.
Nominaque abjunctis ponunt diversa puellis:
Altera tunc Siren, altera Chrysis erat.
Sed, quia quam simili concordant ora figura,
Pectora tam fidus consociarat amor:
Illa vel ibat ad hanc, atque hæc remeabat ad illam;
Vel coram præsto corpore semper erant.
Utraque digrediens; Male sit properantibus horis
Ah nimium! Pereat tam breve tempus! ait.
Non tulit hoc dictum, non hos Saturnus amores:
Conficit injusta languida corda mora.
Fit breve, quando aderant: fit longum tempus, abessent.
Hinc atque hinc rabies, nec sine morte, venit.
Extinctis tumulum mœsti fecere parentes:
Lectaque sunt, loculo condita & ossa suo.
Visite, Saturnus, non secius, inquit: amato,
Ceu prius. urna duplex, sed cinis unus erit.
Ex illo deinceps Saturno servit & horis,
Qui fluit assidue, mixtus uterque cinis.

X X.

Ad JOANNEM BAPTISTAM COLBERTUM; *publicæ pecuniæ simul & munificentiæ Regiæ Administrum.*

COLBERTE, alterius Mæcenas Cæsaris alter,
Quique tuum exemplar vincis, ut ille suum.
Ipse tibi ferrem, si magni hæc nostra putassem
Carmina: quod nihili non puto, mitto tamen.
Qualiacunque, novo certe de Cæsare cum sint,
Ad Mæcenatem convenit ire novum.

X X I.

Ad eundem, cum literariæ exercitationi publicæ liberorum præsens interesset.

MENTE parem vasta tibi vix, Colberte, putabam:
Ecce tamen nati jam duo pæne pares.
Certe aliquando pares. Quid restat? Par sit & æquus
Rex horum meritis, ut fuit estque tuis.
Nempe pater natos possis educere tales:
Tanto æquare patri, Rex nisi, nemo potest.

XXII.

De donis à REGE CHRISTIANISSIMO *in viros elegantioris literaturæ collatis.*

PALLADIS in celebres doctæ Lodoicus alumnos
Effudit larga millia multa manu.
Est tamen, o Superi! turba est non parva querentum,
Corrumpant dictis qui benefacta malis.
Præteritos unus potiores clamat; & alter,
Doctrinæ modicos præmia ferre viros.
Est qui plura datis cupiat meruisse videri:
Est qui donari non nisi solus amet.
Externis alii quia sunt communia Musis,
Ista parum civem dona decere volunt.
Scilicet innumeros non præbet Gallia doctos?
Quærendi peregre, queis bene fiat, erant?
Cui das ergo aliquid, cui das nihil, optime Regum;
Obstrepit hic meritis, obstrepit ille, tuis.
Quid faceres? Ranæ ingratas dent ore querelas:
Jupiter irriguo non secus imbre pluit.

XXIII.

Ad REGEM CHRISTIANISSIMUM *in obtrectatores Regiæ erga literatos munificentiæ.*

RUMPITUR, obtrectatque tuis, Rex optime, donis
Livor, & alterius fit miser ipse bono.
Quid tibi, quid dignum precer huic? Pergatis utrique:
Des tu more tuo: mœreat ille suo.

XXIV.

Ad eundem, neque Regia facta polite scriptis: nec polite scripta æquari pecunia Regia posse.

REX bone, clarorum qui scripta polita virorum
Hoc agit ut penses, nil gravis auctor agit.
Dunkercam pretio potes acquisisse soluto:
Marsalis & quanti est, fœdere pacta tibi est.
Ecquis inexhausta quamvis rex turgidus arca,
Ingenii pulchras ære rependat opes?
Sed neque facta pari tua laude æquaverit ullus,
Eloquii dives quamlibet arte fui.
Tu, scriptorque tuus, jam conturbare potestis:
Quo sua dissolvat nomina, neuter habet.
Si tamen, amotis, expungere mutua, nummis,
Debita; si tabulas vultis utrimque novas:
Effice, quæso, minus: scribat magis ille polite.
Non aliter vobis hic licet esse pares.

XXV.

Ad eundem, in idem argumentum.

GRATARI studiis, o Rex, & clara fovere
Ingenia, & donis extimulare, paras.
Omnia sic recte, fateor: regale numisma
Utilius nusquam, splendidiusve loces.
Sin emere argento vis & mercede pacisci;
Ut numquam non sis debitor, ipse facis.
Quo rerum plus nempe geris, plus debita crescunt.
Siste, modumque tibi pone: solutor eris.
Tunc satis æquabunt meritas tua munera laudes:
Non tua, si pergis, solvere regna queant.

XXVI.

Ad eundem, valetudine recepta.

QUÆSITUM, quo tu morbo, Lodoice, jaceres,
Quæve lues tantum dira sit ausa nefas.
Pars hic te rubras, maculosum corpore toto;
Pars & lividulas sensit habere notas.
Alvum alii stomachumque nimis voluere resolvi,
Dum caput attonitum, febre gravante, dolet.
Dicere si verum liceat mihi, pace medentum;
Rex, mihi si liceat dicere, pace tua:
Contages & virus erat, quod serpat in omnes;
Ægra fuit morbo Francia tota tuo.
Sed bene, nemo alios sanat, quia sanior ipse:
Francia, quod valeas, salva salute tua est.

XXVII.

Ad MARIAM TERESIAM, *Galliæ Reginam, multis nominibus summe laudabilem.*

CONSPICUAM te laude quidem, Regina, fatemur:
Sed dubitant, quæ sit laus tua summa, Sophi.
Te præstare volunt alii natalibus altis:
Ille genus matris venditat, ille patris.
Dotem alii numerant, & spes in dote reponunt.
Quanta, quot, heredem regna paterna manent!
Mirantur formæ multi decus, atque juventæ.
Indole, tu mitis, tu generosa, places.
Hactenus hi: Melius, dictum sit pace Sophorum,
Commendat virtus te tua, virque tuus.
Hoc virtutis habes, tanto quod digna marito es:
Illud habes, proles quod tibi tanta, viri.

XXVIII.

Ad PHILIPPUM, *Aurelianum Ducem, &* HENRICAM *conjugem, par insigne humanitatis & morum elegantiæ.*

De filia utriusque.

NAM quis te, Princeps, usquam mansuetior unus?
Et quæ te, Princeps, blandior una fuit?
An se, aliis major, quisquam civilius egit?
Flexit corda magis, demeruitque, virum?
Ullane splendidior, cultuque indulsit honesti
Lautior, illecebris vicit & usque novis?
Gratia nempe triplex vobiscum nata duobus,
Crevit & in vestro dulce decensque sinu.
Tam belli sitis cum moribus, & vir, & uxor;
Quis primus vobis partus? Amabilitas.

XXIX.

Maxima natu GASTONIS *Aureliani Ducis filia.*

GRATIA Diis superis: me maxima quatuor ornant;
Ingenium, sanguis, mens generosa, & opes.
I, Fortuna: minor nisi sim, felicior esse
Si nequeo; bona jam si tot & ampla nocent:
Nil nova dona moror: nec tanti est crescere per te.
Ipsa tuas serva res tibi: malo meas.

XXX.

XXX.

Explication de la même Epigramme pour Mademoiselle.

Par Monsieur DOUJAT Conseiller au Parlement.

GRACES *aux immortels, je receus en partage*
La noblesse & les biens, l'esprit & le courage.
Destin, s'il faut avoir de moindres qualitez,
Pour monter par ton ordre aux grandes dignitez:
Conserve tes faveurs: je n'en demande aucune.
J'ai dequoi mépriser la plus haute fortune.

XXXI.

Ad eandem, de ipsius munificentia.

EST princeps, nihilo privato major, avarus:
Est largus nihilo principe & ipse minor.
Nympha, potens eum sis; cum sis largissima dandi:
Quæ tibi laus, duplici nomine, quanta, venit?
Sors bona posse dedit: virtus dare. major utrumque es:
Hic opibus cedit; moribus ille tuis.

XXXII.

Ad eandem, in idem argumentum.

EST multum, ditem; multum est quoque vincere largum.
In laudes veniunt hæc duo, Nympha, tuas.
At quanto melius dantem, quam vincis habentem?
Quanto est, largiri, majus: habere, minus.
Plurima possideas, facit ingens census avorum:
Plurima des, tua mens larga capaxque facit.

XXXIII.

Alencionensis, tertia GASTONIS *Aureliani Ducis filia.*

Sperandum quidvis, Rege auctore & fidejussore.

NIL spirat, nisi sceptra, soror mea maxima natu:
Et valida sceptrum digna tenere manu est.
Altera, quæ paucis annis mihi prævia, magno
Nupta Duci, magnos est paritura Duces.
Quæ sequitur, gaudet, tantum non Rege, marito:
Usque adeo in tanta Regia cuncta domo.
Sum dilata quidem, sed nulla ex parte relicta.
Quid si per modicas multum ego eresco moras?
Certe, securam qui me jubet esse, sororum
Invideam nulli, Rex facit; & faciet.

XXXIV.

In eandem venatricis habitu expressam.

Cum pictor arcum ei sine nervo imprudens appinxisset.

ARCU nervus abest. Sed nec jace, dextra, sagittam.
Venatrix oculis vulnerat ista suis.

XXXV.

Τὸ αὐτὸ ἑλληνικῶς κατ' ἔπος.

ΝΕΥΡΟΝ ἄπεισι βιοῦ. χεὶρ δ' οὐ βάλε καρτερὸν ἰόν.
Ὄμμασιν οὐτάζει ἥδε κυνηγὸς ἑοῖς.

XXXVI.

Ad LUDOVICUM BORBONIUM, *Principem Condæum, de Henrico filio, Duce Anguiano.*

O QUI consiliis vales & armis,
Et, quod grandius est, peræque utrumque,
Et, quod grandius, absque fastu utrumque:
Hic ille unicus, ille singularis,
Quid de te meruit, meretque natus,
Quod tam ardenter amas, habesque earum
Magis, quam soleant habere patres;
Magis, quam soleant habere matres?
Artes ille quidem tener paternas
Cultæ perdidicit statim Minervæ.
At non Martis item subire pondus,
Non tentare acies periculosas;
Nec Condæus adhuc, nec Anguianus,
Tu nunc qualis es, ac prius fuisti,
Esse idem potuit, rudes per annos,
Per & tempora, Dii boni, malignas
Nec totum potuit referre patrem.
Quanquam nunc quoque vix secundus ulli,
Et, si quo, patre sit minor futurus.
Respondes, video, satisfacisque:
Quid me, inquis, mea, curiose, poscis,
Et quem, quatenus, oderimve amemve?
An non cuique datum, suo arbitratu,
Suo judicio, suos amare?
Aut, si perdite ament vel hi, vel illi,
Non se jure putent amare vel sic?
Te longos tamen haud morabor annos;
Seu dum evaserit in virum, mihi par;
Seu dum clarior, id quod ipse malim,
Et felicior undecunque natus.
Ista est, crede mihi, ista causa amandi
Justa, honesta, gravis, parenti utrique,
Quod non degenerent avis nepotes.
Quid si jam pede nos pari sequantur?
Quid si, nec spatio brevi, antecedant?
Quare, cur mihi, si rogas, ametur
Mente alta juvenis, speique tantæ;
Spe, quam datque sui, dedit que semper,
Respondet tibi: te remitto ad illum.
Audin' intrepido ut loquatur ore
Hostem, prælia, laureas, triumphos,
Et quæ de sobole hic tacere patrem,
Gaudentem tacite, in sinuque, oportet?
Respondes tibi: te remitto & ad te.
Dictum jure tibi tuum repono:
Hic ille unicus, ille singularis,
Non ortu modo, sed magis quod artes,
Pacis, militiæ, ambidexter, omnes,
Armatæ ante alios Minervæ alumnos,
Et doctæ ante alios Minervæ alumnos,
Norit plus digitis suis, ametque
Idem plus oculis. Quod ergo bis sit
Hic ille unicus, ille singularis:
An non hæc mihi causa justa amandi?

XXXVII.

Ad eundem.

QUÆ cecini de te, mecum, Condæe, legebas:
Cor saliit tremulo, voxque, manusque, mihi.
Si blandis terres oculis, si voce benigna:
Per medias acies quid tuus ensis agit?

XXXVIII.

Ad CLARAM CLEMENTIAM MALLIAM BRESÆAM, Principem Condæam.

QUÆ, Condæa, tibi spes natus? quanta voluptas?
  Quale decus conjux præsidiumque tibi?
Diligis hunc ardenter & hunc, dubiumque, duorum
  In tanto potior quis sit amore, facis.
Si qua fides, mihi plus uter, inquis, nescio ametur.
  Hoc scio, quod vita plus amo utrumque mea.

XXXIX.

Ad eandem.

DUCEBAS, ducis placidam, Condæa, quietem:
  Nec minus interea, sicubi oportet, agis.
Gesta tibi, magno non inficianda marito:
  Gesta tibi, nati nomine digna tui.
Nempe vir est liber? Cessas. Non liber? Agendi
  Imples tu partes illius, atque tuas.

XL.

De nuptiis HENRICI BORBONII *Ducis Anguiani*, & ANNÆ BAVARICÆ *Principis Palatinæ.*

QUOS ego vos memorem, junctos modo lege marita:
  Qua tu sis dignus conjuge, tuque viro?
Vos cognatorum series longissima regum
  Hinc decorat titulis & simul inde suis.
Vos census, & opes, & honorum copia felix,
  Quæque satis possint regibus esse, manent.
Sponse, tibi grandes animi, doctrinaque abundans,
  Dexteritas magno nec minor ingenio.
Sponsa, tibi forma est, status, incessusque Dearum,
  Cetera, queis superos emeruere Deos.
Quin etiam doctas coluisti impensius artes.
  Scis linguam hanc: scis hos, te quibus orno, modos.
Quid sorti deest eximiæ? quid dotibus amplis?
  Sceptra decent vestras regia, credo, manus.
Et dubitemus adhuc, qualis sit, quantus uterque?
  Nos hæc matre sua sat docet, ille patre.

XLI.

Ad ARMANDUM BORBONIUM *Principem Contium.*

REGALES hausisti animos a sanguine, Conti:
  Excoluit studiis Pallas amica suis.
Non neget hæc livor: testari possumus, ævi
  Quod specimen dederint tempora prima tui.
Ingenii motus celeres, præsentia mentis,
  Linguaque facunde, quod velit, apta loqui.
Ludus erat penetrasse animis longe intima rerum:
  Ludus erat nodos expediisse graves.
Nunc super adveniens obscurat & omnia virtus,
  Deprimit & pretio maxima quæque suo.
Quid tibi vis, Conti? Vilescunt & tua per te.
  Præ virtute tua, cetera parva facis.

XLII.

Ad ANNAM MARIAM MARTINOSSIAM *Principem Contiam.*

HEROINA, quibus demum te laudibus ornem,
  De qua jam laudes, hostis, amicus, habet?
Hostis, erat, dicit, non dignus avunculus illa:
  Illa suo digna est sanguine, amicus ait.
Elige utrum malis. Per me, sint omnia muta;
  Dum sonet hostili nomen in ore tuum.
Qui te sic, aliena simul commendat, amicus:
  Qui te sic hostis, quæ tua, sola canit.

XLIII.

Ad Comitem Claromontanum, Contii Principis filium.

SEPTEM habet heredes sibi Gallia: septimus ipse es.
  Quatuor heredes gens tua: quartus & es.
Deficiat ne stirps, ad paucos forte redacta,
  Regia; concessa pro tibi parte, caves.
Ut Condæa domus genus immortale propaget;
  Idem, concessa pro tibi parte, juvas.
Quo non in pretio debes puer esse? Parentum
  Spes alis hinc, patriæ tollis & inde metus.

XLIV.

Ad Principem Contium, de FRANCISCO LUDOVICO, *minore natu filio.*

NONDUM mater erat tunc prægnans: Mox erit, inquam:
  Annuit & dictis Juno benigna meis.
Mater erat mensem vix prægnans: Mas erit, inquam:
  Annuit & dictis Juno benigna meis.
Natus deinde puer, sed dignus utroque parente:
  Bellulus, & quali diximus ore fore.
Ut neque formosis cedat, puer ipse, puellis:
  Nec majore quidem fratre sit ipse minor.
Qui sic prædixi, Conti; sic præcino natum:
  Quis, quoties, vates sumque suique tibi?
Jam si, pro duplici, quo gaudet, nomine, dico
  Quantus erit; vates quis tibi rursus ero?
Non satis infanti matremque patremque referre:
  Implebit patrui, nomen ut, acta sui.
Talia divinans, cum sim tibi magnus Apollo:
  Talis qui fuerit, quis tibi natus erit?

XLV.

Ad Sinuessam, nobilem & primariam in aula feminam.

PLURIMA de multis aulæ, Sinuessa, loquuntur:
  Nec tamen est de te sermo, nec ante fuit.
Cur ita? Num quod sit tua magna timenda potestas?
  Haud parcit summis libera lingua Deis.
Nemo quod obtrectet formæ? quod nemo juventæ?
  Hinc atque hinc nasci fabula sæpe solet.
Cur igitur, dum forma viget, dum junior ætas,
  Cuncta licent; loquitur nil tamen aula? Sapis.

XLVI.

XLVI.

Ad Norbanum, cujus in summo discrimine cometa de cœlo fulsit.

SIve tibi infamis laqueus, quod abominor, inflet;
Frigida seu ferrum nobile colla secet;
Carcere, an exilio pereas, Norbane: tuo me,
Quam Fidentini, plus juvat esse loco.
Ducit eo saltem clara te luce cometes:
Nescio quas tenebris hic üt in tenebras.

XLVII.

Ad GUILIELLMUM LAMONIUM, *Senatus Parisiensis principem, poeta Apollinem, Musas, Gratias, Themidem, allegat, ut amico litiganti fiat audientia.*

PEr Phœbum, Musasque novem, te, magne Lamoni:
Per triplices junctas, quas colis, oro, Deas.
Perque manus truncas Themidis, per lumina cæca,
Per tibi quas lances tradidit, oro, duas.
Tu litem; cum lite, moras mihi tolle forenses:
Quodque meæ est operæ, contrahe, quodque tuæ.
Judicio causam dederis bis vincere in uno:
Bisque meo dederis sic mihi jure frui.
Sed quid ego hæc autem, quid principe digna Senatus;
Quid te per vatum numina cuncta rogo?
Tantam turpe Deis, vati grave, ferre repulsam:
Nil rogo des. Audi me modo: quid minus est?

XLVIII.

CAROLO SANCTAMAURO, *Duci Montauserio, quem per imprudentiam Marchionem inscripsit.*

FOrte Ducem te, solum esses cum Marchio, dixi:
Marchio, Dux cum sis, dictus, ut ante, mihi es.
Nil pecco: nec eras minor illo nomine nuper:
Nec te majorem vox Ducis ista facit.
Per titulos alii: per te, vir maxime, crescis.
Debes te genio, quantus es, ipse tuo.
Marchio, Duxque, foris hæc sunt a Principe dona:
Consilium, robur, mens, tibi nata domi.

XLIX.

Eidem, in idem argumentum.

NOn regum est, pretium, ut nummis, ita ponere factis:
Quisque valet, merito quod valet ipse suo.
Aptaque ut ex sese virtus, sibi sit sua merces:
Sic repetit nomen non aliunde bonum.
Carolus appellens & Sanctamaurus ad aures,
Aures legitimis implet utrasque sonis.
Cetera quæ vanum distinguit nomina vulgus,
Confundo, vel non sat scio, vel taceo.

L.

Ad HARDOINUM PEREFIXÆUM *Parisiensem Archiepiscopum: cum in possessionem sedis primum ac dignitatis venit.*

O Qui præclaris animi virtutibus ampli,
Ingenium varias quas habet, addis opes.
Ante quidem regum primo documenta dedisti:
Nunc decorat primæ te sacer urbis honos.
Quippe decet, jus est, belle quadrat, unus & idem
Erudiat reges, erudiat populos.
Quid sequitur? Lana est pastorum: purpura regum.
Inde color, lanam qui tibi tingat, erit.

LI.

Ad eundem, in eandem sententiam.

JAm semel atque iterum Præsul, bis murice fulges:
Tertia te melior purpura quando teget?
Hoc citius, quod te nostrum possimus eodem
Tempore, te possit dicere Roma suum.
Quæ demum invidia est, postquam nil Sequana perdit,
Si Tibris, major, quam prius, amnis eat?

LII.

GUILIELMO LAMONIO, *Senatus principi, poeta gratias agit, quod facta sit amico litiganti audientia.*

VIcimus: audisti tandem nos, magne Lamoni.
Vicimus: audiri vincere quippe fuit.
Quem tegis imbellem, cui tu succurris egenti,
Qui te servatus vindice sæpe cliens:
Hi grates habeant, de se quod tanta mereris.
Grates, audieris me quod amanter, ago.
Nec minus esse reor, quam si tueare vel ipse,
Vel gnatus causam, quo valet ore, meam:
Aut tua me solvat si crimine magna potestas;
Restitui crepitas si mihi cogat opes.
Dii, quibus id tribuis, referent: Diis grandia solis
Et pensare licet quæ facis, & facere.
Est, audire homines, Divum pia cura potentum:
Auditus miseros hic sine voce beat.
Mutua res: audis alios, Dii teque vicissim.
Reddis felices: nec potes esse miser.

LIII.

Corsi milites Roma pulsi.

MIssus ab urbe domum & natales Corsus in oras.
Exulat in patria, quis putet? ille sua.

LIV.

FLAVIO CHISIO *Cardinali, ad Regem Christianissimum a Latere Legato.*

De effusione omnis ordinis hominum, qui Vicennas ad eum venerabundi confluxerunt.

CUi bene non dicis, bene non facis, optime Chisi?
Cui tantus tanta non bonitate places?

Moribus his, populos ad te cito pertrahis omnes,
Effusa vacuas & facis urbe domos.
Ecce, Vicennana degis dum lentus in arce;
Perpetuo excurrens agmine, civis adit.
Te circumcingit, circum tua tecta moratur,
Divelli aspectu nec potis ille tui.
Intres Parisios, non intres denique, muros:
Ex urbe in mediis urbs tibi fiet agris.

L V.

Ad eundem, in idem argumentum.

QUID visurus eas urbem, Legate, propinquam?
Ante tuos tota est jam tibi visa pedes.
Intra quid properes urbis te mœnia ferre?
In medio jam te gestat amica sinu.

L V I.

Ad eundem, cum admissus aula est & a Rege exceptus.

MILITIS horrendos summus pater improbat ausus:
Odit, & infectum vult pia Roma nefas.
Hæc verbis, Legate, libens testaris amicis:
Rexque sibi factum plus satis inde putat.
Ille novo cumulat te lætus honore vicissim:
Tuque tibi factum plus satis inde putas.
Nempe, quod est vobis dignum, præstatis uterque:
Tu patrui, nati sustinet ille vices.

L V I I.

Lutetia ad eundem, cum in urbem solenni pompa invehitur.

NAM quid id est, Chisi, quod jam mihi proximus, intra
Tu mea distuleris mœnia ferre gradum?
Credo ego, nescieram quam multa dote valeres:
Esses quam patruo dignus & ipse tuo.
Nescieram, Latiæ spem quantam ostenderis aulæ:
Quantum Roma suum te putet esse decus.
Nec noram, quantos tibi debeat orbis honores;
Quas tibi delicias dicere, quas facere.
Qui te pro meritis excepit scilicet, hic me
Officium docuit Rex meus: & didici.

L V I I I.

Eadem Civitas ad eundem.

QUOD tibi sponte mea, Chisi, Lutetia reddo
Nil queo sub tali reddere Rege minus.
Exemplo præit ille: sequor. verbo imperat ille:
Pareo. nil majus reddere deinde queo.

L I X.

De Regis Christianissimi & Legati pontificii magnificentia.

MAGNIFICI Rex & Legatus; discrepat unum.
Alterius partes hic gerit: ille suas.

L X.

De cantu sacrarum virginum, in Monte quem Martyrum appellant, proxime Lutetiam.

TINCTUS ubi quondam procerum Mons cæde piorum:
Quæ sacra virgineus nunc juga cœtus habet.
Annua lux memori Michaelem laude ferebat.
Audio: jam festo carmine templa sonant.
Quis cantus, superi! nobis quam blandus ad aures
Accidit, attonitos detinuitque animos!
Ars aberat longe illa tamen, vel abesse putabam,
Miscet quæ varios quatuor una sonos.
Dixi ego tunc: Non est, vox firmior ista, puellæ.
Non est, alter ait, dulcior ista, viri.
Vere utrique. Fuit vox nulla humana. canebat
Aligerum, socio pro Michaele, chorus.

L X I.

JOANNES DUJATIUS, *in Curia suprema Parisiensi Consiliarius, juris una & poeticæ cultor.*

HINC amat Astræam Dujatius, inde Thaliam
Parnassi studiis deditus, atque fori.
Altera Diva nequit sociam, nequit altera ferre:
Seque coli minus hæc, se minus illa putat.
Forsan & una nimis tetrica est; nimis una jocosa.
Utraque disparibus gaudet amata procis.
Parcite, rivales Divæ. Mos non sit amantum:
Iste potest uno tempore amare duas.

L X I I.

Cleo, vindemia facta, poeta muneri tulit acinum ex uva, frondem e vite.

FRONDEM acinumque Cleo mihi dat. vindemia tota,
Uva illi: vitis, planta vel una fuit.

L X I I I.

Aliud in idem.

PAMPINUS atque acinus, lepidi donum omne Cleonis.
Unicus huic palmes, vinea tota fuit.
Unica & uva fuit pariter vindemia tota.
Cui tantum est, tantum nonne dedisse sat est?

L X I V.

Contra vulgi superstitiose dictum: senem qui ædificet, inter opus, aut ab ædificatione statim, mori.

ÆDIFICO. moriere, inquis. Tibi credimus, inquam:
Desino. Num moriar, dic mihi quæso, minus?

L X V.

Cæcus idemque senior, uxorem ducens.

UXOREM cæcus, gravis annis, duxit Amyntas
Phyllida. Quid sequitur? Ducat ut illa virum.

LXVI.

LXVI.

Cantores, laudati versibus, ne verbo quidem gratias egerunt.

TAM genus ingratum cantores, quam rude. Vox est
His bona: sed grates dicere lingua nequit.
Mens obtusa & hebes, grates quoque nescit habere.
Deest animus stupidis: quomodo gratus erit?

LXVII.

Ad LUDOVICUM XIV. *cum globos intueretur ex ære duos, cælestem ac terrestrem.*

REX, qui cœlestes junctos terrestribus orbes
Aspicis & mundum lumine utrumque pati:
Tolle utrumque tibi, nec cœlo divide terram:
Possidet hos pariter jam tua fama globos.
Vis tractare tamen faciles? vis flectere habendo?
Vis indefessa ferre referre vice?
Ne gravet insueto moles tam vasta labore,
Neu satis ad vires non quadret apta tuas:
Partem parte leva, fac & decrescere certo
Quamque modo: tibi opus divide, teque operi.
Terra, leve est quod portet onus tua maxima dextra:
Est humeris cœlum sarcina justa tuis.
Unde alios mundos atque intermundia gestes,
Si fuerint; reliquum corpore robur erit.

LXVIII.

In præclaram effigiem MICHAELIS TELLERII, *Regi Christianissimo a secretis, mandatis, actis.*

TE natura gravem, mista dulcedine, fecit,
Telleri: hos vultus ars imitata duos.
Sic pictor reddit, sic sculptor imagine fida.
Quid virtus? facies dat tibi mille suas.
Strenuus, & constans, acerque, sagaxque videris,
Magnorumque operum dexter ad omne genus.
Has, alias, facies virtus tibi: pectus ad unum,
Ut te sis, oculis qui videare, dedit.

LXIX.

LUDOVICUS ADEODATUS *ad Calvinianos.*

Cum Henrici IV. & Ludovici XIII. nomina & facta identidem in causa sua opponerent.

VOS dilexit avus, timuit pater: est ego neutrum.
Nam quod amem, nihil est: quod metuam, minus est.
Rex eguit vobis: Rex vobis debuit alter:
Non vobis quicquam debeo, non egeo.

LXX.

In Pyrgostratonicum, magnum Maurorum interfectorem.

CANTATUS toto Pyrgostratonicus in orbe,
Quo duce Thrax Mavors discere bella queat,
A summo medium Mauri spectabile & ingens
Corpus fulmineo protinus ense scidit.
Quod mirere tamen, Maurus post fata cucurrit:
Quæque viri est virtus horrida, currit adhuc.
Sed minime currit. Vel fallis, Fama: vel ipsa
Falleris, ille domi, salvus ut ante, sedet.

LXXI.

In Guidonem transmarinum iisdem belli facinoribus gloriantem.

DIFFIDIT ingentem supremo a vertice Maurum
Guido potens armis trans mare cisque suis.
Diffissus, res mira, fugax simul, impete vasto
Currebat, currit qui quoque Maurus adhuc.
Fama loquax, Maurum vis unum an currere plures?
Aut nullum, aut Mauros currere credo duos.
Frusta quidem certe bifidi cum corporis hic sint:
Hinc & dimidium currit & inde suum.

LXXII.

Ejusdem argumenti.

SANCTA Fides, sectum frusta in duo currere Maurum
Credis? Crede simul vivere, crede mori.

LXXIII.

In atheum diris se omnibus, cum moreretur, devoventem.

IMPIE, te stolidum prodis quoque. Dæmonas ad te
Sæpe vocas moriens, quos tamen esse negas.
At Deus est aliquis certe: sunt dæmones. ille
Te verum cogit dicere: & hi furere.

LXXIV.

De apro, quem dono dedit amicis LUDOVICUS BORBONIUS, *Princeps Condæus.*

TU ferus & sylvestris eras, aper improbe: sed te
Nunc facit urbanum, quæ dat amica manus.
Quo donum fieres, te mansuevisse putemus,
Et Domini gladium sponte subisse tui.
Nunc rigidas audet pistor contingere setas:
Ora nec ipsa coquus dente timenda timet.
Et laudat conviva frequens bona terga caputque,
Et venatorem tollit ad astra tuum.
Quam facile & forti sævum te nempe peremit,
Tam facile & larga dat quoque dona manu.
Ille suos habeat gratos sic semper amicos:
Sic hostes bello mactet & ille suos.

LXXV.

De apro, quem HENRICUS BORBONIUS, *Dux Anguianus, amicis muneri misit.*

Cum eum coquus imperitus, condimentis alienis, & coctura parum idonea, corrupisset.

UNICA venantum pulcherrima præda virorum,
Magnanimique Ducis nobile munus, aper:
Quæ tibi, quanta tuæ fit nunc injuria genti,
Quod cadis in miseras, post quoque fata, manus?
Qui male conditis corrumperet optima succis,
Nactus es indoctum, proh dolor, ecce coquum.
Te verubus figat, det furno, in jura resolvat:
Cum

Cum toties pereas, pars quota salva tui?
Quantum apri tibi restat adhuc? Non vivus, ut olim,
Es modo; non, cæso corpore qualis eras.
Non epulis color, aut noti mansere sapores;
Nec licet admota noscere nare suem.
Est ubi cæpa gravis, piper est ubi triste redundet:
Sunt insulsa suis, cruda, vel usta, locis.
Sed quid ego hæc? Dicas sævo incantata veneno
Omnia. Pæne cicur bellua, facta fera est.

LXXVI.

In idem argumentum.

DENTE trucem gemino, sus, te natura creavit:
Venator multo vulnere stravit humi.
Plus tamen ambobus, coquus tibi fœdat & ora,
Dissimilemque facit te coquus esse tui.
Non quo more, nova conditus suaviter arte,
Et decus, & cœnæ diceris esse caput:
Sed quo, subtili mollis conviva palato,
Respuit ingratas, ore vomente, dapes.
Ecquis enim noscat, qui sis aper? unde per ignem
Durior, admixtis deteriorque bonis?
Quod superest, vis in formam migrare priorem?
Ingenio possis non magis esse fero.
Vis te securum: vis intactumque relinqui?
Nunc licet hac etiam commoditate frui.
Ipso te feritas convivæ a dente tuetur:
Appones magno, tam sapuisse, lucro.
Ne te tempus edax, ne tangat edacior hospes;
Non male, crede mihi, salque piperque cavent.

LXXVII.

In Idem.

DUx venator apri est: dono dux misit amicis.
Non perit huic donum: tu, coque, perdis aprum.

LXXVIII.

In Reginam, Regis Francorum matrem, ANNAM AUSTRIACAM.

De spe & modo convalescendi. 1666. Cal. Jan.

ILLA ego, Francigenis Regem pacemque superbis
Quæ peperi, duplici nomine facta parens;
Hos alui jugi præstantes ubere fœtus,
Donec & hic firmo staret & ille gradu.
Inde vices patris implevi. rex debet adultus
Se totum curis, pax & adulta, meis.
Quos pro Rege libens adii, pro pace labores?
Quot varios casus, quanta pericla tuli?
Desino jam: nutrita mihi satis utraque proles:
Utraque ab officio languida mamma pio.
Quod si, ut duretis longum, mea pignora, in ævum,
Matris opus vita sit quoque: vita datur.
Haud ignara, sinum pro vobis præbeo morti,
Quæ didici toties opposuisse caput.
Dixerat. Ecce nova Spes venit ab arte medentum:
Nec tales animos passa perire Salus.
Sana fit Anna: vigent revocatæ in pristina vires:
Pæne nitet formæ, qualiter ante, decor.

Restabat, quæ mente fuit, sit corpore Amazon.
Altera sublata est: altera mamma manet.

LXXIX.

Ejusdem argumenti.

ANNA caret lævo; sed Amazonis ubere dextro.
Utraque par: si par hæc tamen uber habet.
At cunctis plus dextra valent si cuncta sinistris;
Numquid Amazonide est qualibet Anna prior?

LXXX.

De filia primum nata HENRICI BORBONII, *Ducis Augiani.*

CUNCTA patri puerum spondebant: nata puella est,
Spondet venturos certius ista mares.
Callida prolusit sexu natura minore,
Ut generis faciat nobilioris opus.
Adde quod, a primo cum sint mollissima partu;
Ante soror fratres debuit ire suos.
Quæ si firma tamen nata est, si vivida crescit:
Robore quo proles deinde virilis erit?

LXXXI.

Ad LUDOVICUM BORBONIUM, *Principem Condæum.*

In fragmentum novum, sive assiitam Petronio laciniam.

ASSUITUR compti satiris male cento Petroni:
Nec fraudem, Princeps ingeniose, vides?
Miraris, tacitas quemquam captare latebras,
Nomen uti laudi subtrahat ipse suum.
Crede mihi, haud una fallacia regnat in aula:
Haud unum vendit callida jura forum.
Mercurii sunt furta: tuo sunt & sua Marti.
Cur careat vafris docta Minerva dolis?
Grandia cum facias, vites fecisse videri:
Tu fucum, Princeps, sic quoque, nonne facis?
Cum nihil ignores, quæras plerumque doceri:
Numquid & hac doctos decipis arte viros?
Ergo cave insidias, ne decipiare vicissim:
Utque vales ipsum nectere, solve, dolum.
Centonum verus quo se magis occulit auctor,
Centones falsos hoc magis esse puta.

LXXXII.

De fragmento eodem.

QUID mirum si, Lector, habes mala frusta Petroni
Nota minus; linguam noris utramque licet?
Hic nihil e Latio: nihil almas spirat Athenas:
Nec vetus hos fœtus, nec nova Roma tulit.
Si qua tulit tellus, tellus ea fecit abortum:
Et bene, qui scripto est huic pater, ipse latet.
Vestrum opus, ædiles, informem exponere partum:
Vestrum, portenti rite piare nefas.
Aut Tibris flavis abolebit dedecus undis:
Præbebit calidos aut pia Vesta rogos.
Nam quis is est scriptor vobis, quo jure Latinus,
Barbara quem cupiat natio nulla suum?
Pace tua dicam, rerum pulcherrima Roma:
Roma mihi non es, si tibi civis hic est.

LXXXIII.

LXXXIII.

Idem fragmentum in Dalmatia, ut volunt, repertum.

FRAGMENTUM ne crede: duplex Petronius est hic:
Advena Romano Dalmata servus hero est.
Iste sonum & linguam nunc primum discit herilem:
Incipit iste aliquid jam Latiale loqui.
Proficiet, spes est: interprete cognita nullo
Paulatim domini jussa loquentis erunt.
Quippe nihil deinceps peregrino effabitur ore:
Exuet & cultus rusticitate feros.
Inde sciet voces so mare ac verba decenter,
Junctaque legitimis continuare modis.
Dalmatia poterit non barbarus esse relicta:
Eloquii fiet Roma magistra sui.
Forsan & ex toto facundus habebitur olim,
Tunc cum libertus, qui modo servit, erit.
Sed multum studio, multum profecerit usu:
Servus par domino quando erit iste suo?

LXXXIV.

Ad LUDOVICUM XIV. *Regem Christianissimum in luctu* ANNÆ AUSTRIACÆ *matris optimæ.*

ABJICE, Rex, de matre tuum aut partire dolorem
Cum populo: populi, quæ tua, mater erat.
Quin totos in eum luctus, mœstasque querelas
Transfer, & ipse tuam parce dolere vicem.
Tu, major, tantusque, potes jam matre carere,
Dudum animis, dudum viribus usе tuis.
Quique celer tardos factis præveneris annos,
Vir subito, & numquam moribus ante puer.
At populus, semper minor annis, semper & infans,
Matris eget, quovis tempore, patris eget.
Matris eget, tenerum quæ complectatur alumnum:
Patris eget, valida qui tueatur ope.
Sed neutrius eget: tu, Rex, præstabis utrumque:
Ut matrem populus te colet, utque patrem.
Bello & pace teges populum, terraque marique:
Unus eris populo semper uterque parens.
Ergo tibi exstincta nihil, o Rex, matre gematur:
Te vivo, populus funera nulla gemet.

LXXXV.

Ad eundem ob idem.

GALLIA jacturam caræ ne fleverit Annæ:
Neu tua, quanta facis, Rex bone, damna fleas.
Arguet hanc & te Nemesis, fictеque dolere
Dicet, & in luctu delicias agere.
Cum tantum valeas ex te, quis dixerit orbum?
Gallia cum per te; quo tamen orba modo est?

LXXXVI.

Sur l'embrasement de la ville de Londres.

Par Monsieur DE BENSSERADE.

AINSI *brûla jadis cette fameuse Troye,*
Qui n'avoit offensé ni ses Rois, ni ses Dieux.
Londres d'un bout à l'autre est aux flames en proye,
Et souffre un même sort qu'elle merite mieux.

Le crime qu'elle a fait, est un crime odieux,
A qui jamais d'enhaut la grace ne s'octroye.
Le soleil n'a rien veu de si prodigieux:
Et je ne pense pas que l'avenir le croye.

L'horreur ne s'en pouvoit plus long temps soûtenir,
Et le ciel accusé de lenteur à punir,
Aux yeux de l'Univers enfin se justifie.

On voit le châtiment par degrez arrivé.
La guerre suit la peste, & le feu purifie
Ce que toute la mer n'auroit pas bien lavé.

LXXXVII.

De incendio Londinensi.

Idem e Gallico conversum in Latinum.

ARSIT Troja: tamen sua numina crimine nullo,
Et nullo reges læserat ante suos.
Quam longum est, Londinum arsit; sacra templa, domusque:
Dignior urbs sævis, quam prior illa, rogis.
Quippe rea est sceleris, quo non odiosius ullum:
Cui venia ex alto non datur ulla polo.
Tale nihil monstri toto sol vidit in orbe:
Et, puto, posteritas non habitura fidem est.
Ergo nec invidiæ gens amplius ista ferendæ:
Nec potuit tantum se quoque ferre nefas.
Dii, lenti punire, probant se denique justos:
Absolvunt longas damna repensa moras.
Pœna venit gradibus: pestem fera bella sequuntur:
Quod non tota lavent æquora, flamma piat.

LXXXVIII.

Idem Latine alter

TROIA superba ruit flammis, non illa rebellem
Se tamen in reges gesserat, inque Deos
Londinum rapido igne, patet qua longius, arsit.
Sors eadem: major culpa sed hujus erat.
Nulli non populi scelus hoc odere: nec unquam
Placandi spes est numinis ulla super.
Non simile in terris sol vidit ab æthere monstrum:
Sæcula non addent postera, credo, fidem.
Ast ubi noxa gravi jam non horrore ferenda,
Et Nemesis lentas increpat usque moras:
Ultum Dii misere vices hominumque suasque.
Neglecti piguit criminis esse reos.
Ecce alias aliis videas succrescere pœnas,
Et tria per totidem fata venire gradus.
Prima lues: subeunt dein bella: novissimus ignis,
Oceani quod non abluat unda, piat.

EPIGRAMMATUM
LIBER TERTIUS.

I.

Ad LUDOVICUM XIV. *Regem Christianissimum Cum professam domum Parisiensem Societatis* JESU, *multo ære alieno obstrictam, centum millibus librarum donasset.*


ILLIA debemus quamplurima, maxime regum:
Pars a te, largo munere, magna datur.
Cur tu de nobis tantum, cur tale mereris?
Aut tua rem nostram quid pia dona juvant?
Debita non minuis, multis sed partibus auges.
Octo quæ fuerant millia, facta novem.
Altera quinetiam debemus & altera tanta:
Gratia nec numero clauditur ista suo.
Nuper nostra quidem: jam nos debemur & ipsi.
Qui fuimus, totos bis facis esse tuos.
Salva erat ante fides: nunc conturbemus oportet.
Prodigus obstringis creditor ære novo.
O quam difficiles nexus, quam principis arcta
Vincula, qui donis fœneret ipse suis!
Nos centena gravant, quæ tu, Rex magne, dedisti:
Septingenta, leve est, quod modo restat, onus.
Solvet majorem summam domus una: minori
Solvendæ toto non sumus orbe pares.

II.

Ad eundem, in idem argumentum.

NOMINIBUS premimur magis, rex optime regum:
Haud minima pondus tam grave parte levas.
O utinam solus noster tu creditor esses!
Quid faceres, tanto munere nempe doces.
Cum solvas aliena: lubens tibi debita cedas.
Sic deberemus, te tua dante, nihil.

III.

In JOANNEM BAPTISTAM COLBERTUM, *Regiarum summum curatorem, ob purgatas luto urbis vias.*

VENERAT huc patriis hospes longinquus ab oris:
Eque suo civis forte ædibat agro.
Quæ nova mundities, dixit miratus uterque,
Tam siudum, pluvio frigore, præbet iter?
Humor ubi est, piger, & maculans, densusque, tenaxque,
Quique gravi nares teter odore necat?
Dicta luto a turpi quæ magna Lutetia quondam,
Scilicet antiqui nil habet ista luti.
Sed quis hic Alcides, purgat qui sordibus urbem?
Quisve Hermes, nostris præses ubique viis?
Parius argento splendescere compita puro,
Limen & omne domo tersius esse, putes.
Jam siccis vicos pedibus, fora, templa, tabernas,
Cetera trans pontes visere cuique juvat.
Nec sella gestantis opus, curruque voluci:
Nec melius celso, qua lubet, itur equo.
Namque togæ metuit nullum, vir, femina, cœnum:
Colligit & nullos veste fluente sinus.
Nec dubitet conferre gradum cum plebe senator:
Et comitem se Rex jungat utrique libens.
Ne mirare tamen tot commoda, civis & hospes:
Neu pete, sic mundas quis det habere vias.
Qui Luparam ædificat, qui regibus aurea tecta;
Fecisse ex lutea debuit urbe novam.

IV.

Sur l'exaltation de N. S. P. le Pape CLEMENT IX.

SONNET

Par Monsieur DE BENSSERADE.

QUELLE fête, quel bruit sur le mont des neuf sœurs!
Un de leurs nourrissons au comble de la gloire,
Qui sçait tous leurs secrets, qui connoît leurs douceurs,
Qui s'est rendu celebre au temple de Memoire.
Il va ternir l'éclat de ses predecesseurs
Par bien d'autres talens difficiles à croire.
Rien n'est plus grand que lui parmi les successeurs
De ce Clement qui brille au ciel & dans l'histoire.
Une extrême sagesse, un sublime sçavoir,
Autant de pieté que l'on en puisse avoir,
Donnent à ce Pontife une estime infinie.
Muses, vous êtes-là dans un poste bien doux,
Et vous n'eûtes jamais si bonne compagnie:
Car toutes les vertus y sont avecque vous.

V.

Julius Rospiliosus Cardinalis, creatus summus Pontifex, & CLEMENS nonus appellatus.

QUI plausus in monte novem, quæ festa, sororum!
Supremi vates culmen honoris habet.
Delicias Musarum omnes, secretaque novit,
Mnemosynes toto nobilis illi choro.
Obscurat jam Pontificum decora alta priorum:
Et jam longe aliis dotibus exsuperat.
Ex quo fulsit enim Clemens tertisque poloque;
Quis Laria præsul major in arce sedet?
Doctrina, & pietas, queis par sapientia, tantum
Innumeris ornant Pontificem titulis.
Quo meliore loco, Musæ, coetuve fuistis?
Virtutum vobis hic sociata cohors.

V I.

VI.

Idem aliter.

O CHOREÆ! o plausus! o festi murmura Pindi!
Tarpeium Aonius culmen alumnus habet.
Huic arcana datum est Musarum & præmia nosse:
Mnemosyne clarum contulit ipsa decus.
Parva loquor. Jam pontificum fulgentior acta
Præstringit: dotes jam gravat ille suis.
Ex quo primus enim Clementis nomine præsul;
Quis nono major præsule, quando fuit?
Docta viro, solers? pia mens. Hæc scilicet ornat
Pontificis sacrum terna tiara caput.
Musæ, ubi tam celeber cœtus? tam mansio dulcis?
Virtutes uno sunt ibi, vosque, loco.

VII.

Pour Monsieur COLBERT, Controlleur General des finances, sur sa reception en l'Academie Françoise.

Par Monsieur QUATR'HOMMES Conseiller à la Cour des Aides.

NON, non, Messieurs les beaux esprits,
Preferant Colbert à mille autres,
Vous ne vous êtes pas mespris:
Ses écrits valent bien les vôtres.

VIII.

Idem Latine redditum.

JOANNES BAPTISTA COLBERTUS, *maximus ærario moderator præpositus, in Academiam Gallicam admittitur.*

QUOD legis ante alios Colbertum mille politos,
Adjungisque tuo, turba diserta, choro:
Nil erras. Confer, quæ tu, quæ scribat & ille.
Non cedunt scriptis hæc, puto, scripta tuis.

IX.

Admissis in Academiam Gallicam nullis, nisi petentibus, JOANNES BAPTISTA COLBERTUS, *ultro nec petens, honoris causa, admittitur.*

DUM prensant alii: meritum Colbertus honorem
Ne renuat, multa flectitur ante prece.
Qui donis toties doctos prævenit amicis,
Nonne semel doctis præveniendus erat?

X.

JOANNES BAPTISTA COLBERTUS immortalitatem nominis consecutus a poetis.

DE Phœbo perge ac Musis, Colberte, mereri.
Credis? eget Deus hic semper, egentque Deæ.
Par autem est miseris succurras vatibus: iisdem
Vivere des, per quos non potes ipse mori.

XI.

HENRICO BORBONIO, CONDÆO, *cujus cor in Parisiensi templo Societatis* JESU *conditum, Joannes Perrault in suprema rationum Regiarum Curia Præses, olim Principi a consiliis & secretis, monumentum posuit, anno* CIƆ IƆC LIII.

MATERIA egregium, spectator, & arte sepulcrum,
Condæi digno cor ubi grande loco est,
Non nati, aut conjux, sed nec posuere nepotes,
Cetera nec posuit, quamlibet ampla, domus.
Consiliis auctor prudens, rerumque minister,
Struxit, & immensis sumptibus ursit opus.
Hic voluit magni meritum pensare patroni,
Debitaque exstincto munera ferre cliens.
Hic operam extremum navare, vicemque referre,
A domino nactus tot benefacta suo.
Confer: erat, dices, dominus non æquior alter:
Non quisquam in dominum gratior alter erit.

XII.

Version de la precedente Epigramme, sur le tombeau de feu Monsieur le Prince.

Par le P. PIERRE D'ORLEANS *de la Compagnie de* JESUS.

PASSANT, ce riche Mausolée,
Où le cœur de Condé fut mis,
N'est ni l'ouvrage de ses fils,
Ni d'une épouse desolée.
Un Ministre fidelle, un sage Confidant,
Entreprit à ses frais un ouvrage si grand.
Par ce triste devoir il voulut reconnoître
Tant de bienfaits receus de cet illustre Maître.
Il voulut qu'à jamais un sentiment si beau
Demeurât dans le bronze empreint sur ce tombeau.
Comparez-les tous deux, mettez-les en balance:
Des maîtres, direz vous, Condé fut le meilleur,
Et Perrault fut un serviteur
Sans égal en reconnoissance.

XIII.

JOANNES COLBERTUS, *novem mensium philosophiæ auditor, sua publice decreta defendit, præside magistro.*

Anno 1667. Julii 29.

DUM validus unus sternis, Colberte, tot hostes:
Lætitia ob palmas ipse triumpho tuas.
Nempe ibi præcelsa Doctores sede sedebant
Tunc duo. Discipulum quæro ego: nullus erat.

XIV.

De fuga Christi in Ægyptum, deque ejus ex Ægypto reditu.

Pinxit Guido Benon.

I, fuge, crudelem fuge, mi dilecte, tyrannum.
Ægyptus monstris tutior ipsa suis.
Christe, redi: merita sublatus morte tyrannus.
Hæres? vivus adhuc vermibus esca fuit.

XV.

Catharinam Christus annulo dato sibi despondet.

Cordona pinxit.

CASTA, & docta, necem pro me, Catharina, subibis:
Hac triplici nubas tu mihi dote placet.

XVI.

Ad CANDIDUM.

De amico, quem Hebraice & Græce tantum scire diceret, quantum Latine.

QUEM jactas Hebræa loqui, quem scribere Græca,
Non melius Latios vis didicisse sonos.
At tuus ex æquo qui sit tria, Candide, doctus,
Posse tamen nescis hunc quoque scire nihil?
Haud nimium laudas, quem sic facis esse bilinguem.
Quid si nota viro tertia lingua parum est?

XVII.

Ad BACCHUM.

Dum præscribunt medici poetæ, ut crus & brachium, quibus laboret, mergat in vindemiam.

NON fanastis, aquæ, thermis ferventibus ægrum:
Sis melior musto tu mihi, Bacche, tuo.
Mirabar, vati si qua foret utilis unda:
Miror, opis tribuant si tua vina nihil.
Das vires re vel primo libantibus ore:
Quid si crura, pedes, brachia mersus ero?
Certe alios vates; nil me, scis ipse, juvabas:
Hac saltem ut valeam parte, juvare decet.

XVIII.

Acca, bibax anus.

PROMPTA libensque adeat Manes anus Acca profundos:
Sed bibit hic; illo non bibitura loco.
Justa mora est. Perge, Acca, tamen: potabis & illic.
Sed quod aquam, non & justior ista mora est?

XIX.

Celsus apud Floram in ardentem lucernam acriter diuque intuens.

FIXUS in hac hæres viva quid, Celse, lucerna,
Nec me, sed lumen cernis amasque meum?
Servimus tibi, Flora, ambo: consumimur ambo:
Ipse ego clam flagrans igne, lucerna palam.

XX.

Frater lusor: soror amatrix.

Ex Gallico Equitis Acilii, Mon cher frere.

O si defieris dulcissime ludere frater!
Quando erit hæc, qua non gratior ulla, dies?
Ludere cessabo, cum tu, soror optima, amare.
I, nequam: ludo commoriere tuo.

XXI.

Melissa, voce; Olympia, forma præstans.

Ex Gallico ejusdem, Melisse a dans sa voix.

DULCE Melissa canit: sed Olympia dulce tuetur.
Dulce, quod æternos fascinet usque Deos.
Me cepere duæ: cor, te partire duabus.
Hæc oculis cepit, cantibus illa suis.

XXII.

Primo, HENRICI BORBONII, *Ducis Anguiani filio.*

genethliacon.

PARVE puer, quo non major natalibus ullus,
Sive juvant matris stemmata, sive patris:
Quis, tibi dum stirpem, claros dum gratulor ortus,
Non grave de re aliquid sollicitumque timet?
Arma, trophæa, Ducum decora omnia Condæorum,
Quale onus, & qualis cura futura tua est?
In quantas natus, quantas nutriris & in spes,
Si patris est splendor, si referendus avi?
Quam metuo, doctas ne non æquaveris artes,
Quas didicit studiis mirus uterque suis!
Quam metuo, partos audaci marte triumphos
Indole non valeas sustinuisse tua!
Sed confide, puer: nil tale timete, parentes;
Omen & hoc certum prolis habete bonæ.
Degenerant alii, quia vis jam languida patrum:
Degener ex isto sanguine nemo fuit.
Laude pares olim Condæi, atavusque abavusque:
Major avus proavo: dignus avo pater est.
Interea dum sis, quod eris, decus omnibus ingens;
Ex his sume tuum tu puer omne decus.

XXIII.

In JOANNEM BAPTISTAM COLBERTUM, *ærarii Gallici moderatorem maximum: ob multiplicatas urbe tota pensiles lucernas.*

NON hæc nocturnos, ut credis, plurima fures,
Pensilis in triviis, clara lucerna petit.
Aut si flamma tibi vigil excubat ista, viator:
Flamma alias implet non minus ista vices.
Restabat, purgare vias qui noverit urbis:
Lucem purgatis adderet ille viis:
Quique die dederit siccos per compita gressus,
Ille & inoffensos tendere nocte daret:
Tempora nec tantum celarent ulla nitorem:
Non ulla tantum parte lateret opus.
Ergo uni gratare duo, lumenque viasque.
Idem, qui fecit, nunc tibi monstrat iter.

XXIV.

Ad LUDOVICUM XIV. *Regem Christianissimum Cum Insulas non sine periculo capitis obsideret.*

QUO, Lodoice, ruis? quid aperta pericla lacessis?

Ecce tibi Gallus, dum sibi Belga, timet.
Saltem parce aliis, si non tibi parcere certum est:
Inque uno serva corpore mille acies.
Nec tu assume ducis nimium, nec militis, o Rex,
Hi ferro pugnent, hi tua bella manu.
At rege consiliis: at firma robore mentis:
At trepidos pro te sollicitosque leva.
Heu propior ne sis obsessis mœnibus! heu ne
Insultent capiti tela inimica tuo.
Civibus is labor est: urbes ea cura fatigat:
Hac sibi consultum Gallia parte cupit.
Non satis, invictis terres si viribus hostem:
Fac metuant populi ne, Lodoice, tui.

X X V.

De eodem.

Cum in hiberno apparatu belli, ignoratum diu esset, quo exercitum duceret.

NE quæras quos, Galle, tuus Rex cogitet hostes:
Quod meditetur iter: quæ loca Marte petat.
Vel nemo, vel sola tibi Victoria dicet.
Fida comes, tanto conscia sola Duci est.

X X V I.

Ludovicus XIV. *æstate Belgium, hieme Burgundiæ Comitatum oppugnavit.*

SUnt aliis hiberna, aliis æstiva: quiescit
Miles, & alterutro tempore bella silent.
At non armorum pausa est, Lodoice, tuorum:
Æstas militiæ servit hiemsque tuæ.
Indefessa tibi nunquam Victoria cessat:
Cur non assiduum Mars quoque præstet opus?

X X V I I.

Gallus animose & fortiter bellum, pacem clementer & remisse facit.

GAllia agit bellum: melius non vicerat ante.
Pacem agit: haud melius victa quoque ante fuit.
Quæ cepit, lucrata decem semel oppida Marte est:
Et quæ non cepit, perdidit illa decem.
I nunc, dic avidum prædæ, dic, advena, Gallum:
Quas bello acquirit, pace remittit opes.
Gloria vincendi satis est. bonus Ennius & nos,
Non cauponari bella, ciere docet.
Hostibus aut partem victis, aut omnia cedit,
Utitur & bello Gallia, non fruitur.

X X V I I I.

Delphinus *Ludovici* XIV. *Regis Christianissimi, & sanctissimæ matris Ecclesiæ primum nati, filius, susceptore Clemente* IX. *pontifice maximo, solemni ritu baptismi consecratur.*

QUa datur, in titulos crescis, Delphine, paternos,
Persequerisque, præit quod Lodoicus, iter.
Ille cito, & varias pacis formatus ad artes:
Tu celer has, discis & ante tuos.
Ordinat ille acies, castra exstruit, oppida cingit:
Quod potes, hoc, belli per simulacra, refers.
Ille idem, soboles sacratæ prima parentis,
Ante alios pulcro nomine gaudet avos.
Hic tu quid facies? quid te, Delphine, futurum est?
Par eris eximio qua ratione patri?
Cum duo primigeni non sint; hoc restat, ut idem,
Qui patri est, sacro sit tibi fonte parens.

X X I X.

Ludovico Vautortio, *Lectorensium Episcopo.*

Quid poetice prosit.

ET Phœbi prius, & novem sororum,
Vautorti, sacra te quoque attigisse
Impubem puerum recordor, ac tunc,
Cum pulcherrima cura te coquebat,
Sat savisse Deum tibi Deasque.
Ex quo, credo, aliquis sapor relictus,
Gustum nunc etiam & movet salivam,
Et vates placet, & placent Camœnæ,
Atque harum memor es suavitatum.
Roges forsitan illa quid juvent te.
At contra, hæc eadem, rogo, quid obsint.
Dic: magna in populi tonans corona,
Consessuque virum celebriore,
Vales eloquio minus potenti?
Dic: fastos rigidum tenes ad unguem,
Et sacros minus, & minus profanos,
Et ritus patrios, & exterorum?
Scis plagas minus expedire densas,
Seu quas nexuit hinc sagax Aquinas,
Seu quas inde Scotus tenebricosus?
Nam, Musas quod amant disertiores,
Et Musas quod amant venustiores,
Civis nobilium Chisius Senarum,
Quem vix hoc datur indicare versu;
Alexander erat, fuitque nuper;
Urbanus facilis, bonusque Clemens,
Mores nominibus suos professi:
Quiqui pontifices fuere, suntque;
Minus pontifices fuere, suntque?
Sed, per me licet, hoc require sane,
Quot hæ commoda dent amœnitates,
Quas hi lætitias creent lepores:
Quis Græce sciat, & simul Camœnas
Graias non didicit? sciat Latine,
Idem non Latios terat poetas?
Quid si dimidium illius loquelæ;
Quid si dimidium hujus & loquelæ
Habent, plus & eo, poetæ utrique?
Ergo desine, quid juvet poesis
Vel te, vel reliquos, dehinc rogare.
Quamvis iode aliud nihil pararis:
Magnum es, crede mihi, lucrum assecutus.
Non sunt, qui videantur esse, non sunt
Perdocti simul & perelegantes.
At non inscius ipse literarum,
Non expers quoque es elegantiarum.
Et, cum sollicitus vigilque pastor,
Ab aula procul, urbibus relictis,
Valles sæpius excubes per imas,
Montes & caveas gregi per altos:
Nil rubiginis insolentiæque,
Nil limi trahis inde sordiumve:

Nec, rus quod dat, habes quid inficetum,
Nec, provincia quod dat, oppidanum.
Hoc nullum tibi commodum videtur?
Hoc unum tibi commodum videtur?
Hoc parvum & leve commodum videtur?
Debes, quidquid id est, quibus? Poetis.

XXX.

CAROLUS SANCTAMAURUS, *Dux Montauserius, Delphini Galliarum gubernator.*

anno 1668. Septemb. 19.

HEREDEM regni puerum qui bella docerent,
Præbuit innumeros Gallia magna viros.
Hunc quoque formarent pulcras qui pacis ad artes,
Fœcundo peperit non minus illa sinu.
At doctam pariter cum bellatrice Minervam
Qui bene junxisses, Carole, solus eras.

XXXI.

Version de la precedente Epigramme.

Par le P. PIERRE D'ORLEANS *de la Compagnie de* JESUS.

LA France a des Heros qui pourroient enseigner
A son Dauphin l'art de regner.
Elle en a pour la paix, elle en a pour la guerre,
Capables de former un maître de la terre.
Mais trouvant dans vous seul les qualitez de tous,
Elle n'a dû choisir que vous.

XXXII.

Ad eundem, in idem argumentum.

CAROLE, Delphino Gallorum adscite regendo,
Quis dedit hunc tibi, Mars anne Minerva, locum?
Numen utrumque dedit, cum te Dea pacis ad artes,
Cum Deus ad belli fingeret omne decus.
Præfecere rudis pueri te mollibus annis,
Reddere teque suas huic voluere vices,
Rex pater assensit. Nec enim tibi talia dona,
Pro nato, invideat, quæ data dona, suo.
Nempe decet, sic is, quem Dii genuere, regatur:
Et decet, is, quem Dii sic docuere, regat.

XXXIII.

Version par le même.

POUR *élever le fils du plus puissant des Rois,*
Est-ce Minerve ou Mars, qui fait un si beau choix?
Tous deux en vous formant l'esprit & le courage,
Vous destinoient deslors pour un si grand ouvrage.
Ils travailloient sur vous: mais l'illustre Dauphin
Etoit de leurs travaux & le prix & la fin.
Pour lui donner l'esprit des heros de sa race
Ces deux Divinitez vous ont mis en leur place.
Le Roi l'approuve; il sçait que ce choix vient des Dieux,
Que ces dons pour son fils vous sont venus des cieux.
Car si le fils d'un Dieu devoit avoir un maître,
Le disciple des Dieux avoit seul droit de l'être.

XXXIV.

HENRICO A TURRE, *Principi Turennæo, Catholicam Religionem profiteri, 23. Octob. 1668.*

PRÆLIA dum faceres generoso Marte secunda,
Dumque operam Regi, dum patriæque dares:
Quot tua facta, hominum pro te tot vota fuere:
Tam pia nec sivit vota perire Deus.
Noster es: & vero, quod nos, de numine sentis.
Mens melior: probitas, quæ fuit ante, manet.
Sunt plerique mali, quos non tamen occupat error:
Tam bonus: errorum non quoque liber eris?
Non falli certe candor tuus iste merebat:
Recti & amans, rectum noscere dignus eras.
Ergo quem volumus, te nunc, Turenne, tenemus.
Hæc deerat palmis una corona tuis.

XXXV.

Jacobo Malatestæ, Theologo Parisiensi, & sacræ Capellæ regiæ Divionensis Canonico.

Cum feriis Autumnalibus, Burgundiæ loca quædam obiret, rusticandi causa.

AMABO, Malatesta, quid tibi vis?
An Septembribus otiosus horis,
Autumno ut placuit priore, nunc &
Tu Carollesium tuum revisis
Longe, tu repetis meum Paredum;
Utrumque oppidulum, pusillum utrumque?
At suo dederit suburbio uno
Sua una platea tibi, via una,
Pulcher Divio, quidquid est duotum.
Hic, hic invenias meum Paredum:
Hic Carollesium tuum: hic utrumque:
Aut plus multo aliquid capaciusve.
Doctos adde viros & elegantes,
Quos Burgundia Divione multos,
Fori lumina congregat diserti:
Qui doctum quoque, nec parum elegantem
Te, tuæ atque suæ domi, moventur.
Rus, inquis, petere, ac foris vagari,
Et curis volitare mens soluta
Gestit: mens procul ire feriatum,
Sit venatus ubi ferarum abundans,
Felix aucupium, frequensque piscis:
Ubi & municipes, & inquilini,
Non docti nimis, attamen suaves:
Non segnes fere, sed nec occupati:
Non clari, sed & id nec ambientes:
Non dites, quibus est satis, quod adsit;
Si lite atque foro abstinere possint.
At recte, Malatesta, recte: abito
Cessatum vacuis celer diebus.
Rus, inquis, volo. rus habeto, quod vis:
Et Carollesium pete, & Paredum.

XXXVI.

Guillielmus Menagius, Ægidii frater, cor sibi suum condi voluit, ubi corpus humandum uxoris esset.

O mihi quæ vinclo nuper sociata jugali,
Nec minus es memori nunc quoque juncta fide:

Tu

Tu nec morte quidem, nec sejungere sepulcro;
Sis quamvis proavos inter humanda tuos.
Namque reperta via est, qua me tibi sistere semper
Possim ego, tu possis semper adesse mihi.
Præveni ad tumulum, qua jam bene cognita parte
Nostra fides, & qua sæpe probatus amor.
Mente pari, postquam compleris fata, sequere:
Opperior cineres sponte libensque pios.
Sera, precor, venias; venies non mœsta: Menagi
Cor hic invenies, cara Locta, tui.

XXXVII.

Graphiarium, sive calamus, de se.
Primo anthologiæ libro.

Ἤμην ἀχρεῖον κάλαμος φυτόν· ἐκ γὰρ ἐμεῖο
Οὐ σῦκ', οὐ μῆλον φύεται, οὐ σταφυλή.
Ἀλλά μ' ἀνὴρ ἐμύησ' Ἑλικωνίδα, λεπτὰ τορήσας
Χείλεα, καὶ στεινὸν ῥοῦν ὀχετευσάμενος.
Ἐκ δὲ τοῦ, εὖτε πίοιμι μέλαν ποτὸν, ἔνθεος οἷα,
Πᾶν ἔπος ἀφθέγκτῳ τῷδε λέγω στόματι.

XXXVIII.

GERMEN eram calamus non utile, quippe nec uvas,
Nec ficus ex me, mala nec ulla feto.
Sed me, qui Musis sacravit, is arcta labella
Finxit, & exigui molle liquoris iter.
Inde bibi ut potus atros; ceu numine plenus,
Quidlibet hoc muto protinus ore loquor.

XXXIX.

Spes & Nemesis, eadem in ara.

Ibidem, ex emendatione Georgii Grævii, in Lectionibus Hesiodeis.

Ἐλπίδα καὶ Νέμεσιν ξυνοὺς παρὰ βωμὸν ἔτευξα·
Τὴν μὲν, ἵν' ἐλπίζῃς· τὴν δ', ἵνα μηδὲν ἄγαν.

XL.

SPEM Nemesinque libens simul ara dedico in una,
Illam, ut confidas: hanc, nihil ut nimium.

XLI.

Medicus filium grammatico tradit in disciplinam.

Lib. II. Anthol.

Ἰητήρ τις ἐμοὶ τὸν ἑὸν φίλον υἱὸν ἔπεμψεν,
Ὥστε μαθεῖν παρ' ἐμοὶ ταῦτα τὰ γραμματικά.
Ὡς δὲ τὸ, Μῆνιν ἄειδε, καὶ, ἄλγεα μυρί' ἔθηκεν,
Ἔγνω, καὶ τὸ τρίτον τοῖς δ' ἀκόλουθον ἔπος,
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν·
Οὐκ ἔτι μιν πέμπει πρός με μαθησόμενον.
Ἀλλά μ' ἰδὼν ὁ πατὴρ, σοὶ μὲν χάρις, εἶπεν, ἑταῖρε·
Αὐτὰρ ὁ παῖς παρ' ἐμοὶ ταῦτα μαθεῖν δύναται.
Καὶ γὰρ ἐγὼ πολλὰς ψυχὰς Ἄϊδι προϊάπτω·
Καὶ πρὸς τοῦτ' οὐδὲν γραμματικοῦ δέομαι.

XLII.

AD me, grammaticam natum qui disceret artem,
Instructus medica miserat arte pater.
At puer ut didicit, Refer iram, &, Mille dolores
Fecit, & his junctus qui quoque versus erat,
Præstantes multas animas sub Tartara misit:
Non pater ad ludum mittit, ut ante, meum.
Moxque ubi me vidit; Tibi gratia, dixit, amice:
Me doctore, potest discere natus idem.
Ipse animas egomet multas sub Tartara mitto:
Grammatici neque ad id posco docentis opem.

XLIII.

Transfertur loco statua Jovis e lapide, quam forte medicus pridie attigerat.

Eodem Libro.

Τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος·
Καὶ λίθος ὢν, καὶ Ζεὺς, σήμερον ἐκφέρεται.

XLIV.

MARCUS heri medicus tetigit lapidemque Jovemque:
Iste hodie effertur Juppiter, iste lapis.

XLV.

In claudum.

Ibidem.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

XLVI.

UT pes, sic animus tibi claudicat. extera vere
Namque tua effingit forma, quod intus habes.

XLVII.

In statuam Niobes.

Lib. Anthol. IV.

Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

XLVIII.

ME superi e viva lapidem fecere: vicissim
Praxiteles vivam reddidit e lapide.

XLIX.

ME saxum e viva potuerunt reddere Divi:
E saxo vivam reddere Praxiteles.

L.

VIVEBAM: lapidem me Dii fecere. mihi nunc
Dat lapidi, rursum vivere, Praxiteles.

L I.

L I.

Nemesis cubito presso.

Anthol. iv.

Η Νέμεσις πῆχυν κατέχω. τίνος εἵνεκα; λέξεις.
Πᾶσι παραγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.

L I I.

ARcta premo cubitum Nemesis. cur, forte requiras:
Edico justum cuique tenere modum.

L I I I.

Nemesis presso cubito & fræno apposito.

Ibidem.

Η Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει, τῷ τε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

L I V.

HOc fræno, hoc cubito Nemesis, moderatus utrinque
Ut sis, seu quid agas, sive loquare, monet.

L V.

HOc fræno vetat, hoc cubito Rhamnusia, ne sis
Immodicus, quid agens; immodicusve, loquens.

L V I.

Anchises jam senior, nigrum, quem legit inter canos, pilum Veneri dedicat.

Lib. Anthol. vi.

ΣΟΣ πόσις Ἀγχίσης, οὗ εἵνεκα πολλάκι, Κύπρι,
Τὸ πρὶν ἐς Ἰδαίην ἔτρεχες ἠϊόνα·
Νῦν μόλις εὗρε μέλαιναν ἀπὸ κροτάφων τρίχα κεῖψαι.
Θῆκε δέ σοι προτέρης λείψανον ἡλικίης.
Ἀλλὰ θεά, δύνασαι γάρ, ἢ ἡβητῆρά με τεῦξον,
Ἢ καὶ τὴν πολιὴν ὡς νεότητα δέχου.

L V I I.

VIr tuus Anchises, quem propter, litus in Idæ,
Currebas longa, Cypria, sæpe via:
Has tibi relliquias florentis dedicat ævi,
Vix habuit nigrum quem coma tota pilum.
Aut me, namque potes, primæ, Dea, redde juventæ:
Aut crines albos dilige, ut ante nigros.

L V I I I.

Alcon, sagittarius Cretensis, draconem filio implicatum, salvo filio perimit.

Ibidem.

ΠΑΙΔΑ πατὴρ Ἄλκων ὀλοῷ σφιγχθέντα δράκοντι
Ἀθρήσας, δειλῇ τόξον ἔκαμψε χερί.
Θηρὸς δ' οὐκ ἀφάμαρτε. διὰ στόματος γὰρ οἰστὸς
Ἤιξεν, τυτθὸν βαιὸν ὕπερθε βρέφους.
Παυσάμενος δὲ φόνοιο, παρὰ δρυῒ τῇδε φαρέτρην,
Σῆμα καὶ εὐτυχίης θῆκε καὶ εὐστοχίης.

L I X.

IMplicitum sævo puerum pater Alco draconi
Viderat: & trepida dirigit arma manu.
Non arcum frustrata fera est: telum ore recepit.
Os puerum modice tunc super illud erat.
Suspendit quercu, perfunctus cæde, pharetram,
Fortunæ specimen, nec minus artis opus.

L X.*

Rhodope ob formæ pulcritudinem superbit.

Anthol. vii. lib.

ΥΨΟΥΤΑΙ Ῥοδόπη τῷ κάλλεϊ. ἤν ποτε χαῖρε
Εἴπω, ταῖς σοβαραῖς ὀφρύσιν ἠσπάσατο.
Ἤν ποτε καὶ στεφάνους προθύρων ὑπερεκκρεμάσωμαι,
Ὀργισθεῖσα πατεῖ τοῖς σοβαροῖς ἴχνεσιν.
Ὦ ῥυτίδες, καὶ γῆρας ἀνηλεές, ἔλθετε θᾶσσον·
Σπεύσατε· κἂν ὑμεῖς πείσατε τὴν Ῥοδόπην.

L X I.

FOrma facit Rhodopen tumidam: cui quando salutem
Dico, refert duris torva superciliis.
Pro foribus nexas quoties appendo corollas;
Deripit, irato calcat & illa pede.
Turpe veni senium, rugæ properate: licebit
Hic Rhodopes vobis flectere sævitiem.

L X I I.

Libidinem cum vinolentia non facile vinci.

Ibidem.

ΩΠΛΙΣΜΑΙ πρὸς ἔρωτα περὶ στέρνοισι λογισμόν,
Οὐδέ με νικήσει, μοῦνος ἐὼν πρὸς ἕνα.
Θνατὸς δ' ἀθανάτῳ συνελεύσομαι. ἢν δὲ βοηθὸν
Βάκχον ἔχῃ, τί μόνος πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι;

L X I I I.

PEctore me ratio contra firmavit Amorem:
Nec vinci solo solus ab hoste queam.
Par pugnabo Deo mortalis. Si tamen illum,
Bacche, juvas: geminis qui satis unus ero?

L X I V.

Puellarum trium de forma certamen.

Ibidem.

ΗΡΙΣΑΝ ἀλλήλαις, Ῥοδόπη, Μελίτη, Ῥοδόκλεια,
Τῶν τρισσῶν τίς ἔχει κάλλος ἀρειότερον.

Καί

Καί με κρατίω εἵλοντο· καὶ ὡς θεαὶ αἱ περίβλεπτοι
Ἔστησαν, μούνῳ νίκτηρα λειπόμεναι.
Ἀλλὰ σαφῶς, ἃ πέποιθε Πάρις διὰ τὴν κρίσιν, εἰδὼς,
Τὰς τρεῖς ἀθανάτους εὐθὺ συνεστεφάνουν.

L X V.

INTER se Rhodope, Melite, Rhodocleaque certant,
Quæ formosa magis de tribus una foret.
Lectus ego his judex: similes fulsere Dearum:
Atque Deæ, biberent si modo nectar, erant.
Judicium Paridis, quæque hunc mala deinde secuta,
Nosco: coronavi tres simul ecce Deas.

L X V I.

Laus Aristophanis poetæ.

Apud Thomam Magistrum.

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

L X V I I.

TRINA sibi æternum quærebat Gratia templum:
Unius invenit pectus Aristophanis.

L X V I I I.

Meleagri poetæ tumulus.

Distichum vetus, non antea editum.

ΕΥΚΡΑΤΕΩ Μελέαγρον ἔχω, ξένε, ὃ σὺν Ἔρωτι
Καὶ Μούσαις κεράσασθ' ἡδυλόγους Χάριτας.

L X I X.

HIc, hospes, Meleagrum habeo; natum Eucrate, per quem
Juncta triplex Musis Gratia, junctus Amor.

L X X.

Delphini tumulus gravi tempestate in litus ejecti.

Anthol. III. lib.

ΚΥΜΑΤΑ καὶ τρηχύς με κλυδὼν ἐπὶ χέρσον ἔσυρε
Δελφῖνα, ξείνης κοινὸν ἔρασμα τύχης.
Ἀλλ' ἐπὶ μὲν γαίης, ἐλέῳ τόπος· οἱ γὰρ ἰδόντες
Εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔστεφον εὐσεβέες.
Νῦν δὲ τεκοῦσα θάλασσα διώλεσε. τίς παρὰ πόντῳ
Πίστις, ὃς οὐδ' ἰδίης φείσατο συντροφίης.

L X X I.

ME tulit in litus vehemens Delphina procella:
Publica fortunæ quæ monumenta novæ.
Terra reperta mari melior: mihi namque corollas
Ad tumulum, ut vidit gens pia, rite dedit.
Qui genuit, potuit pontus me perdere: ponto,
Parcere qui natis nesciat, ecqua fides?

L X X I I.

Xanthum, qui sibi de forma placeat, Melænus alloquitur.

SCITUS homo, bellus, pulcher tibi, Xanthe, videris.
Excipe, quæso, rubros quod geris ore pilos.
Est coma pulcra parum, nimis est quæ concolor auro,
Provocat aut rutilum sole flagrante jubar.
Crine tuo quamvis plaudas tibi: non ego certe
Plausero, non hominis lumina quisquis habet.
Approbat hunc vaccæ rufum quicunque colorem,
Aspicit ille bovem lumine nonne bovis?

L X X I I I.

Poeta Tryphoni suo.

Cum ad complendam paginam aliquid sibi epigrammatis præterea posceret.

DOCTE Tryphon, quæris vacuas explere lacunas,
Atque novum tibi ad id vis epigramma dari.
Hoc breve pagellæ, quoniam placet, adjice curtæ:
Aut hoc si nondum sufficit, illud habe.
Da veniam, lector: calamo meliora nequivi:
Sed neque posse typis crede Tryphona suis.
Si nec adhuc aut hoc satis est, aut distichon illud:
Plura dabo; exspectes tu bis utrumque licet.
Quod si avidum te non explent tetrasticha bina,
Nec satur es vel sic; qui satur esse potes?
Consule lectorem demum: tibi dum loquor, ohe
Jam satis est; quid si clamat, ohe nimis est?

EPIGRAMMATUM
LIBER QUARTUS.

I.

Aureum numisma, FERDINANDI FURSTEMBERGII, *Episcopi & Principis Paderbornensis, Coadjutoris Monasteriensis effigie signatum, & ab eo muneri missum.*



QUID valeat nummus, quæris: quæ signet imago,
Inspice; ab hac pretium nempe habet ille suum.
Aurum, materies: forma est pretiosior auro:
Et vincit gemmas, qui nitet ore, decor.
Nec nullum solidi pondus gravitasque metalli:
Et pretium in pretio est, inque lepore lepos.
Quæ licet excellant natura singula & arte:
Præ tamen archetypo vile opus omne suo.

II.

IN FERDINANDUM FURSTEMBERGIUM.

Octavius Augustus Cæsar ingenia sui sæculi omnibus modis fovit.

Sueton. in Octav. cap. 89.

HIc ubi Cæsareis legionibus horrida clades,
Romaque Westphalico subdita pæne jugo;
Ingenia, & doctas nunc Furstembergius artes
Plus colit Ausonio Principe, plusque fovet.
Qui studiis Cæsar sic vincitur, ut prius armis,
Uno bis victum quis neget esse loco?

III.

FERDINANDI FURSTEMBERGII *munificentiam latius nunc, nunc, quam olim Cæsarum, aut Mæcenatum, patere.*

QUI revocas veterem tanto post tempore Romam,
O sæcli Princeps gloria prima tui:
Quondam opibus Cæsar Musas ditabat egenas:
Mæcenas doctis munera larga dabat.
Sic meriti, solis meriti de civibus ambo:
Missaque ad externos præmia nulla viros.
Obstringis contra populos tibi prodigus omnes,
Et donis alios afficis atque alios.
Debent Augusto Mæcenatique Quirites:
Ferdinande, tuus debitor orbis erit.

IV.

Les hommes sont tous égaux à la mort.

Par Monsieur PATRIS, Gouverneur de Limours âgé de 88. ans, peu de jours avant sa mort.

JE songeois cette nuit que de mal consumé,
Côte à côte d'un pauvre on m'avoit inhumé;
Et que n'en pouvant pas souffrir le voisinage,
En mort de qualité, je lui tins ce langage.
Retire-toi, coquin: va pourrir loin d'ici,
Il ne t'appartient pas de m'approcher ainsi.
Coquin, ce me dit-il, d'une arrogance extrême.
Va chercher tes coquins ailleurs, coquin toi-même.
Ici tous sont égaux: je ne te dois plus rien:
Je suis sur mon fumier, comme toi sur le tien.

V.

Hominum omnium par in morte conditio.

PETRUS PATRISIUS, *Gubernator Limorensis, anno ætatis octogesimo octavo, paucis, antequam mortuus est, diebus.*

IN somnis, hac nocte, malo consumptus, humari,
Pauper ubi jacuit me prope, visus eram.
Cumque mihi talem vicinum ferre nequirem,
Increpui duris, nobilis umbra, sonis.
Vile, facesse, caput: putresce hinc longius a me.
Non sic te comitem convenit esse meum.
Vile caput! pauper respondit voce superba:
Quære alibi viles, vilis, & ipse, tuos.
Hic tibi cedo nihil: mors omnes omnibus æquat.
Tam mea nunc sedes, quam tua, putre fimum.

VI.

AD GUILLELMUM LAMONIUM, Senatus Parisiensis principem.

Cur is in Curia cum præfaretur maximo ordinum omnium concursu, Poeta præsens non affuerit.

DUM facunda domi veterum lego scripta virorum,
Subque oculos veniunt Graia, Latina, meos:
Me neque privavit Demosthene longa senectus,
Nec Cicerone tumor segnis inersque pedum.
Hos adeam ne quando, gravis nihil impedit ætas,
Nec vetat in libris visere utrumque suis.
Et permisit adhuc post tot jam sæcula mutos:
Nec facit, ut tacito ne fruar alloquio.
Ast ea dum non est re passa audire, Lamoni:
Invidit vivos pessima nonne duos?

VII.

Ad LUDOVICUM XIV. Regem Galliæ.

De Lupara exædificata, deque oppidis in ditionem redactis.

QUID valeas bello, centum, Rex, oppida monstrant:
Monstrat, quid valeas pace, vel una domus.
Exstruere una domus te mille palatia posse:
Oppida tot mundum vincere posse docent.

VIII.

VIII.

Au Roi.

Sur ses conquêtes, & sur le bâtiment du Louvre.

Cent villes nous font voir ce que tu vaus en guerre:
Une seule maison ce que tu vaus en paix.
L'un montre que tu peus bâtir mille palais:
Et l'autre que tu peus dompter toute la terre.

IX.

Statua Mityos interfecti concidens, obruit interfectorem, hic eam dum oculis intueretur.

Ὁ Ἀνδριὰς ὁ τοῦ Μίτυος ἐν Ἄργει, ἀπέκτεινε τὸν αἴτιον
Τοῦ θανάτου τῷ Μίτυϊ, θεωροῦντι ἐμπεσών.

Aristot. de Art. Poet. cap. 10.

Spectabat statuam percussor Mityos altam:
Percussi vindex Mityos illa fuit
Oppressit subita spectantem lapsa ruina.
Quis statuam sensum non habuisse putet?

X.

Puellæ præstanti formâ, & decore, & doctrina.

Anthol. lib. 7.

Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο, καὶ δέκα Μοῦσαι.
Δερκυλὶς ἐν πάσαις, Μοῦσα, Χάρις, Παφίη.

XI.

Bina Venus, Musæque decem, bis Gratia duplex.
Dercylis has inter, Gratia, Musa, Venus.

XII.

Ad insignem suavitate morum puellam suave unguentum dono mittitur.

Anthol. lib. eodem.

Πέμπω σοι μύρον ἡδύ, μύρῳ παρέχων χάριν, οὐ σοί.
Αὐτὴ γὰρ μυρίσαι καὶ τὸ μύρον δύνασαι.

XIII.

Nil tibi gratificans, sed odoribus offero odores.
Scilicet esse potes, Delia, odoris odor.

XIV.

Mitto tibi unguentum, cui, non tibi, dono ego donum.
Unguentum unguenti nam potes esse mei.

XV.

Ludovicus Borbonios, *Princeps Condæus in sinistra vulnus accepit, cum Rhenum parva navicula trajecisset.*

Ingrata es, Bellona, ducis vel adorta sinistram,
Cujus dextra tuum tam bene fecit opus.

XVI.

Sors mala Condæo plagam, sed cæca, ferebat.
Dextra petebatur: læsa sinistra fuit.
Avertit Genius graviorem Gallicus ictum.
Vulneris hic quantum est, ad decus omne fat est.
Ingentes animos signabit parva cicatrix,
Sanaque quid valeat, præferet ægra manus.

XVII.

Parca, Ducis tanti dextram non ausa ferire,
Substitit in lævæ vulnere, & erubuit.
Quippe Deam tenrasse nefas immane pudebat:
Et verita est ictus congeminare suos.
Sat fuit intrepido semel eminus arma minati:
Comminus invictam fat tetigisse manum;
Hoc quoque, Parca, lues: tibi quot mactaverat olim,
Tot capita a telis afferet ille tuis.
Servatus miles, sine cædibus oppida capta,
Magna tui fuerint ultio, præda ducis.

XVIII.

Condæus *vulneratus*, Anguianus *illæsus*, Longavillæus *interfectus*.

Dux cadit, heu, ferro: percussus, avuncule, læva es.
Omen triste necis, plaga sinistra fuit.
Sactius at læva tantum Condæus in una:
Enguiocus, patris dextera, salvus erat.

XIX.

Molerius, *poeta comicus, & actor in scena, cum egisset fingentes morbum sibi, ægrotus ipse revera, mox e theatro domum reversus, mortem obiit.*

Personam ægroti dum sustinet histrio falsi,
Personam ægrotus sustinet ipse suam
Restabat, morbum qui tunc simulaverat, idem
Nil simulans, mortem mox & obiret: obit.

XX.

Induerat morbi personam morio ludens:
Setia mors illam detrahit, hunc perimit.

XXI.

Spectator, fingit tibi mimus, ut omnia semper?
Æger erat, moritur: bis nihil imposuit.

XXII.

Aspice quam justo plus fecerit actor: agenda
Comœdo fuerat fabula, non anima.

XXIII.

Ludere mortales salse dum pergeret omnes;
Dicta impune tulit ludio salsa sua.
Ast ubi cœpisset ditam quoque ludere mortem,
Non tulit: illa suam protinus ulta vicem est.
Nec tamen in proprio dominantem aggressa theatro:
Excipit occultis, dum redit iste, dolis.

Intulerat vix prima domus in limina gressum;
Ante focum & mœstæ conjugis ora cadit.
Mors mala quæ nulli parcas: huic parcere saltem
Debueras, similis qui tibi parque foret.

XXIV.

SANNIO fingebat verum se credere morbum.
Stultus: ne falso crederet, occubuit.

XXV.

ECCE perit, morbum ac mortem postquam histrio finxit.
Non melius partes egerat ante suas.

XXVI.

MOLERIUS *poeta comicus, idemque comœdus, elatus nullo funere.*

DULCE decus scenæ, Moleri, & scriptor & actor,
Gallica cui plausus mille theatra dabant.
Emendata tuis ventosior aula cachinnis:
Plebs petulans sanna facta modesta tua.
Inde minus simulant falsæ pietatis alumni:
Et placet ipsa sibi jam pretiosa minus.
Quid quæ scire volunt nimium doctæque videri?
Stultitiam agnoscunt, te monitore, suam.
Quin homines hominum didicit ferus osor amare.
Nil stupet hic miris, qui modo cuncta, locis.
Rusticus, urbanus, tua denique scripta jocando
Dum legerent, mores dedidicere rudes.
Gratia sed tanto quæ digna relata magistro est?
Gens ingrata! tuis invide Galle bonis.
Comœdo, incultum qui te formaret, egebas:
Comœdo, ingratum qui reprehendat, eges.
Unum peccasti, Moleri: ut cetera, per te
Debuit hoc vitium Gallia scire suum.

XXVII.

LUDOVICO XIV. *utriusque Burgundiæ domino.*

TOTA tua est, LODOICE, duplex Burgundia tandem:
Hæc tibi nunc domino paret, ut illa, suo.
Prima Ducem ex titulis te dudum appellat avitis,
Te Comitem ex armis altera deinde tuis.
Hæredis sit grande tuum, Rex inclyte, nomen,
Victoris quanto grandius esse potest?

XXVIII.

Eidem per se perque legatos victori summo.

LUDOVICUS XIV. *Hispanos, Italos, Sequanos vicit: Condæus Germanos, Hispanos, Batavos: Turennius Germanos, Lotharingos, Palatinos.*

HÆCCINE vis fati, tres vinceret unus ut hostes;
An potius virtus, Rex, tua magna fuit?
Hostes vicisti tres obsidionibus unus;
Oppida dum forti plurima capta manu.
Tres & Condæus duro certamine vicit,
Turennusque trium jam quoque victor erat.
O quam multiplicat tibi, rex, victoria sese?
Unius auspiciis agmina victa novem,

XXIX.

CONDÆO & ANGUIANO *intrepidis belli ductoribus.*

NON timet Enguineus, Coodæus non timet hostes:
Sed timet hic nato, sed timet ille patri.

XXX.

In cladem tricorporis exercitus, Germani, Hispani, Batavi.

TERGEMINI, an valeas, rogitabant sæpius hostes:
Te, CONDÆE, sua clade valere sciunt.

XXXI.

Fabula Æsopi Planudea, quadragesima-tertia.

Ægrotus & medicus.

ÆGROTUS medico: Sudavi plus satis, inquit:
Cui medicus placido subjicit ore: Bene est.
Ad medicum rursus: Febris me perculit horror:
Cui medicus placido reddit & ore: Bene est.
Tandem ægrotus ait: Me turgidus occupat hydrops:
Et medicus placido non minus ore: Bene est.
Mox autem ut valeat, visens dum quærit amicus:
Heu, pereo multis, dixit, amice, bonis!

XXXII.

Epitaphe de JEAN DES JARDINS Medecin du Roi, qui mourut subitement.

Par PHILIPPES DES-PORTES.

APRES avoir sauvé par mon art secourable,
Tant de corps languissans, que la mort menaçoit;
Et chassé la rigueur du mal, qui les pressoit,
Gagnant comme Esculape un nom toûjours durable.
Cette fatale sœur, cruelle, inexorable,
Voiant que mon pouvoir le sien amoindrissoit:
Un jour que le courroux contre moi la poussoit,
Finit quant & mes jours mon labeur profitable.
Passant, moi qui pouvois les autres secourir,
Ne dis point qu'au besoin je ne me pu guarir:
Car la mort qui doutoit l'effort de ma science,
Ainsi que je prenois sobrement mon repas,
Me prist en trahison, sain & sans défiance,
Ne me donnant loisir de penser au trépas.

XXXIII.

JOANNES HORTENSIUS, *Francisci I. Regis Galliæ medicus, repentino mortuus.*

ARTE salutifera postquam languentia dudum
Eripui sævis corpora multa malis;
Et pepuli morbosque graves, mortesque propinquas,
Et medica, Asclepi, par tibi laude fui:
Parca immitis, atrox, atque implacata, meisque
Viribus imminui questa subinde suas;
Invidia tandem me contra erupit & ira,
Clausit & extremos vitæ operumque dies.
Quam tulerim multis, mihi me discrimine tanto
Ne potuisse nega ferre, viator, opem.

Sa-

Sanum, epulas inter modicas, nil tale timentem,
Oppressit subitis mors inopina dolis.
Quippe meam metuens artem, sibi provida cavit,
Ne possem telis obvius ire suis.

XXXIV.

In idem argumentum.

PARCA mihi sensus apoplexi intercipit omnes:
Tempus fomentis subtrahit omne meis.
Callida: quæ fati leges prævertit, ut esset
Nec sensus nostri nec medicina mali.

XXXV.

CONDÆO *Principi, regalis exercitus ductori ad Rhenum, provido cunctatori.*

MULTUM alias fortis vicit Condæus agendo.
Cessat ubi, & vincit, plus ibi numquid agit?

XXXVI.

Principi CONDÆO, *inter belli feria jocanti, ac tum maxime securo rerum omnium.*

SUDABAT belli inter opus Mars Thracius olim:
Bella Mars ridet Gallicus inter opus.
Nec tamen ille magis vincebat, nec minus iste.
Ambo pares, si non fortior iste fuit.

XXXVII.

Sequana, potui fluvius idoneus.

SEQUANA, vectandis rate mercibus utile flumen:
Sequana, fons puræ, potibus aptus, aquæ.

XXXVIII.

Ductus aquarum e Sequana.

SEQUANA nuper, ubi regalem ingressus in urbem,
Magnificas avido lamberet amne domos:
Circuitu gaudens, & captus amore locorum,
Quærebat longas ducere in urbe moras.
Ergo cavum subit per mille foramina plumbum.
Flumen erat; clausis fons quoque factus aquis.

XXXIX.

Nais urbem petens subsistit in suburbio.

NAIS agebat aquas, nec mœnia venerat intra.
Porta modo est: media se putat urbe frui.
Quippe suburbanum quod iter jam fecerat, aut urbs
Tota aliqua, aut urbis totius instar erat.

XL.

Dea præses ac custos horti, in suburbano Gentiliaco, ad fontem dormiens.

NYMPHA, sacri custos recubans in margine fontis,
Ad leve jucundæ dormio murmur aquæ.
Sive bibas, hospes, tu ne obstrepe, sive lavere.
Do tibi aquam: somnos rumpere parce meos.

XLI.

Principi CONDÆO *& Duci* ANGUIANO *strena ineuntis anni 1676.*

Nomen strenarum indicio est, viris strenuis has convenire ob virtutem. Symmachus lib. x. ep. 28.

CÆTERA par, vincis Martem, Condæe, vel uno
Est tibi Mars gnatus: Mars sine Marte fuit.

XLII.

CONDÆUS *Princeps amicis deditissimis primum apros, deinde capreas, postremo cuniculos misit.*

DONAVIT apros fortis, & capreas celer,
Cuniculosque mœnium effossor sagax.
Quid post daturus, fausta quem belli omina
Decent juvantque, præda, venatus, feræ?
Cui Mars in escis, Mars & in donis placet,
Et militare, qualecunque est, præmium?
Ductoribus tot ductor antestans viris,
Quot sunt, fuerunt, prælíis clari, ac erunt,
Aquilas, leones, hæc si edi possint, dabit.

XLIII.

Distichum vetus, incerti scriptoris, nondum editum.

Εἴ με φιλῶν τε φιλεῖς, διττὴ χάρις· εἰ δέ με μισεῖς,
Οὐ τόσον μισεῖς, ὅσον ἐγώ σε φιλῶ.

XLIV.

DUM te amo si redamas, bis gratum: at si oderis ultro,
Non tantum odisti, quantum ego rursus amo.

XLV.

Anthol. lib. VII.

ΚΑ'ΛΛΟΣ ἄνευ χαρίτων τέρπει μόνον, οὐ κατέχει δέ.
Ὡς ἄτερ ἀγκίστρου νηχόμενον δέλεαρ.

XLVI.

FORMA capit; sed non retinet, si gratia desit,
Ut fluitans hamo quæ caret esca suo.

XLVII.

Picta MARIA *puellæ manu.*

DOCTA manus castæ pinxit te, Diva, puellæ.
Sic decuit, virgo virginis esset opus.

XLVIII.

PETRUS *flebat amare.* Luc. 22.

Guido Rhen. pinxit.

CUM sic, Petre, fleas uno pro crimine; quas non
Invitant lacrymas crimina mille meas?

XLIX.

Franciscus *auro pictus.*

Michael Natalis in æs incidit.

QUid vestem, zonam, & limbos, tibi pictor inaurat?
  An, Francisce, tua est aurea paupertas?

L.

Ignatius *de Loiola.*

Effigies vivo & vero simillima.

TE veneror, qua sis, Ignati, cunque figura.
  Sed magis hic faciem pæne loquentis amo.

L I.

Ignatio votum.

Pro Joanne Pinetio, *Rectore Coll. Parif. soc.* Jesu, *graviter ægro.*

DUlce caput serva: servabis, sat scio, Dive.
  Servati pretium jam tibi solvo tuum.
Ecce reus voti pactam suspendo tabellam.
  Plus medico egisti, Dive: recepta salus.

L I I.

Francio, *nitens scipione ob ætatem, ad* Janum, *nitentem scipione op pedis offensionem.*

QUod tibi, quodque mihi bene sit: cito pone bacillum,
  Jane: diu posthac dum mihi servo meum.

L I I I.

Libro primo Anthologiæ.

Εἰς κόλακας.

Pallad.

ΗΝ ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν
  Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
  Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

L I V.

DOna dabas: civem dominum te dixit amicus.
  Simpliciter civem, si nihil ipse dabas.
Verba quidem hæc pretio venalia. Verum ego tanti.
  Me dominum nolo: nam dare nil habeo.

L V.

Callimachus *ad Epicydem.*

ΩΓρευτὴς, Ἐπίκυδες, ἐν ὄρεσι πάντα λαγωὸν,
  Διφᾷ, καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος,
Στίβῃ καὶ νιφετῷ κεχρημένος. ἢν δέ τις εἴπῃ.
  Τῆ τόδε βέβληται θηρίον. οὐκ ἔλαβεν.
Χ' ὑμὲς ἔρως τοιόσδε. τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν
  Οἶδε. τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.

L V I.

VEnator leporem saxis, Epicydes, in altis,
  Et capream sequitur, pressaque signa pedum.
In nive pone subit. quod si quis dixerit illi,
  En cape; percussa est bellua; non capiat.
Talis amor meus est: longe fugientia pendens
  Captat, & in medio quæ sita transvolitat.

L V I I.

Margaritæ *Lothariagiæ ab Elbeuio Principis genere, forma, ingenio, moribus puellæ, sepulcrale carmen.*

FIniit in media, ceu vixit, Margaris aula.
  Jungere si nescis, hæc potes, aula duo.
Si non ante fuit virtuti, ut vivat apud te,
  Stetque eadem ad tumulum, tu fore disce locum.

L V I I I.

Ludovico *Galliarum Delphino Christiana Victoria Ducis Bavariæ soror, ut primum orbata est parentibus, feliciter nupsit. V. Kal. Febr. M. DC. LXXX.*

DElphinum Bavari generum cupiere parentes:
  Optavit Bavaram Gallica & aula nurum.
Res tamen est suspensa, parens dum vixit uterque:
  Postquam obiit, thalami pacta puella fide est.
Namque pater cum matre polo rem gessit ab alto:
  Subscripsit superum lætus utrique chorus.
Annuit & summus cœli arbiter, & pia fata:
  Rex probat assensu cœlitus acta suo.
Nempe ut Delphino contingat idonea conjux,
  Non hominum, sed erat numinis illud opus.

L I X.

Duci Borbonio.

Ludovicus XIV. *Rex Christianissimus Ludovici nomen in baptismo dedit.* 13. *Jan.* 1680.

JAm dederant atavi Reges tibi nomina mille:
  Rex uno vincit nomina mille suo.

L X.

Ejusdem Ludovici, *Ducis Borbonii, Effigies propior vero.*

QUod mihi me similem sculptor facis, haud ego curo:
  Patri & avo similem feceris, illud amo.

L X I.

Ludovicus Borbonius *Princeps Condæus & Henricus Borbonius Dux Anguianus una eademque die, & una eademque Medici opera exotico usi remedio, quod* Quinquina *appellant, pariterque tertiana liberati.*

ESte peregrini procul hinc, procul este, medentes,
  Et cum mixtura, docte Britanne, tua.
Quid Quinquina, Peruque mihi est, Americaque cortex:
  Pharmaca quid duris barbariora sonis?
Vilius ægroto: neque tanti febre carere:
  Trans mare, tam longe nulla petenda salus.
Sed Medici huc ad nos, quavis ex gente, redite:
Huc

Hue te artesque tuas, docte Britanne, refer.
Ante quidem multos relevabas febribus ægros:
Nec quemquam impensa pœnitet inde suæ.
At nunc heroas, natumque patremque saluti,
Una luce duos reddis, & una opera.
Quid si vita nec his pretio servata, neque arte?
Imputat hanc fatis Gallia jure suis.

LXII.

Ludovico Borbonio *Principi Condæo convalescenti.*

RECTE febris amat vinosos, recte & edaces:
Hanc & alunt grata vina dapesque vice.
At, Condæe, diu vivas cum sobrius, & sit
Proque cibo solum lac tibi, proque mero;
Certe dignus eras quam primum a febre relinqui,
Qui sic dignus eras non habuisse febrim.

LXIII.

Ad Petrum Bordelotium *clarum & nobilem Medicum, ambiguum laudatorem, cum liber ei novus ex promisso mitteretur, paginis tamen nondum compactis, neque ordinatis.*

LAUDASTI amicum: dono te chartis meis.
Lusisti amicum: punio chartis malis.
Quo citius autem munerer te, aut puniam;
Chartas solutas seu bonæ sint, seu malæ,
Volatiles has mitto quamprimum tibi.

LXIV.

Ad Christum servatorem.

A te principium: tibi desinet.

QUOS reges, procetes, heroas, laudibus olim
Extulimus, præ te sunt mihi, Christe, nihil.
Sunt nihil: & cunctis debent mortalibus esse.
Qui negat hoc, nihilo est is mihi, Christe, minor.
Ergo meæ, jam principium, sis clausula opellæ:
Non alio melius fine paranda quies.

LXV.

Vavassor Burdeloto Ardelioni.


FAMA est, ignaro quondam Jove, nomina multa,
Et sumsisse sibi munera multa Deos.
Se trino in primis jactabat stemmate Phœbus,
Nam Medicus, Vates & citharœdus erat.
Ah! nimium est, inquit Superùm pater, eligat unum
De tribus, una uni sufficit ara Deo.
Obtrectare nefas, sed quid retineret Apollo
Dudum animi pendens hæsit & hæret adhuc.
Burdelote, eadem sors est tua, non labor idem.
Nempe, trium superest optio nulla tibi.
Negligeris Medicus, Vates contemneris; ergo
Vel nullus posthac, vel citharœdus eris.

LXVI.

Burdelotus Vavassori.

NON Medici, non me Vatis jam nomine jacto;
Sum fidicen, laus hæc sufficit una mihi.
Hanccine, quam coluit David, ego deprecer artem?
Hic furias citharâ flectere doctus erat.
Æmulus huic, mala te quoties vexabit Erinnys,
Admotam propius sollicitabo chelyn.
Sanarunt ægrum Davidica plectra Saülem,
Forte mea fies tu quoque sanus ope.

EPIGRAMMATUM FINIS.



RE.

REMARQUES SUR LES NOUVELLES REFLEXIONS DU R. P. RAPIN JESUITE, TOUCHANT LA POETIQUE,

PAR LE R. P. VAVASSEUR JESUITE.

Dans l'Avertissement qui est devant les Réflexions.



OMME ces Réflexions peuvent choquer ceux qui n'ont pas de genie, ausquels elles seront incommodes, je m'attends d'apprendre d'eux les endroits où je me serai mépris.

REMARQUE.

Puisque l'Auteur des Réflexions veut apprendre de nous autres, qui n'avons point de genie, les endroits où il s'est mépris; il faut le satisfaire du mieux qu'on pourra: & puis qu'il assûre qu'on trouve par tout des gens, qui par charité ou par mauvaise humeur sont toûjours prêts à donner des avis; il est bon de le faire dire vrai, lui qui s'est trompé si souvent, & qui a dit faux en tant de differentes manieres.

PREMIERE REFLEXION.

La poësie est de tous les arts le plus parfait.

REMARQUE.

Je m'assûre que l'Auteur réflexif est encore à sçavoir, que la poesie de son chef ne tient pas rang parmi les sept arts liberaux, mais seulement par le rapport qu'elle peut avoir, soit à la grammaire, comme le dit Isidorus dans ses origines; soit à la musique, comme le pretend, & peut-être avec plus de raison, Martianus Capella, dans sa philologie.

REFLEXION.

Pour réüssir en poësie, il faut tout sçavoir.

REMARQUE.

Est-il vrai? Pour être poëte il faut tout sçavoir? Mais pourtant le Réflexif anonyme nous apprendra bien-tôt par sa sixiéme Reflexion, que Racan étoit poëte, & qu'il ne sçavoit rien. Quant à ce qu'il avance, que c'est de la profession du poëte de ne rien ignorer; Vitruve qui demande le même avantage pour ceux de son métier, me paroit un peu plus raisonnable & plus judicieux que lui. D'abord ce grand architecte semble vouloir dire, que pour devenir maître en l'art de bâtir, il faut tout sçavoir. Mais enfin il s'explique: & nous comprenons de son discours qu'il n'est pas necessaire, pour sçavoir faire un bâtiment, de tout sçavoir: mais qu'il est bon de sçavoir un peu de tout. Il en est de même de l'Orateur. Il faut, dit Antonius dans Ciceron, que l'Orateur sache à fonds l'art de l'éloquence, mais il suffit qu'il soit superficiellement imbu des autres arts. Le poëte ne doit donc pas tout sçavoir: mais il doit sçavoir de tout.

II. RE-

II. REFLEXION.

Lucain languit fouvent dans fon poëme de la guerre de Pharfale, faute de genie.

REMARQUE.

Attendez tant foit peu : Lucain aura bien-tôt du genie, il ne fera plus languiffant. Voiez la page 159. Lucain eft grand & elevé. Et à la marge du même endroit : *Lucani mens effrenis, fui impos, immodico rapta calore.*

REFLEXION.

Ovide s'égare quelquefois dans fes metamorphofes faute de jugement.

REMARQUE.

Ovide manque de jugement dans fes metamorphofes? Cela eft fâcheux. Car il a du genie, à ce que vous dites, il a de l'art & du deffein, même dans fes metamorphofes. Mais je penfe pouvoir raifonnablement l'excufer : puifque fes metamorphofes ne font qu'un effai de jeuneffe, qu'il n'a jamais revû, qu'il defavoue, & qu'il ne reconnoît prefque pas pour fien ; n'y aiant point mis la derniere main, ni fon principal caractere. Après tout, il a dequoi fe confoler dans les reflexions de l'anonyme, aiant Lucain pour compagnon de fa difgrace & de fon defaut. Lifez à la page 159. ce qui s'y voit touchant ce poete : *Lucain eft peu judicieux.*

III. REFLEXION.

Le genie de la guerre & des affaires n'a rien qui approche des grandes qualitez, que la vraie poëfie demande.

REMARQUE.

Quoi? Un General d'armée pour gagner des batailles, un Miniftre d'Etat pour faire une paix generale, n'ont pas befoin d'une fi grande élevation d'efprit, ni d'un fi fort genie, qu'un petit faifeur de vers, pour donner au public deux ou trois Odes, & deux ou trois Eclogues?

IV. REFLEXION.

Les Legiflateurs ont pris dans les poëmes d'Homere le premier plan des loix qu'ils ont données aux hommes.

REMARQUE.

Apparemment Moyfe qui fut un des premiers Legiflateurs du monde, & qui precedoit Homere de plus de cinq cens ans, n'a rien pris de lui. Si les cantiques de ce Legiflateur font admirables, comme ils le font en effet; ce n'eft donc pas qu'ils aient été compofez fur le modele de l'Iliade, ni fur celui de l'Odyffée, ou que Moyfe ait rien emprunté des hymnes de ce poëte : dans les écrits duquel neanmoins, fe feront formez tous les grands perfonnages de l'antiquité. Mais vous, Monfieur, qui nous venez de dire, qu'Homere eft le maître univerfel de tous les Legiflateurs, & qui nous dites incontinent apres, que c'eft fur ce grand original, que Platon eft devenu philofophe, fçavez-vous bien que Platon dit le contraire en termes exprés? Ecoutez les reproches qu'il fait à Homere. Dites nous, « quelle ville „ a profité de vos preceptes pour un meilleur gou„ vernement de fes habitans : comme nous voions „ que la difcipline de Lycurgue a reglé les Lace„ demoniens? Quel peuple vous reconnoît pour „ fon Legiflateur, & publie hautement vous être „ obligé de la façon de fa conduite? L'Italie & „ la Sicile tiennent leurs ftatuts, & leurs coutu„ mes de Carondas. Pour nous autres Atheniens, „ nous avons receu de Solon le temperament des „ loix que nous gardons encore. Mais Home„ re quel eft-il, & qui font les particuliers, qui „ fe foient accommodez de fes inftructions, & „ de fes confeils? Ni monarchie, ni republique, „ à ce que je penfe, ne fe glorifiera jamais de lui „ devoir la fondation & l'établiffement de fes „ Etats.

REFLEXION.

C'eft fur ce grand original que Platon eft devenu philofophe.

REMARQUE.

Parmi les poëtes que Platon a chaffez de fa république en general, il a chaffé Homere nommément & le premier de tous. Ne voila pas un maître bien recompenfé, & un difciple fort reconnoiffant? Il eft vrai que Platon declare ouvertement qu'il a toûjours aimé & refpecté Homere: mais qu'il aime & refpecte encore plus la Verité. Voulant dire par là, qu'il n'a pas appris la verité d'Homere.

V. REFLEXION.

Platon avoit entrepris de décrier la poëfie, n'aiant pû y reüffir.

REMARQUE.

D'où eft-ce que l'anonyme peut avoir appris, que Platon n'a pû reüffir en poëfie? Car fi jamais ce Philofophe ne s'eft mêlé de faire des vers, ainfi que quelques-uns le veulent faire croire; comment fçait-on qu'il n'a pû y reüffir? Et s'il eft Auteur de beaucoup d'epigrammes que lui attribuë Diogene Laerce; où trouvera-t-on plus de naiveté & plus de delicateffe dans un fi petit nombre de vers, que dans ces epigrammes? C'eft donc une grande hardieffe à deviner & à s'être avancé de la forte, fans pouvoir produire la moindre marque, ni le moindre témoignage du monde, pour preuve de ce qu'on a dit. Mais n'y a-t-il pas encore plus de temerité, quand un chacun peut aifément s'inftruire du contraire? Cice-

ron estime que la prose même de Platon tient beaucoup du vers : *Platonis locutio potius poema putandum, quam comicorum poëtarum.* Aulu-gelle & Macrobe nous vantent jusqu'à de simples distiques qui nous restent de la façon de ce grand homme. Mais j'ai tort de m'amuser à vouloir montrer au reflexif, que Platon a reüssi en poësie. Car il en est tout persuadé : puis qu'il dit l'un & l'autre également. Il n'y a pas reüssi: vous le venez d'entendre. Il y a reüssi : écoutez ce qu'il dit dans la page 246. *Nous trouvons toutes ces manieres de delicatesse de vers dans quelques-uns des anciens, comme dans le Socrate de Platon.*

REFLEXION.

Aristote a reconnu quelque chose de divin dans le caractere du poëte, mais il n'y reconnoit rien de furieux. *εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, οὐ μανικοῦ.*

REMARQUE.

Il n'y a que deux fautes en ce passage d'Aristote: l'une, que le premier mot en est mal traduit: l'autre, que le penultiéme est falsifie. Εὐφυοῦς ne veut pas dire que le caractere du poëte demande rien de divin, mais qu'il lui faut de l'esprit & du naturel. La falsification de la fin du passage se trouve en la particule negative, οὐ, au lieu qu'il doit y avoir, ἢ, qui est une particule disjonctive. Et de là nous voions que le sens du texte est gâte & entierement corrompu, soit par mégarde & par une grossiere méprise, soit à dessein & par un artifice trompeur. Le veritable texte d'Aristote dans les éditions Grecques porte, *εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ.* Et les versions des traducteurs, quoique differentes en plusieurs endroits; conviennent en celui-ci : *Ingeniosi poëtica est aut furiosi.* La poesie est l'ouvrage d'un homme d'excellent esprit ou d'un furieux. Mais quand tous les Livres auroient manqué, & que tous les interpretes nous seroient contraires; le discours suivant d'Aristote, & la raison qu'il allegue, nous obligeroient à faire ce changement d'une lettre, tel que nous venons de le faire. *τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί εἰσιν.* Comme si Aristote vouloit dire : Il faut pour être poete qu'on soit ou beaucoup spirituel, ou bien emporté & comme furieux. Car les inspirez sont ceux qui tombent aisément en extase, & les spirituels sont tout propres à feindre, ainsi que les extasiez & des personnes hors d'elles-mêmes.

VI. REFLEXION.

On peut devenir orateur sans avoir de naturel à l'éloquence; parce que l'art peut supléer au défaut de la nature.

REMARQUE.

Celà est directement opposé à ce qu'enseignent les deux maîtres de l'éloquence. Ciceron 1. de or. 113. *Hac inseri & donari ab arte non possunt omnia. sunt enim dona naturæ.* Quintilien proœm. inst. *Illud in primis testandum est, nihil præcepta & artes valere, nisi adjuvante natura.*

REFLEXION.

Racan eut bien des concurrens & peu de semblables.

REMARQUE.

Ceux qui auront en nos jours connu Malherbe & Racan, c'est à dire le maitre & le disciple, & qui sçavent le merite de l'un par-dessus l'autre, seront bien étonnés quand ils n'y reconnoitront plus rien dans les reflexions de l'anonyme. Racan, dit-il, eut bien des concurrens & peu de semblables. Il paroit poete jusques dans les plus petites choses. Malherbe commença le premier à joindre la pureté au grand stile: mais il ne put porter cette maniere jusques dans sa perfection. Il y a bien de la prose dans ses vers : & par l'envie qu'il a d'être trop sage, il est souvent froid.

REFLEXION.

Ce ne fut qu'en tremblant que Virgile s'avisa d'aller pendant la nuit afficher à la porte du palais d'Auguste ces deux vers, qui donnerent tant d'admiration à toute la ville de Rome.

REMARQUE.

A la verité cela est un peu poëtique en prose : de s'imaginer que Virgile affichant tres-innocemment un distique à la porte d'un palais & même à la loüange du maître qui y demeuroit, eut si grand' peur qu'il en tremblat. Mais cette circonstance feinte à plaisir étoit necessaire, puisqu'elle seule fait toute la preuve de la modestie, que doivent avoir les poetes.

REFLEXION.

Il n'y a rien de plus incommode qu'un poëte entêté de son merite : il en fatigue tout le monde, en pronant éternellement ses ouvrages.

REMARQUE.

Vous avez raison de dire qu'il n'y a rien de plus incommode qu'un Poëte qui se vante sans cesse : je l'avoüe. Mais ce n'est pas ce que signifie le vers que vous avez mis à côté de vôtre 13. page : *Sucli incommodu, pessimi poetæ.* Catulle veut dire que les mechans poetes sont l'incommodité de leur siecle, sans même qu'ils soient entêtés de leur merite & sans qu'ils prônent éternellement leurs ouvrages. En effet il s'en trouvera qui aimeront mieux un poëte vanteur qu'un méchant poëte. Car enfin qu'un poëte se glorifie de ces beaux vers, nous en croirons ce qui nous plaira & nous en profiterons, ou nous nous divertirons du reste, en l'écoutant. Qu'un poëte fasse de méchans vers, il faudra le souffrir, quoiqu'il nous déplaise, sans que nous tirions aucun fruit de son ouvrage.

VII. REFLEXION.

C'eſt le ſentiment d'Horace, que la poëſie doit plaire & qu'elle doit être utile. *Et prodeſſe volunt, & delectare poetæ.*

REMARQUE.

Horace ſe contente de l'une de ces deux choſes: *Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ.* Pourquoi voulez-vous lui faire dire faux, pour vous ſervir de témoin? Que s'il ajoute, *Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ :* vous voiez bien qu'il laiſſe encore toute liberté au poete, de vouloir plaire & de vouloir profiter conjointement, ou de n'avoir pour but que l'une ou l'autre de ces fins.

IX. REFLEXION.

Ce ne ſont que les poëtes impurs & diſſolus que Platon bannit de ſa republique.

REMARQUE.

Vous le dites, Monſieur l'anonyme. Et moi je ſoutiens que d'autres raiſons encore ont pouſſé Platon à ne vouloir ſouffrir les poëtes dans ſa republique, ſur leſquelles raiſons il appuie davantage. Premierement, c'eſt à cauſe de leur impieté en fait de religion. Secondement, c'eſt parce qu'ils donnent ſouvent de tres-méchans preceptes & fort contraires à la veritable morale. En troiſiéme lieu, parce qu'ils apportent beaucoup de troubles & de deſordres dans les eſprits, excitant par la moleſſe, ou par la vehemence de leurs diſcours, de leurs meſures, & de leurs nombres, les paſſions de deſir & de crainte, de douleur & de plaiſir, de haine & d'amour, & toutes les autres. Où vous remarquerez, que Platon n'a pas fait un chef particulier d'accuſation contre les poëtes de ce qu'ils ſe montrent peu honnêtes en leurs vers: mais qu'il comprend ce defaut particulier, dans un reproche general qu'il leur fait, de corrompre les mœurs de la jeuneſſe en pluſieurs manieres. Donnez-vous le loiſir de lire le troiſieme & dixieme livre de la republique de Platon: & vous ferez par vous-même deſabusé.

REFLEXION.

Homere n'a jamais dit d'impietés ni d'ordures.

REMARQUE.

A l'égard des impietes, voyez dans Diogene Laërce la vie de Pythagore: vous tronverez que ce Philoſophe étant deſcendu aux Enfers, apperceut, entre les autres ſpectacles qui lui firent horreur, l'ame d'Heſiode attachee à une colomne avec des chaiſnes d'airain; celle d'Homere pendue à un arbre & toure environnée de ſerpens: ces deux poëtes punis de la ſorte, pour avoir inventé & publié dans leurs écrits des fauſſetés prophanes & des impoſtures infames, contre le reſpect & la veneration qu'ils devoient à leurs Dieux. Vous me ferez auſſi témoin, s'il vous plaît, des impietés & des profanations d'Homere; puiſque vous avoüez dans vôtre vingt-cinquiéme reflexion qu'il en faut demeurer d'accord. *On doit*, dites-vous, *convenir qu'Homere n'a pas traité ſes Dieux avec tout le reſpect dû à leur condition.* Longin ne peut ſouffrir ces bleſſures, ces adulteres, ces haines, & toutes ces foibleſſes, auſquelles il aſſujettit les Dieux contre leur caractere. Pour ce qui eſt de ſçavoir ſi Homere a jamais dit d'ordures; vous, Monſieur, qui nous diſiez tout maintenant que ce ne ſont que les poetes impurs & diſſolus que Platon bannit de ſa republique, avez-vous oublié d'ailleurs que Platon a banni Homere, & qu'enſuite il doit l'avoir banni pour les impuretes de ſa poeſie: puiſque c'eſt, à vôtre ſens, l'unique ſujet de la rigueur, que tient ce philoſophe aux poetes? Mais je n'ay pas raiſon de vous tant preſſer. Et pourquoy vous donner la peine de vous dedire ſi ſouvent? N'eſt-ce pas aſſez que Platon, aprés s'être plaint hautement de la corruption que cauſent les poetes dans la Religion & dans l'Etat, ajoûte en particulier les deshonneſtetes d'Homere? Je ne vous renvoye point à ſes écrits en general: je prétends vous ſpecifier l'endroit, & vous en marquer du moins le commencement: afin que vous ne doutiez point que Platon dans ſes dialogues n'ait parlé tout autrement d'Homere que vous n'en parlez à preſent, dans vôtre neuviéme reflexion. C'eſt au livre troiſiéme de ſa republique qu'il s'explique en ces termes: *Δοκεῖ σοι ἐπιτήδειον εἶναι πρὸς ἐγκράτειαν ἑαυτοῦ ἀκούειν νέῳ Δία, καθευδόντων τῶν ἄλλων θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων* &c. „ Penſez-vous, dit-il, que „ cela ſoit fort propre à un jeune homme, pour „ lui apprendre la continence, de lire dans Homere ou les continuelles débauches de Jupiter, „ ou l'infame commerce de Mars & de Venus, „ qui furent ſurpris enſemble, ou beaucoup d'autres abominations ſemblables?

REFLEXION.

Virgile n'a jamais dit d'impuretés ni d'ordures.

REMARQUE.

Si les fables d'Homere ſont injurieuſes aux Dieux; parce qu'il les fait ſujets à mille deſordres; il n'y a pas à douter que Virgile ne ſoit auſſi coupable du même crime que l'eſt ce poëte dans ſes fictions les plus indécentes; d'autant que Virgile les ſuppoſe toutes, qu'il parle de pluſieurs, & qu'enfin il en ajoûte de nouvelles. Pour ce qui eſt de la pudeur & de l'honneſteté qu'il garde dans tous ſes vers, à ce que vous dites; en verité, Monſieur le réflexif, nous ſommes extremement bons, vous & moy, ſi nous croions, ce que le vulgaire ſe perſuade, qu'il n'y a rien de mal-honneſte dans Virgile. Je ſçai que l'Auteur de ſa vie nous préconiſe ſa modeſtie & ſa continence: mais certes cét extravagant a bonne grace de nous venir faire ce conte, immediatement aprés qu'il nous l'a repreſenté comme un débordé

dé dans le plus grand crime qui puisse être. D'ailleurs, il ne s'agit pas ici de la vie & des mœurs de Virgile : mais on pretend sçavoir s'il n'y a point d'impuretez & d'ordures dans ses Eglogues, dans ses Géorgiques, & dans son Eneide. Pour moy je suis tres-aise que la jeunesse n'y pense point de mal, & qu'elle passe par dessus, sans pénetrer jusqu'au poison qui peut être caché au dedans seulement. Je me doute que les intelligens n'en trouveront que trop, pour ne pas parler si inconsiderément que le réflexif, qui exempte ce poete de toute impieté & de toute ordure.

X. REFLEXION.

La tragedie represente Egiste dans l'Electre de Sophocle puni, aprés avoir joui de son crime l'espace de dix ans.

REMARQUE.

Que voulez-vous dire par vos dix ans d'impunite dans le crime? je m'assure que c'est le tems durant lequel Agamemnon, un des chefs de l'armée des Grecs, commandoit au siege de Troye, & qu'Egiste en son absence mettoit le desordre dans sa maison, & le deshonneur dans toute sa race. Mais ne comptez-vous pour rien dix ou douze autres années, qu'Oreste étoit demeuré caché parmi les Phocéens, devant qu'il se vangeât du meurtre commis en la personne de son pere? Si vous lisez l'argument en Grec de l'Electre de Sophocle, & si vous l'entendez comme il faut; il vous dira qu'Oreste avoit vint ans, quand il tua Egiste. Que si vous aimez autant vous en tenir au traducteur; quoi qu'il ait mal compris le Grec; vous trouverez vint ans aprés la mort du pere, & dix environ devant qu'il mourust. D'où l'on pourroit conclure qu'au lieu de vos dix ans, Egiste seroit bien demeuré impuni l'espace de trente ans, & que ce méchant homme auroit toûjours continué pendant ce tems-là de jouir de son crime.

XIII. REFLEXION.

Par la comparaison que fait Longin d'Apollonius, & d'Homere, il paroit que l'avantage du genie est toûjours preferable à celui de l'art.

REMARQUE.

Lisez la 29. & la 30. section de Longin, & vous verrez qu'on ne traite point en ces deux endroits cette question, si le genie est preferable à l'art: mais si un excellent ouvrage, soit en prose soit en vers, quoi qu'il y ait des fautes, n'est pas à preferer à un mediocre, qui n'en auroit point. L'on demande aussi lequel des deux vaut le mieux dans une production d'esprit, ou la grandeur & l'elevation, ou le nombre & la multitude des belles choses.

XIV. REFLEXION.

Demetrius le Phaleréen dit qu'Archiloque n'avoit pas cette grandeur d'ame propre au poëme heroïque, qu'avoit Homere. Anacreon qui avoit une delicatesse d'esprit admirable, n'avoit pas d'elevation.

REMARQUE.

Denis d'Halicarnasse, qui est le veritable Auteur du livre de l'élocution, nous apprend dès le commencement de son ouvrage, qu'il faut dans un discours que la periode ait sa justesse & son tour reglé, qu'elle ne soit ni trop libre ni trop contrainte, ni trop resserrée ni trop étenduë : mais qu'on ait égard au sujet qui se traite; qu'il y auroit de l'indecence à vouloir composer l'Iliade, comme feroit Anacreon en ses petits vers, ou comme Archiloque en quelques-uns qu'il a faits, qui sont courts, d'un sens rompu & entrecoupé. Les exemples de vers qu'aporte vôtre Demetrius de ces deux poëtes, montrent évidemment ce que je dis. Et nous sçavons aussi de Longin touchant Archiloque, que c'étoit par sa grandeur & par son élevation, qu'il surpassoit infiniment Eratosthene, & qu'il étoit grand imitateur d'Homere. Après cela où est cette grandeur d'ame propre au poëme épique, qu'Archiloque n'a pas? où est cette élevation d'esprit, qui manque à la delicatesse admirable d'Anacreon? Il n'y a rien de tout ceci. Du moins le faux Demetrius n'en parle point, & ne doit pas même y avoir pensé, au sujet qu'il a entrepris de prouver.

REFLEXION.

Properce avoüe lui-même qu'il n'étoit pas propre à chanter les guerres d'Auguste. Horace eut peut-être été capable d'un grand poëme, si son inclination ne l'eut borné au vers lyrique.

REMARQUE.

Horace a tenu le même langage, dans ses Satyres, dans ses Epitres, dans ses Odes. Pourquoi donc ne point parler de lui de la même façon? Pourquoi dire que Properce par sa propre confession n'étoit pas capable d'un grand poëme; & qu'Horace qui confesse la même chose, en auroit été capable s'il l'avoit voulu: veu nommement que celui-ci nous fait entendre le contraire en termes tres-expres.

Nec sermones ego mallem,
Repentes per humum, quam res componere gestas,
Si quantum cuperem, possem quoque. Sed neque parvum
Carmen majestas recipit tua : nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

Mais pour dire le vrai, il n'en faut croire ni l'un, ni l'autre. Horace s'abaisse, ou prend l'essor, comme il lui plait. Properce est toûjours plûtôt élevé en l'air, qu'il ne marche à terre. De maniere que si vous mettez en vers heroïques, les Odes d'Horace à Auguste & les Elegies de Properce sur la ville de Rome, & sur la bataille Actiaque; peu s'en faudra qu'ils ne soient tous deux devenus poëtes epiques.

RE-

REFLEXION.

Fracastor qui réüssit avec tant de succés dans le poëme de sa Syphilis, ne réüssit pas de la même maniere dans le poëme epique sur Joseph, dont il nous est resté un fragment : car ce poëme est d'un fort petit genie & d'un caractere tres-mediocre.

REMARQUE.

Quel moien de pouvoir juger, si Fracastor a réüssi avec peu ou beaucoup de succés dans un poëme, dont il ne nous est resté qu'un fragment ? Mais quelle indiscretion de condanner aisement un ouvrage imparfait, comme etant d'un fort petit genie & d'un caractere tres-médiocre, lors que l'Auteur a reüssi admirablement ailleurs ?

XVI. REFLEXION.

C'est un grand talent que de ne pas dire tout ce qu'on pense. C'est un grand defaut, que de ne pouvoir finir, dont Apelle blâmoit si fort Protogene.

REMARQUE.

A la pareille, Monsieur l'anonyme : instruisez moi d'une chose, & je vous instruirai d'une autre ; que vous n'ignorez pas à la verité entierement, mais que vous ne distinguez pas assez. Il y a une maniere de finir un ouvrage qui consiste à retrancher ce qui même ne devroit pas sembler superflu ; à s'arrêter tout court, comme au milieu de son travail, le dessein neanmoins étant achevé ; à laisser penser aux autres ce qu'il faut, & ne pas exprimer tout ce qu'on pense. C'est ainsi que Parrhasius finissoit ses tableaux, en faisant toûjours attendre quelque chose au de-là de ce qu'il executoit : & la grande loüange que donnoient ceux de sa profession à sa peinture, étoit que les derniers lineamens de ses tableaux, & les figures des corps, qui en effet n'étoient pas achevez, donnoient plus à penser qu'elles ne representoient d'elles-mêmes, *Confessione artificum*, dit Pline, *in lineis extremis palmam adeptus. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatque etiam quæ occultat.* Je vous demande maintenant, Monsieur, n'est-ce pas là ce que vous appellez sçavoir finir ? Et n'est-ce pas le grand talent, dont vous parlez, qui n'est que des grand hommes, & des genies extraordinaires ? Mais sçachez qu'il y a une autre maniere de sçavoir finir, que vous confondez avec celle-ci, & qui ne peut mieux se faire voir que par son contraire. C'est un trop grand soin, & une trop grande exactitude, qui gâte plus qu'elle n'aide : c'est d'être toûjours aprés son ouvrage, de n'avoir jamais fait, de se chicaner, pour ainsi dire, soi-même, enfin de vouloir mieux faire qu'on ne peut. Apelles se donnoit la gloire de pouvoir finir, quand il lui plaisoit : ajoûtant au contraire que Protogene etoit bien à la verité son pareil, & que même il le surpassoit en quelque chose ; mais qu'il avoit ce desavantage, qu'il ne pouvoit quitter le pinceau. Comme s'il eût voulu donner cét excellent precepte aux maîtres de son art, & même à ceux de chaque profession, que trop d'étude, de travail, & d'application, étoit souvent préjudiciable. *Et aliam gloriam Apelles usurpavit, cum Protogenis opus immensi laboris ac curæ supra modum anxiæ miraretur. Dixit enim omnia sibi cum illo paria esse aut illi meliora : sed uno se præstare, quod manum ille de tabula nescìret tollere : memorabili præcepto, nocere sæpe nimiam diligentiam.* C'est, Monsieur, de ces deux manieres de sçavoir finir, qui sont fort differentes, comme vous voiez, que vous n'en faites qu'une : quoique Pline, dont vous vous servez, les distingue parfaitement.

XIX. REFLEXION.

Il n'y a que les grands genies, qui soient capables d'un grand sujet dans la poesie.

REMARQUE.

Je n'entens parler dans les réflexions de nôtre anonyme, que de grand genie, de genies extraordinaires, de genie accompli, de parfaits genies, de grands hommes, de grandes ames, d'esprits au dessus du commun. Les Dames qui dansun, entretien ordinaire parlent souvent de beauté, de bonne grace, de bel esprit, du bon sens, du bel air, du tour agreable, que l'on donne aux choses, ne croit-on pas aisément qu'elles veulent qu'on pense à elles ? Et ceux mêmes qui n'y soupçonnent point de mal, ne s'aperçoivent-ils pas de quelque affectation trop étudiée, & de quelque adresse trop fine ? Aprés cela, Monsieur le réflexif a grand tort de nous avoir caché son nom. Du moins nous sçaurions quelle part il peut pretendre à ces merveilleuses qualitez, qu'il croit être tout à-fait necessaires au veritable poete.

REFLEXION.

Le talent le plus universel de nôtre nation n'est pas le jugement.

REMARQUE.

Parlez de vous, je vous prie, Monsieur l'anonyme, & dites tant qu'il vous plaira, que vôtre principal talent n'est pas le jugement. A vous permis de tenir ce langage. Et peut-être que vos lecteurs ne vous desavoueront pas, s'ils daignent considerer vôtre ecrit, & s'ils veulent vous faire justice. Mais de dire que les François, universellement parlant, sont peu judicieux ; il n'appartient pas a un François particulier de répondre lui seul pour ceux de sa nation, ni de faire à toute la terre un aveu public de leurs defauts naturels, & principalement de leur peu de prudence. Laissez dire aux Italiens & aux Espagnols, que les François ont plus d'esprit, que de jugement : ils n'y manqueront pas : puisque vous leur en avez donné assez de sujet, en reprenant sans cesse, & tres-mal à propos, les poëtes de ces deux nations qui ont écrit le plus parfaitement en leur langue.

REFLEXION.

C'est d'ordinaire un tour secret, qui fait la principale beauté des petits ouvrages de vers, comme l'on voit dans la plûpart des épigrammes de l'Anthologie, & dans celles de Catulle.

REMARQUE.

Retenez bien ce que vous dites des épigrammes de Catulle, & de celles de l'Anthologie: afin que vous parliez toûjours de même, & que vous ne tombiez point dans le malheur, qui vous est déja arrivé plusieurs fois, ou de vous dédire assez légerement, ou de vous contredire avecque trop d'opiniatreté. Car, à ce que je conçois dés à present de vôtre discours, les epigrammes de Catulle sont belles: il y a beaucoup de belles épigrammes dans l'Anthologie: des Auteurs ont reüssi en cette maniere d'écrire: & ce n'est pas par hazard qu'ils ont reüssi: & c'est plus d'une fois en leur vie qu'ils ont reüssi. N'oubliez rien de toutes ces choses. Mais non: perdez-en la memoire, je vous en ferai ressouvenir.

REFLEXION.

Bonnefons a écrit en vers phaleuques d'un air tendre & delicat.

REMARQUE.

Il est vrai que les phaleuques de Bonnefons sont écrits avec quelque tendresse, & assez delicatement. Mais Bonnefons n'est pas l'unique, ni le premier, ni le plus remarquable, qui ait écrit de la sorte, même parmi les François. Pourquoi donc parler de lui seul? Pourquoi parler de lui plûtôt que de Macrin, que de Dampierre, que de Beze, que de quantité d'autres, qui ne lui cedent nullement?

XX. REFLEXION.

Le dessein d'un poëme doit être composé de deux parties, de la verité & de la fiction.

REMARQUE.

Pour un sujet de poësie la verité n'est pas toûjours necessaire: tout peut être feint, jusqu'aux noms mêmes. Aristote: *Dans quelques tragedies on ne garde rien de l'histoire, comme dans celle d'Agathon, qui a pour titre, La fleur, où le poete a feint également & les noms & les choses.* ἐν ἐνίαις οὐδὲν ἕν ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει, ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται. Pour un sujet de poësie la fiction aussi n'est pas absolument necessaire: tout peut être tres-veritable. Aristote: *Le poëte n'est pas moins poete pour avoir choisi pour sujet de son ouvrage des choses vrayes, & qui sont en effet arrivées. Car rien n'empêche que les choses qui se sont passées, ne soient telles que les choses qui sont faisables seulement, qui peuvent arriver, & qu'on peut feindre avoir été.* Κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν, οὐδὲν ἧττον ποιητής ἐστι. τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι, οἷα ἂν εἰκὸς γένεσθαι, καὶ δυνατὰ γενέσθαι, καθ' ὃ ἐκεῖνος αὐτῶν ποιητής ἐστι. Que faut-il donc precisément pour un sujet de poëme? Le vraisemblable, qui vaut mieux que la verité, & sans lequel la fiction ne vaudroit rien. Et de là nous devons juger que le réflexif a mal conclu, quand il a dit: *l'histoire & la fable doivent necessairement entrer dans la composition d'un sujet de poësie.*

XXI. REFLEXION.

La fable composée est celle qui a un changement de fortune.

REMARQUE.

Il dit vrai: mais il ne dit que la moitié de ce qu'il devroit dire. La fable composée comprend ou un changement notable de l'etat auquel on étoit, ou une soudaine reconnoissance des personnes & des choses qu'on méconnoissoit, ou tous les deux ensemble. Aristote: Πρᾶξις πεπλεγμένη, ἐξ ἧς μετ' ἀναγνωρισμοῦ, ἢ περιπετείας, ἢ ἀμφοῖν, ἡ μετάβασίς ἐστι.

REFLEXION.

Dans l'Andromaque d'Euripide, Menelaus pere d'Hermioné fait mener Andromaque au supplice, avec Astyanax son fils.

REMARQUE.

Il n'est rien dit dans l'Andromaque d'Euripide du petit Astyanax, que cette Princesse avoit eû d'Hector son premier mari. Mais il est parlé de Molossus, qu'elle avoit alors de Pyrrhus, étant sa captive, & que son autre femme Hermioné par une excessive jalousie ne pouvoit souffrir, aiant même pris dessein de faire mourir la mere & le fils. Cela veut dire que le réflexif, qui parle d'Astyanax à ce propos, n'a pas seulement lû Euripide, ni en Grec, ni en Latin. Il faut par necessité qu'il ait pris cela d'ailleurs: & apparemment quelque poëte de theatre aura mis Astyanax hors de son lieu, d'où nôtre réflexif l'aura tiré pour s'en servir, avec encore moins de raison & moins de bienséance, que le tragique, qui l'avoit déja mal employé. Ce jeune enfant fut precipité du haut d'une tour par Ulysse, devant même que les Grecs quittassent la ville de Troie, qu'ils avoient saccagée. Cette remarque va plus loin qu'il ne paroit. Et que sçai-je si le reflexif auroit eu aussi peu de commerce avec Eschyle & Sophocle, qu'il en a eu avec Euripide? Si cela étoit, comme il y a sujet de le croire; comment nous fierons-nous à lui, dés qu'il nous parlera, avec la même hardiesse, de ces deux autres poëtes tragiques?

XXII. REFLEXION.

Le peuple, dit Synesius, n'a que du mépris pour ce qui lui paroit commun & ordinaire: il n'aime que ce qui est prodigieux.

RE-

REMARQUE.

Synesius vous a de l'obligation de l'avoir été chercher si loin, pour si peu de service qu'il vous rend. Qui ne sçait que le peuple aime les prodiges & les choses extraordinaires? Mais ce qui est prodigieux, n'est pas pour cela incroiable.

XXIII. REFLEXION.

Enée dans le douziéme livre de l'Eneïde enleve lui seul une roche que dix hommes n'avoient pû remuer. Ce prodige devient vrai-semblable par l'assistance des Dieux, qui prennent le parti d'Enée contre Turnus.

REMARQUE.

Ce n'est pas Enée, c'est Turnus qui fit ce grand effort que de lever une pierre d'une si prodigieuse grosseur, pour la jetter contre son ennemi. Ce n'est pas aussi par l'assistance des Dieux que Turnus eut la force de la lever: mais c'est que les hommes de ce tems là etoient plus forts, que n'ont été depuis ceux qui sont venus aprés lui. Enfin ce n'est pas une roche qu'il remua, puisqu'il n'y auroit point à s'étonner que dix ou douze hommes ensemble n'eussent pû la remuer: mais c'est une grosse pierre, qui servoit de borne à un champ, & que Turnus ne pût pas jetter bien loin, ni avec assez de force, à cause de sa pesanteur.

XXIV. REFLEXION.

Sophocle qui represente dans ses tragedies les hommes comme ils doivent être, est, au sentiment d'Aristote, preferable à Euripide, qui represente les hommes comme ils sont.

REMARQUE.

Dites-moi, Monsieur, quels yeux avez-vous, que vous voiez si souvent dans les Auteurs Grecs & Latins ce qui n'y fut jamais? Aristote ne dit point à l'endroit que vous marquez, ni que Sophocle est preferable à Euripide, ni que celui-ci represente les choses comme elles sont, & celui-là comme elles doivent être. Mais il dit clairement, que Sophocle a parlé ainsi de lui-même, se comparant à Euripide. Οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ, οἷοί εἰσι·

XXV. REFLEXION.

La grande regle de traiter les mœurs, est de bien etudier le cœur de l'homme. C'est un abysme d'une profondeur où la sonde ne peut aller: c'est un mystere impenetrable aux plus éclairez: on s'y méprend toûjours, quelque habile qu'on soit.

REMARQUE.

Si quelqu'un ne sçait pas encore ce qu'on appelle aujourd'huy phebus ou galimatias, dans un discours; pour l'apprendre, il n'a qu'à lire ces trois ou quatre lignes de nôtre reflexif, dont voici le vrai sens s'il y en peut avoir. Il faut, dit-il, bien étudier le cœur de l'homme. On n'y connoit rien: on n'y peut rien connoitre: il est incomprehensible: on s'y méprend toûjours. C'est donc en vain, Monsieur, qu'on l'étudie, qu'on voudroit le connoître, qu'on tâche de le comprendre.

XXVI. REFLEXION.

Evadné dans les suppliantes d'Euripide. On y voit cette Reine, aprés la mort de Capanée son mari.

REMARQUE.

Il ne coûte guere au reflexif à donner des sceptres & des couronnes, & à faire des Reines, comme il lui plait. Je sçai bien qu'Euripide appelle Iphis, le pere d'Evadné, du nom de Roi. πέλας Εὐάδνην, ἣν Ἶφις ἄναξ παῖδα φυτεύει. Mais je ne vois point que Capanée son mari, dans les Auteurs qui en ont pû ecrire, ait jamais passé pour Roi. C'etoit un des sept chefs d'armée qui commandoient devant Thebes, & qui furent tuez au siege de cette ville: & puis voila tout. Il est vrai que Thesée voulut pour raison honorer Capanée d'un sepulchre separé du commun des autres chefs de l'armée: mais il n'y eut rien en sa personne ni en son rang de plus considerable: & les honneurs qu'on lui rendit, n'allerent pas plus loin. Ainsi je me contenterois d'appeler en general Evadné Princesse, sans lui attribuer la qualité de Reine, que ni l'histoire ni la fable ne lui ont point donnée.

XXVII. REFLEXION.

La troisiéme qualité de la diction est qu'elle soit naturelle. *Naturalis & pudica, ut ita dicam, oratio*, Petrone.

REMARQUE.

Vous changez, Monsieur: cela n'est pas dans Petrone, comme vous le dites. Il y a: *Grandis, & , ut ita dicam , pudica oratio , non est maculosa nec turgida :* & les paroles qui suivent, *naturali pulchritudine exsurgit*, veulent dire que le discours doit avoir une élevation veritable; une beauté sans fard; de la grace, mais point d'affectation.

REFLEXION.

Il ne faut à la poësie que des termes propres à enfler la bouche, & à remplir les oreilles.

REMARQUE.

C'est justement l'expression, dont Horace se sert, pour nous dire tout le contraire, qu'il faut parfois, selon le sujet qu'on en a, s'abstenir de cette grandeur & de cette magnificence de paroles. Si Telephe & Pelée pretendent faire pitié dans leurs disgraces, & émouvoir à compassion les

les ſpectateurs; il faut qu'ils prennent le parti de quitter toute affectation de grans mots, & toute enflure de diſcours dans leurs plaintes.

Telephus & Peleus; cum pauper & exſul uterque;
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.

Mais il eſt probable que le reflexif prend dans le même ſens ces deux façons de parler ſi differentes, *conjicere tela*, & *projicere tela*. En quoi il n'eſt pas le ſeul qui s'eſt trompé parmi ceux qui ſçavent la Langue.

XXVIII. REFLEXION.

Euphranor alla à Athenes conſulter un Profeſſeur qui liſoit Homere à ſes écoliers, comme l'écrit Appion le Grammairien, & comme l'aſſure Euſtathius.

REMARQUE.

Dans la ville d'Athenes, comme un Profeſſeur expliquoit publiquement Homere à ſes auditeurs, le peintre Euphranor fut entendre ce Profeſſeur, & dès qu'il fut ſorti de ſon école, il peignit l'image de Jupiter, ſelon le modele d'Homere, & ſelon l'idée qu'il venoit d'en prendre de la bouche du maître qui l'expliquoit. Voilà l'hiſtoire & le veritable ſens d'Euſtathius. Mais devinez, Lecteur, la plaiſante mépriſe du réflexif, pour avoir mal entendu deux mots de ce Commentateur. Au lieu que j'ai mis, dès qu'il fut ſorti de l'ecole du Profeſſeur, il peignit l'image de Jupiter; nôtre réflexif, pour exprimer ces mots d'Euſtathius, ϗ ἀπιὼν ἔγραψεν, *& egreſſus pinxit*; s'eſt aviſé de mettre, *comme l'écrit Appion le Grammairien.* En quoi le bon homme certes n'a pris garde à rien. Il ne s'eſt pas aperçû, ni que ce participe ἀπιὼν n'eſt pas Ἀπίων, comme s'appelle ce Grammairien; ni que le verbe ἔγραψεν ſignifie en ce lieu-là, il peignit, comme il eſt dit auparavant en même ſens γράφων & γράψῃ; ni qu'enfin ἀπιὼν, *cum diſceſſiſſet*, répond au verbe qui precede, παρῆν *adſtitit.* Apres cela, ſi le réflexif a vû lui même l'endroit d'Euſtathius, je m'étonne de ce qu'il l'a ſi mal conceu: & s'il a pris cette ioterpretation de quelqu'autre; je m'étonne encore davantage de ce qu'il a fait ſi fort ſemblant d'avoir vû Euſtathius; marquant ſoigneuſement l'endroit qu'il n'a pas vû.

XXIX. REFLEXION.

Ariſtote dit que le diſcernement des métaphores eſt la marque d'un excellent eſprit: parceque, dit Quintilien, cette élevation qu'on recherche par la métaphore, eſt dangereuſe.

REMARQUE.

Afin de faire voir que c'eſt une marque d'eſprit que de ſe bien ſervir des metaphores, Ariſtote apporte pour raiſon, qu'il y a de l'eſprit à découvrir en quoi une choſe reſſemble mieux à l'autre. Il veut dire par là que cette découverte eſt neceſſaire pour ſavoir prendre en ſon lieu une façon de parler, & pour la conduire, & la placer dans un autre, avec juſteſſe & proportion. Enſuite, il n'étoit guere à propos d'omettre cette excellente raiſon du Philoſophe. Beaucoup moins faloit-il lui en mandier une autre d'ailleurs, comme s'il en avoit beſoin. Mais c'eſt bien pis d'en alleguer une méchante, & qu'on a peine à concevoir. Car je defie le réflexif, s'il ne donne plus de jour à ſa penſée, de pouvoir tirer ſon Lecteur de l'embaras, où il le met par ces paroles: *Ariſtote dit que le diſcernement des métaphores eſt la marque d'un excellent eſprit: parceque, dit Quintilien, cette élevation qu'on recherche par la hardieſſe de la métaphore, eſt dangereuſe, d'autant qu'elle approche de la temerité.*

XXX. REELEXION.

La plûpart de nos poëtes François tombent dans ce vice, manque de genie: leurs vers, où la Logique eſt fort negligée, ne ſont le plus ſouvent que du phebus ou du galimatias. Je n'en cite pas d'exemple: car ce ne ſeroit jamais fait.

REMARQUE.

Quelque adouciſſement qu'apporte d'ordinaire le reflexif aux choſes qu'il avance ſouvent à la legere, & quelque excuſe qu'on produiſe en ſa faveur; il faut avoüer que nos poëtes François ſont tres-mal traitez dans ſes réflexions. Si c'eſt à tort, ou non; c'eſt à eux à le voir: & s'il n'a pas raiſon, comme je n'en doute point; c'eſt à eux à le montrer. Car de dire qu'on ne touche pas à ceux qui ſont en vie, & qu'on ne s'addreſſe qu'aux morts, qui n'ont point de replique, comme ils n'ont point de ſentiment; c'eſt une fineſſe trop groſſiere. Voiez dans la 2. partie les dix réflexions ſuivantes, la 3. 14. 17. 20. 21. 25. 28. 30. 32. Après cela, que les étrangers; les Italiens, les Eſpagnols; viennent ſe plaindre, qu'un François a mal parlé d'eux; que les Alemans trouvent mauvais, qu'il n'ait point parlé de ceux de leur nation: c'eſt un critique franc, & deſintereſſé, que nôtre reflexif. Il va droit au merite: il n'a égard qu'à l'équité: il n'épargne non plus ſon païs, qu'aucun autre roiaume.

REFLEXION.

Socrate raille plaiſamment Gorgias le Leontin, parce qu'il affectoit de dire les petites choſes d'un grand air.

REMARQUE.

Je penſois d'abord que cela fût bien veritable; d'autant que c'eſt le propre d'un ſophiſte tel qu'étoit Gorgias, de deguiſer & de trop exagerer les choſes. Mais aprés avoir lû à deſſein le Gorgias de Platon, je ſuis convaincu que Socrate railloit Gorgias pour tout autre ſujet, que pour celui que nôtre réflexif allegue.

XXXI. REFLEXION

On est tombé depuis dans une autre extremité, par un soin trop scrupuleux de la pureté du langage.

REMARQUE.

Pour montrer au réflexif qu'on n'est pas d'humeur à tout censurer, & qu'on pretend loüer ce qui se trouvera de plus considerable & digne de loüange; il faut avoüer de bonne foi, que cette reflexion semble être d'un esprit assez éclairé, & duquel on peut dire, *sermonem habet non publici saporis*, & , *quod rarissimum est, amas bonam mentem*. Vous parlez en homme, qui a un goût plus fin que n'a le vulgaire, & ce qui est tres-rare, vous aimez le bon sens, & vous donnez bien plus au serieux & au solide, qu'au brillant & à l'agreable.

XXXII. REFLEXION.

Fracastor, Vida, Sadolet, Sannazar, retombent dans leur genie, après s'être guindez, pour tacher à attraper celui de Virgile, par de vains efforts d'une imitation servile.

REMARQUE.

Ces quatre poëtes du siecle passé, que vous menez battant de reflexion en reflexion, voudroient sans doute, n'être pas encore morts, pour être à couvert de vos coups; puisque vous epargnez les vivans qui peuvent vous faire resistance, & que vous vous attaquez lâchement à ceux que la mort a deja mis hors de combat. Mais raillerie à part : ces excellens poëtes méritoient un traitement plus favorable, que celui qu'ils ont receu dans vos réflexions : & rien ne vous obligeoit à dire d'eux, qu'ils sont de vains efforts ; qu'ils imitent d'une façon basse & servile; qu'ils ont peu du grand air; qu'ils n'ont copié de Virgile que ses phrases, sans en exprimer l'esprit; qu'ils sont bien éloignez de ce tout admirable qui rend Virgile si majestueux ; enfin qu'ils retombent dans leur genie, après s'être guindez, pour tâcher à attraper celui de Virgile.

XXXV. REFLEXION.

Il n'y a pas de methode pour enseigner à plaire : c'est un pur effet du naturel.

REMARQUE.

C'est bien dit. Le poëte qui a pour but de plaire comme de profiter, manque de methode pour aller à sa fin. L'Orateur dont le propre est aussi de plaire, comme d'enseigner & d'émouvoir, s'attend à son naturel seulement, n'aiant point d'art ni de preceptes, qui lui apprennent la façon de plaire? Mais le reflexif se ravise. *Le naturel tout seul*, ajoûte-t-il, *ne peut plaire : il lui faut le secours de l'art pour reüssir*.

XXXVI. REFEXION.

Platon assure dans le neuviéme livre de sa republique, qu'Homere s'étoit particulierement signalé par les mœurs des hommes, qu'il avoit decrites en ses poemes dans leur naturel.

REMARQUE.

Je veux qu'Homere se soit particulierement signalé par ses portraits & par ses descriptions de mœurs. Mais je puis assurer que Platon n'en dit rien dans le neuvieme livre de sa republique.

XXXVII. REFLEXION.

Parceque Buchanan n'a pas senti cét agrément du nombre & de la cadence, ou qu'il l'a negligé, il a bien perdu de son prix. Buchanan, qui est un poëte Ecossois, a peu de grandeur & d'elevation.

REMARQUE.

Parmi les poëtes modernes qui ont écrit en Latin, je n'en sçache point qui se possede davantage, qui soit plus maître de ses idees, & qui fasse plus aisément ce qu'il lui plait de son stile & de ses expressions, que Buchanan. Veut il s'élever jusqu'à la grandeur de Virgile dans l'Eneide, ou dans les Georgiques? Voiez les dix Pseaumes qu'il a traduits en vers heroïques; le petit poëme qu'il appelle, *Desiderium Lutetiæ*; les autres de même mesure & de même force. Pretend-il imiter la justesse & la mediocrité d'Euripide, dont il a traduit deux tragedies en Latin, ou apporter du temperament aux vers de Seneque, qui lui ont semblé trop enflez? Lisez le Jephté & le Jean-Baptiste, qu'il a composez pour être representez en public, avant qu'aucun des poetes nouveaux eût rien fait pour le theatre. Catulle lui plait-il dans sa simplicité, dans sa douceur & sa delicatesse? Parcourez un livre d'iambes, & un autre d'hendecasyllabes de cét Auteur. Je mets à part ce long poëme de sanglantes invectives, & quantité de petites pieces d'un esprit outré & violent : d'autant que tout cela tient beaucoup du burlesque Latin, & montre seulement que le poëte est plus que satyrique, quand sa fureur poëtique le prend. Pour ce qui est de son païs, quoi qu'il fût Ecossois de nation, il peut bien passer pour poëte François; puisque tout ce qu'il savoit de belles lettres, & particulierement en poësie, il l'avoit appris en France.

XXXVIII. REFLEXION.

Sannazar, Fracastor, Vida, Sadolet, Sainte-Marthe, ont un peu approché du tour admirable des vers de Virgile. Les autres ne l'ont pas même reconnu.

REMARQUE.

Je ne veux que deux poëtes, & un seul petit ou-

ouvrage de chacun, pour convaincre de faux le réflexif: *Dira in parricidam*, de Bourbon; *Soteria ad Genovefam*, de Petau. Et puis dites que ces deux Auteurs n'ont pas même eu connoiſſance du tour grave & nombreux que donne Virgile à ſes vers.

XL. REFLEXION.

Il faut commencer de bonne heure à s'appliquer à la poeſie pour y réüſſir.

REMARQUE.

Quoi qu'il ſoit vrai que pour réüſſir en poëſie, il faille commencer de bonne heure, je ſouhaiterois du reflexif qu'il m'apprît de quelle ſource il a puiſé ce precepte: s'il eſt d'Ariſtote, d'Horace, de Quintilien, ou s'il nous le donne comme un fruit nouveau, qui ſoit de ſon crû. Mais ce n'eſt pas la premiere fois, qu'il emprunte le bien d'autrui pour s'en faire honneur. La remarque qu'il a faite ailleurs ſur les Elegies d'Ovide, dont les parties & les liaiſons aboutiſſent à même deſſein; celle qu'il fait ſur Claudien, qui retombe toûjours dans la même cadence de vers: ces deux remarques, de quelque part qu'elles viennent, ſont d'un bon ſens & fort judicieuſes. La raiſon qu'il apporte, pourquoi il faut, pour réüſſir en poeſie, s'y prendre de bonne heure, eſt trop vaſte & trop generale, & enſuite moins forte qu'elle ne devroit. *Afin*, dit-il, *de ſe former l'imagination à cét art delicat, qui ne ſe peut prendre que des premieres idées de la jeuneſſe.* Pour donner poids à cette raiſon, & la rendre particuliere de commune qu'elle eſt; il faudroit montrer qu'on doit, pour réüſſir, s'adonner de jeuneſſe plûtôt aux vers qu'à la proſe: ce qui n'eſt pas ſi facile à perſuader qu'on diroit bien.

REFLEXION.

Jules & Joſeph Scaliger ne réüſſirent pas en poëſie, pour avoir commencé cette étude trop tard: & quoi que le fils eût plus de politeſſe que le pere, il n'avoit toutefois rien de gracieux.

REMARQUE.

De par Apollon, & de par les neuf Muſes, Monſieur le reflexif; vous me faites jurer, bien que je n'en aie point d'envie: n'eſt-ce pas ſe mocquer de nous, & de tout ce qu'il y a de gens de lettres en ce ſiecle, de leur en vouloir faire accroire de la ſorte? Qui ne ſait que Joſeph Scaliger a commencé de tres-bonne heure à s'appliquer à la poëſie? Dés l'âge d'onze ans ſeulement, il fut envoïé d'Agen à Bordeaux pour faire ſes études. Il n'eu avoit que quinze, lors qu'il ſe mit à faire des vers ſous la diſcipline de ſon pere; avec tant d'ardeur & d'empreſſement, que ſon pere & ſes amis furent ſurpris d'un ſi grand progrez en peu de jours, & d'une capacité ſi extraordinaire pour un enfant. Il continua cette étude plus de dix ans de ſuite: & de tems en tems, juſqu'à ſa derniere vieilleſſe, il n'a ceſſé aux occaſions de compoſer des vers, Grecs & Latins, les plus beaux du monde. Je veux croire que quelques-unes des pieces qu'il a faites à la hâte, ou qu'il ne s'eſt pas donné le loiſir de revoir, ſont peu cultivées & peu exactes: qu'il y a même de la mépriſe aux termes & à la diction, ſoit dans ſes verſions, ſoit dans ſes propres ouvrages. Sachez pourtant que comme a dit autrefois de lui un tres-ſçavant homme, *etiam, cum errat, docet*, qu'il y avoit à apprendre dans ſes fautes: auſſi l'on trouvera que dans ſa poëſie la negligence n'a pas perdu toute la grace & toute la beauté; & que ce qui n'eſt pas ſi pur, ſi poli, ſi fin, ni ſi achevé, n'eſt pas tout-à-fait mépriſable.



RE-

REMARQUE SUR LES NOUVELLES REFLEXIONS TOUCHANT LA POETIQUE EN PARTICULIER.

PREMIERE REFLEXION.



Aristote distingue la poëtique generale en trois diverses especes de poëme parfait. L'Epigramme n'est que de l'espece du poëme imparfait.

REMARQUE.

Ce n'est pas en trois diverses especes de poëme seulement, qu'Aristote, dés l'entrée de sa poëtique, distingue la poësie; mais en quatre ou cinq; quoi que quelques-unes de ces especes ne soient pas usitées en nos jours. Ce n'est pas lui non plus, qui distingue le poëme general en poëme parfait & imparfait. Encore moins trouvera-t-on, qu'il ait mis l'Ode au nombre des poëmes parfaits, & l'Epigramme dans un rang inferieur; comme fait ici le reflexif. Car enfin, quelle raison y a-t-il de nous vouloir dire que l'Ode d'Horace de huit petits vers, *Persicos odi, puer, apparatus*, est de toute autre consideration, que l'Epigramme de Catulle, *Cui dono lepidum novum libellum*; & que l'une est parfaite, & que l'autre ne l'est pas?

REFLEXION.

Horace reduit ces trois especes de poëme, l'Epopée, la Tragedie, la Comedie, en deux seulement: dont l'une consiste dans l'action, & l'autre dans la narration. *Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.*

REMARQUE.

Quel égarement! Quelle erreur, pour n'avoir pas entendu le veritable sens du vers d'Horace? Le reflexif se persuade, qu'Horace veut dire, qu'il y a deux differentes especes de poëme: l'une, l'Epopée, qui consiste dans la narration, & l'autre, la Tragedie & la Comedie conjointement, qui sont toûjours dans l'action. Mais, mon cher reflexif, ce n'est en façon quelconque la pensée de cét Ecrivain. Car il ne parle ici que de ce qui se passe sur le theatre, & de ce qu'on doit aprés raconter seulement, n'aiant pas dû être represénté en veuë du peuple. *Aut agitur res in scenis, aut acta refertur. Non tamen, intus digna, geri promes in scenam; multaque tolles ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.*

II. REFLEXION.

Le poëme épique est ce qu'il y a de plus grand & de plus noble dans la poësie. C'est l'ouvrage le plus accompli de l'esprit humain. Toute la noblesse & toute l'élevation des plus parfaits genies peut à peine suffire à former celui qu'il faut au poëte heroïque. *Arist. poet. cap. 23.*

REMARQUE.

Rien de tout ce que dit le reflexif avec tant d'exageration, ni dans le 23. chapitre d'Aristote, ni en aucun autre endroit de sa poëtique. Il y a plus. Tant s'en faut qu'Aristote s'avance si fort en faveur de ce poëme, que même, au dernier chapitre de sa poëtique, il dit tout le contraire de ce qu'on lui fait dire ici; mettant la tragedie beaucoup au dessus du poëme epique: φανερὸν ὅτι κρείττων ἂν εἴη μᾶλλον τοῦ τέλους τυγχάνουσα τῆς ἐποποιίας.

III. REFLEXION.

Ils ne font rien d'exact, parceque leur esprit ne l'est pas.

REMARQUE.

Qu'eſt-ce à dire, ils ne font rien d'exact, parce que leur eſprit ne l'eſt pas? C'eſt à dire, qu'ils ne font rien d'exact, parce qu'ils ne ſont pas exacts. Ils negligent tout, parce qu'ils ſont negligens.

IV. REFLEXION.

Ce qui a fait dire à Ariſtote que la poëſie eſt une meilleure école de la vertu que la Philoſophie même. *Ariſt. poet. cap.* 10.

REMARQUE.

Bon Dieu, faut-il tant impoſer au prince des Philoſophes, pour nous en faire accroire avec plus d'autorité & plus de tromperie? Ariſtote ne dit rien qui approche de cela. Il n'apporte pas non plus les deux raiſons, qu'on lui fait alleguer; & il ne prefere, ni ne compare point le poëte au Philoſophe, mais à l'hiſtorien. Ce n'eſt qu'un mot mal entendu, qui a fait tomber le reflexif dans pluſieurs fautes. Voici les propres termes d'Ariſtote. *Διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν.* C'eſt pour celà, dit-il, que la poëſie eſt quelque choſe de plus ſolide, de plus ſerieux, & de plus propre à un homme ſage & qui ſçait raiſonner, que n'eſt l'hiſtoire.

V. REFLEXION.

Les qualitez que donne Ariſtote à l'action de la poëſie heroïque, ſont, qu'elle doit être une & ſimple, veritable, heureuſe, loüable, & entiere. *Ariſt. cap.* 1. 2. 3.

REMARQUE.

C'eſt en vain qu'on cherche dans les premiers chapitres d'Ariſtote cinq qualitez de l'action que doit imiter la poëſie heroïque. On peut bien en tirer quelques-unes de divers endroits d'Ariſtote, lors qu'il parle de la Tragedie en particulier. Mais au chapitre 23. & 24. où il eſt parlé plus diſtinctement du Poëme heroïque, on ne trouve pas qu'Ariſtote ait donné par ordre toutes ces qualitez de l'action, comme le reflexif nous le fait entendre.

VII. REFLEXION.

L'unité de l'action ne laiſſe pas de s'accommoder des agrémens qui naiſſent naturellement de la diverſité.

REMARQUE.

Il faut avoüer que le réflexif eſt malheureux en ſes citations, & particulierement de la Poëtique d'Ariſtote. Car d'ordinaire, ou rien ne ſe trouve de ce qu'il attribuë à cét admirable Auteur, ou il s'y trouve tout le contraire. Et le moindre mal qui lui arrive, eſt de marquer un nombre pour un autre. Encore aſſez ſouvent s'aviſe-t-il pour lors de prendre de travers la penſée du Philoſophe. Voiez dans le neuviéme & le vint-quatriéme chapitre, cottez à la marge, ſi vous y rencontrerez la moindre choſe de ce que veut ici dire le reflexif.

VIII. REFLEXION.

C'eſt la raiſon pour laquelle Ariſtote blâme ſi fort les fables epiſodiques. *αἱ πεισοδιώδη εἰσὶ χείρισαι.*

REMARQUE.

L'Imprimeur a manqué ici pour n'avoir pas exprimé l'epſilon, ni aſſez formé l'omicron. Mais c'eſt la pure faute de l'Auteur d'avoir mis *ἐπεισοδιώδη*, au lieu de mettre, *ἐπεισοδιώδεις*, rapportant ce mot à *πράξεων*, auquel il doit ſe rapporter. Pour ce qui eſt du veritable ſens de ce paſſage; Ariſtote ne blâme pas les fables epiſodiques en general, ni les fables epiſodiques compoſées en particulier: mais les fables epiſodiques ſimples, qu'il pretend être les moindres de toutes. Outre qu'il n'entend point parler ici de toutes ſortes d'epiſodes, mais ſeulement de ceux, qui n'ont point de liaiſon avec la fable ou l'action principale, ni par aucune neceſſité, ni par aucune vraiſemblance. *Τῶν δὲ ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶ χείρισαι. λέγω δὲ ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ*, &c.

REFLEXION.

Les contre-tems trop licentieux peuvent rendre un epiſode deſectueux & imparfait. Quoique celui de Didon dans le quatriéme livre ſoit pardonnable.

REMARQUE.

Ce n'eſt pas le ſeul contretems de trois cens ans, qu'il y a depuis Enée juſqu'à Didon, qui fait le grand defaut de l'épiſode de Virgile. Peut-être eſt-ce une faute moins pardonnable, d'avoir fait contre l'opinion commune des peuples, une miſerable proſtituée, d'une Reine tres-chaſte & tres-vertueuſe, & qui étoit en cela même l'ornement de ſon ſexe, & l'admiration de toute la terre. Car s'il n'eſt pas permis, comme enſeigne Ariſtote, de changer les fables receuës communément parmi les poëtes; beaucoup moins doit-il être permis d'alterer ſi notablement des veritez receuës d'un commun conſentement de pluſieurs ſiecles. *Τοὺς μὲν οὖν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστι· αὐτὸν δὲ εὑρίσκειν δεῖ, καὶ τοῖς παραδεδομένοις χρῆσθαι καλῶς*, cap. 15.

IX. REFLEXION.

L'ordre qu'il faut tenir dans le poëme épique pour raconter les choſes, ne doit pas être naturel, & ſelon la ſuite des tems. Car ce ſeroit une hiſtoire & non pas un poëme. *Ariſt. poet. cap.* 23.

REMARQUES.

Nous apprenons bien en general par le chapitre 23. d'Ariſtote, qu'il ne faut pas que la conſtitution du Poëme épique ſoit comme celle d'une hiſtoire. Mais Ariſtote ne nous ſpecifie point en particulier, qu'il faut que le poëte ſe faſſe un ordre qui lui ſoit propre, & que l'hiſtoire ſuive celui que les choſes lui preſentent, ſelon le tems auquel elles ſont arrivées. S'il y a du précepte en ceci plûtôt que de l'exemple dans Homere & dans Virgile; & ſi le poëte doit renverſer l'ordre naturel

turel des tems & des choses pour s'en faire un purement artificiel : c'est d'Horace que nous le sçavons, & d'où Petrone & Macrobe peuvent l'avoir appris.

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor:
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

La difference que nous pouvons tirer de ce chapitre d'Aristote entre l'histoire & le poëme epique, est principalement touchant l'unité de l'action, à laquelle contribuë beaucoup le retranchement de plusieurs choses qui appartiennent à l'histoire. Mais il n'est fait aucune mention de renversement d'ordre, tel qu'on l'attribue communément à Homere, par un proverbe fort ancien: ὕστερον πρότερον, ὁμηρικῶς.

REFLEXION.

Le principal caractere du poëme heroïque consiste dans la narration, en quoi il est opposé au poëme dramatique, qui est tout dans l'action. La narration doit être concise & succinte.

REMARQUE.

Je ne pense pas qu'il y ait aucun endroit, où le réflexif entende moins ce qu'il fait lui-même, que dans cette dixiéme réflexion de sa seconde partie. Pour le voir clairement, il n'y a qu'à se ressouvenir des differentes narrations qui se rencontrent dans chaque faculté particuliere & dans chaque genre d'ecrire. Premierement, l'historien ne fait presque rien que narrer : & le plus essentiel de l'histoire consiste en la narration. Secondement, l'Orateur qui partage son discours en quatre, prend la narration pour une de ses quatre parties. En troisiéme lieu le poëte épique narre continuellement, & le dramatique ne narre jamais, parce qu'il fait toûjours parler sans qu'il parle lui-même. Ensuite quand les maitres de l'art nous donnent pour précepte, que **la narration soit courte**, de quelle narration proprement entendent-ils parler? Ce n'est pas de celle de l'histoire qui lui est essentielle, & dont elle fait son capital. Car de prescrire à un Historien que sa narration soit courte, c'est lui prescrire que son histoire soit courte : & cependant on ne demande pas de lui, ni qu'il soit court, ni qu'il soit long, mais qu'il soit comme il faut, selon que le sujet le mérite. On doit encore moins vouloir que le poëme épique qui ne fait guere qu'un narré perpetuel, soit d'un stile pressé & concis : veu même qu'on le remplit d'épisodes pour lui donner une plus grande étenduë. Pour ce qui est du poëme dramatique, c'est en vain qu'on ordonneroit au poëte d'être court dans sa narration ; puisqu'il ne s'en sert point & que les personnages qu'il introduit, agissent seulement, sans qu'il s'en mêle. Reste donc à conclure que c'est la narration de l'Orateur, à laquelle on assigne cette qualité de brieveté comme une chose propre & necessaire. Aussi voions-nous qu'Aristote dans sa poetique ne parle d'aucune narration qu'il prétende être longue ou courte : que même dans sa Rhetorique il traitte de ridicules ceux qui donnent ce precepte de brieveté à l'Orateur. Toutefois ce que je viens de dire, quoique tres-veritable & conforme au sens des bons Auteurs, n'empêche pas que nous ne reconnoissions, dans chaque ouvrage de prose & de vers, quelque maniere de narration, qui prenne aussi la brieveté pour la premiere de ses regles. Comme par exemple, l'histoire; bien que ce ne soit, au dire de Lucien, qu'une longue narration; elle doit prendre garde à n'être pas longue dans l'exposition des faits particuliers qu'elle produit. Le poëte heroïque, dans la liberté qu'il se donne de s'étendre & de s'egaier, se tient plus resserré quand il parle lui-même que lorsqu'il fait parler un autre. Et dans la Tragedie, où il semble que tout doive être en mouvement & en action : neanmoins si l'on veut supposer que quelque chose se soit passée derriere le theatre, parce qu'elle auroit blessé les yeux des spectateurs; la narration a lieu, pour en faire après le recit : & alors il faut aussi avoir égard à la brieveté.

REFLEXION.

Homere tout grand parleur qu'il est, ne s'amuse point, dit Lucien, à discourir des tourmens des malheureux dans les enfers.

REMARQUE.

Lucien traite Homere avec plus de respect que ne fait le réflexif. Car il se garde bien de dire, *Homere tout grand parleur qu'il est:* mais il dit seulement avec beaucoup de retenuë, Homere quoi qu'il soit poëte. καίτοι ποιητὴς ὤν.

REFLEXION.

La narration doit être agréable par la varieté du nombre.

REMARQUE.

Pourquoi est-ce que la narration du poëme épique, plûtôt que tout corps du poëme doit être agréable par la varieté du nombre, & par une versification harmonieuse?

REFLEXION.

La narration de la mort de Polyxene, dans l'Hecube d'Euripide, & celle de Tecmesse, dans l'Ajax de Sophocle.

REMARQUE.

Puisque le réflexif traite de la narration du poëme épique, entant qu'il est opposé au poëme dramatique ; il n'étoit guere à propos d'apporter des exemples de narration d'Euripide & de Sophocle, qui sont des Auteurs de poësie tragique.

XI. REFLEXION.

Aristote n'a fait qu'ébancher ce précepte ; que Petrone a plus nettement expliqué, par ces deux paroles, *Per ambages Deorumque ministeria præcipitandus est liber spiritus.*

REMARQUE.

Si le réflexif étoit un peu plus circonspect qu'il n'est,

n'eſt, il auroit pû ſe paſſer de nous produire avec eloge, dès l'entrée de ſon livre, le plus ſale & le plus infame de tous les Ecrivains: bien loin de nous faire ici un myſtere de ſes préceptes, leſquels après tout n'ont rien que de commun, rien que nous ne ſachions deja d'un meilleur endroit. *Ariſtote*, dit nôtre anonyme, *n'a fait qu'ébaucher ce précepte.* Quel precepte? Eſt-ce que la fiction doit regner par tout dans la poëſie, comme étant le principe & l'ame de ce corps, Ariſtote le dit de la tragedie en termes aſſez exprés, au chap. 6. *Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας.* N'eſt-ce point auſſi que par là les choſes les plus communes prennent un caractere de grandeur, qui les rend admirables? Ariſtote ne dit rien preciſément à ce ſujet: & par conſequent il ne peut pas même l'avoir ébauché. Mais qu'eſt-ce donc que Petrone explique en deux mots ſi nettement, dequoi Ariſtote n'ait parlé que ſuperficiellement & avec obſcurité? *Per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus.* Il faut que le poete s'abandonnant à ſon genie avec grande liberté, s'écarte de la voie ordinaire pour ſuivre des détours & qu'il ſe ſerve du miniſtere & de la conduire des Dieux. Si le réflexif par les détours qu'il lui fait prendre, entend parler de l'intrigue & du dénoüement, ſoit de la tragedie, ſoit de l'épopée: Ariſtote en parle ſuffiſamment ſous ces deux paroles, *δέσις* & *λύσις*, au chap. 17. de ſa poëtique. Si le réflexif pretend plus en particulier, que le poete commence & finiſſe ſon ouvrage d'une façon extraordinaire, qui ne tienne rien de l'hiſtoire ni des autres diſcours, & que la plûpart ſoit fabuleux: Ariſtote donne ce précepte par tout & nommement dans le chap. 9. de ſon traité. Enfin s'il eſt néceſſaire, que les Dieux ſe mêlent des avantures & des belles actions du principal Heros; ſi le poete ſe voit contraint d'interpoſer l'autorité des Dieux pour debrouiller les divers incidens, juſqu'à ſe ſervir de machines à ce deſſein: Ariſtote n'a pas manqué de nous en avertir au chapitre 18. dans lequel il nous apprend auſſi la moderation qu'il y faut garder. *Μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος*, &c. Au reſte celui qui ſe figure tant de ſageſſe & de bon ſens aux préceptes que nous donne ce fou d'Eumolpe dans Petrone, nous feroit bien plaiſir de nous le montrer un peu mieux qu'il n'a fait: & je ne doute nullement que quiconque lira la critique de Macrobe ſur Homere & ſur Virgile, n'apprenne infiniment plus de ſes remarques que des petits mots jettez à l'abandon par un je ne ſai quel melancolique rêveur, que Petrone fait parler, & qu'il traite d'emporté, d'extravagant, d'ivrogne, & de parfait débauché en toutes façons.

XIV. REFLEXION.

Il regne dans tous les panegyriques de Claudien un air de jeuneſſe, qui n'a rien de ſolide. Je ne parle point d'Auſone & de Prudence: parce qu'ils ont écrit de cette maniere-là & encore plus foiblement.

REMARQUE.

Si le jugement que le réflexif porte de Claudien eſt équitable, il ne doit pas être plûtôt pour les panegyriques, que pour les autres pieces de cet Auteur. Tout de même, s'il y a du défaut dans Auſone & dans Prudence, c'eſt un défaut du tems qui ne demandoit pas davantage; & non pas un défaut des perſonnes, qui même ſe ſont beaucoup élevées au-deſſus de leur ſiecle.

REFLEXION.

Tibulle d'ailleurs ſi exact & ſi poli dans ſes élegies, ne le paroît pas fort dans ſon panegyrique de Meſſala; tant il eſt difficile de bien loüer.

REMARQUE.

A juger des choſes ſainement & dans la rigueur, je crois pouvoir dire que Tibulle ſi exact & ſi poli dans ſes elegies, ne l'eſt pas moins dans ſon panegyrique de Meſſala: tant il eſt difficile de bien juger, ſi pluſieurs jugent comme le réflexif.

REFLEXION.

Voiture ne loüoit preſque jamais qu'en badinant. Les veritables modeles qu'on doit prendre pour bien loüer, ſont les poëmes d'Homere & de Virgile.

REMARQUE.

Y a-t-il rien de plus ridicule, que de nous propoſer Voiture comme l'eſprit le plus délicat de ces derniers ſiecles, & qui ſçavoit le mieux la belle maniere de loüer; pour nous dire incontinent après, qu'Homere & Virgile en ſont les veritables modeles? Qu'y a-t-il de plus grave & de plus ſerieux que ces deux princes des poëtes? & qu'y a-t-il de plus enjoüé, de plus folaſtre, & de plus badin que Voiture?

REFLEXION.

La lâcheté de la flaterie où s'abbaiſſent la plûpart de ceux qui font profeſſion de la poeſie.

REMARQUE.

Ce n'eſt pas ſeulement parce qu'il y a de la flaterie dans les loüanges, qu'on loüe mal: ce n'eſt pas auſſi parce qu'on ne ſauve pas la pudeur de celui qu'on loüe exceſſivement: ce n'eſt pas qu'on ſe décrie ſoi-même en loüant mal les autres. Ces raiſons du réflexif ſont foibles, & ces défauts ne ſont pas eſſentiellement oppoſez à l'art de bien loüer.

XV. REFLEXION.

Homere mérite lui ſeul le nom de poëte, dit Ariſtote.

REMARQUE.

Ariſtote ne dit pas cela. Car ce ſeroit dire que les autres poetes ne ſont pas dignes du nom qu'ils portent. Il dit preciſément qu'Homere eſt le ſeul qui ſurpaſſe tous les autres poëtes, quelqu'excel-

lens

lens qu'ils soient. Mais je pardonne au réflexif qui s'est laissé tromper à une version peu fidele, où il y a, *solus enim nomen meretur poëta.* Je ne pardonne point au traducteur, quoiqu'habile en son métier, qui pouvoit ici interpreter Aristote plus soigneusement qu'il n'a fait. Pour rendre la pensée de ce Philosophe, il faloit traduire : *Homerus in gravissimis rebus maximè poëta fuit ; solus, videlicet, maximè poeta fuit ; non idcirco tantùm quia bene, sed quia dramatica etiam scripsit.*

REFLEXION.

Nicander est dur, Oppian est sec, le style de Nonnus est sombre & embarassé.

REMARQUE.

Que veulent dire ces duretez, ces secheresses, ces obscuritez, & cet embaras? Je suis trompe s'il n'y a ici du galimatias, aussi bien qu'en beaucoup d'autres endroits de nôtre réflexif. Nicandre est dur? Cependant Virgile a pris de lui les amours du Dieu Pan & de la Lune, qui n'ont que trop de tendresse. Oppian est sec? Je ne sçai quelle secheresse entend le reflexif. Mais je suis certain; & on peut le connoitre à l'ouverture du livre; qu'Oppiau est un poëte fleuri. Scaliger le fils qui l'entendoit un peu mieux que beaucoup d'autres, en parle ainsi : *Oppianum nimis floridus character non passus est sese intra modum continere.* Le stile de Nonnus est sombre & embarassé? Il eut mieux valu dire avec les meilleurs critiques, que le stile de Nonnus est un stile enflé, peu naturel, trop étendu, & tout-à-fait emporté.

REFLEXION.

Jamais personne n'a donné de regles plus judicieuses de la poesie que Petrone : & jamais personne ne les a plus mal observées.

REMARQUE.

Je nie également l'un & l'autre. J'ai déja dit mon sentiment sur cette excellence imaginaire de la poëtique de Petrone. Pour ce qui est de sa poesie, & d'être tombé lui-même dans toutes les fautes qu'il condanne, je n'en crois rien non plus. Mais je m'en rapporte au lecteur, pour peu intelligent qu'il puisse être dans cette matiere.

XVI. REFLEXION.

Sannazar se signala par son poëme sur les couches de la Vierge.

REMARQUE.

Cela n'est pas vrai : souffrez, Monsieur, que je vous le dise Ce fut par ses Eglogues, que Sannazar se signala particulierement, & qu'il se distingua des autres : jusques là qu'il est dit dans l'éloge qu'en a fait Paul Jove, que ce premier essai de jeunesse, qu'il avoit travaillé comme à la hâte, obscurcit toute la gloire de ses derniers ouvrages, & nommément de celui-ci des couches de la Vierge; quoiqu'il lui eût cousté vint ans de travail à le polir, & à le mettre dans sa perfection, avant que de le laisser paroître.

REFLEXION.

Vida se signala par le poëme de la passion de Notre Seigneur.

REMARQUE.

Que veut dire le réflexif par le poëme de la passion de nôtre Seigneur? Jerôme Vida, Evesque d'Albe, a composé en vers six livres entiers sur la vie de nostre Seigneur, qu'il intitule Christiade, comme Ronsard appelle un de ses principaux ouvrages la Franciade. C'étoit à Vida à nommer son poëme comme il lui plaisoit. Neanmoins il l'auroit mal nommé, s'il l'avoit appellé poeme de la passion: traittant comme il fait de toute la vie du fils de Dieu, de sa mort, de sa resurrection, & de ses autres grans mysteres.

REFLEXION.

Hugues Grotius, & Daniel Heinsius ont écrit en vers Latins assez noblement: mais cette grande literature dont ils se sont chargez l'un & l'autre, les empêche de penser les choses de cette maniere délicate, qui en fait la beauté.

REMARQUE.

On sçait que les plus doctes ne sont pas toûjours les plus polis : comme les plus polis ne sont pas souvent les plus doctes. Mais on sçait aussi que l'un n'empêche pas l'autre; que quiconque sçaura prendre son tems, reglet ses études, & commencet à cultiver son génie de bonne heure, n'en deviendra pas moins sçavant avec le tems, pour avoit pris la premiere teinture de poësie par avance. Par là j'estime que ces deux célebres Hollandois ont dû passer avec justice, parmi ceux de leur nation, pour des Auteurs les plus polis des doctes, & les plus doctes des polis. Et je n'en veux point d'autre preuve que la simple lecture de leurs ouvrages, Grecs & Latins: pourveu que le réflexif n'en soit pas juge.

XVII. REFLEXION.

Aristote prétend que la tragedie est une leçon publique plus instructive sans comparaison que la Philosophie.

REMARQUE.

Voila ce que c'est que d'être aveugle, & de ne vouloir suivre aucun guide. Nôtre reflexif s'est mis tellement dans la fantaisie qu'Aristote prétend que le Poete est plus que Philosophe, ou qu'il est plus Philosophe qu'un Philosophe même, qu'il n'y a pas moien de lui ôter cette méprise de l'esprit : si ce n'est peut-être à force de lui represente souvent la même chose. Qu'il sçache donc encore une fois, que le sentiment d'Aristote est tout au plus que la poësie tient un peu de la philosophie; parce qu'elle traite des choses en general, comme elles doivent être, & non pas en particulier comme elles sont; ce qui appartient à l'histoire. De sorte que le réflexif se trompe doublement, & parce qu'il ne comprend pas la pensée d'Aristote, & parce qu'il lui fait alleguer d'autres raisons que celle qu'il allegue.

RE-

REFLEXION.

Ariſtote avoit reconnu deux défauts importans à regler dans l'homme, l'orgueil & la dureté, & il trouva le remede de ces deux défauts dans la tragedie.

REMARQUE.

Je ne doute point que nous ne trouvions dans la tragedie un ſouverain remede contre l'orgueil; & je veux croire qu'elle rend l'Homme modeſte, en lui repreſentant des grands abaiſſez. Mais qu'Ariſtote nous l'enſeigne quelque part dans ſes Oeuvres, comme le réflexif nous le veut faire croire; c'eſt ce qui ne ſe trouvera que dans l'imagination d'un homme, qui nous raconte ſes ſonges pour des veritez.

XIX. REFLEXION.

Voici le ſujet de l'Oedipe de Sophocle.

REMARQUE.

Puiſque le réflexif fait état de nous expoſer tout au long le ſujet de cette tragedie, dont Ariſtote parle toûjours comme du modèle le plus achevé de la tragedie; c'eſt une choſe bien étrange qu'il ait omis ce que n'ont point omis, ni Sophocle, ni Seneque dans leur Oedipe, qui eſt la fin miſérable de Jocaſte, qui ſe fit mourir elle-même: & particulierement cette fin ſi funeſte, étant une partie des plus conſiderables de la cataſtrophe.

XX. REFLEXION.

La tragedie moderne roule ſur d'autres principes.

REMARQUE.

Il n'y a rien à mon gré de mieux penſé que ce que nous dit l'anonyme dans cette vintiéme réflexion. Et ſi dans les pieces tragiques d'aujourd'hui, on ne parloit d'amour que comme il en eſt parlé dans la Medee de Seneque, à l'occaſion des nopces de Jaſon avec la fille du Roi Creon; ou tout au plus comme il en eſt parlé dans l'Hippolyte du même poëte, au ſujet de Phédre: ce qui doit donner de l'épouvente & de la compaſſion dans la tragedie, ne feroit pas alteré & affoibli comme il l'eſt; ni le principal heros ne feroit pas le badin, en faiſant l'amour; ni la jeuneſſe qui ſe plaît aux ſpectacles, n'apprendroit pas, contre les bonnes mœurs, ce qu'elle n'apprend jamais que trop tôt pour ſon bieu. Mais qu'y-a-t-il de ſi galand, de ſi tendre, & de ſi doux, qu'on ne l'emploie depuis long-tems, ſur les theatres, même les plus innocens: pourvû qu'on puiſſe dire pour toute excuſe, que c'eſt à deſſein de mariage. *Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.*

REFLEXION.

Le Prince de Conti qui a fait éclater ſon zele contre la tragedie moderne, par le traité qu'il en a fait, auroit ſans doute permis l'ancienne, parce qu'elle n'a rien de dangereux.

REMARQUE.

Outre la galanterie & l'amour que l'on mêle dans la tragedie moderne; l'orgueil, la dureté, les haines, les vangeances, la violence & la cruauté des tyrans, & les autres excés des paſſions & des vices, y ont encore leur regne. Par cette raiſon ſi l'on en croit ce Prince, il n'y a rien, ni à faire, ni à voir pour un Chrétien ſur les theatres: quand même on y repréſenteroit les martyrs, les dévots, les zelez, & les plus grans ſolitaires du monde.

XXII. REFLEXION.

Catulle fit une tragedie ſur Alcmeon, dont Ciceron cite des vers dans ſon Lucullus.

REMARQUE.

Le réflexif a voulu dire, Catule, ou, Catulus: celui que Ciceron fait parler dans ſon dialogue, intitulé Lucullus. Car le poete Catulle eſt un poëte, duquel nous n'avons ni tragedie ni fragmens de tragedie. Mais cela n'eſt rien. Il y a dequoi rire en la bevuë ſuivante de nôtre réflexif. Devinez ſur quelle conjecture il s'eſt fondé pour ſe perſuader, & pour nous perſuader auſſi que Catulus a fait une tragedie d'Alcmeon. Ce Catulus, pour preuve de ce qu'il a avancé dans le dialogue de Ciceron, cite des vers d'une tragedie intitulée Alcmeon, & un autre qui lui répond pour le réfuter; lui répond en ces termes: *Catule, Alcmæo tuus*, Catule, vôtre Alcmeon: c'eſt à dire, Alcmeon que vous avez cité, & ſur qui vous vous appuiez tant, & duquel vous rapportez les vers, pour mieux établir ce que vous dites. Voila l'origine & la ſource de l'erreur du réflexif: & c'eſt la-deſſus, qu'il s'eſt plaiſamment imaginé, que celui qui ne fait que citer, eſt le veritable Auteur. Au reſte cette tragedie d'Alcmeon eſt d'Ennius, comme nous l'apprenons de Nonius Marcellus, qui la cite entre les ouvrages de ce poëte.

REFLEXION.

Les ſeules tragedies qui nous ſont reſtees des Latins, ſont celles de Seneque.

REMARQUE.

Il eſt vrai que deux des plus ſages critiques du ſiecle paſſé ne conviennent pas au jugement qu'il faut faire du recueil des tragedies Latines, & que Joſeph Scaliger à ce propos dit de Juſte Lipſe ces paroles remarquables: *Maximus ille criticus quam pueriliter de tragœdiis Senecæ judicat? Lipſium dico. Divinam tragœdiam, Troadas, magiſtelli potius quam Senecæ opus eſſe ſciſcit. In hoc qui illi aſſenſum accommodet, præter imperitos harum rerum, reperiet neminem. Nam illa tragœdia omnium Senecæ, quas novem aſſerimus eſſe, princeps eſt.* Mais je vois que ces deux critiques s'accordent encore moins avec nôtre réflexif en tout ce qu'il a dit touchant ces neuf ou dix tragedies.

RE-

REFLEXION.

Seneque parle toûjours bien, mais il ne parle jamais naturellement.

REMARQUE.

Deux fausetez en quatre ou cinq mots. Nous ne sçaurions assurer que l'Auteur des Tragedies Latines parle toûjours bien, ne sçachant pas au vrai précisément en quel temps il vivoit, si ce n'etoit point lorsque les declamateurs commencerent à gâter la langue Latine, ou même dans un plus mauvais tems que celui-là. Car pour ce qui est d'une affectation perpetuelle, je ne l'apperçois point ni dans la Medée; ni dans la Troade; ni dans l'Hippolyte: sans parler des autres pieces tragiques, ou l'on ne peut pas dire que le poete ne parle jamais naturellement.

REFLEXION.

L'ordonnance des fables de Seneque n'est pas d'un grand caractere.

REMARQUE.

La plûpart des pieces de Seneque sont de la maniere des Grecques de même nom: & son Oedipe n'a pas une autre disposition que l'Oedipe de Sophocle, duquel néanmoins Aristote parle si souvent avec tant d'estime de l'Auteur.

XXIII. REFLEXION.

Le Sedecias de Malapert, le Crispe de Stephanius, le Joseph de Grotius, l'Herode d'Heinsius.

REMARQUE.

Petau, Cellot, & tant d'autres du dernier siecle & de celui-ci, méritoient bien qu'on parlât d'eux. Et ceux même dont on parle en ce lieu, ne méritoient-ils pas qu'on en parlât avec moins de desavantage; puisqu'ils n'ont rien écrit, qu'à l'imitation de ces illustres anciens, Grecs & Latins, qu'ils ont pris pour leurs maîtres?

REFLEXION.

Les Anglois ont plus de génie pour la Tragedie que tous les autres peuples, par le caractere de leur langue, qui est propre aux grandes expressions.

REMARQUE.

Je suis fort trompé si l'anonyme n'a point voulu gratifier la nation, dont il parle si avantageusement, & toutefois avec si peu d'apparence. La langue des Anglois étant, comme elle est, remplie de monosyllabes & de petits mots, ne semble guere propre aux grandes expressions: & leur maniere de prononcer du bout des levres & comme en sifflant, est trop mince & trop delicate pour exprimer des choses tragiques & atroces, avec poids, avec ardeur, & avec véhemence.

XXIV. REFLEXION.

On prétend qu'Aristote qui n'a presque rien dit de la Comedie, a tout dit.

REMARQUE.

On prétend tres-mal à propos: & vous deviez vous réfléchir sur d'autres considerations que ne font ceux qui ignorent ce que c'est que la poëtique d'Aristote. D'abord on devoit apprendre de vous qu'Aristote a parlé suffisamment de la Comedie, mais que cet endroit, si utile à toutes sortes d'Auteurs, & si necessaire aux poetes comiques, s'est perdu. Et qui en peut douter s'il a lû le penultiéme chapitre du troisiéme livre de sa Rhetorique, où lui-même nous donne avis que dans son Traité de la Poëtique il avoit parle des differentes manieres du ridicule: εἴρηται πόσα εἴδη γελοίων ἐςὶν ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς. Il y a plus: c'est qu'au chapitre sixiéme de sa Poëtique, après qu'il nous a dit ce qu'il a voulu, il nous promet de parler & du Poëme épique & de la Comedie, quand il aura conclu ce qu'il avoit à dire touchant la Tragedie: περὶ μὲν οὖν τῆς ἐξαμέτρου μιμητικῆς, καὶ περὶ κωμῳδίας ὕςερον ἐροῦμεν. En effet il s'acquite d'une partie de sa promesse: puisqu'il parle assez au long & de la Tragedie & du Poëme épique. Ce qu'il témoigne lui-même à sa façon, lorsqu'il croit avoir mis la derniere main à son Ouvrage. περὶ μὲν οὖν τραγῳδίας καὶ ἐποποιΐας, καὶ αὐτῶν, καὶ τῶν μορίων αὐτῶν, καὶ τί διαφέρει, εἰρήσθω τοσαῦτα. Mais pour la Comedie, qui fait la derniere partie de sa promesse, & qui, outre beaucoup d'autres choses, devroit nous apprendre les differentes manieres du ridicule; il n'en reste pas un mot. E c'est la perte que nous avons faite par le malheur du tems, ou par la négligence des hommes.

XXV. REFLEXION.

Aristote qui donne des préceptes pour faire pleurer, n'en donne point pour faire rire.

REMARQUE.

Si le réflexif prétend qu'Aristote, qui n'a presque rien dit de la Comedie, a tout dit, en remarquant qu'on doit raisonner du ridicule de la même maniere qu'il a raisonné du grave & du serieux; n'a-t-il pas donné des preceptes pour faire rire, dés-là même qu'il en a donné pour faire pleurer?

REFLEXION.

Terence représentoit les vices sans les grossir & sans les augmenter.

REMARQUE.

Témoin le Thrason & le Phormio de Terence. Mais pour en bien juger, il faudroit voir s'il se trouve en effet quantité de soldats aussi sottement glorieux, & quantité de parasites aussi frippons, que ces deux personnages des Comedies de ce Poëte.

XXVI. REFLEXION.

Si l'on peut former un jugement juste sur les fragmens de Menandre, on trouvera qu'il fait des portraits fort agreables de la vie civile.

REMARQUE.

Pour juger de Menandre, il ne falloit pas hesiter, ni même penser seulement aux fragmens qui nous restent de cét Auteur: puisque c'est trop peu de chose, pour en tirer avec certitude une mediocre connoissance. Mais on pouvoit s'en rapporter, ou à Plutarque, ou à Quintilien, ou à d'autres Critiques semblables. En user autrement, comme a fait nôtre réflexif, ce n'est pas faire des réflexions: c'est parler à l'avanture. & tirer comme au fort ce qu'on veut dire. *Hoc est non considerare, sed quasi sortiri quid loquare.*

XXX. REELEXION.

Les fables de Terence sont d'ordinaire composées. C'est ce qu'on lui reprochoit, qu'il faisoit une Comedie Latine de deux Grecques.

REMARQUE.

Cette ignorance est trop grossiere pour être pardonnée à notre anonyme. On ne reprochoit point à Terence que ses fables fussent composées, c'est à dire, qu'elles fussent, comme parle son vieux interprete, *duplicis negotii*, qu'elles comprissent un double sujet: mais on lui reprochoit qu'il prenoit une partie de comedie d'un endroit, & une partie de l'autre, & quelquefois la piece toute entiere. Ce qui se pouvoit aisément, sans que la Comedie fût composée, & qu'elle traitât deux principales affaires.

REFLEXION.

On sait de Cecilius tout au plus, ce qu'en dit Varron, qu'il étoit heureux dans les sujets qu'il prenoit.

REMARQUE.

Pardonnez moi, Monsieur: on en sçait un peu davantage que vous ne dites. On sçait ce qu'en dit Ciceron, que Cecilius est un méchant Auteur de la langue Latine. On sçait ce qu'en dit Horace, que Cecilius est d'un air plus grave, & plus serieux, que les autres poëtes de sa sorte. On sçait ce qu'en dit Aulugelle, que Cecilius est bien inferieur à Menandre en tout ce qu'il a traduit de lui. Enfin on sçait ce qu'en dit Volcatius, que Cecilius parmi les Latins est à son jugement le premier des Poëtes comiques.

XXVII. REFEXION.

Virgile est plus exact & regulier que Theocrite.

REMARQUE.

Je n'entens pas cette exactitude & cette regularité si grande de Virgile en ses Bucoliques: puisqu'il n'a pu souffrir la contrainte que s'est donné Theocrite dans la mesure de ses vers.

REFLEXION.

Les autres poëtes qni ont écrit des Eglogues, l'ont fait d'une petite maniere.

REMARQUE.

C'étoit ici le lieu de parler des Eglogues de Sannazar, & d'une infinité d'autres tant du siecle present que du passé. Mais le reflexif ne s'est pas obligé à ne rien omettre, même du nécessaire.

XXVIII. REFLEXION.

Perse avoit joint l'obscurité à la gravité & à la vehemence de Juvenal.

REMARQUE.

Ce n'est pas être trop reglé ni trop juste dans son discours, que de dire que Perse tient de Juvenal la gravité & la vehemence; puisque Perse a vêcu devant Juvenal. Et c'est pour cela même qu'il falloit premierement faire mention du plus ancien.

XXIX. REFLEXION.

Il nous est resté quelques Elegies de Cornelius Gallus, qui sont d'une grande pureté, & d'une grande delicatesse. Mais le vers de Catulle est d'une negligence trop affectée. Celui de Cornelius Gallus est plus rond, & se soûtient mieux.

REMARQUE.

Rien de plus faux que cela. Il n'est resté aucune chose de Cornelius Gallus: & ce qu'on lui attribue, est peu correct; est puerile & extravagant. Tant s'en faut que son vers soit plus rond, & se soutienne mieux que celui de Catulle. Voiez Juste Lipse, Pierre Pithou, Joseph Scaliger, & ceux qui ont encore présentement quelque goût des bonnes lettres.

XXX. REFLEXION.

Pindare est le seul qui se soit acquis de la gloire: car il nous est resté peu de choses de ces autre neuf poëtes lyriques dont parle Petrone.

REMARQUE.

Sans mentir, cela est trop plaisant. Dites moi, Monsieur: Pindare fait-il le dixiéme poëte lyrique; puisque vous pretendez qu'il y en ait neuf autres sans lui? Il est vrai que vôtre Petrone, pour s'être mal expliqué, vous a pû tromper, lorsqu'il a dit, *Pindarus, novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt.* Mais vous l'avez dû corriger de vous-même: & vous l'auriez corrigé sans doute, si vous eussiez leu ces paroles de Quintilien. *Novem vero lyricorum longe Pindarus princeps*, qui sont au chap. 1. du 10. l. de ses Institutions.

REFLEXION.

Parmi les lyriques Latins des derniers siecles, l'on en trouve trois qui se sont distinguez des autres, Sarbieuski, Cerisantes, & Magdelenet.

REMARQUE.

Il ne parle point de Jonin, qui vaut mieux que Cerisantes & Magdelenet tous deux ensemble.

ble. Il laisse là Balde qui ressent mieux son poëte, qu'aucun de ceux-ci, quoi que peut-être il soit moins cultivé que les autres.

XXXI. REFLEXION.

L'épigramme est de tous les ouvrages de vers que l'antiquité ait produit, le moins considerable.

REMARQUE.

Je ne vois pas que Catulle soit moins considerable par ses hendecasyllabes, que Tibulle par ses élegies : ni que les amourettes d'Anacreon & ses chansons à boire vaillent mieux que toute l'Authologie : ni que Martial doive ceder à aucun de ceux de son tems, en quelque genre de poësie qu'ils excellent.

REFLEXION.

La beauté de l'épigramme consiste ou dans un tour delicat, ou dans un mot heureux.

REMARQUE.

N'y a-t-il rien à faire que cela, pour donner au public une belle épigramme ? Je ne m'étonne pas que l'épigramme soit l'ouvrage de vers le moins considerable de tous : mais je m'étonne qu'on y reüssisse si peu, étant si peu de chose : & que ce soit un coup de bonheur d'y reüssir, y aiant si peu à faire.

REFLEXION.

Les gens du bon goût préferent la maniere de Catulle à celle de Martial.

REMARQUE.

J'aurois un peu plus de peine à me résoudre sur ce sujet, que n'a eu nôtre réflexif, qui s'est déclaré d'abord contre Martial, en faveur de Catulle. Certes à l'égard de la belle Latinité & de la delicatesse du vers, je ne ferois point de difficulté de mettre Catulle le premier. Mais comme il y a deux sortes d'épigrammes, l'une simple, qui consiste seulement dans une douce & gratieuse exposition du sujet que l'on traite; l'autre composée, qui renferme cette exposition par une fin subtile, pénetrante, & ingenieuse : & comme j'estime beaucoup Martial en qualité d'Auteur de cette seconde maniere ; je voudrois lui joindre Catulle qui est l'Auteur de la premiere, pour ne faire qu'un seul des deux.

REFLEXION.

Naugerius sacrifioit tous les ans en céremonie un volume d'Épigrammes de Martial aux Manes de Catulle.

REMARQUE.

Paul Jove qui nous a raconté le premier cette petite histoire, ne parle point de sacrifier aux Manes de Catulle : mais il parle de consacrer à Vulcain, c'est à dire de jetter dans le feu quantité de livres des Epigrammes de Martial. C'est Famianus Strada, qu'on estime avoir ajoûté de lui-même ce sacrifice aux Manes de Catulle, pour donner quelque agrément & plus de couleur à la fantaisie d'un extravagant. Mais que diriez-vous qu'une des plus raisonnables Epigrammes de ce grand adorateur de Catulle, Naugerius, ne tient rien de Catulle, & qu'elle est de la façon de Martial; duquel pourtant Naugerius s'est declaré ennemi? La statuë de Pythagore fait le sujet de l'Epigramme : & le poëte dit en ses vers, que cette statuë étoit si bien faite qu'il sembloit que Pythagore parlast ; & qu'il parleroit en effet, n'étoit qu'il fait scrupule de violer l'ancienne loi qu'il a prescrite lui-même de garder le silence. *Sed, veteri obstrictus religione, silet.*

REFLEXION.

Je ne trouve rien à dire de remarquable sur les faiseurs d'Epigrammes des siecles suivans.

REMARQUE.

Si l'on considere les poëtes Latins depuis deux cens ans, non seulement dans leurs recueils, mais aussi dans leurs ouvrages separez, je suis tout persuadé qu'il y a autant à remarquer dans les faiseurs d'Epigrammes, que dans les autres poëtes qui vivoient de leur tems, ou même qui les ont précedez. Mais le réflexif va toûjours dans l'excez, soit qu'il dise ce qu'il faudroit laisser, soit qu'il omette ce qu'il faudroit dire.

REFLEXION.

L'Epigramme est une des especes de vers, où l'on reüssit peu.

REMARQUE.

Il est vrai: mais pourquoi? Parce qu'il y faut un génie tout particulier: parce que l'application y est autant necessaire qu'en aucun autre ouvrage: parce que l'exercice y fait beaucoup : & tout cela rarement se trouve ensemble.

REFLEXION.

C'est un coup de bonheur que d'y reüssir.

REMARQUE.

Quelquefois il y a du hazard à bien rencontrer: je l'avouë : mais ce n'est pas l'ordinaire. On sçait que l'esprit, l'adresse, la vivacité, l'art, & l'usage, y contribuent incomparablement plus, que le bonheur.

REFLEXION.

Une Epigramme vaut peu de chose, quand elle n'est pas admirable.

REMARQUE.

C'est trop exiger d'un homme de petit métier, que de vouloir que son ouvrage soit admirable. Et je montrerois bien, si la chose le méritoit, que c'est assez qu'une Epigramme soit jolie, sans qu'elle soit belle, & à plus forte raison, sans qu'elle soit admirable.

REFLEXION.

Il est si rare de faire d'admirables Epigrammes, que c'est assez d'en avoir fait une en sa vie.

REMARQUE.

Quand on s'est laissé échaper comme en passant, qu'il faut que l'Epigramme pour être Epigramme, cause de l'admiration ; & que c'est assez qu'on en ait fait une en sa vie ; tant la chose est rare, & de grand prix : cela se peut souffrir comme un mot de plaisanterie, ou comme un mot dit à la cavaliere, qu'on prend aussi peu sérieusement qu'il a été dit. Mais s'il est question de donner des préceptes & de parler juste : il n'y a personne si peu intelligent, qu'il ne voye que ceci est tres-mal pensé. C'est la même faute, comme c'est du même Auteur, d'avoir avancé que *les vers ne sont pas supportables quand ils ne sont que mediocres ; & qu'ils sont ridicules, dés qu'ils ne sont pas admirables.*

XXXII. REFLEXION.

Nous trouvons ces manieres de délicatesse de vers dans quelques-uns des anciens, comme dans le Socrate de Platon.

REMARQUE.

Le réflexif est si heureux, qu'il trouve tout par tout. Pour moy, le malheur m'en veut tellement, que je ne trouve presque rien de tout ce qu'il m'enseigne; pas même l'endroit en general, où je dois le chercher. Premierement, je ne trouve point dans Platon aucun dialogue, ou aucun autre ouvrage qui s'intitule *Socrate*, mais seulement l'apologie de Socrate. En second lieu, je ne trouve aucun vers dans cette apologie. Comment donc y trouver des délicatesses de vers?

XXXIII. REFLEXION.

Si j'étois d'humeur à decider.

REMARQUE.

De toutes les contradictions que j'ai remarquées en assez bon nombre, au livre de nôtre réflexif anonyme, je n'en sçai point de plus grande à mon sens, que celle-ci, qui est comme perpetuelle, & qui remplit toutes les pages. D'un coté, il fait profession d'honnesteté, de modestie, de reserve, & de retenuë. De l'autre, il tranche comme du souverain dans l'empire des lettres: il s'érige en docteur universel de toute la terre : & il fait particulierement la leçon aux doctes mêmes. Jamais aucun n'a été plus affirmatif, ni plus décisif : aucun n'a parlé avec plus de hauteur & de suffisance. Il trouve beaucoup à redire à tous les poëtes, sans presque en excepter un seul : & les deux ou trois divinités qu'il adore, Homere, Virgile, & Horace, ne laissent pas d'avoir leurs defauts. *Je ne suis pas*, dit-il, *d'humeur à décider: je ne suis pas assez hardi pour me déclarer contre le public : je ne présume pas assez de ma capacité & de mon credit, pour m'opposer de mon chef contre un usage si établi. Il me doit suffire de proposer modestement mes doutes.* Qu'y a-t-il de plus soumis, de plus defiant de ses forces, & qui defere moins à son propre sens ? Mais voyez dans la pluspart des endroits de son Livre, s'il ne fait point le contraire de ce qu'il proteste vouloir inviolablement garder; s'il ne parle pas en maître absolu; s'il ne fait point la part à chacun des sçavans; & s'il ne les dégrade point tous, comme il lui plait, anciens, nouveaux, Grecs, Latins, François, Italiens, Espagnols, Portugais, Allemans. En un mot sous pretexte de vouloir rendre justice aux deux plus célebres poëtes de l'antiquité, il condamne tous les autres qui se sont signalez depuis deux mille ans : & par une critique qui ne s'étoit pas encore pratiquée parmi les doctes, il fait la censure génerale de tout ce qu'il y eut jamais de belle & de rare poësie en l'Univers. *Homere*, dit-il, *m'anime. Virgile m'échauffe : tous les autres me glacent : tant ils sont froids, & languissans.*

Tel est le jugement qu'a fait le réflexif des poëtes anciens, faute de les entendre. Et telle aussi est l'opinion qu'il a des poëtes modernes, faute d'en connoître le mérite & le prix. Car pour ce qui regarde la Poëtique d'Aristote, sur laquelle nous attendions de nouvelles lumieres d'un Auteur nouveau; le moins que nous en puissions dire, c'est que l'Auteur des réflexions n'est pas encore assez instruit lui-même, pour nous rien apprendre en cette matiere que nous ne sceussions auparavant.

Fin des Remarques sur les nouvelles Réflexions touchant la Poëtique.

REPONSE
Du R. P. RAPIN
AUX
Remarques du R. P. VAVASSEUR
sur la Poëtique.

AVERTISSEMENT.

L'Auteur des Remarques sur les Réflexions de la Poëtique, est un Critique bien alerte. J'avois préveuu le Public dans l'Avertissement de la premiere édition de ces Réflexions, qu'il s'estoit glissé bien des fautes, & fort grossieres, dans cette impression, qui s'estoit faite, en mon absence; je promettois de les corriger dans une seconde édition. L'Auteur des Remarques qui s'avisa de profiter de l'avis, par une demangeaison de Critique, examina ce livre, & fit ses notes sur les Réflexions. Mais tout passionné qu'il étoit, il fut mal servi de sa passion : car n'ayant trouvé qu'un reste de feu presque éteint dans son esprit, qui n'estoit pas le plus vif du monde, il fut quatorze mois à arranger ses Remarques. Cette longueur de tems donna lieu à ma seconde édition : où j'ay corrigé ce qu'il y avoit de fautes les plus remarquables de la premiere, & cette édition prévint les remarques du Critique, comme il paroit par la datte des deux editions : ainsi ce ne fut qu'aprés coup, qu'il imprima : & son Ouvrage ne servit qu'à faire voir sa mauvaise intention.

Et en verité s'il avoit eu un peu plus de commerce dans les Livres, il auroit été plus indulgent sur la fragilité des Auteurs dans leurs citations: car ce n'est presque qu'en cela qu'il me critique: il auroit appris qu'Aristote un des Auteurs des plus exacts qui ait jamais écrit, s'est souvent mépris: que dans sa Rhetorique, qui est le plus correct de ses Ouvrages, il a cité au Ch. 9. du 3 L. un vers d'Euripide sous le nom de Sophocle: & il auroit trouvé qu'il n'y a point d'Auteur, quelque celebre qu'il soit, qui ne soit tombé dans de pareilles fautes. Je ne parle point de Thucydide en qui Denis d'Halicarnasse en a tant trouvé: je ne parle point de celles de Pline en son Histoire naturelle, que rapporte Hermolaus Barbarus, ni de celles de Ciceron & de Virgile, que cite Scioppius.

Mais nostre Censeur seroit d'humeur & de caractere même à chicaner le St. Esprit, sur ce que St. Matthieu a rapporté un passage de Zacharie qu'il attribue à Jeremie, au lieu d'imputer la faute à l'Imprimeur. Voilà l'esprit de l'Auteur des Remarques, qui renferme sa critique dans des citations, sans entrer dans le fond de la matiere, dont il s'agit, qui est la Poëtique, ~~où il n'entend rien~~, confondant l'art de faire des vers ou la versification avec la Poëtique: ce qui est le plus essentiel en ce sujet : ainsi qu'on verra dans le détail de ses Remarques.*

* Et impletum quod dictum est per Jeremiam, acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, &c. Matth. 27.

REPONSE
AUX
REMARQUES
Sur les Reflexions touchant la Poëtique.

I. REMARQUE.



Puisque l'Auteur des Reflexions veut apprendre les endroits où il s'est mépris, il faut le satisfaire: & puisqu'il assure qu'on trouve par tout des gens toûjours prests à donner des avis, il est bon de lui faire dire vray, luy, qui s'est trompé si souvent, & qui a dit faux en tant de differentes manieres.

REPONSE.

Quand on sçait vivre, on ne parle point ainsi: on détrompe charitablement les gens, sans reprocher malhonnestement, qu'on dit faux. Et quand on est sage on ne se vante de rien: on se deffie de soy parce qu'on se trompe souvent. L'Auteur des Remarques qui en use autrement donne d'abord une méchante idée de luy, & une étrange opinion de sa morale.

II. REMARQUE.

Je m'assure que l'Auteur des Réflexions est encore à savoir, que la Poësie de son chef ne tient pas rang parmi les sept Arts liberaux: mais seulement par le rapport qu'elle peut avoir, soit à la Grammaire, comme le dit Isidore en ses Origines, soit à la Musique, comme le prétend peut-être avec plus de raison Martianus Capella.

REPONSE.

La Remarque est judicieuse, importante, soûtenue d'une grande autorité. Car Isidore, & Capella sont de grands Auteurs. Tous les Commentateurs d'Horace, qui ont mis pour titre à l'Epitre aux Pisons, *de Arte Poëtica*, savoient-ils cette belle observation? Ne peut-on appeller Art, que ce qui se peut réduire aux Arts liberaux? Est-ce à la Musique, ou à la Grammaire, à vôtre avis, que l'Art de regner, dont parle Ciceron (*a*), doit se rapporter? Pour moy qui ne sçay pas, si bien que vous, le nombre des Arts liberaux, je croyois qu'on pouvoit indifferemment appeller Art tout ce qui se fait par des regles. (*b*) Car Ciceron n'y fait pas lui-même tant de façon, il met la connoissance de la Poësie, & des Poëtes au rang des Arts liberaux: il avoit pris ce sentiment de Platon. Ainsi vous trouverez bon, que je continue d'appeller la Poëtique un Art & le plus parfait de tous les Arts: puisqu'elle a quelque chose de divin, comme l'assure Platon dans son Dialogue d'Ion, & Aristote au troisieme livre de sa Rhetorique, Ciceron dans l'Oraison *pro Archia poëta*: ce sont les Auteurs que j'oppose aux vôtres. Mais il importoit que le public ne fut pas privé de vôtre belle & profonde érudition, fondée sur le témoignage de Martianus Capella grand Critique.

III. REMARQUE.

Pour estre Poëte il faut tout savoir, &c. le Reflexif avance qu'il est de la profession du Poëte de ne rien ignorer &c.

REPONSE.

Vous n'êtes pas sincere: je ne dis pas cela. Je dis *que pour réussir en Poësie*, il faut tout savoir, parce qu'il faut parler de tout: & j'appelle réussir, faire comme ceux dont je cite l'exemple, Homere & Virgile. Ce sont eux qui me touchent, ceux qui vous ressemblent me glacent. Car je ne suis pas si aisé à enflammer que vous, qui attaquez les gens sans raison, & qui de gayeté de cœur faites des libelles diffamatoires, contre vôtre caractere; car on dit dans le monde que vous n'êtes pas de profession à cela. Au reste je ne say, si ce que vous dites de Vitruve, dans une affaire où il s'agit de Poësie, & non pas de bastiment, est fort à propos: mais je say bien que ce que vous dites, du sentiment d'Antonius, ne l'est point du tout. Car Ciceron, qui ne parle que par la bouche de Crassus dans les livres de l'Orateur, au lieu que vous citez, (*c*) ne fait rien dire à Antonius que pour le refuter. Ainsi je ne le refute pas moi-même. Et quand Crassus dit, que l'Orateur doit tout savoir, pour parler pertinemment de toutes choses, c'est Ciceron qui parle: consultez le Commentaire de Manuce sur cet endroit, & vous aurez honte d'avoir cité si mal à propos Antonius: car ce qu'il dit est de nulle autorité. Pour Racan je ne l'ay appellé Poëte, que de pur genie: les autres qualités pour faire un Poëte accompli, que je cite dans la Réflexion seconde, & que vous affectez de ne pas voir pour avoir de quoi critiquer, lui manquoient: il avoit de l'imagination & point de capacité: vous trouvez en cela de la contradiction, parce que vous la faites vous-même, en disant ce qu'on ne dit pas, & en ne disant pas ce qu'on dit.

IV. REMARQUE.

Attendez tant soit peu: Lucain aura bien-tôt du genie, il ne sera plus languissant. Voyez la page 150. Lucain est grand, élevé, & à la marge du même endroit, *Lucani mens effrænis, sui impos, immodico rapta calore*. Scal.

REPONSE.

Quel Stile? comment tout cela est arrangé? le beau discours que voila? Mais examinons-en le raisonnement, qui est encore plus beau. Je dis que Lucain n'est pas Poëte & je ne le dis que sur la bonne foy de Quintilien: voici ses paroles, (*d*) *Lucanus, ut dicam quod sentio, magis Oratoribus quam Poetis adnumerandus*. Sa Pharsale est une Histoire, & non pas un Poëme: & ses Vers ne sont que des Vers, & non pas de la Poësie. Mais parce que vous ne distinguez pas l'un d'avec l'autre, vous l'érigez à même tems en Poëte, par un passage de Scaliger que vous avez trouvé à la marge d'un endroit des Réflexions où il s'agit de l'expression, *Lucani mens effrænis, sui impos, immodico rapta calore*. Voila Lucain Poëte à vôtre compte par ces belles paroles: *Lucanus*, dit Scaliger, *latrare mihi videtur non canere*: & vous appellez cela genie. Le beau discernement que le vôtre! on peut vous croire, aprés cela, quand il s'agit de Poësie: car vous vous y connoissez. C'est ainsi que vous confondez toutes choses, que vous ne distinguez pas la versification d'avec la Poësie, que ce que je dis de l'une vous l'appliquez à l'autre, & que vous ne trouvez de la contradiction dans mes paroles, que par les changemens & par la confusion que vous y fourrez de vôtre chef.

V. REMARQUE.

Ovide manque de jugement dans ses Metamorphoses. Cela est fâcheux: car il a du genie, à ce que vous dites, il a de l'art, du dessein même dans ses Metamorphoses; mais je pense pouvoir raisonnablement l'excuser: puisque ses Metamorphoses ne sont qu'un essay de jeunesse, qu'il n'a jamais reveu, qu'il desavoüe & qu'il ne reconnoit pas pour sien, &c.

RE-

(*a*) Ars gubernandi, ratio atque prudentia reipub. gubernandæ. 1. *de divinat.* (*b*) Neque solum has Artes quibus liberales doctrinæ continentur, Geometriam, Musicam, literarum cognitionem & poëtarum &c. *de Orat. lib.* 3. (*c*) Crassus personam Marci Ciceronis sustinebit & oratorem perfectum magnis artibus definiet. Antonius qui defendit partes Quinti Ciceronis non tantam artium perfectionem tribuet Oratori. *Man. in lib.* 1. *de Orat. pag.* 3. (*d*) Lib. 10. cap. 1.

REPONSE.

Voici une remarque d'un grand ſens, où l'Obſervateur autoriſe tout ce que je dis, en me voulanr refuter. Je ne ſay pas ſi c'eſt ſon intention : il y a apparence, qu'il ne s'entend pas lui-même : on ne voit pas ce qu'il prétend, & où va ce beau raiſonnemenr : il convient de ce que je dis : qu'Ovide manque de jugement dans ſes Metamorphoſes, puiſqu'il allegue ſa jeuneſſe pour l'excuſer. Nous voila d'accord ſur cela : mais je ne le ſuis pas avec lui, ſur ce qu'il ajoûte, qu'Ovide deſavoue ſon Poëme des Metamorphoſes, & qu'il ne le reconnoir pas pour ſon Ouvrage, il me diſpenſera de l'en croire ſur ſa parole : puiſqu'Ovide dit le contraire lui-même. C'eſt dans la premiere Elegie du livre ſecond des Triſtes, où il fair la liſte de ſes Ouvrages.

Dictaque ſunt nobis, quamvis manus ultima cœpto
Defuit, in facies corpora verſa novas.

Et il deſavoüe ſi peu ce Poëme, qu'il en fait lui-même l'éloge à la fin des Metamorphoſes : qu'il s'en glorifie, comme d'un Ouvrage qui le fera connoitre à toute la terre, & qui le rendra immortel. Voici ſes paroles qui ſont à la fin du quinziéme livre.

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterunt ferrum, nec edax abolere vetuſtas, &c.

L'Obſervateur devoit ne pas Ignorer cela : car pour un Critique de profeſſion qui a prétendu ſe ſignaler par ſes ſavantes remarques, la faute eſt un peu groſſiere. Mais je ne puis m'empeſcher de lui donner charitablement un mot d'avis ſur ſon beau langage, & ſur ces termes barbares d'Anonyme, de Reflexif, dont il remplit ſon diſcours. Pourquoi vous mêlez-vous d'ecrire, vous qui ne ſavez pas parler? (a) *Loqui non potes, & tacere non vis.* C'eſt un petit mot d'Aulugelle, dont il pourra faire ſon profit, s'il eſt ſage. Il eſt vray que quand on eſt poſſedé de l'eſprit de critique, c'eſt une paſſion dont on n'eſt pas maître.

VI. REMARQUE.

Quoi? un General d'Armée pour gagner des batailles, un Miniſtre d'Eſtat pour faire une paix generale, n'ont pas beſoin d'une ſi grande élevation d'eſprit, ni d'un ſi fort genie, qu'un petit faiſeur de vers, pour donner au public deux ou trois Eglogues?

REPONSE.

Je ne voy pas par quel eſprit l'Obſervateur me cite à faux tant de fois. Car il y a un œuil public, auquel on n'impoſe point. Bien loin de dire ce qu'il m'impute, je dis tout le contraire : je dis qu'un petit faiſeur de vers n'eſt point Poëte : qu'un Sonnet, qu'une Ode, qu'une Elegie & tous ces petits vers, dont on fait tant de bruit dans le monde, ne ſont quelquefois que des productions toutes pures de l'imagination : un eſprit ſuperficiel avec un peu d'uſage du monde eſt capable de ces Ouvrages. La vraye Poëſie demande bien d'autres qualités : le genie de la guerre & des affaires n'a rien qui en approche. Je conclus que pour exciter ces mouvemens de l'ame, ces tranſports d'admiration, qu'on attend de la grande Poëſie, tout le genie dont l'eſprit de l'homme eſt capable à peine y peut ſuffire : & je finis ce diſcours par l'exemple d'Homere, qui a été l'admiration de tous les ſiecles. Je m'en tiens à ce que je dis : parce que dans cette grande Poëſie, dont je parle, il y a un certain caractere de divinité, ſelon le conſentement de tous les grands hommes, qui ne ſe trouve point dans le genie de la guerre & des affaires. Cela eſt-il ſi choquant & ſi déraiſonnable? Au contraire, n'eſt-ce pas une choſe ſi vraye, qu'on voit tous les jours des Capitaines & des Negotiateurs réuſſir dans la guerre & dans les affaires : & l'on ne voit preſque point ces mouvemens & ces grandes impreſſions que la Poëſie fait ſur l'ame, quand elle eſt, ce qu'elle doit être, merveilleuſe & divine. Ce n'eſt pas qu'il n'y air des gens qui ont ſi bonne opinion d'eux-mêmes, qu'ils ne croyent pas qu'il ſoit difficile de donner de l'admiration : je ne ſay ſi le Critique, qui s'admire ſi aiſément luy-même, n'eſt pas de ce ſentiment.

VII. REMARQUE.

Mais vous, Monſieur, qui nous venez dire qu'Homere eſt le maître univerſel de tous les Legiſlateurs : & qui nous dites incontinent aprés, que c'eſt ſur ce grand original que Platon eſt devenu Philoſophe : ſavez-vous bien que Platon dit le contraire en termes exprés?

REPONSE.

On ſe laſſe de vous le dire tant de fois, vous changez toûjours mes paroles, & vous n'avez nulle ſincerité. Il y a quatorze mois que vous avez mes Reflexions devant les yeux, comme il paroit par la datte des éditions : & avec une critique auſſi emportée que la vôtre, avec vôtre conſeil, car on ſait que vous n'eſtes pas ſeul, vous ne ſauriez copier fidellement deux mots pour les refuter, ſans y alterer quelque choſe. Si vous faiſiez réflexion à la peine que vous avez d'eſtre exact, à citer fidellement ce que vous voulez critiquer : vous auriez de la condeſcendence pour la fragilité de ceux qui ne le ſont pas, dans les citations des Auteurs ; & vous ſeriez plus circonſpect à reprocher les fautes, qu'on fait en parlant des livres anciens : vous qui ne pouvez eſtre fidele à citer les termes d'un livre nouveau. Mais examinons vôtre critique. Je n'ay point dit *qu'Homere fut le maître univerſel de tous les Legiſlateurs.* Voila deux fauſſetés que vous m'impoſez. *Maître univerſel des Legiſlateurs*, c'eſt la premiere : *de tous les Legiſlateurs* : c'eſt la ſeconde. J'ay dit ſeulement que *les Legiſlateurs avoient pris dans Homere le premier plan*, c'eſt à dire la premiere idée, *des loix qu'ils avoient données aux hommes* ; parce que du tems de Lycurgue & de Solon, il n'y avoit

 point

(a) Aulus Gel. ex Epicharmo cap. 15. l. 1. Noct. Attic.

point d'autre morale, fur qnoi l'on pût fe regler, que les livres d'Homere. Ce fut là qu'ils prirent les idées de l'équité naturelle, de la temperance, de la frugalité, des devoirs de l'hofpitalité & des autres vertus civiles, dont on trouve de fi belles images dans l'Iliade & dans l'Odyffée. Car l'un & l'autre avoient fort leu Homere, que l'Empereur Juftinien appelle dans la Preface des Pandectes, *patrem omnis virtutis*, & qu'nn moderne (a) qui a écrit fur le Panegyrique d'Ifocrate nomme, *parentem omnis virtutis in jure civili*; & Jamblique dans la vie de Pythagore, dit que ce Philofophe avoit coûtume de citer Homere pour regler les mœurs de cenx, à qui il parloit, & pour prêcher la vertu. Ciceron dans le 5. livre des Tufculanes dit qu'on difoit que Lycurgue avoit vêcu du tems d'Homere. Plutarque dans fa vie ajoûte qn'un certain Timæus & un Apollodorus, temoignent que ce même Lycurgue avoit eu des conferences avec lui. Et Strabon dans fon dixiéme livre prétend que ce fut dans l'Ifle de Chio qu'ils fe virent. Quoi qu'il en foit, car je ne fuis pas garant de tout cela: ce fut Lycurgue qui apporta le premier les vers d'Homere, de l'Ionie en Grece, comme Elian le témoigne au 14. chapitre du livre 13. de fon hiftoire diverfe. Et ce fut Solon, comme dit Laerce, qui fit arranger les Poëmes de ce grand homme, & qui les fit reciter publiquement dans leur ordre naturel. D'où je conclus que l'un & l'autre ayant eu une fi grande connoiffance de ce Poëte: ce n'eft pas fans fondement que j'ay dit qu'ils avoient pris le premier plan de leurs loix dans fon livre, qu'ils avoient fi fort étudié; aprés particulierement que Plutarque (b) cite une loy de Solon fondée fur un vers d'Homere. Au refte quand on parle de Legiflateurs en general, cela ne peut s'entendre que de Lycurgue & de Solon, qui les premiers ont fait un corps de loix, qu'ils ont arrangées. L'Obfervateur avoit dans fa feptieme remarque ajoûté à mes paroles tous les Legiflateurs pour fonder le beau raifonnement qu'il fait de Moyfe, lequel n'avoit pas pris fes loix d'Homere, à ce qu'il dit, parce qu'il avoit precede Homere de 500 ans.

La raifon en eft bien imaginée. La loy de Dieu n'a pû eftre prife de l'Iliade & de l'Odyffée, parce qu'elle a précedé cet ouvrage de plufieurs années: & le Legiflateur du Paganifme n'a pû eftre le Legiflateur de la vraye Religion, parce qu'il n'eft venu que cent ans aprés. La remarque eft digne d'un Chrétien. Le bel honneur qu'il fait à fa Religion. Mais voila bien des paroles perdues, en ce grand difcours. Ce que nôtre Docteur a copié de Platon à la fin de cette remarque ne va à rien: car il ne s'agit point du tout de cela. J'avoüe que non feulement Homere n'a jamais fait de loix comme vous le prétendez par ces paroles du livre 10. de la Republique de Platon que vous citez en l'air, fans le marquer: mais même qu'il n'a jamais mis le nom de *Loy* dans fes Poëmes, comme Jofephe (c) l'affure. Mais vous avez décrit tout ce difcours de Platon, qui ne fert là de rien que pour groffir vos remarques, & pour y mettre du Platon; au lieu de critiquer nne faute groffiere, que j'avois laiffé échaper dans la quatriéme Reflexion, où j'ay dit que *les Geometres avoient appris d'Homere la fcience de la terre* au lieu des Geographes: car Homere n'a jamais fceu la Geometrie: un habile homme n'eût pas laiffé paffer cela, fans le remarquer.

VIII. REMARQUE

Elle eft fur ces paroles de la Réflexion quatrieme, *c'eft fur ce grand original*, Homere, *que Platon eft devenu Philofophe.* Parmi les Poëtes que Platon a chaffés de fa République en general, il a chaffé Homere nommément & le premier de tous. Ne voila pas nn Maître bien récompenfé & nn difciple fort reconnoiffant, &c?

REPONSE

Je n'ay pu conftruire rien de raifonnable de la fuite de ce difcours, pour comprendre ce que prétend l'Obfervateur: tout y eft fi mal conçu, & fi mal arrangé, qu'on ne fait ce qu'il veut dire. S'il veut refuter par là ce que j'ay dit, que Platon s'eft formé fur Homere: il n'a qu'à confulter Themiftius, qui dit en termes exprés, qu'Homere *eft le Pere & l'original de tous les difcours de Platon.* Dont Platon convient lui-même dans fon dialogue d'Ion: voici ce qu'il fait dire à Socrate dés l'entrée de ce difcours, qui eft nn éloge perpetuel d'Homere & de la Poëfie. *Il faut*, dit-il (d), *s'attacher aux bons Poëtes, & fur tout à Homere, qui eft le plus accompli & le plus divin de tous les Poëtes, & il faut apprendre non feulement fes vers, mais encore tous fes fentimens.* Libanius l'appelle le Pere commun de la Philofophie des Grecs. Majoragius dans fa Preface fur l'Iliade, dit *ab Homero tanquam ab omnis fapientiæ fonte omnes Philofophantium Sectæ promanarunt.* En voila fuffifamment, pour faire voir à nôtre Critique que je n'ay pas fi grand tort, d'avoir dit que Platon s'eft formé l'efprit dans la lecture d'Homere: qu'il life le chapitre onzieme de Longin, il trouvera que Platon eft le plus grand imitateur d'Homere parmi les anciens. Et s'il veut s'en rapporter au fentiment de Ciceron (e), il n'y a rien de plus chimerique, que cette idée de republique qu'il cite pour me refuter. C'eft un endroit par où l'on fait dire à Platon tout ce qu'on veut. Car dans le livre même de la republique qu'il cite, il loue Homere & il convient qu'il a beaucoup contribué à polir les efprits dans la Grece par les fciences qu'il y a introduites, & qu'il donne d'admirables préceptes pour la conduite univerfelle de la vie.

IX. REMARQUE.

D'où eft ce que l'Anonyme peut avoir apris que Platon n'a pû réüffir en Poëfie? car fi jamais ce Philofophe ne s'eft meflé de faire des vers, comme quelques-uns le veulent faire croire: comment fçait-on qu'il n'a pû y réüffir? & s'il eft Auteur de beaucoup d'Epigrammes que lui attribuë Diogene Laerce, où trouvera-t-on plus de naiveté? c'eft

donc

(a) Wolphius in Ifocrat. Panegyr. [illegible] (b) Plutarch. in ejus vita. (c) Jof. in App. l. 2. (d) [illegible] In Oration. [illegible] Ion.

(e) Epift. ad Attic. L. 2.

donc une grande hardiesse à deviner, & à s'estre avancé de la sorte sans pouvoir produire la moindre marque, ni le moindre témoignage du monde pour preuve de ce qu'on dit. Mais n'y a-t-il pas encore plus de témerité quand un chacun peut aisément s'instruire du contraire &c.

REPONSE.

Tout cela est écrit le plus poliment du monde, comme on voit : mais c'est un plaisant caractere que celui du Critique, dans cette remarque : il fait le docteur, qui veut donner idée de sa suffisance : & qui tâtonne, parce qu'il n'est pas seur de son fait. Si ce Philosophe, dit-il, ne s'est jamais meslé de faire des vers, ainsi que quelques uns le veulent faire croire, comment fait-on qu'il n'y a pas réussi? C'est une grande hardiesse à deviner & à s'avancer de la sorte, sans produire de témoignage de ce qu'on dit. Il paroit par ce discours si elegant, que l'Observateur ne sait pas que Platon se soit mêlé de faire des vers: il m'appelle temeraire d'avancer cela, sans dire d'où je l'ay pris. Enfin il paroit un air d'incertitude dans tout son discours, pour savoir si Platon a fait des vers, ou s'il n'en a pas fait: s'il a réussi, ou s'il n'a pas réussi, qui fait voir que ses lumieres sont bien bornées. Ne vous emportez pas, s'il vous plaît, mon cher: on vous satisfera: mais ne me dites point d'injures. Je vous diray donc, pour répondre par ordre à vôtre beau discours, premierement, que Platon a été Poëte, qu'il a fait des vers heroïques & des Tragedies; car s'il n'avoit fait que des Epigrammes, il ne seroit pas Poëte pour cela. Secondement, qu'il n'y a pas réussi. Troisiémement, qu'il le reconnut fort bien, qu'il fit brûler ses vers, n'en étant pas content : & qu'il quitta ce métier, pour s'appliquer à la Philosophie. (a) C'est Elian qui dit tout cela au Chap. 30. du second livre de son Histoire diverse: vous ne deviez pas ignorer cela, car c'est un livre fort commun, qui est dans les mains de tout le monde. Cette remarque finit par une malice, le Critique me cite à faux pour ~~m'imputer une contradiction :~~ il me fait dire que Platon a reüssi en Poësie, aprés avoir dit le contraire: parceque dans la Réflexion 32. de la seconde partie, où je cite la maniere dont Platon fait parler Socrate pour un modele de la délicatesse dans le stile, il a ajoûté de son chef *délicatesse de vers :* quoi qu'il ne s'agisse que de la delicatesse en general. Je ne refute point ce qui se refute de lui-même, par l'infidelité de l'Observateur. Au reste il paroit par toutes ces faussetés, que ses intentions ne sont pas fort innocentes.

X. REMARQUE.

Il n'y a que deux fautes en ce passage d'Aristote εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν οὐ μανικοῦ, l'une, que le premier mot est mal traduit : l'autre que le penultiéme est falsifié. εὐφυοῦς ne veut pas dire que le caractere du Poëte demande rien de divin, mais qu'il lui faut de l'esprit & du naturel. La falsification de la fin du passage se trouve en la particule οὐ, au lieu qu'il doit y avoir ἤ.

REPONSE.

L'Observateur parle ici d'un air bien décisif. Mais graces à son genie, ses décisions ne passent pas la Grammaire. Apres tout il est fâcheux d'avoir affaire à un Critique trop imaginatif, qui met ses visions en la place de mes Reflexions pour les combattre. Il a mis dans sa tête que j'ay prétendu interpreter le passage d'Aristote, qu'il trouve à la marge de ma cinquiéme Reflexion; à quoi l'on peut voir si j'ay pensé, par mes propres paroles. Les voici, *Il est vray qu'Aristote a reconnu quelque chose de divin dans le caractere de Poëte: mais il n'y reconnoît rien de furieux :* il paroit par là que je n'ay nullement prétendu traduire ce passage, dont les termes n'ont point du tout de rapport aux miens. Car il n'y a rien là, qui exprime cette divinité qu'Aristote a reconnue dans la Poësie, comme il dit au livre troisiéme de sa Rhetorique ἔνθεον γὰρ ἡ ποίησις, par où l'on voit que je n'impose pas à ce Philosophe. Du reste toute cette reflexion n'est qu'une pure explication du sentiment de Castelvetro, sur ce passage que critique l'Observateur, & que j'ay trouvé favorable pour détruire la méchante opinion qu'on a des Poëtes. Je ne fais pas comme l'Auteur des Remarques, qui compte pour lui tous les Traducteurs de la Poëtique d'Aristote, sans en nommer aucun. Je n'en compte qu'un que je cite, qui est Castelvetro (b), le plus exact, le plus profond & le plus savant des Interpretes de la Poetique d'Aristote: Voici comme il traduit ce passage *cioè la Poëtica e piu tosto da persona ingegnosa, che da furiosa.* Ce qu'il pretend dans la troisiéme partie de sa Poëtique pag. 374. par deux moyens: ou en changeant ἤ en οὐ comme j'ay fait à son imitation: ou bien en le prenant dans le même sens, qu'on le prend à l'imitation d'Homere en ce vers du 1. livre de l'Iliade.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σῶον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Ainsi ce Critique qui parle d'un air si affirmatif, trouvera bon que je le renvoye à Castelvetro, de qui j'ay pris cette Traduction, pour sauver les Poëtes de la folie qu'on leur impute: & quand il s'en sera éclairei, il aura peut-être honte de sa vanité, s'il a de la pudeur. Le reste du raisonnement qu'il fait faire à Aristote, fondé sur une conjecture desapprouvée par Sylburgius (c), est incomprehensible : car que veut-il dire *que les inspirés sont ceux qui tombent aisément en extase, & les spirituels sont tout propres à feindre, ainsi que les extasiés & des personnes hors d'elles-mêmes ?* Ce galimatias autorise fort la belle critique de l'Auteur des Remarques sur ce passage: je ne say pas, s'il entend ce qu'il dit, quand il parle de la sorte: mais je say bien qu'on ne l'entend point, quand il parle si mal: *les extasiés & des personnes hors d'elles-mêmes.* Les honêtes gens qui ont trouvé à redire au sens que j'ay donné à ce passage dans mes Réflexions, pourront voir que je n'ay rien dit de mon

(a) Πλάτων καὶ πρῶτα ἐπὶ ποιητικὴν ὥρμησεν καὶ ἡρωϊκὰ ἔγραφε μέτρα, εἶτα αὐτὰ κατέπρησεν ὑπεριδὼν αὐτῶν. (b) Castelvetrius ait quod Aristoteles, ubi egit de perturbationibus, affirmaverit ingeniosi Poëticam esse, non furiosi. *Riccob. in Poët. Arist. cap. 2.* (c) ἐκστατικοὶ pro ἐξεταστικοί. *Lege Sylburgii Notas in Poet. Arist.*

mon chef: & ils pourront même entendre raison sur cela, s'ils consultent Castelvetro (*a*): car je prétens que le sens des paroles d'Aristote ne peut être entendu, que par la traduction que j'ay suivie.

XI. REMARQUE.

Qu'on peut devenir Orateur sans avoir du Naturel à l'Eloquence. Cela est directement opposé à ce qu'enseignent les deux Maitres de l'Eloquence, Ciceron & Demosthene.

REPONSE.

Nullement; car Ciceron dans le même lieu que vous citez parle d'un Quintus Varius qui devint orateur, quoi qu'il fût fort disgracié de la nature. Il ajoute; *Non hæc disputo ut adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino à studio dicendi deterream.* Quintilien dit la même chose en divers endroits, sur tout quand il cite l'exemple de Demosthene, qui ne pouvoit parler & qui devint si éloquent. Au reste je n'ay prétendu exprimer dans la Reflexion sixiéme que le sens du Proverbe, *Fimus oratores, nascimur poetæ*; c'est ce que combat le Critique, par un pur esprit de critiquer.

XII. REMARQUE.

Cette remarque est sur Racan, à qui l'Observateur prefere Malherbe.

REPONSE.

J'en conviens, mais par malheur il ne s'agit pas de cela; je parle des concurrens de Racan & de ceux qui l'ont suivy: & point de Malherbe qui l'a précedé. Mais l'Observateur va chercher Malherbe bien loin dans un autre endroit, pour le fourrer ici avec Racan, & pour les opposer l'un à l'autre contre mon intention. C'est du genie dont je parle ici en parlant de Racan, qui l'avoit admirable: & c'est du stile & de l'expression, dont il s'agit au lieu où je parle de Malherbe. Le Critique confond malicieusement tout cela, pour imposer, & pour critiquer ce qu'il a gasté. Car il faut se défier de lui en toutes choses.

XIII. REMARQUE.

A la verité cela est un peu poëtique en prose de s'imaginer que Virgile affichant tres-innocemment un distique à la porte d'un Palais à la louange du Maître, eut si grand peur qu'il en trembla.

REPONSE.

C'est la modestie de Virgile, qui le fait trembler: il a peur d'être découvert dans une si belle action, parce qu'il n'est pas vain: peut-être aussi qu'il n'est pas seur de la maniere dont cela seroit receu, & qu'il doute du succés: il craint enfin, puis qu'il se cache pendant la nuit: mais il faut avoir l'esprit bien contrariant & être bien ardent à la critique, pour chercher dans des sujets si frivoles dequoi l'exercer si mal à propos.

XIV. REMARQUE.

Vous avez raison de dire qu'il n'y a rien de plus incommode qu'un Poëte entesté de son merite: mais ce n'est pas ce que signifie le Vers, que vous avez mis à costé de vôtre treiziéme page, *Sæcli incommoda, pessimi poëta.*

REPONSE.

Ce sont presque toûjours vos imaginations, que vous combattez vous-même, & non pas mes Réflexions. J'ay opposé la vanité des méchans Poëtes à la modestie de Virgile: & j'ay remarqué leur présomption & leur entêtement, comme ce qu'il y a de plus essentiel à leur caractere. Car dés qu'on se mesle de faire des Vers & qu'on y reussit mediocrement, on est évaporé: il n'y a que les grands hommes qui soient modestes. Ainsi tout le raisonnement, que vous faites sur cette Réflexion est sans fondement. Pour l'interpretation que vous donnez au Vers de Catulle je m'en rapporte à Joseph Scaliger, qui n'est pas de vôtre sentiment: car que voulez-vous dire par l'explication que vous y donnez: *Les méchans Poëtes sont l'incommodité de leur siecle?* Quel sens raisonnable peut-on donner à ces paroles? Parle-t-on de la sorte? Pour moy je me suis bien donné de garde de les traduire: & vôtre critique qui cite le sens que je leur donne, est fausse; car je ne leur en donne point.

XV. REMARQUE.

Elle est sur la septiéme Réflexion qui dit que le sentiment d'Horace est que la Poësie doit plaire & doit être utile. L'Observateur prétend qu'Horace se contente de l'un des deux, & qu'il laisse la liberté au Poëte de vouloir plaire, ou de vouloir profiter: & qu'ainsi l'on doit lire *aut prodesse volunt aut delectare Poetæ*: non pas, *& prodesse volunt & delectare Poetæ*, comme je l'ay cité à la marge: car il ne s'agit ici que d'une citation à la marge.

REPONSE.

Ne disputons point sur le sentiment d'Horace; il parle trop clairement, pour qu'on puisse douter de sa pensée.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Celui, dit-il, *qui plaît en profitant est le plus habile.* C'est donc son sentiment que la Poësie doit être utile & agreable: & je ne lui fais pas dire une fausseté, comme vous me le reprochez mal-honêtement: ce n'est que pour autoriser son raisonnement que j'ay mis la particule disjonctive, dans le vers que j'ay cité. Et je n'ay suivy que le sentiment de Ricobon, qui, dans le Traitté qu'il a fait sur la Poëtique d'Horace, est d'avis qu'il faut lire ce Vers ainsi: voici ses paroles. *Naturalem finem poeticæ scripsit Zabarella esse utilitatem, atque adjectam esse delectationem, ut homines ad utilitatem percipiendam allicerentur; ideoque rectè poetam scripsisse:*

Et

(*a*) Non essendo il furioso atto à transformarsi in varie passioni; nè sollicito investigatore di quelle che facciano e dicano i passionati. *Castelvet. Ibid.*

Et prodesse volunt, & delectare poetæ.

Atque id Aristotelis confirmari auctoritate.

Ce qui est conforme au sentiment d'Horace ; puisque la conclusion de son discours en cet endroit, est que l'importance de la Poësie est de profiter, & de plaire en profitant.

XVI. REMARQUE.

Sur la Reflexion neuviéme, qui porte que Platon ne bannit de sa République que les Poetes impurs & dissolus; le Critique soûtient que d'autres raisons ont poussé Platon à ne vouloir pas souffrir les Poetes dans sa République. 1, à cause de leur impieté. 2, à cause qu'ils donnent de mechans préceptes & contraires à la veritable Morale. 3. Qu'ils excitent la molesse & les passions. Car ce sont les paroles de l'Observateur.

REPONSE.

Toutes les raisons qu'il apporte fort au long, & d'un stile tres ennuyeux, se réduisent à celle que j'ay exprimée dans le mot *de dissolution* : car l'impieté, la méchante morale, la mollesse, les passions ne veulent rien dire autre chose. Mais le Critique se plaît à citer Platon, sans considerer s'il le cite à propos : & le grand discours qu'il fait n'est qu'une preuve de la neuviéme Reflexion, qu'il établit en voulant la detruire. Au reste s'il eut lû le discours que St. Justin a fait aux Grecs, pour les exhorter à embrasser nôtre Religion, il auroit trouvé une autre raison de ce que Platon a chassé Homere de sa République, que toutes celles qu'il a rapportées: parce, dit-il, qu'il enseignoit *que les Dieux, se laissant fléchir, deviennent legers & changeans.*

XVII. REMARQUE.

Sur la Réflexion neuviéme, qui dit qu'il n'y a que les petits genies sujets à dire des impietez & des ordures, qu'Homere n'en dit point. Voyez Laerce, dit l'Observateur, dans la vie de Pythagore, vous trouverez que l'ame d'Homere est penduë à un arbre environnée de serpens, pour avoir publié dans ses écrits des impostures infames contre le respect qu'on doit aux Dieux, &c.

REPONSE.

Je ferois conscience, dans une affaire aussi importante que celle-ci, de citer des fables : je n'examineray pas même quelle créance on doit à Diogene Laerce sur cette belle vision : je ne diray rien que de réel. 1. Que (a) Jamblique dans la vie de Pythagore dit que ce Philosophe se servoit des vers d'Homere, pour prêcher la vertu. 2. Que Justin le Martyr & Clement Alexandrin le loüent en divers endroits de leurs Ouvrages, comme un Auteur dont la morale est droite. 3. Que (b) St. Basile appelle ses Ouvrages un éloge perpetuel de la vertu. 4. Que St. Jerôme l'estime par le commerce qu'il a eu avec les Prophetes. 5. Qu'on ne doit pas le blâmer d'avoir mal parlé des Dieux: puis qu'il n'en a parlé que conformément à l'opinion publique: outre que ce qu'il en a dit de trop libre étoit mysterieux ou allegorique, au sentiment des Peres Grecs : & il est si peu vray qu'il ait parlé contre le respect qu'on doit à la Divinité, que le culte des Dieux ne s'est établi que par ses Poëmes. Ainsi tout le raisonnement que fait le Critique dans sa dix-septiéme Remarque, ne prouve rien, sinon qu'il a bien du discours & peu de sens.

XVIII. REMARQUE.

Virgile est coupable du même crime qu'Homere, dans ses fictions les plus indécentes. L'Auteur de sa vie nous préconise sa modestie & sa continence : mais cet extravagant a bonne grace de nous faire ce conte, aprés qu'il nous l'a representé comme un debordé. Je suis trés-aise que la jeunesse n'y pense point de mal. Je me doute que les intelligens n'en trouveront que trop, pour ne pas parler si inconsiderément que le Reflexif, qui exempte ce Poete de toute impieté & de toute ordure.

REPONSE.

Aprés tant de marques qu'a données le Critique de son peu de bonne foy, en alterant tant de fois mes paroles; il veut se r'accomoder avec le public, il fait la belle ame, le scrupule le prend. Virgile lui paroit trop dissolu : il s'etonne qu'on le laisse entre les mains de la jeunesse : il y trouve des ordures par tout en ses Eglogues, en ses Georgiques & en l'Eneide. Pour moy je say bon gré à ma simplicité, car je ne trouve point tout cela: c'est que le Critique en sait plus que moy : je m'en tiens au sentiment commun, que Virgile étoit honête, qu'il dit même honnêtement les choses qui ne sont pas honêtes, que jamais Poëte n'a eu tant de pudeur que lui. C'est ce que dit Servius en sa vie. *Adeo autem verecundus fuit, ut ex moribus cognomen acciperet : nam dictus est Parthenias:* & Seneque, Pline, Quintilien, Aulugelle, loüent sa modestie, en divers endroits de leurs Ouvrages. Le Critique est le seul de son avis. Car comme il a fait information de vie & mœurs de Virgile, il veut que ce Poëte ait dit des ordures, parce qu'il en a fait : & il appelle son Commentateur extravagant, parce qu'il loue sa pudeur. Si tout cela est fort judicieux, je m'en rapporte : je ne m'attache qu'à ce qui me touche: je ne m'arreste pas même à ses injures : car je n'en say point à lui dire, & ce n'est pas dont il s'agit.

De la dixieme Reflexion. La Tragedie apprend aux hommes que le vice n'est jamais impuni, quand elle représente Egiste dans l'Electre de Sophocle puni, aprés avoir joui de son crime l'espace de dix ans.

XIX. REMARQUE.

Que voulez-vous dire, par vos dix ans? Si vous lisez l'argument en Grec de l'Electre de Sophocle, & si vous l'entendez comme il faut, il vous dira qu'Oreste avoit vingt ans, quand il tua Egiste. Que si vous aimez autant vous en tenir au Traducteur, quoi qu'il ait mal compris le Grec, vous trouverez vingt ans aprés la mort du Pere, & dix environ devant qu'il mourût : d'où l'on pourroit conclure qu'au lieu de vos dix ans Egiste seroit

(a) Pyt. vit. cap. 25. (b) Πᾶσα ἡ ποίησις Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἔπαινος. Basil. πρὸς τοὺς νέους.

roit demeuré impuni l'espace de trente, & auroit continué pendant ce tems-là de jouir de son crime.

REPONSE.

Il s'agit du crime d'Egiste & du fruit de son crime. Le crime est la mort d'Agamemnon, qu'il tua: le fruit du crime fut son trône, qu'il usurpa. Camerarius dans son Commentaire sur l'Electre de Sophocle dit en ces termes. *Decem annis tenuit regnum Agamemnonis adulter & parricida.* Sponde dit le même, dans ses notes sur Homere. Tous les nouveaux Chronologistes Helvicus, Riccioli, Labbe ne passent pas le nombre de dix ans. Homere dans le troisiéme livre de l'Odyssée, qui fait raconter par Nestor cette Histoire à Telemaque, ne met que sept ans, *ἑπτάετες δ' ἤνασσε*. Ainsi voila l'Observateur bien loin de son compte. Il parle en Docteur, & il ne sait pas compter: il fait une supputation sur le Scholiaste Grec, où il n'est mention, que de l'âge d'Oreste quand il tua Egiste: par laquelle il faudroit qu'Oreste fut venu au monde dix ans aprés la mort de son Pere, pour trouver les trente années de la joüissance du crime d'Egiste. Et l'Observateur en ne citant aucune autorité, pour soûtenir sa conjecture, ne laisse pas que de faire le suffisant; mais toujours d'un air le plus mal-honête du monde. Car ce *que voulez vous dire par vos dix ans*; sent bien le pedant & l'école.

Le Critique n'a pas le mot à dire sur les Réflexions suivantes, où il s'agit de la Poësie Italienne & de la Poëtique d'Aristote & d'Horace en general: il n'a pas trouvé là de passage à confronter: car c'est son talent. Mais il montre plus de jugement quand il se taît, que quand il parle.

De la treiziéme Reflexion. Par la comparaison que fait Longin au chap. 30. d'Apollonius & d'Homere, d'Eratosthenes & d'Archiloque, de Bacchylides & de Pindare, d'Ion & de Sophocle, il paroît que l'avantage du genie est preferable à celui de l'art.

REMARQUE.

Lisez la 29. & la 30. Section de Longin & vous verrez, qu'on ne traitte point dans ces deux endroits, de cette question, si le genie est preferable à l'art.

REPONSE.

Si le Critique veut se donner la peine de voir le 30. chap. de Longin de l'édition (*a*) de Tanaquil Faber, il trouvera ces paroles que j'ay traduites. *Aimerez vous mieux cependant être Apollonius qu'Homere? Il n'y a rien à reprendre dans l'Erigone d'Eratosthene, direz-vous pour cela qu'il vaut mieux qu'Archiloque? Choisiriez vous d'être Bacchylide, plûtôt que Pindare ou que Sophocle?* Je ne dis que cela à la fin de la Reflexion treiziéme sans traitter la question: Si le genie est preferable à l'art, & sans la faire traiter par Longin, comme le Critique me fait accroire.

Sur la remarque qu'il fait de Demetrius & de Properce, je n'ay rien à luy répondre, sinon qu'il prend le change: il cite Denys d'Halicarnasse, où il s'agit de Demetrius. Il fait la même chose dans la Remarque sur Properce, sur laquelle il cite Horace: & le grand discours qu'il fait sur l'un & l'autre à contre-tems ne détruit en aucune façon ce que je dis de Demetrius & de Properce; dont le premier prétend *qu'Archiloque n'avoit pas cette grandeur d'ame propre au Poeme heroique*, qu'avoit Homere: & l'autre dit qu'il n'estoit *pas propre à chanter les guerres d'Auguste.* C'est ce qu'il faloit refuter, & non pas faire un raisonnement de travers, & hors de propos, selon son caractere.

REMARQUE.

Elle est sur le jugement que j'ay fait d'un commencement de Poeme de Fracastor sur Joseph Vice-Roy d'Egypte. Le Critique dit. Quel moyen de pouvoir juger si Fracastor a réussi avec peu, ou beaucoup de succés dans un Poëme, dont il n'est resté qu'un fragment?

REPONSE.

Si vous n'avez pas veu ce fragment, dont il s'agit ici, pourquoi en parlez-vous? Est-il de la prudence d'un homme qui fait le savant d'interposer son jugement, sur ce qu'il ne sait pas. Aprés tout, cela marque une capacité bien bornée, de n'avoir pas veu cet ouvrage, qui est commun. Mais le raisonnement qu'il fait pour finir cette Remarque, est convainquant: *quelle indiscretion*, dit-il, *de condamner un ouvrage imparfait, lorsque l'Auteur a réussi admirablement bien ailleurs.* Est-ce à dire qu'on fait toûjours des miracles, quand on en a fait une fois? Martial a réussi dans une pointe d'Epigramme, donc il feroit bien un Poëme; voila vos beaux raisonnemens.

J'avoüe que je n'entens rien dans les deux Remarques suivantes; dont la premiere est à la 34. page sur la Reflexion 16. qui dit que *c'est un grand défaut de ne pouvoir finir.* Le Critique fait le discoureur en l'air sur *sçavoir finir*, & il fait voir qu'il ne le sait pas: car il ne finit point: c'est un galimatias que ce qu'il dit, où l'on n'entend rien: & tout ce qu'il dit ne me regarde pas. L'autre Remarque, sur la 19. Reflexion qui dit *qu'il n'y a que les grands genies capables d'un grand sujet*, est encore moins raisonnable. Il parle de Dames, de la bonne grace, du bel esprit, du bel air, & tout cela ne veut rien dire: on voit bien qu'il s'efforce à dire de jolies choses: mais il les dit si mal, qu'il fait pitié. Ainsi tout bien consideré, je m'en tiens à ce que j'ay dit. 1. *Que c'est un grand défaut de ne pouvoir finir*, & de vouloir tout dire, quand on parle. 2. *Qu'il faut avoir le genie grand, pour concevoir un grand sujet en poësie.* Si le Critique n'en convient pas, qu'il dise quelque chose de raisonnable & on l'écoutera.

Mais au lieu de s'amuser à vouloir faire l'agreable à contre-tems, il devoit s'attacher à examiner ce que je dis dans les Reflexions 17. 18. 19. 20. 21. de l'art poëtique en general, & de ses parties, de l'invention, de l'ordonnance, du dessein de la fable, des differentes dispositions des esprits aux differentes especes de Poësie, & les autres questions essentielles au sujet que j'ay entrepris; où par la precipitation de la premiere édition,

&

(*a*) Salmurii ad an. 1663.

& par mon absence, j'avois laissé échapper certaines rhoses, dont un Critique habile pouvoit profiter, & que j'ay corrigées dans ma seconde édition: mais cela passoit l'Observateur, qui n'est que literal & grammairien. De toutes ces Reflexions, que l'Observateur laisse passer sans rien dire, voici ce qu'il prend pour critiquer. *Le talent le plus universel de nôtre Nation n'est pas le jugement.*

REMARQUE.

Parlez de vous, Anonyme, & dites tant qu'il vous plaira que vôtre principal talent n'est pas le jugement: à vous permis de tenir ce langage, vos lecteurs ne vous desavoüeront pas, s'ils daignent considerer vôtre écrit. Mais de dire que les François universellement parlant sont peu judicieux, il n'appartient pas à un François particulier.

REPONSE.

L'Observateur pour reveiller sa critique qui s'endormoit, remet en usage son peu de bonne foy: il corrompt mes paroles: & au lieu que je ne parle que des Poëtes Auteurs, que de ceux qui ne vivent plus: (car c'est une precaution que je repete jusques à trois fois, que je ne parle que des grands desseins qui se peuvent reduire à deux ou trois seulement, & que je dis qu'il y paroit plus d'Esprit que de conduite:) le Critique me fait dire *que les François universellement parlant sont peu judicieux.* Il faut qu'il y ait bien de l'amertume & de la corruption dans un esprit, de ne pouvoir rien exprimer, sans le corrompre. Mais quand l'Observateur par ses deguisemens auroit fait croire que je comprens toute la nation: est-ce un si grand crime de dire que si les François font paroitre du jugement dans les grands desseins, ils font paroitre encore plus d'esprit: Car c'est le sens de mes paroles, avant que d'être corrompues. Quand l'Observateur ajoûte à la fin de sa Remarque que j'ay repris mal à propos les Poëtes Espagnols & les Italiens dans leurs ouvrages, il parle contre sa conscience: il n'a pas assez de moderation pour se taire, s'il savoit en quoi je les ay mal repris: puisque la passion qu'il a de me critiquer est si grande, qu'il le fait souvent à faux, pour ne pas manquer de le faire.

De la Reflexion dix-neuf. Dans les petits ouvrages de Vers, c'est le tout qui y fait d'ordinaire la principale beauté comme l'on voit dans la plûpart des Epigrammes de l'Anthologie, dans celles de Catulle, dans les Odes d'Horace. &c.

REMARQUE.

Retenez bien ce que vous dites des Epigrammes de Catulle & de l'Anthologie. Car, à ce que je conçois dès à present de vôtre discours, les Epigrammes de Catulle sont belles: il y a beaucoup de belles Epigrammes dans l'Anthologie, des Auteurs ont reüssi en Epigrammes, & ce n'est pas par hazard qu'ils y ont reüssi, c'est plus d'une fois: n'oubliez pas toutes ces choses.

REPONSE.

Pourquoi tant parler d'Epigrammes? Quel interêt y prend l'Observateur? Que veut-il dire par là: n'oubliez pas qu'il y en a de belles, qu'il se trouve des Auteurs qui y ont réüssi? Cela ne le regarde point. Un Critique aigre & herisse comme lui n'a pas l'esprit assez délicat pour en faire jamais de bonnes: & je le prie de se bien souvenir que d'en faire de bonnes, ce n'est pas en faire d'admirables. Aprés tout comme il peut y avoir du mystere en ses paroles: je trouve que s'il se pique d'Epigramme, il n'est gueres raisonnable de se piquer de si peu de chose.

De la même Réflexion. Bonnefons a écrit en Vers phaleuques d'un air tendre & delicat.

REMARQUE.

Il est vray: mais Bonnefons n'est pas l'unique, ni le premier, ni le plus remarquable. Pourquoi parlez de lui plûtôt que de Martin, de Dampierre, de Beze & de quantité d'autres qui ne lui cedent nullement?

REPONSE.

Je baise les mains à Macrin & à Dampierre, je ne les connois pas & je ne veux pas les connoitre. Pour Beze il a écrit des Phaleuques d'un stile assez pur & assez élégant: mais qui n'approche pas de la délicatesse & du tour heureux des Phaleuques de Bonnefons. Et c'est de ce tour delicat dont je parle ici: à quoi le Critique ne pense pas. Aprés tout il y a apparence qu'il n'a pas veu le Bonnefons dont je parle, non plus que les deux premiers livres du Poëme de Fracastor sur Joseph: & qu'enfin il a veu peu de rhose.

Sur la vingtiéme Réflexion qui dit que le dessein d'un Poëme doit être composé de deux parties, la verité & la fiction.

REMARQUE.

Pour un sujet de Poësie la verité n'est pas toûjours necessaire, tout y peut être feint jusques aux noms. Aristote dit que dans quelques Tragedies on ne garde rien de l'histoire, comme dans celle d'Agathon, qui a pour titre la fleur. Et pour un sujet de Poësie la fiction aussi n'est pas absolument necessaire, tout peut être veritable, dit Aristote. Que faut-il donc précisément pour un sujet de Poëme? le vray-semblable, qui vaut mieux que la verité: de là nous devons juger que le Réflexif a mal conclu quand il a dit: *L'Histoire & la fable doivent necessairement entrer dans la composition d'un sujet de Poësie.*

REPONSE.

Le Critique dit deux fois sujet de Poësie, au lieu de sujet de Poëme: en quoi il fait voir son discernement. Il veut expliquer Aristote, qu'il n'entend pas. Castelvetro le plus savant des Interpretes d'Aristote decide cela par ces paroles: *Le cose incerte & non più avenute non bastano per soggetto al poëta. Percioche la favola della Tragedia, & dell'epopea non si può constituire se non di cose ave-*

(a) *Castel. part. 3. fol. 211.*

nute & cognosciute: cosi richiedendo lo stato reale sopra il quale ella è fondata. Ce qui lui fait condamner le Poëme du Boïardo dont le sujet est tout-à-fait feint, & tous les Poëmes des Espagnols, dont les sujets sont purement fabuleux. C'est le sentiment d'Aristote à ce qu'il prétend, que le Critique a mal entendu: mais, quand cela ne seroit pas ainsi: ce que j'ay dit, que le *sujet du Poëme doit être composé de verité & de fiction, d'histoire & de fable*; seroit toûjours veritable, puisque tout Poëme est essentiellement l'imitation d'une action, dit Aristote. L'action est ce que j'appelle la verité & l'histoire, l'imitation est la fiction: que tout soit feint si vous voulez dans l'Iliade, le siege de Troye doit être vray ou supposé pour veritable, c'est ce que j'appelle l'histoire du sujet. Ce qui est si vray, que la Metamorphose des Navires d'Enée en Nymphes de la Mer, toute fabuleuse qu'elle est, & condamnée pour cela par les Critiques, dit Servius (*a*), ne laisse pas d'avoir une verité, qui est l'embrasement des Navires, c'est l'histoire: & la Comedie d'Agathon toute feinte qu'elle est dans les choses & dans les noms, doit avoir quelque chose de vray ou reputé vray fondement. Ce n'est que par là, dit Castelvetro, que les choses peuvent plaire: car ce qui passe pour absolument faux ne fait nulle impression sur l'esprit. Enfin, dit Aristote, le sujet du Poëme est l'imitation d'une action, & ce mot seul détruit l'autre partie de cette Remarque, qui dit que tout peut être vray dans un sujet: ce qui doit s'entendre des choses & des noms seulement: & non pas de la constitution du sujet: & dès-là que c'est une imitation il doit y avoir quelque chose de feint. Car de même que la peinture qui est une imitation de la nature ne peut faire une veritable fleur; la Poësie qui est une imitation d'une action ne peut faire que tout y soit veritable: autrement ce ne seroit plus une imitation, mais un Original: mais cela passe le Critique.

De la vingtiéme Réflexion. La fable composée, c'est celle qui a un changement de fortune.

REMARQUE.

Il dit vray, mais il ne dit que la moitié de ce qu'il devoit dire. La fable composée comprend ou un changement de son état, ou une soudaine reconnoissance des personnes, ou l'un ou l'autre, dit Aristote.

REPONSE.

Ce n'est que d'un pur esprit de contradiction que part cette remarque: car je pretens avoir tout dit dans le sentiment d'Aristote, quand j'ay dit que la fable composée est celle qui contient un changement d'etat & de fortune, & c'est en cela que consiste sa distinction essentielle d'avec la fable simple qui n'a aucun changement. C'est le sentiment de Castelvetro qu'il n'y a point de fable composée, *se non interviene la mutatione di felicità in miseria, ò di miseria in felicità.*

De la Reflexion vingt-uniéme. Menelaus fait mener Andromaque au suplice avec Astyanax son fils.

REMARQUE.

Il n'est rien dit dans l'Andromaque d'Euripide du petit Astyanax que cette Princesse avoit eu d'Hector son premier Mari: mais il est parlé de Molossus qu'elle avoit alors de Pyrrhus.

REPONSE.

Il est vray qu'on a pris le fils du premier lit pour celui du second: cela échappe quelquefois sans qu'on y pense. Et le Critique a raison de faire le fier d'avoir réussi en cette Remarque, aprés plus de vingt-cinq fausses de compte fait. Mais venir aprés quatorze mois relever une faute si peu considerable, & dont on s'est corrigé dans une seconde édition, avant les Remarques, est-ce un si grand sujet d'insulter? La vanité qu'il fait paroître pour si peu de chose, marque qu'il n'est pas accoûtumé au succés, ou qu'il n'est guere sage.

Dans la Réflexion suivante le Critique se choque par un pur chagrin de temperament de ce que je cite Synesius. Demandez lui pourquoi? Ce sont des traits de son caractere, qui luy échapent malgré lui: il faut lui porter compassion: on voit bien qu'il en est digne. Car il a bien à souffrir de son humeur.

Dans la Reflexion vingt-troisiéme on a mis le nom d'Enée où il falloit mettre celui de Turnus, & le nom de Turnus où il falloit mettre celui d'Enée, c'est une faute de l'Imprimeur, dont triomphe le Critique: pour jouir mieux de son triompge, il ne devoit pas se laisser prévenir par une seconde édition, cela a été reformé.

J'ay dit dans la Reflexion vingt-cinquiéme que Sophocle qui represente les hommes comme ils doivent être, est au sentiment d'Aristote préferable à Euripide qui represente les hommes comme ils sont.

REMARQUE.

Dites-moy, Monsieur, quels yeux avez-vous, que vous voyez si souvent dans les Auteurs Grecs & Latins, ce qui n'y fut jamais? Aristote ne dit point que Sophocle est préferable à Euripide, ni que celui-ci represente les choses comme elles sont, & celui-là comme elles doivent être? Mais il dit que Sophocle a parlé ainsi de lui, se comparant à Euripide.

REPONSE.

Voila les douceurs & les honnêtetés du Critique. Pour moy je ne me plains pas de ses yeux, mais de son cœur, où il y a si peu de bonne foy: quelles sont ses intentions, de falsifier tout ce que je dis? Au reste quand j'aurois dit ce qu'il me fait dire: je ne l'aurois fait qu'aprés Vossius qui dans le chap. a. du livre premier de sa Poëtique dit en propres termes, *Aristoteles ait Sophoclem dixisse se effingere homines quales esse oporteret: ac Euri-*

(*a*) Figmentum hoc licèt poëticum sit, tamen quia exemplo caret notatur à Criticis. *Servius in Æneid.*

Euripidem quales essent. J'ay seulement dit que Sophocle qui represente les hommes comme ils doivent être, est au sentiment d'Aristote preferable à Euripide, qui les represente comme ils sont. Je ne fais point dire cela à Aristote comme il paroît dans mes paroles: & je ne rapporte point ses paroles comme une raison de la preference. Ce sont deux faussetés que m'impose l'Observateur. Maintenant Aristote préfere Sophocle à Euripide, en tant d'endroits de sa Poëtique, pour les mœurs, pour les discours & pour la constitution des choses que je n'ay rien avancé que de veritable en le disant. Et ce n'est que pour autoriser son sentiment, qu'Aristote cite Sophocle.

Le Critique appelle galimatias ce que je dis dans la vingt-cinquiéme Reflexion que le cœur de l'homme est un abysme d'une profondeur, où la sonde ne peut aller, que c'est un mystere impenetrable aux plus éclairez, qu'on s'y méprend toûjours. Je ne répons point à cela, qui ne merite pas de réponse: le public l'entend bien.

Dans la suivante Remarque l'Observateur me reprend d'un air moqueur d'avoir appellé en la 16. Reflexion Evadné Reine, qui n'étoit que fille du Roy Iphis.

Aprés que Virgile a appellé au Liv. 1. de l'Eneïde Ilia fille de Numitor Reine, parce qu'elle étoit fille de Roy; *Donec Regina Sacerdos.* Aprés qu'il a donné cette qualité à Ariadné qui n'étoit que fille de Minos Roy de Crete au 6. liv. de l'Eneïde.

Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem, &c.

Après que cela s'est pratiqué sous les Empereurs: comme il paroit dans le second Panegyrique qu'a fait Claudian de Stilicon, où le Poete parlant de la Maison Imperiale, dit *Reginasque parit*, & Claverius dans ses Notes sur ce vers, ajoûte: *sic regum filiæ apud nos vocabantur.* Enfin après que Gennadius parlant de Faustinus & d'Atticus entre les Ecrivains Ecclesiastiques, dit qu'ils avoient dedié leurs ouvrages aux filles des Empereurs, en les appellant *Reginas*: pourquoi l'Observateur me raille-t-il d'avoir appellé Evadné Reine: mais un Grammairien n'est pas obligé de savoir tant de choses.

Pour le passage de Petrone qu'il corrige dans la Remarque suivante, il doit en avoir tout l'honneur, on voit bien par là qu'il sait mieux son Petrone que moy. C'est une gloire dont il tirera toute la vanité qu'il lui plaira: je luy cede, après avoir dit dans ma Preface, qu'on ne peut nommer cet Auteur, dés qu'on a de la pudeur.

De la 27. Reflexion. La cinquiéme qualité de la Diction est d'être nombreuse pour soûtenir cet air grand & majestueux dont se sert la Poësie pour exprimer toute la force & la dignité des grandes choses qu'elle dit: il ne lui faut que des termes propres à enfler à la bouche & à remplir les oreilles, pour parvenir au merveilleux, qu'elle recherche en toutes choses.

REMARQUE.

C'est justement les termes dont Horace se sert, pour dire tout le contraire, & qu'il faut par fois s'abstenir de cette grandeur & de cette magnificence de paroles. Si Telephe & Pelée prétendent faire pitié dans leurs disgraces par de grands mots.

Telephus & Peleus, cum pauper, & exsul uterque
Projicit ampullas & sesquipedalia verba. &c.

REPONSE.

Il ne s'agit pas ici de l'expression, sur quoi le Critique nous cite Horace mal-à-propos: il ne s'agit que d'une des qualités de la Diction qui doit être grande & nombreuse pour soutenir la grandeur, la majesté des sentimens élevez de la Poesie. *Effugiendum est ab omni vilitate verborum, sumendæ voces à plebe summotæ*: c'est à dire ce ton de majesté dont parle Horace. *Atque os magna sonaturum.* Il ne laisse pas d'avertir, que si Telephus & Peleus qui sont des miserables veulent parler d'un grand air, ils deviendront ridicules. Il faut se proportionner. Voila le sens d'Horace, qu'on entend aisement, quand on sait le suivre, en s'attachant moins à ses paroles, comme fait le Critique, qu'à ses sentimens.

De la Reflexion 28. Euphranor fit l'image de Jupiter sur l'Original d'Homere qu'un Professeur expliquoit à ses Ecoliers. Phidias fit le même sur le même modele, comme l'a écrit Apion.

REMARQUE.

Le Réflexif pour exprimer ces mots d'Eustathius καὶ ἀπιὼν ἔγραψεν s'est avisé de mettre *comme l'a écrit Apion le Grammairien*: au lieu que ἀπιὼν est un particpe.

REPONSE.

Il n'y avoit qu'un Grammairien d'une érudition fort bornée, capable d'apuyer une conjecture par un participe, & de faire le fier sur une si foible autorité. Je n'ay point cité Eustathius a fait sur l'idée des images de Jupiter prise dans les vers d'Homere. Mais j'avouë que par imprudence j'ai pris Apion pour Strabon, qui est l'original de ce que remarque Eustathius d'Homere: duquel Strabon (*a*) a dit ce beau mot ὁ τὰς τῶν θεῶν εἰκόνας ἢ μόνος ἰδὼν ἢ μόνος δείξας. qu'il est le seul qui a connu les veritables figures des Dieux, & qui les a enseignées aux autres. C'est de là qu'Heliodore dans son Histoire de Theagene & de Cariclée a pris ces belles imaginations de la figure des Dieux & de leurs démarches. Et Casaubon dans ses Notes sur Strabon nous apprend qu'Herodote avoit donné lieu le premier à cette pensée, en disant qu'Homere avoit decouvert aux hommes les visages des Dieux. Voilà la doctrine que l'Observateur devoit nous expliquer sur l'endroit d'Eustathius que j'ai cité, & ne pas s'amuser à proner en écolier l'autorité de son participe pour m'imposer à son ordinaire: après même que l'erreur d'Apion a été corrigée dans l'édition qui a precede les Remarques.

La Remarque suivante est un passage d'Aristo-

(*a*) Geograph. l. 8.

te dit que le discernement dans cet usage est une marque d'un excellent esprit : à quoi j'ajoûte le mot de Quintilien : *sublimitas translationis periculo audaciæ proxima* : pour en user sagement il faut consulter Aristote en cet endroit. Ce que dit le Critique sur cela est plus contre ces deux Auteurs, que contre moy, qui les fais parler, sans rien dire ici de mon chef. Comme il bat la campagne dans le discours qu'il fait en l'air sur l'usage des Metaphores, je le laisse là, pour m'en tenir à Aristote & à Quintilien.

Dans la remarque qu'il fait sur la 30. Reflexion, où il pretend que je maltraitte les Poetes François : il prend sous sa protection du Bartas, Theophile, Garnier, Rotrou, Mayret, de la Serre & tous les autres qui ont écrit pour le theatre devant l'année 1635. qui fut celle de l'erection de l'Academie Françoise : car je ne reprens que les Poetes de ce tems-là. Voicy comme je parle de ceux qui écrivent aujourd'hui, que l'Observateur veut revolter contre moy. *Nous avons presentement des Auteurs d'un genie plus fort que ceux dont je viens de parler, lesquels font voir aujourd'huy dans leurs ouvrages que la pureté de la langue peut être jointe à la grandeur des sentimens, & à toute l'élevation dont la grande Poesie est capable.* C'est dans ma Reflexion 31. Mais le zele qu'il affecte d'étaler pour sa nation est si froid qu'il ne luy fait pas dire une seule raison pour defendre ceux qu'il protege. Ce n'est pas aussi à lui à s'en mêler, il n'est pas de caractere à cela. Il ne fait que faire du bruit, & point d'effet.

Sur la Reflexion 30. qui dit Socrate raille Gorgias, parce qu'il affectoit de dire les petites choses d'un grand air.

REMARQUE.

Aprés avoir lû le Gorgias de Platon, je suis convaincu que Socrate railloit Gorgias de tout autre sujet que pour celui que notre Reflexif allegue.

REPONSE.

Tout le dessein du Dialogue de Platon sur Gorgias est de railler les Sophistes qui ne se proportionnoient point à leur sujet, & parloient de toutes choses avec affectation, qui n'est autre chose que ce que je dis : car l'affectation est de dire les petites choses d'un grand air. C'est ce que Marcille Ficin dans l'argument du Gorgias dit des Sophistes : *eos affectato nimium stylo uti consuevisse*. Et Serranus dans son Argument, faisant une récapitulation de tout ce Dialogue, dit ces paroles. *Plato docet Rhetorices usum in eo versari, ut justè loquamur.* Gorgias ne le faisoit pas, il disoit de petites choses d'un grand style, Socrate l'en raille. C'est ce que je dis. Le Critique n'en convient pas.

Dans la Remarque suivante le Critique me donne de grandes loüanges. A quoi je n'ay rien à lui répondre, puisqu'il est content de moy : mais on ne loüe pas bien quand on critique mal.

REMARQUE.

Il me blâme de ce que je mene battant Fracastor, Vida, Sadolet, Sannazar, qui meriteroient un traitement plus favorable ; j'ay tort de dire qu'ils retombent dans leur genie aprés avoir pris celui de Virgile.

REPONSE.

Je les loüe d'avoir le plus approché du tour & du nombre de Virgile : il est vray que j'ajoûte qu'ils retombent dans leur propre genie : car sans cela ils feroient tous des Virgiles. Ainsi je prétens avoir dit d'eux ce qu'il falloit dire, sans les offenser. Au lieu que l'Observateur qui fait le zelé pour leur gloire fait faire la plus grande impertinence à Vida dont un Poëte heroique puisse être capable : il dit en la page 104. que Vida a fait un Poëme sur la vie de nôtre Seigneur. C'est comme si on disoit que Virgile a fait un Poëme sur la vie d'Enée : le raisonnement qu'il fait sur cette belle remarque est d'un homme qui ne sait ce que c'est que Poëme épique. Vida a fait un Poëme sur la Passion de N. S. dont l'action ne dure que quatre jours : & le Critique veut que ce soit un Poëme épique sur la vie de N.S. Et comme il soutient que Buchanan & Bourbon sont fort Virgiliens, & que les Scaligers ont fait des Vers tendres, delicats, admirables ; il faut des Commissaires pour nous accomoder, car je prétens le contraire.

On peut ajoûter deux petites Reflexions à toutes ces Remarques. La premiere, comme il s'agissoit dans mon Ouvrage de juger presque de tous les ouvrages de Poësie qui se sont faits depuis trois mille ans, dans toutes les langues, & établir sur ce jugement une Poëtique reglée : étoit-ce à un Grammairien qui n'est propre qu'à confronter des passages, à interposer son jugement dans une affaire qui passoit si fort sa capacité ? La seconde, pourquoi s'est-il avisé de violer toutes les loix de l'honêteté, de la bienseance & des autres devoirs encore plus saints, pour profiter d'une impression precipitée & faite en l'absence de l'Auteur, pour le critiquer avec tant de passion & tant d'animosité. (a) *Multos absolvemus, si cœperimus ante judicare, quam irasci, &c.* L'autre partie des Remarques n'est que sur les citations aux marges, qui ne meritent pas de reponse : & l'on m'arrache la plume des mains.

(a) *Senec. l. 3. de ira.*

FRAN-

FRANSCISCI VAVASSORIS E SOCIET. JESU AD DELPHINUM EPISTOLA.

Quæ seriùs ad Bibliopolam missa, jam edito operi subjecta est.

AU ROY

Touchant la Lettre Latine écrite à Monſeigneur le Dauphin.



IRE.

Votre Majeſté ſera, peut-être, également ſurpriſe & du deſſein que j'ai pris d'écrire à Monſeigneur le Dauphin, & de la façon que je tiens de lui écrire en langue Latine. Ce n'eſt pas une choſe ſi nouvelle d'écrire à un enfant, qui ne ſçauroit encore diſcerner le bien d'avec le mal, le vray d'avec le faux, que je n'en puiſſe produire quelque exemple dans l'antiquité, quand il plaira à V. M. que l'hiſtoire l'inſtruiſe plus au long ſur ce ſujet. Et puis, SIRE, *qu'importe de traiter de bouche, ou par écrit, avec Monſeigneur le Dauphin? de lui faire harangue, comme font tous les jours les Deputez, & les Ambaſſadeurs des Provinces & des Royaumes; ou de lui adreſſer une ſimple lettre, comme je me ſuis aviſé de faire maintenant? Si ce n'eſt que la harangue, dez qu'elle eſt prononcée, s'évanoüit avec la voix, & il ne s'en parle plus: la lettre demeure auſſi long temps que l'on veut la garder: & Monſeigneur le Dauphin la pourra lire un jour avec le plaiſir de voir depuis combien d'années, & de quelle maniere on aura commencé de lui rendre un ſi public, ſi ſolennel, ſi durable, & ſi extraordinaire reſpect. Mais je veux que les ſages perſonnes, à qui V. M. a commis l'éducation de Monſeigneur le Dau-*

phin, si elles veulent faire leur devoir, se sentent obligées de le traiter en enfant. Pour moy je considere ce jeune Prince tout autrement. SIRE, *si ce que l'on dit communement, est veritable, que les Rois de France ne meurent jamais; parce que l'un succede a l'autre sans interruption, sans interregne, & sans le moindre retardement qui puisse être: j'ose bien dire aussi que le fils aisné d'un Roy de France n'est jamais enfant: qu'il est, comme on l'appelle, Monseigneur; quoi qu'il ne fasse que de naistre: capable de regner dez le berceau: au nom, & sous l'autorité duquel on peut agir, comme s'il avoit vingt-cinq ans passez, & qu'il ne fût jamais ni mineur, ni pupille. J'ai donc quelque raison d'écrire à Monseigneur le Dauphin, sans considerer son bas âge.*

Mais pourquoi lui écrire en la langue des doctes, plûtôt qu'en celle du païs, & qui est connuë d'un chacun? Il n'y a rien, SIRE, *en ceci de trop affecté, ni de trop mysterieux: rien qui ne se puisse aisément prendre à bon augure, touchant Monseigneur le Dauphin. C'est pour dire qu'il sera un jour le protecteur des belles lettres, & des personnes sçavantes: qu'il leur fournira par ses illustres, & éclatantes actions un tres-riche, & tres ample sujet d'écrire: qu'il ne se contentera pas de bien faire, mais qu'il voudra encore, pour un achevement de grandeur, & pour comble de perfections royales, sçavoir beaucoup. D'ailleurs V. M. aiant poussé, comme elle a fait, ses conquestes si avant dans des païs de different langage; & Monseigneur le Dauphin devant succeder à la gloire de ses victoires, aussi-bien qu'a tous les droits de sa Couronne: n'est-il pas bon de lui marquer dez maintenant la langue qu'il apprendra dans peu d'années, pour se faire entendre sans truchement a de si differentes nations, & aussi pour les oüir toutes parler d'une même sorte par la bouche de leurs sçavans, comme vrais sujets de leur nouveau Prince, & qui ne lui seront plus estrangers? Enfin,* SIRE, *Monseigneur le Dauphin a déja receu les civilitez de la France, de l'Italie, de l'Espagne, de l'Angleterre, de l'Alemagne, de la Suede, du Dannemarc, de la Pologne, de tout ce qu'il y a de Puissances en l'Europe, qui parlent de differentes manieres. Que reste-t-il sinon que le langage du peuple vainqueur des Rois & des Nations lui fasse honneur, & lui rende une derniere déference, comme étant le fils, & l'heritier du Roy, qui approche aujourd'huy le plus prés de la grandeur de cet ancien, de ce vaste, & tout puissant empire? Mais je ne m'apperçois pas qu'il est défendu, comme chose suspecte & dangereuse a l'Estat, d'avoir communication particuliere avec un fils aisné, l'unique, & veritable heritier de la Couronne, sans que le Roy son pere le sçache, & le permette.* SIRE, *V. M. sçait déja par le discours que je viens de lui faire, le dessein que j'ai de traiter avec Monseigneur le Dauphin, de choses qui lui sont d'importance à l'avenir. Pour la permission, je l'attends toute entiere de V. M. & la lui demande par cet écrit, avec tous les respects, & toutes les soûmissions, que lui peut, & lui doit rendre*

Son tres-humble, tres-obeïssant,
& tres-fidelle sujet, & serviteur,
FRANÇOIS VAVASSEUR
de la Comp. de JESUS.

DEL-

DELPHINO
LUDOVICI XIV.
REGIS CHRISTIANISSIMI
FILIO

FRANCISCUS VAVASSOR e Societ. Jesu

S. D.



UANQUAM, DELPHINE, cum sis mensium quatuor duntaxat, & novem dierum infans; neque loquenti respondere, nisi forte risu aut vagitu, neque omnino mentem aut verba intelligere loquentis potes: tamen & more communi omnium, & meo jure peculiari facere videor, qui te compellem, te alloquar, tecum vel coram, vel de scripto ac per literas, sic tanquam cum puero compote jam rationis, atque etiam grandi natu viro, agere instituam.

Ex quo primum natus es ad hanc usque diem, non cessarunt, neque cessant pontificum, regum, rerumpublicarum, civitatum, magistratuum, omnis ordinis virorum principum legati, sive ex alienigenis; sive e paterna ditione & Gallico toto, quam longe lateque patet, imperio, visere te, plurimam tibi nunciare salutem, eorum studia, à quibus missi sint, voluntatesque deferre, primum ortum & natalem gratulari; nec verbo solum & velut per transennam, sed meditata & composita ad id oratione perpetua te affari: perinde quasi paria paribus illico responsurus sis, aut sensum officiorum aliquem habeas talium ac tantorum. Vobis nimirum regibus ac regum liberis cum obtingant ante ætatem fere omnia, indoles, acumen, solertia, docilitas, animi cultura & institutio, congressus hominum, rerum tractatio, dignitates, insignia dignitatum: quid mirum, si subjecti potestati vestræ, & quoquo modo obnoxii mortales, habendis quoque honoribus antevertant, atque apud vos, nulla ratione ducta pueritiæ aut infantiæ, graviter ac serio præfari, verbaque facere tunc, cum ipsi necdum balbutitis, soleant?

In personis quidem aliis, diversisque rebus, sacris, bellicis, urbanis, forensibus, domesticis, spectantur anni utplurimum, & progressus certus quidam temporis & maturitas exspectatur. ut, quemadmodum terra, sic ætas non omnis omnia ferat; neque quisquam, quavis ætate idoneus ad quidvis obeundum muneris ac negotii habeatur; nec sane fit. Regius vero sanguis Francorum, maximeque Borbonia gens, DELPHINE, excipitur, mihi crede: nec legibus ullis annalibus, quas aut natura constituerit, aut scripserint homines, aut mos induxerit & consuetudo, tenetur. Non illam ætatis angustiæ excludunt ab ullius muneris & honorum functione: nec prudentibus consiliis, nec ausis fortibus, nec opere ullo præclaro & illustri prohibent. Nulla infirmitas virium, nulla mollities, neque animi, neque corporis retardat ac moratur, aut gradatim cogit pedetentimque niti ad laudem & ad decus. Quin potius excellenti eximiaque virtute quadam, velut inhærente, & insita stirpitus à natura, & propagata in posteros, transilit quæ sunt posita in medio, ac prætergreditur annos, perque viam, quam sibi facit accelerando breviorem & quasi compendiariam, contendere solet ad summa omnia; pervenire quamprimum & maturissime, quo contendit. Laudare possum locupletissimum dicti mei testem, illum, DELPHINE, qui te cognatione proxime attingit, serie virili stirpis, & hereditario jure, à rege quartum. Is uno eodemque tempore, tyro & veteranus, miles & belli dux; qui castra posuerit, acie conflixerit, obsidione cinxerit urbes, annorum, quos tum haberet, numero, intra breve tempus, victoriarum numerum æquarit, antequam, id totum quale esset, aut percontando à peritis, aut rebus gestis legendis, posset cognoscere; satisne ostendit vividum, & acre, & præcox ingenium, celeres & præmaturas virtutes, tractatione & usu anticipata omnia? Sed omitto cognatum. neque abibo longius: de patre loquar, qui tibi debet instar esse omnium: cujus acta vel unius anni contemplemur licet.

Ab VII. Id. Mart. anni proxime superioris, ad VII. quoque Id. easdem hujus anni, qui dies hodiernus est, quo temporis decursu Ludovicus XIV. vigesimum tertium ætatis annum ex parte dimidia explevit, vigesimum quartum ex parte dimidia inchoavit, & res per se publicas solus administrare, nullo adjutore primario, cœpit; quid habet regis tam parum provecta, tamque adolescens ætas proprium ac suum, temporique convenienter factum? quid non potius alienum, & quodammodo intempestivum, datumque nobis

bis in antecessum? An illius ætatis est prudentia senilis, quam in dirigendis & gubernandis rebus Ludovicus exhibuit? An illius est ætatis virilis magnitudo animi, qua in suscipiendis, & promovendis, & perducendis ad exitum præstitit? In illam cadit ætatem firmitas mentis, constantia vitæ, æquabilitas morum, gravitas, auctoritas, quibus omnes omnium ætatum superiores reges vincit? Quid? tam secreti esse tenacem, quam propositi? tam continentem linguæ, quam iracundiæ, reliquarumque cupiditatum? tam comem, & affabilem, adituque facilem erga privatos, & supplices, & tenuissimos quosque homines, quam altum animo, & ingentis spiritus, & justissima sui, suæque potestatis fiducia subnixum erga optimates, & honoratos, & locupletes, hoccine hominis est peradolescentis? Quis præstanti vel natura vel scientia præditus, & edoctus jam longa vita, usuque rerum maximarum, aut acutius videt, aut ait & negat præcise magis, aut facilius difficillima quæque intelligendo assequitur? Age, novimus juventutis quidem esse, ferre laborem, propter firmatum jam robur. Sed non ignoramus ejusdem item esse, à labore refugere, propter desidem ferociam, & effervescentem quamdam ætatis æstu, vivendi ut velit libidinem, atque licentiam. Quam varium ac multiplex, quot plenum curis, quantis difficultatibus conjunctum, quod maximis gravissimisque de regno consiliis ac deliberationibus, non tantum intersit Ludovicus quasi aliud agens; sed etiam velut decidens cuncta solus, & transigens, multas horas quotidie præsit? modo rationes pecuniarias grandes tractet, implicatum sane opus & maxime perplexum? tum sanctissima sacerdotia pro necessitate locorum, pro temporis opportunitate, pro dignitate hominum, caste & integre & cum abstinentia generosa quadam & liberali, largiatur ac distribuat? alias ad cetera & urbana & militaris, quæ extra regnum, quæque intra versantur, negotia se totum conferat: ac ne judiciis quidem & controversiis privatorum operam, fidem, diligentiam, assiduitatem neget? Jam vero resistere voluptati, & oblectamentis vitæ abstinere sese, certe juventus non solet: modum tenere, multo interdum minus: minime omnium, partiri se nec æqualiter, ut par est, in diversissima duo, negotium & otium, & utriusque temperare vicissitudinem. ut hæc adjuvent inter se: & quies intercurrat labori: atque ad illam, gravi perfunctus opere, veniat libentior; ad hunc, recreatus ac refectus viribus, fortior redeat. Quod si quis, ut Ludovico mos est, exerceat sese, etiam in ludicris, laboriosissime; si, dum ad omnem animi remissionem, omne delectamentum descendit, grandia & magnifica, & rege strenuo digna & actuoso, sectetur: næ ille haud jam præter ætatem suam, sed præter omnium cujusvis ætatis principum consuetudinem, fecerit. Atque hæc tot tantaque, in unum annum a patre, DELPHINE, tuo inclusa, non mirabimur, quæ si dispersa per alterius quinquaginta vitæ annos forent; & heroa efficerent cœlestem nobis ac divinum, & vehementer optimoque jure miraremur?

Quid si vero ante decem annos, statim atque ab optimæ & sapientissimæ matris tutela discessit, marte, ut dicitur, suo, non alienis adminiculis, nec externa & adventitia ope, ad rem gerendam communem aggressus esset; totas ingenii prudentiæque vires, ut potuit jam tum, exprompsisset: quæ, cœlites! acta pueri haberemus? quæ miracula rerum, cum illustria & gloriosa per se, tum præpropera festinatione spectabilia & prædicanda, quibus nunc caremus? Verum isthæc nobis, quot, & quanta futura fuerint, necessitas quædam fatalis invidit. quæ unde, cur, & tam diu obtinuerit; suspicari licet: pater, DELPHINE, prohibet loqui. ex quo tu illud, ut cetera regni arcana, melius, quam ex historiarum fide, aliquando disces. Ut ut sit: sive is gratus regis animus fuit in principem rerum administrum, quem quia de se optime meritum putaret, prorogatione potestatis remunerari voluerit; sive ea quædam regni vis interior, & natura ex occulto dominans, quæ regem eo nobis illustriorem pararit, quo magis ex improviso ac præter omnium expectationem, & minore rerum usu, ad res tamen excellenter divinitusque gerendas accederet: si nihil habeo, quod succenseam hominibus; irascor tempori, accuso fortunam, quæ, celata & suppressa tandiu singulari, & eximia principis indole, decennio nos admirabilium virtutum privavit.

Ad prima revertor. Vos, DELPHINE, reges, liberique regum, plerique omnes, prævenitis annos cum plurimis & maximis naturæ donis, tum præsidiis, & ornamentis, honestatibusque vitæ. Quid vicissim nos aliud facere par est, addictos vobis & devotos cives, nisi ut honorem vobis primo quoque tempore, qualem & quantum possumus, habeamus? &, si ventri materno, intra quem concepti degitis, quandiu ibi degitis, coronam non imponimus, id quod nonnullas gentes fecisse audio: nascentes saltem excipiamus gratulatione & plausu; consalutemus natos; ominibus prosequamur bonis tantisper, dum crescitis; nullum neque cultum à nobis, neque venerationem requiri sinamus? Hæc & similia tibi, DELPHINE, ut à principio dixi, officia tribuunt alii ex aliis viri principes, extranei juxta ac Galli, per legatos. Eorum ego exemplo conor aliquid per codicillos perque epistolam. Nec satis habeo, si procul, quasi unus de populo, cum populo plaudam, ex ultima turba: aut si propior, sed relictus extra limen ostiumque regiæ, tumultuaria & confusa acclamatione pulsem fores. Multum interest ad aviditatem nostram, introduci in secretius penetrale, venire sub aspectum, proxime cunas accedere, ipsum me meas perferre literas, ipsum reddere, ipsum recitare: ut eo tecum reverentius agam, quod de scripto ac meditatius. quo solum modo agere secum familiares & domesticos; credo, ut ab iis consideratius fieret; summus olim volebat imperator. Egero sic, mea quidem sententia, ad ornandum natalem tuum & cohonestandum, aptius, quam qui legantur ad te undique alii quivis: quod hi præstent officium verbis, quæ evanescant; & voce, quæ licet viva dicatur, simul ac missa est, occidat: ego scripto navem operam, quod mansurum sit, & in quo, ubi doceri literas & disce-

re

te cœperis, *heroum laudes, & facta parentis mox legere, & quæ ſit, poteris cognoſcere, virtus.*

Non ſolum more nunc & modo omnibus uſitato facio, qui te id ætatis conveniam atque appellem verbis honorificis, & ſermone de gravibus ſeriiſque rebus longiori morer infantiam. Jus eſt meum quoddam ſingulare ac proprium, ut, ſi conſtare mihi velim, meumque ipſius morem tueri, nec veterem meam erga reges obſervantiam corrumpere deſinendo, te, quam celerrime poſſum, dumque res exigit, aut patitur, ſeſeque dat occaſio, ſcriptis illuſtrem & exornem noſtris. Tuus ille avus, DELPHINE, cognomento Juſtus, poſteaquam una urbe capienda, quæ potentiſſimæ & regibus metuendæ reip. inſtar obtineret, complures cepit provincias & civitates, atque ita ſemen jecit tot palmarum, quas & ipſe deinceps, & tuus tulit parens; quis enim regum omnium tale quidquam, incolumi & ſtante Rupella, non dico, perfeciſſet unquam, ſed auſus aggredi eſſet, aut omnino cogitaſſet? laudatus eſt a me cum ſoluta tum adſtricta oratione, ut nihil aliud loquar, diligenter: idque nobis fuit ſcribendi ac dicendi initium, quod avo & patri vincendi triumphandique ſæpius fundamentum. cum quidem & anni unius quatuor victorias gratularer avo, & victam conſolarer Rupellam, quod Æneæ magni dextra, hoc eſt, Ludovici XIII. caderet. Ego idem Ludovico XIV. parenti tuo, decem poſt annis edito feliciter in lucem, primus omnium, cum plurimi dixerint, genethliacon, hic in urbe urbium principe, magna audientium frequentia & celebritate, magna ſi minus dictionis, at prædictionis & augurii noſtri approbatione, dixi. In quo non jam cœlum, aut cœtus ſtellarum, aut motus, ex quibus ſignificarem quæ futura eſſent, obſervavi: nec jam Mathematicos ullos ad interpretationem aſtrorum conſului: ſed unum duntaxat pro ſideribus ac ſtellis Ludovicum XIII. ſatis ſuperque habui notare & contemplari, ex cujus aſpectu duplici, altero regis, altero patris, futura magnitudo Delphini, & perpetua felicitas ſperari, facileque animadverti potuerit. Exin quarto menſe, iſta ætate cum eſſet, qua es tu nunc, allegare viſum eſt ad ipſum, utpote Delphina Gallicum, Delphinas, marinum & cœleſtem, qui vitalem ambo, ut infans creſceret, ille humorem, hic calorem, muneri ferrent, prætereaque artem & modum fovendi, & augendi, & fruendi muneris edocerent. Quid multa? Pacem noviſſime, conditionibus quam optimis fieri potuit, pater confecit. egi de pace. Magnificentiſſimas, & proprie vereque regales nuptias contraxit. de nuptiis egi.

Quæ ego ſingula, DELPHINE, nec exprobrandi officii, nec venditandæ operæ cauſa, ſed confirmandi ſtudii erga reges noſtri, & tuendæ conſtantiæ gratia, loquor. Manifeſto ut appareat, ſi me mihi reſpondere velim, quam æquum ſit & conſentaneum, uti, poſt tot noſtros de tuorum laudibus ſermones & præconia te non indictum nec illaudatum eſſe patiar. præſertim cum facile videatur, ſicut patrem æſtimavi tuum ex ſuo, ita te ex eodem tuo æſtimare ac metiri: &, quemadmodum ei me præbui, cum primum editus in lucem & ſuſceptus eſt; non hiſtoricum modo & laudatorem recentis ortus, ſed vatem quoque & divinum futuræ amplitudinis atque præſtantiæ; ſic eadem arte augurandi ac regula, quo tu fato natus, qualis quantuſque evaſurus ſis, præſagire. Nam, ſi neſcis, DELPHINE; paterna pleraque omnia, antequam forent, divinavi futura. Divinavi, inquam: atque in iſto mihi non parum placeo: de iſto me amo magis ac magis in dies: fructumque capio uberrimum non exquiſitæ nec admodum difficilis diſciplinæ: cum rebus ipſis, quæ belliſſime quadrant atque ex animi ſententia contingunt, videam mea quotidie prædicta comprobari. Ac ne forte putes aliquid a me, temporis cauſa, & ex eventis fingi; edita jam in vulgus extat oratio, *Delphini horoſcopus*: editum extat poematium, *Delphino xenia*, quod utrumque teſtimonio eſſe poteſt, loqui me ſincere nunc, vere prædixiſſe. Videſne, quæ patris figura, & ſpecies, & proceritas? quam celſus & erectus ſtatus? quam magnificus & gravis inceſſus? quanta oris dignitas? quanta in corpore toto majeſtas? ut, ſi ibi, ubi qui forent his maxime donis naturæ inſtructi, reges crearentur, vixiſſet, regnum ei ſine controverſia delatum fuiſſet? Hanc conformationem dixi corporis fore. Sentis, quam firma ſit valetudine, qua dexteritate ad res ſingulas, quid roboris habeat & lacertorum, ad ſuſtinenda bella, nec leviora plerumque pacis, & onera? ut ii, qui circa eum ſunt aſſidue, complures purpurati, difficilius otium ferant, quam ipſe laborem? Has vires fore habilitateſque corporis dixi. Quid præterea? Dixi tanto ante de eximia quadam & præclara indole ad virtutem. quis nunc non aſſentitur? De inuſitata & ante id tempus inaudita maturitate ad prudentiam. quis contradicit? De fide, & conſtantia in fœderibus, in promiſſis, in dictis vel minimis. qui refutat orationem meam, aut fidem ipſe non habet? Denique illud auctoritatis, quo potiſſimum regia majeſtas continetur, quod ineſſe tum affirmabam in Ludovico XIII. perventurumque cum fœnore tanquam hereditatem ad Ludovicum XIV. agnoſce, DELPHINE, an non ſit hujus noſtri præcipue temporis? En ipſa, quibus ante viginti tres annos uſi ſumus, verba. *Si auctoritas, magna quædam eſt cum reverentia opinio de principe, deque principatu, quam admiratio excipit, quam metus: de quo opinionem vel parem habemus, vel habere majorem poſſumus? quid tot geſtis ab eo rebus admirabilius? quid tantis ejus viribus formidoloſius? Hæc ſi opinio conciliatur regnandi forma; quid adſtrictius? regni potentia; quid valentius? regis moribus; quid melius? Si hac admiratione, hoc metu, nihil neque arrogantia accedere principi, neque decedere amoris populis oportet: quid iſto moderatius, iſtis benevolentius?* I nunc: convince me falſi, auguremque nega, neu tuis ipſe oculis & experientiæ quotidianæ crede, quiſquis his lectis auctoritatem non intelligis Ludovici XIV. prædictam.

Duo, fateor, DELPHINE; quid enim diſſimulem? meam fugerunt ſcientiam, divinationem fefellerunt. Erravi, lapſus ſum; nunquam putavi fore, primum, ut Ludovico regi mortuo Anna, regina & conjux, ſuccederet, quæ imple-

ret una paternas & maternas erga filium vices; quæque ut tuus nunc parens supra ætatem facit omnia, quemadmodum ostensum est, ita supra sexum omnia obiret; omnia sustineret. Quæ adversa per hosce complures annos proximos, difficillimis & periculosissimis regiæ tutelæ, & consecutis temporibus, non tulit? quæ tulit autem non viriliter, aut quæ majore, quam pro fœmina, robore, & constantia, & inductione animi ac voluntate, non superavit ferendo? Quibus prosperis elata muliebriter est, ut ulcisci vellet, cum posset, adversarios regni & suos? ut non placaretur, non reconciliaretur quam facillime? ut non ignosceret omnibus? ut minus multis benigne faceret? ut suam aliter potentiam ulli, quam aut sublevandis periculis, aut dignitate amplificanda probaret? Huic, quod omnes norunt, nescio quo modo nemo loquitur, nemo scribit, pulcherrimam & dulcissimam, qua gaudemus, pacem universus orbis terrarum Christianus debet. Huic Ludovicus & Teresia plenum dignitatis & concordiæ, quo sunt conjuncti, matrimonium debent. Huic te ipse, Delphine, qui communis & amabilissimus nodus amborum es, & fructus matrimonii hujus cum primus & maximus, tum vero celerrimus, &, ut magna spes est, diuturnus, debes. Absque qua fuisset, non mihi dubium, nec obscurum cuiquam, quin & Gallia naturali quodam odio suo dissideret ab Hispania, flagraretque etiam nunc bellum jampridem susceptum; & pater tuus, aut uxore nondum ducta, nec herede procreato, media inter pericula certaminum versaretur, aut nuptias. . . . . . Sed taceo de patre: mater tua, quamvis genere, probitate, forma, feminarum præstantissima, aut innupta diu resideret domi, aut nuptiis, vel imparibus, vel non placitis, alligata, mœreret.

Alterum, in quo deceptus sum vehementer, longeque a scopo aberravit conjectura & divinatio mea, est, quod tuus, Delphine, pater non solum tanta, quanta modo indicavi, omnesque sentiunt ac vident, facinora ediderit; non solum tam exiguo temporis spatio; non solum tam mature tamque præter ætatem: sed quod solus ac per sese, nullo auctore uno consiliorum, aut laborum adjutore & socio, aut participe honoris & gloriæ, ediderit: quodque in posterum simili consorte, quicum partiretur curas & communicaret potentiam, carere, animum induxerit. Equidem memineram, ex quo tempore Henricus magnus, rex eo nomine quartus, excessit e vita, nunquam vacuam & inanem aulam istis apud principem gratiosis & præpotentibus, quorum de consilio & sententia & auctoritate fierent omnia, fuisse: nunquam, neque reges, neque reginas præsidio atque opera destitutas hominum, quibus unis summam rerum credidissent administrationem. Videram avo tuo, jam puberi, jam viro, ac fere quoad vixit, affixos & ab illius latere nunquam discedentes, tanta auctoritate viros, quanta in eos cadere potuit, qui essent alteri à rege, plusque soli, quam tota Gallia, pollerent. De patre nuper experti, Delphine, sumus: & recentissima res est, & ex oculis vixdum sublata: neque facile nobis effluet animo, quam vim Galliarum rex & potestatem habeat, qui consiliorum ministrum, operumque adjutorem, ex tanto tantum effecerit. Itaque, cum alii hos beatos & florentes amicos regum, fortunæque filios admoverent sententia sua rerum gubernaculis; alii removerent prorsus, multaque in contrariam partem disputarent: conveniebant in eo omnes, quod quale hoc cunque esset, mansurum arbitrarentur. Ego, quod ad me attinet, utrum recte, an secus ea se habuerit forma & ratio regni tenendi; &, si malum istud, utrum malum necessarium, ac temporum potius, quam hominum, videri debuerit; neque scio, neque, si sciam, dici necesse est, aut refert denique. Tantum dico, nunquam mihi venisse in mentem, quod tam diuturnum fuerit, tam longa consuetudine inveteraverit, quod quinquaginta jam annorum spatio quasi usu captum sit; hoc idem fieri desiturum aliquando, nec futurum perpetuum. Quare, quod innumerabilibus præclare factis gerendis longe præcurrat Ludovicus XIV. ætatem: miror. quod præclare facta hæc innumerabilia gerat suo ipse ductu atque auspiciis; nemo veniat in societatem gloriæ, nec partem decerpat, nedum totam sibi vindicet; nemo gratulationes in victoriis & triumphis, actiones gratiarum in munificentia, populorum clamores & plausus & faustas adprecationes in pompa & celebritate quavis, præter eum, cui merito hæc & jure optimo debentur, attrahat, in seque convertat: equidem satis mirari non queo. Nec vero, ut illud de avia superius, sic & de patre posterius hoc providere facile potui, propter splendorem, opinor, atque amplitudinem. neque, ut providerim, edere statim & spargere in vulgus debui, propter incredibilitatem. Quotusquisque mortalium potuisset adduci, prævisa ut crederet, quæ visa nunc, novitate & insolentia rerum vix obtineant fidem? aut quomodo tanto ante prænunciana iis ventura, persuasissem, qui se oculis cernere quod cernunt, experiri quod experiuntur, via sibimet ipsi persuadeant? Tametsi, verum si loqui volumus, non ars me mea defecit, nec fefellit divinatio: cum maxima & plurima prædixerim; quæ prædixi, omnia ad unum evenerint. Quod si quædam acciderunt, non prædicente me: haud ego quidem continuo minus augur, quia non omnia compleaus sim prædicendo; sed magis fida dignus, quod minus leviter ac temere prosilui ad summum quidque prædicendum.

Sic igitur apud omnes constituta, & ex meis superioribus prædictis, & ex omissis a me nonnullis, auctoritate augurii, & divinationis meæ; quid potius enitar atque operam dem, quam ut ars hæc & scientia vaticinandi, quæ jamdudum patri serviit, ad extremum tibi serviat filio? Quid præstantius autem; sed quid tamen moderatius, itemque dictu brevius; quam ut quasi ex sideribus natalitiis præcinam ac denunciem, te patri omnino parem, & quamsimillimum, hoc est, qualis & quantus sit, talem te ac tantum futurum? Quo loco si quid fallo, si erro ipse: erro, ut antea, & fallo in isto, quod spes Gallorum, parentum vota, expectationem omnium, prædictionem nostram vinces. Dubitas? hæres? non annuis? qui sciam & unde, quidve argumenti habeam, rogas? Sexcenta concurrunt

runt signa, quæ mihi, quid te futurum sit, demonstrent. accipe peculiaria duo, tibique propria: quorum unum est, exemplum vivum patris, quo rex, suo ipse statim teneris annis parente orbatus, caruit: alterum, prima educatio tua, qua nemo regum omnium, quantum video, nactus est aut nancisci potuit meliorem. Nam, ut in reddenda formarum similitudine, si ad perfectum exemplar, quale vivum est, docta manus artificis accesserit; non dubites, quin effigies expressa convenientem naturæ & aptam pulchritudinem adumbratura sit: ita pro certo habendum, si proposito ante oculos patre vivo ac vidente, optima ratione ac disciplina, atque ex arte formetur puer; imaginem animi paterni, simulacrumque virtutum, excellentissimum fore.

Etenim cum præstet hic ad imitationem exemplo veteri novum, externo domesticum: tum proclive dictu non est, quanto majus pondus atque momentum habeant ad incitandum viva & loquentia, quam mortua & muta exempla. Mortuum quidem abest revera, neque fit, nisi longe repetita sui memoria, præsens. est & expers motus atque actionis, ac proinde nihil confert ad exprimendam similitudinem sui, nisi inanem & vanam imaginem. At contra vivum præsto est, sese offert, invitat, movet, æmulationem provocat, imitantem adjuvat quodammodo, in partemque operis venit. Nec est quidquam, quod pater optimus atque amantissimus malit, quam superari se a filio & anteiri: cujus sola præsentia admoneat officii, vultus tacitus exprobret. Ac juvat filium non displicere parenti. degenerare pudet, nec respondere laudibus. idem nutu gaudet atque approbatione; idem digito notatus mœrore contrahitur. Tanti est habere propius ducem & antesignanum, qui sequenti præluceat multitudine majorum & pulcherrimarum virtutum, potius vivus quam mortuus: qui non ita longo intervallo præeat iter ad summum decus: & cujus non tam ad aures hominum audita fama perveniat, quam vicinus ac præsens & qui tanquam e regione sit, in oculos fulgor incurrat.

Tua vero, Delphine, jam inde ab incunabulis educatio, quid non egregium & laudabile ac parente dignum portendit? quid non faustum pollicetur vel ex eo, quod moderatricem tibi infantiæ tanto delectu rex sapientissimus dedit, prudentem, & probam, ac solertem in paucis, eandemque ab ineunte ætate bonis artibus ac disciplinis, non modo quæ feminam primariam, sed quæ virum illustrem deceant, sic excultam atque expolitam, ut mater nunc elegantiarum possit jure optimo dici? Dubitabit, opinor, quem avitum, & patrium, & maternum, & maritalem habet amorem erga literas pariter & literatos, instillare tibi, etiam dum minor septem annis eris? Cunctabitur, sub idem tempus, cum est ætas ad mores magis, quam ad literas idonea, sensum tibi aliquem & gustum præbere virtutum, quas in vita deinceps usurpaturus sis? Quæ, posteaquam tu, septennio quasi emerito, solutus ac liber, e mulierum gremio & manibus evaseris; possit adhuc axiomata regia quædam, & prima regnandi elementa, si non summo jure & cum imperio tradere, si non dandi consilii & adhortandi causa, graviter exponere; at injicere saltem in communi sermone identidem; at secreto in aurem & familiariter insusurrare: quo memorem admoneat, incitet currentem. Parendum Deo, parendum rationi, si sibi princeps obtemperari velit. Regem esse prius oportere sui, quam aliorum: sui potius, quam hostium, victorem. Regnari latius coercendis cupiditatibus animi, quam propagandis finibus, & adjungendis ad imperium ditionemque provinciis. Tutius regnari in medullis ac visceribus, caritate & benevolentia civium; quam in arcibus atque oppidis, stipatorum corporis præsidio, militumque exercitu. Nec prætermittet, sat scio, quæ maxime dedecorent vitia principem, & a quibus animo eum & cogitatione abhorrere oporteat. ut quanto plus licet, tanto minus indulgeat sibi: & quo major est, tanto majorem culpam futuram suam, si quid admiserit, & minus habituram excusationis, intelligat. Esse libidines obscuri hominis, flagitium; cum lateant: clari, pessimum exemplum, & offensionem in vulgus; quod pateant: dominantis, publicam injuriam, vim apertam, mollem quamdam quasi tyrannidem; qui extorqueat nutu, blanditiis cogat, &, si quando ad preces infimas descendit, nihil non expugnet. Huic avaritiam & effusionem detestandam ex æquo. illam in privato, turpem: in principe, monstrosam: utpote quæ principis ne vitium quidem sit, sed trapezitæ aut fœneratoris. hanc, quo propior videtur magnificentiæ, decipitque facilius specie virtutis, eo majori cautione ac diligentia principi vitandam. Avarum in vita prodesse nulli; profusum aliis, quam quibus debeat. ut, si quid cum utroque commercii sit & rationis habendum; heres esse avari velim, amicus prodigi. Quanquam neutrum profecto velle debemus; cum heres avari omnia prodigat utplurimum; amicus prodigi, ab inconsulto & præcipiti ac temerario datore, nihil ferme habeat, quod speret. In primis autem admonebit, id quod nec nimis valde, nec nimis frequenter præcipi potest: quo omnia sint referenda iis, qui aliis præsunt: quorum præcipue commodis & rationibus consulere, suisne, an populorum, debeant: quid in tota procuratione regni oporteat esse propositum regibus universe; quid regibus Galliæ speciatim. regibus; ut, qui sunt eorum in regno ac ditione, nihil malint aliud, vivant quam beatissimi: regibus Galliæ; ut, quoniam ipsi sine controversia primi sunt regum, ii, quibus imperant, fructum inde majorem speratum ac sibi debitum consequantur, ideoque beatissimis vivant beatiores. Sed quid has ego, quas præjudicio certo & suffragio mandavi optimæ gubernatrici, præripio partes? cur occupo epistola, quamvis grandi & ponderosa, quæ rectius dilatabit? colligove unum in tempus, quæ temporibus diversis opportunius exequetur?

Habes, Delphine, signa duo, quæ bonum me vatem observata faciant: meliorem sine dubio, quam si cœleste, sub quo natus es, contemplarer signum, ex eoque fatum tuum, & quis in omni vita evasurus sis, & quorsum res, quæ ad te pertinent, casuræ, interpretarer. Prodi-

tum est memoriæ, non ausum initio Cæsarem Augustum edere genituram suam mathematico Theogeni, metu ac pudore, ne minor, quam Agrippa, cui magna prædicta essent, ac pæne incredibilia, inveniretur. Nihil est, quod tuum celare thema, DELPHINE, velis olim, quasi contemptius aliquid, aut quemquam nunc Gallorum audire, vicissimque alienigenis impertire pudeat, in orbis terræ memoriam sempiternam. Vulgetur sane, per me licet: ac vulgetur me auctore horoscopus hic de te noster. Nec periculum est, ne quo Mathematicos consulente vicearis inferior: nec metuo, ne posterius ullo unquam tempore mendacii & vanitatis arguar. Interim, dum fidem meam liberet dies, dum bonus eventus, cui veteres supplicabant tanquam Deo, respondeat votis: contenti fruemur præsentibus: sperabimus etiam in futurum meliora. Age tu solummodo, DELPHINE, partes tuas, vive, vale, & cresce.

VII. Id. Mart. M. DC. LXII. Lutetiæ.

INDEX
LIBRORUM
Hoc Volumine contentorum.

FINIS.

